MARS MORAVICUS. SIVE BELLA HORRIDA ET CRUENTA, SEDITIONES, ...

Jan Tomáš Pešina, Samuel Dworzak, ...

Digitized by Google

7
9-A
24

9
19 M
1

7.-9.A.24.

Digitized by Google

Digitized by Google

XVI.17.7.
1.6.

Digitized by Google

XVI.17.7.
1.6.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



R.D. Ant. Cublinskij Can: Reg. del.

Wenceſlaus Wogner ſculp.

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

MARS MORAVICUS.

Sive

BELLA HORRIDA ET CRUENTA,
SEDITIONES, TUMULTUS,
PRÆLIA, TURBÆ:
& ex ijs enatæ
CREBRÆ ET FUNESTÆ
RERUM MUTATIONES,
DIRÆ CALAMITATES,
INCENDIA, CLADES,
AGRORUM DEPOPULATIONES,
URBIUM VASTITATES,
ÆDIUM SACRARUM ET PROPHANARUM RUINÆ,
ARCIUM ET OPPIDORUM EVERSIONES,
PAGORUM CINERES,
POPULORUM EXCIDIA,
&
alia id genus mala,
quæ Moravia hactenus paſſa fuit:

Deſcripta

â

THOMA JOANNE PESSINA DE CZECHOROD,
& in Oborziſſtie, Epiſcopo Samandrienſi, Decano Metropol. Pragenſi, Canonico Litomericenſi & VViſſehrad. S. Cæſ. Regiæq; Maj. Conſiliario, Comite Palatino.

PRAGÆ:
Typis Joannis Arnolti de Dobroslawina.
Anno M. DC. LXXVII.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

PARS PRIMA.
usque ad Annum
M. D. XXVI.

Digitized by Google


Maria
mea
est
meus
meus anchora
THOMAS JOANNES PESSINA DE CZECHOROD,
Dominus in Iborziſstie, Dei et Sacræ Cæs. Majestatis
quâ Regis Apostolici Gratiâ, Episcopus Samandri-
enſis, S. Metrop: Prag: Ecclesiæ Decanus, Cathedra-
lis Litomericenſis, et Collegiatæ Regiæ Exemptæq;
Wiſsehradensis Canonicus, S. Cæs: Regiæq;
Majeſtatis Conſiliarius, Comes Palatinus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

REVERENDISSIMO, ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO

PRINCIPI,

DOMINO DOMINO

CAROLO

EPISCOPO OLOMUCENSI,

DUCI,

SACRI ROM. IMPERII PRINCIPI,
SACRÆ REGIÆ BOHEMIÆ CAPELLÆ,
ET DE LICHTENSTEIN

COMITI &c.

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
DOMINO, DOMINO

FRANCISCO

CAROLO LIBSTEINSKY,
SACRI ROM. IMP. COMITI DE KOLOWRAT,
DOMINO IN RICHNOW, CZERNIKOWITZ,
CHRAUSTOWITZ & LESSNA:
SACRÆ CÆS. REGIÆQ; MAJEST. CAMERARIO,
ACTUALI INTIMO CONSILIARIO;
ET IN MARCHIONATU MORAVIÆ
SUPREMO REGIO CAPITANEO.

Nec non & cæteris

REVERENDISSIMIS & AMPLISSIMIS,
ILLUSTRISSIMIS & EXCELLENTISSIMIS,
PERILLUSTRIBUS & GENEROSIS,
NOBILIBUS & CONSULTISSIMIS,
DOMINIS, DOMINIS QUATUOR STATIBUS MARCHIONATUS
MORAVIÆ.

Thomas à Czechorod Epiſcopus Samandrienſis,
Decanus Pragenſis.

Salutem plurimam, & Felicitatem.

Digitized by Google

NIhil in rebus humanis ſtabile, ſed omnia mutationi corruptioníque obnoxia eſſe, nemo, ùt reor, dubitat, cùm vel inviti id ſentire patíque cogamur. *Solius Dei numen naturâ mutationis expers eſt, tanquàm increatum, & ſemper exiſtens;* creata omnia ſuâpte naturâ mutantur. *Omnia tempus habent, & ſuis ſpacijs tranſeunt univerſa ſub cœlo:* ait Eccleſiaſtes. Et alius: *Fata regunt Orbem, certâ ſtant omnia lege: Longáq; per certos ſignantur tempora curſus.* Quod veluti commune omnium fatum, uſq; adeò longè latéque protenditur, ut non ſolùm res inanimas rationis expertes, verùm hominem quoque, ſingulare Dei opus, animâ rationali, eáque divinis dotibus ornatâ præditum, huic nunquam ſibi conſtanti, vario ſemper ac fluctuanti Euripo ſubeſſe oporteat, ac neceſſe ſit. Nec tantùm homo, ſi ſpectetur in individuo ſolus; verùm populi integri, communitates, urbes, Provinciæ, Regna quàm plurima, imò ferè omnia, triſtia humanarum mutationum ac luculenta nobis præbent exempla. Vidit hoc Romanus Orator: *idipſum*, inquit, *à Platone, Philoſophiáq; didici, naturales eſſe converſiones Rerumpub. ut eæ tum à Principibus teneantur, tum à populis, tum à ſingulis.* imò ut tandem à nemine teneantur, ſed ſuo tempore occidant, intereántque. *Fato* proinde *Rempub. geri, & nunc ad ſummum evehi, nunc ad minima retrahi*, dixit ille, & certè benè.

Ipſa *Reſpublica Romana* vel ſola, nobis pro teſtimonio eſſe poteſt, ſi conſideremus ejus mutationes: *à Regibus in Conſules: à Conſulibus in Decemviros: in Tribunos militum: Tribunos plebis: Dictatores: Magiſtros militum: Tyrannos: Imperatores;* eóſque florentes, decidentes, reſtitutos, atque iterum proſtratos; donec tandem & ipſa barbaris in prædam ceſſit. Et quod ſenſit in ſe, in aliorum Principatus etiam exercuit: nunc provincias in Regnum erigens, nunc Regna & Imperia in provincias reducens; vi propriâ deficiente, aliâ ſuccedente dominantéque. *Carthaginis* imperium, civitate deletâ, in provinciam reductum: per *Africam* ſex provinciæ factæ; *Maurorum*, *Numidarum* ſceptra extincta: per *Hiſpaniam* itidem ſex provinciæ conſtitutæ, & ex his poſtea Regna: *Gallia per Julium Cæſ.* in plures provincias diviſa; rurſum in Regna. *Trajanus*, Dacos ſub Rege Decebalo vicit, *Daciam* provinciam fecit Romanam. Idem accidit *Pannonijs, Macedoniæ, Thraciæ, Epiro, Ponto, Cappadociæ, Aſiæ, Armeniæ, Syriæ, Ægypto*, & alijs quàmplurimis Regnis, in provinciam redactis, reſtitutis, ſubrutis, ac ultimò everſis, aut

trans-

Digitized by Google

translatis. Hunc in modum variant Regna, dominatus, nationes, populi; nunquam in eodem ſtatu permanent: florent tantiſper, creſcunt, augentur, mox alterantur, deficiunt, ſeneſcunt, intereunt. Quàm rectè Poëta ille:

Quot poſt excidium Trojæ ſunt exuta Regna!
Quot capti populi! quoties fortuna per orbem
Servitium Imperiumq; tulit, varieq; revertit!
Trojanos cineres in quantum oblita reſolvit
Imperium! ſatis Aſiæ jam Græcia preſſa eſt.
Secula dinumerare piget: quotiésq; recurrens
Luſtraret mundum vario Sol igneus orbe:
Omnia mortali mutantur lege creata.
Nec ſe cognoſcunt terræ vertentibus annis:
Exutas variam faciem per ſecula gentes.

Et quid opus exemplis alienis? notum ac perſpicuum ſatìs habemus domî noſtræ, in *Marcomanorum Regno*, quondam ampliſſimo florentiſſimóque. Illud ſub *Marobuduo Rege*, in tantum magnitudine & potentiâ crevit, ut non finitimis duntaxat, ſed *Urbi quoque Orbis terrarum dominatrici* evaſerit formidandum. Habebat Rex ille in promptu, & parata ſemper ad nutum, pugnatorum ſeptuaginta millia; cúmque à læva & fronte haberet *Germaniam*, à dextra *Pannoniam*, à tergo *Noricos*, tanquam moturus in omnes, ab omnibus timebatur, cùm neminem ipſe timeret. Nec verò ſecuram eſſe ſinebat *Italiam*. Extat illud *Tyberij Cæſ.* apud Senatum differentis: *Non Philippum Athenienſibus, non Pyrrhum aut Antiochum, Populo Romano perinde ac Morobuduum, metuendos fuiſſe: extátque oratio, quâ magnitudinem viri, violentiam ſubjectarum ei gentium, & quàm propinquus Italiæ hoſtis, ſuáque in deſtruendo illo conſilia extulit.* Verùm haud multò poſt, mutatâ fortunâ, *Marobuduus* à ſuis deſertus, & in exilium actus didicit *ſummis negatum eſſe ſtare diu.* Mox & ipſum Regnum in partes ſciſſum minui, deficere, ac ſenſim labare cœpit: & quamquàm ope *Sarmatarum*, quos *Marcomani* in ſocietatem & jus hoſpitij ſuſceperant, erexerit ſubinde caput, lacertóſque moverit; præſertim *Marcomiro* regnante, quando non niſi divinitùs à *Romanis* ſubigi potuit; ſæpiùs tamen iteratis, ijſque graviſſimis *Romanorum* impreſſionibus, poſtea verò aſſiduis penè *Gothorum* incurſionibus vehementer atritum, ac ultimò *ab Hunnis*, eorúmque *duce Attilâ* oppreſſum penitùs, defecit uſque adeò, ut tandem urgentibus fatis, datum ſit in

Digitized by Google

caſum extremum. Nec licèt hodie aliud, quàm nomen duntaxat ipſius audire, vel legere; videre nihil. Sic ſunt humana, ſic eunt: *ſic omnia verti cernimus, atque alias aſſumere pondera gentes; concidere has.*

Defunćto *Attilâ*, cùm vicini *Gepidæ & Gothi*, excuſſo Hunnorum jugo, ſua denuò inſtaurarent Regna, *Sarmatæ* cum Marcomanorum reliquijs, hanc quoque occaſionem in rem ſuam uſi, & novâ inſuper acceſſione popularium ſuorum *Antarum & Slavinorum* aućti, ad priſtinum libertatis decus aſpirare cœperunt: naćtique idoneum ducem, ac præ cæteris bellicâ virtute inſignem, nomine *Babak* ex progenie *Bogi*, *Antarum quondam Regis*, in Dacia longè latéque dominantis, ſed poſtmodùm *à Gothis* oppreſſi, illum ſibi Regem conſtituerunt. Jámque tunc non ampliùs veteri appellatione, ſed *à Morava* flumine, *Moravi* dici nominaríque voluerunt. Primò tamen ardua omnia, & conatibus ſuis altiora experiebantur, prævalente *Gothorum & Gepidarum* potentiâ: quâ aliò versâ, ſucceſſerunt *Herulorum, Rugorum & Longobardorum* tempeſtates. Donec omnibus iſtis partim *in Italiam*, partim *in Hiſpaniam*, alijs verò *in Africam* migrantibus, & melioribus terris occupandis intentis, *Sarmatæ Moravi*, vel jam potiùs dicendi *Slavo-Moravi* ex tenuiori fortuna ſenſim emergere, explicare alas nido majores, & ſeſe latiùs extendere non dubitârunt.

Evenítq; *Slavo-Moravis* in ea concuſſione & devaſtatione Romani Imperij à gentibus barbaris, quod ſolet in validis terræ agitationibus; quando diſcedente terrâ, fontes ſubinde proſiliunt, & montium ſupercilia denudantur. *Bellicoſa natio* haud immemor priſcæ fortitudinis, caput è fortunæ ruderibus extulit, naćta ex Orbis concuſſionibus ſpatium evadendi in altum: ut deinceps non alienæ potentiæ ſerviret, ùt ante, ſed ſuæ dignitatis inciperet eſſe reſtauratrix & architećta. Unde ſpatio temporis brevi, *Pannoniam utramque* ſub ſuam redegit poteſtatem, ità ut occupatis à parte una regionibus ampliſſimis, quæ *Oderâ, Vago, Grano, Tybiſco* irrigantur, & *Daciâ totâ*: à parte verò altera, Auſtrum versùs, *nobiliori Dalmatiæ, Illyrici, Carnorum & Iſtriæ traćtu*, non ſolùm vicinis populis, *Boijs*, qui Noricum tenebant, *Italis* per Iſtriam & Forum Julij, ac imprimis novæ *Coloniæ Venetorum*; verùm etiam Græcis, ipſisque *Imperatoribus Conſtantinop.* metuendi haud vanè exiſtimarentur: Regiâ ſede tum *Weſprinij* collocatâ.

Sed, ùt dixi, nihil in mundo ſtabile; puri ac ſynceri ſub Sole nihil, nihil certi: fluxæ mutabilitati obnoxia cunćta, etiam Regum ſceptra; quibus interdum longè ſæviùs illudit fortuna, quàm alijs. Creverat *Regnum Mora-*

vorum

Digitized by Google

vorum potiſſimùm ſeculo à reparatione Salutis Humanæ quingenteſimo: floruitque eo & ſequenti; præſertim *Moravodo*, (alijs *Marotho*) regnante, cujus virtute & ſapientiâ, maxima incrementa accepit; evaſerátque viribus, potentiâ, opibus, magnitudine ad ſummum uſque. Et ecce! quaſi jam ad terminum fatalem ac ſibi præfixum acceſſiſſet, ut ultra progredi ei non liceret, ſubitâ converſione factâ, occaſione novæ, eæque repentinæ *Hunnorum & Jugrorum* in Daciam, ac inde in Pannoniam irruptionis, deficere, retro ferri & inclinari cœpit. *Svatoſs Marothi filius* prælio binis vicibus cœſus, *Daciâ & Pannoniâ* inferiori totâ exutus, & vix ſpacium temporis locíque nactus, ut ſe ipſum cum charitatibus ſuis ultimo diſcrimine eximere, vitámque ſervare potuerit: qui non ampliùs *in Pannonia* tutus, relictâ *Weſprinienſi Regiâ*, transmiſſóque Danubio, in veteres *Marcomanorum* ſedes, *in Moraviam*, ſeceſſit, & *Welehradi*, haud procul *Moravâ flumine*, novam Regiam ſibi & poſteris conſtituit, à maligna fortuna tam acerbè & improviſò mulctatus, ut vix, (& nè vix quidem,) ſeptimam Regni partem retinuerit.

Uſque adeò res humanas vis abdita quædam
Obruit, & pulchros faſces, ſævásque ſecures
Proculcare, ac ludibrio ſibi habere videtur.
In ſe magna ruunt: lætis hunc Numina rebus
Creſcendi poſuêre modum.

Vario poſtmodùm Marte geſſerunt bella ſucceſſores ejus *Samomir*, (hunc Diocleates presb. S. Eccl. Archi-Ep. Dioclетanæ *Zvanimirum* nominat) *Samoslaw*, *Mogemir*, *Radislaw*, *Swatopluk*, cum vicinis, jam cum *Hunnis*, ſeu *Hungaris*, gente feroci, & quâvis occaſione irritabili; jam cum *Tevtonibus & Francis*; nonnunquam cum gentilibus ſuis *Bohemis & Polonis*; & fortunâ quandoque propitiâ: nunquam tamen itâ validâ ac efficaci, ut ad priſtinam magnitudinem redire, & antiquum Gentis Imperijque decus recuperare potuiſſent. Ad extremum, cùm defeciſſet illos *Sapientia & Conſilium*, quæ duo ſunt præcipua fulcra Regnorum; & exinde neglectâ militari diſciplinâ foris, domi verò legum authoritate jacente ac proſtratâ; accedentibus inſuper cruentis inteſtinarum factionum diſſidijs, partiúmque ſtudijs diverſarum, quæ Reipublicæ ſunt peſtes: Regnum totaliter in ruinam inclinavit, ac veluti *Ilium* quoddam obvio cuique in prædam datum, & miſerè vaſtatum, laceratum, diſcerptum, eſſe tandem deſijt, certo ſuo utique & inevitabili fato, quod præterire non potuit. Habent enim Regna ſuos terminos,

 minos,

Digitized by Google

minos, fatalésque periodos, quibus circumactis aut mutantur, aut transferuntur, aut intereunt.

Regitur fatis mortale genus,
Nec ſibi quiſquam ſpondere poteſt
Firmum & ſtabile: pérque caſus
Volvitur varios, ſemper nobis
Metuenda dies.

Porrò *Fati* nomine, quo hìc veterum ſententias retinens, utor, non intelligo *dolia* illa *Homerica*, quæ plena bonorum aut malorum in homines redundare finguntur in fabulis: nec *Fatum Stoicum*, quod definiunt *neceſſitatem rerum omnium & actionum, quam nulla vis rumpat,* & quæ excludit omnem prorſus facultatem, ſeu potentiam ad oppoſitum, humanæque libertati ê diametro contradicit. Sed Chriſtianum, *pendentem à divino conſilio ſeriem ordinémq́ cauſarum;* ſive, ipſam *Providentiam Dei*, omnia juxta cujusq; cauſæ modum, ſvaviter ac ſapienter ordinantem : cujus nutu ac voluntate cuncta Imperia ſtant cadúntque ; *quæ mutat tempora & ætates, transfert Regna atque conſtituit.* Atque id quidem cauſis occultis : *quis enim hominum poterit ſcire conſilium Dei? aut quis poterit cogitare, quid velit Deus? Quis ei imputabit, ſi perierint nationes, quas ipſe fecit?* Illud certum, ruinas Regnorum plerumque originem accipere à vitijs Principum, quæ viam Neceſſitati, ſeu Providentiæ divinæ ab æterno illi prævíſam pandunt. An non *Regna de gente in gentem transferuntur, propter injuſtitias, & contumelias, & diverſos dolos?* transferuntur ſanè: & exemplis pluribus oſtenditur, maximum illum Regnorum architectum & œconomum, propter ſcelera Principum, urbes, provincias, Regna ipſa alienigenis dediſſe; imò evertiſſe. Notatur & illud vitij in Principibus ; quòd pauci in rebus ſecundis ſint moderati; plerique elati ſucceſſibus inſoleſcunt, feruntur extra metas, indulgent ambitioni & cupiditatibus; & his impulſi ſuſcipiunt & movent non neceſſaria, aut majora viribus *(ità Svatobog fecit Regum Moraviæ ultimus)* quibus tandem opprimuntur. Hæc eſt hæc magnorum Principum fortunæ periodus ; ex ſucceſſibus felicibus fiunt ſecuri, ex ſecuris inſolentes & ſuperbi, ſuperbiam ſequitur ruina. *Sed ineluctabilis fatorum vis,* (ait ille) *cujuscunque fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit; efficitque, ut quod accidit, etiam meritò accidiſſe videatur, & caſus in culpam tranſeat.*

Redeo ad fatales & miras viciſſitudines, triſtésque ruinas *Regnorum*

Mar-

Digitized by Google

Marcomaniæ & Moraviæ, quæ uti meritò dignæ ſunt notatu ac memoratu, veluti Σκέλετον quoddam, poſteritati ad terrorem : ità mirari ſubit, quòd nemo per tot ſecula inventus ſit, qui illas, tum alias æquè funeſtas mutationes, ac rerum vices, dira bella, clades, urbium & populorum vaſtitates, plagas, cœdes, direptiones, incendia, aliáque malorum genera, quæ excogitari poſſint, ad omnia irarum, invidiæ, atque avaritiæ & crudelitatis exempla, *Moravia* ſuſtinuit, etiam quando poſtmodùm *in Provinciam Bohemiæ* redacta fuit; ea omnia, aut ſaltèm potiora deſcribenda ſuſcepiſſet. Haud dubiè deterrebat quosvis difficultas operis, præſertim in explorandis & recenſendis primis *Marcomanorum Moravorúmque* originibus, antiquis ſedibus, præclaris factis, fortunâ utrâque, bellis, migrationibus. Omnia ſiquidem iſta, aut pleraque profunda altitudo uſque adeò obruit, & ineluctabilis oblivio oppreſſit, ut deſcribere, & remotiſſimas ejusmodi retrò ætates, deſtitutas antiquis Scriptoribus, & veluti immemorabiles inſpicere perarduum omnino ac impoſſibile eſſe, quis non videat? Cùm enim gentilitatis errore *Marcomani*, & ſocij ſucceſſoréſque illorum *Moravi* diu ſatis detinerentur, nullæ apud eos literæ, nulla politior ingenij cultura, nullus ſcribendi uſus reperiebatur : homines bellicoſi & *negotioſi*, *fortiter facere*, *quàm dicere*, aut ſcribere maluerunt. Et fortaſſis propter tot bella, réſque geſtas, nec ipſis tantum temporis fuit, ut omnia illa, quæ egiſſent, deſcribere potuiſſent : unde pulcherrima eorum facinora, eodem quo corpora tumulo manent ſepulta. Quod ſilentij malum, non *Moravos* tantùm *Marcomanóſque*, ſed plures alias gentes totas involvit, quasdam cum ſuo etiam nomine mortuas. Indirectè ſolùm *de Marcomanis* meminêre Scriptores quidam *Græci & Latini*; de *Moravis*, *Franci & Teutones*, occaſione bellorum, quæ geſſerunt cum illis, dum ſua facta aliter recenſere non poſſent, quin ſimul illorum meminiſſent: ſed id ipſum præſtiterunt valde parcè, & quaſi aliud agendo. Nec mirum; ab inimico quippe calamo, quid plus expectes? qui nunquam infacundior eſt, quàm dum laudat hoſtem.

Et dato, quòd difficile ſit, (uti revera eſt) eruderare antiquas *Marcomanorum & Moravorum* origines, réſque ab ijs pace & bello geſtas; & de illis aſſerere certum quid : id tamen mirum, quòd nec poſterioribus ſeculis, cùm *Moravi*, detersâ barbarie, Chriſtiana ſacra ſuſcepiſſent, & cum Religione ſimul & humaniori cultu, & literis imbuti eſſent, ullus repertus ſit, ad noſtra uſque tempora, in tanta virorum doctiſſimorum frequentia, qui vel modicum quid *de rebus Moravorum*, poſteritati vel in cautelam, vel in exem-

Digitized by Google

exemplum conſignatum reliquiſſet. Cùm tamen vel ea ſolùm, quæ præſenti ſeculo, patrum noſtrorum noſtráque memoriâ accidêre, talia ſint ac tanta, ut in unum congeſta, facilè *Livianas decades* ſi non ſuperare, certè æquare poſſent.

Magnam ſemper fælicitatis partem Veteres reponebant in eo, quòd egregios Scriptores habuerint, qui eorum facta literis celebrarent. Et meritò: eo námque modo eſt perennare, ſemper in ore hominum vivere, & quadantenùs æternare. *Aſſyriorum & Perſarum nationes* debent omnino nominis ſui celebritatem, non tam potentiæ & fortunæ magnitudini, quàm vetuſtiſſimorum ſcriptorum monumentis, quæ *ab Hebræorum & Græcorum doctiſſimis* ſunt edita, de illorum magnis facinoribus, rebúsque alijs præclarè geſtis. *Spartanis* ſimiliter ad famæ perpetuitatem profuit, habere viros literatos, qui eorum glorioſa acta, lucubrationibus ſuis & publicis ſcriptis, ceu illuſtrioribus quibusdam monimentis, æternitati conſecrarent. Unde etiam apud illos lege cautum fuiſſe legimus, ut ante ſuſceptum bellum, prælijque conflictum, ſinguli Muſis immolarent; quod cur fieret, quùm Imperator illorum *Eudamides* interrogaretur, reſpondit: *ut præclarè geſtis præclara encomia contingant.* Profuit & *Athenienſibus* ad propagandam rerum domi foriſque geſtarum memoriam, non tantùm quòd Reſpublica ampliſſimis definita regionibus, cæteris Gentibus præſtaret; verùm multò magìs, quòd haberet laudatores domeſticos, Scriptores & Hiſtoricos diſertos, qui eorum facta dictis ſuperarent potiùs, quàm æquarent. Hinc illud Criſpi Saluſtij: *Athenienſium res geſtæ, ſicut ego exiſtimo, ſatìs amplæ magnificæque fuêre; verùm aliquantò minores tamen, quàm famâ feruntur: ſed quia provenêre ibi magna Scriptorum ingenia, per terrarum Orbem, Athenienſium facta pro maximis celebrantur. Ità eorum, qui ea fecêre, virtus tanta habetur, quantùm verbis ea potuêre extollere præclara ingenia.* Hâc eâdem, ùt reor, causâ & ratione ductus *Alexander Magnus* ille Macedo, *Achillem vel exinde felicem & fortunatũ prædicabat, quòd Homerum præconem virtutis ſuæ invenerit.*

Habet quod glorietur hac in parte Bohemia, Patria mea; nacta tot, tales ac tantos de rebus ſuis Scriptores, ut numero & præſtantiâ eorum, complura vicina Regna facilè ſuperet. Tales ſunt: *Æneas Sylvius Cardinalis*, qui paulò antequàm creatus eſſet Pontifex Max. Pius II. dum valetudinis causâ, ùt ipſemet fatetur in epiſtola ad Alphonſum Regem Aragonum, in balneis Viterbianis ageret, res Bohemicas, quas partim viderat, partim auditu à fide dignis acceperat, deſcribendas ſuſcepit. *Carolus IV. Imp. & Bohemiæ*

Digitized by Google

niæ Rex: Jacobus Cardinalis Papienſis: Daubravius Epiſc. Olom. Cochlæus Decanus Wratislav. Pontanus Præpoſitus Prag. Hagek Præpoſitus Vetero-Boleslav. Georgius Beatus: Kuthen, Bilegowsky, Lupacius, Petrus Codicillus, Joannes à Sudetis, Weleslavinus, Boregk, Paprocius, Theobaldi duo pater & filius, *Stransky, Albertus Myræus, Goldaſtus, Chronicon Sedlecenſe, Zawieta.* Et ſi placet vetuſtiores: *Criſtannus* monachus Brzevvnov. Ord. S. Bened. filius Boleslai ſævi Bohemiæ Ducis: *Coſmas Decanus Prag. Petrus Abbas: Dalimil. Chronicon Boleslav. Chron. Oppatovienſe.* Si recentiores: *Bohuslaus Balbinus, Georgius Crugerius, Joannes Tanner,* tres iſti è Societate JESU. Et primus quidem patriæ Hiſtoriæ excolendæ natus, ejúsque ſcientiſſimus; utì jam aliquot libris in lucem editis oſtendit, præter illos, quos adhuc ſub manu premit, & quos tempori reſervat meliori. Duo item Eccleſiaſtici Ordinis, *Wenceslaus Czervenka Decanus Gitczin.* & *Matthias Boleluczsky Moravus Kremſir. Parochus ad S. Adalbertum in Nova Civit. Prag.* qui aliqua jam ediderunt, ſed plura & majora moliuntur. Taceo ſcriptos, & non dum juris publici factos: *Jaroslaum, Franciſcum, Beneſſium à Weitmille Canonicos Pragenſes,* Coſmæ continuatores: *Przibislaum Pulkavam, Bartholom. Equitem de Drahonicz, Beneſſium de Horzovicz, M. Laurentium, Matthiam Laudam, Paulum Zidek nominatum Ep. Litomiſſl. Nicolaum de Prachnian, Wenceslaum de Wrzeſovicz, Maximilianum Rudolphum de Schleinitz Proto-Epiſcopum Litomeric. Canonicum Prag. & Olom. Chronicon Klatovienſe, Chronicon Pragenſe, Chronicon Regino-Hrad. Chronicon Litomiſſl. Hiſtoriam Roſenſem duplicem, & Anonymos* quàm plurimos.

Nec deſunt Sileſijs: *Curæus, Schikfuſius, Hennelius, Henninges, Polius, Ratelius, Ephraim Naſo.* Habet & Luſatia ſuos, *Hoſmannum & Manlium.* Glacenſis comitatus, *Ælurium.* Diſtrictus Chebanus ſeu Egrenſis, *Bruſchium & Zachariam Theobaldum.* Sola Moravia nullum; ſi modò excipias *Paprocij Speculum.* Quod tamen potiùs Illuſtrium Familiarum, quæ præterito ſeculo floruerunt in Moravia, quàm totius Provinciæ ſpeculum, dicendum exiſtimaverim. Parabat aliquid *Joannes Amos Comenius Moravus,* Comniæ (pagus eſt non procul Straznicio) oriundus, homo religione quidem Picardita, ſeu de unione Fratrum, at doctrinâ inſignis, & in omni genere literarum verſatiſſimus; dum circa annum 1616. Fulnecæ ageret Curionem. Jam etiam admoverat Operi manum, ùt animadverto ex ipſius quodam ſcripto, de primis Moravorum Regibus, Carolo ſen. â Zierotin præſentato, cujus fragmentum habeo. Verùm turbatis per Bohemiam & Mo-

Digitized by Google

Moraviam anno 1618. rebus, & victoriâ de *Friderico Palat.* in Albo monte ad Pragam obtentâ; ac paulò poſt decreto ab Auguſtiſſimo Cæſare Ferd. II. lato, ut qui renuerent Romano-Catholica ſacra amplecti, intra præfinitum tempus, Regno Boh. & Moraviâ excederent; ſiquidem ille regionem, quàm religionem, cui tenaciſſimè adhærebat, deſerere maluit, propoſitum illius hoc modo interturbatum fuit. Nec ampliùs laborem ejusmodi reſumpſit, quòd fortaſſe ei patriâ extorri, & adminiculis ad hoc neceſſarijs deſtituto minùs commodum viſum fuerit; ſed ad alia Opera quoque præſtantiſſima, typis poſtmodùm edita, mentem & ſtudium omne ſuum convertit, *ante triennium Amſtelodami defunctus octogenario major.*

Hæc cùm ego ſæpiùs ipſe mecum tacitus, per amœna quandoq; Hiſtoriarum errans, cogitarem, inſidere cœpit animo cupiditas tentandi aliquid ſimile: rémque uti ex ſe dignam, ità poſteritati haud ingratam me facturum exiſtimavi, ſi velut in vacuum ſolum, atque nullius adhuc poſſeſſione occupatûm ingreſſus, *Hiſtoriam Moraviæ* ſcribendam ſuſciperem; unde & nobiliſſimæ Provinciæ, Regni quondam florentiſſimi, major claritas eluceſceret, & ſimul etiam bono communi qualis qualis utilitas pararetur. Ad illud námque ſummâ ope niti debet Vir bonus quiſque, nè ſibi tantùm natus videatur; néve in pingui otio, deſidioséq; agendo conſeneſcat: ſed alijs quoque prodeſſe, tum verò publicis commodis inſervire ut velit, ac poſſit. Mihi ſanè id fixum firmúmque ſemper in animo fuit, haud ignaro, *eos demum annos, nos verè vixiſſe, & vivere velle, quos in præclarum aliquod Reip. commodum vel ornamentum conſumpſerimus, impenderimúsque.* Et quia multa ſunt, quibus alij poſt alios, utilitates publicas promovere contendunt, mihi non niſi eorum exemplum proponendum putavi, qui præterita & præſentia, ſimul & magnorum virorum præclara facinora literis poſteritati commendare conantur; me ſuâpte etiam naturâ Hiſtoricis ſtudijs dedito, ità ut affirmare auſim, â teneris, & ſtatim â primis literis mecum creviſſe amorem Hiſtoriarum: qui ſicuti earum voluptatem à puero cœpi, ità ſimul utilitatem quoque æſtimare cum creſcentibus annis addidici; imò etiamnum inter liberales & jucundas animi oblectationes, in ijs potiorem partem mihi repono; ac quotiescunque me vacare contingit à gravioribus curis, tempus illud ut plurimum ijs, ſeu legendis, ſeu ſcribendis impendo.

Et quid, amabò, jucundius? quid honeſtius? quid inſuper ad vitæ inſtitutionem utilius Hiſtoriâ? Longum eſſet ire per ſingula, & Hiſtoriæ utilitates atque commoda recenſere: videantur apud alios ejus præconia. Solum

lùm dico, (Tullium ſequutus,) illam eſſe *Magiſtram vitæ*; cujus ductu poſſit quis facilè, ex aliorum erratis, ſua corrigere, vitam in meliùs inſtituere, & non tantùm, quid alij egerint, ſed quid optimè actum ſit, ſibi proponere ad imitandum. *Nihil utilius jucundiúsque*, ait Diodorus Siculus, *quàm in humanæ vitæ theatro, quod Hiſtoria partibus omnibus mirè inſtructum habet, ſedentem periculis aliorum, ſinè ſuo periculo, cautum ſapientémque fieri: exempla capere omnigena, quæ ad uſum tuum utiliter qualibet in re traducas. Cúmque maximorum hominum de ſummis rebus, maximis conſilijs interfueris, id quod cupidiſſimè homines avemus, eorundem etiam eventibus intereſſe; & quod per anguſtiam vitæ hominum impoſſibile ſit alioqui ſecula tota memoriâ conjungere, maximorum imperiorum auſpicia, progreſſus & finem videre: malorum ſeu privatorum, ſeu publicorum cauſas liquidè cognoſcere; in omni magna arduáque re, qui ante te periclitatur, qui in diſcrimine te præcedat, habere; nec uſquam experimento certo deſtitui: ac ut in ſumma è retroactis* (quod proprium ſapientis viri officium eſt) *futura ſcienter in omnes eventus perſpicere, præſentia judicare.* Neque enim Hiſtoria â Veteribus, ob id ſolùm excogitata fuit, ut res geſtæ literarum monimentis conſecratæ ab oblivione vindicarentur; ſed multò magis, ut exemplis hiſce mortales inſtructi, virtutes imitari, vitia declinare diſcerent. Hinc ille apud Homerum: *Tanta eſt Dei immortalis erga mortale genus benignitas, ut cùm multa alia vitæ noſtræ, rectè & liberaliter inſtituendæ adjumenta nobis conceſſerit; quotidianis etiam humanorum caſuum & actionum exemplis nos erudire & monere voluerit. Diſcite ex ijs, quæ facta ſunt*, dicebat Cyrus ad filios, *nam hic optimus diſcendi modus.* Et alius Monarcha filium admonens, *Per hiſtorias*, inquit, *ire nè recuſa: ibi enim reperies, quæ alij non ſinè labore collegerunt; atque illinc hauries, & bonorum virtutes, & improborum vitia, malorum facinorum pœnas, & bonorum præmia: quorum illa fugias, hæc amplectaris: vitæ humanæ varias mutationes, & rerum in ea converſiones, mundi hujus inſtabilitatem, & imperiorum præcipites caſus.*

Ut igitur præclara, & ad inſtituendam probè vitam humanam ſummè proficua eſt Hiſtoriarum cognitio; ità non minùs utilitatis bono publico adferre videntur illi, qui ijſdem fideliter conſcribendis operam adhibent; quibus, quæ retrò vel præſenti ſeculo accidêre, ad poſterorum memoriam, ut mandentur literis, curæ eſt: ſic, ut tales plus ferè cæteris, Reipublicæ prodeſſe cenſeantur. *Unius ætatis ſunt*, ait Fl. Vegetius, *quæ fortia fiunt; quæ verò pro utilitate Reip. ſcribuntur, æterna.* Unde *magnas gratias*, ait alius, *debent meritò homines rerum Scriptoribus, qui ſuo labore plurimùm vitæ*

 morta-

mortalium profuère : oſtendunt enim legentibus, præteritorum exemplis, quid nobis ſit appetendum, quid ſugiendum. Et hâc ratione ego ductus, remis, quod ajunt, velíſque eò mihi contendendum ſtatui, ut hoc modo literario, ſcribendíque genere, aliquid opis & commodi bono communi, pro modulo meo adferre poſſem. Addebat calcar, *(homines* quippe *ſumus)* quòd per hoc etiam poſt fata victurus ſim, quódq; *ore legar populi : Nec omnis moriar; magnáque pars mei vitabit Libitinam.* Nam quis totus vellet mori? quis itâ arctis terminis cuperet circumſcribere ævum ſuum, ut non diuturniorem famam, quàm vitam ſibi exoptaret? Naturâ ſiquidem itâ comparatum eſt, ut præſtantiſſimi quique mortalium, ad majora & ardua ſemper intenſiori ſtudio nitantur, non alio magìs præmio ducti, quàm ſpe nunquam intermorituræ gloriæ. Quin & ipſimet *Stoici*, qui gloriæ contemptum præſe ferebant, dum contra vana & inania gloriæ ſcripſerunt, gloriam ſui nominis eo ipſo appetebant.

Verùm cogitantem me *res Marcomanicas Moraváſque* ſcribere, deterruit ſemel atque iterum, cùm rei magnitudo, tum ſeculorum longa ſeries, & quaſi immemorabilis; tum quòd neminem habuerim ducem, qui triviſſet antè hanc viam, vel aperuiſſet ſaltèm hactenùs multâ caligine opertam, ac prorſus irrepertam. Quare mutato propoſito, contuli me ad alia, *(agens tum Koſtelecij ad Aquilam, in diſtrictu Regino-Hrad. Decanum,* ubi erat meum primum Beneficium Curatum) & Tractatum, de ortu & progreſſu Religionis Chriſtianæ in Bohemia, déque mutationibus ejus compoſui. Promotus verò, anno 1657. favore & benevolentiâ *Illuſtriſ. & Excellentiſſimi D. D. Joannis Friderici S. R. I. Comitis de Trautmanstorff, Domini in Litomiſsl, &c. Supremi in Regno Bohemiæ Camerarij, ac Locumtenentis Regij,* ad Decanatum Litomiſslenſem; eáque occaſione, mirâ Dei diſpoſitione, Moraviæ propinquior factus, cœpi reducere paulatim in mentem, priora de conſcribenda *Moraviæ Hiſtoria*, cogitata; &, neſcio quo improviſo vigore, ſenſi animi parum antea audentis vires magìs ac magìs redintegrari. Nihilominùs diu adhuc hærebam anceps, difficilem hanc provinciam aggredi non auſus: donec quâdam vice *Brunam* veniens, cùm id ipſum duobus viris clariſſimis, & tum doctrinâ, tum rerum uſu & experientiâ præſtantiſſimis, à quibus paulò antè in amicorum numerum admiſſus eram, expoſuiſſem, ab ijs animatus, me ſinè omni ulteriori comperendinatione, huic arenæ commiſi. Erant illi *Reverendiſſimus & Ampliſ. D. D. Godefridus Olenius, monaſterij Zabrdovicenſis S. Canon. Ord. Præmonſtr. Abbas;* & *Perilluſtris ac Generoſus D. Joannes*

nes

nes Jakartowsky de Sudicz, &c. Subcamerarius, & primarius Regij Tribunalis Aſſeſſor: qui inſtitutum meum non ſolùm comprobârunt, verùm etiam auxilium in ſuppeditandis ad ſcribendum materijs polliciti ſunt: quod & præſtiterunt, conatúsque meos, quantùm potuerunt, promoverunt. Multum porrò adminiculi mihi præbuit *Archivum Pernſteinianum*, (Familiæ quondam in Moravia & Bohemia celebris, ac opulentæ,) quod ad manus meas devenit: ſicuti etiam magna pars ſcriptorum *Caroli ſen. à Zierotin*, olim ſupremi Capitanei Moraviæ. Acta & conſulta publica, ſub *Georgio Rege*, & ſub *Rudolpho II. & Matthia Impp.* MS. *Comitis Guilhelmi Slavatæ*: magnum profectò ſubſidium ſcribenti Hiſtoriam. Acceſſit magna pars privilegiorum, & variarum literarum, cum fragmento Annalium *monaſterij Trebicenſis, Ord. S. Bened.* Annales item *monaſteriorum Hradiſſt. & Zabrdovic. Ord. Præm.* & quædam alia minoris gentium. His itáque adjutus, rem tantò audentiùs aggreſſus ſum, & primò omniū Opus ſub titulo *Moravographiæ*, linguâ patriâ conſcribendum ſuſcepi: cujus *Prodromum*, paulò poſt in publicum emiſi, in eum præcisè finem, ut operam meam pluribus per Moraviam notam facerem, ad quantocyùs mihi communicanda, qualiacunq; tandem haberet quis, memoratu ſimul & fide digna, monumenta: prout hoc ipſum in epiſtola nuncupatoria monui. Pauca tamen præter ſpem expectationémque accepi; quod mihi rationes meas, & inſtitutum aliquantùm intervertit atque tardavit, ità ut ab ulteriori proſequutione Operis ceſſare, & in *Libro IV.* qui *Topographiæ Moraviæ* deſtinatus erat, nolens volens ſubſiſtere coactus ſim.

Inter hæc *bellum Turcicum*, maximis invectis omnium rerum perturbationibus, vehementi repentinóque impetu exarſit: quo per Hungariam primùm & plurimùm flagrante, brevì etiam magna pars mali, *vicinum parietem* Moraviam corripuit; *Tartaris ad Brunam uſque excurrentibus*, idémque ſecundò alia ex parte, *Lukoviam & Holeſſovium versùs*, pari crudelitate repetentibus; & longè latéque per oppida, villas, pagos, colles, montes, ſaltus, invia ac devia, rapinis, cædibus, incendijs, more ſuo graſſantibus immaniter. Quo belli incendio motus, libellum idiomate Latino edidi, ſub *Ucalegontis* nomine, *(proximus tunc nobis ardebat Ucalegon)* quo Principibus Chriſtiani nominis, & vicinarum partium populis, conatus ſum oſtendere neceſſitatem ſuccurrendi Hungariæ quàm citiſſimè: niſi pedetentim & ipſi, invaleſcente magìs ac magìs ferociſſimi hoſtis potentiâ, ac nemine reſiſtente, eodem calamitatis tenore, quo jam majori ex parte *Hungari, Dalmatæ, Slavi,*

 alijq;

Digitized by Google

alijque finitimi, perire velint. *Tunc tua res agitur*, monet ille, *paries cùm proximus ardet.* Et gratam publicè acceptámque fuiſſe opellam hanc, vel exinde patuit, quòd diſtractis citò citiùs primæ Editionis exemplaribus, ſecundò atque tertiò recudi debuit. *Opportunitas quandoque etiam rebus minimis pretium addit.*

Occaſione verò cladis illius, de qua jam dixi, Moraviæ inflictæ à Tartaris, arripui anſam conſcribendi ſeriem ejusmodi funeſtiſſimarum calamitatum, cladium, mutationũ, vaſtitatũ, quas unquam *Moravia* paſſa fuit, diverſis bellis, civilibus & externis, ad uſq; tempus præſens. Et primùm quidem mihi in animo erat, id non niſi comprehendere paucis, & altiora, quàm ab annis mille non inveſtigare; ſed ea duntaxat, quæ apud Scriptores noſtros Bohemicos videre eſt: quæ item Polonici, Hungarici & Auſtriaci ſparſim memorant; & quæ recentiora ſunt, in unum colligere, & referre: cætera carptim curſímque tantùm attingere. Verùm promotus anno 1666. Pragam ad *Canonicatum Metropol. Divi Viti Eccleſiæ*, nactúsque ibi Bibliothecam Capituli duplicem, Manuſcriptorum unam, & typis editorum librorum alteram, *Pontani Præpoſiti* ſtudio & impenſis comparatam; eámq; antiquis Authoribus, præſertim Hiſtoricis utcunque refertam, induxi in animum plus audendi, excurrendíque latiùs & altiùs, etiam in Marcomanorum tempora.

Quidquid igitur antiqui Scriptores, *Julius Cæſar, Strabo, Tacitus, Svetonius, Velejus, Plinius, Arianus, Ptolemæus, Dio Caſſius, Herodianus, Ælius Spartianus, Xiphilinus, Julius Capitolinus, Vopiſcus, Lampridius, Trebellius, Sextus Ruffus, Sextus Aurelius Victor, Evtropius, Marcellinus, Paulus Oroſius, Evſebius Cæſarienſis, Nicephorus, Zoſimus, Pomponius Lætus, Evgyppius, Jornandes,* & quidam alij de Marcomanis ſcripſerunt, vidi, legi, & quæ uſui mihi eſſent, ſtudioſè collegi. Similiter quidquid de primis Moraviæ incolis Slavonicæ gentis, & de Regibus eorum, déque rebus ab ipſis bello geſtis vel toleratis, inveniri potuit, apud veteres Authores Franconici & Tevtonici nominis, *Adhelmum, Aimoinum, Rudolphum presb. Fuldenſem, Walafridum Strabum iidem Fuld. Reginonem Abbatem Prumienſem, Hepidannum monachum S. Galli, Lambertum Schaffn. monachum Hirſchfeld. Marianum Scotum mon. Fuld. Sigebertum mon. Gemblac. Luitprandum Ticinenſem diaconum,* & plures alios: (quanquàm præſtiterint id obiter, & ferè tum tantùm, cùm inde ſuorum gloriæ luminis aliquid fœnerari potuerunt; ſicuti illi, quorum ſupra memini;) totum id obſervavi, & in hoc *præſens Opus* congeſſi.

Quod

Digitized by Google

Quod cùm potiſſimùm contineat grave Martis opus: *bella, prælia, clades, urbium & populorum vaſtitates*, aptè ac convenienter illud, *Martem Moravicum* appellandum duxi. Illud fateor, me excurrere ſubinde remotiùs, quàm ferat inſtitutum, & non de rebus *Moravicis* tantùm, verùm etiam de *Bohemicis, Hungaricis, Auſtriacis* & alijs, pro re nata narrare copiosè: ſed quæ ità ſibi invicem immiſtæ ſunt, ut ſeparari non poſſint, nec debeant; paucis exceptis, quæ indirectè tantùm ad Operis argumentum faciunt, licèt & iſta non parùm ad finem conducant. Diu tamen ijs non immoror, brevì ad propoſitum, & ea quæ Moraviæ propiora ſunt, revertor. Præter bellica, interdum etiam civilia, résque pace domi geſtas, recenſeo: non tamen ex profeſſo, ſed per modum diverticuli; nè continuâ enumeratione bellorum, ſeditionum, tumultuum, hoſtilium irruptionum, cladium, rapinarum, cædium, vaſtationum, incendiorum, & id genus malorum, Lectorem fatigem; verùm ſpatium quandoque reſpirandi, & occaſionem divertendi ad lectu molliora, ſcitúque jucundiora præbeam. Cujus facti veniam â legentibus facilè impetrabilem fore ſpero. Fateor etiam non eundem ubique eſſe tenorem ſermonis: fuſus alicubi eſt, elegans & ſublìmis; alibi ſtrictus, ſimplex & prorſus vulgaris. Sed ùt inæquales ſunt temporum, affectuum animorúmque vices; ità exinde promanans facundiæ jam acclivis, jam declivis varietas: nec aliter in operibus, quæ per ſucciſivas, & interdum quaſi furtivas horas, ſcripto concinnantur, fieri ſolet. Ut porrò narratis, quæ fortaſſe acciperet quiſquam pro dubijs, major adhibeatur fides, & ſuum veritati, abſque ſuſpicione falſi maneat pondus; verba ipſa Hiſtoricorum antiquorum, quàmvis obſoleta, quoties licuit, viſúmque fuit, malui relinquere, *Baronij* ejúsque continuatoris *Oderici Reynaldi*, plurúmque aliorum magnorum Scriptorum exemplo, quàm proprijs & paucioribus ea referre. Alia quædam ſimiliter, odioſa præſertim, verbis alienis potiùs, quàm meis dare ſub aſpectum.

Quòd nonnunquàm in vitia, eorúmque auctores, invehar acriùs atque audentiùs, quàm fortaſſis hoc rerum ſtatu expediat, cùm *Veritas odium pariat*; id juſtitiæ amore, ac eâdem ipsâ *Veritate* animatus facio. Nam ut laudem damnanda? non didici; minùs, ut ſerviam auribus: utì linguam, ità calamum pro Veritate liberum gero; nihil palpo, nihil fuco dandum exiſtimo. Sciunt, qui me ac mores meos nôrunt, quàm procul ab aſſentatione abſim: neque ità obſcurè vixi hactenùs, ut in tuendâ *Veritate & Æquitate*, privatim & publicè, candor meus, vel umbraticos homines latere potuerit. Et Hiſtorici primæ leges ſunt: *nè quid falſi dicere audeat,*

Digitized by Google

deat, & ne quid veri, non audeat. Sed neque video, cur ingenuè id exponere verear, quod alij facere non erubuerunt? *Qui quidquid vult, dicit vel facit, ea quæ non vellet, audiat & experiatur neceſſe eſt.* Diſcant proinde mortales agere rectè, ut recta quoque de ijs ſcribantur: intelligántque, par ſibi â morte ſuperſtitis famæ præmium, aut reprehenſionem præparari; nec defuturam ſeu benè, ſeu malè factorum apud poſteros memoriam.

Zoilorum nigras animas, *Theones & Momos*, aliósque ejuſdem farinæ, obtrectatores malevolos, qui aliorum vigilias rodunt, & ipſimet in lucem prodire detrectant, non curo: nec illorū morſus, qui ſua tantùm in pretio habent, ſua mirantur & æſtimant; aliena, ubi poſſunt, invidiosè ſugillant. Non enim ſum neſcius, quàm ægrè, vel doctiſſimi ipſi, nè dum ij, quibus ingenium mediocre contingit, hiſce præſertim temporibus, *Criticorum* hominum judicia & reprehenſiones effugiant; ut facilè, quid de me fururum ſit, conjicere poſſim. Quis unquàm Scriptorum fuit, in quo non multi multa deſiderarent? & in quo, licèt probarent plurima, non damnarent aliqua? Eadem quæ uni placent, alteri *bilem in naſum conciunt:* alius rem carpit, alij dictio, & ſermonis genus, quod ſit vel nimiùm veteris ævi, vel alicubi nimis recentioris, diſplicet. Verùm hanc judiciorum ſcabiem feret vir prudens, & laboris ſui fructum, intentione ſuâ bonâ, conſcientiáque, non judicantium prurigine metietur. Voti mei eſt ſumma, quod ſupra dixi, ut communi bono ſerviatur, & ſuum Moraviæ eluceſcat decus. Quod ſi aſſequutus fuero, benè habet; ſi minùs, *voluiſſe ſat eſt.* Si non feci, quantum debui, feci quantum potui; viámque aperui, quam hucuſque nemo tentare auſus fuit, ſecundùm quam, ſi volet quiſpiam, accuratiùs Moraviam ac pleniùs ornare illuſtraréque poterit: *inventis addere facilè erit.*

Cæterùm deliberanti, cuinam Opus hoc inſcribere, aut ſub cujus auſpicio & nomine, in lucem proferre debeam? cùm id ſollicitè circumquaque diſpexi, occurrerunt ante alios, *Reverendiſſima Celſitudo Tua,* & *Reverendiſſimæ, Illuſtriſſimæ, Excellentiſſimæ, Per Illuſtres, Generoſæ & Conſultiſſimæ D. D. Veſtræ.* Eccui enim convenientiùs illud de rebus Moravicis ſcriptum conſecrem, quàm Vobis Moravis? Veſtrum propriè eſt, Veſtríque causâ prodit in publicum: ut *Patriam Veſtram* claram antea, clariorem oſtendat, facta Majorum ab oblivione vindicet, & ſimul Vobis atque poſteris, alienâ rerum praxi ſerviat ac proſit. Videbunt hìc quidem triſtes rerum mutationes, bella cruenta & horrida, Regni quondam ampliſſimi ruinas, populorum excidia, urbium cineres, agrorum populationes, ſúsque déq; acta omnia, ſacra

&

Digitized by Google

& profana, & quandoque hoſtium, armorum, cædium, rapinarum, incendiorum plena: ſed, & *Divini Numinis* mirabuntur *Benignitatem*, Patriam Gentémque univerſam ab interitu, per tot ſecula, clementiſſimè *Conſervantis*. Legent etiam Majorum geſta & decora. Leget *Reverendiſſima Celſitudo Tua*, Anteceſſorum ſuorum, in tuenda promovendáque Religione Catholica, ardens ſtudium, & labores graves, etiam cum periculo vitæ ſuſceptos: quorum nonnulli, cùm alia non ſuppeterent media, ſatìs valida, ad obviandum reſiſtendúmque hæreſi, ferrum induere, & armati inter armatos pugnare non dubitârunt; uſque adeò *in Apoſtolicæ confeſſionis petra* ſolidati, ut ſibi ſummæ gloriæ ducerent, in cauſa tanti momenti, extrema pati, ac ultimò etiam ponere vitam. Leget eorundem, & incorruptam ſemper erga ſuos Principes fidem, pluribus documentis, ac præcipuè in adverſis, ſatìs ſuperq; probatam. Similiter *DD. Prælati* ſpectabunt hìc ſuorum præclara exempla; quos nulla vis, aut metus potuit inducere, ut ab Eccleſia, à Catholica Religione, â legitima Poteſtate, vel in minimo deficerent. Ejecti fuerunt ſuis ſedibus, exuti ſacerdotijs, ludibrio habiti, in carcerem rapti, ad apoſtaſiam tentati, fame afflicti, & alijs malorum generibus dirè vexati: ea tamen fuit illorum integritas & conſtantia, ut, *nè latum unguem*, â via Rectî potuerint dimoveri: quorum idcirco *memoria ſit in Benedictione*.

Videbunt etiam Viri Illuſtr :, ſuorum Progenitorum egregia facinora. Vos appello imprimìs, qui hodiéque ſuperſtites rerum potimini, & Patriæ Gentique ſuæ permagnó eſtis ornamento; Vos veros indigenas, veteréſque Colonos, & Patres Patriæ: *Berkas, Dubskios, Hodicios, Horeckios, Kaunicios, Leones Rozmitalenſes, Lichtnſteinios Niclſpurgenſes, Petrsvaldskios, Podſtatskios, de Raupowa, de Rziczan, Skrbenskios, Slavatas, Sternbergios, Waldſteinios, Wieznikas, Wlaſſimæos, Wrbnas, Zahradecios, Zaſtrzizlæos, Zwolæos.* Equeſtris itē Ord. heroas: *Babkas, Brabanskios, Bukuwkas, Chorenskios, Dobalicios, Drahanowskios, Hozlauros, Jankowskios, Kobilkas, Koniaſos, Korzenskios, Kotulinskios, Lhotskios, Martinkovskios, Mathiaſſovskios, Odkolkones, Pavlovskios, Przepiskios, Radkovecios, Rzikovskios, Salavas, Sirakovskios, Slavikovskios, Sokolowskios, Sſvabenskios, Ulrsdorffios, Wlachovskios, Woleſſnickios, Zalkowskios, Zaſtrzizlæos, Zieleckios &c.* Quorum Majores ab annis ducentis, aliquorum trecentis quadringentíſque, nonnullorum etiam ſexcentìs & ultra, vixiſſe glorioſè in Moravia floruiſſéque certum eſt: & quorum hìc recenſentur fortia facta, pro ſalute Reipub. ſuſcepta, tum conſtans ſemper in Patriam, ac legitimos ſuos Principes, *amor & fides.* Hos ſequentur, qui poſte-

Digitized by Google

poſteriùs Moraviam incolere cœperunt: *Altheimij, de Colle Alto, Dietrichſteinij, Kaldſſmidij, Lichtnſteinij in Pernſtein, Magni, Oppersdorffij, de Oſtershau, Queſtnbergij, Rottalij, Salmij, Sſereni, Schaffenbergij, Schaumburgij, Sochesſij, Turriani, Walderodij, Werdenbergij*: & ſi qui ſunt alij. Item, *Almanowe, Bartodiegskij, Chrauſtenskij, Elbogneri, Fabricij, Görtzij, Grünsbergij, Kabowe, Haraſſovskij, Hauſperskij, Hrobcziczkij, Münguicij, Ottislavove, Sakowe, Sobieticskij, Sſmerhovskij &c.*

Nec prætermittitur virtus & merita illorum, quorum *Familiæ inclytæ*, vel injuriâ temporum aliò commigrârunt, vel penitùs extinctæ ſunt; uti omnino quàm plurimæ, magno Patriæ detrimento. Tales fuêre: *Bozkovicij, Bibrſtenij, Cymburgij, Czertoregij, Daubravicij, Hardecij Comites, Haugnicij, Heltowe de Kemento, Kawkowe de Rziczan, Kornicij, Kravarei, Kropaczowe, Kunovicij, Kunſtatai, Landſteinij, Leones de Klobauk & Polebradicz, Lichtmburgij de Bitow & Corſtein, Liczkowe de Rizmburg, Lippei, Ludanicij, Nachodij, Novodomai Tekzenſes, Pernſteinij, Sovinecij, Ssleinicij, Tettauri de Malenovicz, Wartmbergij, Weitmilij, &c.* Item de Equeſtri ſtatu viri quoque præſtantiſſimi: *Bitowskij, Boboluskij, Borzitæ de Budecz, Buchlowskij, Buczhardij, Cikanowe, Czegkowe, Doloplazij, Drnovicij, Dubczanskij, de Huſtopecz, de Kokorz, Krczmowe, Lipowſſtij, de Miſſiborzicz, Nekſſowe, Obeſſlikowe, Orzechowskij, Oſtromerzskij, Oſtrovczowe, Panowſſtij* ſeu *Panovicij, Rageczkij, Ragskij, Riſſanowe, de Rotſtein, Sſarovecij, Staroveſſkij, Strachowskij, Studnicowe, Wiczkovij, Wlcznovij, Zaubkowe*, & ſexaginta ſex alij, pluréſq;. Ex quibus plerorumque licèt ſuperſint nomina tantùm, memoria tamen manet frequens, manebitque etiam in futurum cum laude ſempiterna.

Non minus gloriæ & amplitudinis ſuæ ſpectabunt urbes Regiæ, quæ magnâ fortitudine perſtiterunt, pluribus vicibus, in data ſemel ſuis Principibus fide. Et uti erant, Majorum exemplo, Catholicæ Religionis obſervantiſſimæ, itâ pro ea retinenda, pari cum Viris ſacratis curâ & diligentiâ laborârunt ſtrenuè; præſertim Huſſiticæ hæreſeos tempore, quo vel maximè, dum omnia súſq; déq; agerentur, patuit earum conſtantia: quas non perſequutio, non vis aut metus, non ulla pericula, nec fortunarum caritatúmque diſpendia potuerunt agere in transverſum, & inducere ad ſequiora. Quidquid artificij, quidquid illecebrarum, aſſentationum, inſtigationum, minarum, machinarúmq; adhibitum fuit, fruſtrà fuit. Imò dicere auſim: poſt Epiſcoporum & Prælatorum vigilantiam, diligénsq; in conſervanda Religionis Catholicæ ſtudium, per Cives ùt plurimùm ſtetiſſe, quòd Huſſitarum hære-

Digitized by Google

hæreſis in Moravia, non eodem impetu, neque ità copioſè invaluerit, ſicuti in Bohemia. Quorum idcirco in fide conſtantiæ, fortitudinis in prælijs, in exponendo ſe ſuáque omnia, prò aſſerenda avita Religione Catholica generoſitatis, laus & gloria viget, vigebítque perpetua, nullo certè ævo intermoritura.

Verbo, quod quisque præclarum fecit, aut geſſit, ſuum hìc videbit; ut ſeri pòſt nepotes, magna avorum nomina, grati legentes, ad ſimilia excitentur. Gloria námque Majorum, & paternæ laudis exempla, addunt generoſæ menti calcar ad virtutem; nec niſì degenerem eſſe cenſeo, quem celebritas nominis, & fama parentum non afficeret: quæ tametſi ſit alienâ virtute parta, non aliena tamen ab hæredibus, ſed tam benè, ſi non magìs, propria, quàm opum facultates, divitiæ, pecunia, aliáque Bona hæreditaria. Si interim quid legerint, quod probare non poſſint, illud erit, quod poſteri rectè factis emendare conentur.

Aliam adhuc cauſam hujus inſcriptionis facit *Prodromus Moravographiæ*, cujus ſuprà memini, ante XIV. annos, â me, ſub nomine quoque Veſtro, in publicum Litomiſslenſi typo emiſſus, & gratè ac liberaliter acceptus. *Invitat* profectò *ad magna, qui gratanter ſuſcipit modica*. Et quis neſciat, proclive eſſe, & quaſi innatum omnibus, cùm prima data, vel dicta, vel acta gratiam invenêre, ſecunda adjicere? Accedit ſubſidium pecuniarium, pro hoc Opere, in expenſas typi & chartæ, ex ærario Provinciali, â Vobis, in Conventu publico, communi omnium conſenſu, mihi aſſignatum & traditum: quod vel ſolum exigit meritò, ut non alios eidem quæram Patronos, niſì illos, â quibus habet ſibi porrectam tam promptam & beneficam auxiliatricem manum. A me accipit, quòd ſit; â Vobis, quòd in lucem prodeat: jure igitur optimo Vobis præ cæteris debetur.

Unum ſupereſt, ut *beneficium Veſtrum*, ſic olim dicebat Pericles, *benevolentiâ tueamini*, & laborem hunc, quem præter jam dictas cauſas, etiam conteſtandi officij mei gratiâ, *Veſtro inclyto Nomini* dedicare volui, & in præſenti, eâ quâ poſſum obſervantiâ, do dicóque, gratanter ſuſcipiatis. Id ſi fiat, multùm ſanè mihi ſtimuli additum putabo, & animi, ad proſequendam, & primò quoque tempore publicandam *alteram* hujus *Operis Partem*; tum etiam ad ponendam *Moravographiæ* ultimam manum. Ità enim plerunque accidere ſolet, ut ad plura ac majora prioribus in poſterum audenda magnoperè tunc animemur, dum quæ facimus, aut fecimus, vel laudari intelligimus, vel ſaltèm non improbari; adeò ut veriſſimè dixerit Romanus

Ora-

Orator: *Honos alit artes, omnésque incendimur ad ſtudia, gloriâ: jacéntque ea ſemper, quæ apud alios improbantur.*

Excitat auditor ſtudium; ait & canit alius, *laudatáque Virtus*
Creſcit, & immenſum gloria calcar habet.

Iſtud cupio, & idem omnino, quod nuper *in Nuncupatoria Prodromi*, ut propoſiti mei rationem, ad continuandum hoc, & *Moravographiæ Opus*, ſyncerè ac ſtudiosè adjuvare velint: quod facient, ſi memorabilia, quæ in Archivis ſuis recondita, aut aliàs in Commentarijs privatis â Majoribus ſuis notata habent, mihi fideliter & quamprimùm ſubminiſtraverint. Quæ enim in ſequentibus memoranda ſunt, & quæ Principibus ex *Auguſtiſſima Archiducali Auſtriaca Domo* apud nos regnantibus, â *Ferdinandi I.* tempore evenerunt; præſertim quæ ætati noſtræ propiùs accedunt, multa eſſe, & obſervata ab aliquibus diligenter, conſignatáque non dubito: quæ ſi mihi communicata fuerint, præter illa, quæ aliunde ſtudio & induſtriâ meâ comparata habeo, materiam continuandi reliqua, uberem ſanè & copioſam dabunt. Ibi recenſendi venient frequentes bellici tumultus, & ipſo bello quandoque pejor belli metus, conſternationes, terrores, diffugia, & in rebus ſubitis ac inopinatis confuſa omnia: tum vel maximè, quando *Viennam* premebant obſidione Turcæ, *(paries tunc proximus arſit)*, quando & aliàs ſæpiùs graſſando igne & ferro per Hungariam, magnam paſſim circumferebant formidinem, quæ penetrabat facilè & in vicinam *Moraviam*. Hinc toties inſtituti militum delectus; juventus corpore robuſta, manúque prompta legebatur, deſcribebatur, atq; ità bello præparabatur, ut ad omnes caſus ſubitos eſſet quàm expeditiſſima. Subinde evocata ad arma viritim Nobilitas omnis; & ex urbibus jam decimus, jam ſextus vel quintus quisq; prout exigebat periculi magnitudo; ex colonis glebæ adſcriptitijs ſimiliter. Eductus ſæpe pro ſecuritate finium miles, ſuſceptæ in Hungariam ad ſuccurrendum ſocijs expeditiones, latæ & illatæ clades. Hæc omnia poterunt erui ex Actis publicis, & Comitiorum decretis; addi etiam nomina ducum, pro honore Familiarum.

His ſuccedent enumerandæ ferales, & cruentæ hoſtium in Moraviam irruptiones, *Stephani Botſcai*, anno 1606. & *Gabrielis Bethleni*, anno 1623. utriusque cum ſibi adhærentibus *Hungaris, Tranſſylvanis, Heidonibus, Turcis, & Tartaris:* ubi prætermittendus non erit, *Henricus-Mathias Comes Turrianus*, motuum Bohemicorum incentor primus & maximus, qui tum caſtra *Bethleni* ſequebatur, cum *Ladislao Welenio de Zierotin*, & alijs perduellium

ante-

Digitized by Google

anteſignanis. *Joannis* item *Georgij Ducis Krnovienſis, Joannis Erneſti Ducis Vinarienſis, & Erneſti Comitis Mansfeldij.* Sequutum poſtea *bellum Svedicum*, Moraviæ æquè calamitoſum: quo durante, quàm miſerabilis fuerit ubique rerum ſtatus? quæ Urbes jugo hoſtium preſſæ, & quid paſſæ? ubi locorum direptiones, ubi cædes, ubi incendia, ubi arcium & caſtellorum everſiones? quæ & qualia paſſim illata damna? cùm recenti teneantur memoriâ, facilè, ùt ſpero, conſignari poterunt. Multò autem magìs nupera, (atq; utinam eſſet ultima!) â Turcis & Tartaris inflicta clades. Hæc omnia pro Parte ſecunda Martis Moravici copiam ſufficientem dabunt. Divina Majeſtas, Veſtram Reverendiſſimam Celſitudinem, Veſtrámque Illuſtriſſimam Excellentiam, & cæteros Reverendiſſimos, Illuſtriſſimos, Per-Illuſtres, Generoſos & Conſultiſſimos Dominos, in annos plurimos communi Patriæ Bono ſervet, ac tueatur incolumes. Dabam Pragæ, in Arce S. Wenceslai, in feſto Apoſtolorum Moraviæ & Bohemiæ, SS. Cyrilli & Metudij, anno 1677.

Digitized by Google

APPROBATIO ORDINARII.

JOANNES FRIDERICUS

DEI & S. Sedis Apoſtolicæ Gratiâ Archi-Epiſcopus Pragenſis, S. R. I. Princeps, & Comes de Waldſtein, Legatus Natus, Inclyti Bohemiæ Regni Primas, Collegiatæ ad S. Crucem Wratislaviæ Prælatus & Cantor, Cathedralis Eccleſiæ Olomucenſis Canonicus, Sacri Militaris Ordinis Crucigerorum cum Rubea Stella, per Bohemiam, Moraviam, Sileſiam & Poloniam Supremus ac Generalis Magiſter, nec non Carolo-Ferdinandeæ Univerſitatis Pragenſis perpetuus Cancellarius.


LIbrum, quem ſub titulo MARTIS MORAVICI, *Nobis obtulit approbandum Reverendiſſimus ac Perilluſtris Dominus Thomas Joannes Peſſina de Czechorod, Epiſcopus Samandrienſis, Metropolitanæ Noſtræ Pragenſis Eccleſiæ Decanus; non ſinè ſingulari animi ſolatio luſtravimus, & perlegimus. Opus non tantùm â raritate Hiſtoriæ hactenùs pleriſque reconditæ eximium & utile, ſed etiam ab inſigni eruditione & judicij maturitate conſpicuum, ſimul & delectabile; adeóque omnino dignum, quod pro publico multarum Provinciarum lumine, in præclaram ſui Authoris commendationem, prodeat in lucem. Datum in Archi-Epiſcopali Noſtra Reſidentia Pragenſi, die 17. Martij, anno Domini 1677.*

Joan. Fridericus Archi-Epiſc.
Pragenſis.

(L. S.)

Joannes Franciſcus Liepure
Cancellarius.

Digitized by Google



Digitized by Google

MARTIS MORAVICI

Liber I.

MORAVIA, antiquis MARCOMANNIA dicta, præpotens aliquando *Regnum* fuit, & cùm terrarum amplitudine, tum populorum multitudine, opibúsque florentiſſimum: cujus *Reges* priſci dignitatem, & à Majoribus acceptam libertatem, longo ſanè tempore ſumma cum laude tenuerunt. Poſtquàm demum, clade *Svatobogÿ* Regum ultimi, Regnum eſſe deſijſſet, & primo cuiq; occupanti, in prædam, veluti pomum Eridos relicta, partim ab *Hungaris*, partim à *Germanis* ſub Carolo Magno in Pannoniam ſuperiorem inductis, partim à *Bohemis & Polonis* diſcerpta eſſet; portio illa, quæ Bohemiæ Principibus ceſſit, in Præfecturam ſeu *Marchionatum* eſt redacta: ex quo tempore non alios, quàm Bohemiæ Principes, Dominos agnoſcit & veneratur. Moravia quondam Regnum.

Ejus itáque miſerabilem diverſis bellorum temporibus ſtatum, damna, jacturas, clades & calamitates, quas olim, & noſtrâ memoriâ ab hoſtibus perpeſſa fuit, referentibus nobis, haud alienum ab inſtituto videtur; quando primùm inhabitari cœpit, & à quibus populis: item, de poſterioris temporis ejus incolis, déque ijs, qui hactenus eam incolunt: de ſitu & qualitatibus ejus: de Diſtrictibus, Urbibus, oppidis, caſtellis, & alijs locis potioribus, paucis priùs explicare. Sic enim magìs plana, apertáque erunt omnia, quæ deinceps in enumerandis ipſius plagis prodituri ſumus. Primi Libri Methodus.

Digitized by Google

CAPUT I.

Moravia quando, & â quibus primò habitari cœpta.

ETſi plurimùm difficilè ſit, pro certo ſtatuere, quænam Gens prima omnium Moraviam incoluerit, id enim præ vetuſtate nimia, eſt â mortalium memoria quàm remotiſſimum, nec quidquam certi in monumentis literarum reperiri poteſt. Quia tamen alijs ante nos, ea de re conjecturare impunè licuit, eorum exemplo nobis quoque id licere, neque ullum exinde piaculum fore exiſtimamus: quandoquidem in ejusmodi longâ vetuſtate obſcuris rebus, qui *optimè conjecturam facit, ille Vates eſt optimus*.

Euripides apud Arrian. Nicomed. de reb. geſt. Alex. M. lib. 7.

Plerique autem rerum antiquarum Scriptores tradunt, vetuſtiſſimos hujus terræ incolas fuiſſe *Marcomannos*, gente & linguâ Svevos: qui cum eſſent è populis Germaniæ; Orientem, versùs, quaſi poſtremi, & contra Pannones & Sarmatas, fines Germanorum tuerentur; Marckmänner/ id eſt, *Limitanei viri*, â gentilibus ſuis dici meruerunt. Alij, qui primò ſub Octavio Auguſto Marcomannos, â Druſo privigno Auguſti, Valeriâ pulſos Moraviam & Bohemiam occupâſſe dicunt, cenſent, ante Moravos fuiſſe *Quados*, gentem quoque Svevicam. Alij adhuc ante iſtos, *Nemetes*, qui originem Gentis ſuæ *Hermionem*, eundem quem Svevi, conditorem habere putantur, primò omnium tenuiſſe Moraviam volunt; priusquàm videlicet Rhenum transgreſſi victricia ſigna, in eam veteris Galliæ, nunc ſuperioris Germaniæ partem, cujus caput eſt *Spira Nemetum*, intuliſſent. Unde etiam ab ipſis *Nemetibus*, tanquàm vicinioribus notioribúsque Sarmatis, Pannonibus & Scythis, defluxiſſe arguunt nomen illud omnibus Germanis ſeu Tevtonibus commune, *Nemeti* vel *Nemecij*; quo etiamnum Sarmatarum & Scytharum ſoboles, *Bohemi, Moravi, Sileſij, Poloni, Moſci, Bulgari*, & ſexaginta ſex alij Slavonicæ gentis Populi: *Tartari* item, & *Hungari*, ipſi etiam *Turcæ* & *Græci* eos appellant.

Vetuſtiores Moraviæ incolas putant aliqui fuiſſe Marcomannos.
Æneas Sylv. in Europa c. 23. ex Ptolom. Cruſ. p. part. 1. Annal. Svevic. lib. 3. c. 3. Plinius l. 4. c. 14. Tacit. de morib. Germ. Ptolom. in Geogr.
Origo eorum nominis.
Alij Quados: *Plin. cit. Tacit. cit. Cluver. in Germ. Antiqua lib. 3. cap. 31.*
Alij Nemetes.
Ditmar. Merſpurg. l. 7. Chron. de reb. geſt. Saxon. Impp. fol. 101. Decius l. 1. de vetuſtat. Polon. Levenclavius. Ortelius. Zonaras Tom. 1 ubi ait: Nemetzi gens.

Sed mihi non videtur, ut eam terræ Regionem adijſſent Occidentales priùs, quàm alij, ſive ab Orto hyberno ex Pannonia, ſive â Septentrione è Sarmatia. Unde veriſimilius eſt, priùs aliquam de Pannonijs gentem, eam, utpote ſibi & viciniorem, & aditu faciliorem incoluiſſe: quam de nomine *Oſos* cum Tacito, (Plinio *Oſeriates*) fuiſſe exiſtimo: hos enim dicti Authores inter Pannoniorum populos numerant, & Tacitus linquâ Pannonicâ uſos, & Germaniæ proximos clarè aſſerit. Aut, ſi quis ad *Sarmatas* inclinari malit, eò quòd â Septentrione, vel Ortu æſtivo, aliqua illorum pars, trajecto Pathyſſo ſeu Tybiſco, aliiſq; interjacentibus fluminibus, & Carpathi radicibus, (aliqui Tatros, nós communiter *Albos Montes* appellamus) ſuperatis, poſuerint in regione hac *Henetorum*, utpote priſcæ ſuæ gentis Lares, illos *Jazyges* dicemus; qui de gente Sarmatarum primi, cum populis Germaniæ viciniam coluiſ-

Tacit. de morib. Germ. Plin. l. 3. cap. 25.
Probabilius eſt fuiſſe vel Oſos Pãnones;
Arrian. Nicom. in Hiſt. Alexan. M. l. 1. Plin. lib. 3. Hiſt. natur. c. 11. Strabo Geograp. l. 7. Tacit. Annal. l. 12. c. 6.
vel Jazyges Sarmatas.

coluiſſe dicuntur. Quamvìs aliqui & illos Germanos fuiſſe, alij verò Coloniam Jonum, de progenie Græca velint, contra Plinium, Tacitum, Arrianum, aliósque vetuſtiſſimos Scriptores, qui originem ipſorum â Sarmatis deducunt. Arrianus Nicomedienſis ſcriptor Græcus, in Hiſt. Alexandri Magni, libro 1. Danubium deſcribens, inter alia expreſsè habet iſta: *Longiſſimo tractu per terras excurrit, gentes bellicoſas præterlabitur, & eas magna ex parte Germanas. Earum gentium poſtremi ſunt* (nempe Occidentem verſùs) *Quadi ac Marcomanni; deinde Jazyges Sarmatarum gens: poſt hos Getæ, deinde Sarmatarum magna pars, poſtremò Scythæ, iiq; ad exitum fluminis pertinent, unde per quinq; oſtia in Euxinum pontum effluit.*

Petrus Ranzan. in Epitom. rer. Hungar. Indice 1.
Sigiſm. Feyrabendt in præf. Hiſtor. Bonfinij Francofurti German. editæ, an. 1581.
Plin. lib 4. c. 12.
Arrianus in Germ. deſcript. apud Goldaſtū & apud VVolfgang. Lazium de migrat. gent. lib. 9.

Quod *Oſos* attinet, probabile eſt, eos ſub id temporis (ſi non citiùs) quo Illyrij, Tryballi & Pannones, â Regibus Macedoniæ, hoſtilibus, ſæpéque iteratis excurſionibus premebantur, trajecto Danubio, in regionem hanc commigrâſſe, ante Chriſtum natum anno 355. circiter: aut ſub id fortaſſe temporis, quo Galli duce Belgio & Brenno, Illyrios emenſi tractus, in Noricum ripenſe, & Pannoniam vaſtabundi penetrârunt, cum vicinis omnibus acerrimè belligerantes: de quibus extat illud Trogi Pompeij apud Juſtinum: *ibi domitis Pannonijs, per multos annos, cum finitimis varia bella geſſerunt.* Et paulò infrà: *tantúsq; terror Gallici nominis erat, ut etiam Reges non laceſſiti, ultrò pacem ingenti pecuniâ mercarentur.* Hinc è Pannonibus aliqui, loco ſtationéque veteri cedere, inque tutiora trans Danubium ſecedere compellebantur.

Oſi.
Arrianus Hiſt. lib. 1. Juſtin. l. 7. Diodorus.
VVolfgang. Lazius de migrat. gent. lib. 2.
Juſtin. lib. 24.

Quod ſi verò penes *Jazyges Sarmatas* ſtare quis velit, congruum erit aſſerere, eos non aliam ob cauſam, quàm, cùm nimiam multitudinem non poſſet capere terra, quæ genuerat, migrâſſe è patrijs ſedibus, in has novas magìs victui opportunas; id quod contigiſſe videtur, ante Redemptionem generis Humani, anno prœterpropter 516. quando Darius Rex Perſarum, Xerxis pater, â Sarmatis, Mæotidis & Septentrionalium Ponti accolis, cruento prælio fuſus, fugatúſque cladem haud mediocrem tulit: tum enim gens Sarmatica adeò, & populo, & potentiâ excrevit, ut ne quidem â tanti nominis Monarcha, totius Aſiæ & Græciæ Domino, qui antehac omnia ſub jugum mittere conſveviſſet, vinci potuerit. Imò poſt varias clades, amiſſis nonaginta ſuorum millibus, & alijs multis magníſq; affectus incommodis, ultimò turpem fugam dare, & reſpectans, num â Sarmatis â tergo, aut â lateribus invaderetur, Iſtrum tumultuariè, non ſine ingenti ſuorum pernicie trajicere, & ſeſe in Thraciam citatis itineribus recipere neceſſe habuit. Quâ victoriâ uſi Sarmatæ, longè latéque ſeſe diffundere, præſertim in regiones cis-Danubianas, Meridiem & Occidentem verſùs, minimè dubitârunt.

Jazyges.
Juſtin. lib. 2. Herodot. Naucler. in Chronograph. Volum. 2. generat. 53.

Primi igitur hujus regionis incolæ, quos nominare poſſumus, (ſubtimidè licèt) fuêre, aut *Jazyges de gente Sarmatica*, â Septentrione vel Ortu æſtivo, aut *Oſi Pannones*, ab Ortu hyberno advenæ. Pro Oſis ſtat quoq; ſententia Illuſtriſs. & Reverendiſs. D. D. *Maximiliani Rudolphi è Baronibus de Schleinitz*, Proto-Epiſc. Litomeric. Viri cùm Nobilitate excellentiſſimæ, & antiquiſſimæ Roſenſium Familiæ, tum eruditione, doctrinâ, ingenio, prudentiâ, alijsq; magnorum

Pro Oſis authoritas, præter Antiquorum.

MS. Slavo-Bohem. part. 1. c. 1.

Præſulum virtutibus longè clariſſimi, Hiſtoricæ Antiquitatis ſtudioſiſſimi, ejúsque ſcientiſſimi; qui in ſuo Opere non dum typis edito, propè initium, ſic habet: *Vetuſtiſſimos omnium Moraviæ incolas (quantùm ſaltèm docent memoriæ, & ex Cornelio Tacito, juxtà alibi dicta, valemus colligere,) fuiſſe Oſos quosdam Arabes, Araviſcorum in Hungaria habentium ſedes, tum linguâ, tum & moribus populares; eosdemq́; eo adhuc tempore tenuiſſe eam Provinciam, quo & Svevi Hermunduri Bohemiam.*

Sentiat Lector, quod lubet.

Polyb. lib. 1. M. Velſer. rer. Boicar. lib. 1.

Antiquitatis Obſcuritas.

Herodot. Halicarnaſſ. in Melpomene, ſive Hiſtoriar. lib. 4

Strabo lib. 7.

Hanc porrò conjecturam, ſi lubet, Lector ſequatur interea, dum probabilius aliquid â peritioribus adferatur: faciliùs námque eſt aliorum ſententias refellere, quàm certi aliquid, quod ab omnibus probari poſſit, ſtatuere: præſertim in tanta rerum temporumque caligine, ubi ſurſum in Antiquitatem eunti deſunt argumenta, ubi tenebræ tantùm, & *plurima noctis imago.* Nec mirum: ſiquidem hi Septentrionales terrarum tractus, ante tempora Cæſaris Auguſti, Scriptoribus Latinis ignoti erant. Teſtatur id *Polybius,* Scipionis Africani præceptor, *accuratus inter primos,* (ſic illum nominant) *& religioſus ac vetuſtus auctor,* qui Romanam Hiſtoriam libris quadraginta conſcripſit, & libro 1. inter alia hoc apponere, candidéque fateri non dubitavit: *quæ â Narbone ad Tanaim in Septentriones vergunt, illa etiam tum ætate ſuâ inexplorata eſſe omnia:* ideòque ſomniorum loco quorundam de ijs dicta, ſcriptáque habenda monuit. Græci verò, uti *Homerus, Herodotus, Beroſus, Xenophon,* & quidam alij, non niſi locorum circa Mæotidem, Pontum Euxinum, Tanaim, Boryſthenem, & Iſtrum aliquam notitiam habebant, ulteriorùm versùs Occaſum & Septentrionem penitùs ignari; prout hoc ipſum de ſe fatetur, Herodotus, qui ſub Xerxe Monarcha vixit, & ſcripſit, in hæc verba: *Regionis autem, de qua nos dicere inſtitueramus,* (nempe de parte illa Scythiæ, ſive Sarmatiæ Evropææ, quæ ab Iſtro protendebatur, penes mare Ponticum, lacumque Mæotidis, ad Tanaim usque) *quænam ſint ulteriora, nemo exploratum habet: neq́; enim id ego ab aliquo audire potui, qui ſe diceret nôſſe, quod ipſe vidiſſet.* Idem fatetur Strabo lib. 7. Geographiæ.

Conjectura probabilior.

Lazius de migrat. gent. Joan. Bugenb. de migrat. gen.

Illud tamen, quantùm conjecturâ prudenti aſſequi licet, veroſimilius præ cæteris manet, non fuiſſe occupatam Moraviam â populis Occidentalibus priùs, quàm ab Orientalibus aut Septentriònalibus: ſiquidem quotquot primæ in has Occidentales, vel Meridionales partes, gentium migrationes acciderant, non niſi ab Oriente vel Septentrione erant, quod ſatis fusè oſtendit Lazius, in ſuo Opere de migrat. Gent. Aliquid eorum etiam *Sylvius* in Comment. de moribus Germaniæ, innuere videtur; qui ait: Auſtriæ cis-Danubianæ partem, *Moraviam & Sileſiam* trans Oderam, Sarmatici quondam fuiſſe ſoli; priùs ſcilicet, quàm Tevtonici. Sed de eo hic longiùs diſſerere nolim, cùm id *Moravographia* mea, quam adhuc ſub manu premo, & quam Superis faventibus, brevì in publicum *juſto volumine* edere in animo habeo, pleniùs contineat; potiùs quando Occidentales, de gente *Hermionum,* ſeu *Germanorum,* eam terræ portionem, expulſis aut ſub jugum datis Orientalibus primis incolis, in ſuam poteſtatem redegerunt, breviter explicare lubet.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

De Marcomanis Moraviæ incolis.

[Marcomani, *Græcis* Μαρκόμανοι: *cum uno tantùm* n. *ſcribi debere, ex Statio Papinio, & Claudiano, monet F. Jacob. Czaud. Ord. S. Dom. in Ærario aur. Poëtar. Torrentinus, & alij apud Goldaſt. in Com. de Bohemiæ Reg. jurib. l. 1. c. 5. §. 1. Non tamen malè ſcribitur per dupl.* nn. Marcomanni, *dum intelliguntur* Viri limitanei.]

PRima omnium mentio *Marcomanorum* habetur in Commentarijs *Julij Cæſaris*, quòd tum temporis unà cum *Arioniſto Germanorum Rege*, expeditionem contra eundem Cæſarem Gallias hoſtilibus armis oppugnantem, ipſiq; Germaniæ ſervitutem minantem, juncti cæteris Germanis ſuſcepiſſent. Id porrò contigiſſe affirmant Chronologi, anno ante Chriſtum natum 55. vel 56. Hoc igitur tempore videntur jam inhabitâſſe has partes, extruſis *Oſis*, aut *Jazygibus*: & exinde nomen *Limitaneorum*, quòd limites, ùt ſupra memoravimus, adversùs Sarmatas & Pannones tutarentur, â vicinis ſuæ gentis obtinuiſſe. Inde aliqua ipſorum manus, ab *Arioniſto* contra Romanos evocata, cæteris Germaniæ populis, quos Cæſar enumerat: videlicet *Svevis, Sebuſiis* ſive *Sudenis*, *Nemetibus*, *VVangionibus*, *Tribocis, Harudibus*, & alijs, ſeſe conjunxit: quò faciliùs armorum viriúmque ſocietate initâ, conatibus hoſtium avertendis invigilare, vimque eorum propulſare poſſent.

Marcomani tempore Julij Cæſaris celebres.

Cæſar de bello Gallico, Comment. 1. Eutrop. in Epitom. belli Gall.

Reuſnerus in Iſag. Hiſtor. f. 328. Bunting in Chron Brunſv. fol 3.

Calviſ. in Opere Chronol.

Victo deinde ac profligato â Romanis apud Sequanos, vel circa, univerſo Germanorum exercitu, cùm *Arioniſtus* fugâ ſalutem quærens, trajecto Rheno, in Germaniam ſeſe recepiſſet, rebúsq; deſperatis, victarum partium reliquias colligere neglexiſſet; *Marcomani*, qui â clade ſupererant, transmiſſo quoque Rheno, per Hercyniam Sylvam, ubi modò Brisgovia continetur, ac inde flexo dextrorſum itinere, per Rhetos & Vindelicos domuitionem ſuſceperunt. Ex itinere tamen in *Valeriam*, nunc *Styriam*, digreſſi, iſthic conſederunt: fuitque eis, amicitiam cum Vindelicis & Noricis colentibus, utcunq; quieta regionis poſſeſſio, usque ad annum Imperij Cæſaris Auguſti trigeſimum, quo *Tyberius Nero* Cæſaris privignus, unà cum *Claudio Druſo* fratre, domitis Rhætis & Vindelicis, & in *Valeriam* usque penetrans cum victore exercitu, *Marcomanos* quoque invaſit, prælio vicit, ac inde vi ſummâ exturbavit: qui ſuperato Danubio, ad populares ſuos redierunt.

Marcomani, aliorû de Germania gente populorum, contra Julium Cæſ. fœderati.

Marcomani in Valeria:

â Romanis inde ejiciuntur.

Patercul. lib. 2. Svetô in Tyber. Strabo in fine lib. 4.

Sext. Ruff. in brev. de Pannon. Jornand. lib. 1. de Regnor. & temp. ſucceſſ. Paul. Diac. l. 7.

Præerat tunc genti *Marcomanorum* hac in regione *Marobuduus*, Princeps tum nobilitate generis & potentiâ, tum rerum à ſe geſtarum magnitudine clariſſimus. Hic *Boijs*, gente *Gallicâ, Bohemiâ*, ſeu *Bojobemiâ* expulſis, & vicinis *Quadis*, poſt Regis illorum *Thudri*, patrui ſui ſub id tempus defuncti mortem, in ſuam quoq; ditionem acceptis; poſtquàm non multo poſt etiam complures finitimos populos, (Strabo, *Lugios* ſeu *Lygios magnam gentem, Hermunduros, Zumos*, ſeu Lemovios, *Gutones, Burgundiones, & ex Svevis magnam gentem Semnones*, enumerat) partim vi & minis, partim promiſſis & pa-

Marobuduus Rex Marcom. Bojos Bojohemiâ ejicit:

Tacit. lib. de morib. Germ. Strabo l. 7. Lazius de migr. gent Spangenb. in Chron. Sax. cap. 34.

Digitized by Google

Longè latéque imperat: & pactis, in ſuam reduxiſſet poteſtatem, Imperij ſui fines longè lateq; à montibus Carpathi, quà Danubium versùs protenduntur, & (ùt ſuprà attigimus) *Albi Montes* vocantur, Vagoque flumine, ad Cattos ſeu Heſſos usque protulit: ità ut illum terrarum tractum, quo nunc pars *Hungariæ, Auſtriæ cis-Danubiana, Moravia, Sileſia*, potior pars *Poloniæ, Bohemia, Voitlandia, Miſnia, Luſatia, Brandenburgum, Thuringia & Saxonia* ſuperioris haud exigua portio continentur, ſibi ſubjugaverit: in tantam brevì aſſurgens potentiam, ut demum ipſis etiam Romanis rerum Dominis formidabilis redderetur.

Ejus potentia etiam Romanis formidabilis. Vell. Paterc. lib. 2. §. 108. Unde apud Vellejium Paterculum extat: *Nihil erat jam Germaniæ, quod vinci poſſet, præter gentem Marcomanorum, quæ Marobuduo duce, excita ſedibus ſuis, atq; in interiora refugiens, incinctos Herciniæ ſylvæ campos incolebat.* Ac demum de Marobuduo: *Marobuduus genere nobilis, corpore prævalens, animo ferox, natione magìs quàm ratione barbarus, non tumultuarium, neq; fortuitum, neq; mobilem & ex voluntate parentium conſtantem inter ſuos occupavit principatum: ſed certum imperium, vimq; regiam complexus animo, ſtatuit, avocatâ procul à Romanis gente ſuâ, eò progredi, ubi, cùm propter potentiora arma refugiſſet, ſua faceret potentiſſima. Occupatis igitur, quos prædiximus, locis, finitimos omnes aut bello domuit, aut conditionibus juris ſui fecit. Corpus ſuum cuſtoditum, imperium perpetuis exercitijs penè ad Romanæ diſciplinæ formam redactum, brevi in eminens, & noſtro quoq; imperio timendum perduxit faſtigium: gerebátq; ſe ità adversùs Romanos, ut neq; bello nos laceſſeret, & ſi laceſſeretur, supereſſe ſibi vim, ac voluntatem reſiſtendi declararet. Legati quos mittebat ad Cæſares, interdum ut ſupplicem commendabant, interdum ut pro pari loquebantur. Gentibus hominibusq; à nobis deſciſcentibus erat apud eum perfugium, totúmq; ex malè diſſimulato agebat æmulum. Exercitúmque, quem ſeptuaginta millium peditum, quatuor equitum fecerat, aſſiduis adversùs finitimos bellis exercendo, majori quàm quod habebat operi præparabat. Erátque etiam eò timendus, quod cùm Germaniam ad lævam, & in fronte; Pannoniam ad dextram; à tergo ſedium ſuarum haberet Noricos: tanquàm in omnes ſemper venturus, ab omnibus timebatur. Nec ſecuram incrementi ſui patiebatur eſſe Italiam: quippe cùm à ſummis Alpium jugis, quæ finem Italiæ terminant, initium ejus finium haud multò plus ducentis millibus paſſuum abeſſet.*

Hæc de potentia *Marobudui* & *Marcomanorum*, circa finem imperij *Cæſaris Auguſti*, refert Paterculus: qui ſub id tempus vivebat, & ab Auguſto Præfectus Equitum creatus, inque Germaniam cum Tyberio miſſus, per annos novem bellum adversùs Germanos variâ fortunâ geſſit, perducto Romanorum exercitu à Rheno ad Albim uſque; quod antea nemo, nec Julius Cæſar fecit.

Marobuduus cum Romanis conſtanter pacem colit: Quamvìs autem *Marobudui* potentia Romanis admodùm ſuſpecta eſſet, adeò ut eorum animos gravibus curis anxios diſtractóſque teneret, *Laureaco* imprimìs & *Carnunto*, alijsque ad Danubium ſitis limitaneis munimentis, ſi vis ex improviſo inferretur, metuentes: nihil tamen ille unquam hoſtile

hoſtile tentâſſe, aut moliri viſus eſt; quin potiùs ſemper Majeſtatem Cæſarum, tam *Auguſti*, quàm *Tyberij* reverenter coluit, amicitiam eorum ipſi quoque libertati Germanicæ præferens. Nam cùm ab *Harminio Cheruſco*, & alijs Germaniæ Principibus, in commune fœdus contra Romanos vocaretur, negavit ſe pacta cum Romanis inita, ſalvâ nominis ac honoris ſui exiſtimatione, violare poſſe. Quod ultimò ruinæ ipſius cauſam dedit: nam paulo poſt Germani, non tantùm *Cheruſci, Catti, Chauci, Guthones, Mogilones, Sibini, Zumij & Butones*; (nunc veſtigia gentium deperdita, nomina ægrè ſuperſunt) ſed è Regno etiam ipſius Svevæ gentes, *Semnones ac Longobardi* conjuratione facta, ac conjunctis animis & viribus, Harminio ipſo inſtigante & præeunte, bello exagitandum ſuſceperunt, ſuſúmque prælio, potiore parte Imperij exuerunt.

& idcirco alijs Germaniæ Principibus & populis inviſus,

bello premitur, *Patercul. lib. 2. Tacit. Annal: l. 2. §. 7. VVelſerus lib. 2. rer. Bojicar. ad an. Chriſti 19.*

Quâ clade acceptâ, mox & domeſticorum in ipſum odia gliſcere cœperunt, ita ut ad extremum penè omnibus (uti fieri plerumque ſolet, dum fortuna mutatur) ſummè inviſus eſſet. Quare non ſatis in patria tutus, ac ne occultis opprimeretur inſidijs metuens, conſilium de fuga ſumpſit, & cum pauciſſimis, quos fideliores noverat, per ſylvas & ſolitudines, quæ modò *Bohemiam ab Auſtria* ſuperiori ſeparant, in *Noricum Ripenſe*, iter & fugam intendit: quod contigiſſe puto, circa annum Chriſti Nati 20. Deſertus itáque ab omnibus, ad Tyberium confugit: qua de re Tacitus: *Marobuduo undiq; deſerto non aliud ſubſidium, quàm miſericordia Cæſaris fuit. Transgreſſus Danubium, quà Noricam Provinciam præfluit, ſcripſit Tyberio, non ut profugus aut ſupplex, ſed ex memoria prioris fortunæ, nam multis nationibus clariſſimum quondam Regem ad ſe vocantibus Romanam amicitiam prætuliſſe.* Cui quid reſponſi dederit Cæſar; mox idem refert: *reſponſum à Cæſare, tutam ei honoratámq; ſedem in Italia fore, ſi maneret: ſin rebus ſuis aliud conduceret, abiturum fide, quâ veniſſet.* Spe igitur omni ad redeundum in Regnum fruſtratus, cùm neque à Cæſare obtinere poſſet auxilium, Ravennæ manſit, per reſiduæ vitæ ſuæ duodeviginti annos.

à ſuis quoque deſeritur:

non ſatis in Patria tutus, Noricum abit:

à Tyberio Cæſ. opem fruſtra petit. *Tacit. lib. cit. §. 10.*

Ravennæ in exilio reliquum vitæ inglorius tranſigit. *Tacit. lib. Annal. 2. § 10. Rhenan. lib. 1. cap. Marcom. Velſerus lib. 2.*

Interea Tyberius, uti erat ingenio vafer, hoc ipſum per Druſum filium occultis machinationibus egit, ut Marobuduus è Regno pelleretur, eóque citiùs Germaniæ populi diſcordantes invicem, præda Romanis fierent. Quod manifeſtè innuit prememoratus Scriptor hiſce: *haud leve decus Druſus quæſivit, illiciens Germanos ad diſcordias, útq; fracto jam Marobuduo, usq; in exitium inſiſteretur.* Idem Paterculus memorat, Tyberij conſilia quædam, & acta pro Republica ſuſcepta recenſens, ubi ait: *Quâ vi, conſiliorum ſuorum miniſtro, & adjutore uſus Druſo filio ſuo; Marobuduum inhærentem occupati Regni finibus, pace Majeſtatis ejus dixerim, velut ſerpentem abſtruſum terræ, ſalubribus conſiliorum ſuorum medicamentis coëgit egredi? quàm illum & honoratè, nec ſecurè continet?*

Romanorum, in ciendis fovendisq; Germanos inter Principes, diſſenſionibus, artes. *Sveton. in Tyberio. Paterculus lib. 2. §. 129. Tacit. lib. cit. Paterc. lib. 2. §. 119.*

Quid porrò Tyberius de Marobuduo ſenſerit, & quàm magnoperè potentia ipſius expaveſcenda fuerit, narrat Tacitus: *Cæterum apud Senatum diſſeruit, non Philippum Athenienſibus, non Pyrrhum, aut Antiochum Populo Romano*

mano perinde (ac Marobuduum) *metuendos fuiſſe: exſtat oratio, quâ magnitudinem viri, violentiam ſubjectarum ei gentium, & quàm propingvus Italiæ hoſtis, ſuáq; in deſtruendo eo conſilia, extulit.*

Gotvalda Marobudui Succeſſor, ob impotentē dominatum ſuis exoſus.

Marobuduo ejecto, *Gotvalda* juvenis quidam nobilis, profugus olim vi Marobudui, faventibus Marcomanorum primoribus, Regnum & ipſam Regiam ſedem *Bojenheim* occupavit; ſed cùm mox initio regiminis crudeliùs & atrociùs, quàm ferri poſſet, ſubditis imperaret, inſuper cum Druſo, quibusdam inuſitatis fœderibus & pactis, in præjudicium patriæ libertatis, manifeſtè colludere deprehenderetur, diuturnum habere non potuit imperium. Primò *Quadi*, qui tum ea loca, circa Oderæ flumen, quibus nunc Sileſia, & Poloniæ minoris pars continentur, tenebant, prolatis ſucceſſu temporis finibus, Auſtrum versùs, ad Danubium usque, ab eo defecerunt; aſſumpto in Regem *Vannio* Marobudui propinquo, qui paulò ante, vim Gotvaldæ metuens ad eos profugit. Hos brevì ſequuti *Hermunduri*, Miſniæ Luſatiæque ſuperioris incolæ; qui pari ratione jugo ipſius excuſſo, quendam popularem ſuum, nomine *Jubillium*, virum præ alijs manu & conſilio promptum, ſibi Regem fecerunt. Quare *Gotvalda* haud mediocriter perculſus, tametſi rebellium motus mox in tempore opprimere varijs artibus, aſtu primò, deinde vi, conaretur: cùm tamen videret ſe eorum viribus, ad reſiſtendum imparem, & jam etiam animos Marcomanorum, ac reliquorum ſubjectorum populorum â ſe penitùs averſos non ignoraret; ac certis indicijs reputans, quodſi aliquorum fidei ſeſe committeret, ab ijs fortaſſe, ubi minimè putaret, ad certam vel ſupplicij, vel carceris perpetui pœnam, illis quorum cognatos, falſis & confictis criminibus circumventos, tyrannico more ſuſtuliſſet, tradendus foret; Marobudui exemplum ſequi maluit, & convaſatis theſauris Regno profugit, primò *Carnuntum*, deinde *Forum Julij;* ubi ab eodem Tyberio, in præmium benè ſemper habitæ cum Druſo filio amicitiæ, domo donatus fuit. *Barbari* (verba ſunt Taciti) *utrumq;* Marobuduum ſc. & Gotvaldam, *comitati, ne quietas Provincias immixti turbarent*, redire ſunt juſſi, *& ultra Danubium, inter flumina Marum & Cuſum* (nempe inter Moravam & Vagum, ut vult Cluverius) *locati, ſub imperio Vannij Regis gentis Quadorum.*

Quadi â Gotvalda deficiunt, ſubſtituto in locum ejus Vannio.

Hermunduri Gotvaldâ rejecto, Jubillium in Regem ſuſcipiunt.

Gotvalda ultimò etiam Marcomanorum defectione perculſus,

Regno profugit.

Tacit. in Annal. lib. 2. §. 10. VVelſer. citat. Spangenb. cap. 36. Cluver. l. 3.

Vannius Marcomanor. & Quador. Rex, principia regiminis habet pacata: ſed paulò poſt turbata.

Vannius itáque fuit, qui Gotvaldæ in exilium acto ſucceſſit, *Marcomanorum* ſimul & *Quadorum Rex.* Hic placidum ac liberale præ ſe ferens ingenium, quòd tolerabiliorem utrumque dominationem primis auſpicijs exercendo oſtendiſſet, gratus acceptúsque fuit utrique Genti: at brevì poſt, ubi in eundem cum Gotvalda impegiſſet lapidem, adeò ut nimiæ ambitionis & crudelitatis paſſim damnaretur, ob idque ſingulari invidiâ atque odio apud Provinciales deflagraret, omnium penè animos â ſe avertit; ita ut poſtmodùm ipſi quoque nepotes, *Vangio & Sido*, ſororę ejus geniti, nimio ipſius faſtu proritati, facta ejus palam in circulis reprobare ac deteſtari, quinimò defectionem moliri non dubitarent: & ad illud declarandum non aliud, quàm commodam occaſionem rerum novandarum, avidis ad ultionem animis, expectare viderentur. Hunc in modum gliſcentibus odijs, res tandem in Civile bellum erupit.

Hinc civile bellum.

Quo

Quo facto, etiam ſimultates, quæ *Vannium* inter & Regem Hermundurorum *Jubillium*, odijs occultis dudum in ſinu fovebantur, in nervum eruperunt. Hic enim cùm videret Vannij res domi turbatas, occaſionem hanc minimè intermittendam ratus, ingentes copias tam de ſuis, quàm de Lygijs, qui inferiorem Sileſiam & Luſatiæ partem tenebant, collegit, & cum tota illa mole exercitûs in Bohemiam vaſtabundus irrupit.

Jubillius contra Vannium expeditionem adornat.

Vannius hoſtibus tam multiplicibus neutiquam viribus par, primò caſtellis ſeſe continuit: demum ſubſidiarias aliquot turmas equitum à vicinis Jazygibus Sarmatis nactus, in apertum prodijt. Conſertum igitur, ardore partis utriúſq; acerrimo, prælium cruentum: in quo deſertus à ſuis *Vannius*, fuſus fugatúsque, cùm non ſatis jam popularibus ſuis fidendum exiſtimaret, eò quod omnes penè adversùs ſe efferatis mentibus conjuràſſe videret, ſerâ ductus pœnitentiâ, incertúsque conſilij, nec quorſum fugam capeſſeret, ſatìs gnarus, tandem Gotvaldæ & Marobudui exemplo, ad Romanos profugiendum duxit, trajectóque Danubio, cum comitatu parvo in Pannoniam conceſſit. Contigêre hæc circa annum Chriſti 50.

Vannio auxilia à Jazygibus Sarmatis miſſa.

Vannius prælio victus, neque ampliùs domi ſecurus,

adRomanos in Pannoniam ſe ſubducit.

Tacit: Annal: lib: 12. §. 6.

Calviſ: in Chronol: ad an: 50.

Poſt cladem & diſceſſum Vannij, *Vangio & Sido* Regnum inter ſe partiti ſunt; Marcomanos ille, Quados iſte regendos ſuſcepit: relictà parte Septentrionali Bohemiæ *Hermunduris*, in prœmium navatæ ſibi operæ. Et hoc fortaſſe eſt, quod Tacitus innuit, dum *Albim in Hermunduris oriri dicit.*

Vangio & Sido nepotes Vannij, & in Regno ſucceſſores.

Tacit: cit:

Tacit: lib: de morib: Germ:

Anno Chriſti 70. circiter, *Vangio & Sido*, Veſpaſiani Romanorum Imperatoris, contra Vitellium ſequebantur partes: cui etiam in victoria Cremonenſi de Vitellio reportata, auxilio fuêre, unà cum *Italico Hermunduro, & Sarmatarum Jazygum*, ùt refert Tacitus, *principibus.* Nec multò poſt *Sido*, cùm adversùs Sarmatas & Oſos expeditionem ſuſcepiſſet, & commiſſo infeliciter prælio fugam arripere coactus, per Vagum flumen, (alijs Danubium) transnatare vellet, hauſtus aquis perijt.

Vangio & Sido Veſpaſ: Cæſar: partes ſequũt:

Tacitus Hiſtor: lib 3. §. 2. & 5.

Lazius de migr: gent: lib: 8.

Goldaſt: de Regni Boh: lib: 1. cap: 13. §. 2.

Sido aquis hauſtus perijt.

Ab ejus exceſſu *Vangio*, præter Regni Marcomanici, quod jam antea habebat; etiam Quadici, offerentibus ſceptra Gentis principibus, imperium haud gravatè ſuſcepit, diúque feliciter rexit. Poſt illum filius natu major *Cimber*: cui in Pannonia à Dacis & Sarmatis cum Romanis confligentibus occiſo, anno Chriſti 89. *Tudrus* frater ſucceſſit. Sicque continuatâ ſerie per annos centum & ultra, habuêre *Marcomani & Quadi* Reges proprios de gente ſua, ac Marobudui proſapia: tandem externos ad ſolium Regni admiſerunt, fortaſſe, ut hoc modo ſociorum, quorum jam tandem armis adjuti, ad propulſandam vim Romanorum, qui tum ferè univerſæ Germanorum genti ſervitutem minabantur, tantò fortiores evaderent. Qua de re Tacitus: *Marcomanis Quadiſque, uſque ad noſtram memoriam Reges manſerunt, ex gente ipſorum, nobile Marobudui & Tudri genus; jam & externos patiuntur.* Hoc autem Tacitus ſcripſit circa annum Chriſti 120. Eſtô enim dicatur vixiſſe imperante Trajano, circa annum 100. id tamen intelligendum eſt, de nobiliori ejus ætate, quam ferè totam in cauſis agendis traduxit: hiſtorijs verò ſcribendis

Hagek in proœmio Chron:

Sandelius ibid:

Vangij ſucceſſor Cimber filius; & hujus, Tudrus frater.

Velſer: lib: 2.

Marcomani & Quadi externos ad regiminis clavum admittunt.

Tacitus lib: de moribus Germanorum: 43.

Digitized by Google

dis (ùt benè notat Canonherus in libro Diſſertationum Politicarum, ſuper Cornel: Tacitum) vacavit ſenex.

Nihilominùs & tunc, cùm Reges externi præfuiſſent Marcomanorum Regno, manſit Marcomanis priſca virtus, ùt idem Tacitus ibidem teſtatur: *præcipua Marcomanorum gloria viréſque, atque ipſa etiam fides, pulſis olim Boijs, virtute parta.* Ex quo patet eos tum adhuc, præter Moraviam & Auſtriam cis-Danubianam, potiorem quoque Bohemiæ partem, unà cum ſede Regia *Bojenheim* poſſediſſe. Multa deinde bella geſſerunt *Marcomani*, & eorum vicini *Quadi*, tam cum *Oſis* & *Sarmatis*, quàm cum *Romanis*. Et quidem adversùs *Oſos* felici ſucceſſu, quorum infeſtas excurſiones non tantùm repreſſerunt, ſed ipſos quoque ſibi vectigales & tributarios fecerunt; prolatis Regni finibus â Morava flumine, ultra Vagum, ad Granuam uſque: & ſucceſſu temporis adhuc ulteriùs. Contra *Romanos*, ſub *Viguario* & *Vitroduro* ejus filio, atque iterum ſub *Gabinio* & *Fridegildo* Regibus, variâ fortunâ: jam enim victores, jam victi evadebant; de quo infra libro 2. Donec tandem multis ac magnis cladibus, partim á Romanorum Imperatoribus, partim â *Vandalis & Gothis*, potiſſimùm verò ab *Hunnis* affecti diſſipatique, & ad ſummam paucitatem redacti, ſuos ſe intra fines quietè continebant. Poſtea ab *Attila Rege Hunnorum*, in commune armorum, unà cum *Quadis*, *Gepidis*, *Herulis*, *Scyris*, *Baſtarnis*, & alijs adſciti, ibant populatum vicinarum gentium Urbes & oppida, imò & ampliſſima Europæ Regna, flammâ ac ferro obvia quæque vaſtantes.

Mortuo *Attilâ*, adhæſerunt *Ardarico Gepidarum Duci*: qui trucidatis triginta millibus Hunnorum, & filio Attilæ *Elac* natu maximo, non tantùm Pannonios, ſed & finitimos quosque ab illorum jugo ſolutos, priſtinæ libertati reſtituit. At poſtmodùm cùm *Gepidæ* Marcomanis, duriores quàm ferri poſſent, leges imponerent, ita ut libertati eorum inſidiari haud obſcurè viderentur, arma in illos converterunt, & aſſumptis in auxilium vicinis Sarmatis, vim vi repreſſerunt.

Demum anno Chriſti 474. circiter, aliqua pars Marcomanorum, ſub *Odoacro Herulo* Duce, expeditionem in Italiam ſuſcepit; atque iterum ſub *Theodorio Gotho*: haud dubiè ſpe melioris ſoli acquirendi, cùm patriam terram per Hunnos & Gothos ſummè devaſtatam, ac ferè everſam viderent. Ab eo tempore *Marcomanicum* & *Quadicùm nomen* cæpit in his partibus extingui: neque legimus, ut deinde annis ſubſequentibus fuiſſet unquam renatum: è contra *Slavicum* ſeu *Moravicum* inclaruit. Quod quando, & quomodo factum, jam referemus.

In vita C. Taciti.

Marcomanorum virtus:

bella,

adversùs Oſos proſpera:

cum Romanis dubiâ fortunâ.

Marcomani tandem ad incitas redacti:

Reliquiæ eorũ hinc inde diſperſæ:

Bonfin: decad: 1. Thuroc: Chron: Hung: parte 1. cap 14.

Reviviſcunt, & Gepidis adhærent:

Bonfin: d. 1. capite 7. VVelſer: l. 1.

Gepidarũ jugum Sarmatarum ope excutiunt

Marcomani Herulorum & Gothorum ſocij.

Eugyppius in vita S. Severini. Hundius in Metropol: Salisb: in Epiſcop: Patav: cap: 6. Jornand: lib: 1. de reb: Getic: cap: 16.

Marcomanicũ & Quadicum nomen exolevit:

VVelſer: lib: 2. Cromer: lib: 1. c. ult:

Slavicum & Moravicũ inclaruit.

CA-

CAPUT III.

De Slavis Moraviæ Incolis.

QUemadmodùm in alijs rerum maximarum originibus indagandis, fundum ipſum attingere eſt adeò difficile, ut in nullo hallucinari, accidat impoſſibile: ità hic in Quæſtione: *quandonàmprimùm Slavi, origine ſeu natione Sarmatæ, Moraviam ingreſſi fuerint?* tum ob rei vetuſtatem, tum ob Hiſtoricorum diſſidentia judicia, res eſt ità anceps & perplexa, ut ediſſerere & ſtatuere certum quid, religio ferè poſſit videri.

> Obſcuræ rerũ origines, exploratu difficiles.
> De Sarmatarum ſeu Slavorum in Marcomaniam adventu,
> Variæ ſententiæ.

Aliqui adventum eorum ad tempora Juſtiniani I. Magni Legumlatoris, circa annum Chriſti 540. alij ad Mauritij, circa annum 590. alij ad Conſtantini Pogonoti, circa annum 676. referunt.

> *Jornãd: de reb. Getic:*
> *Procop: de reb: Got: lib: 1. & 3.*
> *Svidas in Lexico.*

Mihi probabilior videtur illorum ſententia, qui *Sarmatas* ſub primis Imperatoribus Romanis; *Slavos* autem ſub Attilæ temporibus, aut brevì poſt ejus mortem; in Moraviam veniſſe ſcribunt: tum enim multis & magnis cladibus â diverſis hoſtibus, jam â Romanis, jam ab alijs affecti, viribúsq; exhauſti *Marcomani* & *Quadi*, cùm aliter in priſtinum florem redire non poſſent, vicinos *Sarmatas*, quorum auxilio adversùs hoſtes perſæpè uſi fuiſſent, (ùt videre eſt apud Tacitum, Svetonium, Julium Capitol. & alios) terras ſuas invitâſſe, ac in ſocietatem fortunæq; communionem admiſiſſe, credibile eſt. Et quia Sarmatæ ſucceſſu temporis, novâ *Slavorum* popularium ſuorum acceſſione aucti, Marcomanos numero & multitudine longè ſuperabant, brevì ipſas quóq; ſupremi regiminis habenas, & dominationem arripuerunt. Atq; ita non tantùm potentia, ſed & ſermo cultúsq; *Svevicus* ſenſim apud *Marcomanos* & *Quados* obſolevit, illatíſque cum novis colonis *Slavicus* inolevit.

> *Paulus Diacon: de geſt: Long: lib: 2.*
> *Fredegarius in Annal: cap: 48.*
> *Aimonius de geſt: Franc: lib: 4. cap: 9.*
> Probabilior.
> *Cromer. Goldaſt.*
> *Daubr. & alij.*
> *Stransky Reip. Boj. cap. 4.*

Manſerunt tamen de gente Marcomanorum aliquæ reliquiæ patrio in ſolo: quarum deinde annis ſubſequentibus poſteri, Slavis Moravis juncti, *Czechos*, novos quoque poſt annos aliquot Bojohemiæ incolas, acerrimis incurſionibus infeſtabant. Ab his conditam ferunt, *Brodam Teutonicam*, oppidum in Bohemia non ignobile, ſitum ad ſiniſtram Sazavæ amnis ripam, anno 793. Item, *Iglaviam* Urbem Moraviæ in confinijs Bohemiæ celebrem, anno 799. & arcem *Lipniciam* in prælalto monte ſitam: quæ loca forti præſidio firmârunt, & ex ijs in regionem vicinam excurrentes, ac longè latéque prædas agentes, Bohemos diu multúmque exercuerunt. Aliqui volunt has ipſas reliquias ſupereſſe usque adhuc, in ijsdem Bohemiæ confinijs, circa Iglaviam hinc inde diſperſas; prout etiam Hermundurorum ad Landskronam, Krulichium, & circumjacentes Geſſenikæos montes: quorum idiotiſmus & durior, quàm aliorum ſit, in pronunciatione Teutoniſmi dialectûs, utcunque prodit tale quale priſcæ linguæ Svevicæ ἔτυμον. Accedit, quod hucusque non paucas de veteri lingua Svevica retineat dictiones.

> Reliquiæ Marcomanorũ in Moraviæ Bohemiæq; confinijs,
> *Hagek ad an. 793.*
> *Stransky cap: 1. §. 6.*
> uſq; hodie ſupereſſe cenſentur.

Alia Slavorum in Marcomania, alia Czechorum in Bohemia ſtationis principia.

Hæc igitur fuêre *Slavorum in Marcomania* ſeu *Moravia* initia, longè alia quàm Majorum noſtrorum, *Czechorum* nempe *in Bohemia*; qui regionem illam magnâ ſui parte cultoribus deſtitutam, deſertam, ſylvísque horrentem, atque magìs à feris, quàm ab hominibus tunc inhabitatam ingreſſi, de jure gentium primi occuparunt. Iſti verò invitati, rogati, ac in ſocietatem communionémque rerum omnium ab indigenis adſciti, Lares patrios hìc poſuerunt; & cùm defeciſſent potiori ex parte indigenæ, ipſimet quaſi jure adſcriptitio, & tanquàm concives, Regnum unà cum Regia dignitate ſibi vendicàrunt. Unde ex omnibus gentibus Slavonicis, primò debetur *Majeſtas Regia Moravis:* neque enim inveniri poteſt in ullis etiam antiquiſſimorum monumentorum ſcriptis, ut ulla *Slavorum natio*, tam illorum, qui Meridiem versùs regiones florentiſſimas, utpote *Thraciam*, *Myſiam*, *Epirum*, *Achajam*, *Macedoniam*, *Dalmatiam*, *Illyrium*, *Iſtriam* & alia occuparunt, quàm aliorum, qui trajectis *Viſtulâ Odrâque* fluminibus, antiquas Vandalorum ſedes, Occidentem versùs, ad Albim uſque, juris ſui fecerunt, Regio titulo uſa fuiſſet priùs, quàm *Moravi*, ſeu *Slavi Moraviæ incolæ*. Illis proinde meritò debetur *Majeſtatis Regiæ*, inter alios omnes Slavonicæ gentis populos, prærogativa & *Primatus*. Alij longa poſt ſæcula Principatus ſuos Regio diademate illuſtrârunt; ùt *Bulgari*, *Ruſſij*, *Dalmatæ*, *Boſnij*, *Croatæ*, *Poloni*, *Bohemi*, *Raſcij*, *Servij:* & tum primò, quando Moravorum fatis ita urgentibus concidit, alia Slavonicarum gentium aſſurrexerunt Regna.

Moravici Regni vetuſtas, dignitas, & Majeſtas.

Gold. de Regn: Boh: Privileg:

Polonorum an. 1001. Bohem: an. 1086.

Sed priusquàm ulteriùs in recenſendis primis Moraviæ incolis de gente Slavonica, progrediamur, operæ precium exiſtimo, & etiam Lectoris animo haud ingratum fore ſpero, ſi aliquid de *origine Slavonicæ gentis*, quam in *Moravographia* ex conſtituto deſcribo, hìc nonnihil reſtrictiori ſtylo diſſeruero.

Moravogr: lib: 1. cap: 1.

Origo Slavonicæ Gentis, à Japheto filio Noëmi.

Beroſ: in Antiquit: lib: 4. Joſeph: de Antiquit: Philo Hebr: de multiplic: humano genere. Joann Viterb: in Beroſ. Geneſ. cap: 11.

Crant: libro 1. Vandal: Decius de Vetuſt: Polon: l. 1. Mechov: in Chron: Regn: Pol: lib: 1. cap: 1. Dlugoſſ. Hagek. Pulkavva. Curaus in Annal: Sileſ: ad initium. Melãt: in Chrõ: Carion. l. 1.

SUnt, qui *Slavorum genus*, tam altis initijs repetant, ut illud ab ipſo uſque Japhet filio Noë deducere contendant. Et non malè, quòd à Japhet: conſtat enim, ex vetuſtiſſimis Scriptoribus, Beroſo ſacerdote Chaldæo, Joſepho Flavio, Philone & alijs, poſt linguarum confuſionem in campo Sennaar, cùm *inde diſperſiſſet Dominus populum ſuper faciem univerſarum Regionum*, Japheti poſteros (non alios) majorem Aſiæ minoris & Evropæ partem, potiſſimùm verò Septentrionalia, & illos ipſos terrarum tractus, quos poſtea Slavorum Majores poſſidebant, occupâſſe & tenuiſſe, prout etiam aliqui in hodiernum uſque diem tenent. Unde conjici prudenter licet, ex tribus Noëmi filijs, *Sem*, *Cham*, & *Japhet*, per quos rurſum poſt diluvium, propagatum eſt humanum genus, *Japhetum* omnino eſſe, quem Slavorum natio pro Patre ſuo agnoſcere jure merito poſſit, & pro tali habeat ac veneretur. Diſcrepant autem inter ſe vehementer: quidam enim à *Gomero*, qui erat Japheti major natu filius, ejúsque filio *Tvyſcone*, qui à Moyſe vocatur *Aſcenez*, ac longâ ſerie deſcendente Tvyſconis atnepote *Wandalo*. Alij à *Javano*, qui erat Japheti alter filius, ejúsque filio *Eliſa*. Alij à *Riphath* Tvyſconis fratre originem Slavorum deductam volunt; quos proinde hìc examinemus parumper, & videamus, num ſubſiſtant, & quod dicunt, quod ſcribunt, num ſufficienter probent.

Mihi, ùt verum fatear, exigua valde, ac penè futilia videntur eſſe illa argumenta, quæ pro ſtabilienda ſua ſententia adducunt, deſtituti ſcilicet alijs validioribus, quæ fidem mereantur; ita ut non mihi tantùm, ſed vix ulli, qui vel modicam Hiſtoriarum notitiam habet, ullâ ratione ſatisfacere poſſint: præſertim primò illi, qui *Wandalum* patrem

patrem Sarmatarum & Slavorum eſſe volunt. Nam certum eſt, & omnes Scriptores novi & veteres in eo conveniunt, *Tvyſconem Germanorum conditorem* eſſe, à quo & nomen acceperunt, quo etiamnum ab Italis vocantur *Tvyſcones*; ſicuti ab *Inghævone* Tvyſconis nepote *Inghævones*; ab *Iſtævone* filio Inghævonis *Iſtævones*; ab *Herminone* Iſtævonis filio *Herminones* ſeu *Hermiones*, & *Hermunduri*; à *Svævo* Hermionis pronepote *Svevi*; à *Vandalo* Svævi filio *Vandali*; à *Tevtone* Vandali filio vel nepote *Tevtones*; ab *Alemanno* Tevtonis filio *Alemanni*, omnes gente & linguâ *Germani*, *de progenie Tvyſconis*. Quis igitur credat, eoſdem etiam eſſe *Slavorum* progenitores, & nominatim *Tvyſconem* ejúsque atnepotem *Vandalum*? neceſſe enim foret conſequenter aſſerere, linguam Slavonicam ex Germanica ortum habere (ſicut Crantzius id affirmare non dubitat) adeóque Slavos cum Germanis unum eſſe: quod an ridiculum non ſit? Palàm ſiquidem conſtat, Slavos non linguâ ſolùm, ſed habitu quoque, moribus, inſtitutis, & vitæ conſvetudine, à Germanis ſemper diverſiſſimos fuiſſe, atque etiamnum eſſe; nec magis reponendos in numero Germanorum, quàm *Helvetios*, *Rauracos*, *Tribocos*, *Nemetes*, *Vangiones*, *Magontiacos*, *Treviros*, *Ubios*, *Eburones* &c. in cætu Gallorum. Somnia proinde ſunt Crantzij hæc fabulantis: quem ea de cauſa egregiè refutat Cromerus Varmienſis Epiſcopus, in primo Hiſtoriæ ſuæ libro: ubi ex profeſſo de *Origine gentis Slavonicæ* agens, multis rationibus, & Veterum quoq; authoritate clarè demonſtrat, neque *Slavos* ſeu *Slavinòs Wandalos*, neque *Wandalos Slavinam* gentem fuiſſe, ſed *Tevtonicam* ſeu *Germanicam*, Tevtonicòque à Slavico longè diverſo uſos ſermone; verbo, nulla ex parte penitùs Wandalos Slavicis gentibus, ſicuti nec Slavos Wandalis, aut Germanis accenſeri poſſe. Cui adſtipulantur plerique Veteres, & omnes omninò melioris notæ Scriptores: *Tacitus*, *Ptolemæus*, *Strabo*, *Evtropius*, *Paulus Diaconus*, *Procopius*, *Jornandes*, *Lazius*, *Welſerus*, & plures alij. Plinius enumerans nationes Germanicas, primos nominat *Wandalos*; *quorum pars*, inquit, *Burgundiones*, *Varrini*, *Carini*, *Guttones*, *i. Gothi*. Franciſcus autem Irenicus, ex Metudio Martyre, citat *Vandalorum ad Conſtantinum Magnum Imp. epiſtolam, quâ Germanos ſe eſſe profitentur*. Et hîs ac tot præſtantiſſimis Authoribus derogare fidem, quis prudenter auſit? Aut hoc teſtium ſatis eſt, aut neſcio, quid ſit ſatis.

Tvisco nepos Japheti, filius Gomeri, pater Germanorum, *Plin: lib:* non Sarmatarum, aut Slavorum, ùt putant aliqui.

Cromer: lib: 1. c. 5. 6. 10. *Alex: Gnagn: in deſcript: Polon.* Idem quoque Vandalorum. *Tacit: de Morib: Germ: Sueton: Ptolemæus in Geograph: Strabo. Evtrop: Paulus Diacon: Procop. de Bello VVandal: Blond: l. 1. Jornandes de reb: Get: Cluver. in Germ ant: l. 3. cap: 46. Lazius. VVelſer. Rhenan. Mechovi. Mũlius & alij. Plin. l. 4. c. 14.*

Quòd nihilominùs aliqui *Wendos*, ſeu *Wenedos*, qui *Slavi* ſunt, *Wandalos* appellent, partim ignorantiâ, partim ſimilitudine nominis, vicinitatéque vocis, deceptos eſſe puto: aut quia pars *Wenedorum*, cùm ſeſe in finitimam Germaniam, à Viſtula flumine uſque ad Albim & Salam, ac Septentrionem verſùs, ad Cimbricam uſque Cherſonneſum diffudiſſent, antiquas ad mare Balthicum Wandalorum ſedes occupaverat, idcircò illos ab incolis, quibus ſucceſſerunt, nempe *Wandalos*, ſimilitudine nominis, ùt dixi, etiam ſuffragante, non ſecùs ac nos *Czechos*, quòd Bojemiani Bojorum quondam patriam inhabitemus, *Bojemos*, ſive *Bohemos*, nominârunt. Aliàs defactò Germani & Saxones, omnes illos, qui in Luſatia, Marchia Brandeburgici, Pomerania, & aliqua parte Mechelburgi, Slavicè loquuntur, non *Wandalos*; ſed *Wendos*, *Wenden*, id eſt, *Wenedos* hodiéque appellant. Accedit: Wandalorum nomina, ùt *Genſericus*, *Hunricus*, *Hildericus*, *Guntabundus*, *Traſimundus*, *Wiſumar*, *Winithar* &c. eſſe omninò Tevtonica, uti ex etymo cujusque clarè patet, & Germanus quiſque facilè intelligit: à Slavicis, *Przibiſlai*, *Wratiſlai*, *Borzivogi*, *Przemiſli*, *Bohobudi*, *Spitihnevi*, *Samomiri*, *Mſtidrugi*, longè diverſa. Manet proinde, *Slavos Wandalos non eſſe*.

Jrenic: Germ: exegeſ. l. 1. c. 33. VVendi ſunt Sarmatæ ſeu Slavi: VVandali, Germani, Tvyſconis propenies.

Eâdem ratione refellitur illorum ſententia, qui *Slavos ex Javan filio Japhet, per Heliſam procreatos* eſſe dicunt. Nam graviſſimorum æquè ac vetuſtiſſimorum Scriptorum authoritate, & quod majus eſt, etiam Sacræ Scripturæ teſtimonio, certum eſt, Javanum, & filium ejus Heliſam, conditores ſeu progenitores eſſe Græcorum. Ita Angelus apud Danielem, everſorem Regni Perſici, nempè Alexandrum Magnum, ſub figura *Hirci cornuti*, expreſsè nominat *Melech Javan*, id eſt, (ut Latina verſio habet) *Regem Græcorum*; ſicut & alibi apud eundem nominatur, *Hariſchon Javan*, id eſt, *Princeps*

Mech. in Sarmat. Aſiana l. 1. c. 12. Javan pater Græcorũ, non Slavorum: *Daniel. cap. 8. cap. 10. 11.*

ceps

Iſa. 66. Ezech. 23. Joël. 3. Zachar. 9. 1. Mach. 1. 6. & 8. 2. Mach. 4. & 11. Joſeph. Ant. Jud. lib. 1. c. 7. Unde Græci, *Helleni* dicti, ab Heliſa filio Japheti:

ceps Græcorum: alibi iterum: *Malchut Javan*, id eſt, *Regnum Græcorum.* Similiter, apud Iſaiam, Ezechielem, Joëlem, Zachariam, & in libris Machabæorum, quotiescunque mentio fit Græciæ, alio non exprimitur nomine, niſi *Javan.* Et huc facit illud Joſephi Flavij: *à Javane Jonia, totúmq; Græcorum genus.*

Porrò ſicut Hebræi *Græciam & Græcos*, à Javano *Javan* nominant, ità ipſimet etiam Græci ab *Heliſa* Javani filio, proprio ſuo idiomate ſeſe *Hellenos* appellant: (Græcia namque apud illos eſt ἑλλάς: *Græcus* in ſubſt. ἕλλην: *Græcus* in adject. ἑλληνικός: *Græcè*, ἑλληνιςί: *Græciſſo*, ἑλληνίζω.) tametſi, quis ille, & unde fuerit, ignorent. Nec mirum, ſiquidem primò ſub Nino, Jovis Beli filio, Saturni ſeu Nymbroti primi Babiloniæ Regis nepote, qui an. 249. poſt diluvium imperare cæpit, Annales ſuos exordiuntur, ignari penitùs, qui primi fuerint in orbe Reges, qui populorum conditores, quæ res aureo illo ſeculo ante Ninum geſtæ. Quinimò etiam ea, quæ de temporibus, à Nino usque ad primam Olympiadem ſcripſerunt, opinionibus ſuis duntaxat inhærentes ſcripſerunt, & idcirco facilè ſibi invicem contradixerunt, nihil certi afferentes; ità ùt dubia valdè ſit omnis illa vetus Græca Hiſtoria de Temporibus & rebus; prout id ſagaciter animadverterunt jam pridem, Joſephus lib. 1. contra Appionem, & Euſebius de Temporibus primæ Olympiadis, Lactantius in primo libro Inſtitut. Divinar. cap. 15. & alij. Et habemus manifeſtum exemplum in Thucydide, qui nomen Græciæ *Helladis, ab Hellene* Devcalionis filio deducit: id quod etiam alij, quàm plurimi, & Græcanici Scriptores ferè omnes, quaſi pro certiſſimo tenent, quod tamen falſum eſſe oſtenditur. Nam Devcalion Rex apud Theſſalos vixiſſe perhibetur, à diluvio circa an. 700. Græcia autem, *Hellas*, ſeu *Regio Hellinica* fuit dicta, citiùs annis quadringentis & quinquaginta: ita teſtatur Xenophon vetuſtiſſimus Scriptor in Æquivocis, ubi de Phoroneo antiquiſſimo Rege Græciæ, qui initio regiminis Nini vixerat, agit, verba ipſius ſunt: *Phoronei plures, ſed in pretio habiti duo; antiquiſſimus claruit primo anno Nini, in parte Hellinica, quæ pòſt, Græcia dicebatur.* Quid poteſt dici clariùs? Non igitur ab Hellene Devcalionide; ſed longè citiùs, ab *Heliſa*, nempè Japheti filio, *Græci*, ùt ortum, ità nomen acceperunt. Quo ſuppoſito, tanquam jam indubitato, audebitnè tamen quiſpiam aſſerere, eandem prorsùs originem Slavorum eſſe, & nominatim *Czechum & Lechum binos fratres, Javani nepotes, de fæmore Heliſæ deſcendere?* Hunc ego infra omnes Hiſtoricos pono.

Diodor. Sicul. lib. 3. Xenoph. in Æquiv. Thucyd. belli Peloponnes. l. 1. Error circa hoc quorundam corrigitur. *Solinus in Collectan. Xenoph. in ſecundo Æquiv.*

Crom. lib. 1. cap. 2. Ridicula conjectura aliquorum, ideóque nulla. *Catullus.*

Illud autem penitùs tolerari non poteſt, quòd nonnulli, apud Cromerum, pro ſtabilienda ſua ſententia adſtruunt, dum exinde etiam Slavorum genus à Javano probare volunt, quòd plurimi ex natione illa *Iwanowe*, ſeu *Janowe* nominentur. Papæ! quaſi inter alias nationes, non eſſet hujusce nominis, multò frequentior uſus? *Hic riſum tenete Amici:* aut quid ridere vetat, in tam ridicula materia; *Ridete; quidquid eſt domi cachinnorum.* Nomen hoc à Slavis obſervari, ſicut & alia è Divorum Albo peti cæperunt, primùm, quando Slavi Chriſtianâ religione imbuti fuerunt: uti habemus exemplum in *B. Ivano*, *Geſtimuli* primi Croatarum & Dalmatarum Regis Chriſtiani filio. Antea vel Majorum ſuorum tantùm, præcipuè de Nobilitate orti, vel ab aliquo egregio facto, vel quomodocúnq; ex re nata, ſuæq; linguæ propria, ſibi imponebant; uti *Premyſl*, *Piaſtus*, *Slavibor*, *Sventobog*, *Slawnik*, *Ctibor*, *Slavata*; potiſſimùm verò deſinentia in *Slaw*, ùt *Radiſlaw*, *Dobroslaw*, *Sventoslaw &c.* Nec unum mihi invenies in tota antiquitate, qui priùs hoc nomine *Iwan*, vel *Ján*, vel *Januſſ*, vel *Janko* inſignitus fuiſſet.

Qui à Riphath oriri Slavos dicunt,

Illi verò, qui originem Slavonicæ gentis à *Riphath*, filio Gomeri natu ſecundò deducunt, hoc potiſſimùm argumento uſi, quòd in illa parte Septentrionis, quam olim Sarmatæ, & *Sarmatarum gens maxima Heneti*, ſeu *Venedi*, *Majores Slavorum*, nunc verò *Moſchi* Sarmatarum quoque progenies inhabitant, extant montes Rhiphæi, haud dubiè à *Riphath* ſic dicti; ſicut & gens tota, antequàm Sarmatarum, Henetorum, Volgarorum, Slavorum invaluiſſet nomen: faciliùs id aſſerunt, quàm probent. Tametſi enim

Digitized by Google

enim in teſtimonium adducant Plinium, Pomponium Melam, Solinum, Ptolemæum, Lucanum, Cælium, Strabonem & alios, qui montium illorum frequentiſſimam mentionem faciunt; & Plinius inſuper, ſicut & Ptolemæus, & Mela, ſitum loci nominant, ubi extant, dum ex illis *Tanaim* flumen famoſiſſimum, qui Aſiam ab Evropa dividit, *Volgam* item ſeu *Rham*, *Boryſthenem* ſeu *Dnieper*, & *Turuntum*, vulgò *Dzvinam* prodire affirmant: non poſſum tamen non habere ſuſpectam illorum fidem, hac in parte ſaltèm. Nam exploratione certiſſimâ conſtat, in eo Sarmatiæ tractu, ubi oriuntur illa flumina, nullos extare montes, ſed cænoſa tantùm nemora & paludes, ex quibus prodeunt: teſtantur id, qui viderunt. Ita *Matthias Miechow. Canonicus Cracov. & Medicinæ Doctor*, vir in antiquitatis notitia, & rerum quoque experientia inſignis; qui in Tractatu de duabus *Sarmatijs, Aſiana & Europæa* conſcripto, & *Stanislao Turſoni Epiſcopo Olomuc.* dedicato, inter alia ſic habet: *Accipe quartò; quòd montes Riphæi & Hyperborei non ſunt in rerum natura; non in Scythia, non in Moskovia, neque uſquam locorum; & cùm ferè omnes Coſmographi aſſerant, Tanaim, Edel ſeu Wolgam, Dzvinam, & magnos fluvios ex prædictis montibus effluere; conficta confictè, & potiùs fabuloſa inexperti ſcripsère. Fluit Tanais, Wolga, & maxima flumina ex Moskovia, de terra plana, cænoſa & nemoroſa, nullis montibus obſita: prout de Moskovia, cùm perventum fuerit, dicam, ſi Deus annuerit.* Mòxque addit: *Reverendiſſime Domine Præſul, hic eſt baratrum profundiſſimum, propter clariſſimos Scriptores, montes Riphæos & Hyperboreos ponentes: à quorum contradictione, tua ampliſſima Dignitas, me tueatur & defendat, pro omnibus argutis rationibus, experientiam rerum apponendo; ut qui non credit, videat & experiatur, quòd ita eſt, quemadmodum dixi.* Idem memorat infra: *Et ſcias quia tria hæc magna Flumina propè ſe invicem oriuntur: Dnieper, Dzvina, & Volga, in locis planis, nemoroſis & paluſtribus, non ex montibus Hyperboreis, nec Riphæis, nec alijs, qui in natura ibi minimè ſunt: duntaxat figmento olim Græcorum, tanquam in rei veritate exiſterent, glorioſè & ampulloſè prædicati ſunt.* Et iterum de Tanai: *Tanais nominatiſſimus fluvius, à Tartaris & Moskovitis Don nuncupatus, fontes & originem habet in Moskovia, propè in Ducatu Rhezenſi; conſurgit de terra plana, ſterili, limoſa, paludinoſa & nemoroſa.* Et paulò poſt: *Nec piget repetere, quod ſupra dixi, alia magna flumina ex Moskovia eſſe orta, videlicet Dzvina, Wolga & Dnieper ſeu Boryſthenes. Et cum Moskovia ſit regio plana, non montoſa, prædicta flumina in diſtantia non valdè longingua à ſe invicem, ex terra plana, nemoroſa & paludinoſa oriuntur. Accipiat itaq; P.T. & contra omnes adverſantes tueatur & dicat, quòd prælibata flumina non de montibus, nec de radicibus montium, quoniam ibi montes ſunt nulli, oriuntur & fluunt. Accipe ſecundò, quòd montes Hyperborei & Riphæi, de quibus emanâſſe illa flumina ab aliquibus fabuloſè ſcripta ſunt, nec in Moskovia, neque in alijs partibus Septentrionis ſunt: rectèq; dicetur conficta fore, & nuſquam exiſtere; niſi forte in libro ſcripti, aut picti, & non in terra reperiri affirmarentur.* Ita ille. Herodotus quoque ex antiquis, & ex recentioribus non pauci teſtes oculati affirmant, oriri Tanaim, non in Rhiphæis jugis, quæ in Sarmatia nullibi reperiuntur; ſed in ſylvæ cujuſdam lacu, quem **Iwanowo Gezero**/ non longè à Tulla oppido: unde etiam *Scat* amnis versùs Occidentem fluens, naſcitur. Additque Herodotus: *de Hyperboreis autem hominibus, neque Scythæ quippiam, neque alij illic incolentium memorant.* Ex quo patet; fabuloſa eſſe omnia, quidquid Feſtus, Diodorus, Cœlius, Mela, Pythæas Maſſilienſis, & alij de montibus Hyperboreis & Rhiphæis ſcripsère: quos idcirco juremeritò explodit Strabo in Geographia lib. 7. ac conſequenter illos, qui Slavorum genus à Rhiphath deductum volunt, intentionem ſuam non probare, clarum eſt.

Plin. l. 4. c. 12. l. 6 c. 13. Ptol. l. 5. c. 9. Lucan. lib. 3.

Sententia illorum refellitur.

Michow. lib. de Sarmat. Aſian. tract. 1. c. 5. l. de Sarmat. Evrop. tract. 1. c. 3. & tract. 2. cap. 2. Surius in Comment. rer. ad an. 1501.

Riphæi montes an ſint in rerum natura, oſtenditur.

Herodot. lib. 4. Math. Moſcovius in Sarmat. Herberſt. in Moſcov. Gragnin. in Moſcov. Chytr. in Chronol. Hiſt. Herodoti.

Fabuloſa de Rhiphæis mõtibus.

Hic autem, ſi uſpiam meliùs, animadvertere poſſumus, quomodo Romani Scriptores in hujuſmodi remotioribus locis deſcribendis, ſæpè tantùm vulgi famam attendentes, dubia pro certis, ac incomperta pro compertis tradiderint: Græci verò opinionibus ſuis inhærentes, & *doctas fabulas ſequuti*, pleraque, ùt libuit, confinxerunt; prout hoc ipſum jam dudum notàrunt, præter Joſephum & Euſebium, quos ſupra nominavi,

apud Geſnerum in Onomaſt. ſub l. Hyperborei.

Antiquorum Scriptorum de locis remotioribus mira figmenta, &

Digitized by Google

Græcorum præcipuè, Miech. l. 2. in Sarm. Europ. cap. ult. Gvagnin. in Moſcov.

nominavi, etiam Cato in originibus, & Juvenalis in Satyra clamans: *& quidquid Græcia mendax audet in hiſtoria.* Et poſito etiam, quòd alicubi in Sarmatia Europæa, vel Aſiatica eſſent illi montes, Rhiphæi dicti: ſive in *Jura*, ſive *Petzora* regionibus mari glaciali proximis, ubi aſperrimos montes eſſe perhibent, ab indigenis Ruſſis **Ziemnoi Pojas** / id eſt, *cingulum terræ* appellatos: quâ tamen ratione, quâve authoritate poſſet quis certò affirmare, quòd à Riphath Gomeri filio, & non ab aliqua re alia, ità denominati ſint? Nec puto, quòd ullus Scriptorum ante Græcos mentionem hujus nominis faciat, ideòque illos eſſe ipſius Authores primos, facilè mihi perſvaſerim: qui in deſcriptione Septentrionalium partium, cùm inter cætera, etiam montium, quos ibidem locorum ingentes & vaſtiſſimos eſſe non dubitabant, meminiſſe vellent, & propria nomina, quibus ab incolis appellarentur, ignorarent, confinxerunt ſibimet ipſi nova, talia tamen, quæ rebus convenirent ſuis. Atque ità ſicut alios *Hyperboreos*, quòd ſupra Boreæ flatum ſiti eſſe crederentur, ità alios *Rhyphæos*, vel potiùs *Rhipeos* ἀπὸ τῆς ῥιπάδος, *à flatuum vi*, ùt reor, nominârunt. Idem mecum ſentit, Geſnerus in Onomaſtico. *Riphath* Gomeri filius: non poterat ipſis eſſe notus, utpote & hominum, qui fuerant, & rerum quæ acciderant, ante Nini tempora, ùt jam ſupra oſtendi, penitùs ignaris. Eodem modo, indiderunt nomina populis ibidem degentibus pro ſuo arbitrio, vel prout de vita & moribus illorum, ſive aliquâ relatione certâ, ſive tantùm vulgi famâ, quæ ſæpè eſt vana, didicerunt: & alios ab uſu plauſtrorum, *Hamaxobitas;* alios *Hippomolgos*, equarum mulſores; alios *Galactophagos*, lacte veſcentes; alios *Nomades*, vagabundos; alios à locis, quæ accolebant: *Tanaitas* à Tanai; *Boryſthenidas*, à Boryſthene; *Tyrigetas*, à Tyra fluminibus; *Coraxinos*, à Coraxi monte, qui Colchidem à Septentrione claudit: &c. appellârunt.

Geſner. in Onomaſt. propr. nominum l. Rhiphæi.

in confingẽdis nominibus.

Curæus in Annal. Sileſ. pag 5. Melanth. in Chron. Carion. lib. 1. Dreſſer. in Iſag. Hiſt. part. 1.

Conjecturæ probabilior.

Ptolem. in Geograph: l. 2.

Poſſet etiam origo nominis Rhiphæorum montium haud ineptè derivari, ab Hebræo *Rhiphat*, quod interpretatur *Gigas;* ùt vult Curæus, Dreſſerus & alij. Igitur *montes Rhiphæi*, erunt *montes Giganthei.* Quid ſi, illi ipſi, qui Bohemiam à Sileſia diſterminant, quos *Gigantheos montes*, Geographi & Chorographi recentiores omnes **das Rieſengebürg**/vel **Riſen-Gebürg** appellant; licèt vulgò **Krkonoſſe**/vel **Krkonoſſké Hory** / prout etiam à Ptolemæo ijſdem verbis, Κερκονόσσοι ὄροι, nominentur? quam conjecturam alijs diſcutiendam relinquo.

Unum mihi adhuc occurrit: ex eo, quòd Græci à flatuum vi, *Rhiphæos* montes vocent, poſſe nos pari ratione, illam partem *Hercyniæ Sylvæ*, quæ olim Marcomanos à Nariſcis, nunc Bohemos à Bavaris & Francis disjungit, & quam Ptolemæus *Gabretam Sylvam* (fortaſſe à Germanico **die hohe Breite** / quod eſt, *montana planicies*, qualis ab ea parte versùs Palatinatum Bavariæ reperitur) nominat, Rhipæam dicere, cùm æquè conſtet illam continuis penè agitari ventis. Unde etiam ab hac agitatione ventorum, noſtri homines eam idiotiſmo vernacula, **Sſumawam** cognominant. Sed hæc παρέργως: ad propoſitum redeamus.

Nec Aſarmoveth Semi atnepos fuit Ŝlavorum Originarius:

apud Cromer. l. 1. c. 12. Joan. Viterb. in Comment. ſupra Beroſ. Andr. Cellar. Gymnaſij Horn. in Holand. Rector, in Deſcrip. Regn. Polon. ad init.

oſtenditur id, & probatur,

Præter hos, quos jam recenſuimus, ſunt nonnulli, qui ab *Aſarmote* (hunc Moyſes, Aſarmoveth: Joſephus, Azermethem vocant) filio Jectan, nepote *Heberi* (à quo Abraham & Hebræi) *de progenie Semi*, nomen & originem Sarmatarum, & per Sarmatas Slavorum deducere contendunt. Et hoc quidem poſtremum, ex Sarmatis prodijſſe Slavos, pro indubitato habetur ab omnibus: at primum nullâ ratione admitti poteſt.

Quippe manifeſtum eſt, & apertè liquet ex Scriptura Sacra Veteris legis, ad quod etiam accedit omnium Hiſtoricorum, omnium SS. Patrum, imò & Hebræorum ſeu Thalmudiſtarum conſentiens opinio, *Semum* ejùsque filios, non alibi, ſed in ea Syriæ parte, quæ Orientem ſpectat, primùm conſediſſe; ibique excreviſſe in Gentem magnam, quæ ſucceſſu temporis implevit habitatoribus totam majorem Aſiam, & ultra Gangem, etiam Indiam. Sacer textus expreſsè habet de poſteris Semi: *& facta eſt habitatio eorum, de Meſſa pergentibus uſque Sephar, montem Orientalem.* Joſephus

in

in Antiquit. *Semæ verò tertio Noë filio, filij fuerunt quinque, qui Aſiam uſque ad Indicum Oceanum incoluerunt; ab Euphrate propagandæ ditionis initio facto. Nam Elymus poſteros reliquit Elymeos; à quibus Perſæ originem traxerunt &c.* Et infra de Jectani filijs; *Hi à Cophene fluvio Indiæ, & pertinentem ad eum Syriæ partem quandam, habitant.* Phylo autem Hebr. de Noë, quem Beroſus Noam, & ſubinde Janum nominat, refert: *quòd cum tribus filijs, & multis colonijs in Pontum venerit, & ratibus circumluſtravit omne mare Mediterraneum, oſtendens primò Sem, littus omne Aſiaticum, à Tanai per Boſphorum, uſq; ad Nilum Ægypti; Cameſi ſeu Chamo, à Nilo littus Aphricæ, uſq; in anguſtias Oceani & Gadium: Japheto autem omne littus Europæ, à Gadibus uſq; Tanaim: & quod tum ſtatim ſingulis provincijs circa littus dimiſerit primas colonias.* Unde ab *Elam* ſive *Elymo*, ùt jam ex Joſepho audivimus, filio Semi, *Perſæ*: (quotieſcunq; enim in Prophetis legitur *Elam*, *Perſæ* intelliguntur:) ab *Aram* fratre Elam, *Aramæi*, poſtea à Græcis dicti *Syri*: ab *Aſſuro* fratre Aram *Aſſyrij*: ab *Arphachſad* fratre Aſſuri, *Chaldæi*; ab *Hebero* nepote Arphachſadi, *Hebræi*: ab *Hevila* nepote Heberi ex filio Jectan, *Indi*; prout exinde patet, quod in Geneſi 2. ubi dicitur Phiſon ſeu Ganges fluere, *& circuire omnem terram Hevilath, in qua naſcitur aurum, & aurum terræ ipſius optimum; in qua etiam invenitur Bdellium, & lapis Onychinus;* communiter id intelligatur, & ſic etiam intelligi debet, de *India*. Non igitur Sarmatarum, non Slavorum, nec ullius Europæ gentis; ſed alicujus Orientalis vel Indici populi, eſt Originarius major, ſeu pater, *Aſarmoveth*.

Geneſ. cap. 10 ad fin. Joſeph. l. 1. c. 7. Phylo de multipl. humano gen. & alij apud Viterb. cit.

quòd potiùs alicujus Orientalis gentis Author fuerit.

Refutatis hunc in modum aliorum ſententijs, ſupereſt, ut conjecturam meam, & quid hac in parte pro magis veroſimili habendum cenſeam, paucis expromam. Dixi ſuprà, refellere aliorum dicta, facilè eſſe, ſtatuere autem de proprio ſenſu tale aliquid, quod ab omnibus probari valeat, non item: præſertim in Originibus Gentium, quæ ſicut remotiſſimæ ſunt, ita & obſcuriſſimæ incertiſſimæque, ùt jam vidimus, nec niſi opinionibus indagantur; adeò ut aliquando non minus Divinum videri poſſit præterita ſcribere, quàm cecinisse futura. Dicam tamen, quid ſentiam.

In rebus antiquis pro certo aliquid aſſerere, difficile. Moſoch conditor Moſchorum,

Inter alios Japheti filios, Scriptura Sacra nominat ordine ſextum *Moſoch*, quem Beroſus expreſsè dicit condidiſſe *Gentem Moſchorum*; ſic namque ſcribit lib. 5. *Eâdem tempeſtate* (nempe anno à Salute humani generis ab aquis, centeſimo ſeptuageſimo ſexto) *Saturnus Rex Babiloniæ* (hic erat Nemrod Rex primus) *miſit Principes Coloniarum, Aſſyrium, Medum, Moſcum & Magogum: qui Regna condiderunt, Aſſyrium, Medum & Magogum in Aſia, Moſcos verò in Aſia ſimul & Europa.* Erat autem *Beroſus*, ùt jam ante aliquid inſinuavi, Sacerdos Chaldæus patriâ Babylonicus, Notarius & Scriba publicus (nam *penes Sacerdotes ſolos, erat apud Chaldæos & Ægyptios, publica Annalium fides, ſicut & temporum geſta & Regum;* ùt Author eſt Metaſthenes in libro de Judicijs temporum) qui omnem Chaldaicam hiſtoriam digeſſit ex antiquorum Annalibus, & tanquàm publicæ fidei notarius, tranſcripſit omnia tempora & antiquitates: in quibus non diluvij tantùm univerſalis meminit, ſed Noëmum quoque, ſeu Noam & filios ejus, & arcam, & locum, & tempus nominat. Clarè etiam dicit, cauſam diluvij fuiſſe, quia ab infami vita Gigantum provocata fuit cœleſtium ira: *hi*, inquit de Gigantibus, *vaſtitate corporis ac robore confiſi, inventis armis omnes opprimebant, libidinique inſervientes invenerunt papiliones & inſtrumenta muſica, & omnes delicias: manducabant homines, & procurabant abortus, in eduliùmque præparabant, & commiſcebantur matribus, filiabus, ſororibus, & maſculis & brutis, & nihil erat ſceleris, quod non admitterent, contemptores religionis & Deorum.* Quod prorſus concordat, cum ijs, quæ Moyſes refert, dum aſſerit; *Gigantes fuiſſe potentes viribus & famoſos*, ſcilicet vitæ quàm maximè infamis ſupradictis ſceleribus, *& accepiſſe Uxores, quas eligerent*, ſive matres ſive ſorores; *omnémque carnem corrupiſſe viam ſuam*, ſcilicet Sodomiâ & brutalitate.

Beroſus de regib. Babyl. l. 5. Beroſo teſte,

cujus Authoritas oſtenditur. *Metaſth. de jud. temp. ad init.*

Ejus ſcripta de Diluvio,

Beroſ. lib. 1. conveniunt cum Moyſe;

Nec tantùm in his, ſed pluribus alijs convenit cum Moyſe, idem *Beroſus*: ac propterea tanquam fideliſſimo, & præ cæteris omnibus Scriptoribus, ùt ætate ſuperiori autho-

Sicuti & alia; ac propterea fide dignus, præ cæteris Antiquis.

Digitized by Google

authoritatéque majori, ſic veritate probato magis, & fide certiori, hactenus ſemper fides habebatur à plerisque, (eſtò aliqui ipſum reprobent, & fabuloſum putent, uti fit, quòd *nemo omnibus ſit bonus*,) ab ipſis etiam Ægyptijs; unde *Manethon Sacerdos Ægyptius*, in tantùm laudat ipſum, ut *non probatum modò, ſed probatiſſimum inter omnes Chaldæos hiſtoricos eſſe affirmet*. Non minùs & *Joſephus Flavius* illum deprædicat. Floruit autem ante tempora Alexandri Magni, ùt exinde patet, quòd *Mataſthenes Sacerdos quòque Perſa*, florens in principio Monarchiæ Alexandri, ipſum ſequutus ſit, in continuatione temporum Monarchiæ Aſſyriorum. Docuit etiam Athenis diſciplinas Chaldæas, præcipuè Aſtrologiam, cujus peritiſſimus habebatur, adeò, ut propter admirandam prædicendi futura ſcientiam, Athenienſes in publico Gymnaſio, ei ſtatuam poſuerint linguâ inauratâ.

Maneth. in ſupplem. de Reg. Ægypt. *Joſeph. in Antiqu. Jud. l. 1. c. 4. & 8. lib. 1. contra Apion.* *Plin. l. 7. c. 37.*

Hæc de Beroſo commemoranda neceſſariò duxi: ut quisque ſciat, me non alicujus Græci, aut Luciani fabulas ſomniantis, ſed *Scriptoris Chaldæi, Sacerdotis, Notarÿ publici*, quibus ſemper publica fides data fuit, authoritatem ſequi. Quantùm porrò fidei tribuebant Veteres Chaldæis, multò utique plùs, quàm Græcis, teſtis eſt acerrimus aliàs Græcanicæ partis defenſor, Diodorus Siculus, qui inter priſcos Græcos, & Chaldæos hanc differentiam facit: quòd Græci ſuis opinionibus freti, fabulas nugàsque & errores ſeminaverunt, Chaldæi autem firmam & ſolidam, verâmque doctrinam tradiderunt. Verba ipſius ſunt: *Chaldæi Babyloniorum antiquiſſimi fuère, qui eum locum in ſua Rep. obtinuerunt, quem Sacerdotes in Ægypto: ad cultum enim Dei deputati, per omnem vitam ſuam Philoſophantur; peritiſſimi Aſtrologiæ habiti.* Et paulò poſt: *non enim quemadmodùm Græci omnium doctrinam ſuſcipiunt, ſed pueri à patribus progeniem ſequuti, diſcunt Philoſophiam, omnium aliarum rerum curâ poſthabitâ, doctiſſimique evadunt; tum quia à teneris annis in ea doctrina erudiuntur, tum præcipuè, quia diutiùs in illa perſeverant. Apud Græcos autem ſuâ ſponte varijs ſtudijs incumbunt, & lucri gratiâ novis ſemper opinionibus ſtudentes, déque maximis diſciplinis altercantes, incertos diſcipulos reddunt, animúmq; hominum per omnem vitam errare compellunt, & nullâ in eis certâ ſententiâ, dubium & in confuſo relinquunt.* Hæc Diodorus. ſed ad rem.

Diodor. lib. 3.

Chaldæi Scriptores, præ Græcis, fide digniores.

Beroſo igitur affirmante, *Moſoch eſt conditor Moſchorum.* Quod idem ſentit Joſephus Flavius lib. 1. Antiquit. ubi *Meſchinos à Meſcho* Japheti filio ità appellatos dicit. Certum autem eſt, *Moſchos & Slavos* ejusdem eſſe gentis & idiomatis. Non minùs itàque certum erit, *Moſchos & Slavos*, & omnes quotquot ſeſe ad Slavos referunt, eodèmque idiomate, licèt accentibus & prolatione verborum nonnihil diverſo, loquuntur; quales ſunt *Bohemi, Moravi, Poloni, Croatæ, Dalmatæ, Bulgari, Boſnæ, Carnÿ, Servÿ, Iſtrÿ, Raſcÿ, Moldavi, Ruſſi, Circaſſÿ, Maſovitæ, Caſſubÿ, Pomerani, Luſatÿ*, & ſexaginta ſex alij, longè latéque per Europam & Aſiam, circa Pontum Euxinum, & mare Caſpium habitantes populi, unius ejusdémque eſſe originis; ac conſequenter, ſicut Moſchorum, ità Slavorum ac cæterorum omnium Slavonici nominis gentium, Patrem & Conditorem eſſe *Moſoch.*

Joſ. lib. 1. antiquit. cap. 7. Moſchi & Slavi eadem gens.

Prima argumenti pars, ſeu propoſitio innititur authoritate Veterum, quos nominavi, Beroſi & Joſephi; & confirmatur magis etiam aliorum, ac penè omnium melioris notæ Scriptorum, ſicut & Sacræ Paginæ interpretum, unanimi conſenſu: quos falſitatis arguere, temerarium eſſet nimis, & vix non impium. Altera verò, per ſe tam certa eſt, ut probatione non indigeat, id linguæ Slavonicæ & Moſcicæ, ſeu ùt nunc vocamus, Moskoviticæ ſimilitudo, & proxima cognatio, manifeſtum facit: id quòque probatiſſimi Authores, & omnes omninò quotquot de Bohemis, Polonis, Ruſſis, Moſcis, Venedis ſeu Vendis, & alijs Slavonicæ originis gentibus ſcribunt, profitentur, & tanquam certiſſimo certius affirmant; id denique ipſimet Slavonici populi, *Bohemi, Moravi, Croatæ, Poloni, Ruſſi, Moſci, Pietiborcÿ ſeu Circaſſi &c.* palàm oſtendunt, dum ſeſe invicem fratrum locò, ùt ὁμογλώττους agnoſcunt, ſibique præ alijs, qui ἑτερογλώττοι ſunt, magis afficiuntur, & ſociabiliùs adhærent. Omnia proinde hæc talia

Ergo, uti Moſchorum ità Slavorum erit unus idémque conditor, Moſoch.

lia ſunt, ut apud omnes ſanos rerúmque peritos, tanquam notoria, facilè mereantur fidem, & ad demonſtrandum, quòd Moſcorum & Slavorum una eadémque ſit origo, unus idémque Pater, *Moſoch*, plusquàm ſatis valeant. Nihilominùs pro meliori intelligentia, & faciliori ab omnibus captu, id paulò fuſiùs deducere & explicare neceſſe video, ex quo etiam Sententiæ noſtræ major accedat claritas & pondus.

quod fuſiùs demonſtrabitur.

Ex dictis Beroſi haud obſcurè conjicitur, *Moſochum* unum ex Principibus Coloniarum miſſum à Nemrodo, primò cum ſuis ſubſtitiſſe in Aſia, gentémque condidiſſe, à ſuo nomine indigitatam *Moſcos*. Tametſi autem non exprimat locum, ubi id accidiſſet, credibile tamen eſt, id quod etiam Joſephus quaſi pro certo tenet, illum Euphratem tranſijſſe, & primam ſtationem ſuam fixiſſe ad Pontum Euxinum, in ea terrarum parte, quæ poſterioribus ſeculis *Leucoſyria*, alio nomine *Cappadocia* dicta fuit. Verba Joſephi ſunt, ubi de Japheti filijs, qualem quis eorum gentem condidiſſet, agit: *Cappadocum enim appellatio nova eſt, veteris autem veſtigium adhuc ſupereſt: urbs enim eſt apud eos hodie quoque* Mazaca, *ſatis indicans intelligere volenti, hoc priſcum fuiſſe genti nomen.*

Joſeph. l.1. Antiqu. cap. 7. *Naucler. in Chronog. part. 1. generat. 11.*

Prima Moſochi colonia,

Prima igitur ſedes *Moſochi* fuit ad Pontum Euxinum, ubi non tantùm ſuos, quos adduxerat, & qui ſenſim excreverant in gentem magnam, à nomine ſuo *Moſchos*, verùm etiam Urbem, ſub quodam monte, à Græcis poſtea Argæus dicto, conditam, *Moſacham*, ſeu ùt nominant Joſephus, & Strabo *Mazacam*, appellavit. Præter Beroſum, Joſephum & Strabonem, mentionem frequentem faciunt hujus gentis, etiam ex alijs antiquis Scriptoribus non pauci: Herodotus, Xenophon, Apollonius Rhodius, Pomponius Mela, Solinus, Plinius, Ptolemæus, Ammianus Marcellinus, Valerius Flaccus &c. & aliqui eodem prorſus nomine *Moſchos*, alij immutato nonnihil vocabulo nominis, *Moſſynos*, alij *Moſchicos*, alij *Moſſinæcos* appellant; omnes tamen in eo, quòd littora Euxini tenuerint, conveniunt. Herodotus inter alios Aſiaticos populos, qui ſub Xerxe in expeditione illa ingenti, adversùs Græcos ſuſcepta militabant, alios *Moſchos*, alios *Moſynæcos* nominat, & illis Ariomardum Darij filium præfuiſſe ſcribit.

Strabo lib. 12.

& Urbs Moſacha, ſeu Mazaca, poſtea génsque ab eo propagata Moſchi, ſeu Moſchici, alio nomine Moſſinæci,

Herodot. lib. 7. *Strab. l. 2. & 12.* *Plinius l. 5. c. 27. l. 6. c. 4.* *Ptolem. l. 3. c. 5. l. 5. c. 9. & 13.* *Pomp. Mela l. 1. c. 2. & 21.* *Solinus c. 20.* *Ammian. l. 22.* *Curtius l. 6.*

Similiter Urbis *Moſacæ* vel *Mazacæ*, ùt vult Joſephus, frequens mentio fit apud eosdem, & complures alios: Solinus *Mazacham* nominat, & dicit Cappadoces illam habuiſſe pro matre Urbium, quam poſtea Tyberius, devicto Rege Archelao, & Cappadociâ in Provinciæ formam redactâ, *Cæſaream* nuncupavit. Sed rursùm Julianus Apoſtata illo nomine privavit, ob eam præcisè cauſam, quòd omnes in ea Chriſtianam Religionem profiterentur, & quòd olim fanum Jovis, Urbis tum Patroni, & patrij Apollinis dirruiſſent. Hujus Civitatis *B. Baſilius Magnus*, natione etiam Cappadox, poſt interitum Juliani, vel paulò antè, Epiſcopus fuit. Fit quòque mentio ab ijsdem, montium *Moſchicorum*, quos Ptolemæus in prima & tertia Tabula Aſiæ, collocat, Pontum Euxinum inter & Euphratem, vel potiùs Cappadociam inter & Colchidem; Solinus verò Phaſim fluvium Colchorum prægrandem, & quondam, ùt memorat Plinius, pontibus centum & viginti pervium, ex ijs profluere dicit.

Ptolem. l. 5. c. 6. *Solin. c. 47.* *Plinius l. 6. c. 3.* *Sueton. in Tyberio & Nerone.* *Sozomen. lib. 5. cap. 4.* *Euſeb. Naucl. & alij.* *Solin. cit. c. 20.*

Fixis hoc modo ultra Evphratem primis ſuis ſedibus Moſchi, brevi in tantum multiplicati ſunt, ut ab una parte Occidentem versùs, totum illum tractum penes mare Euxinum, ad usque Boſphorum Thracium, quo poſt aliquot ſecula continebantur *Regna Ponti, Bithynia, Galatiæ, & Paphlagoniæ*: ab altera verò parte, Ortum æſtivum & Septentrionem versùs, tranſcenſis montibus *Moſchicis*, atque iterum alijs *Coraxicis* dictis, quos, ùt ait Plinius libro 6. Solinus cap. 20. quidam Heniocos appellant; omnes illas regiones inter Euxinum lacúmque Meotidis, & Caucaſum montem, ad Tanaim usque, & ſucceſſu temporis etiam ultra, poſt Cimmeriorum, qui erant de progenie Gomeri, in ulteriora Europæ diſceſſum, vacuas, impleverint hominibus ſuæ gentis. Et tunc ſicut in plures diversásque provincias dividi, ità etiam varijs nominibus, ùt plurimùm autem à Ducibus ſuis, appellari cœperunt: qui Septentrionalia

Succeſſu temporis valdè multiplicati: ex quibus

Srabo Geogr. lib. 11.

Herodot. lib. 4.

lia occupârunt, à Duce ſuo *Tanai*, *Tanaitæ*, unde & fluvio nomen; qui intra Moſchicos montes & Coraxim conſederunt, *Colchi*, *Iberi*, *Albani*; qui verò littora Euxini, Occidentem verſùs, tenuerunt, *Heneti* à duce quóque ſuo *Heneto* nominari voluerunt; & alij aliàs. Certum quippe eſt, multas fuiſſe appellationes apud veteres, etiàm unius ejusdémque gentis, ſed longè latéque diffuſæ, (unde illud apud Pomponium Melam; *una gens*, *multi populi*, *multáque nomina*) quas tamen Scriptores Græci, & Romani, tanquam ignotas, mirè depravârunt; ſicut inprimis hoc familiare fuiſſe videmus Julio Cæſari, & Ptolemæo.

prodierunt Heneti.

Apollon. in Argonaut. *Strabo lib. 12. Geogr.*

Henetorum meminit Apollonius Rhodius, in ſuo Argonautico, deſcribens Jaſonis, ac ipſius ſociorum, heroum Græciæ præſtantiſſimorum, ſuſceptam in Colchos, *aurei Velleris* acquirendi causâ, per Pontum Euxinum ſolennem expeditionem, (quod accidiſſe ferunt, ante Chriſtum natum an. 1220. circiter) ubi inter alios maris accolas, clarè *Henetos* nominat, quos ad littus Euxini ponit; additque, *Paphlagones* illos dictos eſſe poſterioribus temporibus, à *Paphlago* Phinei filio. Nominat itidem etiam *Moſchos*, & alio nomine *Moſchicos*, atque iterum *Moſſinæcos*; quos, ſicut & Xenophon, Strabo & alij, ad idem littus Euxini collocant, Colchisque finitimos eſſe ſcribunt.

poſtea à Græcis Paphlagones dicti: aliqui

Dares de excid. Trojæ ad init. qui tum temporis vixit. *Apollon. in Argonaut.* *Xenoph. Strabo. Solinus.* *Homer in Iliad. lit. B. ſeu lib. 2. ad fin.*

Henetorum meminit etiam Homerus, qui vixit Eſaiæ Prophetæ tempore, in ſua Iliade: ubi illos cum Rege ſuo Pylæmene, Trojanis in auxilium, adversùs Græcos veniſſe ſcribit, laudátque ab eximio robore militari; Sic enim ait: παφλαγόνων δ᾽ ἡγεῖτο πυλαιμένεος λάσιον κῆρ ἐξ ἐνετῶν; id eſt; *Paphlagonibus autem praerat Pylæmenis denſum cor ex Enetis.* Loca deinde recenſet, ubi tunc habitabant: *Qui Cytorum* (mons eſt in Paphlagonia) *tenebant*, *&* *Seſamum* (civitas eſt ibidem) *incolebant*, *circáque Parthenium fluvium* (ibidem) *inclytas domos habitabant*, *Cromnámq́; Ægialúmq́;*, *&* *altos Erythinos*. (oppida ſic nominata ibidem.) Narrat poſtea inferiùs de cæde Pylæmenis in prælio ad Trojam occiſi.

à Trojanis in auxilium vocati contra Græcos: qui *Homer. cit. lit. E. ſeu lib. 5.*

> *Tunc Pylæmenem interfecerunt parem Marti,*
> *Principem Paphlagonum magnanimorum ſcutatorum:*
> *Hunc quidem Atrides haſtâ inclytus Menelaus*
> *Stantem haſtâ vulneravit, ad clavem humeri aſſecutus.*

Trojâ excisâ, cum Antenore Italiam petierunt, ibiq; adMare Adriaticum conſederunt:

Livius decad. 1. lib. 1. ad init. *Herodot. lib. 5.* *Solinus c. 46.* *Plinius l. 3. c. 20. l. 6. c. 2.* *Strabo l. 12.* *Cornelius Nepos, Julius Capitol.* *Curtius l. 3. ad init.* *Marcellin. l. 20.*

Meminit *Henetorum* etiam Livius, quos ſeditione è Paphlagonia pulſos ſcribit, & poſt excidium Trojæ, cùm Regem quóque ſuum Pylæmenem amiſiſſent, Antenori uni ex Principibus Trojanis adhæſiſſe, & cum illo novas ſedes quæſiviſſe; veniſſe tandem in intimum maris Adriatici ſinum, ibique pulſis Evganeis veteribus incolis conſediſſe, gentémque univerſam *Venetos* appellatos. Quod idem affirmat Herodotus, Plinius, Strabo, Cornelius Nepos, Curtius, Ammianus Marcell. Julius Capitol. Curtius de Alexandri Magni expeditione adversùs Perſas ſcribens, ex itinere Paphlagoniam illum intrâſſe memorat; *huic* (inquit) *juncti erant* Eneti, *unde quidam* Venetos *trahere originem credunt*: *omnisq́; hæc origo paruit Regi, talibúsq́; obſidibus, tributum quod ne Perſis quidem tuliſſent pendere, ne cogerentur, impetraverunt.* Extat hodiéque Epitaphium Antenoris, Patavij apud Eccleſiam Divæ Juſtinæ, in antiquiſſimo lapide inſculptum his verſibus:

> *Inclitus Antenor patriam vox niſa quietam,*
> *Transtulit huc Enetum Dardanidúmq́; fugas,*
> *Expulit Evganeos, Pataviam condidit Urbem,*
> *Quem tenet, hîc humili marmore cæſa domus.*

à quibus Venetorum, Venetiarúmque nomen.

Plinius lib. 37. cap. 3.

A *Venetis* novis incolis tota etiam regio illa, quæ pér littora Sinûs Adriatici protenditur, *Venetia* nominari cæpit; & poſt aliquot centena annorum, ſumpſit idem etiam nomen, in vicino mari Adriatico condita *Urbs Venetiarum*, Domina poſtmodùm multarum gentium, Inſularum & Urbium. Nihilominùs à Græcis, Ἐνετοὶ & Ἐνετίαι, juxta prioris nominis etymon, tam gens, quàm Urbs, vocari non deſierunt.

Narrat autem Polybius, ſuo tempore ſpecialem fuiſſe linguam, in regione Venetiarum,

tiarum,

tiarum, à Latina & Italica diverſam, haud dubiè veterum adhuc Henetorum; à qua nec Janigenarum, vetuſtiſſimæ, & omninò primæ in Italia gentis multum diſcrepâſſe videtur: prout ex narratione Beroſi patet, qui inter alia, quæ de Janigenis & Italia memorat, etiam iſtud habet: *Eo tempore Italia in tribus locis arſit, multis diebus circa Iſtros, Cymeos, & Veſuvios: vocatáque ſunt à Janigenis illa loca* **Palenſana**, *id eſt, regio conflagrata.* **Palenſko** apud Henetos, hodiéque apud omnes Slavonicæ linguæ populos, propriè ac genuinè ſignificat, regionem conflagratam, à verbo **Páljm /** quod eſt *uro, comburo, concremo vel conflagro*: ideóque Janigenas veteres, eâdem cum Moſchis atque Henetis linguâ uſos fuiſſe, probabile eſt. Et fortaſſe etiam Heneti à Trojana clade ſuperſtites, hanc potiorem habuêre cauſam, quòd dubij primùm & incerti, quò ſe verterent, deinde reſcientes in Italia eſſe quoſdam linguæ ſuæ homines; illuc potiùs, quàm aliò ad quærendas novas ſedes, ſive cum Antenore (quod aliqui negant) ſive quocunque alio duce, profectionem ſuam inſtituerunt. Conjecturam hanc meam nuper oſtendi quibuſdam, in Veterum Annalium probè verſatis, & placuiſſe ſcio.

Lingua Venetorum ſeu Henetorû olim, diverſa ab Italica;
Beroſ. l 5. de Regib. Aſſyr. in VII. Rege, ad fin. Et in X. Rege.
quia Slavonica, ùt hic patet.

Ad *Henetos & Moſchos*, eorúmque populares maris Euxini, & paludis Mæotidis accolas redeo: qui tempore ſuccedente, cùm magis ac magis augerentur numero, & Auſtrum, ac Occidentem versùs protendere fines ampliùs non liceret, eò quòd jam regiones illæ, ad mare Ægeum usque, inhabitantium plenæ eſſent, à *Mæonibus, Pamphylijs, Lycaonibus, Myſis, Phrygibus, Iconijs & Æolibus* occupatæ; aliqua iterum agmina ipſorum, ulteriores Septentrionales partes, nondum ab ullo mortalium inhabitatas petierunt: ubi per vaſtiſſimas illas ſolitudines, à Tanai Wolgæque oſtijs, & à Mæotide, ad usque *Oceanum Septentrionis*, quem alibi *mare glaciale*, alibi *mare album* appellant; ab altera verò parte Occaſum versùs, ad mare usque *Sarmaticum* ſive *Balthicum*, & fluvium *Wandalum* poſtea, nunc *Viſtula* dictum, longè latéque ſeſe diffuderunt. Ex quibus nonnulli priſcum retinuêre gentis nomen, ut *Moſchi*, hodiéque validiſſima & potentiſſima natio, à quibus fortè *Amaſſobij ſeu Hamoxobij, Amaſſi, Maſovij, Maſſagetæ, Mozaiſcenſes*, nomen item caſtri vetuſtiſſimi *Moſczenek*: & *Heneti*, à quibus luxato parumper vel contracto vocabulo, *Veneti, Venedi, Vendi, Finni, Antæ, Heniochi*, nomen quóque ſinus *Venedici*, qui eſt pars maris Balthici, montium item *Venedicorum*, apud Ptolemæum, & Urbis *Vineta*.

Henetorum & Moſchorum ulterior per Septentrionalia propagatio: &
diverſa nomina:
Ptolem. Geogr. l 3. c. 5.

Alij nova aſſumpsêre nomina: ùt *Volgari, Jaxamatæ, Roxolani*, poſtea cùm aſperitas literæ X. in Ss. leniri cæpiſſet, *Roſſolani; Roſſi & Ruſſi*: *Panticapes, Georgi, Scyrhi, Baſnæ, Serbi, Wolinij, Iſſedones, &c.* quos Chaldæi, Ægyptij, Græci & Latini, uno nomine *Sarmatas* & *Sauromatas*; ſicut & vaſtiſſimum illum terrarum tractum, *Sarmatiam* vocabant; quam Ptolemæus bifariam diviſit, & quæ Aſiæ vicinior, Tanaim Volgámque inter & Caucaſios montes fuerat, *Aſiaticam;* quæ verò ultra Tanaim & Volgam, ad ſinum usque Venedicum, maréque Balthicum & Viſtulam protendebatur, *Europæam* appellavit.

inter alia Sarmatarum,
Ptolem. l 3. c. 5.
Plinius l. 3. c. 5.

Nomen *Sauromatæ* deducunt aliqui à Græco σαῦρος, quod eſt, *vipera*, & ὄμμα, *oculus*; denotare volentes eâ ſimilitudine, homines aſpectu terribiles, & quaſi viperinos oculos habentes. Alij, ab altitudine locorum, quòd exiſtimarentur illi populi habitare in regionibus altioris ſitûs, utpote Septentrionalibus, ubi terra juxta Geographos versùs Cardinem aſſurgit altiùs: & hi per vocabulum *Sauromatæ*, ducem altitudinis, ſive ducem ſuperioris regionis, intelligi volunt. Nos hæc in medio relinquemus.

Alex. Gvagn. in Deſcript. Polon.
Melanth. in Chron. l. 1.
Curæus in Annal. Sileſ. ad init.

Aliqui etiam hos, quos jam enumeravimus, *Moſochi*, poſteros, ſicut aliàs omnes Septentrionales populos, ſub *Scytharum* nomine, intellexerunt; non ſecùs ac illos, qui poſt Caucaſeos montes, intra & extra Imaum Taurúmque, vaſtiſſima quóque terrarum ſpatia inhabitabant; verè *Magogi*, qui erat frater *Moſochi*, progenies, ac veri *Scythæ.*

& Scytharum; ſed hoc impropriè:
S. Hieronym. quaſt. in Geneſ.

VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Plin. l. 4. c. 13.

Scythæ. Unde Plinius: *Scytharum* (inquit) *nomen uſquequaque tranſit in Sarmatas atque Germanos.* Ignotas & tam procul à ſe remotas gentes, proprijs nominibus nominare non potuerunt, (Strabo certè lib. 7. *latus Sarmatiæ, quod in Boream porrigitur, vel ſuæ ætati, vixit autem ſub Auguſto, non admodùm cognitum fuiſſe tradit*) ideòque vel nova ſibi pro arbitrio confinxerunt, quod Græci peregregiè ſciverunt: à quibus recenſentur *Hippomolgi, Galloctophagi, Macrocephali, Melanchlæni, Rhimoſoli, Arimaſpi, Aſcomarchi, Gynæcocratumeni* (planè monſtra nominum) vel illo, quod commune erat Septentrionalibus omnibus, nempe *Scytharum*, eas nominârunt. Animadvertit hoc Æneas Sylvius, Cromerus; ſicut etiam Curæus, qui hoc inſuper addit: *Græci quidam ignari harum rerum, non diſtinxerunt inter Henetos vel Sarmatas & Scythas: ideo narrationes de juſtitia Scytharum, & hiſtoria Zamolxis, qui fuit auditor Pithagoræ, & Scholaſticus Ægyptius, item Anacharſis, proculdubio pertinent ad Henetos.*

Æn. Sylv. in 11. parte Aſiæ cap. 18. 27. Cromer. de reb. Pol. l. 1. c. 6. Curæus ſupra cit.

Sarmatarum nomen celebre, *Herodot. l. 4. Maneth. in Supplem. Beroſ. Beroſ. l. 4. & 5.* & antiquum.

Cæterùm ex vetuſtioribus Scriptoribus omnium primò, quantùm ſcio, Sarmatarum meminerunt: Herodotus, qui ante Chriſtum an. 450. & Manethon Ægyptius, qui uno circiter ſeculo poſteriùs claruerunt. Herodotus ſcribit, *Sarmatas* habitâſſe trans flumen Tanaim, & incoluiſſe tractum illum, qui à receſſu Mæotidis paludis, protenditur Aquilonem versùs, itinere dierum quindecim: Manethon verò illos cum Celtis bellum geſſiſſe, (haud dubiè dilatandorum finium causâ) & à Galathe juniore Celtarum Rege victos memorat. Nominat quidem Sarmatas etiam Beroſus, Manethone unà fortaſſe ætate major, ſed quia illorum conditorem & Regem ponit Tvyſconem, facilè conjici poteſt, per illos velle ipſum intelligere, juxta modò dictum Plinij, Germanos, ſeu Tvyſcones, quorum Tvyſco Pater eſt. Scribit autem Manethon, Galathem juniorem apud Celtas regnâſſe, Ili Trojanorum Regis tempore, qui annis quinquaginta duobus regnavit, & circa annum ante Chriſtum 1300. regnare incepit: quod idcirco hìc adduco, ut videamus Sarmatas jam tunc tenuiſſe loca Celtis vicina.

Amazones Sarmatarum progenies; *Herod. l. 4. Diodor. Sicul. lib. 3. Plin. l. 6. c. 7. 13. Juſtin. l. 2. Curtius l. 6. Pompon. l. 3. c. 5. Procop. lib. de reb. Getic. Paulus Oſor. Hiſt. lib. 1.* Quod Juſtinus de Scythis narrat, id de Sarmatis intelligi debere, oſtenditur:

Ex eadem Sarmatarum gente, nominatim ex Tanaitis, prodierunt famoſiſſimæ illæ, & ob res præclarè ac fortiter geſtas, toto orbe terrarum celebratiſſimæ Amazones, ùt teſtantur Herodotus, Diodorus Siculus, Plinius, Juſtinus & alij: ex quibus Plinius, dum enumerat populos ad Mæotidis paludes & Tanaim habitantes, meminit inter alios *Sarmatarum Gynecocratumenorum*, additque: *unde Amazonum connubia.* Et infra expreſsè nominat, *Amazones Sauromatides.* Herodotus quòque illas ex Sauromatis prodijſſe aſſerit: Pomponius *Sauromatidas* vocat. Juſtinus quidem deducit illarum originem à Scythis, ſed ex Scythiæ deſcriptione, quam præmittit, facilè animadverti poteſt, per Scythas debere intelligi Europæos Sarmatas, circa Mæotidem ac Pontum, uſque ad oſtia Iſtri longè latèque diffuſos. Ait námque: *Darium Regem Perſarum bellum intuliſſe Lauthimo Scytharum Regi, trajectòque Iſtro* (quod benè notandum) *cum exercitu ſeptingentorum millium, Scythiam* (ubi modò ſunt Valachi, Moldavi, Podolij) *ingreſſum eſſe: Scythis verò pacatè ſeſe continentibus, nec ullo modo copiam pugnæ dare volentibus, cùm metueret inſidias, idque comprimis, ne interrupto ponte Iſtri, reditus ſibi intercluderetur, cum feſtinatione receſſiſſe, amiſſis in reditu, qui fugæ haud abſimilis erat, nonaginta millibus hominum.* Ex quo videre eſt, per Scythas hic Sarmatas intelligi; prout etiam apud Herodotum, dum Scythiam Europæam deſcribit, & Iſtrum Boryſthenèmque flumina, inter Scythica omnium maxima & huberrima ponit, gentèsque circa circum habitantes *Scythas*, & ipſam regionem *Scythiam* nominat. Etiam apud Solinum Polihiſt. lib. 4. cap. 16. 19. Curtium lib. 7. & 8. Arrianum lib. 4. & 7. Oroſium lib. 7. qui dum *Scythas* nominant, *Sarmatas* intelligi volunt.

Amazonum origo:

Sic autem narrat Juſtinus de origine Amazonum: *Apud Scythas duo regij juvenes, Plinos & Scolopythus, per factionem optimatum domo pulſi, ingentem juventutem ſecum traxêre, & in Cappadociæ ora juxta amnem Thermodoonta conſedere, ſubjectòsque Thermiſcyrios campos occupavêre. Ibi per multos annos ſpoliare finitimos conſueti, conſpiratione populorum per inſidias trucidantur. Horum uxores cùm viderent exilio*

ſuo

ſuo additam orbitatem, arma ſumpsère, finèsque ſuos ſubmoventes primò, mox inferentes bella, defendunt. Nubendi quòque finitimis animum omisère, ſervitutem non matrimonium adpellantes, ſingulare omnium ſeculorum exemplum. Auxère Rempublicam ſine viris. Tunc pace armis quæſitâ, ne gens interiret, concubitum finitimorum ineunt, ſi qui mares naſcerentur, interficiebantur: virgines in eundem ipſum morem, non otio, néque lanificio, ſed armis, equis, venationibus exercebant, inuſtis infantium dexterioribus mammis, ne ſagittarum jactus impediretur: unde Amazones dictæ ſunt. Narrat deinde ii.orum cum finitimis, ac potiſſimùm cum Græcis bella, & quomodo magnam Aſiæ partem occupaverunt: bello demum cum Athenienſibus fervente, *Orithya Regina hortatur comites ad ultionem, fruſtráque Ponti ſinum, & Aſiam domitam eſſe dicit, ſi Græcorum non tam bellis quàm rapinis pateant. Auxilium deinde à Sagillo Rege Scytharum petit: genus ſe Scytharum eſſe, cladem virorum, neceſſitatem armorum, belli cauſas oſtendit, aſſequutásque virtute, ne ſegniores viris fæminas habere Scythæ videantur. Motus ille domeſticâ gloriâ, mittit cum ingenti equitatu filium Penexagoram in auxilium: ſed ante prælium diſſenſione ortâ ab auxilijs deſertæ, bello ab Athenienſibus vincuntur. Receptaculum tamen habuère caſtra ſociorum, quorum auxilijs intactæ ab alijs gentibus, in regnum revertuntur. Poſt Orithyam Penthesilæa regno potita eſt, cujus Trojano bello inter fortiſſimos viros, cùm auxilium adversùs Græcos ferret, magnæ virtutis documenta extitère. Interfectâ demum Penthesilæa, exercitúque ejus abſumpto, paucæ quæ remanſerant, ægrè ſe adversùs finitimos defendendo, usque ad tempora Alexandri Magni duraverunt.*

virtus & heroica facta: bella cum finitimis; ſed cum Athenienſibus infeliciter; à quibus victæ fugantur.

De eadem *Penthesilæa*, vel juxta idiotiſmum Slavicum, *Pianta Slava*, ſeu Pętá Sláwa / quòd *Orithyam*, ipſiúsque ſorores *Antiopæam*, *Menalippæam & Hyppolytam*, quæ erant virgines fortiſſimæ, & per quas tunc ut plurimùm ſtabat gloria, ac omnis fortuna Amazonum, illa ſucceſſerit *Quinta*, æquè fortis ac glorioſa. Virgilius I. Æneid. mentionem ipſius facit, dum canit: *Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis, Penthesilæa furens, mediisque in millibus ardet, Aurea ſubnectens exertæ cingula mammæ, Bellatrix, audétque viris concurrere virgo.* Meminerunt ipſius etiam alij, qui de bello Trojano ſcripſerunt, & illorum temporum coævi, qui ipſam ſtrenuè pugnâſſe, Pyrrhum Achyllis filium in prælio vulnerâſſe, ab eóque ultimò occiſam referunt.

Juſtin. lib. 2. Penthesilæa Amazonum Regina Trojanis in auxilium venit. *Dictys Cretenſ. de bello Troj. cui interfuit, illúdque linguâ Phœnicum conſcripſit. Dares. Phryg. de excid. Troj. cui interfuit.*

Dares Hiſtoricus, qui per id tempus vixit, & bello Trojano ad excidium úsque Urbis, præſens adfuit, ac poſtea Antenori aliquandiu adhæſit, de Penthesilæa hæc habet. *Priamus contrà juſſit Urbem munire, ſubſiſtere usque dùm Pentesilea cum Amazonibus ſuperveniret. Pentesilea poſtea ſupervenit, exercitum contra Agamemnonem eduxit: fit prælium ingens per aliquot dies: diu pugnatur, Argivi fugantur, caſtra opprimuntur; cui vix Diomedes obſtitit, alioquin naves incendiſſet Argivorum, & univerſum prælium devaſtâſſet.* Et paulò poſt. *Pentesilea verò quotidie prodit, devaſtat Argivos, in bellum provocans &c. Pentesilea ex more prælium inſtruxit, & usque ad Argivorum caſtra proceſſit. Neoptolemus (alio nomine Pyrrhus) Myrmidonum princeps contra aciem duxit, Agamemnon exercitum inſtruit, pariter concurrunt, Neoptolemus ſtragem fecit: occurrit Pentesilea, fortiter in prælio verſatur, utrique per aliquot dies acriter pugnavèrunt, multos utrique occiderunt. Pentesilea Neoptolemum ſauciat, ille dolore accepto Amazonum ductricem Pentesileam obtruncat; eo facto, totum exercitum Trojanorum in Urbem fugere fecit, ſtatim Argivi cum omni exercitu murum circumdant, ità ut foras Trojani exire non poſſent.* Ex illo fluere, ac retro ſublapſa referri, res Trojana, sicque affligi cæpit, donec tandem ad occaſum inclinaret: quaſi antea per Penthesilæam ſtetiſſet integra.

cum Græcis ante Trojam prælio congreditur aliquoties; ultimò ſtrenuè pugnans occiditur, brevique poſt Troja capitur:

Sarmatæ igitur, qui & *Venedi, Moſochorum ac Henetorum* poſteri, occupatâ, eo modo uti diximus, Europæ haud mediocri portione, non quieverunt, ſed dum creſcentibus annis, & ipſimet numero creſcerent, neq; ampliùs ſolitudines Septentrionales ſteriles, ad alendos omnes ſufficerent, ad protendendos ulteriùs fines ſuos, quærendáſque meliores ac fertiliores terras, animos virésq; converterunt; & bifariam diviſis agminibus, pars Occidentalem plagam, pars Meridionalem petierunt. Et hi quidem for-

Sarmatarum novæ coloniæ,

Digitized by Google

fortunâ propitiâ uſi, profligatis ſemel atq; iterum Mæſis & Iſtrianis, ac poſtremò in Thraciam ejectis, omnem illam regionem, quâ nunc Podolia, Beſſarabia, Walachia, Moldavia, Tranſylvania, & pars Hungariæ inter Iſtrum & Tybiſcum flumina continentur, in poteſtatem ſuam redegerunt: Græci illos nominant, ſicut & Latini *Boryſthenidas*, itêmq; *Olbiopolitas*, *Budinos*, urbêmq; illorum primariam *Budinicam; Ciſtobocos, Getas, Tyrigetas, Tyſſagetas, Dacos, Baſtarnas, Paucinos, Jaziges Metanaſtas*, quos Oſis Pannonibus, & Quadis Germanis vicinos ponunt. Juſtinus, prout vidimus, illos jam Darij Hyſtaſpis tempore, Boreales Iſtri ripas tenuiſſe memorat: annis facilè 500. ante Chriſtum natum. Quod idem Herodotus temporis ejusdem vicinus, ſi non coævus, (ſiquidem initio belli Peloponneſiaci, tres & quinquaginta annos ætatis habuiſſe fertur) affirmat; apud quem, totam illam Darij expeditionem adversùs Tranſiſtranos populos ſuſceptam, copioſiſſimè deſcriptam legere eſt: ubi inter alios, expreſsè *Sauromatas Budinos*, *Gelonos*, *Tyſſagetas*, *Boryſthenidas enumerat*; Reges quóq; illorum *Scopaſim Sauromatarum*, *Indathyrſum* & *Taxácem* cæterorum nominat: additq; Sauromatas, quando jam Darius Iſtrum, ponte ex navibus & tabulatis confecto, trajecerat, ac reſiſtente nemine, in interiora regionis progrediebatur licenter, itá ut tandem ab Iſtro, decem & ultra dierum itinere abeſſet, id ſingulari ſtudio egiſſe, ut pontem ab Jonibus, Darij juſſu, cuſtoditum occupare, ſolvere, atq; ita reditum Dario præcludere poſſent; quem hàc ratione, veluti caveâ incluſum, jámq; etiam annonâ, ac rerum victui neceſſariarum penuriâ laborantem, tanto faciliùs, & absq; multo ſuorum ſangvine debellaturos ſeſe haud vanè conjecturabant: propèq; fuiſſe, ut intentionem aſſequerentur, niſi Jones Dario fideles, conatus illorum dolo prævertiſſent. Hic *Darius* filius Hiſtaſpis erat *maritus Eſther*, quem Hiſtoria Sacra nominat *Aſſverum*: qui reducto in Thraciam, ac inde in Græciam exercitu, nunquam deinceps ullum Sarmatis movit bellum; ſicut nec filius ipſius *Xerxes*, qui potiùs, dum illam memorabilem expeditionem, in qua decies centena millia armatorum eduxerat, ut non mirum ſit flumina tunc ab exercitu fuiſſe exſiccata, contra Græcos ſuſcepiſſet, Sarmatarum quóq; auxilijs uſus fuit; conſtat enim in exercitu ipſius, inter alias auxiliares copias, fuiſſe etiam *Moſchos & Moſynacos*, quorum Herodotus meminit, & Moſchis præfuiſſe ipſummet Xerxis fratrem *Ariomardum*, (ex quo patet Gentis dignitas) expreſsè ſcribit.

versùs partes Meridionales, ad Iſtrum usq; flumen.
Herodot. lib. 4.
Gellius noct. Attic. l. 15. c. 23.
Herod. l. 4. in med.
Darij expeditio contra Sarmatas,
Herod. cit.
Strabo in Geograph. l. 7.
haud ſine periculo ſuſcepta.
Sarmatæ ſub Xerxe militant contra Græcos.
Herod. l. 7. circa med.

Philippus deinde Macedonum Rex, Pater Alexandri M. prout erat conſilio quidem & fortitudine excellens, ſed penes vaferrimus, & ſimulandi diſſimulandique faber egregius, quem non tam vi & armis, quàm dolo & fraude bella geſſiſſe memorant; unde à Demoſthene non ſine causa πανοῦργος appellatur; ab obſidione Byzantij rejectus, ut militum animos, propter toleratos ad obſidionem labores, aliquantùm leniret, ſuóque etiam genio ad cogendas rapinas prono (rapax enim erat; ſed *inter quotidianas rapinas ſemper inops*, ùt inquit Juſtinus) ſatisfaceret, magnam & crudelem excurſionem in vicinam Sarmatiam facere conſtituit. Priùs tamen, ut incautos, nec tale quid expectantes Sarmatas eò faciliùs deciperet, religionem ſimulavit, præmiſſis ad Regem Sarmatarum *Mattheam* (alij *Etheam*) legatis, qui ei nunciarent, venire ſe religionis causâ: nempè, ut ſtatuam Herculi, quam ad obſidionem Byzantij voviſſet, poneret ad oſtium Iſtri; liberum itáque tranſitum petere. Cui ille: ſi voto fungi velit, ſtatuam ſibi mittat; ſe curaturum, non modò ut ponatur, verùm etiam ut inviolata maneat; de cætero exercitum fines ingredi negat ſe paſſurum. Interim Philippus celeritate uſus, antequàm Sarmatæ majore numero, quàm tunc congregati eſſent, ad arma concurrerent, Iſtrum trajecit: commiſsóque prælio cum illis, qui ripas adverſas tuebantur, & victoriâ fraude magis, ùt refert Juſtinus, quàm virtute obtentâ, longè latéque per regionem ſeſe effudit, obvia quæque urendo, populando & vaſtando. Magna tunc hominum multitudo partim cæſa, partim in ſervitutem abducta fuit: ſunt qui viginti millia puerorum ac fœminarum capta numerant. Ac cognito, majoris minoriſque pecoris magnam copiam, ad vicinos montes, in ea repentina hoſtium

Philippus Macedo Sarmatas
Juſtin. l. 9.
Oſor. l. 3.
prætextu religionis,
trajecto Iſtro flumine, ex improviſo adoritur,
obvia quæque populatur & vaſtat:

Digitized by Google

ſtium irruptione, abactam eſſe, ea monſtrantibus indigenis, qui capti erant, etiam illa quæſita atque reperta abegit. Poſtremò metuens, ne ſibi reditus, occupato vel interrupto à Sarmatis ponte fluminis, negaretur, multiplici prædâ jam non onuſtus tantùm, ſed expletus, ad Iſtrum properabundus revertit. Domum properanti occurrunt *Triballi*, negantes ſe tranſitum daturos, niſi portionem accipiant prædæ: hinc jurgium, & mox prælium, in quo ità Philippus in femore vulneratus eſt, ut per corpus ejus equus interficeretur, cúmque omnes occiſum putarent, fugam dederunt, prædâ Triballis relictâ. Ità ſpolia injuſtè acta Macedonibus fuêre luctuoſa.

redux domum à Triballis cæditur, amiſsâ prædâ totâ.

Juſtin. ſupra cit.

Alexandro regnante, & de Perſarum Rege Dario triumphante, *Zopyrus Ponti præfectus*, otioſum ſe ratus, ſi nihil ipſe geſſiſſet, congregato triginta millium exercitu, bellum adverſùs Sarmatas ſuſcepit; ſed ùt temerario auſu, ità funeſto exitu; nam à Sarmatis circumventus & ingenti prælio victus, dum poſtremò fugâ ſalutem quæreret, miſerè perijt, omnéſque copiæ ad internecionem deletæ, ità ut nemo ex tot millibus, qui vel cladis nuncium ad ſuos adferret, ſuperfuerit: niſi qui fortè capti, ac diu in vinculis detenti, perſoluto redemptionis pretio, vel alio quocunque tandem modo, ad ſuos poſtliminiò revertiſſent. Eâ victoriâ elati Sarmatæ, cùm deinde Legatos miſiſſent ad Alexandrum pacis petendæ causâ, audacter & iſtud ei proponi, (ùt refert Curtius lib. 7.) juſſerunt. *Cæterùm nos & Aſiæ & Europæ cuſtodes habebis: Bactra niſi dividat Tanais, contingimus; ultra Tanaim usque ad Thraciam colimus. Thraciæ Macedoniam conjunctam eſſe fama eſt. Utrique Imperio tuo finitimos hoſtes, an amicos velis eſſe, conſidera.*

Zopyrus unus è ducibus Alexandri Magni, à Sarmatis prælio vincitur & occiditur.

Juſt. cit. l. 12. & 37.
Oſor. l. 3.

Legati Sarmatarum ad Alexandrum M.

Curt. de reb. geſt. Alex. M. l. 7.

Poſt mortem Alexandri, *Lyſimachus* unus ex principibus Macedonicis, cui in diviſione Imperij, Thracia & regiones maris Pontici obtigerant bellum *Sarmatis & Getis*, eorúmque Regi *Dromichetæ* intulit, ſed ùt injuſtè, ità malo ſuo: nam prælio victus, & captus, vivus in poteſtatem Victoris venit, actúmque jam fuit de vita & libertate, niſi *Dromichetæ* humanitas major, quàm ipſius ambitio fuiſſet; qui commonſtratâ ei cùm ſuâ, tum gentis paupertate, datâque admonitione, ne bello tam pauperes deinceps perſequeretur, ſed pro amicis potiùs habere vellet, liberum dimiſit. Meliori fortunâ deinde rem geſſit, adverſùs *Sarmatas & Roxolanos*, *Diophantus Mithridatis Eupatoris Regis Ponti Legatus*, qui illos unà cum duce *Palako*, & fratribus ejus, quos Poſſidonius 50. fuiſſe aſſerit, Apollonides 80. ſemel atque iterum profligatos imperata facere coëgit.

Lyſimachus Rex Ponti à Sarmatis prælio victus capitur, & egregiâ humanitate Regis Victoris, dimittitur.

Strabo in Geograph. l. 7.

Clades ingens Sarmatarum & Roxolanorum.

Hæc de Sarmatis, qui à Tanai ad Iſtrum usque progreſſi, omnes illas regiones, quas modò *Walachi*, *Moldavi*, *Podolij*, *Ruſſi*, *Kozaci*, *Tartari item Bielogradenſes*, *Orczakowienſes*, *Crimenſes*, *Prekopienſes*, & *Aſſovienſes* tenent, amotis inde veteribus incolis, Cimmeriorum reliquijs, negotio facili in ſuam poteſtatem redegerunt.

Strabo lib. cit.
Juſtin. l. 37.
Herodot. lib. 4.

At verò ſocij illorum ac populares *Venedi*, qui ad *Viſtulam* conſederant, tametſi ab ea quòque parte, per latè patentes campos, fines ſuos proferre tentàrint; omnia tamen difficilia, & conatibus ſuis altiora experiebantur, *Vandalis* ac eorum vicinis *Burgundionibus*, *Varinis*, *Svardonibus & Nuithonibus* egregiè reſiſtentibus. Ideòque non ſemel cum clade rejecti, nec ampliùs quicquam contra *Vandalos* tentare auſi, cùm nihilominùs augerentur numero, aliqui potiùs Boream versùs proceſſerunt, & vaſtiſſimas illas regiones, à ſinu maris Balthici, qui à *Venedis*, *Venedicus* dicitur, ad mare usque Album, imò ad Oceanum Septentrionalem, ubi nunc *Finlandia* (haud dubiè à Vendis ità dicta) *Corella*, *Bodnia*, *Biarmia*, *Lappia*, *Finmarchia*, *Scricfinnia*, *Cajenſka Zemla*, ſive *Cajavia* continentur, occupàrunt. Atque ità fluvius Viſtula, manſit tunc *Sarmatas* inter & *Vandalos*, quaſi limes intermedius.

Venedi ad Viſtulam flumen, à Vandalis rejiciuntur;

Septentrionis ſolitudines nondum inhabitatas occupant.

Porrò illi, qui in Aſia ad Pontum remanſerant, primis Majorum ſuorum ſedibus contenti, *Moſchi* & *Heneti*, frequentibus Græcorum colonijs ità augeri, atque commiſceri cæperunt, ut ſenſim illorum quòque linguam addiſcentes in ſuam cooptàrint, vivendique normam & modum cum ijsdem ſuſceperint. Nam, ùt Strabo & Pauſa-

Moſchi & Heneti Aſiatici, à frequentibus Græcorum colonijs, tandem opprimuntur.

nias

Strabo. Pauſan. Plin. apud Bodinum in Methodo cap. 9.

Sarmatæ ad Iſtrum Regis Ponti Mithridatis jugum excutiunt:

Juſtin. l. 38. Oſor. Hiſtor. l. 5. & ſeq.

trajecto Danubio, Provincias Romanor. ſub Auguſto Cæſ. infeſtant:

nias tradunt, *ſoli Athenienſes duodecim colonias duxerunt in Aſiam*, quas poſtea Plinius ad 80. usque creviſſe, Author eſt. Strabo tamen addit, in Cappadocia & Paphlagonia, ſuo adhuc tempore (Cappadox námque & ipſe erat, Amaſiæ oriundus) viguiſſe pluribus in locis priſtinum Henetæ gentis idioma, à Græco toto cœlo diverſum.

Ad Sarmatas Iſtri accolas (hos ſiquidem præ cæteris glorioſos ob res præclarè geſtas invenio) redeo, qui Roxolanorum ſive Ruſſorum & Dacorum ſubſidio adjuti, jugùm ſervitutis, quod ipſis Mithridates Rex Ponti, ac viginti duarum gentium Dominus impoſuerat, ùt jam dixi, feliciter excuſſerunt; ab illo poſtmodùm in ſocietatem armorum contra Romanos, *Syllam & Pompejum*, multis ac magnis precibus rogati. *Auguſti* tempore, conjunctà rursùs cum *Roxolanis, Dacis & Getis* popularibus ſuis manu, crebris excurſionibus vicinas Romanorum Provincias, trajecto Iſtro infeſtabant; & ùt memorat Florus, *quoties concretus gelu Danubius junxerat ripas, diſcurrere ſolebant, & vicina populari.* Quibus injurijs laceſſitus Cæſar, vim vi opponere, *gentémque aditu difficillimam ſubmovere conſtituit: miſſo igitur Lentulo ultra ulteriorem repulit ripam, citrà præſidia poſuit; ſic tunc Dacia non victa, ſed ſummota atque dilata eſt. Sarmatæ patentibus campis inequitant: & hos per eundem Lentulum probibere Danubio ſatis fuit.* Ità Florus.

Plutarchus & Sveton. in Aug. Florus. l. 4. c. 12.

atque iterum ſub Tyberio, & ſequentibus annis.

Tacit. Hiſtoriar. l. 1. §. 20.

Nihilo quietiores poſtea res à Sarmatis fuère, *Tyberij, Caligulæ, Claudij & Neronis Impp.* tempore; unde pro tutela Mœſiæ & Pannoniæ, continuò penè legiones Romanæ ad Danubium ſtare, & arcendis Sarmatarum incurſionibus ſedulò invigilare debuerunt. Poſt interitum Neronis, exorto apud Romanos civili bello, quo inteſtinis diſcordijs per annum & ampliùs, fuerat acerrimè dimicatum, *Roxolani Sarmatarum gens*, ità refert Tacitus, *cæſis duabus cobortibus, magnâ ſpe in Mœſiam irruperant*, in obvia quæque hoſtilem in modum graſſati: nec niſi ſuperveniente Legione tertià cum ſuis auxilijs, cùm jam etiam eſſent ſatis ſupérque prædarum cumulis onuſti, receſſerunt. Quorum exemplo paulò poſt, *mota & Dacorum gens*, verbis refero Taciti, *nunquam fida, nunc ſine metu, abducto è Mæſia exercitu, ſed prima rerum quieti ſpeculabantur. Ubi flagrare Italiam bello, cuncta invicem hoſtilia, accepêre, expugnatis cohortium alarúmque hybernis, utrâque Danubij ripâ potiebantur. Jámque caſtra regionum exſcindere parabant, ni Mucianus ſextam Legionem oppoſuiſſet.* Sub *Veſpaſiano* iterum, circa an. Chriſti 73. excurſione factà in Mœſiam, & Fontejo Agrippà cum toto exercitu profligato, graviter affixerunt Romanos, omnémque illam regionem cis & ultra Hæmum devaſtàrunt crudeliter; poſtea tamen à Rubrio Gallo cæſi & fugati, in propria redierunt. Non minùs fuerunt graves *Domitiano*, quem annis aliquot egregiè exercuerunt. Erat tunc *Dacorum Rex Decebalus, Sarmatarum Jurpan;* contra quos *Domitianus* expeditionem ſuſcepit quidem, ſed propiùs accedere non auſus, Appium Sabinum primò, deinde Cornelium Fuſcum cum parte exercitùs miſit: his porrò unà cum Legionibus trucidatis, pecuniâ pacem emit, & acſi virtute & armis debellâſſet hoſtes, paſſim trophæa Victoriæ erigens, homo omnium vaniſſimus, in Urbem triumphabundus redijt.

Tacit. Hiſt. l. 3. §. 8.

Daci Sarmatæ contra Romanos:

Mœſiam vaſtant:

Domitiani legiones profligant:

Tranquill. in Domitiano. Eutrop. in Domit. Martial. in Epitaph. Fuſci. Dion. Caſſ.

auro placantur:

à Trajano Imp. ſubjugantur,

Meliùs deinde rem geſſit *Trajanus*, qui *Dacos* atque *Sarmatas* graviſſimo prælio cæſos, finibus Romanis ejecit, inque ſuas ſedes compulſos diu afflixit, donec ultimò etiam magnam regionis ipſorum pàrtem, in provinciæ formam redegit; quam ut eò accuratiùs in officio continere, & præſidijs ſuis quandocunque opus foret, auxilia ſuppeditare poſſet, pontem magno & mirando opere extruxit, quo Iſtri ripas conjunxit. Nec procul inde civitatem condidit, quam à victoria *Nicopolim* appellavit. *Decebalus* ſeu dolore rei malè infelicitérque geſtæ, ſeu ignominiæ impatientià mortem ſibi ipſi conſcivit. Hic Theſaurum ingentem, in imò Sargetiæ fluminis alveo, barbarico aſtu defoſſum reliquit: derivato enim aliò flumine, qui regiam Urbem præterfluebat, terráque altiùs defoſsâ, theſauros omnes ſuos in imam ſcrobem conjecit, ſaxáque ſuperimpoſuit ità compacta, ne quidquam intus humectari poſſet: quo facto amnem

Theſaurum Decebali, miro aſtu in alveo fluminis abſconditum,

Digitized by Google

amnem in priſtinum alveum reduxit, operarijs qui ut plurimùm ex captivis erant, ne eſſet, qui proderet, ad unum interfectis. Illo deinde victo, regnóque & regiâ & vitâ exuto, Bicilis ex principibus quidam, cui uni, tanquàm intimo ſuo, Decebalus omnia conſilia factáq; concredebat, ut gratiam Victoris promereretur, Trajano aurum patefecit: quod ille, prout erat omnium virtutum genere inſignis, ac minimè avarus, bonique publici magis, quàm privatæ alicujus utilitatis amans, in extructionem pontis & Urbis ſupradictæ liberaliſſimè impendit. *Adrianus* tamen ejus ſucceſſor, contrariâ motus ratione, ne feris gentibus in provincias Romanas facilior deinceps ingreſſus daretur, pontem eundem non ſine magno iterum ſumptu, ùt Dion Caſſius ſcribit, demoliri juſſit.

Sabell. l. 4. Enn. 7. Trajanus invenit, & impendit in bonum publicum.

Poſt hæc *Sarmatæ & Daci* bellando feſſi, ut poſt tot acceptas clades parto otio aliquantùm reſpirarent, quietè ſeſe intra limites ſuos continuêre: donec ſub *Antonio Pio*, atque *M. Aurelio Antonino Philoſopho Impp.* bello Marcomanico exorto, videntes contra Romanos, utpote communes hoſtes, rem ſuam quóque agi, correptis armis, toto illo belli, quod per aliquot annos geſtum fuit tempore, Marcomanis conſtantiſſimè adhæſerunt: de quo ſuo loco.

Sarmatæ, Daci & Roxolani rurſus ad arma, contra Romanos.

Nec multò poſt *Gothi*, (gens originis Germanicæ, ſicut *Getæ*, Sarmaticæ,) qui quondam ex Scanzia vel Scandinavia, ùt illam Plinius nominat, maris Balthei inſula, nunc *Schönlandia* dicta, magno numero, cum Rege ſuo nomine *Berig* egreſſi, terras *Ulmerugorum*, vel potiùs *Rugiorum* primò, deinde etiam *Wandalorum*, profligatis qui reſiſtebant, magna ex parte occupârunt; non contenti hiſce ſedibus, quòd â ſuperſtitibus *Vandalis & Rugijs*, eorúmque vicinis *Burgundionibus*, *Svardonibus & Sidenis* perſæpe inquietarentur, vel quòd in terra bellis continuis ad ſummum depopulata, ſuſtentari ampliùs non poſſent; agros enim non colebant, paratis & raptis vivere aſveti: ulteriùs ad quærendas uberiores ſedes proceſſerunt. Et quia ultra Vandalum flumen, ſeu Viſtulam, Venedorum & Henetorum omnia plena erant (nam Ptolemæus qui tunc vixit, ſcribit in eo terrarum tractu, *Sarmatarum gentem maximam Henetorum fuiſſe*) dextram verſùs iter arripuerunt. Et cùm nihilominùs, obſtantibus Sarmaticis montibus, via non niſi per Henetos pateret, vimque adhibere non ſatis tutum eſſet, ad preces converſi, liberum tranſitum ſibi concedi petierunt; quem etiam datis obſidibus, quòd abſque maleficio tranſire, ac inſuper non in ullo Sarmatici nominis ſolo, ſed ultra Danubium novas ad habitandum ſedes ſibi quærere vellent, facilè impetrârunt. Sicque progreſſi in *Daciam* venerunt; ubi primò â Dacis atque Sarmatis magnâ vi, nec ſine clade rejecti, poſtea cùm adventûs ſui cauſam expoſuiſſent, nempe veniſſe ſe, non ut indigenis eſſent graves, ſed potiùs, ut illos in propulſanda hoſtium vi adjuvarent, & ſi demum fortuna faveret, quòd terram aliquam hoſtibus eriperent, illam ad habitandum ſibi conſtituerent; pacificè in ſocietatem fortunæque communionem admiſſi ſunt. Horum viribus aucti Sarmatæ, denuò excurſionibus crebris Romanos exagitare cæperunt, & ſemel atque iterum ultra Iſtrum progreſſi, intermiſſa bella redintegrârunt, Gordiano, Philippo, regnantibus; quos poſteà Decius Imp. reprimere conatus, quanquàm primò fortunâ propitiâ uſus, magnam cladem ipſis intulerit, occiſis triginta millibus: paulò poſt tamen cùm victoriâ inſolens præproperè nimis, & non pro diſciplina militari, videlicet, cautè & circumſpectè perſequeretur victos, in loca paluſtria ex conſtituto pertractus ac inſidijs circumventus, unà cum filio interijt; & filius quidem fortiter dimicans, pater verò in paludem merſus, ità ut nec cadaver ejus inveniri potuerit.

Gothorum ex Svedia, *Herodot. l. 4. Strabo l. 7. Cluber. in German. ant. l. 3. c. 34. ubi dicit Jornandem malè inſcripſiſſe librum ſuum,* de rebus Geticis, *cùm de Gothis agat. Beat. Rhenan. in præfat. ſupra Procop. de diſcrim. Gotthor. Gothinor. & Getarum. Plin. l. 4. c. 13. Jornãd. de reb. Getic. prop. init.* in Rugiam & Vandaliam; inde verò per regiones Sarmatarum, in Daciam commigratio. Admiſſi â Dacis & Sarmatis, bellum contra Romanos redintegrant: Decium Imp. graviſſimo prælio profligant: *Jornand. de reb. Get. Oroſ. l. 7. c. 15.*

Poſt hæc diſſidium grave, Sarmatas inter & Gothos exortum eſt, ob eam potiſſimùm cauſam, quòd Gothi præſentem victoriam ſibi tantùm attribuerent, & idcirco criſtas erigerent, & non ampliùs ſicut advenæ & peregrini; ſed ùt cives & Domini, Sarmatis inſultarent, jàmque etiam haud obſcurè vim ipſis inferre, eòſque in ſervitutem redigere meditarentur. Igitur gliſcentibus odijs, & indies magis magiſque invaleſ-

Fortunâ idcirco elati Sarmatis inſultant; â quibus

aperto bello vincuntur,

apud Tubing. Chronogr. Volum. 2. gen. 16.

cæſo ipſorum Rege Indigojâ.

valeſcentibus, res tandem erupit in apertum bellum, quo Sarmatæ equis armiſque validiores, ac uſu armorum, cauſæque æquitate ſuperiores, de ingratis ſocijs triumphârunt. Rex Gothorum tunc erat *Indigoja*, qui in prælio egregiè pugnans occubuit. Narrat Priſcus Hiſtoricus, dum à Theodoſio Jun. cui erat ab Epiſtolis, ad Attilam Regem Hunnorum, tractandæ pacis cauſâ miſſus eſſet, ingentia flumina ſeſe tranſijſſe, antequàm ad Vicum, in quo Attila morabatur perveniſſet: & vidiſſe etiam locum, ubi dudum *Indigoja Gothorum fortiſſimus à Sarmatis cæſus perijt:* hunc Jornandes *Vidiculam* vocat. Neque poſtea unquam auditum fuit, aliquid hoſtile Gothos tentare in Sarmatas auſos fuiſſe, ſic ùt ingratos illos, ac perfidos Sarmatæ armis egregiè ulti, liberatæ à magno diſcrimine patriæ, ac totius gentis laudem tuliſſe haud abs re cenſeri queant.

Gothi renovatâ cum Sarmatis pace, & ſocietate armorum initâ,

trajectóq; Helleſponto,

Aſiæ minoris Regna populantur. Jornand. cit.

Modeſtiores exinde Gothi, poſtquàm nonnihil quieviſſent, pacèmque & ſocietatem cum Sarmatis, obſidibus datis, renovâſſent, omnem deinde potentiam converterunt iterum adversùs Romanos, vicinas illorum provincias, Mœſiam & Macedoniam continuis excurſionibus infeſtantes. Sub *Gallieno*, Duces eorum *Reſpa & Varo*, conjunctis viribus cum *Weduka & Durko Sarmatarum Ducibus*, vicina quóque Aſiæ Regna, Urbibus, oppidis, pagis ac incolarum frequentiâ refertiſſima, rerúmque omnium abundantiſſima, infeſtanda ſuſceperunt; trajectóque Helleſponto, ſummâque adhibitâ celeritate, priusquàm ab incautis, nec tale quid expectantibus populis animadverti poſſet, ſeſe torrentis inſtar, per Ponti & Bithyniæ regiones diffuderunt licenter, obvia quæque populando, vaſtando & urendo, magnâque hominum multitudine partim cæsâ, partim in ſervitutem abductâ. Jornandes ſcribit, *Trojam* quóque & *Ilium* tum fuiſſe vaſtata: *Epheſum* verò, unà cum Dianæ templo, ab ijsdem ſpoliatum & exuſtum.

Mutatâ deinde fortunâ, dum ſeſe à Sarmatis abſtrahunt, & per Macedoniam graſſantur immaniter, cladem ingentem patiuntur, unà cum popularibus ſuis, Gepidis & Herulis.

Oſor. l. 7. c. 16. Tubing. cit. gen. 10.

Verùm ſub *Flavio Claudio*, cùm in Macedoniam usque vaſtabundi excurriſſent, tentatis etiam obſidione Theſſalonicâ & Caſſandreâ magnis Urbibus, neque ampliùs Sarmatarum ſocietate uſi, ſed *Gepidarum atque Herulorum* ſuorum popularium, quos data operâ, eúmque in finem è patrijs illorum ſedibus (hæ erant ad mare Balthicum, Wiadrum inter & Albim flumina) evocaverunt, auxilijs freti; ſpoliorum locò cladem reportârunt graviſſimam, ità ut trecenta millia partim cæſa, partim capta, partim in fuga diſperſa & aquis merſa numerarentur: prout ipſemet *Claudius Imp.* in Epiſtola ad Junium Bocchum Illyrij præfectum ſcribit, in hæc verba: *Claudius Boccho ſalutem. Delevimus trecenta millia Gothorum, duo millia navium ſubmerſimus, tecta ſunt flumina ſcutis, ſpatis & lanceolis &c. Noſtrâ diligentiâ pugnatum eſt apud Myſios, & multa prælia fuerunt apud Martinopolim, multa naufragio perierunt, plerique capti Reges, captæ nobiles fœminæ, repletæ barbaris ſervis Rom. provinciæ, factus miles barbarus & colonus è Gotho &c.*. Hanc ob rem in Curia Rom. aureus clypeus, & in Capitolio aurea ſtatua Claudio à Senatu decreta eſt.

Gothorum ulterior fortuna. Oſor. l. cit. c. 17. & ſeq. Tubing. cit. gen. 11.

Sub *Aureliano* quóque *Canabam Regem Gothorum*, novos ultra Danubium motus parantem, magnâ ſtrage affectum; ſub *Valerio Probo*, atque ſub *Diocletiano*, *Gothos cæſos*; ſub *Conſtantino*, penitus Imperio Rom. ſubjectos, ab *Hunnis* porrò totâ Daciâ ejectos invenio: qui diu vagi & ſine Lare, cùm neſcirent, quò ſe verterent, ad preces converſi, Thraciarum partem ad habitandum à Valente Imp. petierunt, quam & impetrârunt; poſtea bifariam diviſi, & alij *Oſtrogothi*, id eſt, *Orientales Gothi*; alij *Veſogothi*, *Occidentales Gothi* nuncupati.

Sarmatarum potentia vicinis omnibus,

ipſi quóq; Attilæ metuēda.

Redeo ad Sarmatas, qui ſub id tempus usque adeò potentiâ creverunt, ut vicinæ gentes *Marcomani, Quadi, Gothi, Wandali, Gepidæ, Rugi, Heruli, Longobardi & Hunni*, maluerint ipſos amicos ſemper, quàm hoſtes experiri, & cum illis officijs potiùs, quàm armis certare. Quinimò etiam *Attila Rex Hunnorum*, & Dominus etiam aliarum multarum gentium, dum in Pannonia pro ſe ac ſua gente ſtationem firmaret, vicinos Sarmatas ad percutiendum fœdus invitavit, quos amicos potiùs & confœderatos, quàm hoſtes

Digitized by Google

hoſtes habere voluit, ſciens validiſſimam gentem, à Danubio usque ad Oceanum Septentrionalem longè latèque diffuſam, facilè ſuperari non poſſe.

Poſt Attilæ mortem, inter Sarmatas, Slavorum & Slavinorum inclaruit nomen; qui poſtea Hunnis expulſis, & Gepidis per Longobardos ad internecionem penè deletis, Gothis verò & Vandalis, tum etiam Rugis, Herulis & Longobardis, partim in Italiam, partim in Affricam, Hiſpaniam & Galliam migrantibus, non tantùm Danubij utrasque ripas, verùm etiam *Pannoniam totam, Macedoniam, Albaniam, Epirum, Dalmatiam, Illyricum, Iſtriam, Forum Julij, Carniam, regiones ampliſſimas*, ſed tunc tot migrationibus & bellis maximè exhauſtas & deſolatas; ſicut & cognati eorum *Antæ & Bulgari, Mæſiam atque Thraciam;* alij item *Tryballorum, Dardanorum & Theſſalorum* terras occupârunt, reliquijs veterum colonorum, aut ſubmotis loco, aut cæde ſublatis. Similiter *Venedi* ab Oriente & Aquilone progreſſi, ſtatim ubi deſeri loca ad *Viadrum* ſeu *Oderam, & mare Balthicum, à Vandalis, Rugis, Herulis, Longobardis & Anglis* ſenſerunt, ijs occupandis totis viribus incubuerunt; neque priùs *agere & pugnare fortiter* deſtiterunt, donec totum illum terrarum tractum, quo nunc *Pomerania, Marchia Brandeburgi, Mechelburgum, Ditmarſia, inferior & ſuperior Saxonia, Miſnia, Luſatia, Sileſia* continentur; Saxonibus & Thuringis, qui primò reſiſtere conabantur, aſſiduitate irruptionum ultimò defatigatis, in ſuam poteſtatem redegerunt. Hi varijs nominibus ab Hiſtoriographis appellabantur; *Pomerani, Wilzi, Warnavi, Obodriti, Wagrij, Polabi, Lingones, Polenczi, Redarij, Cyrçipani, Dalemincij, Luticij, Kizini, Haveldi, Leubuſij, Volini, Stoderani*, communiter autem *Vendi*, ſeu *Venedi & Slavi*, ſubinde etiam *Wandali.* Huc facit, quod Blondus memorat: *de Slavis, ubi illos à Boſphoro Cimmerio, ad Tanaim fluvium habitare ſolitos*, ſucceſſu temporis ulteriùs progreſſos, *conſediſſe in Wandalorum Burgundionúmque patriâ profectorum terris:* quod idem lib. 8. & clariùs quidem repetit. Hoc modo *Natio Slavica*, occupatis omnibus illis provincijs, à Tanai & Oceano glaciali, qui ultra Moſchorum Principis ditiones, longiſſimo tractu, Septentrionem verſùs, uti jam ſupra meminimus, protenditur, ad mare usque Mediterraneum & Adriaticum; & rurſum à Ponto Euxino, ad mare usque Germanicum, in eam amplitudinem venit, ut prope dimidiam Europæ partem, præter ea quæ in Aſia habebat, tenuiſſe absque ullo dubio cenſeatur.

Slavi & Slavini, Sarmatarum progenies, occupant Pannoniam, Illyricum, Dalmatiam &c. alij Mæſiam & Thraciam;

alij Vandaliam, Rugiam, & veteres Burgundionum, Anglorum, Longobardorum ſedes.

Varia illorum nomina.

Blondus. Decad. 1. l. 1.

Amplitudo terrarum Slavonicæ Gentis, per Orientales & Septentrionales Europæ tractus.

Nomen porrò *Slavorum* plerique à Sława / quod noſtræ genti *Gloriam* ſignificat, derivant: quod vel ipſum *etymon* nominis palàm oſtendit. Ob res igitur *præclarè & glorioſè geſtas*, tam contra Romanos, quàm alios vicinos hoſtes, *Sarmatarum* ſeu *Venedorum promtiores aliqui*, Sławnj vel Sławácy / id eſt *Glorioſi*, dici voluerunt. Itali corruptè, corúmque imitatione quidam imperiti, *Sclavos* dicere maluerunt: quod Cromerus reprobat, & *Slawos*, non *Sclavos* debere dici, fusè demonſtrat. Et ſicut olim homines iſtius gentis ac præcipuè viri Nobilitate generis illuſtres, ùt plurimùm nomina, ex illa voce *Slava* compoſita, & in *Slaw*, Latinè *Slavus*, deſinentia aſſumebant: qualia ſunt, *Wenceslavus, Stanislavus, Boleslavus, Sventoslavus*, ſive ùt modò uſus obtinuit, *Wenceslaus, Stanislaus &c.* ità hodiéque ſimilibus, præ cæteris, nominari ac dicier amant.

Nomen Slavorum à Sława / i. Gloria.

Nomen *Sclavi*, eſt erroneum. *Cromer. l. 1. c. 13. Daubr. l. 1. P. Albin. in Chron. Miſn. tit. 6.*

Tametſi autem nomen *Slavorum*, Græcis & Latinis Scriptoribus, primò ſub Juſtiniano Imp. innotuerit: primi námque *Procopius Cæſarienſis, & Jornandes*, poſtea *D. Gregorius, Blondus, & Svidas*, illorum, dum trajecto Danubio, Myſiam utramque, Pannoniam, Dalmatiam, Iſtriam infeſtare cæpiſſent, mentionem faciunt. Credibile tamen eſt, aliquam Sarmatarum, ſeu Venedorum partem domi ſuæ, id eſt, in interiori Sarmatia, longè citiùs eo nomine uſam fuiſſe: ex Scriptis Jornandis id conjici poteſt; qui dum Venetos ab Ermanarico, qui ſub Conſtantino Magno Imp. apud Gothos regnavit, ſubactos memorat, inter alios, etiam *Antas & Slavos Venetorum populos* nominat, additque: *qui quamvis nunc ità facientibus peccatis noſtris ubique deſæviunt, tamen tunc omnes Ermanarici imperijs ſerviêre.* Et infra iterum narrat, non

Slavorum nomen tametſi tardiùs innotuerit; tamen inter Sarmatas & Venedos, ex vetuſtioribus eſt.

Jorn. de reb. Get. Lazius de gent. migr. l. 10. Marcell. lib. 31. nominat Ermenrichum; & Vithimirim, locò VVinitharij.

multò poſt *Winitharium Gothorum Regem*, *in Antarum* (Slawiorum populorum, ùt explicat Lazius) *fines moviſſe*, *& cladem primò*, *deinde victoriam reportâſſe*, *Rege eorum Box occiſo*.

Atque hæc ſunt, quæ *de noſtra Gentis Origine* paucis, quantum res difficilis, & multis involuta tenebris patiebatur, explicanda habuimus: quæ benignus Lector tantiſper admittet, donec ab alijs ſolidioris aliquid afferatur. Jam unde digreſſi ſumus, revertamur.

Primus è Slavis in Marcomania Rex, quis?

VVorburg. in Hiſtor. Volum. 8. ad an. 625.

Marothum fuiſſe è poſterioribus, non è primis, oſtenditur.

QUis primus, ac præ alijs nominatiſſimus, de gente Slavorum in Moravia Rex fuerit, & quod nomen ejus, non liquet: nonnulli volunt talem primum *Samonem* virum ſolertem & induſtrium, manúq; & conſilio juxta promptum, non tantùm per Moraviam, ſed etiam ſuperiorem Pannoniam, Noricum & Valeriam longè latéq; dominantem. Alij verò *Marothum* ſive *Moravodum*, à quo & nomen Moraviæ deducunt. Et iſtorum quidem opinio utcunq; propè accedit ad nominis ſimilitudinem: quia tamen eundem Marothum aſſerunt Patrem fuiſſe Svatopluci, quem Hungarici Annales ſimpliciter *Svathem*, noſtri *Svatoſſium*, vocant, & qui circa annum Chriſti 720. ſtabilitâ ſede Regni Veſprini in Pannonia, regiones ampliſſimas ex utraq; parte Danubij tenebat, pro primo haberi nullo modo poteſt: ex hoc enim inferret aliquis, dominationem Slavorum in Moravia tardiorem fuiſſe multò, quàm *Czechi ejúsq; Sociorum in Bohemia*; quod tamen eſt contra præcipuos rerum Bohemicarum & Polonicarum Scriptores, qui Czechi adventum in Bohemiam nominant longè poſteriorem. Unius hìc teſtimonium adjicere placet, Pauli Stransky, viri Bohemicæ Antiquitatis ſtudioſiſſimi, qui in Rep. Bojemiæ de migratione Slavorum in Bojemiam, ita ſcribit: *Venerunt autem Czecho & fratre Lecho ducibus in Moraviam primùm, incertum quàm magnâ ſed numeroſà tamen, cùm nobilitatis, tum plebis ignobilis, multitudine: cumq; eam lingva ſua populo plenam offendiſſent; ac de Bojemiam incolentium Vindorum populariũ ſuorum raritate edocti eſſent, rectà eò contenderunt, dijsq; penatibus ſuis, ad locum, ubi Vultava in Albim ingreditur, depoſitis circa montem, qui hactenus* Ržip / *hoc eſt collis, itémq;* Žrit / *hoc eſt ſpecula appellatur, ſedem lari figendo delegerunt.* Idem tradit Matthias â Miechov Canonicus Cracovienſis l. 1. de Sarmat. Europ. c. 12. Joannes Daubrav. Epiſcop. Olom. l. 1. hiſt. Bohem. Hagek, Balbinus & alij. Quo verò tempóre hæc migratio acciderit, non inter omnes perinde convenit: aliqui annum poſt Chriſtum natum 550. alij 639. alij 644. aſſignant: alij (quod tamen difficulter probant) an. 278. Nos noſtra proſequamur.

Daubrav. l. 4.

Daubrav. l. 1. Miechov. l. 1. c. 12. Hagek. Stransky c. 4. §. 3. Neugebaur. in Hiſt. Polon. l. 1. Cromer. VVapovius, Dlugoſſ.

Slavorum duce Czecho in Bohemiam adventus.

Vapovius. Kuthenus. Hagek. Codicill. apud VVeleslav. in Calend. Hiſt. init. Genealog. Principp. & Regg. Bohem.

Slavorum in Marcomania à longo tempore ſedes; longè verò vetuſtior eorum anteceſſorum juxtà ac popularium Sarmatarum.

Sed neq; *Samo*, quem anno 629. regnare cæpiſſe ſcribunt, primus eſſe potuit; ideóq; talis, de natione Slavica in Moravia Rex, inveſtigandus eſt altiùs, cùm conſtet Slavos, veterem Marcomaniam tenuiſſe brevi poſt mortem Attilæ, ducentis ac ſeptuaginta annis, ante Samonem. Innuit aliquid eorum Jornandes, natione Gothus Ravennæ Epiſcopus, vicinus illorum temporum: qui in Hiſtoria Gothorum, quam ſub Juſtiniano I. Imp. circa an 550. ſcripſit, *Slavorum & Slavinorum* terras trans Danubium ſitas incolentium, mentionem faciens, eos ad ſiniſtrum latus Sarmaticorum montium (qui nunc *Hungariam*

riam à Polonia, & Moraviam à Sileſia dirimunt) & ad Viſtulæ fluminis ortum habitare memorat: atq; ita clarè ſedes illorum deſcribit, ut omninò Moraviam, partémq; Hungariæ & Sileſiæ ſuperioris, ſicut & Poloniæ minoris, ab eo deſcriptas, quiſq; oculis ſuis videre, & manu tangere poſſit.

Nullum autem ex alijs omnibus, qui commemorantur à Scriptoribus notæ probatioris, poſſumus obſervare vetuſtiorem hujus terræ Principem, quàm qui mox ab Attilæ interitu, Regni Marcomanici partem Danubio & Pannoniæ viciniorem legitur arripuiſſe. Hic fuit cognomento *Babak*, de progenie *Bogi* ſeu *Boxi*, ùt illum Jornandes nominat, *Antarum Regis*, in Dacia quondam ſub Valente Imp. dominantis, ac poſtmodùm à Winithario, ſeu Vithimiro, ùt vult Marcellin. Gothorum Rege prælio victi, & cum aliquot filijs, ac LXX. primatibus gentis occiſi. Nam unus ex filijs *Bogi*, qui cladem evaſerat, videns ſtationem ſuam in Dacia non ampliùs eſſe ſecuram, victoribus Gothis ab una parte, ab altera Hunnis prementibus, cum reliquijs ſuæ Gentis, patrijs ſedibus relictis, in tutiora conceſſit: ſenſímque Occidentem versùs progrediens, cùm tandem in Marcomaniam veterem appuliſſet, & ibi homines ſuæ linguæ offendiſſet, hoſpitiũ petijt, quod facilè ab indigenis, ubi ex ſermone cultúsque cognatione populares ſuos eſſe cognoviſſent, impetravit. Ex cujus poſteris *Babak* prodijt, qui præ cæteris bellicâ virtute, ac præclariſſimis generoſæ indolis dotibus inſignis, cùm poſt mortem Attilæ una quæque natio, tam *Sarmatarum*, quàm *Gothorum*, *Gepidarum*, *Rugorum*, *Herulorum*, *Vandalorum* ac cæterorum, qui ante hac Attilæ imperio ſubjecti fuerant, ſeſe in libertatem vindicâſſent, de ſuo gremio Regibus ſibi conſtitutis; facilè apud ſuos primatum obtinuit. Quo obtento, conjunctis mox viribus cum Marcomanorum reliquijs, & vicinis Svevis, magna bella cum finitimis pro aſſerenda libertate geſſit; primò cum Gepidis, qui ejectis filijs Attilæ, non modò Pannoniæ, ſed Marcomanis quóque, & Slavis Sarmatis intentabant vim ac ſervitutem: poſtea cum Gothis, qui idem moliebantur; ex quibus ſemel atque iterum victoriam inſignem reportavit. Ultimò tandem in conflictu, quem habuit cum *Theodorico Regis Gothorum* filio, anno 472. occubuit. De quo Æneas Sylvius in Epitom. Blondi ità habet: *Theodoricus adoleſcens duodeviginti natus annos, in Sarmatas transmiſſo Danubio irruit, & Rege illorum Babach interempto, victor ad genitorem redijt.* Idem Jornandes refert, narrans de Theodorico, *quòd inſcio patre Danubium cum exercitu tranſierit, factóque ex improviſo impetu in Babai Sarmatarum Regem, qui tunc de Camundo duce Romanorum victoriâ potitus, vicinis omnibus inſultabat nimiùm, illum occiderit. Singidonum etiam civitatem, quam Sarmatæ quondam Romanis eripuerant, ſuæ ditioni ſubdiderit.*

Slavorum in Marcomania Rex è vetuſtioribus & primis, *Babach* nomine.

ejus in prælio interitus.

Blond. decad. 2. l. 2. Naucler. Volum. 2. p. 2. g. 16.

Jorn. de reb. Get.

Babako cæſo, qui nam ſucceſſerint regnarintque ad usque an. 629. quo *Samo*, per *Pannoniam*, *Noricum & Moraviam* regnare cæpit, altum eſt ſilentium apud Hiſtoricos, tam Græcos quàm Latinos; qui potiùs intenti *Vandalorum*, *Herulorum*, *Gothorum*, *Longobardorum*, aliorúmque in Italia geſtis (tum enim vel maximè Italia, ipſúmque Romanum Imperium ſub dicta-

De Succeſſoribus ejus apud Scriptores ſilentium.

Digitized by Google

ctarum gentium poteſtate gemens, lacerabatur immaniter) Slavorum ſiniſtra Danubij littora accolentium poſthabuêre geſta. Ipſi quoque Slavi, *contenti facere fortiter*, & ad faciendum res memoratu dignas, magis quàm ad memorandum, promptiores; inſuper literarum extremè rudes, parum curârunt, ut temporum rerúmque â ſe geſtarum vices literis mandando, poſterorum memoriæ, factorúmque æternitati conſulerent; ſed cuncta eodem, quo corpora tumulo clauſa, ſepultáque permiſerunt.

Cromer. l.1.c.3. Balbin. in Diva Vart. l.1.c.1.§.1.

Nova Slavorum, â Mæotide Tanai & Volga, in Myſiam, Pannoniam, Illyrium & Iſtriam, immigratio.

Hoc de Slavis ſilentium apud Hiſtoricos ſtetit, ad usque Juſtiniani I. atque iterum Mauritij tempora: tunc enim *novæ Slavorum Gentes*, cùm trajecto Danubio, in Romanorum Provincias irruiſſent, & *Dalmatiam*, *Illyrium*, *Iſtriam*, occupâſſent, reſuſcitârunt de ſe Scriptorum calamos: præſertim *Procopij*, qui erat Beliſarij Ducis Juſtiniani I. Imp. Cancellarius, conſiliorúmque & bellorum ejusdem comes: *Jornandis* item, cujus jam meminimus, & *Agathiæ Smyrnæi*; qui unâ eadémque ætate & vixerunt, & res Gothorum prolixè deſcripſerunt; quos deinde ſunt ſecuti *Svidas*, *Blondus*, *Paulus Diaconus*, & alij. Blondus, Mauritij tempora perſequens, expreſsè habet: *Slavos in Iſtriam & Dalmatiam veniſſe, ex regionibus trans-Danubium ſitis*, nec tamen ea loca deſeruiſſe penitus, ſed manſiſſe eorum reliquias *Bohemos*. Per *Bohemos* hìc intelligi debere *Moravos*, ex ſuprâdictis patet: nec dum enim tum fuêre in Bohemia Slavi tanto numero, ut colonias aliò traducere poſſent, ſi qui erant ex *Vendis*, aut alijs â Septentrione advenis, pauci valde; & ût communiter ferunt Hiſtorici, non ex Bohemia in Dalmatiam, ſed contrà, ex *Dalmatia*, vel potiùs *Croatia*, *in Bohemiam Slavi* commigrârunt: quod ipſum etiam Æneas Sylvius, in Blondo notat, & corrigendum innuit. Audiatur hìc Svidas author Græcus: *Slavi*, inquit, *ex regione trans-Danubium, primò venêre, cúmque finitimis ſæpè veniſſent auxilio, terræ melioris occupandæ gratiâ, tandem populariter tranſeuntes in Illyrico conſederunt. Pársque eorum deinde Bohemiam occupavit, & regionem proximam, quam â Maravana flumine, Maravaniam appellant. Nam Marcomani cum Hermunduris, jam pridem in Noricum & Vindeliciam tranſierunt.* Hæc Svidas, ex vetuſtioribus Scriptoribus unus, & authoritate non poſtremus.

Procop. de bello Got. l.3. Jornand. de reb. Getic. Agath. in continuat. hiſt. Gothica Procopij. Blond. decad. 1. l. 1. & 8.

Svidas in Lexico.

Slavi Moravi Germaniæ finibus maximâ vi incumbunt:

Annis ſubſequentibus, Slavi Moraviæ & Pannoniæ incolæ, cæperunt Occidentem versùs dilatare fines Regni; unde non admodùm grati erant vicinis Tevtonibus & Francis, quos incurſionibus perpetuis adeò infeſtabant, ut Childebertus Francorum Rex duxerit neceſſe, in Bavaria, quæ tum habebatur pro limite Regni Francici, *conſtituere Regem Thaſſilonem: cum quo id egit, ut Slavinos, gentem Danubij accolam, nunquam bello proſequi deſiſteret.*

Bavaris idcirco & Francis negotium grave faceſſunt.

Æneas ſupra cit.

Hinc bella utrinque grandia exorta: Slavis pro poſſeſſione & dilatatione novarum ſedium, Germanis verò pro dignitate imperij, pro aris & focis pugnantibus; fortunâ tamen plerúmque Slavis propitiâ: nam licèt Germani ſummo virium conatu Slavos, ceu alienigenas, ſedibus occupatis exturbare contenderent, id tamen efficere nequaquam potuerunt, vix, ne ulteriùs progrederentur, præpedire ſufficientes. Jámque per id tempus, potiſſimùm verò

Paulus Diac. l. 4. c.7. & 11. Sigebert. ad an. 595 VVelſer. l.3.

Samo-

Digitized by Google

Samone Rege, poſt debellatas reliquias Hunnorum & Avarorum, pôſtque rejectam vim Francorum, ſervitutem ſibi intentantium, per annos triginta quinque continuos feliciſſimè regnante, *Regnum Moravorum*, cùm populo & viribus, tum longiſſimo terrarum tractu, aſſurrexerat in immenſum: complectebatur námq; non tantùm veterem *Marcomaniam & Quadiam*, id eſt, *Moraviam, Sileſiam ſuperiorem, & minorem Poloniam*, ſed & *Pannoniam utramq;, Styriam, Daciam, & Ruſſiæ partem*, ità ut *Nitria* munimentum hâc quóque tempeſtate celebre, in totius quaſi umbilico Regni ſitum exiſtimaretur.

Fredegar. in Annal. cap 48. Aimonius in geſt. Franc. l. 4. cap. 9.

Moravici Regni amplitudo.

Æneas Sylv. Hiſt. Boh. c. 13. Daubrav. l. 4.

Qui florentiſſimus Regni ſtatus etiam, poſt Samonis an. 664. defuncti mortem viguit, usque ad ſecundum *Hunnorum* in Pannoniam ingreſſum. Hi emenſo è Scythia interiori per Roxolanos, Moſchos & Sarmatas, longo itinere, primò in confinijs Daciæ Transalpinæ conſederunt, circa annum Chriſti 730. Poſtea deſiderio repetendæ Pannoniæ illecti, de cujus terræ bonitate, & copioſiſſimo tam frugum, quàm pecoris & piſcium, omniſimque rerum ad victum neceſſariarum proventu, haud dubiè à Majoribus ſuis traditionem habebant, & in præſens quóq; per idoneos exploratores edoceri poterant; *Svvatoſſium* (alij Svathem nominant) *Moraviæ & Pannoniæ Regem*, Veſprinij tunc reſidentem, legatos miſerunt, cum munere & precibus. Munus erat, equus candidus, pretioſiſſimè pro opibus gentis inſtructus: preces, ut pars aliqua agrorum inculta ſuorum habitationi aſſignaretur, quò liberiùs rem pecuariam exercere poſſent. Rex multitudinis eorum ignarus, ratúsque opiliones, quàm milites eſſe, accepto equo, precibus annuit: mox verò auditâ eorum multitudine (quippe ducenta & ſedecim virorum millia fuiſſe perhibentur) exterritus, non parum animo turbari cæpit, & magìs adhuc, cùm illos, trajecto Tybiſco, in interiora Pannoniæ plenis agminibus progredi inaudijſſet. Collecto igitur tumultuariè exercitu, ſummáque adhibitâ celeritate, nec expectatis, quæ propediem venire debebant ex finitimis Regni partibus, copijs, Danubium per Vaciæ inſulam trajecit. Tametſi autem hoſtes adventum ſuum fortaſſe non expectaturos, minùs prælij fortunam tentaturos exiſtimaret; brevì tamen, cùm ulteriùs caſtra promoviſſet, illos pugnam minimè detrectare, ſed alacribus animis obviam feſtinare, & prælij fortunam omninò experiri velle animadvertit; jámque omnes caſtris egreſſos, ſtructis ordinibus in acie ſtare ad pugnandum paratos.

Hungarorum nova in Daciam & Pannoniam irruptio.

Thuroc. part. 2. cap. 1. Bonfin. decad. 1. Daubrav. l 4. Ens rerum Hung. l. 1.

Svathem ſeu Svatoſſium Marothi filiũ, Moraviæ & Pannoniæ Regem, dolo circumveniunt.

Rex collecto tumultuariè exercitu, Hungaris obviam progreditur.

Datâ igitur pugnæ copiâ, & ſublato utrinque clamore, concurſum eſt ab efferatis hominibus tantâ pertinaciâ, tantísque ad dimicandum animis, ut aliquot horis victoria in neutram partem inclinare videretur. Poſtea cùm Moravi hoſtium impetum non ampliùs ſuſtinere poſſent, ac plurimi ex eis haſtis telísque icti occumberent, loco tandem cedere, tergáque dare, & quâ quisque potuit, diffugere cæperunt. Rex dum inclinatos ſiſtere, prælíumque reparare contendit, ex improviſo multitudine hoſtium ingenti circumdatur; ità ut cæſis, quos circa ſe habebat, præſtantiſſimis ac fortiſſimis quibúsque, ægrè periculo præſenti ſe eximere, manı́ſque hoſtium evadere potuerit. Videns igitur nonniſi in celeri fuga reſtare ſalutem, ipſe quóque profugere

Prælium committitur:

Moravi funduntur:

Rex pugnam reſtaurare fruſtra conatus,

fugæ quóq; remedia arripit,

gere potiùs, quàm ad non dubium vitæ diſcrimen, inani pertinaciâ certamen proſequi maluit. Hungari fugientes inſequuti, magnam eorum edidêre ſtragem, partim cæſis, partim in proximum Danubium inſilire coactis: ubi cùm ſe fluctibus rapaciſſimi fluminis temerè committere non auderent, & hoſtes tergis ſuis ſummâ vi inſtantes viderent, poſtpoſito ultimò omni mortis periculo, aut abſumpti flumine periêre, aut cunctabundi, quâ alveum fluminis tentarent, ab hoſtibus intercepti interfectíque ſunt. Rex tamen fortunâ propitiâ uſus, in tutum incolumis evaſit; & non fidens ſatis ulli Urbium aut Caſtellorum, neque ſedi Regiæ Veſprinio, ad montes Batonios, quos modò Clypeorum vocamus, ſeceſſit; ac demum ſuperato Arabone fluvio, Sabariæ conſedit, de reſtaurando exercitu, & de remedio, quo tam immanis barbaries retundi propulſarique poſſit, vehementer ſollicitus.

& in tutum ſe recipit.

Hungari re benè geſtâ feroces, per obvia quæq; graſſantur licenter:

Interea Hungari, fortunâ tam placidè ſibi arridente, brevì omnes cis & ultra Danubium regiones in ſuam redegerunt poteſtatem; ex ſiniſtra parte ad Vagum, ex altera ad prætactos Clypeorum montes usque: neque eâ contenti fortunâ, ulteriùs progreſſi, ac more ſuo ferro ignique per omnia graſſati, Regémque ſecundo prælio adorti, rurſum unà cum agnato ejus Barrucho Carenthanorum Duce, qui cum haud contemnendis copijs Regi in auxilium venerat, profligârunt.

Regem ſecundo prælio cædunt:

Rex relictâ Pãnoniâ in Moraviam tranſit, & VVelehradi novam Regiam ſibi conſtituit: Daubrav. l. 3. prope fin. Moraviæ fines munit.

Quâ clade multò graviori quàm antea acceptâ, Rex fugâ iterum elapſus, & nuſpiam tutò conſiſtere auſus, in Inſulam Cituorum, quam nonulli Scythicam, aliàs Schut vocant, cum pleriſque de Nobilitate ſe recepit: ac deinde inito cum ſuis conſilio, Danubium tranſijt, & in Moravia, nonprocul â Morava flumine, in oppido Welehrad, novam ſedem Regiam erexit. Quò autem tutior ab incurſionibus efferatæ gentis eſſet, *ad vada fluvij Vagi* (ſic refert Daubrav.) *caſtella inædificari præſidiáque illis imponi, tum deinde montes ſylvis defectis ſepiri, & alibi foſſis ac vallo muniri, poſtremò arces & oppida mænibus cingi, muriſque firmari juſſit.* Etſi contrarium Hiſtorici rerum Hungaricarum aſſerant, qui eum Danubij vorticibus hauſtum in fuga perijſſe dicunt.

Thuroc. part. 1. cap. 3. Bonfin. decad. 1. lib. 9. Ens lib. 1.

Hunc in modum Rex *Svvatoſſ*, majori ac nobiliori parte Regni, totâ ferè Pannoniâ, tam acerbè quàm infeliciter exutus, in veteres Marcomanorum ſedes conceſſit, fuitque primus, qui Welehradi reſedit. Huic ſucceſſit *Samomir*, Barruchi Carenthani minor natu filius: (*) Princeps omni bellicâ laude inſignis, ùt qui jam antea, Svatoſſij tempore, pugnacis & egregij Ducis famam, virtute & præclarè geſtis promeruerat. Hic magna bella cum Hungaris diu geſſit, proſpero utcunque eventu, ſiquidem Regni fines denuò ultra Vagum protulit. Per id nàmque tempus, vires Hungarorum adeò attritæ erant, tam â Moravis, quàm ex altera parte â Bavaris & Carenthanis, ut qui ante ſuperbè omnibus inſultabant, tunc pacem petere compellerentur.

Svatoſſij ſucceſſor Samomir,

de Hungaris triumphat: Naucler. Volum. 2. part. 1. g. 25. Anonym. de Cõverſ. Carenth. VVelſer lib. 4.

Ca-

(*) *Joan. Amos Comenius Moravus, de Antiqu. Morav. in lib. MS. Carolo â Zerotin oblato. In cujus præfat. refert, ſe hæc omnia, delibâſſe ex varijs MS. codicibus; ac imprimis, ex libro quodam Ctiborij à Cymburg; & alio Matthiæ Erythræi, viri, ùt ait, in Hiſtorijs patriæ periti, quem ſubinde patrio idiomate, Cžerwenkam vocat, gente Bohemum, domo Czelakovicenſem.*

Digitized by Google

Caſtigatâ Hungarorum potentiâ, *Samomir* movit bellum in Polonos, qui poſt Vendæ obitum, cùm nemo Regiæ ſtirpis ſupereſſet, per duodecim *VVeyvvodas* ſeu *Palatinos*, Provinciam univerſam gubernabant; eo haud dubiè conſilio, ut etiam ab ea parte fines Regni dilatare poſſet, ſed irrito conatu: cæſus enim â Polonis, & in fugam actus, domum inglorius redijt. Quod factum circa an. 760.

Expeditio Samomiri in Poloniam non bono eventu ſuſcepta. *Herburt. l. 1. c. 7. Mechoß. l. 1. c. 7. Crom. l. 2.*

Mortuo Samomiro, ſuffectus eſt filius *Samoslav*. Hic Regnum patris exemplo ſtrenuè armis tuebatur, adversùs Hungaros, qui violatâ pace iterum per confinia Regni graſſari cæperunt: at contra Francos, Caroli Magni tempore, an. 791. rem minùs proſperè geſſit. Hoc Rege imperitante, Moravi primò incurſionibus infeſtâſſe Bohemiam leguntur.

Samomiri ſucceſſor Samoslav bellum gerit cum Hungaris, fortunâ propitiâ: *Comen. ibid.* cum Francis adversâ. *Annales Caroli & Ludovici.*

Eo fatis functo, Regnum adeptus eſt *Lechus*, qui commiſſo infeliciter prælio, cum Carolo Caroli M. Imp. filio, occubuit. Huic ſucceſſit *Hormidor*, qui dum maximè Principatui Bohemorum ſubjugando inhiaret, peſte extinctus eſt.

Daubrav. l. 2. Hagek. Lecho in pugna occiſo, Hormidor faſces Regni arripit: *Vide infra lib. 2. cap. 3.* peſte extinguitur, an. 811.

Ab ejus exceſſu, concordibus Moravici populi ſuffragijs, collocatus eſt in ſolium Regni, *Mogemir*. Hic gubernacula â bello Hungarico auſpicatus, maximo cum apparatu illud ſuſcepit, diùque ancipiti fortunâ geſſit: ac, nè impediretur â Francis, *primus omnium ex Moraviæ Regibus, cum Germanorum Principe Ludovico Imperatore amicitiam inijt*: percuſsóque Francofurti fœdere, contradicente licèt *Lidovito fratre*, Germanis & Francis infenſiſſimo, qui Dravum inter & Savum flumina longè latéque dominabatur, Imperij ſocius factus eſt. Ex quo etiam ad petitionem Ludovici, per univerſum Regnum liberè Evangelium Chriſti prædicari permiſit, *Hirolpho Eccleſiæ Laureacenſis Archi-Epiſcopo, & Rathfredo Favianenſi* ſeu *Viennenſi Epiſcopo*, diligenti ſtudio hoc ſanctum opus promoventibus. Imò indicia haud obſcura ſunt, quæ Regem quóque ipſum *Mogemirum*, jam tunc Chriſtianâ Regione imbutum fuiſſe clarè oſtendunt: quod fuſiùs explanabimus paulò poſt.

Daubrav. lib. 3. Rex Moraviæ Mogemir, *de quo in lit. Eugenij II. an. 826.* cum Ludovico Imp. fœdus init. *Anhelm. in Annal. Francor. ad an. 822. Aimoin. an. eod. Calviſ. an. eod.* Religionis Chriſtianæ exercitium per Moraviam liberum cuique permittit:

Pace demum cum Hungaris factâ *Mogemir*, cùm cognoviſſet in Polonia, poſt Popelij junioris, unâ cum uxore & liberis, â muribus conſumpti miſerabilem mortem, causâ electionis novi Principis turbari ſtatum rerum, & súſque déque agi omnia, ratus per hoc ſibi occaſionem dari dilatandi fines Regni, eò cum exercitu contendit: & cùm nemo obvius eſſet, qui reſiſteret, negotio facili, partem potiorem ſuperioris ſeu *minoris Poloniæ*, unâ cum Cracovia Urbe, in poteſtatem redegit. Quo facto, Poloni *Cruſvitiæ, in majori Polonia* congregati, poſtpoſitis cunctis privatis rationibus & odijs, cum electione ſeriò accelerârunt: & electo in Principem *Piaſto*, homine quidem plebejo ac ſimplici, ſed tamen ſolerti, probo ac fælici, arma corripuerunt; progreſsíque Mogemiro obviam, dum in mutuum conſpectum veniſſent, nullâ factâ morâ, ſtructis ordinibus in campis patentibus ei poteſtatem pugnæ præbuerunt. Neque is certamen inire, manúmque conſerere dubitavit: certatum ergo eſt magnis utrinque animis & viribus; poſtremò tamen Mogemir, accepto in ſiniſtra vulnere, campo ceſſit, inque tutiora trans Viſtulam ſe cum ſuis recepit.

Bellum Polonis occupandæ Provinciæ causâ infert: Cracoviam occupat. *Comen. ſupra cit.* Poloni cum recens electo ſuo Principe Piaſto ad arma conclamant. Pugnatū utrinque fortiter: Mogemir vulneratus campo cedit:

cum Polonis tranſigit, domúmque revertitur. Comen. ibid. Cromer. l. 2. in Ziemovito. Curæus in Annal. Sileſ.

Neque ſecundò prælium inire, fortunámque periclitari voluit, ſed compoſitione initâ in eum modum, ut ſibi loca quædam Regno viciniora, quæ bello cepit, retinere liceret, domum cum exercitu reverſus eſt. Quæ tamen deinde, aliâ conventione ſequutâ, Piaſto reſtituit: eſto Cromerus aſſerat, Ziemovitum filium Piaſti eâ vi átque armis recuperâſſe, quibus hìc diggerendis ſuperſedeo.

Novo bello Hungaros provitat; â quibus binis vicibus profligatus pacem pretio redimere cogitur.

Confecto bello Polonico, expeditionem non multò poſt contra Hungaros ſuſcepit; in qua tamen fortuna cunctis conatibus ejus ſingulari malignitate illuſit: bino ſiquidem prælio victus, amiſsâ potiore parte exercitûs, ac flore nobilitatis & militiæ, unà cum *Bogislao Lidoviti fratre, Slavoniæ quondam Regis, minore natu filio*, quod vel maximè dolenter tulit, pacem deinde ab Hungaris, quam antea gratis habuit, tum pretio & prece repetere debuit.

Brynno regimen Mogemiri I. excipit,

Mortuo illi, ſurrogatus eſt in Regia dignitate *Brynno*, qui & *Privina*, Princeps pacis magìs, quàm belli amans: propter quod contemptui erat apud ſuos, quorum nonnulli mox in factiones abire, & ab eo ad *Mogemirum*, præpotentem quendam de regia quóque ſtirpe Toparcham, declinare cœperunt. Defendebat ſe primùm novus Rex, quantùm poterat; & comi blandóque ſermone, occultâ largitione, promiſſis, aliíſque artibus tentabat partium ſuarum adverſarios delinire: ſed in vanum. Quamobrem cùm ad reſiſtendum tot factioſiſſimis ſe imparem videret, dolos ultimò & inſidias veritus, æquo conſenſu ſceptra poſuit, & exiguo cum comitatu, trajecto Danubio, ad Ratbodum Pannoniæ ſuperioris Comitem venit: ubi Chriſtianæ Religionis inſtitutis edoctus, & aquâ ſalutari tinctus, (alij tamen jam antea Chriſtianorum ſacris inſtructum fuiſſe volunt) inſuper â *Ludovico Germanico Ludovici Pij Imp. filio*, certâ portione terræ ad Savum flumen donatus, reliquum vitæ sàt diuturnæ in pace tranſegit, relicto filio *Hezylone* â Moravis poſtea per inſidias occiſo.

cui ferendo ob emergentes contra ſe factiones impar, ſponte Regno cedit, & in Carinthiam abit, circa an. 838. Avent. l. 4. Anon. de Converſ. Carinth. Carol. Stengel. in comment. Auguſt. part. 2. cap. 7.

Succeſſit illi Mogemir II. & huic Radislaus, Cromer. l. 2. rer. Polon. in Piaſto, putat Ratislaum eſſe ex Popelij Poloniæ Ducis poſteris unum. qui initâ cum Geſtimulo Rege Dalmatiæ affinitate, Hungaros bello aggreditur. Comen. ibid. Aimonius de geſtis Francorum. Adelm. in Annal. Francor. ad an. 821.

Hunc in modum Brynnone in exilium acto, *Mogemir*, de quo diximus, ejus nominis II. ſceptrum Regni obtinuit. Cui circa annum 842. *Raczko* ſeu *Raſtislaus* vel *Radislaus* (Germani *Raſticen* nominant) *Mogemiri I. ex Lidovito fratre major natu nepos*, jam ab annis aliquot, mox poſt interitum Patris ſui, de quo ſuo loco libro ſequ. in Moravia apud Patruum exul. Hic in ætate, quæ virum faciat, conſtitutus, robuſto corpore & animo vaſto, mox initio regiminis, Patrui imitatus veſtigia, Hungaros bello aggreſſus eſt, tum ut jugum tributi excuteret, tum ut fratris *Bogislai* cædem ulciſceretur. Priùs tamen cum *Geſtimulo Rege Dalmatiæ*, *Bornæ* Regis an. 821. defuncti nepote, & *Ladæ* proximè regnantis fratre, de omni controverſia, quam hæreditatis ſuæ, ab eodem *Lada*, poſt cædem *Lidoviti* patris, per vim occupatæ & detentæ causâ, pridem habebat, amicè tranſigendum exiſtimavit: quo facto, non tantùm fœdus, ſed affinitatem etiam, ductâ in conjugem *Miloslavâ* ejus filiâ, inijt; átque itâ conjunctis armis & viribus, Hungaros, tanquàm communes hoſtes, bello perſequi conſtituit. Annuit primò conatibus ejus fortuna:

nam

nam æſtate non totâ tranſactâ, *Inſulam Scythicam*, omnémque illum Pannoniæ ad Arrabonem tractum, ipſas quóque celeberrimas Urbes, *Muſonium*, *Sabariam*, & *Veſprinium*, regiam quondam Majorum ſuorum ſedem, ſingulari felicitate uſus, in ſuam poteſtatem redegit: átque in tantas Hungaros adegit anguſtias, in quantis non fuerunt, â quo Pannoniam ingreſſos ſeſe meminiſſent. Sed ùt rerum omniũ viciſſitudo eſt, cùm *Radislaus*, veluti alter *Hannibal*, fortunâ proſequi negligeret, & tardiùs, quàm ex militaris diſciplinæ præſcripto opportebat, curſui victoriæ inſiſteret, Hungari ultimâ virtutum deſperatione acti, nocte quâdam intempeſtâ, in caſtra ejus, non procul â *Veſprinio*, necopinatò irruerunt, tantâ animorum rabie ac ferociâ, ut Moravi irruptione tam repentinâ perculſi, & ad reſiſtendum imparati (quippe omnis repugnandi poteſtas, eo improviſo hoſtium inſultu, ijs erepta fuit) non diu vim præſentem ſuſtinere potuerint, ſed actutum fugam dare, palantéſque & effuſè in tutiora dilabi cogerentur. Radislaus cùm diu fortiſſimè cum prætoriano, quem circa ſe habebat, milite pugnam ſuſtinuiſſet, tandem etiam fortunæ adverſæ ceſſit; & montibus Baconianis Arrabonéque fluvio ſuperatis, Sabariam profugit.

Pannoniæ magnam partem recuperat.

Hungari ſupremo virtutis ac fortitudinis conatu edito, Moravos inopinatò adoriuntur & profligant:

Porrò Hungari eo ſucceſſu, ceu fauſto ad recuperandum amiſſa omine, læti auctíque animis, nec victo pulsóque Moravo, ocium aut quietem dandam arbitrati, eum perſequi decernunt: cujus recollectas è fuga copias novâ rurſus clade profligant; ac tandem tertio adhuc prælio fuſum, fugatúmq; Pannoniâ totâ ejiciunt. Ultimò poſt multas contentiones pax utrinq; coaluit, eâ lege: ut Rex jus omne, quod in Pannoniam inferiorem habere ſe gloriaretur, Hungaris cederet: ac viciſſim Hungari, inviolabili pace cum Rege ſervatâ, ei in dilatandis Regni finibus, ſeu Occidentem, ſeu Septentrionem versùs, auxilia præſtare tenerentur. Jámq; tum temporis Rex ſecretioribus conſilijs bellum contra Germanos, pro Pannonia ſuperiori, nempe Auſtriâ, quæ olim ad Moraviæ Regnum pertinebat, eis adimenda, ſibíq; denuò vindicanda, ut brevì poſtea re ipsâ patuit, meditabatur.

Moravi Pannoniâ totâ ejiciuntur.

Pacis leges Radislaum inter & Hungaros.

Nam cùm inaudijſſet, defuncto Imperatore *Ludovico Pio*, inter filios *Lotharium*, *Ludovicum* & *Carolum*, civile exarſiſſe bellum, copias quàm potuit maximas collegit, ac ſummâ celeritate uſus, in Auſtriam vaſtabundus irruit; quem deinde ſubſequuti fuerunt, pro eo, ac juxta pacta debebant, Hungari & Dalmatæ cum Croatis, in communionem armorum adſciti. Auſtriam bipartito agmine ingreſſi, omnia incendijs ac cædibus horribiliter defœdârunt, triſtiſſima ubique inauditæ crudelitatis relinquentes veſtigia. *Vindobonam* (nunc *Viennam*) Hungari; *Fulnam* & *Ibiſſam* Moravi, vi ceperunt, & diripuerunt magna cum ſtrage mortalium: quod eveniſſet etiam *Laureaco Urbi tum florentiſſimæ*, & ab antiqua ſede Archi-Epiſcopali, apud vicinos quosq; Chriſtiani nominis populos celeberrimæ, quam nunc *Anaſoburgum* ab Anaſo flumine dicimus; nî tempeſtivè Clerus loci, protectionem *Regis Dalmatarum Geſtimuli* Chriſtianâ Religione imbuti implorâſſet; qui tutelam Urbis ſuſcepit, & uti erat etiam apud barbaros authoritate ſingulari conſpicuus, eam ab excidio conſervavit.

Radislaus initâ cum Croatis & Hungaris armorum ſocietate, in Auſtriam vaſtabundus irrupit.

Viennam Hungari, Tulnam & Ibiſſam vi occupant, & exſcindunt.

Laureacũ, protegente Geſtimulo Rege, à pari calamitate liberatur.

Hunc

Rhegin. l. cit. Mariã. Scot. l. 3. Siffrid. Epitom. lib. 1.
Geſtimulus occiditur in prælio.
Schaffn. an. 844 Mariã. an. 846. Gemlac. an. 845. Thuroc. in Chron. Hung. part. 2. cap. 24.
Radislaus victus, & tributarius factus.
Radislaus quietis impatiens.

Ità ex improviſo, jacta fuêre initia funeſti admodùm cruentíq; belli; quod non niſi quinquennio exacto, cùm res Moravorum, fuſo exercitu Dalmatarum, & Rege eorum *Geſtimulo* occiſo, Hungaris quóq; ut ſua domi contra Bulgaros & Scyrhos ſeu Servios tuerentur, ad maturandum reditum coactis, plurimùm acciſæ, in extremo penè diſcrimine verſari cæpiſſent, terminatū eſt, cum ſummo dedecore Radislai; qui ùt temerarius arma in Germanos ſuſcepit, ità inglorius ea depoſuit, ultimò Germanorum, non ſine graviſſimo avitæ libertatis præjudicio, beneficiarius factus: ſed de eo plura ſequenti libro.

Movit deinde bellum in *Hoſtivitum Bohemiæ Principem*, contra quem ipſemet expeditionem ſuſcepit: jámq; confinijs Bohemiæ, à parte ea, quà ſaltus Hercyniæ humilior eſt & rarior, imminebat, cùm derepentè nuncijs affertur inſperatis, Hungaros Moraviam ingreſſos, horribili graſſatione obvia quæque populari, & urere crudeliter. Proinde ab inſtituto deſiſtere & reverti, virésque omnes adversùs Hungaros convertere coactus, Bohemos in quiete reliquit: támq; incompoſiti ac turbulenti animi Princeps fuit, ut re cum Hungaris transactà, mox iterum datæ fidei oblitus, arma in Ludovicum Regem ſtrinxerit; quod iteratò ſæpiúsq; fecit, donec tandem captus, & admoto pupillæ candenti ferro, viſu privatus, âdque perpetuos carceres in Bojoariam abductus eſt.

Hagek ad an. 851. Marian. l. 3. ad an. 852. Schaff. ad an. 853. Rudolph. in Annal. Francor. ad an. 855. 858. 863. 864.
Radislaus capitur, exoculatur, moritur.
VValofrid. Strabo in contin. Annal. an. 869. 870. Daubrav. l. 4. Rhegino. Sigebert. Schaffnab.
Svatoplucus nepos ei ſuccedit:

Capto & abducto Radislao, ac brevi poſt fatis functo, *Svatoplucus* ejus nepos ſceptrum Regni Moravici eſt conſecutus. Hunc tametſi primum è Regibus Moraviæ, â *SS. Cyrillo & Metudio Slavonicæ gentis Apoſtolis*, in Chriſtiana Religione inſtitutum, ab idolis ad veri Dei cultum confugiſſe plerique velint: ex alijs tamen notæ probatioris Scriptoribus, ùt aliquid paulò ante innuimus, manifeſtè liquet, longè ante illum, *Radislaum, Mogemirúmque Reges*, & fortaſſe etiam Caroli Magni tempore, *Samoslaum*, fuiſſe Chriſtianis imbutos legibus. Subſiſtere hìc parumper neceſſe video, & rem præſentem paulò clariùs demonſtrare.

Aventin. Annal. Bojor. lib. 4. & alij, qui videantur apud Goldaſtum l. 5. Brunner. in Annal. Bojor. Part. 2. l. 6 Adzreit. in Annal. Bojor. Part. 1. l. 9.
Religionis Chriſtianæ initia in Moravia,
S. Paulin. in Vita S. Ambr. Baron. in Vita S. Ambroſ. VVelſer. rer. Boic. lib. 2.
ſub Marcomanis:

Cùm regnante *Conſtantino Magno Imp.* pace Eccleſijs reditâ & ſtabilitâ, magnam jam Orbis partem, lumen Chriſtianæ Religionis illuſtrâſſet, brevì tenuis quædam ipſius lux *Marcomanorum* quoque terras afflaverat: conſtat enim *Fritigildem Marcomanorum Reginam* Chriſtianam fuiſſe. Teſtatur id S. Paulinus, qui tunc vixit, in vita S. Ambroſij, & ex illo Baronius, Marcus Welſerus & alij. Welſerum Virum Clariſs. & exactæ eruditionis, Reipublicæ Auguſtanæ quondam Conſulem, de hoc quomodo acciderit, narrantem audiamus. *Anno poſt Chriſtum natum 396. quòd Ambroſius Mediolani Epiſcopus inſigni ſanctimoniæ laude floreret, fama univerſum terrarum Orbem pervagata ad Marcomanos pertigit,* (quod tanto faciliùs accidere potuit, quia Illyricum cum vicino Norico & Pannonia, ad D. Ambroſij curam pertinuiſſe ſcimus, cùm is Avennium Sirmij Epiſcopum initiaverit). *Horum Regina tunc Fritigil, cùm Chriſtianum hominem ex Italia profectum de eo narrantem audiviſſet, inſolita virtutis admiratione capta, Deum cui tantus vir ſerviret ſibi colendum ſtatuit: miſſiſque Mediolanenſi Eccleſiæ muneribus, rectæ fidei formulam, ad quam ſe componeret, ab Epiſcopo petijt. Ambroſius copioſâ Epiſtolâ, quæ hodie non extat, reſcripſit, tum Fidei quæ petebantur capita proſequutus, tum hortatus Reginam, marito pacem cum Romanis perſvaderet: quod illa diligenter curatum, effectum dedit. Sequenti anno Doctorem ſuum coram viſura, Mediolanum adijt: quo priusquàm illa perveniret, is rebus humanis exemptus eſt.*

Hunc

Digitized by Google

Hunc igitur in modum jacta fuêre in populo Macomanico qualiacunque, ſed ea tamen ſucceſſu temporis non parum aucta, Chriſtianiſmi fundamenta; præſertim cùm ipſemet Rex, hortatu Reginæ, ſeſe populúmque ſuum, ùt refert S. Paulinus, Romanorum fidei tradidiſſet, ità ut poſtmodùm Marcomani, inter præcipua Romana auxilia aſſumpti, meruerint *Imperatoris Honorij* appellatione cohoneſtari, & dici *Honoriani Marcomani;* quod vix obtinuiſſent, niſi Chriſtiani fuiſſent. Aliquid de his Chriſtianæ Religionis apud Marcomanos initijs, innuit etiam *Chriſtannus Boleslai Sævi Bohemiæ Ducis minor natu filius*, profeſſione Monachus Ord. S. Benedicti, primus, quod ſciamus, rerum Bohemicarum Scriptor, in Vita & Paſſione S. Ludmillæ, & S. Wenceslai, dum dicit: *Moravia Regio Slavorum, antiquis temporibus, famâ memorante, creditur & noſcitur Chriſti fidem percepiſſe, Auguſtini magnifici Doctoris, ùt ajunt, temporibus.* Tum etiam Evgenius II. Pontifex Max. in literis Apoſtolicis, quarum ſummam paulò poſt referemus, ubi dicit; *jam Romanorum Gepidarúmque temporibus, Laureacenſem Metropolitanum, ſeptem Epiſcoporum Parochias in ijs locis*, nempe Moravia, Hunnia & Pannonia, *habuiſſe*.

VVelſer. rit. Notitia Imperij Occid. inter auxilia Palat. Vexillat. Comitat. & alibi.

MS. Chriſtanni de S. Ludmilla & S. VVenceſl. Codex, qui ſervatur in Archivo Capit. Eccl. Prag.

Evgen. II. an. 826.

Sub Attilæ temporibus, & poſt, cùm *Marcomanorum* nomen ſenſim extingui, & è contrà *Slavorum* invaleſcere cæpiſſet, cæpit & Chriſtiana Religio in Moravia, à novis colonis, utpote idololatris, opprimi; præſertim poſt *D. Severini* obitum, qui in Pannonia ſuperiori moratus, & ipſis etiam barbaris, Rugis àtque Herulis ibidem dominantibus ſingulariter gratus, vicinæ quóque Moraviæ, tanquam propitium & ſalutare aliquod Sydus fulſit, circa an. Chriſti 480. Illo itàque mortuo, facilè & Religio, cùm vix ullus eſſet, qui eam pari virtute ac fortitudine ſuſtentaret, ſuccubuit: tum enim *Hunni, Avares & Slavi* (quod D. Severinus prædixerat) per Pannonias & Noricum longè latèque effuſi, per obvia quæque, potiſſimùm verò, ubi Chriſtianos comperiſſent, graſſabantur immaniter: ità ut non modò omnia ferro flammiſque vaſtarent, ſed etiam falſis ſuis numinibus, humanas victimas per ſummam crudelitatem immolarent, in illos præcipuè ſævi, quos Chriſtianæ obſervantiæ præ cæteris videbant eſſe tenaciores, rati, ſe demum fore pios, ſi pietatem extinxiſſent. Nec niſi an. 791. & ſequ. dum *Carolus Magnus*, repreſſis ab una parte *Slavis Moravis*, ab altera verò debellatis *Hunnis & Avaribus*, victrica arma in Pannoniam, ad flumen usque Arrabonem protuliſſet, eâque occaſione Chriſtianam Religionem, cujus promovendæ erat ſtudioſiſſimus, in illis partibus propagandam ſuſcepiſſet, etiam Moravis aliqua iterum Evangelij lux affulſit. Quo tempore *Samoslaw Rex Moraviæ*, ab eodem Imperatore bello petitus, & à *Saxonibus, Friſijs & Turingis*, improviſâ irruptione, uti dicetur libro ſequenti, penè obrutus, è præſenti diſcrimine ſeſe eripere, & pacem impetrare non potuit priùs, quàm ſuſcepturum ſe Chriſtiana ſacra, permiſſurúmque ut ab alijs etiam ſuſcipiantur, ſpopondiſſet. Quod an fecerit, certò non conſtat: Imperator nihilominùs devictam *Pannoniam & Moraviam*, curæ Arnonis Archi-Ep. Salisburg. commendavit, quam etiam *Adrianus I. Papa*, addito pallio, ei confirmavit an. 792.

quæ ſucceſſu temporis extinquitur.

Evgippius in Vita S. Severini. VVelſer. l. 3. Lazius de migrat. gent. l. 12.

Chriſtiana Religio denuò reſuſcitatur, *Blondus decad. 2. lib. 1. Ego infra l. 2. c. 3.*

Aventin. Annal. Bojor. l. 4. & 5. Reitberſp. in Chron. ad an. 792.

Iſtud porrò certum, *Evgenij II.* tempore, qui an. 824. menſe Martio creatus eſt Pontifex, duas Epiſcopales ſedes in Regno Moraviæ, unam *Nitriæ, Juliomontij* ſeu *Olomucij* alteram fuiſſe: ex quo apparet, non modica jam tunc fuiſſe in Moravia Chriſtianæ Fidei incrementa. Cathalogus quóque Epiſcoporum Paſſavienſ. apud Dreſſerum refert, anno 807. *Runbarium* (vel *Reginarium* fortaſſe) *Epiſcopum, Moravos ad Chriſtum convertiſſe*, & ſacro fonte abluiſſe; eſtò id non de univerſa gente, ſed aliqua tantùm parte Danubio viciniori, accipi neceſſariò debeat. De *Urolpho* ſeu *Trolfo* ejusdem Eccleſiæ Epiſcopo ſimiliter legimus: Danubium transgreſſum, Moravos in Religione Chriſtiana diligentiſſimè excoluiſſe, tandémque operæ inter populos gentiles poſitæ rationem Evgenio II. redditurum, Romam abijſſe; ibique à Pontifice peramanter acceptum, & *Laureacenſium Archi-Epp.* juribus gaudere juſſum, pallióque donatum, ac inſuper ampliſſimis verbis, tam Epiſcopis, quàm Ducibus Provinciarum, quas inſti-

Dreſſer. in Epiſc. Paſſav.

majora indiès incrementa ſuſcipit.

Digitized by Google

(†) Videantur apud Gold. in Cōment. de jurib. & Privil. Regn. Boh. in Append. Docum. ad init.

ſub Epiſcopis Olomuc. & Nitrienſi: &

inſtituendas ſuſceperat, nempe *Moraviæ & Pannoniæ*, recommendatum, ad urgenda feliciter cœpta remiſſum eſſe. Id ipſum recenſetur in litteris Evgenij II. quarum jam mentionem fecimus, quas proinde, vel aliqua ſaltèm ex ijs deſumpta, audiamus. (†)

EVgenius Epiſcopus. Servus Servorum Dei. Rathfredo Sanctæ Favianenſis Eccleſiæ, & Methodio Eccleſiæ Speculi-Julienſis, quæ & Soriguturenſis nuncupatur, átque Alewino Sanctæ Nitravienſis Eccleſiæ, parique modo Annoni S. Wetvarenſis Eccleſiæ Epiſcopis: ſimul etiam Tuttundo, nec non Moymaro Ducibus, & Optimatibus Exercitibúsque plebis Hunniæ, quæ & Avaria dicitur, & Maraviæ. Deſiderio ſalutis & animarum veſtrarum, Filij in Chriſto chariſſimi. Cùm audivimus Chriſtianiſſimam converſationem veſtram, & ſanctæ Fidei, bonorúmque operum veſtrorum proceſſum, ſummo gaudio átque lætitia fuimus exhilarati, &c. Cujus optabilis rumoris jndex fuit, reverendiſſimus Trolfus S. Lauriacenſis Eccleſiæ Archi-Ep. & ſanctiſſimus frater noſter, veſter autem ſpiritualis pater, qui per ſuam ſanctam prædicationem adoptivos Deo vos genuit filios. Is itáque ad Apoſtolorum limina orationis causâ veniens, novam Eccleſiam noſtris Apoſtolicis benedictionibus informandam ſubnixè commendavit, quam, Domino auxiliante, Catholicè gubernandam in veſtris partibus ſuſcepit: in quibus etiam quondam Romanorum quoque Gepidarúmque ætate, ùt lectione certum eſt, in ſeptem Epiſcoporum parochias, anteceſſores ſui jure Metropolitano obtinuerant Diœceſim. &c. Quem nos ab hac Sancta Romana matre Eccleſia vobis tunc Rectorem transmiſimus: átq; etiamnum in præfatis regionibus Hunniæ & Maraviæ, provinciarum quoq; Pannoniæ ſive Mœſiæ, Apoſtolicam vicem noſtram & Diœceſim, átque jus Eccleſiaſticum exercendi, & uſum ac poteſtatem Anteceſſorum ſuorum, videlicet S. Lauriacenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcoporum, ſibi Succeſſoribúsque ſuis, canonicâ authoritate committimus. Pallium præterea, juxta conſvetudinem antiquam, Sanctitati ſuæ dedimus &c. Idcirco ut accreſcat turba fidelium, ſtudeat ſolertia veſtra, pro mercede & remiſſione peccatorum veſtrorum, adminiculum átque juvamen præbere Rev. Trolpho Archi-Ep. quatenus dudum illic conſtitutorum Epiſcoporum numerus impleatur, &c. Datæ an. 826. Ex quibus ſatis ſupèrque patet, Mogimirum Chriſtianum fuiſſe, & ipſo regnante, jam duas Epiſcopales Cathedras in Moravia, Nitriæ, ùt dixi, quæ tunc ad Moraviæ Regnum ſpectabat, & Olomucij extitiſſe.

ſub Archi-Ep. Laureacenſibus ſeu Epiſcopis Paſſav.

Alius Methodius, alius Metudius Epiſcopi Moravi.

Sed hoc imprimis animadvertere oportet, *Methodium* illum *Epiſcopum Speculi Julienſem*, cujus mentio fit in Evgenij Papæ literis, longè eſſe diverſum à S. Metudio, S. Cyrilli fratre: id enim primò natio, (*Illyricus* ille, hic *Græcus*) deinde ritus & munus, (ille *Paſſavienſi*, ſeu *Laureacenſi Archi-Epiſcopo* ſubjectus, hic *Welebradenſis Archi-Epiſcopus*,) ac tandem ætas, (ille circa an. 826. miſſus in Moraviam, obijt an. 840. hic ab Adriano II. qui ab an. 867. usque ad 872. Pontificatum geſſit, *Moravorum Apoſtolus & Archi-Epiſcopus*, ùt Baronius ex Joannis VIII. literis probat, eſt conſtitutus) clarè oſtendunt.

Baron. in Annal. Eccl. ad an. 867.

Collapſa Religio Chriſt. rurſum per SS. Cyrillum & Metudium reſtauratur.

Cæterùm hæc omnia quaſi primus quidam radius, & divinæ lucis, ùt ſic loquar, crepuſculum fuit, non parùm deinde ſubſequentibus annis, civili bello, quod *Brynonem* inter & *Mogemirum II.* exortum erat, & alijs adhuc accedentibus turbis obſcuratum: diem ipſam Evangelij, duo cœli lumina, *Cyrillus & Metudius fratres*, Moraviæ intulerunt. Hi námque origine Græci, à *S. Theodora Imperatrice Conſtantinopol. Michaëlis Imp. conjuge*, ad convertendas vicinas Slavonicas Gentes miſſi, poſtquàm primò linguam Slavicam magno labore didiciſſent, ac deinde *Myſos, Bulgaros, Gazaros Ponti Euxini accolas, Triballos & Boſnas*, aliósque Slavonici nominis populos, prædicatione & miraculis ad Chriſti nomen perduxiſſent, ſucceſſu ipſo fælici invitante, in *Moraviam* tandem, *Nobiliſſimum id temporis Regnum*, appulerunt; ubi authoritate à Romanis Pontificibus, *Nicolao I.* deinde *Adriano II.* (ùt Joannes VIII. Adriani ſucceſſor in Epiſtolis teſtatur) acceptâ, brevì permagnos fecerunt in erudienda multitudine profectus: tantâ denique fælicitate in Evangelio laborârunt, ùt priorum Operariorum,

Baron. ſupra cit.

ſive

ſive illi Paſſavienſes, vel potiùs Laureacenſes, ſive Salisburgenſes fuerint, omnem memoriam rebus à ſe ſanctiſſimè geſtis, extinxerint, totámque *Moravorum Gentem*, cum Rege & Regulis, ſeu Ducibus omnibus, adduxerint ad Chriſtum, fundato etiam *Welebradi Archi-Epiſcopatu;* alijs verò Epiſcopatibus, qui injuriâ temporum fuerant deſolati, uti *Speculo-Jul. & Nitrienſis*, denuò inſtauratis: alijs noviter erectis. Sua itàque *Divis Cyrillo & Metudio*, manet manebitque gloria, *quòd Doctores & Apoſtoli Moravorum* dici mereantur. SS. Cyrillus & Metudius Apoſtoli Moraviæ.

Poſt illorum obitum, ùt id paucis adhuc attingam, cùm Moravia inter manus hoſtium, Hunnorum præcipuè, laceraretur & periret; de quo infra, Religio iterum Chriſtiana magna detrimenta ſenſit; extincto *Archi-Epiſcopatu Welebradenſi*, cæteríſque Cathedralibus Eccleſijs, funditùs everſis: Sacerdotibus verò per varia diſperſis, & multis etiam ab hoſtibus barbaris occiſis. Poſtquàm deinde Moravi à clade accepta ingenti, nonnihil reſpirâſſent, *Joannes Epiſcopus antè Podivinenſis*, Paſtoralem totius provinciæ curam ſuſcepit, & poſt illum *Silveſter:* quo mortuo Sacrorum moderatio penes *Epiſcopos Paſſavienſes* (non Ratisbonenſes, ùt vult Auguſtinus Præpoſ. Olom. in Cathalogo Epiſcoporum Olomuc. & ego ſecutus illum, in Prodromo Moravographiæ, quod corrigi velim) fuit, ad uſque tempora *S. Adalberti Prag. Epiſcopi*, ſub quo Moraviæ Epiſcopatus, operâ *Boleslai Pij Bohemiæ Ducis*, & aſſentiente *Benedicto VI. Papa*, eſt Eccleſiæ Pragenſi annexus: quæ unio duravit conſequenter per annos facilè octoginta & ampliùs, donec *Wratislaus Princeps*, & *Severus Epiſcopus*, *Alexandro II.* (qui ab anno Chriſti 1060. ad 1072. rexit Eccleſiam) annuente, conceſſerunt, ut denuò ſuum ſibi Moravi Epiſcopum haberent. Et quia Severo id datum fuerat, ut Epiſcopum Moraviæ, quem ſciret hoc ampliſſimo munere dignum, nominaret, nominavit ille *Joannem Canonicum Prag.* quem *Sigefridus Moguntinenſis Archi-Ep.* (unde apparet Epiſcopatum Moraviæ à Paſſavienſi, vel potiùs Laureacenſi, ad quem primitùs ſpectabat, abſtractum, & Moguntino Metropolitano ſimul cum Pragenſi fuiſſe ſubjectum) ordinavit.

Religionis & Regni Morav. excidium.

Status Religionis in Moravia, annis ſequ.

Moravia ſub Epiſcopis Prag.

atque iterum ſub Epiſcopis proprijs.

AD *Svatoplucum* redeo, qui regiminis ſui initio, amicitiam Germanorum comiter utcunque coluit: poſtea exacerbatus facto *Carolomani, filij Ludovici Germanici*, qui eum *Mutaram* vocatum, & crimine perduellionis inſimulatum, *Ratisbonam* in cuſtodiam miſit, brevì tamen, cùm ei objectum crimen probari non poſſet, juſſu Patris, liberum ac inſuper Regijs muneribus honoratum dimiſit, odio in illos exarſit ſummo; &, ùt inſatiabilis injuriarum ultio, ac vindictæ cupiditas, in exacerbatis hominum animis multùm poteſt, ad ulciſcendam hanc contumeliam, vires omneque ſtudium convertit. Domum ergo reverſus, mox delectum quàm fortiſſimorum ſummâ adhibitâ celeritate inſtituit, & exercitu valido comparato, *Carolomanum* bello adoritur: quod diu variâque fortunâ geſtum fuit, donec poſt varias utrinque acceptas clades, pax tandem intervenit: quam deinde nova affinitas, cùm *Svatopluco* eſſet deſponſata *Athleta filia Carolomani*, firmiùs ſtabilivit. Quamvis & poſtmodùm non ſemel, inter ſocerum & generum, recruduêre ſimultates graves & diſſidia; ùt fit, dum ſemel in exulceratis animis altiùs odia inſederunt.

Simultates, cauſa novi belli: *VValefrid. ad an. 871. Aventin. l. 4. Vigner. an. eod.*

quod non niſi affinitate interveniente eſt terminatum. *Valafrid. ad an. 872. & ſequ. Spangenb. c. 105. Aventin. Calviſ. Sigebert.*

Carolomano in Italia, unà cum fratre *Carolo*, brevì poſtea Cæſare ejus nominis III. bello gravi occupato, natus fuit Svatopluco Regi filius *Svatobogus*, anno Chriſti 882. quem loco Caroli à Svatopluco ſuper hoc amicè requiſiti,

Svatopluco naſcitur filius Svatobogus.

Digitized by Google

ſiti, levavit de fonte ſacro, *Arnolphus filius Carolomani*, tum *Carinthiæ, Valeriæ, Auſtriæ & Bojariæ Princeps*, frater Athletæ; qui deinde Carolo Patruo defuncto, Cæſar factus, Svatopluco affini penſionem annuam, quam *Bohemi Carolo M. non tributi, aut ex aliquo ſervitutis debito, ſed honorarij nomine, & ex amicabili pacto, quotannis pendendam ſpoponderant*, conceſſit: non verò ipſum *Bohemiæ Ducatum*, ùt aliqui perperam aſſerunt; quod exinde patet, quia nunquam Svatoplucus Bohemiam in poſſeſſionem accepit, nec ut acciperet, egit. Non multò ante, natus quoque erat Arnolpho filius, ſed è pellicatu, quem pari obſequij genere *Svatoplucus* de luſtrico fonte levavit, & ſuo nomine inſignivit. Huic poſtmodùm pater Lotharingiæ regnum tradidit.

Daubraſ. l. 4. Boregk in Chrō. Boh. Rhegino l. 2. an. 890. Sigebert. an. 893. Calviſius. Aventin. Brunn. Annal. Bojor. l. 7. §. 4.

Svatoplucus Religionem Chriſtianam diligenti ſtudio propagat: Epiſcopatus, ſcholas &c. inſtituit, an. 873. & ſequ. Templa erigit:

Habitâ cum Germanis, & alijs finitimis pace Svatoplucus, cùm non ignoraret, Regna pietate & juſtitiâ potiſſimùm ſtabiliri, animum ad propagandam Religionem Chriſtianam, quam â teneris amplexus erat, convertit, Scholas pro erudienda juventute inſtituit; *ſedem Archi-Epiſcopalem Velebradij*, & alias Epiſcopales, de facultate & benedictione Joannis VIII. Papæ erexit, reditúque ampliſſimo dotavit. Ædes quoque ſacras paſſim in Provincia extrui curavit, tantóque omnia per univerſum Regnum purioribus novæ pietatis exercitijs ardentiùs perſonabant, quantò veterum numinum vanitas, ſuperſtitioníſque prioris illuſio ſtulta, evidentior fiebat. Mira videbatur in terriculorum fanis larariíſque ſolitudo. Neque ſolùm domî, hic ejus propagandæ Fidei Zelus enituit, ſed, antea jam foras quoque ſummo cum animarum lucro erupit. Nam cùm *Radislaus* invitâſſet ad ſe *Borzivogium Bohemorum Ducem*, fœderis confirmandi causâ, anno 864. occaſionem (jam tum propagandæ Religionis Chriſtianæ deſiderio flagrans,) præbuit, ut & Duci, doctrinâ *Cyrilli Antiſtitis, fratriſque ejus Metudij* inſtructo, & *Bohemorum Genti*, poſtea puriſſimum Chriſtianæ Religionis illuxerit lumen: de quo ſuo loco. Sunt, qui cum *Hagecio, Pontano*, & quibusdam alijs, id accidiſſe velint primò an. 894. quod tamen ratione temporum penitiùs inſpectâ, ſuſtineri omninò non poteſt. Nam certiſſimis argumentis conſtat, *D. Cyrillum*, corpus *S. Clementis Papæ & M.* Cherſonæ inventum, ſub Borzivogio, mox poſt ipſius converſionem, in Bohemiam attuliſſe; quod, vel tot templa in honorem ejusdem Sancti, per Bohemiam tum ſtatim ædificata; uti *Litomiſſlij, Hradecij, Saczkæ*, quà idem D. Cyrillus tranſibat; ac demum *Pragæ in arce VViſſebrad. in vicu Porzicenſi, in Urbe Majori propè pontem, & in caſtello Hradecz*, uno milliari infra Pragam, in monte excelſo ſupra flumen Moldavam: faciunt manifeſtum. Cùm verò etiam pro indubitato ſit, illud ſacrum corpus, Romam ſub *Nicolao I. Pontifice*, qui anno 867. die 13. Novembr. obijt, allatum eſſe: proinde neceſſe erit, cùm Cyrilli adventum in Bohemiam, tum Borzivogij converſionem ad Chriſtianam Religionem ante annum 867. ſtatuere, & ea quæ ab Hagecio & alijs, de Borzivogio, & Chriſtianâ Religione in Bohemiam allata, déque *SS. Cyrillo & Metudio* narrantur, ad annum 864. qui erat Borzivogio, â ſuſcepto poſt Hoſtivitum patrem an. 856. defunctum, regimine octavus, referre. Sed de hoc

Cùm antea etiã Borzivogium Bohemiæ Ducem lucrifeciſſet Chriſto.

Prodrom. Moravog. l. 3. cap. 2. an. 884. Dàubraſ. l. 4. Æn. Sylv. c. 12. Hagek. Boregk.

Breviar. Rom. in feſto S. Clem. lect. 6. Breviar. Prag. in feſt. SS. Cyril. & Met. lect. 4. Baron. in Annal Eccl. an. 876.

Digitized by Google

hoc fuſiùs, & ex conſtituto egimus, in *Phoſphoro Septicorni Gloriæ S. Metropol. Prag. Eccleſiæ, Radio III.* Jam ad rem.

Circa annum 890. exarsêre iterum graviſſimæ *Svatoplucum inter, & Arnolphum Cæſarem* ſimultates; eò quòd iſte potentiam illius vellet imminutam, (longè enim Prædeceſſores ſuos, tam animi magnitudine, quàm ditionum poſſeſſione Svatoplucus anteibat) hic verò Cæſaris authoritatem cuperet eluſam. Aut potiùs, quia Svatoplucus videbatur magìs reſpicere, ac revereri Græcorum, quàm Germanorum Imperium, *Leoni V. cognomento Philoſopho Imp. Conſt.* ultra quàm ferre poſſet Arnolphus, familiaris. Ad arma igitur ventum; quæ utrinque diu multúmque exercuerunt: neque depoſuerunt priùs, donec ipſemet Svatoplucus, commiſſo infeliciter prælio, cum Hungaris â Cæſare evocatis, in communi ſuorum ſtrage cecidit, hoſtium ne dum Moravorum lachrymis lugendus. Aliqui ſcribunt, quòd è medio pugnæ, cùm victoria inclinaret ad hoſtes, ſeſe clam ſubtraxerit, & in eremum conceſſerit, perſeverans ibi in ſuſcepto Dei ſervitio, usque ad extremum vitæ: ſed hoc alij adſcribunt filio ejus *Svatobojo Regum Moraviæ ultimo.* Alij iterum victum, ac Cæſari ſupplicem brevì poſt triſtitiâ, ægritudinéque animi mortem oppetiſſe dicunt: quod probabilius eſt, ùt dicetur infra.

Novæ ſimultates.

Novum bellum.

Daubrav. l. 4. Luitprand. l. 1. rer. ab Europæ Impp. & Regg. geſt. cap. 5. Valafr. ad an. 892. Hepidannus in Annal. 893. Calviſ. in Chron. 893.

Svatoplucus prælio victus.

Æn. Sylv. c. 13. Krantz. l. 2. Sax. cap 32. Daubrav. l. 4. ejus obitus.

Svatopluco extincto, ſuperſtites erant duo filij, *Svatobogus & Mogemirus,* hic ante legitimas nuptias natus. Cæſar igitur Moraviam ingreſſus, ante omnia id unicè cum *Archi-Epiſcopo & Optimatibus* egit, ut *Svatobogus,* tanquam legitimis ortus Natalibus, ideóque coronâ & ſceptro dignior, Regno inauguraretur: aſſignatâ certâ Regione, Vagum versùs, *Mogemiro*, ut habitâ hæreditatis parte, eò quietiùs ſe contineret. Quod utrumque conſentientibus procerum votis, eſt impræpeditè completum. Quoniam verò novus Rex ob imbecillitatem ætatis, nondum videbatur, tanto Regno adminiſtrando, Réique publicæ gerendæ & gubernandæ ſatìs idoneus, Cæſar, & ipſius, & Regni curam nonnullis ex Proceribus, quorum fidem compertam habebat, & è quibus Metudius Archi-Epiſcopus primus cenſebatur, Curatorio, ùt ajunt, nomine commendavit.

Aventin. l. 4. Rhegino lib. 2. an. 894. Sigebert. an. 893.

Svatobojus Patri ſuccedit: aſſignatâ Regnī parte Orientali, fratri Mogemiro.

Aventin. ibid.

Svatobogi tutores, Regniq; adminiſtratores.

Admotus deìn Svatobogus, abſolutâ cum poteſtate, ad gubernacula Regni, cùm ex improborū conſvetudine, veluti alter Roboam factus, ſenum conſilia non admitteret, ſed pro arbitrio ſuo, & paucorum quorundam cuncta ageret; moneri aut doceri, quod aliàs juvenibus regnare incipientibus eſt perquàm ſalutare, ac neceſſarium, dedignaretur, procul nimis deflectens â paternis veſtigijs, præſertim in cultu divino promovendo; odia idcirco juſta multorum, ac præcipuè Eccleſiaſticorum incurrit. Primò omnium *Mogemiro* fratri anſa data, ut dicta ipſius factáque acerbâ obtrectatione ſuggillaret; ac demum etiam vim & arma intentaret; talia denique auderet, ut quocunque tandem modo, ipſum de ſolio Regio deturbare poſſet. Neque ſecùs accidiſſet; nam prælio fuſum cepit, in vincula conjecit, propediem fortaſſe tollendum ê medio: dum inter hæc Cæſar, miſſo ex vicina Auſtriæ Marchia in Moraviam exercitu, Mogemirum ab intentati parricidij crimine abſterruit,

Svatobogi levitas,

periculum.

Sva-

Valaſrid. ad an. 898. Aventin. fol. 366. Strada in Epitom. theſ. antiqu. in Arnolpho Cæſ.

Svatobogum verò, cùm fratri, tum Ordinibus Regni reconciliatum, ſolio paterno reſtituit. Hunc in modum Cæſare à Svatobogi partibus ſtante, Moravi vel inviti ejus imperia tolerabant. Quos ille, mutatis moribus, & benignitatem vultu, oculis, fronte, verbis ſimulans, nulliſque ampliùs facilè injurius, brevi reconciliavit ſibi omnes; itá ut tandem vix ullus eſſet, qui non libenter ei obtemperaret: tam valida ac potens eſt in Principe, ad animos ſubditorum parandos, affabilitas & benignitas.

Mogemir cum Hungaris fortiter pugnans, cadit. Svatobogi recidiva.

At fucata hæc Svatobogi comitas, nequivit diu multûmque latere, quin uti ſimulata erat, & infirmis nixa fundamentis, evaderet paulò poſt in nequitiam. Nam mortuo *Arnolpho Cæſare* an. 899. & fratre *Mogemiro* in conflictu Hungarorum occiſo, anno 902. cùm non haberet, quem revereretur timerétve, ad priorem multóque deteriorem redijt genium: agitatus, ut plurimùm ulciſcendi libidine, qua ab æquo & bono procul abreptus, graſſabatur in domos & Familias nobiles, etiam in ſummos Viros immaniter: è quibus non paucos, imprimìs verò, quos aliquando partibus ſuis contrarios fuiſſe meminiſſet, alia de cauſa comprehenſos, clam & palam nefariè interfici juſſit. Acceſſit ad ejuſmodi truculentiam, impietas in Antiſtitem Metudium;

Æn. Sylv. c. 13.

Sacrorum contemptus.

nam venationem facturus (ait Sylvius) *Archi-Epiſcopo Metudio imperavit, ne ante ſuum reditum Divina perageret. Expectavit Metudius ad meridiem usque: tandem negligi rem divinam veritus, Deo ſacrificium capit offerre. Interea Princeps ubi ſe neglectum animadvertit, ſacram ingreſſus Ædem, multitudinem canum intromiſit, tubásque clangere jubens, ad altare usque progreſſus, convitia multa ingerens, vix manus à violatione Sacerdotis abſtinuit. Ob quam rem paucis poſt diebus, Metudius in Bohemiam fugiens, Regem extra Eccleſiam fecit, Regnóque & ſacris interdixit.* His vitæ morúmq; corruptelis, Rex multo magis apud quosvis ſemet exoſum reddidit, adeóque Dijs & hominibus inviſus, nullam deinceps fortunam meruit; ſed perſtrictus anathemate à Sergio III. Papa, & banno Imperiali à Ludovico IV. Cæſare, multis & magnis adverſitatibus exagitabatur usque eò, ut tandem ad ſe reverſus, & dolore anteactæ vitæ tactus, ſolium Regium ſuâ ſponte deſerere, atque in eremum, ubi abditus & privatam vitæ rationem ſequutus, dignam ageret pœnitentiam, ſecedere conſtituerit. Quod & fecit. Die quâdam manè, equo conſcenſo, & uno duntaxat famulorum aſſumpto, foras exijt, non aliter, quàm ſi tantùm in vicinum viridarium excurrere vellet. Interea Moravâ flumine trajecto, rectâ montes proximos petijt; ac veniens in quandam vallem ex equo deſcendit, & famulo expectare juſſo, quaſi rediturus eſſet, in altiorem ſolitudinem & avias ſylvas ſeſe ſubduxit: neque ampliùs à ſuis viſus eſt. Alij de eo referunt aliter: unum hic commemorare lubet, qui itá habet: (*) *Cæſar Svatoplucum* (intelligit Svatobogum, quia Regnum Moraviæ ultimum) *majeſtatis priùs condemnatum, hoſtem Imperij haberi juſſit, ac Regnum ipſius omne, primò cuique occupanti in prædam conceſſit. Corripuerunt igitur arma adversùs illum Hungari, Poloni, Bavari; & ditiones ejus, prout cujusque vires & fortuna tulit, dilacerârunt. Rex hoſtibus tam multis neutiquam viri-*

Svatobogus odio laborat publico: ad cor revertitur; Regnum deſerit: in Eremum pœnitentiæ faciendæ cauſâ incognitus abſcedit.

Crom. de reb. Polon. l. 2. in Ziemow. Hagek ad an. 904.

(*) *M. Paulus Stransky Reip. Boj. c. 7. §. 2.*

viribus par, prælio ad Bonipontem (locus oſtenditur in Hungaria) infeliciter commiſſo, vel inter ſuos cecidit, vel (ùt plures perhibent) fugâ elapſus, inter Soboris montis Anachoretas, vitæ tempus reliquum exegit. Addit idem. *Quamobrem clade illâ Regis ſui, Moravia Regnum eſſe deſijt, & partim Hungaris, partim Polonis, partim Germanis in manus venit. Partes ab Hungaris, Germaniſque occupatæ, hactenus ſunt in eorum poteſtate: partem verò, quam Poloni occuparânt, quæq; ſola jam Moraviæ cognomentum ſervat, Bojemiæ Principes, Uldricus Brzetislausque armis in Bojemorum jura tranſire coëgerunt.* Ad hunc modum *Regnum Moraviæ*, primò per tyrannidem Regis dirè concuſſum, paulatimque impietate ſuccreſcente, velut onere quodam aggravante, inclinatum ad ruinam; poſtea eâdem impietate repullulante, & concitato inde exterarum gentium hoſtili furore ac violentiâ, graviùs impulſum corruit, ſub *Svatobogo Regum ultimo*, anno Chriſti 908.

Moraviæ Regnum viciniis populis in prædam cedit.

Moraviæ Regnum occidit.

CAPUT IV.

De Statu & Regimine Politico Moraviæ, poſtquàm deſijſſet eſſe Regnum.

Diſtracto â finitimis populis Moraviæ Regno, pars Bohemis vicinior ultro ſe fidei, ac tutelæ Bohemiæ Ducis *VVratislai I.* ſubmiſit, quam ille adverſùs omnem vim ſtrenuè tutatus eſt. Nec multò poſt, cùm etiam alij, qui remanſerant poſt cladem, circa *Bruniam, Radislaviam, Hlavvam ſeu Labam, Podivinum & VVelebradium* exuſtas tunc urbes, populi, ad eum referri curâſſent, ſeſe in ejus fidem omninò conceſſuros, ſi vel ipſe primo quòque tempore in Regnum venire vellet; vel interea aliquem magni nominis & auctoritatis virum, cum exercitu mitteret, â quo defenderentur: non diu cunctandum duxit, ſed ordinatis, ne quid per abſentiam ſuam turbaretur, domi rebus, ipſemet cum exercitu Moraviam petijt, Hungaros per obvia adhuc quæque, flammâ ac ferro graſſari non ceſſantes repreſſit; iiſque ad conditiones pacis ſubeundæ compulſis, regionem illam totam, Orientem verſùs, ad flumen usque Moravæ, in clientelam ac fidem ſuſcepit.

Moraviæ nobilior pars à VVratislao Bohemiæ Duce in fidem ac tutelam ſuſcipitur:

Daubrav. l. 4.

Reliquum trans Moravam, manſit in Hungarorum, quemadmodum Septentrionalia in Polonorum, ultra Teyam in Germanorum, qui Auſtriæ Marchionatum tenebant, poteſtate. Quamvis autem hunc in modum Principes Bohemi nobiliori parte Moraviæ potirentur: annis tamen ſubſequentibus non ſemel eorum ditione excidit: de quo infra lib. 3. eò enim mutationes illas regiminis & ſtatûs, cùm plerumque non niſi cum clade, ac funeſtâ tam urbium, quàm populorum vaſtitate accidant, recenſendas pertinere arbitramur. Aliquid deinde *Uldricus* armatâ manu recuperavit: poſtea filius ipſius *Brzetislaus*, is, qui ob invictum animi pariter ac corporis robur,

Reliquum Hungari, Poloni & Auſtriaci retinent.

Brzetislaus partem aliquã Polonis, & aliam Hungaris, vi & armis extorquet:

Digitized by Google

Achillis Bohemici cognomen tulit, in Moraviam profectus; cum copijs egregiè inſtructis, anno 1026. rurſus partem de Polonorum, & aliam non multò poſt, de Hungarorum poteſtate eripuit, in eámque amplitudinem, quâ nunc exſtat, feliciter reduxit: Et quò tutior in ejus poſſeſſione perſiſteret, *Olomucij ſtationem fixit*; ut inde, ceu è ſpecula, hoſtium conatibus; præſertim Polonorum, ſi quid denuò hoſtile conſvetis ſuis excurſionibus intentarent, obviare poſſet. Ab eo tempore Moravia arctiſſimò, legibúsque demùm confirmato nexu, in corpus coronæ Bohemicæ inſerta manet.

Olomucij ſtationem figit.

Hagek, Daubraf. Boregk. Coſmas l. 1. c. 3.

Moravia Bohemiæ incorporata:

Erat autem Principibus Bohemis ferè in more, ut ſi plures haberent filios vel agnatos, regionem hanc *fiduciæ nomine*, dominio directo, juréque ſupremo ſibi nihilominùs reſervato, inter eos dividerent, adeóque uſumfructum in ea cum dominio utili, ijs permitterent. Ità factum legimus â præmemorato *Brzetislao:* qui cùm haberet filios quinque, primogenito *Spitigneo* in ſucceſſorem deſignato, & ob hoc Primoribus Bohemiæ diligenter commendato, inter reliquos Moraviam diviſit; & *VVratislao Olomucenſem*, *Ottoni Brunenſem*, *Cunrado Znogmenſem* regionem attribuit. *Jaromirum* ſacris Ordinibus addixit.

Stransky l. 7. §. 2.

Filijs Bohemiæ Principum quandóque in uſumfructum, & dominium utile, permiſſa.

Poſt obitum Spitignei ſine prole defuncti, *VVratislaus* frater ejus, Principatum Bohemiæ adeptus, *Olomucenſem* ditionem Ottoni ceſſit, *Brunenſem* verò Cunrado adjecit. Is deinde ob navatam adversùs Saxones perduelles operam, ab *Henrico IV. Imperatore, in Comitijs Moguntinis, ex Duce Bohemiæ primus Rex eſt creatus, an. 1086.* antiquo Moravorum Regno in Bohemiam translato. Ex quo patet, Bohemiæ Regnum, *utpote Marcomanorum quondam & Moravorum*, multo antiquius eſſe Hungarico & Polonico, átq; eo nomine etiam dignius. Adjectæ fuêre in ijsdem Comitijs Bohemorum Imperio, præter *Moraviam*, etiam *Polonia, Sileſia & Luſatia:* Moravia verò ex Regno in Marchionatum commutata: â quo tempore *Reges Bohemiæ titulo Marchionis Moraviæ* uti cæperunt, & ex pacto etiam agnati, fratres, filijque eorum: qui præſtitâ Regi Bohemiæ fide clientari, Moraviæ poſſeſſione, átque uſufructu, ùt jam dixi, gaudebant.

Daubraf. l. 4. Hagek ad an. 1055.

Moraviæ Regnum in Bohemiam transfertur.

Æn. Sylv. c. 22. Coſmas l. 2. Kuntz lib. 3. Vandal. c. 11. Daubr. l. 4. Hagek, Boregk ad an. 1086.

Bohemiæ Regni dignitas.

Goldaſt. de Reg. Boh. l. 3. c. 12. §. 12.

Moravia in Marchionatum commutatur.

Gravia ſubinde bella, inter Reges Bohemiæ, & agnatos eorum Marchiones Moraviæ excitabantur, ob Marchionum quandóque contumaciam; aut neglectam in adeundo Principatu inveſtituram; aut temeratam, in perduellione manifeſtâ debitam Regibus, tanquàm Magiſtratui ſuperiori, fidem. Sic *VVratislaus Rex*, cùm intellexiſſet *Svatoplucum & Ottonem filios Ottonis fratris*, defuncto Patre, ditionem Olomucenſem occupâſſe, ſe inſalutato, armatâ vi illos aggreſſus, Marchionatu ejecit, ſubſtituto in locum eorum filio ſuo ſecundo genito *Boleslao*. *Cunradum* quóque fratrem ſibi dicto minùs audientem Brunæ obſedit, & vix ad lachrymas uxoris ejus Walpurgis, in gratiam recepit. Pari modo & causâ, *Vladislaus Vratislai Regis filius, Ottonem Marchionem cognomento Nigrum* compeſcuit: de quo Coſmas Pragenſis ità habet, dicta Wladislai referens: *volo caſtigare eum, ut caſtigatus reſipiſcat, & cognoſcat, átque ſui poſteri diſcant, quòd terra Moraviæ, & ejus Domina-*

Diſſidia Bohemos Principes inter, & Moraviæ Marchiones.

Coſmas l. 3. Hiſt. Boh. ad an. 110.

mina-

minatores ſemper Bohemorum ſint ſub poteſtate: ſicut avus noſter, piæ memoriæ, Brzetislaus ordinavit, qui eam primus Dominio ſuo ſubjugavit, nempe Polonis ereptam, qui eam occupatam aliquandiu tenuerunt. Omnes ergò, quotquot de cognitione Regum Bohemiæ Moraviam poſſidebant, *Bohemos Reges*, tanquàm ſupremos Dominos, recognoſcere tenebantur, juramento fidelitatis & homagij ijs obſtricti. Aliquos etiam ad ſupremos in Bohemia faſces, ùt *Cunradum I. Svatoplucum, Cunradum II. Przemyslum, Ottacarum II. voce populi publicâ vocatos ex Moravia*, compertum eſt.

Reges Bohemi ſupremi Moraviæ Domini.

Goldaſtus ſcribit, in quadrifaria Imperij Romani partitione, *Marchionem Moraviæ fuiſſe unum, ex quatuor S. Romani Imperij Marchionibus*, qui rebus limitaneis deliberandis in conſilio Imperij generali, præfecti erant: ex quo infert, cum ab initio immediatum Imperij ſtatum obtinuiſſe. Clariùs id liquet vel ex eo, quòd inveniantur Marchiones Moraviæ, perſæpè in Comitijs Imperialibus, ſuam quóque ſeſſionem habuiſſe, & decretis, variíſque Imperatorum diplomatibus ſubſcripſiſſe; *ùt Cunradus I. VVratislai Bohemiæ Regis frater, Moguntiæ: Cunradus II. Nornbergæ: Vladislaus frater Przemysli Ottacari I. Auguſtæ, Moguntiæ: Otto III. Aldemburgi.*

Goldaſt. cit. l. 3. cap. 16. §. 10. Marchio Moraviæ unus ex quatuor Marchionib. Imperij.

Coſmas. in Chron. l. 2. ad an. 1086. Goldaſt. lib. 4. cap. 4. §. 16. Krantz lib. 7. Saxon. c. 31. Henric. Meibom. in Chron. VValdec. Langius in Chron. Citten ſ.

Cùm deinde per funeſta apud Bohemos & Moravos, inter fratres agnatóſque Duces odia, ſimultates, ac de Principatu concertationes, genus melioris ſexûs, *de ſtirpe Przemyslo-Lybuſſæa* defeciſſet adeò, ut anno 1253. *VVenceslao Ottacaro Bohemorum Rege* fatis functo, & ſeptennio antè, filio quóque ejus *Vladislao Auſtriæ Principe, & Moraviæ Marchione* miſerabiliter extincto, non ſupereſſet niſi *Przemyslus-Ottacarus*, prætacti Wenceslai Ottacari minor natu filius: factum eſt, ut ad eum ſolum & unicum, tam Bohemiæ, quàm Moraviæ poſſeſſio, abſoluto plenóque jure devolveretur: qui Monarcha ac Dominus avitarum ditionum omnium factus, paulò poſt *Regnum à mari Balthico*, (ùt teſtatur Sylvius) *ad Adriaticum usque ſinum, prolatis finibus amplificavit.* Eo in prælio occiſo, filius *VVenceslaus*, qui tum non excedebat annum octavum, ſub tutela Ottonis Longi Marchionis Brand. cognati ſui aliquandiu habitus; anno tandem ætatis ſuæ XIV. tam Regni Bohemici, quàm Marchionatûs Moravici, ceu legitimus, ac *ſolus & unicus hæres*, gubernacula ſuſcepit.

Przemislus Ottacarus ſolus unicus, de virili Przemislo Libuſſæo ſexu ſuperſtes.

Æn. Sylv. Hiſt. Boh. cap. 27.

Deinceps itáque Moraviæ proprietas, cum adnexo *Dominio directo & utili*, manſit penes ſolos Reges Bohemiæ, usque ad *Joannem Lucenburgicum*, qui illam denuò fiduciæ nomine, *Carolo filio* ceſſit: qua de re Daubravius ità ſcribit: *non priùs Marchionis illi perſonam gerere permiſit, quàm fidei ſacramentum præſtaret, quale præſtare conſvevit, qui nunc vaſallus appellatur.* Hunc Carolum, anno 1338. ad Comitia Imperij Francofurtum vocatum, quàm ſplendidiſſimè comparuiſſe, teſtatur Aventinus hiſce: *Carolus Moraviæ limitis Præfectus, juſſus fide publicâ, cum ducentis equitibus comparere, cum quingentis venit.*

Joannes Rex Bohemiæ Moraviam Carolo filio tradit: *Daubrav. l. 21.*

Aventin. l. 7. Annal. Boj. Carolus Marchio Moraviæ eligitur in Regem Romanorum:

Demùm anno 1346. exiſtens adhuc Marchio Moraviæ, electus eſt in Conventu Principum, Renſij propè Confluentiam celebrato, in *Regem Romanorum,*

Digitized by Google

Patre demùm in prælio occiſo, fuit quoque Bohemiæ Rex: *Dubrav. l. 22. Rebdorf. in Annal. an. 1346.*

norum, vivente ac præſente Patre Rege Bohemiæ; poſt cujus mortem, conſcenſo Regni quóque Bohemici ſolio, augere ſtirpem ſuam *Luxenburgicam*, ejúsque potentiam in Regno Bohemiæ, adjunctisque Provincijs cupiens, (ad id námque, licèt hodierni Politici reclament, *Regiæ ſtirpis propagatio*, non parum conferre ſolet) prudentiſſimo & conſilio, & veterum Regum Ducúmque exemplo, *Moraviam fratri ſuo Joanni-Henrico*, paulò antè è Comitatu Tyrolis per ſummam vim à corrivali ejecto, ejúsque hæredibus maſculis, in feudum tradidit & ceſſit: *Epiſcopatu tamen Olomuc. & Ducatu Oppavienſi, quos inſignes & magnificos Principatus, Feudáque Regum & Coronæ Bohemiæ appellat*; ſibi & ſucceſſoribus Bohemiæ Regibus reſervatis: quos immediatè ſibi ſubjectos, prout antea ſemper erant, etiam deinceps eſſe voluit.

Dubrav. l. 23. Hagek. ad an. 1375. Joannis Marchionis filij Moraviam dividunt.

Joanne mortuo, an. 1375. rurſum inter filios ejus, *Jodocum* & *Procopium*, Moraviam diviſit, tertio filio *Joanne-Sobeslao* ſacris ordinibus initiato; quem primò *Litomiſlenſem*, deinde *Olomucenſem Epiſcopum* fuiſſe creatum, poſtea & ad *Aquilegienſis Patriarchatûs* apicem evectum legimus. Procopio ſinè prole defuncto, Jodocus ſolus Marchionatum Moraviæ obtinuit; qui inſuper emptâ à patruele Sigiſmundo Rege Hungariæ, Marchiâ Brandeburgici, *Elector Sacri Romani Imperij factus, ac tandem etiam anno 1410. in Imperatorem Romanorum electus eſt.* Quam tamen dignitatem paulò poſt ſuccidit illi mors: ſexto enim ab electione menſe, die 20. Martij, vivere deſijt, *Brunæ in Moravia in Templo Sancti Thomæ Apoſtoli, quod Parens ejus fundârat, regio Titulo ſub inſignibus Imperij conditus.* Quo ſine hærede mortuo, Moravia ad Reges Bohemiæ redijt. Eam tamen brevi iterum, *Sigiſmundus Imperator & Bohemiæ Rex, Alberto Duci Auſtriæ genero ſuo, cum omnibus ejus pertinentijs, juribus, terris, &c. exceptis, ſicut antea fuerat, Epiſcopo Olomucenſi, & Przenkone Duce Oppaviæ; quos cum ſuis ſucceſſoribus & hæredibus ſibi ac Regibus Bohemiæ immediatè ſubjectos reſervavit*; in feudum contulit, Budæ anno 1423. die Lunæ poſt Michaëlis.

Jodocus Marchio in Regem Romanorum eligitur:

Brunæ moritur, an. 1411. die 20. Martij. *Naucler. Pancer. Dreſſer. Lupac. ad d. 17. Febr. Weleslav. ad d. 20. Martij.* Sigiſmundus, Moraviam Alberto Archiduci, genero ſuo attribuit. *Vide in Regiſtro Germanico an. 1423. Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. c. 30.* Matthias Rex Hungariæ, dominatur Moraviæ.

Poſt obitum Sigiſmundi, idem *Albertus Dux Auſtriæ, & Marchio Moraviæ*, cum Imperio Romano, ſimul duo potentiſſima Regna, Bohemicum & Hungaricum adeptus eſt: ſicque denuò Bohemiæ Regum faſces Moravia venerari cæpit, ad annum usque 1467. quo iterum tota ferè, exceptis è Nobilitate paucis, à Rege Georgio hæreſeos damnato, deſcivit ad *Matthiam Hungariæ Regem*, Georgij æmulum; in cujus poteſtate, etiam poſt Georgij fata, vigore certi cum *Rege VVladislao Georgij ſucceſſore* initi contractûs, permanſit. Matthiâ apoplexiâ Viennæ extincto, anno 1490. Wladislaus ſuum in Moraviam jus, quâ Bohemiæ Rex recepit, fruſtra reclamantibus Hungaris; qui non tantùm Moraviam, ſed Sileſiam quóque & Luſatiam, Regno ſuo perpetuo nexu adjungi, ſummâ vi contendebant.

Iſthuanf. Hiſt. Hung. l. 3. MS. Guilhelmi à Perſtein.

Rudolphus II. Imp. & Bohemiæ Rex, Matthiæ Archiduci Moraviam cedit:

Ab hinc Moravia excipiebat jus à Bohemiæ Regibus conſequenter, usque ad annum 1608, quo eam iterum *Cæſar Rudolphus II. fratri ſuo Matthiæ*, deſignato tum in Regnum Bohemiæ, & Provincias hæreditarias ſucceſſori, pleno cum jure, nihil ſibi reſervans, niſi titulum, ceſſit: Inſtrumento ceſſionis

Digitized by Google

nis & pacti mutui eam in rem confecto, ſub dato Pragæ 25 Junij an. eodem. Quam ceſſionem non fuiſſe ex parte cedentis liberam, ſed extortam, tum ſtatim ex modo procedendi notabatur: patuitque id magìs adhuc ex querela ejusdem Cæſaris, anno ſequenti, Electoribus Pragæ fuſiori ſcripto propoſita. Moravos conſtat, non tantùm non invitos, ſed ſummâ animorum promptitudine, & adhibito ſingulari ſtudio, utì ſuo loco memorabimus, ſeſe fidei ac poteſtati Matthiæ, quantumvìs diſſvadentibus renitentibúsque Bohemis, ſubmiſiſſe; *Carolo à Lichtenſtein*, ut plurimùm, & *Carolo à Zierotin, cum Georgio ab Hodicz, & Guilhelmo à Raupovva*, præcipuis tum in Moravia Dynaſtis, rem promoventibus. Poſtquàm deinde *Matthias Rex* ſuſcepiſſet gubernacula Regni, Moravia quóque redijt in ſuum priſtinum, cum Corona Regni Bohemiæ nexum.

MS. Guilhelmi Comitis Slavatæ part. 2.
MS. Caroli à Zierotin Moraviæ Capitan.
Moravis hoc ipſum volentibus, & importunè etiam urgentibus.
MS. Caroli à Zierotin, & alia MS.

CAPUT V.

De Situ & Qualitatibus Moraviæ.

MORAVIA, ùt nunc ſe habet, attingit ab Ortu æſtivo ſolſtitiali Ducatum Sileſiæ Teſſinenſem, ab Ortu æquinoctiali & hyberno Hungariam, ab Occaſu Bohemiam, â Meridie Auſtriam, â Septentrione partim Comitatum Glacenſem, partim Ducatum Sileſiæ Grotkovienſem, & Oppavienſem. Ejus longitudo, ubi maxima eſt, 28. milliaria Germanica; latitudo verò, 22. mill. complectitur. Nomen ſortita eſt â *Morava* fluvio, qui antiquis *Marus* erat; hinc *Marobodui, Marothi, Marbeki &c.* nomina. Inſignia ejus Provincialia deſcripſimus aliquando in *Prodromo Moravographiæ*, pauculis hiſce verſibus:

Moraviæ ſitus,
Longitudo, & latitudo.
Comen. Morav. in Tabula Geograph. Morav.
Plin. l. 4. c. 12.
Tacit. Annal. lib. 12.
Cluver. in Germ. antiqu. lib. 3. cap. 31.
(*) Tabula Schachidis.

Quod Moravi attulerant huc primi Inſigne, clatrata
Cæruleo in campo, rubra tabella fuit. (*)
Antiquum, prout fert generoſa Croatia tale
Uſque hodie, patrij nobile Stemma Laris.
Huic Aquila alba deìn ſuperaddita, cincta Coronâ Regiâ - -

Regio eſt figuræ ferè anomalæ, tametſi ad quadratam nonnihil accedere videatur; protenſa maximè Auſtrum ac Orientem verſùs, quo etiam omnes ex ea ſcaturientes defluunt aquæ. Cingitur tribus è partibus, aut montibus aut ſylvis; videlicet, ab Hungaria, radicibus montis Carpathi, & modicum flumine Moravâ; â Sileſia montibus Sarmaticis ſeu Geſenikæis; â Bohemia, partim ſylvis, partim montibus. Meridiem verſùs, cùm plana ſit, *alicubi Teyâ flumine, alicubi rivo quodam ignobili*, ùt Daubravius refert, ab Auſtria dirimitur. Pars pluſquàm media, quà â Septentrione & Occaſu æſtivo vergit, eſt montoſa ac ſylveſtris; quò autem longiùs inde in interiora, verſùs Auſtriam & Ortum hybernum recedit, eò leniùs declivis eſt, collibus ſubinde molliter, iiſque fertilibus & amœnis diſtincta: de reliquo plana & aprica, magis-

figura:
fines:
Daubrav. l. 4.
montes:

planities:

giſque culta ac glebæ melioris: tametſi quóque inter montana ac ſaltûs cultoribus abundè referta ſit.

aura:

Aër in montanis, utpote *Zephyro* patentibus, eſt purus & ſalubris; in inferioribus & planis non ità: præſertim in locis paludoſis, aut circa piſcinas ſitis, *Noto vel Africo*, quibus ea objecta ſunt, flantibus.

aquæ inſalubres.

Aquæ etiam ſunt alicubi, in ijsdem planis locis Diſtrictuum, Brunenſis, Hradiſstenſis & Znogmenſis, valde inſalubres: præſertim puteales, â terra, quæ ibi, malo quodam acri, ſive illud miſcellam calcis & nitri, ſive tartarum, ſive aliud quid dicas, ſcatet; & illo, non aquas tantùm, ſed & vegetabilia omnia, frumentum, vites, arbores, earúmque fructus inficit. Qui dum in cibum vel potum ſumuntur, malum illud ſubtile ſecum trahunt; quod facilè unà cum chylo, in ſanguinem & partes corporis invehitur.

morbi Moravis familiariores.

Unde poſtea morbi: *colica, arthridis ſeu dolor articulorum, calculus, epilepſia & affectio hypochondriaca*, Moravis idcirco perquàm familiares, ù[illegible]ſtatur ille.

Herted. in Tarturo Maſt. Mor. part. 1. in Præfat.

His ſunt Moraviæ capitales corporis hoſtes:
Calculus, arthridis, colicus dolor, atque caducus;
His hypochondriacum quintum annumerare licebit.

Non quòd cateræ regiones, addit idem, *ab ejusmodi affectibus omninò immunes vivant, ſed quòd frequentiùs, Incolæ hujus Terræ, ijsdem infeſtentur.*

Hyemes ùt plurimùm præcoces ſunt & diuturnæ, præſertim in montanis, in quibus frigoris aſperitatem præter alia, herbæ, arbores & animalia quædam arguunt. Horum quidem ex genere urſi, martes, lupi, quos horridiori cœlo delectari compertum eſt: ex fruticibus, rubi diverſi generis, paliurus, juniperus: ex arboribus, betula, abies, picea, pinaſter, platanus, arbutus, prunus & ſambucus ſylveſtres; quæ aſpero plerumque cœlo, atque eo, ubi hyems ſævit, naſcuntur.

Cardan. de ſubtilit. lib. 8.

flumina.

Fluvijs irrigatur Moravia compluribus, licèt navigabilem non habeat ullum; omnes intra regionis fines, aut â confinijs non procul, ex fontibus limpidiſſimis, paſſim per montana ſcaturientes exoriuntur, & primò in rivulos, amnes, ac tandem in flumina coëunt. Nullum ab exteris acceptum bibit; fonte Moravæ excepto, quem ei Comitatus Glacenſis: Svarczavæ, quam Policzka civitas regia in Bohemia; & Teyæ inferioris, cujus partem amne Schreni auctam Auſtria, propinant.

Morava præcipuus fluvius. *Plin. l. 4. c. 17. Tacit. in Annal. lib. 12. Philip. Cluver. in German. antiqu. l. 3. c. 31. omninò aſſerit & probat*, Moravam *fluvium eſſe illum, qui apud Plinium, Tacitum & alios, nominatur* Marus.

Præcipuus è fluvijs eſt *Morava*, antiquis, ùt jam memoravimus, *Marus*, quibusdam etiam *Duria* dictus, â quo Provinciæ ac Gentis nomen. Hic â plaga Septentrionali, è quodam opaco antro montis *Sneeberg*, â perpetuantium nivium operimento ità nominati, in Comitatu Glacenſi, â confinijs Moraviæ vix mille paſſuum ſpatio diſſito, ſcaturigine largâ & copioſâ erumpens, versùs Meridiem primò, deinde versùs Orientem aliquantisper; mox iterum *Deſnâ, Brzeznáque*, largis & perennibus rivulis auctus, versùs Auſtrum decurrit. Sub Mohelnicio rursùs ad Ortum æquinoctialem, & ab Olomucio mox in hybernum flexus, defluit Hradiſstium usque: ubi denuò converſus ad Meridiem, & alicubi in duos aut etiam plures alveos ſectus, per amœ-

Digitized by Google

amœna camporum & hortorum quaſi exultabundus vadit, ac *Teya*, qui ab eo dignitate eſt ſecundus, in ipſis Moraviæ, Auſtriæ & Hungariæ confinijs occurrit. Quo recepto, curſum ſuum continuat per Auſtriæ campos (Marchfeld vulgus vocat) Auſtriam ab Hungaria dirimens; ac tandem in Danubium, ê regione Heynburgi ſeſe exonerat. Fluens autem per longas ambages, ſpatio ferè quadraginta milliarium, excipit præter jam enumerata minora flumina, alia quóque: ùt *Trebovcam* inter Mohelnicium & Litovelium; *Biſtricam* ſub Olomucio; *Beczvam* ê proximis Carpathi montibus provolutum, & aliquot amnibus, quos combibit turgidum, ê regione Tovaczoviæ; *Hanam* ſupra, *Ruſavam* infra Kremſirium; *Oslavam* ad Hradiſstium, alióſque minoris gentium rivos.

Teyam recipit: quos præterea minores exhaurit.

Alter ê principalioribus fluvijs Moraviæ eſt *Teya*, qui duobus naſcitur fontibus, medij fortaſſe diei itinere ab invicem diſtantibus: uno (quemadmodum paulò antè dixi) in Auſtria, quà Bohemiæ & Moraviæ fines attingit, non procul ab arce *Landſtein*; altero in limite Bohemo, uno milliari ſupra *Telczium*. Et hic fons Teyæ ſuperior ab accolis dicitur, ille inferior: ille major, hic minor: ille modico primùm alveo, verſùs Ortum hybernum vadit, ac mox *Schrene* rivo auctus, in Ortum æſtivum deflectit: hic â cæpto quóque in Orientem fluxu, mox in Auſtrum deviat, átque iterum converſus in Ortum hybernum, obviam majori properat, ad limitem usque Auſtriæ: ubi inter Vratenium & Drozdovicium ſe invicem complexi, unum flumen deinceps conſtituunt, Ortúmque æquinoctialem rectà petunt. Ità confluens in unum, alluit primò Freiſteinium & Vranoviam, deinde auctus amne *Zeletavâ*, Bitoviam oppidum, & arcem in præalta rupe ſitam, Znogmam urbem, Taſſovicium, & alios complures dextro & ſiniſtro littore adhærentes vicos. Sub Teyakovicio oppido â ſe denominato, deflexo nonnihil ad Meridiem alveo, quaſi compendioſiori viâ, eóque citiùs Moravæ conjungi vellet, rapido curſu feſtinat: ſed iterum, acſi illum nedum ſatis abundantem aquis puderet comparere in conſpectu Moravæ, deflectens ſinuoſo curſu in interiora Moraviæ, excurrit prædatum alia flumina; quibus hauſtis, latiori demùm alveo, & citatis aquis curſum ſuum continuat. Brevì poſt, rivo ab Hruſſovanio decurrente augetur, ac ſitibundus adhuc, contento curſu procedit *Svarczavæ, Svitavâ* infra Brunam aucto, & *Giblavvæ* â Pohorzelicio decurrenti obviam: quibus ad Muſſoviam, celebre quondam â ſtationibus Romanorum, cum Marcomanis & Quadis belligerantium munimentum, exceptis, quaſi jam abundè ſatis turgeret aquis, mox ad Ortum æquinoctialem, ac demùm hybernum divertit; ſciſsúsque in duos alveos ſupra Podivinium, átque iterum ſupra *Brzetslaviam*, inſulas duas, illam utcunque amplam fertilem & perjucundam, hanc longè minorem efficit; átque tandem in confinijs Moraviæ, Hungariæ & Auſtriæ, ùt dixi, Moravam ſubit.

Teya, vulgò Dya alter è præcipuis fluvius

quos minores combibit?

Omnes autem hi fluvij, ſicut & alij minores rivi, piſcibus varij generis affluunt; imprimìs ab alveorum ſcaturigine, *trutis*, *lipanibus*, *fundulis*, *cancris*, qui magnatibus in delicijs ſunt; ubi verò littora latiùs protendunt, *per-*

Flumina piſcibus abundant.

Digitized by Google

cas, *barbos*, *anguillas*, *praſemos*, *mugiles*, *ſqualos*, *lucios*, *cephalos*, aliôsque ſovent; demum quóque in latiori, & Danubio viciniori alveo, *ſiluros*, *ſumos*, *buſones* ſeu *VVizinas*, & alios complures. Sunt & lacus, in inferiori Diſtrictu Brunenſi, inter Huſtopecium & Kygoviam oppida, piſcoſi; qualis eſt, inter Kobyli & Braumovicium, monaſterij Zabrdovicenſis quondam poſſeſſio: & piſcinæ paſſim per Moraviam quàm plurimæ, prægrandes aliquæ, ut magnitudine lacus repræſentent: quæ *carpionibus*, ſeu *cyprinis*, ab exquiſita bonitate commendatis, *lucijs*, *percis*, *alburnis*, *tincis* & piſcibus id genus alijs, quædam etiam *teſtudinibus* abundant. Teſtes ejus rei ſunt, *Hodoninaa*, *Straznicaa*, *Zidlochovvicena*, *Kaunicena*, *Slavvkovaa*, *Tovvacovaa*, *Holeſſovvaa* ditiones, aliæque permultæ; ubi locorum dominis, præſertim Auſtriæ vicinioribus, pecunioſa admodùm, temporibus ſtatis, ſolet accidere piſcatio.

Lacus & piſcinæ.

Fluminibus iſtis, & lacubus átque piſcinis arte manúque factis; addidit natura, regionémque beavit etiam medicinalibus aquis: ſunt enim in locis nonnullis Moraviæ ſcaturigines aquarum, ſulfur & alumen, vitriolum item & nitrum redolentium; alicubi etiam nonnihil tepidarum, quibus non tantùm jumentorum, ſed hominum quóque ſcabies, & ulcera aliíque morbi curantur. Ex ijs primariæ virtutis ſunt: *Loſinenſis*, *Hranicenſis*, *Virovanenſis ad Tovaczovium*, & *Petrovienſis ad Straznicium*; quarum virtutem, ſicut & cæterarum, *Bochorzenſis* prope Przeroviam, *Slatinenſis* in dominiò Plumlowienſi, *Buchlovvienſis* ſub arce Buchlovv, & *Korytnenſis* prope confinia Hungariæ, egregiè deſcripſit Thomas Jordanus, quondam Phyſicus Marchionatûs Moraviæ, libro ſpeciali ante centum annos in publicum edito. Et nuper *Joannes Ferd. Herdot Medicinæ Doctor*, alio libello, quem Tartaro-Maſtigem Moraviæ intitulat: in quo aliarum adhuc aquarum, quæ poſteriùs innotuerunt, mentionem facit; qualis eſt *fons D. Viti*, in dominio Niclſpurgenſi; *fons ſacer*, vulgò Swatá Studýnka/ non procul Tiſſnovio, ad pagum Komniczkam; alius item æquè *ſacer* dictus, prope Koryczan. Alius in oppido Napagedla; qui â feſto S. Joannis Bapt. fluere incipit, & feſto S. Joan. Ev. fluere deſinit. Habet quóque Moravia aquas acidas: *Nezdanicij*, *Zaborovicij*, *Sucholazij*, omnes tres ab Hunnobroda non procul; quartam *Lubazovicij*: quas vicini incolæ, tum ad ſitim ſedandam, tum ad valetudinem curandam, avidiſſimè hauriunt, & ſibi conducere experiuntur. Ab aquis ad terreſtria tranſeamus.

Aquæ medicinales

Jordan. lib. de medicinal. aquis in Morav. Herdot. in Tartaro-Maſtige Morav. part. 1. cap. 16.

Acidæ fontiũ aquæ.

Ager in Moravia cultus eſt omnis, glebâ ùt plurimùm pingui, & non niſi inter montana arenoſus, aut etiam nonnullorum locorum aſperitate ſalebroſus & glabrens: cæterùm ſylvis, nemoribus, collibus, pratis lætiſſimus; tritici, ſiliginis, hordei, oryzæ, zeæ, milij, panici, piſorum, fabarum, lini, canabis, aliarúmque omnium ê terra naſcentium rerum, adeò ferax, ut ubertatem illius vicinæ regiones affatim perſentiant, quibus ejusmodi fruges grandi copiâ, luculentóque indigenarum emolumento quotannis communicantur.

Frugum omnis generis copia:

Generoſi etiam vini proventu admodùm felix eſt, & aliquot in locis, potiſ-

Vini etiam albi & rubri:

Digitized by Google

potiſſimùm ad *Dunagovicium Inferius*, *Popicium*, *Bogkovicium*, *Polebradicium*, *Zdanicium*, *Buchloviam*, *Blatnicium*, *Lipoviam*, *Hlukum & Hunnobrodam* tale fert, ut bonitate Auſtriaco, ſi non præcellere, certè æquipollere videatur. A rubro, præcipuè *Bzeneciana & Magdebergenſia*, propè Niklſpurgum vineta, & quædam *Znogmenſia* commendantur.

Cereviſia tam alba ſeu *triticea*, quàm amara ſeu *bordeacea*, paſſim in Urbibus, oppidis & pagis nobilioribus habetur in copia; paſsímque pro ea viſuntur erecta, ampliſſima zythopœia, ſive (ùt vocant) *braxatoria*; ſicut & *lupuleta*, ſingulari diligentiâ culta. Olim ſoli cives in ea coquenda, epocillandáque dabant operam, & innitentes Caroli IV. & aliorum quóque Regum & Marchionum indultis privilegiíſque, ſummo cum fructu, cereviſiario ejusmodi jure gaudebant: Nobilitati verò tunc, utpote viris generis ſplendore antecellentibus indecorum, illiberaléque, & infra Ordinis ſui naturam eſſe videbatur, inſtitorijs id genus operis, lucro quæſtuíque inhiare, & cauponatione vivere. At ſeculo poſtmodùm degeneri, Nobilitatem inter & Cives, cùm illa quóque id juris ſibi vendicare, indecorum ampliùs non exiſtimaret, exorta erat non ſemel, præſertim Wladislai II. Regis ævo, litigioſa contentio. Jam res omnibus communis eſt.

Cereviſiæ triticeæ & hordeaceæ.

Olim Nobilitati cauponatione vivere indecorum fuit.

MS. VVilhelmi à Pernſtein ad an. 1506. & ſequ.

MS. Acta Univerſit. Carol.

Balbin in Ep. rer. Boh. l. 5. c. 11.

Præterea *bortos*, *pomaria*, *viridaria*, non modò ad uſum, ſed ad delicias quóque habent Moravi, quàm inſtructiſſima; ad Moravam præſertim circa Kremſirium, & quà Hradiſstio Straznicium defluit, nil ibi, niſi tempe; & toto illo inferioris diſtrictûs Hradiſstenſis, Brunenſis, átque etiam Znogmenſis tractu: ubi pirorum, malorum, prunorum, perſicorum, ceraſorum, & nucum bonitas, & varietas certat cum Hungaricis. Imò etiam in regionibus montanis, aſpero utcunque cœlo, reperiuntur pomaria nequaquam infrequentia & fructuoſa. Neque negat ſolum Moravicum caſtaneas, mala cytrina, mala aſſyria, mala granata, limonia ſeu aurantia, cotonea, mora, ficus, amygdala, pepones, mellopepones: ſi tamen adhibeatur cultura, & â gelu cuſtodia diligens. Herbas item, & flores omnis generis, tam odoriferos & coronarios, quàm medicinales; complures etiam peregrè allatos, aliáſque hortenſes Italiæ delicias, tum oculis, tum palato jucundas; ut taceam de cedris, lauris, cupreſſis, myrthis, fruticibus piperis, oleaſtris, caſtaneis, & alijs. Qualia videre eſt in hortis: *Kremſirienſi*, *Lednicenſi*, *Holeſchovienſi*, & pluribus alijs: vix enim ullum ex opulentiori Nobilitate reperies, qui penes arcem ſuam hortum non habeat, illúmque tam floribus, quàm arboribus diverſi generis, palati nariúmque lenocinijs, etiam exoticis, quàm cultiſſimum.

Fructus uberrimi ex cultura hortorū pomariorúmq;.

Et pulcherrima ſanè, facileq; una ex jucundiſſimis eſt occupatio hortenſis; ad quam natura ipſa quodammodò hominem invitat, trahit ac propellit, ut non mirum ſit, præſtantiſſimos quosque, etiam Viros ſummos, eâ fuiſſe tantoperè delectatos: *Salomonem*, *Cyrum*, *Aſſuerum*, *Tarquinium*, *Achillem*, *Lyſimachum*, *Mithridatem*, *Jubam*, *Catonem*, *Tullium*. *Sylla*, depoſitâ Dictaturâ, ampliſſimâ apud Romanos poteſtate, & quaſi regiâ, vitæ reliquum Puteolis in hortis exegit. *Diocletianus* quóque hortos, purpuræ ac ſceptro præ-

Hortorum commendatio.

prætulit; & Salonis, in patria ſua, oluſcula & lactucas ſerere, quàm imperare maluit. Et quis etiamnum eſt, ex ſummis juxta átque infimis, qui hujusmodi ſtudio, non aliquantùm ſaltèm, ſi non impensè, delectetur? eique dum poteſt, non aliquid temporis ac ocij tribuendum putet?

Hortus ſalubres corpori præbet cibos,
Variósque cultus ſæpe cultori refert:
Olus ſvave, multiplex herbæ genus,
Uvas nitentes, átque fœtus arborum.
Non deſit hortis & voluptas maxima,
Multisque miſta commodis jucunditas.
Oblectat hortus, advocat, paſcit, tenet,
Animóque mœſto demit angores graves:
Membris vigorem reddit, & viſum capit.
Refert labori pleniorem gratiam:
*Tribuit colenti multiforme gaudium.*Ità Jovianus.

Illud non negem: hortos quandóque ad vitiorum illecebras, latebrásque haberi. Laërtius memorat, *Epicurum horto, pro ſchola, uſum.* Fortè, nunc etiam horti aliquibus ſunt vitiorum ſchola: fortè in illis non raró, Adonidis Priapíque ſacra celebrantur. *Sub arbore malo ſuſcitavi te: ibi corrupta*
Cant. 8. v. 5. *eſt mater tua, ibi violata eſt genitrix tua. Cant. 8.* Habent horti ſua vitiorum irritamenta, colores, odores, avium garritus, & ſolitudinem: *Oſtia po-*
Daniel. c. 13. *marij clauſa ſunt, & nemo nos videt*, ajebant ſenes. Sentio me deceſſiſſe de via: redeamus.

Fert etiam Moravia crocum, ídque optimum ſucco, odore & colore: cultura tamen ejus, utpote operoſior, non eſt apud quosvis promiſcua. Verùm ùt aliarum frugum productioni, ità hìc quóque cœli temperiem vel maximè ancillari opportet; unde illud apud Priſcos: ἔτος καρπὸς ποιεῖ, οὐ τὰ ἄρουρα: *annus fruges producit, non arvum.*

Sylvæ, & arbores præſtantiores. *Sylvæ* etiam ſunt in abundantia, non *abiegnæ* tantùm, *betulinæ & piceæ*, quas ſub aſperiori cœlo naſci, ſupra dixi; verùm etiam *quernæ*, *faginæ*, & aliæ, cùm in planis, tum in montanis locis, mixtim omni genere arborum refertæ, & paſcuis optimæ: quercus imprimìs, & fagi, uberem paſtum porcis ferisque præbent. Sunt & *taxi*, & *fraxini* in montibus *Geſenik*, ità fortaſſe â fraxinorum copia, (nam *fraxinus* apud nos eſt Geſen) nominatis; ad Blanſko item, & Polòrzicium. *Larices*, vulgò Dřjn / in ijsdem montibus, & vicinia illa tota: omnes hæ arbores, ſicut & *tamarices*, quarum copiam ſuppeditant Hochwaldenſes ſylvæ, virtutis ſingularis, & alibi raræ. *Fraxi-*
Virg. 7. Eclog. Ovid. 10. Met. Lucan. *nus in ſylvis pulcherima*, ait Poëta. *Nec tiliæ molles, nec fluctibus aptior alnus*, deſunt: nec *acer*, vulgò Břek; nec *populus* alba nigráque; nec *carpinus*, nec *ornus*; nec *coryli*, *nucum*, quas *avellanas* vocamus, copiosè feraces.

Pecoris omnis generis. Ut autem Provincia hæc pratis, paſcuis, nemoribus, ſylvísque abundat, ità & pecore varij generis; *bobus*, *equis*, *vaccis*, *ovibus & capris*, quarum nonnullæ bis anno fœtificant; unde carnium, lanæ, pellium copia. Sed

nec

nec lacticinia deſunt; quæ tam hîc copioſa, ut præter ea, quæ in quotidianos uſus cedunt, in vicinam quóque Auſtriam affatim quotannis transmittantur, magno cum incolarum commodo & fructu. Præcipuè autem caſei, quos monticolæ, vulgò Walaſſy/ ſcitè parare nôrunt, â bonitate commendantur. *Camelis, aſinis & mulis* Moravia caret, quòd hæc animalia frigoris impatientia ſint: aliunde ſi nonnunquam adducantur, non tam diu, ſicuti alibi durant. Eferarum animantium genere, fert imprimis copiam *leporum, dorcadum ſeu caprearum, damarum, ſciurorum*; itémque *cervorum, aprorum, laticornium, capreolorum,* partim in ſylvis & ſaltibus oberrantium, partim in vivarijs, pro neceſſitate obvia, muro aut præaltis ſepibus occluſorum. Et horum quidem carnes aptæ ſunt humano eſui. Ferarum in nemoribus & ſylvis.

Cultui verò pelles, ſubminiſtrant *vulpes, lupi, martes, taxi, ictides ſeu viverræ, muſtelæ, cuniculi; lutræ* item, acerrimi morſus animalia, & *caſtores* ſive *fibri*; amphibia, id eſt, animalia vitæ ancipitis; terreſtris nimirum & aquaticæ. Atque horum, *caſtorum*, inquam, *caudæ*, etiam inter delicatos cibos, & pro piſcibus habentur, reliquâ carne propemodùm inutili. Extruit autem ſibi hoc animal cubile ligneum in marginibus fluminum, piſcinarum magnarum & lacuum, cameris compluribus alijs ſuper alias diſtinctum, ac ſecundùm incrementum aquæ domicilium mutat, ità ut caudâ natante, reliquum corpus in ſicco maneat. Sæpè etiam in vaſtis Moraviam â Sileſia dirimentibus ſylvis, *panthera*, vel potiùs *lupi cervarij*, (Ryſowe appellantur â noſtratibus) & *urſi*, (minores tamen quàm alibi) deprehenduntur; quorum pelles cultui quóque ſerviunt. Sed & urſorum volæ cum digitis apponuntur menſis, habentúrque pro delicijs. Sævum animal eſt *urſus*, & ad vim propulſandam ſupra modum irritabile, adeò, ut dum in hoſtem pergit, obvia arbuſta ſummo cum impetu frangat, proſternat, ſaxáque ſedibus ſuis emoveat. Antrum ê muſco arborúmque frondibus, ità densè aptéque ſtruit, ut â cœli injurijs immunem facilè præſtet. Tantum urſo majori robur, ut equi prægrandis vaccæq; cadaver, tollere loco poſſit, quod humi depoſitum muſco contexere ſolet. Hominis occiſi ſanguinem tantùm haurit, carnes non attingit. Ferunt, urſos qui homines occiderint, hybernis menſibus, ſicuti cæteri, in ſuis ſpelæis minimè quieſcere, ſed quaſi ſceleris conſcientiâ agitatos, per nemora, altiſſimis etiam nivibus oberrare. *Lupi* quóque *cervarij*, quos ſupra nominavi, magnitudine canibus reſpondent, ſed corpore magis craſſo, maculoſis ventre & pedibus, quæ partes maximè in pretio ſunt: in cervos & alias feras ex alto deſiliunt, quas iteratis morſibus trucidant. Animalium pelles cultui inſervientes. Urſus animal ferox.

Avium numeroſam videre eſt copiam. Præter domeſticas, nempe gallos gallinaceos, vulgares juxta ac indicos, anſeres, pavones, capones, anates & columbos: ſunt etiam, quæ Magnatibus in delicijs eſſe ſolent, phaſiani, urogalli, perdices, attagenes, turdelæ, turtures, merulæ, ſturni, coturnices, palumbi, nucifrangibuli. Et ut rapaces aquilas, falcones, accipitres, milvos, vultures, niſos, ardeas, picas præ cæteris ſtreperum genus, & garrulum, multáſque alias mittamus, minorum quóque avicularum, per nemora Volatilium quoque abundantia.

& ſal-

& ſaltus volitantium, eſui aptarum ingens eſt multitudo: ê quibus nonnullæ; uti *philomelæ*, *fringillæ*, *cardueles*, *acanthides*, *acredulæ*, *curruca*, *alaudæ*, *luteolæ*, concentibus ſuis, verno tempore, homines ſubauſcultantes mirè afficiunt & recreant. Abundat etiam Moravia *apibus*, tam domeſticis, quàm ſylveſtribus: quarum illæ domî in alvearibus ſuis, hæ in ſylvarum excavatis arboribus, melli conficiendo deſerviunt; hinc *mellis & ceræ* copia.

Thus & myrrha foſſilis in Moravia reperitur.

Denique quidquid humano victui & cultui eſt neceſſarium, habet Moravia: *ſalem* tantùm Natura illi negavit, quem tamen defectum, aliâ dote præſtantiſſimâ, ceu quâdam prærogativâ, aliiſque terris inſolitâ, videlicet *thure & myrrhâ foſſili*, compenſavit. Quod ſanè dignum eſt memoratu: nam alibi, ùt in Arabia & Sabæa, ex arboribus odoriferis, dum excisâ cortice ſtillans, & ab æſtivo calore concoctum, pinguioris ſpumæ inſtar, condenſatur, colligitur: hìc verò ê viſceribus terræ eruitur. Quamvis autem non ſit virtutis tantæ, uti Arabicum aut Sabæum, præſertim in medicinis, odore tamen illi æquipollet. Olim eruebatur, ad *Hradiſſkam vicum*, Daubravio teſte, qui ea de re ſic habet: *Hoc verò jam mirabitur aliquis, & eſt profectò admiratione dignum, inveniri in Moravia Thus & Myrrham, non ex arbore deſudante, ùt alibi lectam, ſed è ſolo terræ erutam, uno tantùm diu in loco, cui Gradiſsco nomen: in quo ad hunc diem, Thus non ſolùm id quod maſculum vocant, â ſimilitudine teſtium, ſed quod alia præterea virorum mulierùmque membra oſtentat, effoditur.* Et quod magis adhuc ſtupendum eſt, recenſet & illud: *nuper autem VVenceslaus vetere procerum familiâ eorum, qui â Quercu cognominantur, clarus, dum in agro ſuo Sternbergenſi fundamenta aggeri piſcinario moliretur, corpus hominis integrum invenit, quod nihil niſi myrrha erat: quam ille per amicos diſtributam, noſtri quoque etiam tum privati memor, nos plus mediâ parte lacerti humani donavit, quo aliquoties pro ſuffitu uſi ſumus.* Hæc ille. Simile quid, (ùt id brevibus attingam) inventum fuit, avorum noſtrorum memoriâ, in Bohemia, *Brunduſij ad Albim*, in horto regio; effoſſum ſcilicet humanum cadaver maſculum, ità fragrans, ut cùm Medici, quos Rudolphus II. glorioſiſſimæ memoriæ Imp. habebat apud ſe præſtantiſſimos, illud exactè inſpexiſſent, Mummiam Ægyptiæ parem aſſerere non dubitarent. Néque id prætereundum, quod Hertod memorat: *ſic infans*, inquit, *ante annos 40. â foſſoribus, in fodinis aluminis prope Czernam Horam inventus, totus myrrhatus. Hunc foſſores Patribus Carthuſianis prope Brunam, triginta aliquot taleris vendidiſſe, & hi poſtea eundem ad magnam ſuam Carthuſiam in Galliam remiſiſſe, tandemque eodem dono Regem honoraſſe dicuntur.*

Daubrav. Hiſt. Boh. lib. 4.

dignum ſanè obſervatu.

Hertod. in Tartaro Maſt. Mor. part. 1. cap. 7.

Mirabilis in rebus naturæ luſus.

Hagek ad an. 951.

Pontan. in Boh. Pia. lib. 2.

Nec mirum, formas tales in terra reperiri: vi enim quâdam occultâ, *ludit in ſuis natura rebus*. Aliquid ſimile, licèt in alia ſpecie, narrat Hagek in Chronico Bohemiæ, de maſſa argentea grandi, in Lipnicenſibus fodinis reperta, in forma equi, ità affabrè producti, ut nemo meliùs elegantiúsque producere, aut conflare potuiſſet: quem deinde Princeps Bohemiæ Boleslaus I. in medio Arcis Wiſſehrad. Pragæ, ut omnibus ſpectaculo eſſet, in prælto lapide collocari juſſit. Similiter Cutnæ, ſive Gutenbergæ *argenteum aſellum*

(unde

Digitized by Google

(unde fodinæ nomen) & Giloviæ, Caroli IV. tempore, *aureum equellum* fuiſſe repertum memorant. Cromerus etiam ſcribit, eſſe in Polonia, propè Stremum oppidum, collem; ubi ollæ, amphoræ, cacabi, ſcutellæ, & aliarum figurarum vaſa fictilia ſpontè naſcuntur, & ſub terra effodiuntur mollia, quæ in aërem prolata dureſcunt. Plura hujuſcemodi, dictúque mira habet Pater Athanaſius Kircher Societ. Jesu, vir in indagandis occultis Naturæ rebus, ſcriptíſque ac editione librorum celebratiſſimus, in ſuo Mundo ſubterraneo lib. 8. ſect. 1. cap. 8. & 9. ubi varia; utì Solem radiosâ quaquaversùm projectione ſtupendum, Lunam & ſtellas, in lapidibus gemmisque expreſſa, inveniri prolixè memorat: ſylvarum item, camporum, fluminum, urbium figuras; herbarum âtque florum omnis generis formas; animalium hominúmque imagines, habitu & geſtibus diverſas. Et quod ſanè admiratione dignum ſit, naturam ludibundam eò usque progreſſam, ut poſtquàm omnium, quæ in orbe terrarum continentur, rerum figuras, ambitioſo penicilli magiſterio delineâſſet, altiùs evagari, & vel ipſos etiam Angelos Cœlitésque, exprimere non dubitârit: Deiparam Virginem Lauretanam, filiolum brachijs tenentem, & circumcirca Angelorum choris ſtipatam, aliôsque Sanctos; quin & Chriſtum Dominum crucifixum, in nonnullis lapidibus expreſſum, idem Author vidiſſe ſe teſtatur. Nil itáque mirum, ſi natura, thus quóque & myrrham, in Moravia, ſub humani corporis ſpecie, produxerit.

Balbin. in Hiſt. Boleſl. l. 1. c. 5. Theobald. lib. de Fodinis. Cromer. in Polon. l. 1.

P. Kircher Soc. JESU.

Eruitur autem thus foſſile, in Moravia usq; hodie, in Dominio *Bozkovicenſi & Czernoborenſi*: ubi inter glebam, quæ pro excoquendo alumine effoditur, particulatim colligitur, éſtq; coloris ſubflavi ſuccino ferè ſimile. Ante decem annos, dum adhuc Litomiſslij eſſem Decanus, miſſæ fuerunt mihi inde aliquot inſignes partes: quibus pro ſuffitu utebar domî; & reverà gratum, non ſecùs ac ſuccinum purum, ſpirabant odorem. Aliquid horum invenitur, etiam in ſylvis dominij Brumovienſis; coloris tamen nigri, quod accenſum, nigrum inſtar picis emittit fumum. Communiter illud *Succinum nigrum*; alij, & meliùs *Gagatem* vocant. Miram ipſius odoris vim eſſe dicunt: inter alia, *quòd ſerpentes fuget, dæmoniacos prodat, ipsisque dæmonibus contrarius ſit.*

Barthol. Angl. apud Hertod. cit. cap. 6.

Metalla quóque foſſilia non deſunt in montanis, præſertim *ferri*, cujus officinæ dantur in plurimis locis: pro optimo omnium habetur *Hochwaldenſe, Rimarovienſe, & Perſteinenſe*, ubi etiam ex eo varia in uſum domeſticum conflantur vaſa, nec non in uſum belli, fiſtulæ ſclopetorum, pilæ, & minora tormenta. Néque deſunt *auri & argenti*: licèt hoc ſæculo, indigenæ ea ſcrutari negligant. Certè avorum noſtrorum memoriâ, *Hoſteyn* mons, cùm diligentiùs excoleretur, jugibus ſcatebat auri venis: ad *Goldſteinam* ſimiliter. Ad *Perſteinam*, teſte Paprocio Speculi Moraviæ Authore, eruebatur argenti & auri copia affluens: non minùs ad *Iglaviam*, cujus operæ hodiéque veſtigia exſtant. Fabricius in Annalibus Fribergenſibus ſcribit: *foſſores Fribergenſes in Miſnia, accepiſſe leges metallicas ab Iglavienſibus, anno 1294.* Quod narrat etiam Albinus in Chronicis, de fodinis Miſniæ: (*) qui

Nec auri, nec argenti, minùs ferri deſunt fodinæ.

Specul. Morav. l. 1. part. 1. c. 29. fol. 31.

(*) Fabr. in Annal. Friberg. ad an. 1294.

Petr. Albin. in Chron. tit. VII.

addit, apud *Brunam* quôque, & *Bozkovvicium* fuiſſe quondam fodinas celebres, ſed injuriâ temporum deſolatas.

Marmoris albi, nigri & rubri latomiæ; Cotis item aquariæ.

Habent Moravi domî ſuæ *marmoris albi, nigri & rubri* latomias: *albi & rubri ad Perſteinam, nigri ad Namieſsti & Hochvvaldam, rubri & nigri ad Fulnekam.* Item, ad *Czebinum* (pagus eſt in Dominio Lomnicenſi) diverſi coloris, *albi, rubri & flavi.* Habent & lapidem pro acuendo ferro, ſeu *cotem aquariam*, ad pagum *Brzezovvicze*, non procul Kigoviâ, *Biskupicij*, *Brzezolupij*, & in fluvio *Oſtrova.* Habent *vitri, ſulphuris, nitri, aluminis, vitrioli*, officinas.

Aluminis, vitri officinæ.

Alumen propè Bozkovicium & Czernam Horam, ex terra nigra, quæ ibidem eruitur, in aheno plumbeo coquitur, ſpatióque dierum octo excoquitur. Et quod mirum eſt nonnullis, reperitur etiam *alumen ſcajolæ*, ùt vocant Chymici, lapis inſtar cryſtalli lucidus, in lamellas tenuiſſimas ſciſſilis: qui *in Dominio Buchlovienſi*, propè pagum *Ugezd; in Orzechovvienſi, propè Poleſſovvicz; in Koriczan, Nicſſpurgi*, & alibi eruitur. Habent & lapides quoſdam *galactiti, achati, topazio* & *onyci;* alios *adamanti, amethyſto;* alios *jaſpidi & ſmaragdo* multùm ſimiles. Adamantes, amethyſti, onyces, & quidam viridis coloris lapilli, quaſi ſmaragdi, inveniuntur *in monte Kvvietnicze, propè Tiſsnovvium:* & adamantes quidem tam duri, tantæque elegantiæ, ut ab Orientalibus vix diſtingui poſſint, niſi tincturâ, quam ſolus adamas verus ſuſcipit. Talis ante paucos annos ibidem inventus, & Pragæ expolitus, 40. taleris æſtimatus fuit. Similes inveniuntur, ſicut & topazij etiam, *in dominio Mezericenſi ad Oslavam:* jaſpides propè *Gemnicium*: cryſtallus propè *Iglaviam.*

Lapides jaſpidi & ſmaragdo ſimiles.

Unicornu minerale. *Oſvald. Groll. lib. de ſignatur. dicato Petro VVoko à Roſenberg.*

Etiam unicornu foſſile reperiri in Moravia, teſtis eſt Oſvaldus Grollius, qui libro de Signaturis, ità de eo ſcribit: *unicornu minerale nobis quóque DEUS largitus eſt: in Moravia tribus milliaribus Brunâ, (ubi eram antè Medicus,) non longè à territorio Abbatis Zabrdovicenſis, ſub altiſsima rupe, duorum inuſitatæ magnitudinis animalium incognitorum oſſa, unà cum duobus junioribus efoſſa ſunt, quæ absque dubio tempore Diluvij, aquarum impetu perierunt in illa ſolitudine: quorum oſſium, & mineralium dentium nonnullas reliquias, aliquot menſes poſt, ex improviſo illuc locorum veniens, & admonitus ejus rei, effodi curavi.* Quamvìs alius aliter de eo ſcribat; *Cornu foſſile* (inquit) *propè Brunam Moraviæ urbem inventum, ità exactè figuram trunci juglandis intrinſecùs & extrinſecùs refert, ut nemo niſi cæcus negare poſſit, truncum illius arboris fuiſſe, ac in terra transmutationem accepiſſe.* Hertod memorat, aliquot fruſta hujusmodi unicornu foſſilis inventa, ante paucos annos *Nicſſpurgi*, per lapicidas, in monte quodam; & unum, quod femur ingentis magnitudinis repræſentabat: inveniríque etiamnum in ſpeluncis propè *Ragicium*, & *Krztiny*; & in diſtrictu Hradiſstenſi, propè *Pavlovicium*.

Anſelm. Boëtius de Boodt, Brugenſis, Rudolphi II. Medicus in hiſt. lapid. & gem. Bohem. Crollius. Agricola. Bauſchius.

Hertod ſupra cit. cap. 8.

Serpentes & ſcorpiones pauci.

Nonnihil etiam referri poſſet de Regionis dote, quòd â venenatis animalibus multò quàm aliæ, ſit ſecurior. Serpentes enim, & ſcorpiones non adeò ſunt in ea multi, dracones nulli. Reperiuntur quidem in una horribili ſpe-

ſpecu, non procul à valle Krztinenſi, præter oſſa humana, ingentis, noſtríque ſæculi menſuram longè ſuperantis magnitudinis, etiam nonnulla gryphium & draconum (qualia reperiri etiam in quibusdam cavernis Tranſylvaniæ, teſtatur Ranzanus:) ſed cùm non poſſit reddi alia cauſa melior, unde & quomodo talia monſtra devenerint ad ea loca, ſiquidem in ea regione id genus animalia nequaquam gignuntur: excepto, quòd alicubi olim draco unus repertus fuerit & occiſus, cujus pellis in veſtibulo Curiæ Brunenſis pendens hucusque viſitur: pleríque prudentum per Diluvium, ex Aphrica, aut ex locis alijs, ubi generantur dracones, exundantium aquarum impetu, ea corpora unà cum Gigantum, qui tum potentes erant in terra, illuc fuiſſe delata arbitrantur.

Hiſtoria ſallà Kyrit. cap. 5. Petrus Ranzan. in Epitom. rer. Hungar. indice 5. propè fin.

Mores & ingenia Moravorum.

Quod mores gentis attinet, (ùt id quôque brevibus percurramus) varij varia in Moravis vitia notant. Æneas Sylvius primùm S. Rom. Eccleſiæ Cardinalis, deinde ſummus Chriſtianorum Sacrorum Princeps, Pius II. Pontifex Maximus, binis diverſis vicibus, appellat *gentem ferocem, & rapinarum avidam: ut quæ tutum iter, non niſi armato potentiorique præbeat.* Alij, inhumanitatis erga advenas & peregrinos, ipſos arguunt: quo vitij genere potiſſimùm Hanæ fluminis accolas, vulgò *Hanakos*, perſtringunt; plebem agreſtem, præ alijs ferociorem, & ad jurgia, contentiones, rixas, pugnas, cædes maximè pronam: quæ ubi vino quandôque, aut irâ incaleſcit, facilè ob levem cauſam, ferociam ſuam in hoſpitum injuriam vertit. Alij, inquietos, & novarum rerum avidos. Alij, ſuperſtitionibus deditos, ſortilegiorum imprimìs obſervatores; in ira ſæviſſimos; odio implacabiles; in compotationibus frequentes, multúmque bibaces. E contra verò, à nonnullis, fide & obſequio in Principes ſuos, commendantur: tum quòd in deliberatis ſint conſtantes; pectoris aperti, & falli, quàm fallere magìs apti; facilè tractabiles, ſi commodè & placidè tractentur: ad iram non præcipites, ubi tamen exarſiſſent, placatu difficiles: à jocis & ſalibus alieni; bellicis in congreſſibus fortes, laborum, ſudoris & ſqualoris caſtrenſis patientes; promiſſorum memores, pactorum tenaces, pietatis amantes.

Æn. Sylv. Hiſt. Bohem. c. 13. In Europa c 25. vituperantur; laudantur.

Ego haud ineptè aſſerere mihi videbor, ſi Moravos ad Bohemos, utì linguâ, ità moribus propè accedere dixero. Scriptoris itáque Bohemici verba, quæ ille pro Bohemis facit, ego Moravis accomodo, ajôque. Moravum, *præter vitia jam enumerata, virtutésque, eſſe ùt plurimùm, rerum peregrinarum conſectatorem & admiratorem, patriarum verò, & domì naſcentium faſtidioſum æſtimatorem & contemptorem: fortunæ cùm adverſæ, tum ſecundæ, habere ſocios quàm plurimos geſtientem: diſciplinæ ſeverioris impatientem: dum hilarus eſt, tractabilem: dum mœret ſtomachoſum: dum eſurit, non cantillantem (quod Germanus habet in more) ſed indignantem: non tam ingenio judicióque, quàm induſtriâ deſtitutum: in inimicitijs tum ſuſcipiendis, tum deponendis tardiuſculum: bello primùm quaſi indocilem, poſtmodùm perquàm habilem & impavidum. Inter gentes* ἑτερογλώττους, *Gallis, Italis, Hungaris, quàm cæteris ſociabiliorem: Polonos verò* (addo ego, Slavos,

Paulus Stransky in Rep. Boh. c. 4. §. 6.

Hagek ad an. 1417.

 Croa-

Croatas, Dalmatas, Moſcos, Bulgaros, Ruſſos) *fratrum loco habentem, ùt* ὁμογλώττους.

Lingua Moravica Bohemicæ affinis.

Sermo Moravicus cum Bohemico, tantum cognationis & ſimilitudinis habet, ut ad nullum penè aliarum Slavonici nominis gentium, ne finitimarum quidem, propiùs accedat. *Qui*, (verbis iterum præmemorati Bohemici Scriptoris utor:) *quia elegans, copioſus, ſvavis, grandis eſt, & ad quarumvìs materiarum expoſitionem ſatìs commodus, Majores noſtri in eo ornando, perpoliendo, augendo, & ad poſteritatem propagando, præcipuè ac feliciter elaborârunt; imò ne neglectui haberetur, legibus caverunt. Verùm, quàm ij in eo excolendo, ac in nativa puritate conſervando, accurati fuerunt; tam ætas hæc degener, in fœdando, inquinando, attenuando, & oblivione æternâ damnando eſt impudens. Etenim quàm nec in vitio ponunt pleriq; omnes, nec indecorum eſſe putant, materna in lingua paſſim ridiculè* σολοικίζειν; *tam decorum ac feſtivum eſſe ſomniant, ad populum Bohemicum effuſiſſimè* βαρβαρίζειν. *Ruſticum opinione illorum eſt os pariter, & calamus omnis, qui non peregrini idiotiſmi ſubinde coacervatis centonibus ad faſtidium exuberet. Coërcendis* θερσυγλώττοις *&* φιλοσολοίκοις *iſtis, non uno, me hercle, Valla haberemus nunc Bohemi opus, & Linacro.* Ità ille: & perquàm benè. Cæterùm in Moravia, præcipuis jam Regijs in urbibus ſermo Tevtonicus prævalet, ſenſímque patrius, degeneri, ùt inquit præfatus Author, hâc ætate ſic permittente, invaleſcit. O tempora!

Stransky ibid. § 4. M. Daniel à VVeleslab. præfat in Sylvam quadrilingu. Jus Provinc. B. 32. Municipale B. 8. Comitia an. 1615. Comitia Brunæ an. 1613.

Religio Moravorum prima, Catholica:

Religionem Chriſtianam (ùt adhuc aliquid de illa, præter ſuprà dicta, hìc paucis referam) Moravi, quam primitùs à *SS. Cyrillo & Metudio*, aliìsque Doctoribus, pijs & ſanctis Viris acceperunt, nempe *Catholicam & Apoſtolicam*, eandem per ſexcentos & ampliùs annos, conſtanter abſque ulla mutatione tenuerunt, ad usque tempora Huſſi, unius ex hæreſiarchis: cujus doctrinæ pravitas ſtatim ac Pragæ, & per Bohemiam penè univerſam, virus ſuum diffundere cæpiſſet, quod circa an. 1410. accidit, facilè in vicinam quóque Moraviam irrepſit; cùm non deeſſent, qui aures præberent, qui & manus ad diripienda Eccleſiaſticorum Bona (iſta námque erat mutatæ religionis merces) ſuâ ſponte commodarent. Nihilominùs *Epiſcopi tum Olomuc. Joannis de Praga, poſtea Cardinalis*, viri ſanè incomparabilis authoritate, curâ, ſtudio ac diligentiâ; & quorundam procerum, utì *Kravaræorum, Lippæorum, Sternbergorum, VValdſteinorum, VVrbnæorum, Perſteinorum, Bozkovviciorum, VVlaſſimæorum*, pietate & conſtantiâ factum, ut malum hoc peſtilens procul radices agere, & invaleſcere non potuerit. Primò deinde Interregni tempore, poſt obitum Alberti Imp. & Bohemiæ Regis; quod ab anno 1439. duravit, ad usque an. 1453. cùm non ſufficienter vigilarent, qui pro officij ſui munere debuiſſent, pedem intulit in Moraviam hæreſis: & magìs poſtea, (pedem omninò utrumque & intulit, & fixit) *ſub Georgio, VVladislao & Ludovico Regibus*; ità ut ſenſim invectæ fuerint in Provinciam, præter jam dictam

obſcuratur per hæreſes:

Huſſitarum, etiam Picardorum, Anabaptiſtarum, Arrianorum, Flaccianorum, Trinitariorum, Photinianorum, Lutheranorum, Calviniſtarum, Dulciano-

ciano-

Digitized by Google

cianorum, *Lugentium*, & quæ non aliæ? novæ & veteres peſtes: ut non mirum, in uno oppido, 14. diverſiſſimas hæreſum ſectas numerari potuiſſe. *MS. Apolog. Comit. Slavata.* Quiſque ſibi, prætextu, ſeu veriùs, abuſu libertatis, præeuntibus de Nobilitate non paucis, religionis magiſter, átque adeò pontifex, rex & lex fuit: quiſque ſe duntaxat optimum judicem, & interpretem Scripturarum putavit; tantâ paſſim credendi licentiâ, ut tandem etiam publico Comitiorum decreto, anno 1608. Brunæ id approbatum fuerit, permiſsúmque: *liceret omnibus credere, prout cuique Deus dat cognoſcere*. Unde tanto magis, populus ferè omnis, in hæreſim quà datâ portâ ruit.

Duravit libertas hæc, vel propudium potiùs religionis, ad Victoriam usque, quam *Ferd. II. glorioſiſſimæ memoriæ Imp. & Bohemiæ Rex*, de Friderico Palatino, ad Pragam in Albo Monte, anno 1620. VI. Idus Nov. feliciſſimè obtinuit; aut uno fortaſſe adhuc anno diutiùs. **denuò refloreſcit, & ſola triumphat.** Tum enim, ſicuti Moravia ipſa tota, ad legitimi ſui Principis obſequium haud cunctanter redijt: ità ſtatim & Religio Catholica poſtliminiò aſſurgere, & in priſtinum ſuum decus reſtitui cæpit, *Epiſcopo tum Olom. Franciſco Cardinali à Ditrichſtein* efficaciſſimè juvante; hæreſes omnes, & ante alias Anabaptiſtarum átque Picardorum, poſtea & reliquæ, totâ Provinciâ exeſſe juſſæ. Quarum reliquiæ quædam tenues, latitabant quidem hinc inde ſparſæ diu ſatis, toto ferè illo tricennalis belli tempore, & ultrà; præſertim in montanis Sileſiæ viçinioribus: ſed & illæ nuper, moderni *Celſiſſimi & Rev. Principis, Caroli de Lichtenſtein Epiſcopi Olom.* diligenti curâ; ſicut & moderni *Illuſtriſſimi & Excell. D. D. Supremi Marchionatûs Capitanei, Caroli Franciſci Comitis Liebſteinsky de Kolowrat*, authoritate & ſtudio, extirpatæ ſunt, ſingulari totius Provinciæ felicitate: ità ut ſola nunc Catholica Religio obtineat in Moravia locum; nec ullus in Ordine quopiam cenſeri, vel poſſeſſione aliquâ jure dominij gaudere, vel quomodocunque gerere ſe pro incola Provinciali poſſit, niſi Catholicæ profeſſionis. *P. Angel. Soc. JESU, in Dedic. libri Poëmat. Græco-Latin.*

Atque hæc de ſitu Moraviæ, naturâ, ubertate, aliiſque rebus, & qualitatibus ejus memoratu dignis; déque moribus, lingua, Religione Moravæ gentis, dicta ſufficiant. Nunc ad Topographicam ejus deſcriptionem procedemus, quam percurremus ſuccinctè, ne præter inſtituti forſitan noſtri rationem, prolixiores videamur.

CAPUT VI.

De Moraviæ Diſtrictibus, oppidis & locis potioribus.

MORAVIA finibus ſuprà memoratis circumſcripta, poſtquàm deſijſſet eſſe Regnum, â Principibus Bohemiæ redacta in Provinciam, aliàs quàm nunc dividebatur in partes. **Prima Moraviæ diviſio in tres Provincias.** Primus ê Bohemis Principibus, *Brzetiſlaus Udalrici filius*, eam in tres Toparchias partitus eſt: videlicet, in *Olomucenſem*, *Brunenſem*,

ſem, & Znogmenſem: quas filijs ſuis junioribus, *Vratislao, Ottoni, & Cunrado,* fiduciæ nomine (ùt ſuprà innuimus) dominio directo penes ſeniorem filium *Spitigneum,* quà Bohemiæ Principem, reſervato, poſſidendas dedit.

Altera in quatuor; Tetrarchiâ Brzedslaviensi ſive Brzetislav. accedente.

Annis ſubſequentibus, cùm fratres & agnati Principum, Regûmque Bohemiæ creſcerent numero, *Olomucenſis Toparchia,* quæ erat omnium ampliſſima, protenſa â finibus Sileſiæ, Meridiem verſùs, ad usque confluentem Moravæ & Teyæ, in duas eſt diviſa, in ſuperiorem & inferiorem; ídque primò factum, mortuo *Ottone III. Marchione & Toparchâ Olomucenſi,* anno 1160. Tum enim *VVladislaus Rex Bohemiæ,* tanquàm ſupremus terræ Dominus, eam inter filios ejus, *VVladimirum & Brzetislaum* diviſit; & relictâ ſuperiori penes Wladimirum, inferiorem Brzetislao tradidit: quæ deinde â nova arce (ità refert Comenius) quam ille ad flumen Teyæ condidit, & â ſuo nomine *Brzetislaviam* nuncupavit, *Brzetislavienſis Provincia* dicta eſt. Ego tamen in monumentis notæ probatioris invenio, jam antea, locum illum tenuiſſe hoc nomen: quod vel ex litteris Fundat. Collegiatæ Eccleſiæ Vetero-Boleslav. liquet: in quibus Brzetislaus ejus nominis I. Bohemiæ Dux, inter alia, quæ eidem Eccleſiæ in dotem, & quæ in ſuſtentationem Cleri, in Bohemia pendenda contulit, hæc quóque ex proventibus Moravicis adjecit: *Ad emenda Canonicorum veſtimenta hæc ſuperaddimus: Olomuc ſolvat annuatim unam marcam, & duos boves. Prerovv unam marcam, & duos boves. Gedonin mediam marcam, & unum bovem. Brzetislavv dimidiam marcam, & unum bovem. &c.* Circa annum 1230. hæc ditio Brzetislavienſis, *Conſtantiæ Regis Przemyslo-Ottacari I. viduæ* in dotem ceſſit; & eâ mortuâ, filiæ ejus *Bozislavæ,* datæ in matrimonium *Udalrico Duci Carinthiæ:* cujus filium *Udalricum juniorem,* in quodam privilegio, monaſterio Hradiſſtienſi Ord. Præm. ſuper oppidum Kygow, de anno 1247. dato, invenio ità notatum: Udalricus Dei Gratiâ Dux Carinthiæ & Brzetislavienſis &c. Tandem Wladislai II. Bohemorum Regis tempore, placuit Moraviam Carolinæ in Bohemia partitionis exemplo, dividi. Diviſa igitur eſt in Provincias, ſeu, ùt uſitato loquimur, in Diſtrictus quinque: in *Olomucenſem, Brunenſem, Znogmenſem, Iglavienſem & Hradiſſtenſem,* ità â primarijs iſtic urbibus cognominatos.

in Archivo Capit. Metropol. Prag.

Moravograph. lib. 2. cap. 2. VVeleslav. in geneal. Ducum & Reg. Boh. MS. Annal. Monaſter. Hradiſt.

Tandem in quinque: quæ diviſio hodiéque manet. Olomucenſis omnium maximus: ſubdividitur in Orientalem & Occidentalẽ. In Orientali eſt *Olomucium* totius Provinciæ Caput: quod nomen tulit â *Julio Maximino Imp.*

Omnium autem, ùt primus, ità maximus eſt *Olomucenſis.* Is circumſcribitur ab Occidente, partim diſtrictu Bohemiæ Chrudimenſi, partim Reginohradecenſi; ab Aquilone, Sileſiâ & montibus Geſenikæis ſeu Sarmaticis; ab Ortu, partim Ducatu Teſſinenſi, partim Regni Hungarici finibus; ab Auſtro denique, diſtrictu Hradiſſtenſi & Brunenſi. Dividitur in *Orientalem & Occidentalem,* & pars quæque ſuum Regium Locumtenentem, vel, ùt communiter vocant, Capitaneum habet. In Orientali parte continetur Urbs regia ac libera, ſola & unica *Olomucium,* ſeu *Juliomontium,* totius Marchionatûs caput: quæ, ùt loquitur Joannes Rex, in privilegio eidem dato, an. 1314. (†) *inter alias civitates, & oppida Terræ Moraviæ, Principatum & locum obti-*

(†) *Diploma dat. Pragæ an. 1314. II. Cal. Octob.*

obtinet principalem. Nomen accepit *ab Imperatore Julio*, non illo Cæſarum primo, ùt nonnulli perperam in literas retulêre: hunc enim non fuiſſe, néque alium ejus auſpicijs bellâſſe unquam in his partibus, tum ex ipſiusmet Commentarijs, tum ex aliarum Hiſtoriarum monumentis, comprobari poteſt: ſed *Julio Maximino*, quem diutinum acréq; bellum cum Marcomanis, & eorum complicibus Sarmatis gêſſiſſe conſtat: primò ſub auſpicijs *Imperatoris Alexandri Severi*, dum ageret tunc Tribunum legionis quartæ; deinde etiam, poſtquàm Imperij gubernacula, occiſo per ſummum ſcelus Alexandro, ſuſcepiſſet. Aliquid eorum innuit Æneas Sylvius, in imperfecto Operæ Hiſtoriæ Auſtriacæ; cujus duo MS. exemplaria, propriâ ipſius manu ſcripta, in Auguſtiſſima Bibliotheca Cæſarea Viennenſi adſervari, teſtatur Petrus Lambecius Hiſtoricus Cæſareus, inſignis noſtrâ ætate in notitijs hiſtoriarum Vir; qui ipſa verba refert Æneæ itá ſcribentis: *Quod aliqui noſtri temporis Hiſtorici parum conſiderati Viennam, quaſi Biennam dictam aſſerunt, quoniam oppugnanti eam Julio Cæſari biennio reſtiterit; non modò falſum, ſed ſtultum cuique dictum videri poteſt, qui geſta Julij Cæſaris legerit, quem certò conſtat, nunquam hanc terram cum exercitu ingreſſum. Sed ſimile hoc ei eſt, quod Holomutz civitatem Moraviæ, ex vicinitate vocabuli, Julij Montem appellant, qui illam Urbem Julij Cæſaris opus affirmant.* Hæc Æneas Sylvius.

Herodian. Julius Capitol. in Julio Maxim. Naucler. Volum. 2. part. 1. gen. 8. Lambec. Commentarior. de Auguſtiſſ. Bibliotheca Cæſar. Vienn. lib. 2. cap. 1.

Olomucij deſcriptio:

Eſt Urbs ampla ſatis, ſplendidéque ædificata, ſita â dextro Moravæ latere, loco ab ea parte editiore, ac perquàm amœno: quam exornat plurimùm, tum *Sedes Epiſcopalis, Templumque Cathedrale Sancti VVenceslai, cum Collegio Canonicorum*; tum *Artium Liberalium, Philoſophiæ ac Theologiæ Studium*, ſeu *Univerſitas*, cum *Collegio Patrum Societat. JESU*: tum *Aula Epiſcopalis*; quam noſtro tempore *Celſiſſimus & Reverendiſſ. S. Rom. Imp. Princeps & Dux, Carolus Comes â Lichtenſtein, Epiſcopus Olomuc.* Princeps ingenio, doctrinâ, rerum cognitione, prudentiâ, integritate & magnificentiâ, aliíſque Præſulum virtutibus, in Eccleſia & in Repub. præſtans, ac verè Magnus, ſplendidè exædificavit; ac inſuper ſupellectili pretioſâ, utì aulæis, picturis, imaginibus & alijs hujusmodi, multorum millium ære comparatis, magnificentiſſimè inſtruxit. Cujus exemplum ſequuti DD. Prælati & Canonici, pari ſtudio ſuas quóque reſidentiales domos, partim jam ad ſplendorem ſingularem inſtauraverunt, partim id adhuc faciunt: per quod multum ſanè ornamenti Urbi accedit.

Quæ ſacræ aut profanæ Ædes intra Urbem?

Haud parum quóque ſplendoris eidem addit, Prætorium, ſeu *Curia Senatoria*, in foro primario, loco ſpectabili poſita: eâque operis eximij, & ab horologio artificij ſpecialis inſignis. Sicut & Parochiale templum, honori *Divi Mauritij* dicatum, â ſuggeſtu raræ pulchritudinis, & altarium numero, ac eorum ſpectatiſſimo ornatu, turris item artificioſo cochlidio, ſeu tortili ſurſum per gradus lapideos duplici ordine aſcenſu, memorabile. Taceo de vaſis aureis, argenteis & gemmeis; de veſtibus pretioſis, aliâque ſupellectili ſacra præſtantiſſima, hucusque ſingulari Divini Numinis ope, per tot viciſſitudi-

Digitized by Google

tudines rerum & temporum, conſervata. Adjacet templo ædicula pervetus, *SS. Cyrillo & Metudio, Apoſtolis Moraviæ*, ſacrata. Præterea *Domus Convictorum*, â Ferd. II. pro inſtituenda in pietate & literis Nobilium, ſub Societatis Jesu diſciplina, juventute; quemadmodùm & pro Alumnis Eccleſiaſticis, altioribus ſtudijs, & doctrinâ Sacrorum rituum, priusquàm Sacerdotio initiarentur, curámque animarum ſuſciperent, imbuendis fundata, an. 1624. ac idcirco opulentiſſimo Dominio Novo-Gitczinenſi dotata: poſterioribus hiſce annis, vaſto ſplendidóque opere exædificata. Sunt & privatæ civium ædes ſatis inſignes: præſertim in foro utroque, aut foro proximæ; non modò amplitudine, & in altum eductis pluribus contignationibus decoræ, ſed & pulchro ordine, átque eleganti ſerie conſtructæ.

Monaſteria intra Urbem.

Accedunt monaſteria: *Canonicorum Regularium S. Aug.* ad Omnes Sanctos, qui priùs Landskronæ Bohemorum erant, ab an. 1371. fundati â *Petro Epiſc. tum Litomiſſlenſi, poſtea Archi-Ep. Magdeburg. ultimò Olomucenſi:* ſed ab hæreticis deinde, ac potiſſimùm â Koſtkis, civitatis illius ac ditionis totius Dominis, religione Picarditis, usque adeò preſſi, ut ſolum vertere, & Olomucium migrare cogerentur; ubi *ad Eccleſiam Omnium Sanctorum, favente Capitulo Olom.* ſtationem fixerunt. Succeſſu temporis Landskronâ, fundatio tota, illuc eſt translata, permittente Wladislao Rege, & approbante Alex. VI. Pontifice, anno 1500. IX. Cal. Maji. Item, *Carthuſianorum:* quod antea extra urbem, ad pagum *Dolany*, ſub titulo *Vallis Joſaphat* erectum erat, circa an. 1390. poſtea an. 1437. ab Huſſitis occupatum; â civibus porrò Olom. recuperatum, & ne deinceps eſſet hoſtibus receptaculo, dirutum, & in urbem translatum. *Ordinis S. Dominici, ad S. Michaelis* ædem, â Wenceslao Ottacaro cognomento Luſco, ad petitionem *Divi Hyacinthi*, circa an. 1240. erectum; quod olim Artium Liberalium ſtudio floruit, centúmque ſupra ſexaginta viros religioſos ſuſtentare potuit. Adjacet ipſi fundo monaſterij, *Domus Provincialis*, inſigni quóque opere exſtructa. Alterum ejusdem Ordinis eſt *Veſtalium Virginum, ad S. Catharinam*. Alia ſunt: *Fratrum Minorum Ordinis S. Franciſci, ad S. Jacobum Apoſtolum*; qui priùs erant ad Beatiſſimam Virginem, quod templum modò PP. Societatis habent, ædificatum quondam â *Jaroslao de Sternberg, Tartarorum domitore*. *Veſtalium S. Claræ*, ad S. Joannem Baptiſtam, fundatum circa an. 1248. â Cunegunde, nata Plichtowna â Zierotin, conjuge Jaroslai Sternbergici, cujus jam meminimus. *Franciſcanorum*, qui velut regulæ S. Franciſci obſervantiores, *de Obſervantia* appellantur, *â Joannis Capiſtrani* inhabitatione clarum; *& Capucinorum*, â Joanne ſeniori Kawka de Rziczan, Domino in Braumow & Wlachowicz, in ſuburbio primò extructum, anno 1614. quod cùm quinto poſt anno, hæretici diruiſſent, ſumptibus ejusdem Domini poſtea ſecundò erat ibidem ædificatum. Rurſus verò deſtructum â Svecis; ultimò juſſu Ferd. III. intra urbem eſt translatum. Eſt præterea in Urbe, altera *Parochialis Eccleſia S. Blaſij*, quæ una ê vetuſtioribus habetur.

Paprocʒsky in Specul. Moraỽ. l. 4. fol. 385.

Cruger. in Sacris Memor. Regn. Boh. ad diem 2. April.

Quæ extra Urbem, ſive in ſuburbijs?

Suburbia fuerunt quondam ampliſſima, urbe ferè majora, & tot penè oppi-

oppida, quot ſuburbia: ſed ea Sveci, ne officerent mœniorum defenſioni, ſolo æquârunt. Extra civitatem ad ſiniſtrum Moravæ littus, ê regione Eccleſiæ Cathedralis, Aquilonem versùs, eſt in colle petroſo, ampliſſimum opulentiſſimúmq; cœnobium, *Hradiſſtie* dictum â caſtro, quod eſt Moravis *Hrad*, per Brzetislaum I. ibidem aliquando exſtructo. Et primò, cûm idem caſtrum, Otto I. Marchio, ædificatâ quóq; Eccleſiâ, Divo Stephano Protomart. ſacrâ, in formam monaſterij convertiſſet, Religioſis Ord. S. Benedicti illud poſſidendum dedit: quos deinde poſt annos 74. Otto III. (incertum, quam ob cauſam,) amovit, & Canonicos Regulares Præmonſt. ê Cœnobio Strahovienſi vocatos eò induxit: qui hodiéq; ibi ſub Abbate infulato vivunt, & pro Patre Abbate, Prælatum Strahovienſem agnoſcunt. Cæterùm, quæ adverſa fuerit urbis fortuna, ac præcipuè bellorum motibus, quoties concuſſa, jugóq; hoſtium preſſa & afflicta, infra patebit.

Varia Urbis fortuna.

Epiſcopales in ea regione civitates ſunt: *Kremſirium*, ubi communiter Epiſcopi Olomuc. reſident, â Brunone Epiſcopo Olomuc. ante trecentos annos muro cinctum, & in formam civitatis redactum, egregiéq; tum ab ipſo, tum â Succeſſoribus ejus, privilegijs, & immunitatibus dotatum, ac inſuper Eccleſiâ Collegiatâ S. Mauritij decoratum. Hæc civitas nupero bello, â Svecis vi expugnata, an. 1643. die 26. Junij, & exuſta, magnam cladem tulit; átq; iterum an. 1656. die 5. Junij, per fortuitum incendium: quam denuò inſtaurat, & novo eóq; vaſto, pereleganti & ſumptuoſo ſuburbano horto exornat, modernus *Reverendiſſimus & Celſiſſim. Princeps*. Extra civitatem eſt monaſterium Ord. S. Franciſci ſtrictioris Obſerv. ad *templum SS. Trinitatis*. *Prziborium*, ab eodem Epiſcopo Brunone, ære proprio, unà cum arce munitiſſima *Hochvald*, & agro vicino ampliſſimo emptum; ſimiliter *Kelczium*, cum arce, & ſeptemdecim pagis. *Oſtrava, Libova, Budiſſovv*. Oſſoblava & Ketrze, in Sileſia quidem: in Ducatu Grotkovienſi, illa, â Brunone Epiſcopo Olom. arce & mœnibus cincta, ùt Daubravius refert: hæc in Ducatu Oppav. juris tamen Moravici.

Epiſcopales in Orientali Diſtrictûs Olomuc. plaga Civitates.

Daub. l. 17.

Quæ verò procerum Nobilitatiſq; ditioni ſubſunt Civitates, & nitidæ ſunt, & cum arcibus. In his tenent primum locum, *Novo Gitczinium* civitas ê recentioribus una, populo tamen civili, induſtrio, & negotijs ſuis intento, exculta, ſplendidéq; ædificata. *Fulneka*, gentilitia quondã Familiæ Kravareæ, in Moravia celeberrimæ potentiſſimæque ſedes: quam ex vicino colle deſpicit arx, munimentum ad reſiſtendum hoſti utcunq; validum, â Svecis an. 1643. occupatum, & retentum usque ad d. 10. Julij, an. 1650. *Meſerzicium* in dextra Beczvæ ripa, & illi vicinum oppidum *Kraſno*: *Hranicium* â Chvalkone Abbate Hradiſſtenſi, circa annum 1291. conditum: *Lipnicium*, ubi Collegium Piarum Scholarum, in præurbio, ab an. 1634. fundatum â Franciſco Cardinali de Ditrichſtein, & â moderno loci Domino, *Ferdinando Principe de Ditrichſtein*, nuper in formam meliorem extructum: *Prerovia*, civitas ex antiquioribus una; *Holeſſovium & Podſtata*. E regione Lipnicij, ſtat in præalto monte arx *Helffenſteina*; propugnaculum naturâ loci & arte munitiſſimum: ante paucos annos, publicæ poteſtatis juſſu, potiore ex parte deſtructum; denuò tamen reſtauratũ.

Nobilitatis Civitates: Novo-Gitczinium. Fulneka.

Meſericium.

Prerovia civitas vetuſtiſſima; Arx Helffenſteina.

Alia oppida partim ſola, partim cum arcibus ſunt: *Paſſkovv*, *Moſſovv*,

oppida.

I *Bruns-*

Brunſperg, Miſtko, Franckſtadium, Stramberga, Gitczinium vetus, Domazelicium, Kokory, Drabotauſium, Drzevvoboſticium, Biſtricia ſub monte Hoſteyn, Biſtricia propè Olomucium, Moſtenicium, Pruſſinovicium, Chropinium, Hulinium, Holicium, & quædam alia. Porrò minoris notæ, pleræq; tamen haud incelebres Nobilitatis arces, caſtelláque ſunt: *VVeſſelicko, Kunvald, Petersvald, Altdorff, Huſtopeczky, Libentalum, Parcendorff, Czechinium, Rokytnicium, Chorinium, Nelbuble, Petrovicium, Spanovium, VValtersdorfium, Slatina, Deſna, Meidelberga, Henerſtorffium, Schlakovium, Stablovicium, Przeſtavvlky, VVinary, Zeletavicium, Trnavvka, Ubrzicium, VVſſechovicium, Leſſno, Skaliczka &c. &c.* Arces verò naturâ loci & arte munitiores, quæ oppugnatoribus poſſent faceſſere negotium, præter *Hochvaldam, Helffenſteinam & Fulnekum*, de quibus jam dixi, ſunt: *Stramberga & vetus Gitczinium*. Fulnecæ multum quóque ornamenti addit, monaſterium Canon. Reg. S. Auguſtini, â Petro de Kravarz, anno 1290. fundatum. Et hæc de Orientali Diſtrictûs Olomucenſis parte.

Caſtella minoris gentium.

Arces naturâ & arte munitæ.

In Occidentali Diſtrictûs Olomuc. parte Urbs Regia Uniczovium.

In Occidentali, Urbs regia ac libera eſt quóque unica, *Uniczovium*, ſeu *Neapolis Moravorum*, propugnaculum inſigne, in planitie, loco uliginoſo, ideóque cuniculis & foſſionibus minùs obnoxio, ſitum: quod primò fuit in ditione *Baronum de Sovvinecz, ſive Eilenberg*, â quibus conditum, & ab Henrico Sovinecio muris cinctum eſſe fertur, tempore Joannis Regis, anno circiter 1326. Deinde *Procopium Marchionem*, fratrem Jodoci dominum habuit; ac tandem â *Sigiſmundi Regis Cæſaris* clementiâ, locum inter urbes regias obtinuit. Cives, prout Huſſitico bello Olomucenſium conſilia, magna cum laude, itâ Svedico bello, eorundem exemplum, cum magno fortunarum ſuarum diſpendio, ſunt ſequuti; pari enim ingruentis periculi metu perculſi, nec ullo priùs edito virilitatis documento, portas Svecis aperuerunt. Meliùs rem geſſerunt, an. 1626. adversùs Mansfeldium, & Ducem Vinarienſem; prout quondam Majores illorum, an. 1463. vel potiùs 1468. adversùs Mathiam Regem Hungar. quos vim intentantes, egregiâ virtute repulerunt. Monaſterium in civitate, quod Eliſabetha Henrici Sovvinecij conjunx, in honorem Dei, ac Beatiſſimæ Virginis Mariæ, pro D. Claræ Veſtalibus, anno 1330. fundaverat, nunc Religioſi S. Franciſci Conventuales poſſident. Ab ea parte, paulò plusquàm uno lapide, Aquilonem versùs, eſt *Sovinecium*, Latinis, *noctuarum mons*, arx in excelſo monte ſita, & benè munita, natalis quondam domus ſuprà nominatorum procerum Sovineciorum: modò ad Crucigeros Tevtonici Ordinis pertinet. Anno 1643. â Svecis obſeſſa, & ab 20. Septembr. usque ad 13. Octob. oppugnata fuit: qui tandem illam partim vi, partim deditione occupârunt, (exercitu Cæſareo, qui ad Mohelnicium aliquot diebus ſtabat, nullam obſeſſis ferente opem,) & tenuerunt ad usque executionem pacis Oſnabrugicæ.

Civitates Epiſcopales, Svitavia & Mohelnicium.

Epiſcopales Civitates ſunt in hac ora duæ: *Svitavia & Mohelnicium*. Illius præ nimiâ vetuſtate origo ſciri nequit; tametſi aliqui, eam â Svatava Regina Bohemiæ Wratiſlai I. Regis conjuge fundatam putent; nos tamen in vetu-

Digitized by Google

vetuſtioribus Hiſtoriarum Patriæ monumentis, eam ſub illo nomine longè priùs claruiſſe novimus: videatur Hagek ad an. 894. Hanc pagum fuiſſe, anno 1180. Epiſcopatui Olomucenſi, à *Friderico Inter-Rege Bohemiæ* donatum, conſtat: quam deinde in civitatis formam excoluêre Epiſcopi. Illa commendatur potiſſimùm ab eo, quòd det Patriæ complures viros doctos: nam ævo noſtro ſoli animarum Curati, qui ei ſuos Natales debent, recenſentur per Moraviam varijs in Beneficijs, iiſque opimis, tam Parochiarum, quàm Decanatuum, viginti & aliquot. Hæc, quòd Bohemiæ dederit Archi-Epiſcopos duos: *Antonium*, Epiſcopum priùs Viennenſem; & poſt illum immediatè *Martinum*, priùs Cœnobij S. Hyppoliti ad Znogmam Præpoſitum. Ab ea non procul, Corum versùs, eſt arx Epiſcopalis *Mirovv*, in monte excelſo ſita, quæ civitati Mohelnicenſi, totique illi vicino, & in longum latúmque protenſo agro præeſt, â moderno Epiſcopo Carolo ſplendidè reſtaurata. Anno 1643. ſub jugo Svecorum, die 19. Junij, deditione accepta, aliquandiu gemuit, â quo tamen, quarto pòſt menſe, Cæſareanorum virtute ſublevata fuit.

Stransky Reip. Bob. c. 6. §. 16.
Arx Mirovv.

Procerum civitates ſunt celebriores: *Litovelia*, quam Morava in plures diviſus ramos undique versùm alluit; libera ac regia quondam, & ab Eccleſia, quæ olim ibi erat Collegiata, nobilis. *Proſtiegovium*, *Trebovia Moravica cum arce*, *Schumberga & Zabrzeh, etiam cum arcibus; habitatoribus plenæ:* ſub jurisdictione & dominio Caroli Principis â Lichtenſtein. *Schumberga*, urbecula amœna, & loco jucundo, nonnihilque editiori, ad flumen *Deſsnam* ſita: avorum noſtrorum memoriâ, fuit in ditione procerum *Zierotiniorum*; â quorum poſtremo *Joanne, qui ſimul erat Dominus in Loſyn*, libertatem plenam pecuniâ redemit, an. 1569. & Maximiliano II. Imp. ac Regi, ſe ſuâ ſponte ſubjecit. Anno 1622. *Ferd. II. illam Carolo Principi de Lichtenſtein donavit:* ſalvâ tamen ipſius libertate; unde ſui nihilominùs juris eſt, & multis gaudet immunitatibus: certum ſolummodò annuum cenſum, quaſi ex tutelari jure, Principi pendere ſolet. Nec minùs elegantes privilegiatæque, & ſatis amplæ ſunt *Trebovia & Proſtiegovium;* totæ undique muris cinctæ, & cùm ædificijs civium ſplendidis, tum ſuburbijs longè hinc inde procurrentibus conſpicuæ. Utraque, ſicut & *Litovelia*, poſt occupatum â Svecis anno 1642. Olomucium, multas calamitates paſſa: de quibus ſuo loco. Aliæ; æquè celebres & populoſæ: *Sternberga*, â Jaroslao Barone de Sternberg, circa annum 1245. unà cum arce fundata: *Gevicium: Tovaczovium*, cum arce utcunque ad reſiſtendum valida; â Svecis anno 1642. occupata, & ſequenti anno, magna ex parte deſtructa. *Rimarovium*, ſeu *Romanopolis*, â frequentatis ibi Romanorum, adversùs Marcomanos & Quados belligerantium ſtationibus, ità dicta. In his monaſteria vigent: *Sternberga, Canonicorum Regularium S. Auguſtini, ab Alberto de Sternberg*, anno 1371. tum adhuc *Archi-Epiſcopo Magdeburg.* ſed paulò pòſt *Epiſcopo Litomiſslenſi*, erectum. *Schumbergæ, Ord. S. Dominici*, primò ab *Hugone & Jaroslao Fratribus de VValdſtein*, Zdenkonis Wartembergicij, aliàs *de Ralsko*, qui ab ar-

Civitates Nobilitatis.
Litovelia.
Proſtegovium.
Trebovia.
Schumberga.
Zabrzeh.

Sternberga.
Geyiczko.
Tovaczovium.
Rzimanovv.

Digitized by Google

ce in ſylvis Turnovio, oppido in Bohemia, vicina, nomine *VValdſtein*, primus de *VValdſtein* denominari cæpit, filijs: â quibus ipſa etiam Schumberga pagus, civitatis originem accepiſſe fertur; circa an. 1230. conditum. Poſtea dum injuriâ temporum deſolatum eſſet, â *Joanne Præpoſito VViſſegradenſi, Epiſcopo* deinde *Olom.* anno 1293. reſtauratum. *Gevicij, Eremitarum S. Auguſtini;* de cujus fundatione nihil aſſerere poſſum. Olim *Proſtiegovij*, ubi nunc Parochia eſt, monaſterium quóque erat *Canon. Regul. S. Auguſtini*, ab eodem Petro de Kravarz, qui Fulnecenſe fundârat, conditum, *in honorem Viſitationis Beatiſſimæ Virginis*, an. 1391. Item *Prevorarovia*, (pagus eſt inter Landskronam Bohemorum, & Zabrzeh) ſub titulo: *Corona ſancta*, â Borſſone de Ryſmburgo, anno 1275. fundatum, datûmq; *Eremitis S. Auguſtini.* Et *Clauſtrelli* (pagus eſt non procul inde, vulgò Kloſterle) *Ord. S. Benedicti*, ê Diœceſi quondam Litomiſslenſi. Item, in *Zabrzeb*, ubi modò arx eſt: ſed cujus Ordinis, non liquet.

MS. Archiv. Cathedral. Eccl. Litomiſl.

Oppida & arces.

Oppida tum ſola, tum cum arcibus: *Altſtadium, Schiltberga, Givava, Dvorecium, Perno, Domſtadia, Bruncefaga, Hauſe, Loſsticium, Brzezovia, Bozkovicium, Auſovia, Svvitavvka, Knibnicium, Koſtelecium, Kogetinium*, ditio quondam Epiſcoporum & Archi-Ep. Pragenſium: *Namieſtium, Paczlavicium, Brodecium, Eyvvanovicium, Morkovicium. &c.* Caſtra, quæ vi hoſtium reſiſtere poſſent: *Goldſteina, Bozkovia, Trnavvka, Plumlovia, Auſovia, Rabenſteina, Sternberga.* Minoris autem gentium oppida, arces & pagi nominatiores; *Ruda, Loſinium, Janovicium, Tremeſſekium, Tatenicium, Temenicium, Zvvole, Bauſovium, Biskupicium, Bludovium, Augezda, Chudobina, Ptina, Sugdolia, Schebetovia, Opatovicium, Krakovecium, Lhota VVranova, Lhota rubra, Lhota alba, Drabanovicium, Geſſenicium, Ochozium, Laſſkovia, Czechy, Pivina, Nemile, Slatinka, Doloplazy, Zielecium*, & alia non pauca; quibus omnibus enumerandis lectori moleſtus eſſe nolo.

Arces muniriores. Minoris notæ oppida & caſtella.

Brunenſis diſtrictus

II. Poſt *Olomucenſem* Diſtrictum, ſequitur *Brunenſis:* inſignis quóque terræ tractus, â *Bruna* Urbe nomen adeptus. Hic ab Ortu æſtivo tangit partim Olomucenſem, partim Hradiſstenſem provinciam; ab hyberno Hungariam; â Meridie, Auſtriam & Znogmenſem, ac Iglavienſem Diſtrictus; ab Occaſu iterum aliquâ parte Znogmenſem & Iglavienſem; de reliquo, Favonium & Thraſciam versùs, confinia Diſtrictuum Bohemiæ, Czaslavienſis & Chrudimenſis: â Septentrione, Corum & Boream versùs, Olomucenſem. Dividitur in ſuperiorem & inferiorem. Et hic ferè totus planus eſt & apricus, maximè quâ ad confinia Hungariæ vergit; excepto, quòd in nonnullis locis ſupereminеat collibus, pleriſque tamen viniferis, & ad fertilitatem amœnitatémque commodè diſtinctis.

dividitur in ſuperiorem & inferiorem.

In inferiori Urbs Regia, Bruna, ejus deſcriptio:

Urbs in eo regia eſt unica *Bruna*, noſtrâ hac ætate multum celebris, tam â *Regio Tribunali*, anno 1636. inſtituto, & anno 1641. Olomucio illuc tranſlato; quàm â *Tabulis Provinciæ, Judiciiſque & Comitijs Provincialibus ibidem hic & nunc frequentatis.* Mediocris eſt magnitudinis, ſed nitida ac populoſa, locôque hoſtibus expugnatu difficili, & alicubi editiore, & tum mœnibus,

tum

Digitized by Google

tum vicinâ *arce Spilmberg*, quæ in eam ex propinquo & contiguo monte deſpectat, ſatis tuto: ùt palam oſtenſum fuit, anno 1643. & magis anno 1645. in illa acri, & per 16. ſeptimanas durante, *ab exercitu Svecorum* obſidione: quâ feliciter ſuperatâ, toti orbi innotuit, & clara antè, clarior deinceps reddita eſt; multis etiam privilegijs â Ferd. III. decorata. In nominis illius origine explicanda, variant Authores. Alij enim â *Brynnone* Rege Moravorum, quem ejus conditorem eſſe volunt: alij ab antiquo, quod erat *Eburum*, *vel Eburodonum*, illud deducunt: alij ab irriguis fontibus, Germanicè Brünne: alij ab ardendo, Germ. brennen/ quòd in principio ſui, frequenter igni conflagrârit. Nobis prima ſententia placet.

Diploma Cæſ. dat. Lincy an. 1646. d. 3. Febr unde origo nominis: *Aventin. in Annal. Bojor. l. 4. fol. 294. Marian. in Topograph. Morav.*

Tametſi autem non adeò magna, ùt diximus, videatur, multis tamen præclaris ampliſque ornata ſpectatur ædificijs, tam publicis, quàm privatis: præcipuè *Aulâ Epiſcopi, Domo Provinciali, Palatio Principis de Ditrichſtein, Curiâ*, & alijs. Sed plurimùm, ſacræ Deo Divisque dicatæ ædes eam exornant. Primò, *Baſilica S. Petri in urbis vertice ſita, & in Collegiatam à Theodorico Epiſcopo Olomuc. anno 1296. erecta*: ſub Præpoſito infulato, & Decano cum Collegio Canonicorum. Altera *Parochialis S. Jacobi Apoſt.* in altum aſſurgens faſtigium, auguſtíque cultûs & ſtructuræ, ac tota, unà cum turri majori & minori, æneis laminis tecta: ad cujus cœmeterium eſt Sacellum *S. Mauritij*. *Collegium*, *Domúsque Probationis Societatis JESU*, ad Divæ Virginis templum, *Cella Mariæ* quondam dictum; unà cum Gymnaſio, quod Humaniorum diſciplinarum ſtudio hactenus fuit florentiſſimum: â Rudolpho II. an. 1578. fundatum, (poſtquàm *Joannes & VVenceslaus fratres Grodecij*, ille Præpoſitus Brunenſis, ac paulò pòſt Epiſcopus Olom. hic Decanus ejuſdem Eccleſiæ Colleg. Brun. initia jeciſſent haud contemnenda, anno 1572. Maximiliano II. permittente, & Gregorio XIII. Pont. Max. approbante:) â Franciſco deinde Cardinali â Ditrichſtein Epiſcopo Olomuc. ædificatum, & â Ferdinando II. Cæſare Opt. Max. bonis auctum.

quæ in ea ſacræ aliæque præſtantiores Ædes.

Collegium Soc. Jesu.

Monaſteria intra urbem numerantur ſex: *Eremit. S. Auguſt. ad templum D. Thomæ Apoſt.* â Sacra Dei Matris effigie, â D. Luca depicta, quæ ibi aſſervatur, & votis plurimorum colitur, celebre: fundatum *à Joanne Marchione, fratre Caroli IV.* an. 1356. Superior loci, quem Priorem vocant, mitrâ in Sacris utitur & pedo, *Notarius Apoſtolicus perpetuus*. *Dominicanorum ad S. Michaëlem*, circa idem tempus, prout Olomucij, erectum. *Franciſcanorum Conventual. ad S. Joannem Baptiſtam*, â quodam ê Baronibus Czernohorskijs, ſeu Bozkovicijs, circa annum 1230. fundatum. *Franciſcanorum de Obſervantia*, ſeu *Bernardinorum*, *ad S. Mariam Magdalenam*: *Capucinorum ad S. Crucem*; *Virginum tertij Ordinis S. Franciſci, ad S. Joſephum*. Tria ultima, ante obſidionem Svecorum, erant in ſuburbio, translata poſtea in urbem. Eſt etiam in foro piſcario, Sacellum vetus, *SS. Cyrilli & Metudij*: & in foro inferiori aliud, *S. Nicolai*, in quo Fraternitas Corporis Chriſti, quæ eſt una ê præcipuis, congregari ſolet.

Monaſteria.

Olim cùm ex integro floruiſſent Brunenſium res, ſuburbia, & in ijs ſplen-

Suburbia olim ad Brunam ampliſſima.

ſplendida villarum ædificia, hortique amœniſſimi, protendebantur in longum latúmque procul ſatis; ſed ea cives ante obſidionem, ne receptui eſſent hoſti, & ſibi, quò minùs urbem propugnare poſſent, obſtaculo, funditùs everterunt: excepto quodam vico, *vetus Bruna* dicto, in loco depreſſiore, ſub ipſa arce *Spilmberg*, â parte meridionali, quâ maximè arduus ſurſum aſcenſus eſt. In hoc, duo viſuntur clauſtra Monialium: unum Ordinis Ciſterc. opulentum ſanè, rerûmque neceſſariarum copiâ, fundis & cenſibus lautiſſimum, â Regina Elizabetha Wenceslai II. pijſſimi Regis conjuge, ſub titulo *Aula Mariæ*, anno 1323. verè regiâ munificentiâ fundatum; quod idcirco *Monaſterium Reginæ* dicitur. Alterum, regulæ *S. Dominici, ad ædem Divæ Annæ ſacram*, ab uno, ê nobiliſſima quondam in Moravia Baronum gente Lomnicæa, (nî fallor, â Thaſone, ſeu Prothaſio de Lomnicz, circa an. 1300. erectum. Eſt & Hoſpitale *S. Joann. Bapt.* â Carolo Marchione, anno 1338 ſub titulo *in Agro figuli* fundatum, & Crucigeris Rhodijs ſeu Melitenſibus, unà cum Pribicio oppido, quod olim ad Templarios Spilmbergam tenentes, pertinebat, datum: & aliud civitatis, cum Sacello *D. Stephani Proto-Mart.* ibidem, poſt lapideum pontem, Eccleſia antiqua *S. VVenceslai;* & alibi, *S. Procopij Ab.*

Arx Spilmberg, in arduo colle Urbi vicino, arcendisque hoſtibus commodo.
Reginæ Cœnobium.
Daubraſ. l. 20. Hagek ad an. 1323. Chronicon Zbraslaſ. parte 1.
Hoſpitale Melitenſium.
Inſtrum. Fundat. penes me eſt, repertum in Archiv. Pernſtein.

Sub ipſa urbe, confluunt duo inſignioris notæ flumina, *Nigris* ſeu *Svarczava*, & *Svitava*. Non procul autem ab urbe, Ortum æſtivum versùs, eſt celebre *monaſterium Ord. Præmonſtr. â Leone Comite de Klobauk, & Polebradicz, circa annum 1200. in inſula Svitavæ, loco peramœno conditum, Zabrdovicenſe dictum:* cui nunc officio & dignitate Abbatis præeſt, *Godefridus Olenius*, Vir tum pietate, tum doctrinâ & prudentiâ inſignis. Et quia ê Strahovienſi Cœnobio, eò fuit inducta nova Fratrum colonia, Abbatem illius, ſicuti Hradiſtenſe ſuprà diximus, pro Patre Abbate agnoſcit. A parte verò altera, medio circiter ab urbe lapide, Boream versùs, ſpectatur in aperto campo, qui Regius dicitur, *Eremus Carthuſianorum*, in honorem SS. Trinitatis fundata, â *Joanne Marchione*, anno 1375. paulò ante ipſius obitum: poſtea â filijs ejus, *Jodoco, Joanne Sobieslao, & Procopio* perfecta, egregiéque dotata.

Zabrdovicenſe Cœnobium.
Carthuſia.

Secundùm Brunam, ſunt & aliæ haud ignobiles, in ea inferioris Diſtrictûs parte civitates: *VViſſkovia*, cùm ipſa per ſe elegans, tum ab arce Epiſcopali, â moderno Principe, Epiſcopo Olomuc. perquàm ſplendidè inſtaurata, novo inſuper ad arcem horto magnificè exculto, nobilis. Extra mœnia habent Capucini monaſterium, beneficio Franciſci Cardinalis â Ditrichſtein, Epiſcopi Olom. in honorem S. Franciſci erectum, an. 1616. *Slavvkovv*, ſeu *Auſterlicium* egregia quóque urbecula, â quatuordecim diverſorum hæreticorum ſectis, quas aliquando fovebat, famoſa. Erat olim monaſterium ibi, (cujus Ordinis, reſcire non potui,) converſum deinde ab hæreticis in fanum Pikardorum. *Niclſpurgum*, civitas non magna, néque adeò vetus, ſed benè ac nitidè exædificata, & tum ab arce, quæ aliquando hoſtium vim egregiè ſuſtinuit, tum *Eccleſiâ Collegiatâ Sancti VVenceslai*, ſub Præpoſito infulato,

Aliæ Civitates in inferiori Diſtrictûs Brunenſ. parte. VViſſkovia.
Slavvkovv.
Paproc. in Spec. Mor. l. 5.
Niclſpurgum.

lato, ſpectabilis. Sicut & *Gymnaſio Piarum Scholarum*, quod jam memoratus Franciſcus Cardinalis â Ditrichſtein, (cujus memoria in benedictione eſt) anno 1631. fundavit; & *monaſterio Capucinorum*, *Domóque Lauretanâ*; quam idem Cardinalis extrui, & magnificè exornari curavit. *Huſtopecium*, dos quondam *monaſterij Reginæ*, cujus jam meminimus, principalis. Hanc â nupera Tartarorum irruptione & clade, frequentem apud mortales fuiſſe in ore meminimus. *Podivinum*, urbs olim una ê primarijs, & ſede Epiſcopali fulgens. Arces cum adjunctis oppidis præſtantiores: *Hodoninia*, *Brzedslavia*, *Lednicium*, *Drnholcium*, *Zidlochovicium*, *Kaunicium*, *Roſicium*, *Ratzicium*, *Butſchovicium*, *Liſſna*, *Zdanicium*. Arx *Hodoninenſis*, patrum noſtrorum memorâ, vim hoſtium non ſemel eluſit. *Brzedslavienſis*, ſeu Luntenburgenſis ſimiliter: ſicut & Děwčj Hrady/propè Nicliſpurgum, in altiſſimo monte ſita; & *VVeverienſis* duobus â Bruna milliaribus, Occaſum æſtivum versùs, in ardua rupe condita, quæ Svecos, tempore obſidionis Brunenſis, ſemel átque iterum vim intentantes fortiter repulit. *Butſchovicenſis* ab ædificio ſumptuoſiſſimè extructo, &, juxta rationes Architectonicas, omnibus numeris abſoluto: *Lednicenſis* verò, ab amœnitate loci, tum ab horto nobiliſſimè exculto, & ab hippovivario percelebri, & alibi non facilè pari, maximè commendantur. Huſtopecium. Podivinum. Oppida. Arces munitiores,

Oppida (aut ſi vicos appellare malumus, cùm ſint ſine ullis mœnibus, & pleráque non niſi ligneis ædificijs) ſunt vel ſola, vel etiam cum arcibus: *Rziczanium*, *Kurima*, *Puſtimerzium*, ubi meditullium Moraviæ eſſe dicitur; erátque olim locus, monaſterio Virginum Ord. S. Bened. & aureâ Miſsâ, Sabatho Sancto circa Solis occaſum legi ſolitâ, perquàm celebris. *Hvezdlicium*, *Sſvvabenicium*, *Dedicium* pertinens quondam ad vicinum caſtrum *Orlovv*, quod in ditione erat Templariorum, cujus nunc vix rudera exſtant: *Rauſinovium*, *Schlapanicium*, *Menina*, *Noſislava*, *Bogkovicium*, *Bluczina*, *Klobucium*, *Modricium*, *Niemczicium*, *Poborzelicium*, olim civitas ſuis gaudens libertatibus; *Pravlovia*, *Pauſdrana*, *Popicium*, *Pribicia*, *Moſſovia*, locus ad confluentem Teyæ & Nigris, â ſtationibus Romanorum, ùt jam diximus, memorabilis; *Dunagovicium*, *Viſtonicium*, *Trachtina*, *Bilovicium*, *Czegkovicium*, *Polebradicium*, *Damborzicium*. *Menina*, vel *Meneſſa*, videtur aliquando fuiſſe ex alijs non poſtrema: ſiquidem vicina oppida & pagi, etiam civitates, *Evvanczicium*, *Huſtopecium*, *Poborzelicium*, & aliæ, â domeſtico judicio, ad ejus ſententiam provocare diu in more habuerint: quæ prærogativa, â Joanne Marchione, anno 1350. eſt ipſi ſublata, & urbi Brunenſi data. Pagi â caſtellis nobiliores; *Reczkovicium*, *Trubsko*, *Brſſticium*, *Pozboricium*, *Habrovana*, *Sokolnicium*, *Pavlovicium*, *Bobdalicium*, *Kogatka*, *VVicemelicium*, *Buſcovicium*, *Czegcze*, *Branicium*, *Hruchovana*, *VVlaſſaticium*, *Kladoruba*, *Letonicium*, &c. Minora oppida & pagi nominatiores. Archiѐ. Pernſt.

A Bruna ſeſqui lapide, Auſtrum versùs, propè Nigrim, eſt *Reybradenſe monaſterium*, Ordinis S. Benedicti, fundatum â Brzetislao I. circa annum 1048. in honorem SS. Petri & Pauli, cui adjacet oppidum, patria nuper Monaſterium Reibradenſe.

Digitized by Google

per defuncti *Archi-Epiſcopi Prag. Matthæi.* Et inde non procul, pagus *Turzany*, templo & miraculoſâ *Imagine Beatiſſimæ DEI Genitricis* celebris. Locum hunc inhabitant, jam ab aliquot annis, Patres Societatis: quibus modernus Epiſcopus Olomuc. conſentiente Capitulo, Iconem illam miraculoſam, unà cum templo donavit. Inſuper pro illis congruè ibidem ſuſtentandis, certos proventus annuos inſtituit; magno ſanè operæ pretio, quandoquidem cultus Deiparæ illic amplificatur indiès: cujus rei teſtimonium præbent, vel illæ frequentes & numeroſæ ſupplicationes eò duci ſolitæ. Ab altera verò parte, Boream versùs, duobus ab urbe milliaribus, in ſaltuoſa quadam altiſſimorum montium valle, eſt pagus *Krztiny*: ubi ſimiliter *Imago Beatiſſimæ Virginis* magnis claret miraculis: locúsque idcirco ille frequentatur, magnâ devotione, non â Moravis tantùm, ſed vicinis etiam populis: Bohemis, Sileſijs, Croatis, Hungaris, Auſtriacis, qui ſingularem ibi Divini Numinis favorem experiuntur. Erat ibi olim monaſterium Virginum Ord. Præmonſtr. ab eodem Fundatore, prout Zabrdovicenſe virorum, erectum, poſtea ſub Huſſitarum diſturbijs deſolatum: nunc Zabrdovicenſi incorporatum manet. In eadem parte Boreali, duobus milliaribus Brunâ, eſt etiam monaſterium PP. Minimorum Ord. S. Franciſci de Paula, in vaſta quidem ſolitudine, quæ versùs Blanſko protenditur, ſed loco & colle amœniſſimo, ſylvis undequaque per modum coronæ ſepto, vulgò in Wranow / â Maximiliano Principe de Liechtenſtein, Oppaviæ & Krnoviæ Duce, patrûm noſtrorum memoriâ fundatum, & â Thaumaturga quóque imagine DEI Genitricis, quæ ibi magno populorum concurſu, nec minori pietate, jam â pluribus ſeculis devotè colitur, percelebre. Ferunt Beatiſſimam Matrem, cuidam Wilhelmo Dynaſtæ Moravo, loci illius Domino, vitio oculorum laboranti apparuiſſe, eúmque admonuiſſe, ut ſi ſanus eſſe vellet, Ædem ſacram honori & nomini ſuo in Wranow extrueret: quod cùm feciſſet, viſum recepiſſe; idque accidiſſe narrant, circa an. 1240. Et hæc, de parte inferiori Diſtrictûs Brunenſis.

Turzany. — Krztiny. — VVranovv.

In ſuperiori, quæ ùt plurimùm montoſa, at populoſa eſt, & ſub qua etiam hæ duæ ſolitudines ſacræ, *Krztinenſis & VVranovienſis* numerari poſſint, civitas libera ac regia nulla reperitur. Quæ verò Nobilitati, aut Eccleſiaſticis ſubjiciuntur oppida, primaria ſunt: *Biteſſium* majus, oppidum pervetus, *Zdiar*, *Letovvicium*, *Nova Civitas*, *Biſtricia*, *Gimramovium*, *Kunſtata*, *Lomnicium*, & *Tiſſnovia*. Alia minoris notæ: *Bobrova* oppidum geminum, ſuperius & inferius; *Oleſſnicium*, *Daubravvnik*, *Nedvedicium*, *Daubravnicium*, *Blansko*, *Krzizanovium*, *Biteſſka*, *Budiſſovium*, *Oſtrovium*, *Taſſovium* nominata ac vetus quóque olim civitas: *Namieſſtium*, arcis elegantiâ & amplitudine conſpicuum: *Kralicium*, *Mobelno*, *Oslovanium*, *Strazekum &c.* Arces principaliores: *Pernſteina*, natalis ſedes celeberrimæ, & quondam in Moravia & Bohemia ſummæ authoritatis familiæ, *Baronum â Pernſtein*: in cujus oppugnatione anno 1645. per aliquot dies fruſtra deſudabant Sveci. *Kunſtata*, natalis quóque ſedes procerum â Kunſtat, quæ

Superior Diſtrictus Brunenſis. — In eo civitates & oppida. — Arces.

quæ *Georgium* dedit Bohemis Regem. *Letovicium* in præalto monte ſitum,& neceſſarijs omnibus ad defenſionem,nunc probè inſtructum. *CzernaHora:Lomnicium*, *Liſicium*, *Namieſtium*, ùt dixi, *Rageciam & Blansko.* Arces deſertæ ſunt in eodem tractu: *Lauka, Zubrovv ſeu Zubrſtein, Hradiſtko, Daleczin, Zdiarecz, VViczkovv, Strazek, Deblin, Drnovvecz, Kravvi-Hora,* in alto monte, Wewerzium inter & Namieſstium, aliæq; non paucæ. Caſtella & villæ locupletiores: *Oſſova, Vanecium, Mitrovia, Moravecium, Vabancicium, Baratinium, Ratkovia, Roſinka, Dobra-VVoda, Maloſtovicium, Krzetina, Slatinana, Novo-Orechovium*; & quæ accolis nota ſunt cætera. Monaſteria Ordinis Ciſtercienſis ſunt hic duo: *Zdiarenſe*, virorum; *Tiſſnovienſe* Virginum. Illud fundavit *Gebhardus Comes à Berneko & Nidda*, Originarius ſtirpis Kunſtateæ, circa annum 1234. ſub titulo: *Fons Mariæ Virginis.* Hoc, Regina *Conſtantia, Regis Przemislai Ottacari I. Conjunx*, circa idem tempus, ſub titulo: *Porta cœli.* Olim fuit ejuſdem quóque inſtituti Virginum, *Oſslovanij & Daubravnicij. Biteſſij* verò Eccleſia Collegiata; ſed ea prioris ſeculi iniquitas, hæreſeos tempore peſſumdedit, & bona terreſtria non ſine inexpiabili rerum Deo dicatarum injuria, diſtracta hinc inde, in profanas devenerunt manus. Caſtella. Monaſteria.

III. Emenſi duos ampliſſimos Diſtrictus, tertium minorem quidem, at vini omníſque generis frumenti æquè, ſi non magis feracem, ingredimur: qui *Znogmenſis*, à primaria iſtic urbe *Znogma* vocatur. Figuræ eſt ferè pyramidalis, excepto, quòd in medio paulò ſit latior: cujus baſis Subſolano obverſa, inferiori diſtrictui Brunenſi incumbit; latus verò Septentrionale, eidem diſtrictui ſuperiori; Meridionale, Auſtriæ, lineâ rectà quaſi parallelà adhæreſcit; denique attingens dextrâ parte diſtrictum Iglavienſem, ad confinia Bohemiæ, ditionem Landſteinenſem versùs, procurrit. Diſtrictus Znogmenſis.

Civitas in eo regia ac libera eſt *Znogma*, loco peramœno, & ab una parte editiori, gratique aëris, ſupra Teyam ſita: plateis, templis, turribus, aliíſque ædibus tam ſacris, quàm profanis nitens, & utcunque munita. Eam ferunt à Przemyslao Ottacaro I. circa annum 1222. loco illo, quo nunc ſtat, ædificatam; cùm antea alibi ſtetiſſet, & ab anno 1145. quo eam Wladislaus Bohemiæ Princeps, ac poſtea Rex, iratus Cunrado Marchioni agnato ſuo, ferro & igni à fundamentis evertit, in ruderibus jacuiſſet. Philippus Cluverius, inſignis patrum noſtrorum memoriâ Scriptor, putat tum ex ſitu loci, tum ex aliquali nominis ſimilitudine, eandem eſſe, quæ à Ptolemæo *Medoslanium* nominatur. *Collegium Societatis JESU* in ea fundavit, *Adolphus Michaël Comes ab Altham*, novi Ordinis Equitum militiæ Chriſtianæ, Olomucij anno 1618. inchoati, & anno 1624. Romæ, à Papa Urbano VIII. confirmati, unà cum Carolo Gonzaga Duce Nivernio inſtitutor; Vir longè clariſſimus, & tum bellicâ virtute, ſummíſque honoribus militiæ geſtis inſignis, tum pietate, juſtitiâ, zelo honoris Dei, & Catholicæ Religionis promovendæ ſtudio, præſtans. Monaſteria ab antiquo condita ibi; *S. Dominici*, & *S. Franciſci Ordinis.* Alia duo recentiora: *Capucinorum* ab anno 1628. & *Clariſſarum* ſtrictioris obſervantiæ. Infra urbem eſt celebre ac opulentum Cœnobium, primò à Juditha Brzetislai I. conjuge, Urbs Znogma. *Hagek ad an. 1148. Paprotzky in Specul. Mar. Annal. Monaſt. Lucenſis. Beyrling. in Magn. Theatr. tom. 3. l. pag. 344. & ſequ.* Extra urbem Cœnobium Lucenſe.

 Bene-

Benedictinis anno 1059. deinde â Maria Henrici VI. Cæſaris filia, & poſt Cunradum II. Bohemiæ Ducem relictâ viduâ, anno 1190. Præmonſtratenſibus datum; vulgò *Lutenſe*, ab amœnitate pratorum, quæ illud circumdant, (Slavicum enim **Luka** / pratum ſonat) nuncupatum. Religioſi & Abbas loci, originis ſuæ, & monaſterij, ex quo prodiêre Majores illorum primi, memores, Abbatem Strahovienſem, ùt Patrem Abbatem, venerantur. A ſuperiori verò parte, in monte præalto, ſpectatur Cœnobium alterum, æquè dives: *Crucigerorum, Crucem rubram, cum ejusdem coloris Stella*, ferentium, ſub Præpoſito; conditum â Wenceslao Ottacaro Rege, & fratre ejus Przemyslo Marchione, anno 1234. quod communiter, *mons Sancti Hyppoliti*, ab æde eidem Sancto dicata, â Germanis verò per ſyncopen, *Peltemberg*, vocatur. Caſtrum ibi quondam fuit, Marchionum domicilium: quo in ædem ſacram commutato, aliud intra Urbis mœnia extructum eſt. Et quia Urbs hæc limiti Auſtriæ eſt viciniſſima, facilè exinde advertitur, vicinum circa illam agrum, ſæpè magnas, quotiescunque Bohemis aut Moravis interceſſiſſet cum Auſtriacis jurgium, pertuliſſe clades.

Cœnobium S. Hyppoliti, ſive Peltembergenſe.

Sub Nobilitate ſunt civitates: *Krumlovia* cum arce egregia, quæ ferè trecentis annis, ad usque patrum noſtrorum ætatem, gentis ejus Proceres, qui *de Lippa* vocantur, & aliquando in Regno Bohemiæ, hæreditario Archi-Marſchallatu gaudebant, dominos agnoſcebat: nunc verò Principibus â Lichtenſtein paret. Sicut & *Evancicium*, civitas elegans & populoſa; uno circiter lapide Krumloviâ, Aquilonem versùs, ad dextram Iglavæ fluminis ripam ſita; quæ olim inter regias liberas numerabatur. Poſt mortem Joannis Marchionis, an. 1375. habebat Dominos filios ipſius: primò Joannem Sobieslaum, deinde Procopium. *Slavonicium*, propè confinia Bohemiæ, urbs ſatis ampla, duplici foro prædita, incolis frequens, & admodùm venuſta: cujus conditæ tempus, etſi hucusque prodiderit nullus, veriſimile tamen, ùt ex etymo nominis conjecturare licet, vetuſtam eſſe, & ab antiquis Slavis, alio nomine Slavinis, conditam. *Gemnicium*, pervetus quóque, in præalto monte ſitum, & â Marchionibus Moraviæ, Jaromirio Borziwogij II. Bohemiæ Ducis filio, Henrico, & alijs in ea reſidentibus, celebre. Urbs, ùt dixi, pervetus, antiquis Chorographis, prout videre eſt apud Cluverium, in Tabula antiqua Vindeliciæ & Norici, *Celemantia*, & alibi *Gelementia*, dicta. *Eccleſia parochialis S. Jacobi*, pertinebat olim ad Sedlicenſe monaſterium Ord. Ciſterc. in Bohemia. *Krumloviæ* olim monaſterium fuit Eremitarum S. Auguſtini, â Czenkone de Lippa, anno 1356. conditum; nunc ejus loco eſt *Eremitarum S. Pauli primi Anachoretæ*, Ferdinandi Principis munificentiâ noviter erectum. Fuit etiam Crucigerorum Ord. Tevtonici Commenda, ad quos pertinebat & parochialis Eccleſia.

Evancicium.

Slavonicium.

Gemnicium.

Oppida.

Alia oppida numerantur: *Daczicium*, ubi monaſterium Ordinis ſtrictioris Obſerv. S. Franciſci nuper conditum. *Budiegovicium*, *Jarmerzitium*, *Starczium*, *Ruchovanium*, *VVratienium*, *Geviſſovicium*, *Hoſteradicium*, ditio quondam Tevtonicorum; *Miroslavia*, poſſeſſio quondam monaſterij Oslowan. *Bliſſkovicium*, *Biskupecium*, *Da-*

Daleſſicium, Proſtomerzicium, Teyakovicium, VVimislicium, Mikulovicium, Jaroslavicium, Hruſſovana, VVolbramicium, Olbrami Eccleſia, â quodam Olbramo, præpotenti Dynaſta ità dicta, qui ibi Collegiatam Eccleſiam erexerat, & Præpoſito Eccleſiæque Wiſsehradenſi in Bohemia, tanquam Patrono, ſubjecerat. Jus hoc Patronatûs deinde, anno 1321. *ad inſtantiam Joannis Regis, Capitulum VViſſebradenſe, Henrico de Lippa* ceſſit, unà cum bonis ibidem *in Olbramicz, Lyſsnicz, Zelcbovicz & Pocbticz:* & ipſius loco, *jus Patronatûs Præpoſituræ Vetero-Boleslav.* ab eodem Rege accepit: quod poſtmodùm etiam alij Reges: *Carolus IV. VVenceslaus, Sigiſmundus, & noviſſmè Ferd. I.* confirmârunt. Hinc invenio adhuc *â Sbinkone Berka*, anno 1583. â *Fælice â Linda*, anno 1588. â *Benedicto Chyſſenſi*, anno 1595. *Præpoſitis VViſſebradenſibus, Præpoſitos Vetero-Bolesl. præſentatos*, adeóque jure ſuo uſos.

Archiv. Baron. de Lippa. Archiv. VViſſe-hrad.

Arces, quæ hoſtium vi reſiſtere poſſent: *Bitovia & Vranovia*, utraque in præalto monte ſupra Teyam ſita: & illa quidem antiquitate, rerúmque circa illam geſtarum memoriâ, ſicuti & vicina illi (ſed modò in ruderibus tota) *Czorſteina*, præſtans: oppidum adhæret utrique. Item, *Sadeka*, inter Jarmerzitium & Trebicium, caſtrum inſigne ab altiſſimo monte proſpectans. Aliæ arces ab ædificijs claræ ſunt: *Dalecziciÿ, Uberczicÿ, Hobzæ, Budkoviæ, Budiſſkoviæ, Martinkoviæ, Hruſſovanæ, Hoſtimi, Geviſſovicÿ, Plaveczÿ, Miroslaviæ, Daleſſicÿ*, ubi quondam erat monaſterium Virginum Ciſtercienſ. Minora verò Caſtella, & Nobilium ſedes; *Rudoletia, Bulikovia, Piſeczna, Budeczia, Boſſkovſteina, Policium, Syrovicium, Misliborzicium, Krhovia, Valeczium, Viſſnovia, Friſſovia, Radkovicium, Zvirkovicium, Ratiborzicium, Lechvicium, Dubnania, Kaunicium* ſuperius, *Nemczicium* minus, *Skaliczka* & quædam alia. *Gdauſoviæ* (pagus eſt non procul Gemnicio) erat olim monaſterium Virginum, ſub regula S. Benedicti, Abbatiſſæ Puſtiemirzenſi ſubjectum; extat hodiéque ibidem loci, templum S. Leonardi Abb. Sub *Kaunicio* quóque erat monaſterium *Virginum Ord. Præmonſtrat.* cujus adhuc veſtigia ſuperſunt, â Wilhelmo de Kaunicz Comite, & bellatore ſub Cunrado III. & Ottone IV. Marchionibus, ſtrenuo, circa annum 1190. conditum, & tam largè proviſum, ut DEO ſacratæ Virgines centum numero, in eo ſuſtentari potuerint. Illud Superiorem, ſive, ùt vocant, Patrem Abbatem, Prælatum Syloënſem in Bohemia agnoſcebat; penes quem viſitandi monaſterium, corrigendi defectus, & Præpoſiti inſtituendi erat poteſtas.

Arces Munitiores.

Arces ab ædificijs claræ.

Caſtella.

Daubr. lib. 13. ad fin. Paproc. in Spec. Mor.

IV. Sequitur jam, ut de *Hradiſſtienſi Diſtrictu*, ità ab urbe *Hradiſſtio*, cognominato, breviter quóque diſſeramus. Is ab Ortu, partéque ſui Meridionali, quà Libanoto obvertitur, cohæret finibus Hungariæ; â Septentrione diſtrictui Olomuc.; ab Occaſu, & â parte ſui iterum Meridionali, Africum & Auſtrum versùs, diſtrictui Brunenſi inferiori. Provincia vini imprimìs ac pomorum, quin & frugum fructuúmque omnis generis feraciſſima, præſertim in meditullio, ubi eam tranſit & irrigat Morava medius.

Diſtrictus Hradiſstienſis.

 Ur-

Digitized by Google

Hradiſstij urbis ſitus, & origo.

Daubraſ. l. 17. Boregk. in Chron. Bohem. fol. 230.

Hradiſstij laus.

Daubraſ. l. 20. Hágék. Idem l. 13. MS. Bartoſſkon. Hagek ad an. 1469. Daubraſ. l 30. Tom. V. Theatr. Europ. f. 117.

Urbes in eo regiæ ac liberæ ſunt duæ: *Hradiſſtium* & *Kygovia*. *Hradiſſtium*, opinione meâ, aſſurrexit è ruderibus Welehradij, vicinæ & quondam florentiſſimæ Urbis, tum â ſede regia, tum â Metropolitana, ſeu ArchiEpiſcopali multùm celebris. Urbs eſt mediocris magnitudinis, ſita in planitie inter Moravæ fluenta, ceu in inſula; loco peropportuno & amœno, ubi magna omnium rerum neceſſariorum copia: â Przemyslao Ottocaro II. condita, ad reprimendas Hungarorum in Moraviam irruptiones, an. 1258. unde etiam traxit nomen, â muniendo, quod homines noſtri, **Hraditi** dicunt; Eſtq; munita ſatis. Laus ipſius eximia eſt, quòd ſemper hoſtibus ſtrenuo, juxta ac felici reſtiterit auſu: tempore Joannis Regis, Matthæo Trenczinio Hungaro, anno 1315. Jodoci & Procopij Marchionum ævo, Hungaris, anno 1382. Zizcæ, anno 1423. ac demum Taboritis & Orphanis perſæpè. Hungaris iterum, eorûmque Regi Matthiæ, adversùs Regem Georgium bellum gerenti, anno 1467. & ſequentibus: Boticajanis, anno 1605. Betlem Gaborianis, anno 1621, & 1623. Krnovienſi, anno 1621. Noſtrâ verò memoriâ, anno 1643. Svedicus miles non unus hìc corpore duram ex vulnere planxit humum. Propter quod multis ac præſtantiſſimis gratijs, immunitatibus & privilegijs, â Regibus datis jure meritò gaudet. Collegium cum Gymnaſio, hac in urbe eſt celebre, *Patrum Societatis JESU*, fundatum â nobili Virgine Catharina Zaubkiana â Zdetino, âtque ipſius totâ, ſâtque opulentâ hæreditate dotatum. *Eccleſia parochialis S. Georgij:* penes quam ſtat adhuc Capella vetus ejusdem Sancti; prout olim, ante urbem conditam, â piſcatoribus ibidem degentibus extructa fuit. Et *monaſterium S. Franciſci ſtrict. Obſerv.* â Joanne Epiſcopo Varadinenſi & Olomuc. erectum. *Kygovia* altera civitas regia, non tamen mœnita, mediocris eſt & magnitudinis & decoris; majorique ex parte ligneis ædificijs conſtat: patrimonium quondam cœnobij Hradiſſtenſis.

Paproczky in Specul. Morav. in Cathalogo Epiſcop. Olom. fol. 181.

Kygovia civitas regia.

Nobilitatis Civitates HunnoBroda.

Magìs cenſetur clara *Hunnobroda*, quondam etiam libera, ultra Moravam, non procul â limite Hungarico, ad dextram minoris Oslavæ amnis ripam ſita, ab antiquis ſine dubio Moraviæ incolis, eadem de cauſâ, uti Hradiſſtium: videlicet, ad inhibenda hoſtium Hungarorum latrocinia condita, & pro priſco illo ſæculo benè utcunque munita. Monaſterium in ea eſt Fratrum Prædicatorum: de cujus fundatione nihil certi reſcire potui. Alia quæ ſubſunt Nobilitati oppida, recenſentur primaria: *Straznitium* cum arce fortiſſima, ad ſiniſtrum Moravæ latus, â *Scholis Pijs*, per Franciſcum Comitem de Magnis, an. 1633. ibidem erectis, celebre: ſupra illud *Veſelium, & Oſtrovia*, cum arcibus, in inſula Moravæ ſita, & ad defenſionem idonea. *Zlina, Friſſtacum, Vizovicium, Malenovicium, Napagedla, Bilovecium, Klobauky, Braumovium, VVſſetinium, VVlachovicium, Slavicina, Sluſſovicium, Kunovicium, Hluka, Banovia, Bogkovicium, VVelika, Lipovva, Lhota, Nivnicium*, partim ſola, partim cum arcibus: omnia hæc â ſiniſtra Moravæ ripa, Hungariam versùs. Arces, quæ vim hoſtium aliquandiu ſuſtinere valeant: *Brumovienſis, VVſſetinenſis, Lukovienſis, Straznicenſis*, ùt dixi-

Straznicium.

Veſelium.

Oſtrovia, Zlina, &c.

Arces nominatiores.

Digitized by Google

diximus, & *Svetlovienſis*. Wſſetinenſis territorij incolæ, vulgò **Waſaſſy**/ quòd tum aliàs, tum anno 1643. Svecis adhæſerint Kremſirium oppugnantibus, magnáque pars fuerint illius vi occupati, anno mox ſequ. graves dederunt pœnas: aliqui confractis cruribus vivi in rotas acti; aliqui, & plures quidem, in furcas, aut ijs deficientibus, in proximas arbores ſuſpenſi.

Ad dextram Moravæ, oppida numerantur: *Bzenecium*, nidus Judæorum: eò quòd magna (ſi alicubi) ibidem illorum ſit copia; qui & ſynagogam ſuam intra oppidum, Chriſtiani verò templum extrà habent. *Poleſſovicium*, Epiſcoporum Moraviæ quondam Sedes: *Buchlovicium, Korytczana, Strzilekum, Zdonka, Kvaſitium, Litenczicium, Zeravicium, Miloticium, Svatoborzicium*, pleráque cum arcibus. *Buchlovia* propugnaculum inſigne, ſubjectam, Orientem & Auſtrum versùs, planitiem ex altiſſimo monte deſpectans; & ab eo non procul *Cymburgum* caſtrum pervetus, in alto quóque poſitum, inter ſilvas & montes, & tum naturâ loci, tum manu ſat benè munitum. Reliqua Nobilium caſtella, & pagi celebriores, ex utraque Moravæ parte ſunt: *Cetechovicium, Drinovia, Kurovicium, Rymicium, Zeranovicium, Tlumaczovia, Otrokovicium, Breſolupa, Orechovia, Luchczovicium, Luka, VVeſſky, Chvalnovia, Czaſtkovia, Hoſtitium, Biskupicium, Augezda, Nezdenicium, Mladoticium, Zadovicium, Straſſovicium. &c.*

Bzenecium, aliáque oppida:

Caſtella & pagi celebriores.

Eſt prætere in diſtrictu hoc, uno ab Hradiſſtio lapide, Corum versùs, Ord. Ciſtercienſis cœnobium, quod ab *urbe VVelebrado*, quondam ibi, aut non procul inde ſita, *VVelebradenſe dicitur*: fundatum à Wladislao Marchione Moraviæ, circa annum 1204. multiſque poſſeſſionibus, tum ab illo, tum à ſubſequentibus Regibus & Marchionibus locupletatum. Abbas loci, eâ præ alijs prærogativâ gaudet, quòd in Comitijs Provinciæ, aliiſque publicis conſeſſibus, inter Regulares Prælatos Moraviæ, primum locum teneat. Olim erat quóque prædives monaſterium ejusdem Ord. cum Abbatia, *Vizovicij*, à Smilone illuſtri quodam Dynaſta, qui illud in honorem Beatiſſimæ Virginis, ſub titulo: *Roſa Mariæ*, fundavit, de conſenſu Przymislai Ottacari Regis, & Brunonis Epiſcopi Olom. anno 1264. *Smilheim* dictum. Filius erat ille, ſuprà memorati Gebhardi Comitis à Berneko & Nidda, Fundatoris monaſterij Zdiarenſis.

Cœnobium VVelebradenſe.

Cœnobium quondam VVizovicenſe.

Potior pars hujus diſtrictûs, prout etiam inferioris Brunenſis, tum præteritis annis, bello Botscajano, ac poſtea Bethlem-Gaboriano, tum nupero Turcico, inopinanter fulguris inſtar exorto, ferro igníque miſerè fuit vaſtata, incolarum alij trucidati, alij in crudelem ſervitutem abducti, alij diſſipati, ità ut ad hoc usque tempus, multa calamitatis iſtius veſtigia in oculos incurrant, & ne pejora deinceps eveniant, Superi miſericorditer avertant. Aliàs tota hæc regio, frugibus, piſcibus, pecoribus, vino, & alijs ad victum neceſſarijs, abundans eſt.

Diſtrictûs Hradiſtenſis, frequentes ab hoſtibus clades.

V. Diſtrictus denique *Iglavienſis*, qui ſolus nobis hìc reſtat perluſtrandus, & qui omnium eſt minimus, ab Occaſu partim Bechinenſem, partim Czaslavienſem provinciam; à Borea, Aquilone & Vulturno, ſuperiorem Brunen-

Diſtrictus Iglavienſis.

 nen-

Digitized by Google

ejus ſitus. nenſem; ab Ortu æquinoctiali, & Auſtro, Znogmenſem diſtrictum attingit: excepto, quòd angulo quodam, inſtar coni, procurrens in Bohemiam, Zierovvnicium inter, quod eſt Bohemiæ oppidum, & arcem limitaneam Landſteinam, Zephyrum versùs, ab utraque parte Bechinenſi diſtrictui cohæreat.

Iglavia urbs regia: Sortita eſt hæc regiuncula nomen ab *Iglavia*, urbe iſtic primaria, libera ac regia, ſita in ipſo limite Bohemico, quà iter in Bohemiam à venientibus ex Moravia, inferioríque Auſtria, & Hungaria viatoribus teritur; cùm ædificiorum privatorum juxta ac publicorum ſplendore, foróque ampliſſimo, tum rerum omnium ad victum cultúmque corporis pertinentium copiâ, hominúmque frequentiâ, & civilitate præſtans, ut facilè cæteris, quæ è primarijs cenſentur, æquiparari poſſit. ejus origo, & Eam Annales Bohemorum à Moravis & Germanis, anno 799. ferunt conditam, eo fine, ut propinquum ac tutum in illam, à prædationibus, quibus tum frequenter Czaslavienſis regionis incolas infeſtabant, receptum haberent: & quia jacientibus fundamenta multi occurrebant erinacei, pro bono omine id accepiſſe, & ab erinaceo, qui Moravis eſt **Gehſák** / Germanis **Igel**/nomen urbi indidiſſe. Urbs, ùt dixi, eſt ampla ſatis, elegans, ac probè munita. Bello Huſſitico exorto, & annis ſubſequentibus, cùm magis ac magis gliſcerent excitatæ in religione atroces inquietationes, quin & acerrimæ perſequutiones; Iglavienſes, tam Orthodoxæ à Majoribus ſuis acceptæ religionis, quàm Jurium ac libertatis integritatem, ſtrenuè magnáque cum laude, adversùs obvios hoſtes tuebantur: poſtea tamen, exorto novo Lutheri dogmate, à fervore primo defecerunt, primíque omnium è Civitatibus Regijs ad Lutheraniſmum inclinari cæperunt. Bello verò Svedico, poſt illam cruentam, & Moraviæ ſummè pernicioſam Cæſaræi exercitûs ad Jankoviam cladem, an. 1645. menſe Martio, portas urbis ſeséque tradidêre victoribus Svecis; qui ut faciliùs urbem, adversùs ingruentem vim propugnare poſſent, ſuburbia quæ erant, circacircum vaſtiſſima, flammis conſumpſerunt, non niſi ad finem anni ſequentis ad deditionem compulſi.

Hagek ad an. 799.

nominis Ἔτυμον.

varia fortuna.

Daub. l. 26 l. 30. Hagek ad an. 1422.

Daubraſ. l 33. Hagek ad an. 1523.

Sacræ in ea Ædes. *Collegium Societatis JESU*, unà cum Humaniorum Studiorum Athenæo, addit urbi multùm nominis & decoris; fundatum, uti Znogmenſe, ab eodem *Comite de Altheim*, & à Cæſare Ferd. II. bonis auctum. Duo præterea monaſteria: ad Eccleſiam S. Crucis, *Dominicanorum*; erectum à proceribus *de Rukſtein*, aliàs *de VValdſtein*, circa annum 1221. & ad ædem Divæ Virginis, *Franciſcanorum Conventualium*, circa annum 1191. conditum, à quodam viro Nobili, (nomen ejus ignoratur,) qui in ſcuto pro inſigni ferebat *gallum nigrum*, in eum modum, quo nunc in Bohemia fert, *Equeſtris Familia Korzenskyana, de Tereſſova*. Eccleſia Parochialis *S. Jacobi Ap.* ibidem, ſtructuræ inſignis, & penes illam Sacellum S. Mariæ Magdal. quæ erant quondam ſub jure Patronatûs, Abbatis & monaſterij Zyloënſis, ad annum usque 1589. nunc Strahovienſi regitur. In ſuburbio, quà itur in Bohemiam, in parvo colliculo, ſpectatur Eccleſia Divo Joanni Baptiſtæ ſacra: quam vetuſtiſſimam, imò omnium primam eſſe perhibent, mox ſub primis, cùm civitatis, tum Chriſtianæ religionis eò introductæ initijs, ædificatam.

Paproc. in Specul. Moraſ. l. part. 2. cap. 4. fol. 78.

Paproc. ibid. l. 4. fol 387.

Nobi-

Digitized by Google

Nobilitatis ager hic ſimiliter peramplus eſt, & opes luculentæ. Tenentur enim ab ea arces *Telczium*, (& hæc quidem præſtantiſſima;) *Trebicium*, (ubi quondam monaſterium, de quo paulò pòſt) & *Mezericium* majus, cum civitatibus populoſis, & muro cinctis: *Brtnicia*, *Veſelia*, *Rudolecia*, *Treſſtium*, *Batelovia* cum oppidis. *Telczium ac Trebicium* ità ſplendidè ædificatæ, ut cuiq; urbi regiæ æquiparari poſſint. Telczio haud mediocre decus addit, *Collegium Societatis JESU*, fundatum ab Illuſtriſſ.& Excell. Domina Franciſca Comitiſſa Slawatiana, nata de Meggau, nunc Auguſtiſſimæ Imperatricis CLAUDIÆ FELICITATIS, Aulæ, Gubernatrice Suprema, Domina religioſiſſima; & neceſſarijs omnibus abundè proviſum: quod an. 1658. primùm inhabitari cæpit. Non procul â Civitate, Iglaviam versùs, prominet ê medio ſylvarum, in modica rupe, arx non magna, ſed vetuſtiſſima, *Rotſtein*: cui vivarium circacircum ampliſſimum adjunctum eſt. Aliud porrò vivarium æquè inſigne, & diverſo genere ferarum inſtructum, eſt vicinius civitati.

Civitates in hoc Diſtrictu præcipuæ: Telczium. Trebiczium. Mezericium.

Cætera oppida, Caſtella & pagi nobiliores: *Novo-Riſſa, Zeletavia, Studena, Mrakotinium, Mirzinium, Kamenicia, VVladislavia, Bobalovia, Stonarovia, Opatovia, Mezericzko, Zborza, Beranovia, Marguarticium, Okriska, Bolinkovia, Dubenky, Borovvna, VVydrzy, Reczicium, Dvvorecium, Palupina, Proſta, Begkovecium, Skrychovia, Pucbliria, Oleſſna, Popelinium, &c.*

Arces, oppida & caſtella.

Eſt porrò hic ad ipſum Moraviæ limitem, in ſolo tamen Bohemo, ſita Patria mea (quam honoris ac venerationis gratiâ hic commemorare lubet) *Poczatky*, urbecula quidem parva, ſed pervetus; quam indigenæ traditionibus Majorum ducti, *â Czecho & Lecho*, dum ex Croatia, per Pannoniam ſuperiorem & Moraviam, in Bohemiam, quærendo novas ad habitandum ſedes proficiſcerentur, fundatam, ob idque **Počátky**/ linguâ ſuâ, quod Latinis *initium*, ſive in plurali, *initia*, ſonat, quaſi ibi initia jeciſſent novarum ſedium, nuncupatam volunt. Utut ſit, vetuſtam exinde vel maximè patet, quòd in privilegijs â veteribus ſuis Dominis, præſertim ab ejus gentis Proceribus, qui *Roſam auream* pro inſigni gerebant, & de *Nova-Domo* vocabantur, ante annos ducentos datis, paſſim titulo antiquitatis decoretur. Ità *Meynhardus de Nova domo*, Regni Bohemiæ, Interregni tempore, Gubernator, dans poteſtatem civibus, ob eorum inſignia adversùs Huſſitas Taborienſes geſta, ut civitatem, quæ antea humili maceriâ, & alicubi ſepibus duntaxat, circumdata erat, muro & vallo cingere poſſint, ſingulari diplomate eam in rem dato, an. 1439. eo titulo civitatem vocat: **Naſſemu ſtarožitnému Mĕſtu Počátkům**: id eſt, *noſtræ vetuſtæ civitati Poczatecio.*

Poczatky civitas in Bohemia huic diſtrictui confinis, Authoris hujusce Operis Patria.

Ejus vetuſtas.

Plurimùm verò laudis habet hæc civitas, quòd religionis Orthodoxæ cultrix fuerit conſtans ſemper, & cives erga Dominos ſuos hæreditarios fidei inconcuſſæ, non tantùm motuum Huſſiticorum, ſed recentioris quóq; rebellionis acatholicorum tempore. Nam cùm an. 1618. Novodomenſes intromiſiſſent in urbem duas cohortes peditum, Statibus acatholicis militantium, & cum ijs ſeſe primò Comiti Dampierio, deinde Bucquogio, Cæſareæ militiæ Ducibus oppoſuiſſent; demum etiam ad pleniorem libertatem, conati habere locum inter urbes regias, aſpirâſſent, *Poczatenſes* quóq; in eandem vindican-

Civium in Religione Catholica, & data ſemel Dominis ſuis fide, conſtantia.

dæ

Digitized by Google

dæ (uti dicebant) libertatis ſocietatem invitârunt. Sed hi â Primate ſuo, *Joanne Elbo*, avo meo materno edocti, quantum ſceleris committeretur, ſi huic tam præcipiti, ac periculoſo aſſentirentur conſilio, non niſi demum malo ſuo expiando, maluerunt permanere Domino ſuo fideles, etiam tolerata perſecutione ſummâ â parte adverſâ, quàm tantâ perfidiâ, deteſtando apud poſteros in omne ævum exemplo, ſeſe contaminare. Propter quod tam inſigne Fidelitatis ſuæ ſpecimen, multùm deinde gratiæ ac munificentiæ, â *Guilhelmo Slavvata, Comite de Chlum & Koſſmberg, Domino in Nova domo*, Viro, ob ſervatam quóque Cæſari ac Regi ſuo fidem, & Catholicæ religionis defendendæ ſtudium, memoriâ ſempiternâ digniſſimo, conſequi meruerunt: immunitatibus ſuis, non tantùm veteribus confirmatis, ſed novis inſuper, ac multò amplioribus benignè additis: quæ hucusque integræ inviolatæq; manent. Nunc etiam, dum hæc ſcribo, novo eóq; ampliſſimo diplomate confirmatæ: â moderno Inclytæ, & ob præclara in Patriam merita, Glorioſæ Domûs Hradecenſis, ſeu Novodom. Gubernatore, *Illuſtriſſimo & Excell. D.D. Joanne Joachimo Slavvata, S.R.I. Comite de Chlum & Koſſinberg, Domino in Nova domo, Telczio, Novo-Biſtrzicio, Straz, Zierovnicio, Rubra-Lhota, Chlumecz, Hansbach, Mnich. &c. S. Caſ. Regiæq; Maj. intimo Actuali Conſiliario, Camerario, Supremo in Regno Boh. Fevdorum Judice, Regio Locumtenente, Hæreditario in Regno Boh. Pocillatore, &c.* quem ego, & totam ipſius Domum, Familiámque nobiliſſimam & antiquiſſimam, antiquus cliens, diu pro ſolatio Patriæ vivere, bonis omnibus circumfluere, & in Poſteris perennare animitùs exopto. Adverſâ multa, civitas hæc, bello nupero tricennali â Marte pertulit; & poſt hæc majora, â furijs Vulcani: nam intra decennium, quinquies horribili flagrabat incendio, civitate penè totâ, cum ſuburbio ſuperiori toto, & inferiori plusquàm medio abſumptâ. Jam denuò reſtauratur.

MS. Joannis Elbi, Primat. Poczat. qui ⊖ an. 1639. d. 4. Aug. Ætat. 72.

Privilegijs donantur.

Adverſa civium fortuna.

Præterea in diſtrictu hoc, *eſt monaſterium celebre Novo-Riſſæ, Ord. Præm.* erectum â Marquardo de Hradek, an. 1211. & Virginibus Veſtalibus datum. Illud nunc Religioſi ejusdem inſtituti, ſub Præpoſito inſulato, poſſident, Abbati Zabrdovicenſi ſubjecti. Olim Trebicij quóque erat *cœnobium Ord. S. Benedicti* celeberrimum ac opulentiſſimum, fundatum *ab Ulrico & Leopoldo Marchionibus Moraviæ*, an. 1109. in honorem Beatiſſimæ Virginis MARIÆ. Nunc arcis nomen & locum tenet; prodit tamen hucusq; veſtigia monaſterij, ſtructura templi vetus: *Trebicium* civitas, & vicina ditio ampliſſima, pertinebat ad illud; quam Religioſis extorſit, & ſui juris fecit, connivente *VVladislao Rege*, qui ad conſentiendum facillimus, ad omnia ferè dicebat *benè, benè*; è laica poteſtate primus, *VVilhelmus de Pernſtein*, circa an. 1500. Item, *Mirzinij ad Ædem S. Joannis Baptiſtæ, Præpoſitura ejusdem Ordinis*, Abbatiæ Trebicenſis filialis; ſicut & Præpoſitura ad S. Ægidium *Komarovia*, aliàs *in Lub*, (w Lu-zých/) propè Brunam: ſed quæ injuriâ temporum in deſolationem abierunt.

Cœnobium quondam Trebicij opulentiſſimum. *Dubrav. lib. 8.*

Hæc itáq; ſunt (ex multis pauca,) quæ de ſitu & qualitatibus Moraviæ, déq; ejus locis potioribus; de prioris item, & poſterioris temporis ejus incolis, compendio referre voluimus, quæque Lectori ad meliùs intelligenda ea, quæ infrâ dicturi ſumus, ſervire poſſe cenſuimus: ad ulteriora nobis tandem, quæ ipſa vulnera ab hoſtili Marte Moraviæ inflicta patefaciant, & quæ propriè inſtituti noſtri ſunt, procedendum eſſe judicamus.

Digitized by Google

LIBER II.

ΣΥΛΛΑΒῸΣ PLAGARUM VETERUM, â MARTE HOSTILI MORAVIÆ INFLICTARUM.

SEriem plagarum & calamitatum, quas unquam *Moravia*, varijs ac multiplicibus, tam externis, quàm civilibus quaſſata bellis, ab *irato Marte* tulit, ſecundùm ordinem deſcripturus, operæ pretium judico, ut paulò altiùs rem inveſtigem: quousque videlicet penetrare licet, & unde pedem, citra errorem, referre poſſim. Multa enim (quod jam ſuprà deploravi) ultra hominum literarúmque memoriam poſita, & quaſi ſepulta jacent: quæ *tempus edax rerum*, & vaſtiſſima illa, ſimul ac profundiſſima duorum millium, & ultrà, annorum, poſt Diluvium, Ætas, veluti quædam abyſſus, devoravit & abſumpſit. Et hæc explorare nihilominùs velle, nugari eſt, & tempus perdere.

Primò igitur, quæ pro vetuſtioribus dicere & oſtendere poſſumus, & quæ ſub primis, de quibus conſtat, Terræ hujus incolis: *Oſis, Marcomanis & Slavis*, accidêre, hoc libro memorabimus. Alia, ſequentibus quatuor. Inſtitutum Libri II.

Cæterùm dum Moravica recenſebimus, externorum, átq; imprimìs *Bohemicorum*, *Polonicorum*, *Hungaricorum*, *& Auſtriacorum*, non obliviſcemur: quorum pleraq;, aut vicinitate, aut argumento, Hiſtoriæ noſtræ ità connexa ſunt, ut ſeparari non debeant, nec poſſint. Reliqua, memoratu quóq; digna, & vel ſcitu jucunda, vel quovis modo utilia & grata, quæ ſubinde inſeremus, â recenſendis cladibus, ſpatium reſpirandi Lectoribus dabunt.

CAPUT I.

Deductio plagarum veterum, quas ſuſtinuêre primi Moraviæ incolæ, Oſi Pannones.

Multæ & variæ gentium migrationes.

Lazius lib. de migr. gent. Joan. Bogenbag. in Recitat. de migr. & nat. gent. Nicol. Mach. in diſcurſu de migr pop. Sept. Herodot. l. 4. Juſtin. l. 2.

VArias eâsque frequentes fuiſſe olim gentium migrationes, & exinde ſequutas graves in populis, dum unus alteri ſedibus ſuis, vel ſponte, vel vi profligatus cedere cogebatur, mutationes, palàm ex Hiſtorijs conſtat. A Septentrione autem, ut plurimùm, ducebant principium: inde enim ignotæ gentes, effuſæ agminibus immenſis, primò vicinis incubuêre populis; progreſsǽque ulteriùs, tam per Aſiam, quàm per Europam, longè latéque vagabantur, impunè: ùt *Scythæ, Cimbri, Sarmatæ, Saci vel Sacæ*, â quibus Saxones, *Gothi, Hunni, VVandali, Alani*, aliǽque ferociſſimæ gentes, numero maximæ; & aliquæ inter ſe cognatæ, aliæ linguâ ac moribus diverſiſſimæ. E quibus in hanc Europæ regionem, quam *Moraviam* dicimus, primi violentâ manu irruiſſe feruntur *Cimbri*, ſive, ùt Græci eos nominant, *Cimmerij*. Hi â *Gomero nepote Nohæ*, ê maximo natu filio *Japheto*, â quo & nomen, licèt per tot ſecula nonnihil immutatum trahunt, orti, primò ad Araxem fluvium conſederunt: indéque â *Scythis Nomadibus* pulſi, ad *Boſphorum Cimmerium, paludibus Mæotidis proximum* (qui ab illis, *Cimmerius* eſt appellatus) conceſſerunt. Et quia nobilioris, uberioriſque terræ erant percupidi, in Aſiam irrumperunt populabundi; ſed rejecti *ab Halyatte Rege Lydorum, patre Crœſi, Tauricam Cherſoneſum* repetere coacti ſunt.

Herodot. cit.

Cimbrorum origo. nulla certa ſedes.

E Taurica Cherſoneſo Germaniam petunt:

Tandem cùm & ibi premerentur *â Sarmatis*, ad agnatos ſuæ gentis *Tevtones*, qui in Europa, totum illum terrarum tractum, inter *Rhenum, Viſurgim & Albim*, jam dudum tenebant, commigrârunt. Hi cùm ex ſermonis aliquanta cognatione, ſuos agnoviſſent gentiles, officioſè exceptos, & ſalutatos, hoſpitalibus ad veſcendum donis honorârunt: quin & poſt cognitam adventûs cauſam, Peninſulam quandam, vicino mari cinctam, unóque tantùm aditu continenti adjunctam, & â paucis tum habitatam oſtenderunt, in eámque induxerunt: quæ poſtea ab ipſis quoque nomen eſt ſortita, *Cimbrica Cherſoneſus*, hodie *Jutlandia, ſive Jutia* dicta. Ibi ergo fixis Laribus conſederunt, diúque ſatìs rem pecuariam & piſcatoriam in pace exercuerunt; donec poſt annos, cùm excreviſſent in gentem magnam, ita ut ager ille anguſtis terminis circumdatus, & adhuc ſub id tempus magna ex parte, â ferocientis Oceani fluctibus imminutus abſorptúſque, toti multitudini neutiquam ſufficere potuiſſet: quippe trecentorum millium numerum complebant; ad quærendum novas ſedes, animos viréſque converterunt.

Peninſulam oſtijs Albis vicinam occupant: quæ ab ijs Cimbrica Cherſoneſus dici obtinuit.

Novas ſedes quærunt. Polyb. l. 4. Cæſ. de bell. Gall. l. 1.

Igitur bifariam diviſi, *pars cum Tevtonibus, trajecto Viſurgi & Rheno, Tevtobocho duce, in Gallias; pars Bolo duce, rectâ Meridiem versùs, primò per Marſos*, quibus tanquàm popularibus ſuis reliquerunt poſſidendam, quàm deſerebant, terram: deinde relictâ â ſiniſtris *VVandalorum*, littora maris Bal-

Balthici accolentium, & â dextris *Svevorum*, utráque copioſiſſimâ gente, *per Gambrivios, Ingevones, Chaucos, Calucones, ad usque Cattos & Cheruſcos*, proceſsêre. Et illi quidem fortunâ comite: nam omnem penè *Galliam*, & viciniorem *Pyreneis montibus Hiſpaniam* pervagati, cunctáque rapinis, cædibus atque incendijs miſcentes, tantum ſui terrorem excitârunt, ut vel ad famam eorum, non aliter quàm furiarum ab imo Orci egreſſarum, omnes vicinæ nationes contremiſcerent. Hi verò ſuperatis *montibus Sudetis*, ijs ſcilicet, qui hodie *Bohemiam & Miſniam* diſterminant, *Bojos gentem Gallo-Celticam*, quæ jam â quadringentis ac ſeptuaginta annis, eam regionem intra *Hercyniæ ſaltum* tenebat, noménque regioni â ſuo dederat, aggreſſi ſunt. Sed *Boji* de eorum adventu tempeſtivè edocti, ad arma ex æquo univerſi ſummâ celeritate confluxerunt, & *Cimbros* irruentes tantâ virtute exceperunt, ut campo totáque regione cedere, & aliò, *Pannoniam* versùs, expeditionem vertere cogerentur. Qua de re Pompejus Strabo, qui temporibus Auguſti & Tiberij claruit, refert: *ait* (ſcilicet Poſſidonius) *etiam Bojos quondam Hercynium ſaltum incoluiſſe: Cimbros autem, cùm ad hæc loca ſe contuliſſent, ab ijs repulſos, ad Iſtrum & Scordiſcos Gallos deſcendiſſe.* Et Aventinus de Cimbris: *ab ultimis terrarum oris proficiſcuntur. Egeſyppus Apoſtolorum diſcipulus narrat, Germanos olim Imperium orbis agitâſſe. Pars in Hercyniam ſylvam Bojemiæ fertiliſſimam, ubi tum Boij (ſicuti ex Eratoſthone, Poſsidonio & Tacito prædiximus) habitabant, tranſitum faciunt. At Boij correptis armis, agminéque facto, illos adoriuntur, atque finibus ſuis exturbant.*

Cimbri Bojos adoriuntur: anno ante Chriſtum natum circiter 114. repulſi cum clade;

Strabo. lib. 4. 5. & 7. Geograph.

Aventin. rer. Boijc. lib. 1. fol. 20. Egeſyp. de bello Iudaic. lib. 2. cap. 9. VVelſer. rer. Boijcar. lib. 3. Brunner. rer. Bojic. l. 3. n. 5. Suffridus de orig. Friſior. l. 1. cap. 13.

Unde patet, *Cimbros*, cùm *Bohemiâ* ejecti, *in Pannoniam* contenderent, *Moraviam*, utì obviam, ingreſſos, haud modicâ calamitate affeciſſe & clade, cupientes eum in modum plagam ſibi illatam *â Boijs*, ulciſci in vicinis. Donec tandem, & *Oſi Pannones*, regionis incolæ, correptis armis, vim vi oppoſuerunt; pugnandóque fortiter pro aris & focis, & fortunâ propitiâ uſi, *Cimbros* ſemel atque iterum egregiè retuderunt, magnáque editâ ſtrage ſubmoverunt: quanquàm neque illis incruenta victoria fuit.

dum in Pannoniam contendunt, Oſos armis pertentant; â quibus fortiter excipiuntur, finibúsque ejiciuntur.

Itáque Cimbri novâ clade acceptâ, Pannoniam petierunt: ubi primò cum *Arivatibus Oſorum cognatis*, deinde cum *Aſalis, Hercuniatibus, Sandrizatibus*, aliísque finitimis Pannoniæ populis; ultimò etiam cum *Scordiſcis*, qui ad confluentem Danubij & Savi habitabant, bellum variâ fortunâ geſſerunt; *Sicambriam* urbem ad ſiniſtram Danubij ripam, cujus adhuc ſupra Budam veſtigia ruderum ſuperſunt, condiderunt. Demum vocati â Tevtobocho, & ſocijs adversùs Romanos, relictâ Pannoniâ in Italiam commigrârunt: ubi non multò poſt â Romanis potiori ex parte conciſi, dignas tot atrociſſimarum cædium, ſimul & maleficiorum, quæ hinc inde patrâſſent, dedêre pœnas. Nam (ut breviter, quantùm ratio patitur, eorum ulteriora geſta hìc perſtringam) tametſi in Italia, pari crudelitate, obvia quæque igni ac ferro vaſtando, fortunam ſibi placidè arridentem aliquandiu experiebantur; Romanorum exercitu, primò ſub *Papyrio Carbone Conſule*: ſecundò ſub *M. Junio Silano, & ipſo Conſule*; tertiò ſub *Aurelio Scauro Conſulis legato*:

Cimbri poſt multa bella in Pannonia, vario Marte, geſta,

Juſtin. lib. 32. Strabo lib. 7. Ranzan. in Epitom. rer. Hung. Judice 1.

Italiam ingrediuntur.

Eorum in Italia victoriæ:

quar-

quartò ſub *Q. Servilio Capione Proconſule*, ad internecionem usque cæſo; præſertim quartâ hâc vice, quâ octoginta millia Romanorum, ſociorúmque trucidata eſſe ferebantur, ita ut *Capio* dux exercitûs, ex eo funeſtiſſimo conflictu, vix cum decem alijs elabi, ac tantæ cladis nuncius eſſe potuerit. Nihilominùs paulo poſt â fortuna deſerti, victorias omnes præteritas ultimò, ſanguine ſuo Marti conſecrârunt. Ac primò omnium, qui Teutobochum ſequebantur: quos ad Aquas Sextias in Gallia Narbonenſi, *Cajus Marius* profligavit, delevítque penitus: ubi tanta fertur cæſorum multitudo, ut Maſſilienſes congeſtis defunctorum oſſibus, vineas eisdem obſepirent, ſanguine verò humano agri, quaſi ſtercore multo pingueſcentes, uberrimi feraciſſimiq; redderentur. Dux ipſe *Tevtobochus*, vir proceritatis eximiæ, proximo in ſaltu comprehenſus, ac deinde occiſus. His oppreſſis, convertit *Marius* victrices ſuas copias adversùs *Bolum*, qui paulo ante, *Q. Catuli Proconſulis* exercitu in fugam verſo, & Atheſi flumine ſuperato, in regionem *Venetorum*, quæ eſt Adriatico mari proxima, molem copiarum ſuarum transmiſit. Eò itaque *Marius* ſummâ celeritate advolans, conjunctis copijs ſuis cum exercitu *Catuli*, prælium feliciter inijt: quo per diem integrum durante, *centum quadraginta millia Cimbrorum, cum ipſomet Bolo duce*, occidit. Reliqui diſperſi, & ad extrema rêdacti, Italiâ exceſſerunt; neque impoſterum fit ulla ipſorum in Hiſtorijs mentio.

Deinde mutata fortuna.

Suprema clades.

Florus l. 3. c. 3.

Svevi Bojos invadunt.

Prima igitur plaga, â Marte hoſtili Moraviæ inflicta, fuit *â Cimbris*: quam brevì ſecuta eſt altera, multò crudelior *â Svevis*. Hi nâmque cùm eſſent numeroſiſſimi bellicoſiſſimíque, ad indagandum novas ſedes, Meridiem versùs, animos adjecerunt, & Cimbrorum veſtigia ſequuti, *Bojos* omnium primò, occupandæ illorum Terræ cupidi, adoriri conſtituerunt. *Bojorum* tamen, uti antea adversùs *Cimbros*, ita tum adversùs *Svevos*, inſignis enituit virtus: nam convocatâ ad arma universâ gente, omníque adhibitâ celeritate, conatibus hoſtium avertendis ſumma cum diligentia invigilabant: quibus deinde poſt devaſtatas extimas Provinciæ partes, in interiora torrentis inſtar ruentibus, viriliter reſtiterunt, omnémque vim illorum ita fortiter ſuſtinuerunt, ut cùm nihilominùs illi hoſtiliter agere non ceſſarent, ultimò gravi prælio cæſi, fugam dare, finibúsque Bojemiæ excedere compellerentur.

Boij Svevos repellunt.

Caſtigati hoc modo *Svevi*, nihilque deinceps adversùs *Bojos* tentare auſi, vicinos montes *Sudetos*, *& Giganteos*, ſeu, ùt vulgò vocamus, & quo nomine eos ipſe etiam Ptolemæus inſignivit, *Krkonoſſeos*, unà cum adjacenti eo terrarum tractu, quo nunc *Boleslavienſis & Reginobradecenſis diſtrictuum in Bohemia potior pars continetur*, occupârunt. Poſtea ubi ex interiori Germania, major adhuc popularium ipſis acceſſiſſet copia, eo haud dubiè conſilio, ut conjunctis viribus, novam in quærendis melioribus terris, tentarent fortunam; progreſſi ulteriùs, pars in vaſta illa planitie, quam nunc *Sileſiam* dicimus, extruſis inde *Sarmatis*, conſedit: pars verò in Meridiem declinans, montana, quæ nunc *Moraviam â Bohemia & Sileſia* diſterminant, occupavit.

Svevi Montes Giganteos, *Ptolem. in Geogr. lib. 2. qui vixit ſub an. Chr. 160. κερκόνοσοι ὄρη.*

& alij Sarmaticos inſident.

Digitized by Google

vit. Et hi poſtmodùm aſſiduis excurſionibus, plurimùm faceſſebant negotij, *Oſis Moraviæ incolis*, ſæpéq; irruptionibus iteratis, omnia cædibus, ferro, incendijs, direptionibus & formidine implebant: non alio fine, quàm ut regionem illam, cujus cœli clementiam terræque fæcunditatem, â montana longè mitiorem, ideóque ad habitandum commodiorem animadvertebant, exciſis indigenis, ſuam in poteſtatem redigerent.

Oſos hoſtiliter infeſtant.

Defenderunt ſe ſuáque diu *Oſi*, Martéque propitio uſi, pugnârunt ſtrenuè: ultimò tamen ab acerrimis hoſtium incurſionibus, ac penè quotidianis prælijs & conflictibus vehementer acciſi, & viribus animíſque fracti, campo & regione totâ, *ad flumen usque Moravæ*, ceſsêre. Quo facto, *Svevi*, auxiliaribus inſuper copijs, quas vicini populares ſubmittebant, crebris vicibus adjuti, facilè regionem totam, veteribus colonis eo modo, quo diximus, oppreſſis, aut loco pulſis, occupârunt. Quoniam verò limites Germaniæ, Pannoniam & Sarmatiam versùs, claudebant cuſtodiebántque, *Marckmanner*, id eſt, *limitanei viri*, dici meruerunt; uti ſupra oſtendimus Lib. I. cap. I. Inde quoque *fluvio Moravæ*, qui antiquitùs *Marus* fuit, quòd limitem conſtitueret, *Marck*, id eſt, *limitem*, appellârunt: quod nomen hodiéque apud Germanos, (prout etiam vicinorum in Auſtria camporum *Marckfeld*) in uſu manet. Alij, qui montes Sudetos & Giganteos occupârunt, *Hermunduri*; qui inferiora Sileſiæ, *Lygij*; qui ſuperiora, *Quadi*, omnes de progenie Svevica, nominati ſunt. Unde exſtat illud apud Strabonem lib. 7. *Svevorum quidem gens ampliſſima, â Rheno ſiquidem usque ad Albim pervenit fluvium: eorum etiam portio trans Albim loca depaſcitur, quemadmodum Emendori, Lancoſargi. &c.*

Multisque prælijs attritos, vincunt tandem, & Regione totâ ejiciunt.

Svevi, qui Oſorum terram occupant, *Marcomani*, dici amant.

Alij aliter.

Atque hæc de primis plagis, quas ex antiquioribus Scriptorum monumentis obſervare licuit, duximus commemoranda: ad ulteriora nunc, quæ & numero erunt plura, & re ipsâ, obſervatúque graviora, procedamus.

CAPUT II.

Clades â Marte hoſtili Moraviæ inflictæ ſub Marcomanis.

OCcupatâ â *Marcomanis Moraviâ*, Mars cruentus ab inferendis ulterioribus cladibus reſpiravit tantùm, non ceſſavit. Nam brevì poſt, concitatis *Oſôrum* animis, ad recuperandas ſedes patrias, denuò funeſtum recruduit bellum. *Oſi* ſiquidem repetendæ Patriæ cupidiſſimi, & tum fœdere cum Bojis contra Marcomanos inito, tum etiam auxilijs Sarmatarum & Dacorum ſubnixi, quin primo quoque tempore hoſtes patriæ incubantes aggrederentur, illatóque bello jus ſuum vindicarent, minimè differendum cenſuêre.

Oſi inito fœdere cum Bojis, Lares patrios recuperare contendunt.

Et initio quìdem, fortuna eorum conſilijs arridere cæpit, cùm ê duabus partibus, ipſimet cum *Sarmatis & Dacis* â fronte, *Boij* verò â tergo, Marcomanos

â Sarmatis & Dacis auxilia accipiunt.

nos

Digitized by Google

nos adorti, rem illorum in ſummas redacturi anguſtias viderentur: quia tamen Marcomanis venerat etiam auxiliatum, validiſſima *Quadorum & Lygiorum* manus; inſuper *Hermunduri cum Nariſcis*, Bojorum terram ſub id tempus ingreſſi, & igne ferróque graſſati, ad ipſam usque *Bojobemum urbem* penetrabant, magnam ubique incutientes formidinem: evenit, ut Marcomani aucti ſociorum viribus, facilè adverſam vim omnem ſuſtinerent. Demum verò, cum *Boij* ad tuendum propria retroceſſiſſent feſtinantes, *Oſos* in inſidias præcipitatos, magno illato impetu profligârunt, & promptioribus majori ex parte interfectis, cæteros negotio facili cedere coactos, in fugam conjecerunt. Ex quibus non pauci, dum ſeſe periculo præſenti eximere feſtinarent, & Moravam transnatare vellent, in flumen præcipites acti, aquísque hauſti miſerabiliter perierunt. Tametſi autem primores gentis, reliquias conciſi & diſperſi exercitûs hinc inde palantes, colligere, bellúmque redintegrare contenderent: â fortuna tamen, quæ hiſce ſupremis eorum conatibus, ſingulari malignitate illuſiſſe viſa eſt, penitùs derelicti, adverſa tulerunt omnia. Itáque graviſſimo iterum prælio victi, & ad incitas penè redacti, ab ulteriori in recuperandis patrijs ditionibus conatu prorſus deſiſtere, & ſub Carpathi jugis, alieno in ſolo, fortunam reliquam tolerare coacti ſunt: poſtmodùm etiam *Quadis atque Sarmatis* vectigales facti, Tacito teſte, qui ait: *Oſos Pannonica lingua coarguit non eſſe Germanos, & quod tributa patiuntur: partem tributorum Sarmatæ, partem Quadi, ùt alienigenis, imponunt.*

â Marcomanis inſidijs excipiuntur & profligantur.

Reſtaurare exercitum fruſtra conantur.

a fortuna penitùs deſerti.

Tacit. lib. de morib. Germ. §. 13.

Marcomani Bojis bellum inferunt.

Bello hoc finito, quietæ tantiſper erant res *Moraviæ*, ſeu *Marcomaniæ*, domeſticis malis explicatæ, & â novis incolis in tranquillum poſitæ: ſed brevì iterum, Marcomanis conſurgentibus adverſùm Bojos, novi recruduêre motus. Marcomanos enim â præterito rei benè geſtæ ſucceſſu feroces, & exinde majora adhuc animo agitantes, nova inceſſit libido invadendæ Bojemiæ; tum ut imperij fines prolatarent, tum ut vetera recentioráque Bojorum in ſe odia ulciſcerentur. Præerat tunc genti *Bojorum Rex Critaſirus*. Hic ut ſeſe adverſùs Marcomanos, veluti hoſtes capitales, non armis tantùm, ſed fidis quoque amicis præmuniret, cum *Bærebiſta Dacorum Getarúmque Rege*, qui tum temporis in ea terrarum plaga, quâ nunc *Tranſylvania, & pars Hungariæ ad Tybiſcum* continentur, longè latéque dominabatur, ſecretò fœdus inijt, inſcijs Marcomanis. Unde cùm poſtmodùm Marcomani, contractis copijs, expeditionem in Bojemiam ſuſcepiſſent, *Daci* in duo prævalida diviſi agmina, irruerunt ex improviſo, uno rectà *in Marcomaniam*, altero *in Quadiam*: nullóque reſiſtente, aut valde paucis, & illis primo eo impetu in fugam conjectis, magna utrobique intulerunt detrimenta. Hinc bellum exarſit atrox, quo potior æſtatis pars extracta fuit, latis illatíſque cladibus anceps; donec interventu *Arioniſti Svevorum Regis*, qui tum bellum adversùs *Julium Cæſarem* ſecretioribus conſilijs meditabatur, ideóque priùs univerſam Germaniam pacatam reddere conſtituit, pax utrinque coaluit. Quâ occaſione etiam fœdus *Arioniſtum inter & Bærebiſtam*, quò minùs ſuſpicionis ſubeſſet, ictum fuit.

Strabo lib. ſupra cit. VVelſer. lib. 2. rer. Boyc. fol. 108.

Bojorum cum Dacis confœderatio.

Daci in Moraviam nec opinatò irruunt.

Bellum utrinque ancipiti Marte geritur:

componitur.

Exti-

Extincto *Arioniſto*, cùm res Germanorum nutarent, & *à Julio Cæſare* periculum ingrueret, omnino formidandum, ùt qui obvia cuncta ſub jugum dare conſveviſſet, *Barebiſta* patrocinium Germanicæ libertatis adversùs Romanos ſuſcepit. Verùm quia ſub ſpecie tuendæ libertatis, longè alia eàque libertati Germanicæ ſummè pernicioſa agitabat conſilia, id potiùs intendens, ut imperio in Germanos ipſemet quocunque tandem modo potiretur: (*Critaſiro Bojo*, qui nomini Germanico præter modum infenſus erat, ſtrenuè frigidam apud eum ſuffundente) inviſus idcirco omnibus eſſe cæpit. Augebat odium, ejúsque nomen magìs deteſtabile reddebat, immanitas ingenij, cujus invidiâ ad infamiam usque laborabat.

Dio Caſſ. l. 54. VVelſer. f 109. Cluberius German. Antiquit. lib. 3 Goldaſt. de Regn. Bohem. Pribil. l. 1. c. 4. §. 6.

Rex Dacorum Bærebiſta ſub ſpecie amicitiæ, Marcomanos alioſque Svevici nominis populos, opprimere intendit.

Primi omnium *Marcomani & Quadi*, â quibus initia tyrannidis ſumi haud obſcuris indicijs videbantur, contra muſſitare, ìdque moleſtiſſimè ferre, indignari, fremere, ac poſtmodùm etiam æquiſſimo jure ad arma concurrere. Sed quia jam tunc Bærebiſta, ſuis haud ſegniter intentus rebus, contractis celeritate maximâ ingentibus copijs, potens admodùm evaſerat: quippe non tantùm *Bojos, ſed Sarmatas quóque*, utpote ſuos populares, *Jazyges, Baſtarnas, & Oſos* ſuos vectigales, habebat belli ſocios: difficile fuit Marcomanis, ſuſcepta libertatis vindicandæ conſilia actu proſequi: imò præcipitantiùs, quàm par erat, in arma ruentibus, ſuccumbendum fuiſſet brevì, nî ex interiori Germania auxiliares ſociorum copiæ, opportunè accurriſſent; quarum ſubſidio, vim Tyranni, aliàs acrem & indomitam, feliciter repreſſerunt. Diu tamen res utrinque in ancipiti ſtetit, dum hi pro aris & focis, illi pro dilatione imperij, pertinaciſſimè pugnarent; donec poſt aliquot aſperrimas pugnas, Dacorum vires ità attritæ ſunt, ut, Bojis quóque clade maximâ repreſſis, in Jazygiam retrocedere cogerentur. Ab hinc Marcomani, quò impoſterum ab hoſtilibus Dacorum, & aliorum incurſionibus, tutiores forent, amicitiam & ſocietatem *cum Romanis, quorum potentia tum per Noricum & Pannoniam, invaleſcebat vehementer*, iniverunt. Nec multò poſt *Barebiſta*, dum novam contra Romanos, littora Danubij infeſtantes, expeditionem adornare ſatagit, in ipſo apparatu obit, magnum ſui omnibus non tantùm Dacis, ſed & Sarmatis, deſiderium relinquens: cui in regimine ſurrogatus eſt frater natu proximus, *Cotyſo*. Hunc deinde cum Lentulo Romani exercitûs in Pannonia duce, cruenta bella geſſiſſe, Hiſtorici memorant. Petijt ille priùs, vel ambierât potiùs, *Auguſti Cæſaris* amicitiam, jámque eò res perducta erat, prout refert Svetonius, ut *Cæſar Juliam filiam, Regi Cotyſoni deſpondens*, ſibi viciſſim Cotyſonis filiam, in conjugem deſtinaret. Verùm cùm ejusmodi affinitas non ſucceſſiſſet, bellum recruduit.

Hinc Marcomani & Quadi arma corripiunt.

Dacorum ſocij Sarmatæ & Oſi.

Marcomanorum auxilia.

Bellum diu anceps.

Victoria ad Marcomanos inclinat.

Marcomanorum cum Romanis ſocietas.

Bærebiſta obit:

Cotyſo frater illi ſuccedit.

Florus l. 4. c. 12. Horat. lib. 3. carm. od 8.

Porrò Marcomani, amoto, quod â Dacis imminebat periculo, & cum Romanis ſocietate initâ & firmatâ, totis in id incubuêre animis, ut Bojis, priusquàm reſpirarent â præterita clade, vel oppreſſis penitùs, vel ejectis, ipſimet Bohemiam occuparent: quod & factum. *Marobuduus* enim, qui Marcomanorum genti præerat, ac brevi tempore, in tantam potentiam evaſerat, ut ſeptuaginta pugnatorum millia ſemper in promptu haberet, Bohemiam in-

Marobuduus Rex Marcomanorum, exactis Bojis, Bujohemiam occupat: ante Chriſtum nat. an. circ. 8.

ingreſſus, facili negotio Bojos ad reſiſtendum impares oppreſſit, & occupatâ ipsâ *regiâ ſede Bojohemo*, totâ regione depulit; qui partim in Nariſcis, partim in tractu Vindeliciæ propinquo, faventibus Romanis, conſederunt: ubi ſucceſſu temporis Regnum condiderunt, quòd diu longè latéque patens, ac potens rerum floruit; poſtea, ùt eſt volubilis Regnorum periodus, in Ducatum, ſub *Bojoariæ, nunc Bavariæ* titulo, converſum. *Andreas Brunner Soc. Jeſu*, celebris rerum Bojicarum ſcriptor, de eo copiosè refert hiſce: *Marobuduus Rex, circa hæc tempora, in Germania inclaruit; qui cùm ingenium quantivìs imperij capax à natura accepiſſet, illud omnibus imperandi artibus, juvenis adhuc excoluit; Romam enim delatus, & ab Auguſto indulgenter habitus, maximam difficillimamque rem, quæ aut in illa aula, & urbe, aut nuſquam doceri potuit, didicit*, Imperare. *Urbs ipſa orbis domina, Cæſar dominus urbis, maximi ambo magiſtri, ſcientiâ illum, & exemplis poterant augere: Româ ad Marcomanos reverſus, hinc enim oriundus erat, brevì non ſuæ tantùm Gentis ſibi principatum peperit, ſed Luios inſuper, Zumios, Butones, ſeu Gutones, Mugilones, Sibinos, & Svevorum Semnones, quos omnes nominare hodie, ſed monſtrare non poſſis, ſibi ſubjecit, non precariò ad alienum arbitrium imperaturus, nullisque exceptionibus, ſed jure maximo, & planè regio, cujus ipſe nominis majeſtatem animi magnitudine facilè implebat: ſuffragabatur etiam corpus, & digna imperio ſpecies, clarum genus, vires, ingenij vigor Romanâ exacutus diſciplinâ, &, quæ vel ſingula illæ Gentes mirari poſſent, decora hic collecta habuit. Rebus domi ſtabilitis, ex magno regno maximum facturus, arma, terroremque armorum, per finitimos populos circumferens, annuentes pariter, abnuentesque in poteſtatem redegit; eòque potentiæ & audaciæ provectus eſt, ut vix Romanos ſibi timendos putaret, timendus ipſe, ità certè ferebat, ità legatos inſtruebat, ut medijs reſponſis, cùm pacem, bellùmque ſinu ferrent, utrumque tamen occultarent, in tempore, quod ex uſu videretur, prompturi. Bellum interim, cùm etiam nullum gereret, meditabatur tamen; nam cùm ſeptuaginta peditum millia, equitum quatuor, ferè ſemper in armis haberet, facilè apparebat, magnarum ipſum rerum occaſionem grandibus præludijs venerari. Germaniæ quidem hic ſenſus fuit, aut hoc duce Romanis reſiſti, aut alio nullo poſſe; confluebant ergo paſſim ad illum omnes, quos Romani imperij ſatietas, aut odium cepiſſet. Ipſe interim nihilo ferocior fieri, neque quæ in præſentia glorioſa eſſent, prima ducere, ſed conſulere in longitudinem; Germaniæ incommoda pro diſciplina, & præceptis habere, ad quæ ſe ipſe expenderet: multa denique ante capere, quæ olim uſui futura ſciebat: Inter quæ illud mihi palmarium eſt, quòd cùm animadvertiſſet Romanos, latiùs quotidie ſerpentibus victorijs, non procul à ſuo regno graſſari, jamque ſe vicinis afflari incendijs, omnem ipſe Marcomanorum Gentem, patrijs ſedibus motam, in tutiora tranſtulerit loca, quæq; longiùs à fulmine abeſſent. Nihil porrò ad tutelam opportunius Hercinijs ſaltibus viſum, ijs ipſis, quos Boji, jam indè à Sigoveſo, annis plùs minùs ſexcentis incoluerant. Quantas illuc copias traxerit, vetuſtate obliteratum eſt: illud unum ex Tacito conſtat,*

Tacit. ſupra cit. Cluverius lib. 3. Germ. Antiquit. c. 3. & 30. Cruſius part. 1. Annal. Svevic. lib. 12. cap. 9.

Tacit. l. 2. Annal. Strabo l. 7. Paterc. l. 2.

Marobudui potentia,

imperium,

vires, & militia.

Digitized by Google

ſtat, Bojos ab ijs pulſos, idq; Marcomanis ad gloriam eximium fuiſſe; nam qui nuper ſoli ferè Cimbrorum impetum non modò ſuſtinuerant, ſed etiam cum eorundem clade retuderant, illos jam Marcomanis de principatu, & ipſa adeò Patriâ ceſſiſſe, ingentem Marobudui potentiam, & militaris rei uſum arguit.

Prout autem initio felix fauſtúmque ſteterat ipſius regimen, ſic in annos duravit complures ſequentes; fortunâ favente, quæ ipſum in omnibus egregiè eſt, & comitata, & ſequuta: per quod, tum Marcomania, tum Provinciæ aliæ ditioni ejus ſubjectæ, aſſurgebant opum abundantiâ in immenſum. Sed

non item finis.

quæ humanarum rerum omnium viciſſitudo eſt, & inconſtantia, Marobuduus ultimò â fortuna deſertus, multa adverſa ſuſtinuit, adeò ut ad extremum non ſatis domî tutus, ê Regno migrare compulſus fuerit. Narravimus de illo fuſiùs, Libro I. cap II. nunc *C. Cornelium Tacitum,* de ipſius clade & exilio referentem audiamus. *Svevi*, inquit, *diſceſſu Romanorum, ac vacui externo metu, gentis adſvetudine, & tum æmulatione gloriæ, arma in ſe verterant, vis nationum, virtus ducum in æquo: ſed Marobuduum regis nomen inviſum apud populares: Arminium pro libertate bellantem favor habebat. Igitur non modò Cheruſci, ſociíq; eorum, vetus Arminij miles, ſumſêre bellum, ſed ê regno etiam Marobudui Sveva gentes, Semnones ac Langobardi defecêre ad eum; quibus additis præpollebat, ni Inguiomerus cum manu clientum ad Marobuduum perfugiſſet: non aliam ob cauſam, quàm quia fratris filio juveni, patruus ſenex parêre dedignabatur. Diriguntur acies pari utrimque ſpe, nec ùt olim apud Germanos, vagis incurſibus, aut disjectas per catervas; quippe longâ adversùs nos militiâ, inſueverant ſequi ſigna, ſubſidijs firmari, dicta Imperatorum accipere. At tunc Arminius equo conluſtrans cuncta, ut quousque advectus erat: recuperatam libertatem, trucidatas legiones, ſpolia adhuc & tela Romanis direpta, in manibus multorum oſtentabat. Contrà, fugacem Marobuduum appellans, præliorum expertem, Hercyniæ latebris defenſum, ac mox per dona & legationes petiviſſe fœdus: proditorem patriæ, ſatellitem Cæſaris, haud minùs infenſis animis exturbandum, quàm Varum Quinctilium interfecerint: meminiſſent modò tot præliorum, quorum eventu, & ad poſtremum ejectis Romanis, ſatis probatum, penes utros ſumma belli fuerit. Neq; Marobuduus jactantiâ ſui, aut probris in hoſtem abſtinebat, ſed Inguiomerum tenens: illo in corpore decus omne Cheruſcorum, illius conſilijs geſta, quæ proſperè ceciderint, teſtabatur; vecordem Arminium, & rerum neſcium, alienam gloriam in ſe trahere: quoniam tres vacuas legiones, & ducem fraudis ignarum perfidiâ deceperit: magnâ cum clade Germaniæ, & ignominiâ ſuâ, cùm conjunx, cùm filius ejus ſervitium adhuc tolerent. At ſe duodecim legionibus petitum duce Tyberio, illibatam Germanorum gloriam ſervaviſſe, mox conditionibus æquis diſceſſum: neq; pœnitere, quòd ipſorum in manu ſit, integrum adversùs Romanos bellum, an pacem incruentam malint. His vocibus inſtinctos exercitus, propria quoq; cauſa ſtimulabant: cùm â Cheruſcis Langobardisq;, pro antiquo decore, aut recenti libertate; & contra augendæ dominationi certaretur. Non aliàs majore mole concurſum, neq; ambiguo magìs eventu, fuſis utrimq; dextris cornibus: ſperabatúrq;*

Tacit. lib. 2. Annal. §. 7.

Bellum Marobuduum inter & Arminium Regem Cheruſcorum.

prælium.

Digitized by Google

clades, *rurſum pugna, ni Marobuduus caſtra in colles ſubduxiſſet. Id ſignum perculſi fuit; & transfugis paulatim nudatus, in Marcomanos conceſſit: miſitq; legatos ad Tyberium oraturos auxilia. Reſponſum eſt, non jure eum adverſus Cheruſcos arma Romana invocare, qui pugnantes in eundem hoſtem Romanos nulla ope juviſſet. Miſſus tamen Druſus, ùt retulimus, pacis firmator.*

Et infra de exilio Marobudui: *Haud leve decus Druſus quæſivit, illiciens Germanos ad diſcordias, útque fracto jam Marobuduo, usque in exitium inſiſteretur. Erat inter Gotones nobilis juvenis, nomine Catvalda, profugus olim vi Marobudui, & tunc dubijs rebus ejus, ultionem auſus. Is validâ manu fines Marcomanorum ingreditur, corruptisque primoribus ad ſocietatem, irrumpit Regiam, caſtellúmque juxta ſitum: veteres illic Svevorum prædæ, & noſtris è provincijs lixæ, ac negotiatores reperti, quos jus commercij, deìn cupido augendi pecuniam, poſtremùm oblivio Patriæ, ſuis quemque ab ſedibus hoſtilem* exilium. *in agrum tranſtulit. Marobuduo undique deſerto, non aliud ſubſidium, quàm miſericordia Cæſaris fuit: transgreſſus Danubium. &c. Et Marobuduus quidem Ravennæ habitus, ſi quando inſoleſcerent Svevi, quaſi rediturus in Regnum oſtentabatur: ſed non exceſſit Italiâ per duo de viginti annos; conſenuitq; multum imminutâ claritate, ob nimiam vivendi cupidinem.* Contigit Marobuduo, quod multis alijs ante, & poſt ipſum, potentiſſimis Magnatibus: ut vita majori ex parte feliciter, proſperè ac gloriosè transactâ, ultimò in provectiori ætate, ſiniſtra multa & magna ſuſtinuerint: ita de *Cræſo*, *Dario*, *Auguſto*; *Conſtantino item Magno*, *Carolo Magno*, *Ludovico Pio*, *Lothario I. Carolo III. Henrico IV.* & ne vetera duntaxat exempla memorem, de *Carolo V. & Rudolpho II. Impp.* legimus: & hujus poſtremi caſus adhuc verſatur in hominum memoria. *Hic fortunæ ludus eſt: res ſecundæ non habent unquam modum: ſors omnia verſat*; &, ùt ait Tragœdus: *quidquid in altum fortuna tulit, ruitura levat.* Redeo ad Marobuduum, quem, ùt liberaliter fortuna promovit, ita turpiter dereliquit.

Seneca in Agamemnon. Virg. in Bucol. Ec. 9.

VVelſer. rer. Bojicar. lib. 2. ad an. Chr. 20. Bella civilia inter Marcomanos.

Ejus è Regno diſceſſu, ipſâ quóq; fortuna è Marcomania diſceſſiſſe viſa eſt; nam brevì pòſt civile exarſit bellum, quo Regnum primò atrocibus armis exagitatum, deinde trifariam inter ſe ſciſſum, vix non tum ſtatim ruit totum. Alium enim Regem ſibi elegerunt *Marcomani*, alium *Quadi*, alium *Hermunduri*. Néque facilè eâ diviſione pax ulla conciliari potuit: (quippe, *nulla fides Regni ſocijs, omnisque poteſtas impatiens conſortis eſt*) donec *Gottvaldâ*, Marcomanorum Rege ejecto, *Vannius*, *Thudri Quadorum Regis* pridem defuncti filius, denuò *Marcomanos & Quados* ſub ſuum imperium reduxit: qui inito fœdere cum *Jubillio Hermundurorum Rege*, agnato ſuo, pacem Patriæ reddidit, ob ídque animos, *tum Marcomanorum, tum Quadorum*, ad obſequia fidémque ſibi ultro propendentes effecit. Pax hæc duravit annis continuis triginta, quibus denuò Marcomani excreverunt numero, & opibus in amplum.

Vannius pacem reducit.

Demum cùm *Vannius*, more humani ingenij, tanto faſtigio, tantóque rerum ſucceſſu elatus, arrogantiùs quàm ferri poſſet, ſubditis imperaret, & *liber-*

Digitized by Google

libertatem Patriæ, in dominationem abſolutam convertere haud obſcurè moliretur; & idcirco cum Romanis, qui in diſcordijs Germanorum, quos ſibi jam dudum debellandos ſumpſerant, lucrum ſuum ponebant, ſuſpecta agitaret conſilia, novis iterum motibus, ac turbis occaſionem præbuit. Igitur erumpentibus adversùs illum publicis & privatis odijs, ac ultimò ipſis etiam nepotibus ejus, *Vangione & Sidone*, res ad arma venit: cúmque â Nobilitate prorſus omni, & â militibus quóque, ijs potiſſimùm, quibus libertas patria cordi erat, deſereretur; *Jazyges verò Sarmatæ*, quos in auxilium vocaverat, numero & viribus longè inferiores eſſent, quàm ut reſiſtere parti adverſæ, multitudine ac copijs, prævalente poſſent, facilè ſuccubuit, Regnóque exutus eſt. Rem geſtam narrat Tacitus lib. 12. Annal. hiſce: *Per idem tempus, Vannius Svevis â Druſo Cæſare impoſitus, pellitur Regno: primâ imperij ætate clarus, acceptúsque popularibus: mox diuturnitatem in ſuperbiam mutans, & odio accolarum, ſimul domeſticis diſcordijs circumventus. Auctores fuêre Jubillius Hermundurorum Rex, & Vangio ac Sido ſorore Vannij geniti. Nec Claudius Cæſar, quamquàm ſæpè oratus, arma certantibus barbaris interpoſuit, tutum Vannio perfugium promittens, ſi pelleretur; ſcriptisque P. Attilio Hiſtro, qui Pannoniæ præſidebat; legionem, ipsáque è provincia lecta auxilia, pro ripa componeret, ſubſidia victis, & terrori adversùs victores, ne fortunâ elati, noſtram quóque pacem turbarent. Nam vis innumera, Lygij, aliæq; gentes adventabant, famâ ditis Regni, quod Vannius 30. per annos prædationibus, & vectigalibus auxerat. Ipſi manus propria pedites, eques è Sarmatis Jazygibus erat, impar multitudini hoſtium, eóque caſtellis ſeſe defenſare, bellúmque ducere ſtatuerat. Sed Jazyges obſidionis impatientes, & proximos per campos vagi, neceſſitudinem pugnæ attulêre: quia Lygius, Hermundurúsque illinc ingruebant. Igitur digreſſus caſtellis Vannius funditur prælio, quamquàm rebus adverſis laudatus, quòd & pugnam manu capeſſijt, & corpore adverſo vulnera excepit: cæterùm ad claſſem in Danubio operientem perfugit. Regnum Vangio & Sido inter ſe partiti ſunt, egregiâ adversùs nos fide.* Hæc ille.

Tacit. lib. 12. Annal. §. 6. Vannius Regno pellitur, circa an. Chriſti 52.

Ex quo patet, bello hoc, contra *Vannium*, ob impotentem ipſius dominatum, & affectatam, contra morem gentis, Monarchiam abſolutam, exorto, Marcomaniam, â tot exteris gentibus Regnum ingreſſis, haud mediocria tuliſſe detrimenta; priusquàm *Vannius* prælio fuſus, Regnóque ejectus eſſet. Poſtmodùm, ubi *Vangio & Sido*, Regnum inter ſe partiti, *Hermunduris & Lygijs*, aliisque pro ſuppetijs ſibi allatis ſatisfeciſſent, rurſum pax, & ex ea emanantia bona affulsêre: præſertim cùm novi Reges, Romanorum Cæſarum Majeſtatem comiter ſemper colerent: hoc enim innuunt illa, de *Vangione & Sidone*, Taciti verba: *egregiâ adversùs nos fide.* Hic pacatus rerum in Moravia ſtatus floruit, quamdiu Reges, de nobiliſſima proſapia *Marobudui & Tbudri*, præfuerunt Genti: tum enim ipſos inter & Romanos, per annos plus minùs quinquaginta, pax & amicitia, ſyncerâ fide ſtetit: poſtremò regiâ prole, *de ſtirpe Marobuduæa*, ſexûs melioris nullâ exſtante, cùm Regni gu-

Vangio & Sido, Vannij â ſorore nepotes ſuccedunt: cum Romanis pacem colunt.

Clüver. lib. 3. cap. 31.

bernacula ceſſiſſent externis, Romanorum gloriæ ac nomini ſummè infenſis, mox odia utrinq; ingraveſcebant, & diſſidia magis ac magis augebantur, donec in nervum erupiſſent. Sequuta bella utrinque funeſta admodùm, & cruenta; primo quidem *à Marcomanis, eorúmque ſocijs Quadis, atque Sarmatis* proſpero eventu geſta: poſtea tamen diuturnitate nimiâ, & toties iteratis, licèt per intervalla, conflictibus, Marcomani vires ſenſerunt usque adeò attritas, ut poſt multas perpeſſas clades, ultimò tandem ab ardore proſequendi belli remittere, & herbam, ùt ajunt, *Romanis porrigere* cogerentur.

Marcomanorum cum Romanis bella.

Primus huic bellorum turbini occaſionem præbuit, *Decebalus Rex Dacorum:* qui cùm eſſet vir armis pariter, & conſilio animóque promptiſſimus, & dilatandi imperij percupidus, trajecto Iſtro, in *Mœſiam, Romanorum tum Provinciam* ex improviſo irruit, cæſisque ſtationarijs, regionem totam crudelem in modum populatus eſt. Cui adhæſerat etiam *Jurpan Dux Sarmatarum* cum valida manu, tantò promptius ad arma concurrens, quòd creſcenti *Romanorum per Pannoniam & Mœſiam* potentiæ, in tempore obviandum exiſtimaret. Hoc cognito, *Domitianus Cæſar*, expeditionem contrà, magno cùm apparatu ſuſcepit, invitatis in ſocietatem armorum etiam *Marcomanis:* illis verò id detrectantibus, ſeséque excuſantibus, quòd ob certa fœdera cum Dacis & Sarmatis inita, id ſibi minimè liceret; neque hoſtes accedere auſus eſt, ſed in Illyrico, intra libidinum luſtra abditus, delituit, locóque ſui *Appium Sabinum* delegit, qui aſſumptis legionibus univerſis, Decebali conatus reprimeret. *Appio* trucidato, & omni exercitu (ùt fieri ſolet victis) diſſipato, *Dacos & Sarmatas*, ne victricia arma proferrent ulteriùs, ſed præſenti victoriâ contenti, eſſe vellent, auro placavit. Porrò reliquijs exercitûs collectis, ac legionibus *è Norico & Vindeliciâ* evocatis, Marcomanos aggredi juſſit: re tamen & ibi minùs feliciter geſtâ, (non dum enim tota Marcomanorum emarcuit virtus) legiones in priſtinas ſtationes remiſit: ipſe verò in Urbem, primo quoque tempore redire conſtituit. Priùs tamen per præcurſores extolli ſeriem geſtorum in immenſum juſſit, & rumores quaquà irent diffundi, annunciantes, *procinctum Dacicum, Sarmaticum, & Marcomanicum*, exitu proſpero terminatum: ſicque trophæa victoriæ paſſim, quà ibat erigens, triumphanti ſimilis in Urbem reverſus eſt: quod factum, circa annum Chriſti 90. Marcum Velſerum hìc audiamus: *Domitianus*, inquit, *Titi fratris, anno 83. ſucceſſor, Marcomanos, quòd nulla ab eis in Dacos impetraret auxilia, bello aggreſſus, victus, inq; fugam conjectus abijt, ùt à Dione quidem proditum. Nam Statij perridicula eſt adulatio, Domitiani triumphos prædicantis: Quæ modò Marcomanos poſt horrida bella, vagósque Sauromatas, Latio non eſt dignata triumpho.* Svetonius verò memorat: *illum de Dacis & Cattis ſolùm triumphos egiſſe; de Sarmatis autem Lauream duntaxat Jovi Capitolino retuliſſe; de Marcomanis nihil.*

Decebalus Rex Dacorum infeſtat Romanorum Provincias. Domitianus Imp. còntra illum proficiſcitur, an. 85. Miechoß. in Chron. Polon. lib. 1. cap. 17. Philip. Beroald. in Sveton. Domitian. c. 6. Marcomanos in ſocietatem belli fruſtra ſolicitat: cladem patitur: pacem pecuniâ redimit. Marcomanos exagitandos ſuſcipit, irrito conatu. VVelſer. lib. 2. Sveton. in Domitian. Jornand. c. 13. Dio lib. 67. Domitiani inanis jactatio. VVelſer. in Bojic. lib. 2. Dio in excerpt. Theodor. Stat. Sylv. l. 3. Tacit. lib. de morib. Germ. Calviſius in opere Chronol.

Hoc igitur tractu temporum, quemadmodum & *Trajano imperante*, qui devictis *Dacis, Marcomanos* quoque, victore cum exercitu aggreſſus eſt, irritâ licèt operâ: atque iterum, *Antonino Pio Adriani ſucceſſore*, manſère utcunque *res Marcomanorum*, ſeſe adversùs omnes

Marcomanorum adversùs Trajanum & Antoninum Pium Impp. virtus. Volateran. l. 7. Geograph in cap de Boh. Calviſ. ibidem ad an. 145.

Digitized by Google

omnes hoſtium conatus fortiter defendentium integræ, Rege tunc *Varaberto, ſive Heriberto* imperante. Poſtea à *M. Aurelio Antonino Philoſopho Cæſare*, bello acerrimo per quinquennium exagitati, cùm ad extremum ipſos Superos experirentur iratos, magnam paſſi fuêre cladem.

Aurel. Victor. lib. de Cæſarib. cap. 16.
Lazius de migrat. gent l. 8.
Spangenb. in Chron. Saxon. c. 41. vocat Regem Sicambrorum.

Præerat tunc *Marcomanis*, *Rex Marcomir*, vir ferox ac ſuſpicax. Hic veritus, nè ſibi ſuæque genti idem accideret à Romanis, vincere omnia & ſub jugum rapere aſſvetis, quod paulò ante evenerat *Dacis*, fœdus inijt cum *VVarperto Cattorum Rege*, qui tum per interiorem Germaniam longè latéque dominabatur, & cum Sarmatis, aliíſque vicinis populis: ut hoc modo ſociorum auxilijs validior, tanto faciliùs vim Romanorum ſuſtinere ac propulſare poſſet. In ea conjunctione gentium, quæ *fœdus Marcomanicum* vocabatur, (ex quo patet Marcomanos tum eminuiſſe potentiâ & dignitate,) recenſentur ab Hiſtoricis: *Quadi*, *Vandali*, *Nariſci*, *Hermunduri*, *Longobardi*, *Suevi*, *Driades*, *Heruli*, *Rugi*, *Turcilingi*, *Gothi*, *Vindelici*, *Latringes*, *Buri*, *Scyrrhi*, *Halij*, *Catti*, *Carpi*, *Jazyges*, *Daci*, *Getæ*, *Sarmatæ*, *Roxolani*, *Sicobotes*, *Baſtarnæ*, *Alani*, *Coſtoboci*, *Sabocij*: *omnis denique Germania & Sarmatia*, *ab Illyrici limite*, *usque in Galliam*; ut idcirco nummis, qui in memoriam illius expeditionis à Romanis benè ac feliciter actæ, publicati erant, *Germaniæ & Sarmatiæ victæ*, nomen fuiſſe impreſſum videatur.

Bellum cum M. Antoni. Philoſ. Imp. diuturnum & atrox

Fœdus Marcomanicum, ſub an. 169.

Dione Caſſio in Hiſt. Dom. Marcell. lib. 31. Eutropio lib. 8. Oroſio lib. 7. Volater. lib. 7. Miechov. lib. 1. cap. 27. Jornande in Chronicis.

Hæc confœderatio Germanicarum ſimul ac Sarmaticum gentium, cùm delata fuiſſet Romam, non ſolùm *Imperatoribus M. Antonino Philoſopho*, & *fratri ejus L. Vero* (tum enim primùm, duo Auguſti pari poteſtate regnare cæperunt) & civibus Romanis, ſed toti etiam Italiæ ingentem incuſſit metum, adeò ut oppida, urbes, populíque omnes, maximo terrore complerentur. Nec mora Imperatores, convocatis undique legionibus, profectionem ad præpediendos, reprimendóſque barbarorum conatus ſuſceperunt. Qualis porrò, & quantâ cura inſtitutus, ac primo quoque tempore exequutioni datus erat belli iſtius apparatus; inſuper, qui novi in ſacrificijs obſervati ritus, qualis ubique pavor ac metus; & quomodo Cæſar, cùm non haberet, unde ſtipendium militibus præberet, ærario jam antè exhauſto, & Provincias novo tributo gravare nollet, magnam imperatoriæ ſupellectilis partem, & potiorem quidem de auro, argento ac gemmis, haſtæ ſubjecerit; exactè refert *Julius Capitolinus*, in vita ejuſdem Antonini: qui inter alia ſcribit, *tantum belli Marcomanici terrorem fuiſſe, ut Antoninus undiq; ſacerdotes acciverit, peregrinos ritus impleverit, Romam omni genere luſtraverit, retardatúsque à bellica profectione ſit, & Romano ritu lectiſternia per ſeptem dies celebrârit.* *Eutropius* verò dicit, bellum hoc omnino fuiſſe graviſſimum periculoſiſſimúmque, quantum nullâ unquam memoriâ extiterit, multóque terribilius, quàm olim *Punicum*.

Julius Capitol. in M. Anton. vide apud. Joan Huttich. in lib. de Impp. Vitu, in M. Antonin. Philoſ. apud Jacob. Stradam, in Epitom theſ. antiquit. in M. Anton.

Romæ & per Italiam totam, ſuper bello Marcomanico trepidatur.

Cæſarum belli apparatus, quantâ curâ & ſolicitudine inſtitutus.

Eutrop. lib. 8.

In ipſa autem expeditione, quæ præter cæteras difficultates, etiam ex eo reddebatur ardua, quòd major legionum pars, ſæviente per id tempus atrociſſimâ peſtilentiæ vi, langueret, deficerétque adeò, ut morientium cadaveribus caſtra quotidie complerentur, *Lucius Verus*, Aquileiæ apoplexiâ extin-

Romanorum exercitus in ipſa expeditione, peſtilentiæ vi, magna ex parte acciſus.

ctus eſt: tametſi ſint, qui eum primò poſt devictos *Marcomanos* extinctum velint. Utut eſt, bellum tamen propter ſæviens in exercitu peſtilentiæ malum, protractum eſt; & vires interea Marcomanorum auctæ: qui *Pannoniam ſuperiorem*, & *Valeriam* ingreſſi, horribili graſſatione utramque celeritate ſummâ percurrerunt, penetrârúntque populabundi, ad ipſos usque Iſtriæ fines: néq; priùs retroceſſerunt, donec de exercitibus Romanorum, ex *Italia, Illyrico* & *Rhætia* adventantibus cognoviſſent. *Danubium* tamen remeare, néque tum erat animus, ſedem belli in alieno potiùs, quàm patrio ſolo tenere cupientibus: quapropter *Antoninus* difficultatem opinione majorem habuit, antequàm illos Pannoniâ ejeciſſet. Non ceſſàbat interim Imperator, â conſvetis ſuis ſacrificationibus, litationibus, augurijs & extiſpicijs, ultimò etiam ad ridicula prolapſus. *Inter cætera riſu digna, Alexander quidam impuriſſimus præſtigiator, victoriam Cæſari pollicebatur, ſi leones duos in Danubium immiſiſſet. Atque ij quidem in adverſam ripam enatârunt, ſed tantùm abeſt, ut Marcomanis formidini fuerint, ut ignotas belluas eodem, quo canes aut lupos loco æſtimantes, Herculeo more, ſudibus & clavis compeſcuerint. Néque tamen Romanis aquilis, leones illi quicquam contulêre, qui viginti hominum millia ſequenti prælio amitterent.*

Marcomani per Pannoniâ ſuperiorem & Valeriam impune graſſantur: *B. Rhenan. l. 1. RerumGerm. c.* Quadi in Pannoniam primam, & Valeriam &c. *Cluver. l. 3. c. 30.* Ægrè repelluntur.

Brun. in Boj. p. 1. l. 3. n. 11. ex Lucian in Pſeudom.

Sequenti anno, molem totius belli exceperunt *Marcomani;* cùm Romanorum exercitus bifariam diviſi, pars â *Carnunto*, pars â *Laureaco*, Danubio ſuperato, & ſtationarijs, qui littora tuebantur, in fugam conjectis, *Marcomaniam* ingreſſi eſſent. Tum frequentioribus prælijs utrinque certatum eſt acerrimè, dubiâ licèt ac fluctuante fortunâ, *jam Romanis, jam Marcomanis* prævalentibus: donec Romani multitudine hoſtium preſſi, & ad reſiſtendum jam omninò impares, pedem referre, ſeſéque trans-*Danubium*, ponte ex navibus jam antea in omnem eventum contabulato, recipere compellerentur.

Antoninus Imp. duobus cum exercitibus Marcomanos aggreditur. Certatum utrinque fortiter. Romani ultra Danubium ſeſe recipere coguntur.

Anno, *qui erat incboati belli quartus, vel quintus, & Salutis noſtræ, 174.* Cæſar recentibus copijs ex Dalmatia & Epiro auctus, denuò in Marcomaniam magna cum potentia movit, ut cum barbaris tandem controverſiam omnem, in patentibus eorum campis, Marte judice, terminaret. Quem in finem, legiones quóque riparias ad Rhenum excubantes, ab ea parte Germaniam ingredi juſſit, ad divexandas populandáſque *Cattorum* & aliorum, qui communi *Marcomanorum fœdere* tenebantur, regiones, ut ità ancipiti bello petiti, & diſtracti citiùs vinci poſſent. Quod ità rectè diſpoſitum, haud dubiè fuiſſet completum, nî Cæſar ſibi ipſimet præpoſterâ celeritate ſuâ obicem poſuiſſet. Cùm enim in ipſo Marcomaniæ aditu, hoſtem inito felici ſucceſſu prælio, loco moviſſet, cladéque affeciſſet gravi; ratus hinc habere ſe occaſionem rei quàm optimè gerendæ, curſui victoriæ præproperè nimìs, avidiorique, quàm in ignota regione ex militari diſciplina opporteret, impetu inſtitit, & hoſtes terga dantes, ad montana usque perſequutus eſt. Quo in fervore, ſe & exercitum in maximum diſcrimen conjecit, adeò ut haud multum abfuerit, quin ab hoſtium multitudine, intra montium valles, in locis

Cæſar novis ſupplementis auctus bellum inſtaurat. Carnunto ſolvit, & rectâ in Marcomanos movet:

In diſcrimen grave ſe ſuóſque præcipitat.

Digitized by Google

ciſaridis, â tergo & fronte concluſus, ob aquæ penuriam, accedente quoque ſub id tempus vehementiori Solis æſtu, ſiti miſerabiliter cum omnibus ſuis interijſſet. Jam enim tantâ ſiti premebantur, rivulis, quos in convallibus deprehenderant, exhauſtis, & cœlo ê nubibus expectatas pluvias pertinaciter denegante, ut nemini eorum, ab aliquot diebus, ad ſedandas arentes fauces quicquam poculenti guſtare licuerit.

ab hoſtibus circumventus in locis aridis, ſiti extremè laborat. *Julius Capitolin. ibid. Dio Caſſ. ibid.*

Néque modus in tutiora evadendi reperiebatur ullus, præcluſo ab hoſtibus omni exitu: fuiſsétque, vel ad iniquiſſimas pacis conditiones, tanti nominis Imperator, non ſine dedecore Romani nominis, â barbaris compulſus; vel ad internecionem deleti omnes, ità ut vix fortaſſe ullus ê tanto exercitu, qui vel cladis nuncium ad ſuos adferret, ſupereſſe potuiſſet: niſi inter hæc, jam penè deſperantibus, affulſiſſet potens auxilium de cœlo. Trepidantem enim Cæſarem adijt *pratorij Prafectus*, *Ælius Pertinax*, qui poſtea etiam Imperij gubernacula tenuit, adeſſe narrans *in legione XII. cohortem, quæ ſe Chriſtianam profiteatur*, nihilque eſſe, quod precibus illa, â Chriſto ſuo impetrare non poſſit. Pergratum fuit hoc Imperatori nuncium: mox ergo, ut ſupplicaret DEO ſuo, flagitavit. Inde Chriſtiani, cùm poſitis genibus, & profuſis precibus orarent, tam pro pluvia, quàm pro felici belli præſentis exitu, illicò tempeſtas ingens oborta eſt, quâ DEUS largam pluviam Romanis tribuit, eáque exercitum totum mirificè recreavit: ê contra in Marcomanos, eorúmque fœderatos, non niſi horrida decidebant fulmina, queîs perterriti illi, & Superos ipſos ſibi iratos exiſtimantes, ſolutis agminibus, in diverſa, quo quis citò potuit, dillapſi ſunt. *Itaque videre licebat*, (narrat Dio Caſſius vicinus illius temporis) *in eodem loco, aquam ignémque ſimul de cœlo cadere, atque ob eam cauſam valere alios bibere, alios exuri ac prorſus interire: non attingebat ignis Romanos, aut ſi fortè cum eis miſceretur, extinguebatur ſubitò; neque imber juvabat barbaros, ſed eos non ſecùs inflammabat, atque oleum, ut aquam requirerent pluviâ perfuſi; infligerentque pars ſibi vulnera, quo ignem ſanguine reſtinguerent, pars confugerent ad Romanos, quaſi illis tantummodò aqua ſalutaris eſſet.* Meminit victoriæ hujus etiam *Poëta Claudianus*, verſibus iſtis:

Cohors Chriſtianorum in exercitu Romano,

DEUM precari juſſa.

Quo facto, largiſſima vis pluviæ effunditur in Romanos: in Marcomanos fulmina de cœlo ruunt. Marcomani fugam dant: *Dio l. 71. Xiphilin. in Epit.*

Claudian.

Laus ibi nulla Ducum, nam flammeus imber in hoſtem
Decidit. Hunc dorſo trepidum fumante ferebat
Ambuſtus ſonipes: hic tabeſcente ſolutus
Subſedit galeâ, liquefactáque fulgure cuſpis
Canduit, & ſubitis fluxère vaporibus enſes.
Tunc contenta polo mortalis neſcia teli
Pugna fuit.

Hunc in modum Imperator, unà cum exercitu, â præſenti immani periculo divinitùs liberatus, ut memoriam tanti beneficij teſtatam redderet, legionem, in qua illi Chriſtiani militabant, & quæ aliàs *Melitena â Melita inſula*, ubi Divus Paulus ſemina Evangelij ſparſerat, vocabatur, Κεραυνοβόλον, id eſt *fulminatricem*, quòd precibus ſuis excîſſet de cœlo fulmina, appellavit.

Cæſar periculo eximitur.

Legio fulminatrix.

& exinde erga Chriſtianos mitior factus.

Tertullian. in Apologetic. c. 5. & 6.
Method. Martyr. apud Marian. Scot. in Chronogr. lib. 2.
Apollinarius apud Euſeb. Hiſt. Eccl. lib. 5. cap. 5.
Nicephor. lib. 5. Hiſt. Eccl. c. 12.
Xiphilin. in Epitom. Dionis.
Oroſius l. 7. c. 15.
Juſtin. Epiſt. 3. ad calcem apologiæ 2. pro Chriſtian. Calviſ. ad an. 174. apud Laurent. Beyerl in Theatro M. Tom 5. l. Θ. fol. 121.

Cæſaris Epiſtola ad Senatum, quâ fatetur, victoriam de Marcomanis, deberi Chriſtianis.

vit. Imò & decreta contra Chriſtianos antea facta abolevit, iîſque impoſterum æquior addictiórque fuit; & tunc quóque ab exercitu *Septimum Imperator* appellatus eſt: quod etſi admittere non conſveverat priùs, quàm eſſet decretum â Senatu, tunc tamen non repudiavit, quaſi id divinitùs acciperet: de quo etiam ad Senatum ſcripſit. Victoriam porrò hanc, non magicis artibus, ùt putant Dio & Claudianus, homines â Chriſtianâ religione alieni, impetratam, fatetur ipſe Imperator, qui â magicis artibus ſe abhorrere ſcribit; nec precibus ipſius fulmina de cœlo & pluviam, ùt Capitolinus affirmat, fuiſſe elicita: ſed precibus Chriſtianorum, teſtantur plurimi; & ex illis primi, *Tertullianus, & Oroſius, Scriptores vetuſtiſſimi*, qui ambo ad literas Imperatoris ea de re ſcriptas provocant: quæ ad Senatum populúmque Romanum datæ, ſic habent: *Imp. Cæſ. M. Aurelius Antoninus Germanicus, Parthicus, Sarmaticus, Pontifex Max. Tribunitiæ Poteſtatis XXVIII. Imp. VII. Cos. III. Pater Patriæ. Pro. Cos. S. P. Q. R. S. D. Notos vobis facio conatus meos, & ſucceſſus belli Germanici, quantiſque in hoſtico laboraverim difficultatibus, circumventus â draconibus LXXIV.* (ſigna erant militaria Barbarorum) *intra nonum milliarium. Eos in propinquo eſſe indicârunt exploratores, & Pompeianus magiſter militum, conſpectos mihi eſſe ſignificavit. Itáque ſenſi me cum Legionibus prima, decima, gemina, Euphratenſique penè oppreſſum, ab immenſa colluvie, in qua numerabantur armatorum nongenta ſeptuaginta quinque millia. Cúmque non haberem copias conferendas numero barbarorum hoſtium, precabundus confugi ad opem patriorum numinum, â quibus neglectus, & in arctum redactus ab hoſte, accivi, quos Chriſtianos vocamus. Ij perquiſiti, benè multi reperti ſunt. Infremui in eos, quod non debueram, ùt poſtea cognovi, ex mirifica eorum patientia. Qui mox rem aggreſſi ſunt abſque telis, armis, tubiſque, nimirum abhorrentes ab iſtiusmodi paratu, & contenti Deo, quem circumferunt ſecum in conſcientia. Credibile eſt igitur, licèt impios exiſtimemus, Deum pro munimento habere in pectore; proſtrati enim humi, non ſolùm pro me deprecati ſunt, ſed & pro præſenti exercitu, petentes opem contra urgentem ſitim & inediam. Quintus enim dies erat, ex quo aquâ carere cæperamus; eramus quippe in hoſtili ſolo, in ipſo meditullio Germaniæ. Confeſtim autem, ùt procubuerunt in facies, & preces fuderunt ad ignotum mihi Deum, deſcenderunt de cœlo, in nos quidem frigidiſſimus imber, in noſtros verò hoſtes grando mixta fulminibus, ut ſine mora ſentiremus, præſtò eſſe invictam opem Dei potentiſſimi. Jam nunc igitur permittimus eſſe Chriſtianos hujusmodi hominibus, nè fortè contra nos tale quodpiam telum poſtulando impetrent: & autorem me interpono, nè cuiquam religio Chriſtiana vertatur crimini. Quòd ſi quis Chriſtianum detulerit, hoc ſolo nomine, quòd Chriſtianus ſit, volo, ut delatus Chriſtianum ſe impunè fateatur, modò nihil ei objiciatur, præter religionem diverſam: delator verò ejus vivus comburatur. Confeſſum autem compertúmque Chriſtianum, nolo ad mutandam religionem induci, ſed ſuo â Provinciæ præſide relinquendum arbitrio. Et hoc meum decretum Senatus-conſulto ratum fieri volo, jubeóque proponi publicè legendum*

Digitized by Google

dum in Trajani foro, ut inde porrò transmittatur in provincias, curâ Vetraſij Pollionis, urbis Præfecti. Hujus quoq; edicti tranſcribendi, ut endiq; copiā permitto omnibus, deſumentibus ex noſtro exemplari publicè in foro propoſito. Valete.

Hujus Victoriæ monumentum, adhuc Romæ, ſub initium *Viæ Flaminiæ*, in platea, quæ vulgò *Curſus* dicitur, ſupereſt, *columna Antoniniana*, arte & opere admirabilis, totiúsque ejus belli ac victoriæ viva repræſentatrix: inter alia, cernitur *imago Jovis Pluvij alati*, capillis promiſſis & barbâ, qui ex omnibus corporis partibus demittit pluviam & fulgura: & ſub eo hoſtes proſtrati & equi, Romaníque eos armis aggredientes & cædentes. Altitudo ipſius fertur ped. 175. feneſtellas habet 56. quibus ſcala, ùt ipſa columna cochlidij inſtar, lumen admittit: intus verò gradus 206. jam detritos, quibus aſcenditur ad ſummum; in cujus vertice extabat ejusdem Antonini ſtatua. Hanc columnam *Sixtus V. Pontifex Max.* incendio, aliſque injurijs læſam inſtaurari juſſit, & *Divo Paulo Apoſtolo*: prout etiam alteram, quæ Trajani erat, *Divo Petro Apoſtolorum Principi*, ſuper impoſitis ex metallo inaurato eorum ſtatuis, conſecravit. *Victoriæ hujus teſtis eſt Romæ columna ab Anton. Imp. erecta, hodiéque ſuperſtes.*

Fugatis ac diſſipatis in eum modum Marcomanis, Cæſar aliquandiu adhuc in Marcomania ſubſtitit, eo potiſſimùm fine, ut barbarorum reliquias, nullâ victis datâ ad reſpirandum quiete, penitùs deleret, átque ità Regnum in formam Provinciæ redigeret: nè deinceps non ex Italia tantùm, ſed Gallia, & alijs procul diſſitis ultra marinis Aſiæ regionibus, tanti laboris & itineris expeditio, ac bellum, adverſùs gentem inquietiſſimam ſuſcipi, geríque neceſſe foret. Accidit autem, quòd ſub id tempus, novi átque repentini exſurrexerint in Aſia motus, *Avidio Caſſio* imperium contra fas occupante; unde neceſſaria glorioſis præpoſita, néque dignum viſum, detento in barbarico ſolo exercitu, turbatam relinquere Aſiam. Quamobrem indictâ profectione, & Marcomaniâ magìs adhuc devaſtatâ, Danubium trajecit: *relictâque ad ripam Danubij legione X. cum Quintilio Cardiano tribuno*, ipſemet cum reliqua copiarum mole, per Pannoniam, Orientem citatis itineribus petijt. Sed cùm in Thraciam veniſſet, nuncijs edocetur certis de Caſſij interitu: quare in Marcomaniam redire conſtituit, jámque etiam *Quintilium Maximum cum legione XIII.* præire juſſit. Aliorum tamen ſvaſu, qui autumnum in pluvias præcipitem, ideóque viarum difficultates cœlíque injurias ſuborituras metuebant, conſilium mutavit, & Romam redijt; ubi â Senatu Populóque ſummis honoribus exceptus, de Marcomanis & Sarmatis triumphavit. Audiamus hìc Julium Capitolin. *voluit* (inquit) *Marcomaniam provinciam, voluit etiam Sarmatiam facere: & feciſſet, niſi Avidius Caſſius ſub eodem in Oriente rebellâſſet, qui Imperatorem ſe appellavit. &c.*

Cæſar Marcomaniam penitùs domare, inque Provinciæ formam redigere conſtituit:

in Aſiam, Caſſio imperium invadente, ocyùs ire cogitur.

Marcomaniâ diſcedit:

in itinere Caſſium occiſum comperit:

Romam triumphans redit.

Julius Capitol. in M. Anton. Eutrop. in eod. Dio Caſſ. in eod.

Quàm porrò lenis, humanus & clemens fuerit (ùt id obiter tangam, Principibus in exemplum) erga liberos, uxorem & cognatos Caſſij, tametſi rebellionis manifeſti, patet ex altera ipſius Epiſtola ad Senatum data, quæ inter alia ſic habet: *Quod ad defectionem Caſſianam pertinet, vos oro, atque obſecro,* *M. Ant. Imp. pius Princeps:*

Eximia ipſius clementia.

ſecro, Patres Conſcripti, ut cenſurâ veſtrâ depoſitâ, meam pietatem clementiamq́; ſervetis, imò veſtram; neque quemquam ullum Senatus occidat. Nemo Senatorum puniatur, nullus fundatur viri Nobilis ſanguis: deportati redeant, proſcripti bona recipiant, utinam poſſem nonnullos etiam ab inferis excitare! Non enim unquam placet in Imperatore, vindicta ſui doloris; quæ etſi juſtior fuerit, acrior videtur. Quare filijs Avidij Caſſij, & genero, & uxori veniam dabitis: & quid dico veniam? cùm illi nihil fecerint. Vivant igitur ſecuri, ſcientes ſub Marco ſe vivere: vivant in patrimonio parentum, pro parte donato: auro, argento, veſtibus fruantur: ſint divites, liberi, & per ora omnium ubique populorum circumferant mea, circumferant veſtra pietatis exemplum. Audiant Principes, & ſi non pudet â profunda gentilitate diſcere, imitentur.

Marcomani viribus & armis revaleſcunt.

Interea Marcomani repreſſi magis quàm domiti, inſtauratis viribus, atque iterum omnibus tractûs ejus gentibus in ſocietatem adſcitis, arma denuò capeſſere, & fortunam, quæ eis, Dijs quoque ipſis iratis, tantoperè adverſa infensáque extitiſſet, novo auſu experiri conſtituunt. Priùs tamen Deos ſuperos, magno victimarum numero, cenſuêre placandos: quo ſolenni ritu peracto, ut cladem damnáque ingentia ſibi â Romanis illata ulciſcerentur, Pannoniam ſuperiorem ingreſſi, infeſta adversáque omnia oppreſſerunt, everterunt, disjecerunt, obtriverunt penè citiùs, quàm irruptio eorum animadverti potuiſſet. Et habebat ſanè irruptionis hujusmodi celeritas ſtimulum: quippe â præterito tam diuturno bello, regio ipſorum exhauſta fuit tota, nemo in tantis motibus agros colere, nemo rem pecuariam exercere poterat: ex quo neceſſe erát ſequi famem, rerúmque inopiam ſummam.

Pannoniam invadunt.

Anton. Imp. bellum Marcomanicum redintegrandum decernit.

Igitur Cæſar bellum Marcomanicum, quod nuper interruperat potiùs, quàm finierat, redintegrare ſtatuit. Cúmque premeretur ærarij anguſtijs, & novis vectigalibus exaſperare populum nollet, priori exemplo, remedium ê domo ſua ſumpſit, & quidquid reſiduum fuit, de pretioſiori ſupellectili, auctioni ſubjecit; Ita Dio: *Cùm in bello Marcomanico omne ærarium exhauſiſſet ſuum, neque in animum induceret, ut extra ordinem provincialibus aliquid imperaret, in foro Divi Trajani, auctionem ornamentorum imperialium fecit, vendiditq́; aurea pocula & cryſtallina, & myrrhina vaſa, & veſtem uxoriam ſericam & auratam, gemmásque etiam, quas multas in repoſitorio ſanctiore Adriani repererat. Et per duos quidem menſes, hæc venditio celebrata eſt, tantúmque auri redactum, ut reliquias belli Marcomanici ex ſententia proſequeretur. Poſtea dedit poteſtatem emptoribus, ut, ſiquis vellet empta reddere, atque recipere, ſciret licere.*

Dio lib. 71.

Sumptus in apparatum belli, unde facit?

Exercitûs partem in Pannoniam præmittit: Cum filio Româ diſcedit:

Philoſtratus in Vita Herod.

Habiti itáque delectus, revocati undique exercitus, & expeditiſſimi quique præmiſſi in Pannoniam, ut ſeſe *legionibus Decima & Decima tertia* adjungerent, coercendisque conatibus hoſtium operam darent: quos demùm ipſe *Cæſar, cum filio Lucio Commodo,* lentiori itinere ſecutus eſt. Cúmque inter hæc de proſpero ſuorum ſucceſſu, déque victis & Pannoniâ ejectis Marcomanis cognoviſſet, *Syrmium* divertit: ubi ſecretiore cum purpuratis ac belli duci-

Digitized by Google

ducibus habito conſilio, bellum omnino proſequi, & vim omnem in Marcomaniam transferre decrevit. Jámque ad profectionem omnia parata, & duæ rurſum legiones *Carnuntum* præmiſſæ erant, cùm derepentè Cæſarem graviſſimus perculit morbus; quo magìs ac magìs ingraveſcente, Cæſar deploratam ſuam ſalutem haud obſcurè ſentiens, & de Republica filióque anxius, amicos, & qui tum conſilijs ſuis Imperij Majeſtatem ſuſtentare cenſebantur, convocavit, iiſque filium adoleſcentem, unà cum belli Marcomanici reliquijs commendavit; móxque die poſtero, fato functus eſt. Sic conatibus ejus, quibus *gentem Marcomanorum* delere ad internecionem ſtatuerat, mors interceſſit, anno Chriſti 179. vel ùt Baronius habet, anno 182. Julius Capitolin. refert: *Cùm ægrotare cœpiſſet, filium advocavit, atque ab eo primùm petijt, ut belli reliquias non contemneret, ne Remp. prodere videretur.* Ex quo patet, vires Marcomanorum, non dum fuiſſe adeò fractas, ut non eſſent ampliùs extimeſcendæ, vel ipſarum reliquiæ. Ammianus porrò de illo ſcribit, cum Palæſtinam ſemel tranſiret, Ægyptum petens, fœtentium Judæorum & tumultuantium ſæpè tædio percitum exclamâſſe: *ô Marcomani, ô Quadi, ô Sarmatæ, tandem alios vobis inquietiores inveni.* *Commodus* autem (verè Marcomanis commodus) honeſta quæque voluptatibus poſtponens, Patre mortuo, pacem Marcomanis poſtulantibus conceſſit, his conditionibus, ut refert Dio lib. 72. *Ut transfugas & captivos, quos ab illo tempore accepiſſent. Commodo reſtituerent: & frumentum quoddam certum quotannìs penderent, quod eis poſtea remiſit. Etiam ab ipſis arma quædam exegit, & XIII. CD. militum à Quadis, pauciores à Marcomanis, pro quibus tamen permiſit, ut ſingulis annis aliquos darent. Hoc etiam eis dedit in mandatis, ut neque ſæpiùs, neque pluribus in locis regionis ſuæ congregarentur, ſed ſemel duntaxat quolibet menſe, ac unum in locum, Centurione quodam Romano præſente. Præter hæc, ne vel Jazygas, vel Buros, vel Vandilos bello peterent. His ergo legibus eis pacem dedit, & omnia caſtella, quæ erant in regione, ultra limites eis adempta, deſeruit.*

in itinere morbo corripitur,

moritur.

Dio Caſſ. Julius Capitol. ſupra citat. VVelſer. lib. 1. ad an. 179. Calviſ. ad an. eund.

Filius ſucceſſor, nullâ re memorabili actâ, Romam redit.

Ammian. Marcell. lib. 22. Xiphilin. in Epitom. VVelſer. lib. 1. Calviſ. in Chronol.

Ab hinc Marcomania, quæ dirâ illâ belli cum Romanis geſti clade vehementer attrita, vix non peſſumijſſet tota, ab hoſtium injurijs & excurſibus, quievit annis ferè quadraginta, ad usque tempora *Alexandi Severi.* Nam etſi *Pertinax, poſt Commodi cædem, Imperator* factus, Marcomanos, qui per id tempus Pannoniam ſuperiorem rurſus infeſtabant irruptionibus crebris, aggredi ſtatuerit; morte tamen præreptus, (cùm enim milites prætorianos, qui Commodi tempore ſummâ licentiâ uſi, ſine omni lege vivere conſveviſſent, coërcere, & ad militaris diſciplinæ normam reducere niteretur, ab ijs ſexto menſe Imperij ſui, nefariè occiſus eſt) exequi id minimè potuit.

Quamdiu apud Marcomanos pax?

Pertinacis Imp.

Anno Chr. 193.

Poſt illum *Septimius Severus, apud Carnuntum,* â Germanicis legionibus, anno 195. Imperator appellatus, inteſtinis & alijs externis bellis occupatus, legione duntaxat Nonâ, ad firmandam fortiori præſidio Danubij ripam miſsâ, contentus fuit. *Baſſianus Antoninus cognomento Caracalla, Septimij filius,* expeditionem in Marcomanos ſuſcepit quidem, ſed ad ripas tantùm Danu-

Septimij item Imp. & Antonini Caracallæ Imp. fruſtranei contra Marcomanos conatus.

anno 210.

anno 215.

Digitized by Google

Danubij pervenit: ubi quòd Marcomanos, & alios Germanici nominis populos, ſibi auro magìs, quàm armis devinxiſſet, *Germanicum ſe appellari* juſſit. *Cæterùm Germanos* (ùt refert Herodianus lib. 4.) *ſibi illic omnes adjunxit, atque in amicitiam conciliavit, adeò ut ex ijs ſocios bellorum, & cuſtodes ſui corporis, validiſſimum quemq; & pulcherrimum ſeligens, ſibi adſciverit. Sæpè etiam Romano cultu depoſito, veſtem Germanicam induebat, atq; in eorum ſagulis argento varigetatis conſpiciebatur: etiam flavam capiti cæſariem imponens, ad modum Germanicæ tonſuræ. Quibus læti barbari, mirificè eum diligere, gaudere etiam Romanus miles, quem ſcilicet ipſe ampliſſimis largitionibus proſequebatur.* Qui locus non niſi, ùt benè notat Lazius, de *Marcomanis & Suevis* poteſt intelligi, ùt qui ſoli inter Germanicas nationes, flavam tonſi cæſariem alere ſolebant.

Heliogabali turpitudo & ſegnities. *Æl. Lamprid. in Antonino Heliogab. Baron. Tom. 2. ad an. 222. VVelſer. lib. 2. fol. 125.*

Hujus filius *Heliogabalus*, vitâ & moribus alter *Sardanapalus*, qui turpidine ſuâ omnes penè, qui in hiſtorijs propter libidines conſentur infames, & ipſum Sardanapalum, quo multò contaminatior erat, ſuperavit; monebatur quidem â legionum, quæ *in Norico & Pannonia* ſtativa tenebant, ducibus & tribunis, ad inferenda reaſſumendáque in Marcomanos arma: ſed fruſtra, monſtro hoc obſcænis voluptatibus toto, intra domeſticos parietes difluente. Tametſi *Lampridius* aſſerere audeat, eum omnino voluiſſe bellum hoc aggredi, ſed falſo oraculo ab inſtituto abſtractum revocatúmque.

Bellum Romanos inter & Marcomanos recruduit. Julius Maximinus Imp. bellum in Marcomania proſequitur: an. 236. & ſeq. *Herodian. in Hiſt. Roman. Impp. lib. 5. Lamprid. in Alexandro Calviſ. in Chronol. ad an. 235. Baron. ad an. 237. Lazius de migr. gent. l. 9. de Marcomanis.*

Tandem poſt cædem Heliogabali, in latrina, ad cujus ſecretiora, tumultu in ſe exorto confugerat, â prætoriano milite occiſi, cùm *Alexander Severus*, authoritate Senatûs, & conſenſu prætorianorum, gubernacula Imperij ſuſcepiſſet, bellum Romanos inter & Marcomanos recruduit: miſsúſque eſt in Marcomaniam, *Julius Maximinus quartæ legionis Præfectus:* qui perrupto limite, ſummâque adhibitâ celeritate, ſeſe per interiora Regni, torrentis inſtar effudit, diúque Marcomanos infeſtis exercuit armis: & magìs adhuc, dum interempto per ſummum ſcelus *Alexandro Cæſarum optimo*, faſces Imperij ipſemet arripuit. Tum enim ad ſubigendam Marcomaniam, animum viréſque omnes adjecit, *trajectoque Danubio,* ùt ait Herodianus, *& altero quodam flumine,* (haud dubiè *Moravâ*) bellum, dubiâ licèt fortunâ, proſequutus eſt. Hujus, & *Alexandri* numiſmata, tam aurea quàm argentea, interdum reperiri in Moravia, intra ejectam vomere glebam, aut etiam in vineis, conſtat: quemadmodum & *M. Antonini Auguſti:* quæ ſanè fidem bellorum, cum Marcomanis geſtorum, manifeſtam faciunt. Non pridem vidi nummos argenteos aliquot, in agro *ad Muſſoviam* (locus eſt ad confluentem Teyæ & Nigrîs) repertos, quorum unus imaginem Cæſaris lauro redimiti continet, cum inſcriptione: *Alex. Sev. Mam. Fil.* id eſt, *Alexander Severus Mammeæ Filius.* Alius: *M. Aurel. Sev. Alex. Aug. Imp.* Alius item: *Jul. Maxim. H. Augus.* id eſt. *Julius Maximinus Hercules Auguſtus.* Item, *C. Ver. Maxim. Aug.* id eſt, *Cajus Verus Maximinus Auguſtus:* & hic erat Julij Maximini filius, â patre conſors Imperij factus.

Ejus & Alexandri Severi Imp. numiſmata, in aliquot locis Moraviæ, hodiéque inveniuntur. *Herodian. l. 7. Daubrav. in Hiſt. Bohem. l. 4. Doctor. Jord in Præf. libri de medicinalib. aqu. in Moravia.*

Dum porrò, vel inſtantiſſimè, *Maximinus* Marcomanico incumbit bello,

lo, Romæ Senatus, facto paribus votis conſenſu, eum, ob ingenij immanitatem, ſævitiam & tyrannidem, hoſtem Reipubl. judicat. Promiſcuè enim ſæviebat in omnes, tam in Urbe, priusquàm expeditionem in Marcomanos ſuſcepiſſet, quàm foris poſtmodùm in caſtris, in duces & milites; utpote quos partim vel leviſſimis de cauſis, ſe præſente & ſpectante, extremis ſupplicijs immaniter trucidari mandaret: partim ſuâ manu, etiam inter convivia & epulas trucidaret. E civibus verò, alios in crucem ſublatos, alios animalibus incluſos, alios feris objectos ſuſtulit: imò complures etiam Senatorij ordinis, confictâ causâ, comprehenſos nefariè interfici juſſit, tantâ crudelis animi acerbitate & ſanguinis ſiti, ut Sol nil quicquam eo viderit immanius; & ùt Capitolinus ait: *non fuit crudelius animal ullum in terris.* Unde meritò vir ſanguinarius cognominatus eſt, *Cyclops, Buſiris, Chiron, Phalaris, Typhon*, propterea quod ſævitiâ hos tyrannos omnes ſuperare, vel certè æquare videretur.

Senatus Romanus Julium Maximinum, ob nimiam ſævitiem, hoſtem Reipubl. judicat.

Cùm verò de ijs omnibus, quæ Romæ agebantur, *Maximinus* cognoviſſet, tametſi ad extremum fortunâ placidiori uteretur contra Marcomanos, non ampliùs tamen in hoſtico belligerandum cunctandúmque cenſuit, ſed fremens ac frendens, iráque & odio exardens, ſine mora Urbem petere, & exortæ rebellioni in tempore, antequàm ingraveſceret, obviam ire decernit. Sed cùm ex itinere *Aquileiam*, quæ eum recipere nolebat, obſideret, milites, cognitâ voluntate Senatûs (*nam palam nunciabatur, Orbem terrarum conſenſiſſe in odium Maximini*) medio die quieſcentem in tentorio, unà cum filio interfecerunt. Hunc in modum *Italia* excuſſit immaniſſimi tyranni jugum, & *Marcomania* imminentis ſupremi excidij vitavit metum: *Aquileia* verò propter fidelitatem, *Romana Civitas* appellata.

Julius Maximin. non dum confecto bello Marcomanico, Romam cum exercitu petit: in itinere, dum Aquileiam obſidet, unà cum filio occiditur. anno 238.
Jul. Capitol. in Maximin.
Lamprid. in eod.
Herodian. l. 7.
Golzius in Julio Vero Maxim. cap. 32.
Münſter lib. 3. Coſmograph.
Naucler. Hiſtoriar. Bucell. ad an. 240.

Ei in Imperio ſurrogatus *Gordianus junior*, bellum cum *Dacis*, eorúmque fœderatis *Sarmatis* geſſit. Erat tum *Rex Dacorum* recens electus *Argunthes*, qui adſcitis in belli commercium, non tantùm finitimis popularibus ſuis *Sarmatis*, *Jazygibus*, *Baſtarnis*, *Peucinis & Getis*, verùm etiam *Marcomanis*, *Quadis, & Gothis nuper à mari Balthico advenis*, in Mœſiam & Thraciam, ſummâ adhibitâ celeritate irruit, & profligatis Romanorum præſidijs, non modò extima limitum, ſed ipſa quóque viſcera regionum, crudelem in modum populatus eſt. Cum hoc, *Gordianus*, æſtate totâ anni 243. bellum duxit, ancipiti primò fortunâ: quæ poſtmodùm ubi affulſiſſet placidior, tam Dacos, quàm Sarmatas ac cæteras gentes ferociſſimas, multis prælijs attritas adeò repreſſit, ut nonnullis ex ijs ſub jugum miſſis, cæteræ obſidibus datis pacem petere compellerentur. Quo feliciter peracto, Pannoniæ ſecuritatem, Thraciæ & Mœſiæ pacem reddidit; ob idque *Victor Dacorum*, *Sarmatarum*, *poſtea etiam Gothorum*, dictus, ſolenniter anteceſſorum ſuorum more, de barbaris triumphavit.

Daci cum Marcomanis aliisq; vicinis populis, in Romanorum Provincias vaſtabundi irruunt: Romanos profligant, & obvia quæq; populantur.
à Gordiano Imp. reprimuntur.
Eutrop. in Brev. Hiſt. Calviſ. ad an. 244. Naucler. generat. 9.

Interea in Marcomania ſopitus utcunque erat armorum furor, cultúsque agris redijt, Romanorum exercitibus alijs longè difficilioribus, majorisque periculi bellis occupatis, tum ſub *M. Julij Philippi*, tum ſub *Decij* imperio; quibus diuturnum juxta ac grave bellum fuit, primò cum Sarmatis,

In Moravia tantisper quieta omnia, Romanis alijs bellorum procellis diſtentis.

 dein-

deinde cum ſupervenientibus, majore quàm antè copiâ Gothis, gente Cimbricâ: & hic quidem cum cognomini filio, Imperij conſorte, â Gothis cæſus in prælio perijt, ut néque corpus ejus inveniri potuerit, quod in gurgite cujusdam paludis merſum eſſe ferebatur.

Sub *Gallieno Imp. Marcomani cum Quadis & Sarmatis*, factis aliquot in Imperium Romanum repentinis excurſibus, terrore ingenti *Noricum & Pannoniam* concuſſerunt; quin & loca nonnulla munitiora, *in ſuperiori Pannonia* occupârunt, & ex ijs poſtmodùm in omnes partes arma oſtentando, & prædas agendo, vicinis populis cunctis admodùm graves eſſe cæperunt: cùm non multò antè, factâ etiam in Orientales Provincias hoſtili excurſione, & *Theſſalonicâ* urbe celeberrimâ obſeſsâ, magno terrore omnem Græciam affeciſſent. Anno 262. erat *Marcomanorum Rex Attalus:* contra quem *Gallienus* expeditionem quidem ſuſcepit, animo recuperandi, quæ barbari occupaverant; captus tamen amore filiæ ejus *Piparæ*, quæ ob ſingularem elegantiam formæ, quâ præ alijs mortalium excellebat, magnoperè ab omnibus commendabatur, eam in uxorem duxit, *Auguſtámque* appellavit, pace cum ſocero factâ, eíque totâ illa ſuperioris Pannoniæ parte, quam paulò antè receperat certâ pactione relictâ: nil penſi habens, quantum per hoc Romano Imperio' nociturus ſit, dato barbaris gentibus in ea regione, per quam ipſis deinceps foret in interiora Provinciarum facilis aditus, tuto Lare. Ab eo námque tempore, ſecura â Marcomanis non potuit eſſe Italia. Quippe an 271. ſub *Lucio Domitio Aureliano Imperatore*, *Marcomani cum Quadis*, *Svevis & Sarmatis* in Italiam irrumpentes, duce *Gebbuldo filio Attali*, Mediolanum usque venerunt, urbem vi cæperunt, totíque Italiæ terrorem Cimbrico parem incuſſerunt: tam enim vaſta ac formidabilis erat hæc barbararum gentium irruptio, ut, ceu inundatione quâdam, totum Imperium deletura videretur. (†) Auxit verò formidinem, & ingruentis ſupremi exitij metum, bino prælio cæſus & diſſipatus Aureliani Imp. exercitus, ità ut ipſemet Imperator, multis fortibus viris, aut captis aut interfectis, amiſsóque penè toto exercitu, vix ſaluti ſuæ conſulere, ſeséque fugæ beneficio cum paucis, ê manibus hoſtium proripere potuerit. Quâ funeſtiſſimâ clade Romani vehementer perculſi, conſiliíque inopes, *libros tandem Sibyllinos*, quos veluti oraculorum principes ſemper venerabantur, & quos non niſi in maximis portentis, aut imminentibus extremis periculis adibant, inſpicere non dubitârunt, quid in eo turbine rerum, facto opus eſſet, conſilium quæſituri. In his repertum fuiſſe tradunt, ut ſacrificia priſco more peragerentur, quæ barbari tranſire non poſſent: *luſtrata itáque Urbs*, (verba ſunt Vopiſci) *cantata carmina*, *amburbium celebratum*, *ambarvalia promiſſa*, *átque ità ſolennitas*, *quæ jubebatur expleta eſt.*

His peractis *Aurelianus*, quin denuò arma pararet, & delectu Romanæ juventutis inſtituto, ac legionibus undique evocatis, exercitum colligeret, minimè cunctandum exiſtimavit. Sed ſalutem ſuam, populíque Romani, ac

Eutrop. ſupra cit. Euſeb. in Chronic. Method. Martyr apud Marian. Scot. l. 2. ætate 6. Marcomani irruptione factâ in Pannoniam, aliquam ejus partē occupant: an. 256. *Zoſimus Hiſtoriar lib. 1. VVelſer lib. 2. Oroſ. l. 7. c. 22. Miecho. l. 1. c. 12. Euſeb. in Chronic. an. 266. Calviſ. in Chronol. an. 265. Zoſim. l. 1. apud VVelſer. lib. 2. Sextus Aurel. Victor in Hiſtor. Cæſar. c. 33. VVelſ. ſupra cit. Occo in Numiſmat. Impp.* Gallienus Imp. initâ cum Attalo Marcomanorum Rege, cujus filiam duxerat uxorem affinitate, non ſatis tuto conſilio, ei partem Pannoniæ, quam antea vi occupaverat, ſecurè poſſidendam dederat. *Trebell. Pollio in Gallienis M. Victorin. de Vita Impp. cap. 47. Paul. Diacon. lib. 10. Hiſtor. miſcell. cap. 32.* Hinc paulò pòſt Marcomanorum crebri in Italiam hoſtiles excurſus. Terror per Italiam Cimbrico non abſimilis: augetur magis binâ clade Aureliani Imp. Romani conſilij inopes, libros Sybillæ conſulunt: celeritate uſi novum exercitû comparant.

(†) *Flavius Vopiſc. in Aurelian. cap. 19. Sextus Aurelius, Eutropius, Paul. Diacon. & alij.*

ac totius Italiæ, in una celeritate poſitam eſſe videns, néque jam quicquam de feliciori novæ expeditionis exitu & victoria dubitans, hoſtes primo quôque tempore adoriri conſtituit. Quod cùm feciſſet, Marte propitio uſus, *tribus juſtis prælijs*, barbaros tantâ ſtrage affecit, ut *tertio ac poſteriore, quod in campis Ticinenſibus accidit*, â cæſorum ſanguine campi penè ſtagnârint. Eo nâmque ſolo conflictu, ad 80. hoſtium millia cæſa ferebantur, præter illa, quæ prioribus duobus prælijs ceciderunt: itâ ut de ſexcentis millibus, vix tertia pars ſuperſtes manſerint, & hi in fugam dilapſi, quâ quisque potuit, profugêre. At Imperator nullum diſſipatis, ac fugientibus moræ ſpatium dandum arbitratus, veſtigijs eorum, ad vicina usque Alpium, cum victore exercitu inſtitit; multôsque adhuc ê fuga retraxit, & partim trucidari, partim pro triumpho ſervari juſſit. Reliqui confusè per deſerta Alpium palantes, fame, ſiti, vigiliâ, laſſitudine, cæteriſque malis eo usque afflicti & attriti erant, ut doluerint, quòd non potiùs hoſtium gladijs, morte honeſtâ oppetendo, jugula præbuiſſent. Errantes enim per ſolitudinem, aut inedia diſſolvit, aut ad terras hoſtiles delatos dira ſervitus excepit, fuitque æqualis penè erroris clades, quæ pugnæ adverſæ. *Flavius Vopiſcus* eorum temporum coævus, ſcribit, *Marcomanos in poſteriore prælio, ſpectris occurrentibus fuiſſe deterritos, & in fugam actos.* Ab hac atrociſſima clade, vires Marcomanorum & Quadorum erant multùm acciſæ, tam domî, quàm foris. Ex tota nâmque Pannonia ſuperiori, per *Bonoſum Aureliani ducem*, paulò pòſt ejectis, vix intra patrios limites, inſtantibus ſummâ vi Romanis, tutò conſiſtere licuit: ac deinceps quicquid auſi fuerunt, non niſi ope & auxilio *Sarmatarum*, quos jam dudum in ſocietatem contubernij & fortunarum admiſiſſe cenſentur, adjuti geſſerunt.

Marcomanos tribus prælijs fundunt:

Italiâ totâ ejiciunt.

Flav. Vopiſc. cit. Miecho. l. 1. c. 17. Spangenb. in Chron. Sax. cap. 43. Cruſius in Annal. Svev. part. 1. l. 5. c. 5. VVelſer. lib. 2. Calviſ. ad an. 171. Theobald. in Genealog. Reg. Bohem. an. 272.

Marcomani & Quadi viribus fracti.

Sarmatas in ſocietatem fortunarum accipiunt.

Anno 276. *Aureliano* â militibus, dolo Mneſtei ſcribæ occiſo, *Marcomani, Quadi & Sarmatæ*, conjunctis viribus, gravem rurſus irruptionem in Pannoniam fecerunt, & vaſtabundi penetrârunt in Illyricum usque; ubi complura oppida & municipia, aut metu excedentibus præſidijs, aut ſpontè ſeſe dedentibus, negotio facili occupârunt, nec niſi quadriennio poſt inde â Romanis exturbari potuerunt: quando ipſemet *Probus Imp.* contra ipſos expeditionem ſuſcepit; *qui* ùt ſcribit Vopiſcus, *compoſitis in Gallia rebus, & Germanis in ordinem coactis, Illyricum petijt, ibique Sarmatas, cæteráſque gentes ità contudit, ut propè ſine bello, quæ diripuerant, reciperet.* Nihilo tamen quietiores erant *Sarmatæ & Marcomani*, ſed auditâ *Probi* morte, denuò in Pannoniam irruperunt, *adeò feroces, ut non Illyricum ſolùm, ſed Thracias quóque, Italiámque invaſuros ſe minarentur.* Hos *Carus Imp. Probi ſucceſſor*, anno 283. repreſſit, occiſis ſedecim millibus, & viginti diverſi ſexûs millibus captis.

Diocletianus Imp. Marcomanos & Sarmatas bello adoritur.

Eutrop. in Brev. Hiſt. lib. 8. Aurel. Victor in Cæſarib. c. 34. Vorburg. Hiſtoriar. Tom. II. ad an. 298. & ſequ. Calviſ. ad an. 302. Theob. ad an. 300. Miechov. loco ſupra cit.

Anno 287. & ſequenti, *Diocletianus*, profligatis in inferiori Pannonia *Gothis, Sarmatas quóque Marcomanos & Quados* bello aggreſſus, haud mediocri clade affecit: átque iterum, anno 298. Erat tunc *Rex Marcomanorum Frymundus*; cui fatis functo ſucceſſit *Oſmucbus.* Hic temporibus *Galerij* *Maxi-*

Exurgunt Marcomani & Pannoniam invadunt: *Aventin. lib. 2. Annal. Boj. VVelſer. lib. 2. fol. 118.*

à Criſpo Conſtantini Imp. filio repelluntur. *Zoſim. lib. 2. Calviſius ad an. 316.*

Maximini, & Maxentij Impp. inito cum *Adelgero Bavarorum Rege* mutuo fœdere, bellum contra Romanos renovavit; crebríſque in Pannoniam ſuperiorem excurſibus, magnas paſſim cædes & rapinas exercuit, incenſis ubique pagis, ac multis hominum millibus, vel trucidatis, vel in ſervitutem abductis: cujus poſtmodùm audaciam *Criſpus Conſtantini Imp. filius* coërcuit, ac cæſum bino prælio, pedem referre coëgit. Idem fecit *Conſtantinus* ipſe, *Raſſimo* (alijs *Raſſimedo*) *Sarmatarum Regi*, quem Pannonias crudeliſſimè vaſtantem, ac prælio victum an. 316. átque iterum 318. ultra Iſtrum depulit: & cùm nihilo mitior irruptiones hoſtiles repeteret, tributum â Romanis exigeret, ac circumlato paſſim terrore, provincias Romanorum igni & ferro excinderet, victum denuò anno 321. in fuga interfecit.

Vandali novas ſedes quærunt: *Plinius lib. 4. cap. 14. Arenbeck. l. 1. c. 20.*

Marcomaniæ appropinquant: Marcomanis idcirco formidabiles: â Marcomanis repreſſi in Pannoniam concedunt. *Dreſſer. in Millenar. quinto tit. de VVandal. Jornand. de reb. Get. Naucler. Volũ. 2. part. 1. generat. 14. Nucleus Hiſtor. Bucel. an. 316.*

Brevì poſt *Vandali*, quos Plinius, Agrippæ traditionibus ductus ait, *unam eſſe ex quinque interioris Germaniæ populis gentem*; relictis patrijs ſedibus, quas nunc *Pomerani, Marchiani Brandenburgici, Meckelburgenſes*, & alij, ſinus Codani ſive Balthici accolæ tenent; ſeu quòd peregrinationibus delectarentur, inquieti naturâ, (unde & nomen acceperunt: *VVandeln* enim Germanicâ linguâ uſitatiſſimâ, idem eſt, quod peregrinari) ſeu quòd terras quærerent uberiores & opulentiores; ſeu quòd ab una parte urgerentur â Gothis, ab altera â Sarmatis multitudine infinitis, naturâ feris, linguáque diverſis; peragratâ *Germaniâ, & Sudeti montibus* ſuperatis, *Viſimaro duce*, Marcomaniæ imminebant, poſituri in ea, ſi quo modo veteres colonos opprimere, vel ſubmovere loco poſſent, ſtationem & ſedem. Quoniam verò multitudine abundabant ingenti, non poterant eſſe Marcomanis, niſi formidini & graves. Hinc aliquot prælijs acerrimè utrinque dimicatum fuit, fortunâ diu variante; donec *Marcomani ſociorum ſuorum, Quadorum & Sarmatarum* armis adjuti, longéque ſuperiores viribus, Vandalos magnâ ſtrage victos finibus ejecerunt; qui trajecto Danubio, in Pannoniam conceſſerunt, *ibique Conſtantini Magni* permiſſu conſederunt.

CAPUT III.

Continuatio cladium ſub Marcomanis.

Marcomani tempore Conſtant. M. quieti.

REmoto per hunc modum metu Vandalico, *Marcomania* optatâ pace fruens, & Majeſtatem Romani Imperij, tum ſub *Conſtantino Magno*, tum ſub ejus filijs, *Conſtante & Conſtantio*, comiter venerata, in priſtinum florem facilè rediiſſet; niſi licentiores quidam *è Marcomanis & Quadis*, qui pacem & quietem ferre non poterant, inſtigantibus Sarmatis, quos Marcellinus hìc, *peritiſſimum latrocinandi genus* appellat, novos exciiſſent belli motus. Quippe *Pannoniam ſuperiorem, & Valeriam* hoſtiliter ingreſſi, ac ferro & igne perobvia quæque graſſati, *Conſtantio Auguſto*, qui tum Romæ, occluſo Jani templo, *de Magnentio* triumphum egit, cauſam præbuerunt, ut recludere Jani por-

Amm. Marcell. Hiſtoriar. l. 16. Sarmatæ & Marcomani, per Pannoniam rapinis, igni & ferro graſſantur.

Digitized by Google

portas, bellúmque decernere cogeretur. Confeſtim igitur *die IV. Calend. Junias*, Urbe egreſſus, profectionem *in Illyricum*, ad compeſcendos barbaros, citatis itineribus, quantum torridi dierum æſtus, Sole tum ſublimiori, permittebant, ſuſcepit. Sed jam illi abundè ditati ſpolijs, antequàm Romani acceleràſſent, periculum virium facere nequaquam auſi, ad ſua incolumes reverterunt.

Conſtantius Conſtantini Magni filius coërcendos ſuſcipit.

Conſtantius, *Sirmium* (oppidum eſt pervetus in inferiori Pannonia, non ſolùm, ut inquit Lazius in Comment. Reip. Rom. lib. 12. *propter Concilium generale, quod ibi ſub Conſtantino contra Arrianos habitum fuit, verùm etiam ob natale ſolum maximorum Principum, Probi, Valentiniani & Gratiani Impp. multùm celebre*) veniens, & de receſſu hoſtium certior factus, pro tunc extima ſolùm limitum, præſertim Danubij ripas, diligentiùs cuſtodiri juſſit; cæterùm *Barbationem* recèns creatum Magiſtrum peditum, cum XXV. armatorum millibus, in Galliam Rheno vicinam, *Juliano Cæſari* in auxilium, *adversùs Alemannos*, à quibus longè majus ingruebat periculum, miſit. Re deinde feliciter in Gallia peractâ, & Alemannis, unà cum eorum ſeptem regibus, graviſſimo prælio, propè *Argentoratum* cæſis, Galliáque ejectis, Imperator ad alteram belli *Sarmato-Quado-Marcomanici* molem, totas vires animúmque convertit. Igitur æquinoctio verni temporis ne dum confecto, exercitum hybernis eduxit: & primò *Sarmatas*, qui eam terræ plagam, quæ à Septentrione *montibus Carpathi*, ab Oriente *Tibiſco flumine*, ab Occidente *Grano*, ab Auſtro *Danubio* clauditur, incolebant, petijt; trajectóque Danubio, & minoribus caſtellis quibusdam facili negotio occupatis, & ijs, qui reſiſtere auſi eſſent, vel cæſis, vel in fugam actis, regionem licenter ingreſſus eſt. Quod ubi innotuiſſet *Quadis & Marcomanis*, extemplò ad ſuccurrendum ſocijs, pro eo ac juxta pacta debebant, & prout etiam commune periculum requirebat, corripuêre arma: néque enim ignorabant, agi hìc quoque rem ſuam, extimeſcendúmque eſſe, ne præſens *Sarmatarum* periculum, & ſuas fortunas, pari calamitatis tenore, in diſcrimen trahat.

Conſtantius in Pannoniam venit: an. 356.

Marcell. l. 16.

Idem lib. 17.

trajecto Danubio, Sarmatas adoritur & cædit.

Marcomani & Quadi, Sarmatis auxiliatum ire conſtituunt.

Interea *Sarmatæ*, eſtò præventi feſtinatâ expeditione Imperatoris, quem non ita citò Danubium, tum à reſolutis nivibus maximè turgidum, exundantémque trajecturum rebantur, haud mediocri affecti eſſent clade, promptiſſimis, qui pro cuſtodia limitis vigilabant, cæſis, &, caſtellis limitaneis compluribus occupatis: non deſponderunt tamen animos, ſed ad arma concurrentes, Romanis obviam ire, vímque vi repellere conſtituerunt. Sed ùt tumultuariâ manu, ita minùs proſpero eventu: nam inito prælio, cùm Romanos peditatu & armis validiores, nequaquam ferre poſſent, vix tentato juſto certamine, perturbati & loco ſubmoti terga dedêre. Magna ſtrages inconditæ multitudinis, præſertim eorum, qui effugere non poterant, edita, ita ut campi cadaveribus ſtrati paſſim cernerentur: caſtra, quæ carris muniverant, capta fuêre & direpta. Imperator tamen fugientes, quibus evadere licebat exitium præſens, & qui hinc inde dilapſi, ſeſe intra latebroſas montium convalles occultabant, inſequi prohibuit.

Sarmatarum nova clades.

Digitized by Google

Imperator victoriam proſequitur.

Hoc ſucceſſu, ceu fauſto totius belli finiendi omine, Imperator auctus animo, datâque militi per biduum quiete, eò audentior deinde interiorem ipſam ingreſſus eſt Provinciam; atque iterum varijs in locis, proſperè cum iiſdem Sarmatis bellum reſtaurantibus conflixit. Nec multò poſt ab exploratoribus certis, de adventantibus *Marcomanorum & Quadorum, iisq́ immixtorum Sarmatarum* copijs, edoctus, explicatâ è diſciplina militari acie, adventum eorum patentibus in campis præſtolari conſtituit, pugnam minimè detrectans, eventu præterito felici, vires & animos incitante. At illi, ſaniora amplexi conſilia, ab armis ad preces, expoſcendæ quoquo modo pacis, ſeſe converterunt. Itáque rogaturi ſuppliciter pacem, major eorum pars, acceptâ publicâ fide, ad caſtra Romana convolavit, præcedente ipſo gentis *Rege Zizai, unà cum Rumone, Zinafro & Fragiledo ſubregulis*, aliíſque plurimis optimatibus. Et quoniam ſeſe cum facultatibus & liberis, totóque terrarum ſuarum tractu, Romanæ potentiæ ſubmittebant, & clypeis teliſque projectis ſupplices, manibus ſurſum levatis, veniam expoſcebant, devicerunt ſibi eâ ſupplicandi humilitate Imperatoris animum; adeóque poſt redditos captivos, cùm deinceps quoque, obedire Romanorum Imperatorum præceptis jurejurando ſpopondiſſent, datis quoque obſidibus, ſpe & expectatione ſuâ citiùs, obtinuêre veniam & pacem. Hoc clementiæ exemplo, allecti fuêre alij duo reguli, *Arabarius & Uſafer*, inter optimates, excellentes agminum gentilium Duces: quorum alter *transjugitanorum Quadorum genti*, hic quibusdam *Sarmatis* præerat, locorum confinijs & feritate junctiſſimis; qui datis quoque obſidibus imperatis, & parêre impoſterum adſenſi, in gratiam admiſſi ſunt. *His in barbarico geſtis* (inquit Marcellinus) *Bregotionem caſtra commota ſunt, ut etiam ibi belli Quadorum reliquias, circa illos agitantium tractus, lachryma vel ſanguis extingueret. Quorum regalis Vitrodorus Viduarij filius Regis, & Agilimundus ſubregulus, alijq́ optimates, & judices varijs populis præſidentes, viſo exercitu in gremio regni ſolique genitalis, ſub greſſibus jacuêre militum, & adepti veniam juſſa fecerunt, ſobolemque ſuam obſidâtûs pignore, ut obſequuturi conditionibus impoſitis, tradiderunt, eductisq́ mucronibus, quos pro numinibus colunt, juravêre ſe permanſuros in fide.*

Marcomani & Quadi, mutato conſilio, parem petunt:

& impetrant.

Marcell. lib. 17. Curæus in Annal. Sileſ. parte 1. fol. 22. innuit eſſe Brigam in Sileſia. Alij cenſent Brekam ſeu Barſiã in Hungaria, ad Granum ſitam. Alij Strigonium. Alij, & meliùs, cum Lazio in Commentar. Reip. Rom. l. 12. cap. 16. Urbem quondam celeberrimam, inter Comaronium & Tatam, ad Danubij ripam, cujus modò ruina tantùm ſuperſunt.

Hunc in modum Imperator, incredibili celeritate, ac penè ſine ullo ſuorum diſpendio, victoriam, ex tot gentibus domitis & ſub jugum miſſis, adeptus, aliquot dierum moram ſibi interponendam cenſuit, ut interea exercitus pauliſper conquieſceret, & ex copioſiſſimæ regionis commeatu, cibarijs aliíſque rebus neceſſarijs recrearetur. Motis poſtea caſtris, contra *Limigantes Sarmatas* ocyùs ſigna transferri, utilitate publicâ id urgente, juſſit: quippe nefas erat eos impunè multa & nefaria perpetrâſſe. Hi ſiniſtram *Tybiſci* ripam accolebant, ſæpéque *Mœſiam* irruptionibus exagitabant acerrimis: præſertim ſub id tempus, cùm cognoviſſent, Romanis interceſſiſſe cum vicinis *Sarmatis*, *Marcomanis & Quadis* bellum, tempus idoneum ad excurrendum nacti, limitem perrupêre Romanum, obvia quæque rapinis & incendijs deformantes. Ad coërcendos itaque eorum hoſtiles excurſus, & ne ab ea par-

Conſtantius Imp. Sarmatas Tybiſci accolas bello premit:

Digitized by Google

parte quicquam hoſtile relinqueretur, quod fortaſſe brevì plurimùm negotij faceſſere poteſt, Imperator cum victore exercitu profectus eſt: quibus pari felicitate ſubjugatis, *Sirmium* cum pompa triumphali revertit, & militares numeri deſtinatas remeârunt ſedes.

quibus ſubjugatis, Sirmium triumphabundus revertitur.
Marcell. lib. 17. Zoſim. lib. 2. Hiſtor. Elias Reuſn. in Iſag. Hiſtor. fol. 370. Calviſ. in Chronol. an. 358. VVelſer. lib. 2.

Sub *Valentiniano I. & Valente Impp.* Romanorum duces, qui *Illyrico, Pannonia & Norico* præerant, aliqua præſidia ad ſiniſtram Danubij ripam, in ipſo *Marcomanorum & Quadorum ſolo*, exſtrui curârunt: eo haud dubiè conſilio, ut adjacentes populos, ab inferendis *in Pannoniam* excurſionibus arcerent, aut illis oppreſſis, *Regnum in Provinciæ formam* redigerent. Quod indigenæ ægerrimè ferentes, primò contra muſſitare, ac demum varios ſermones, tam in cœtibus privatis, quàm conventibus publicis ultrò citróque ciere, plenos irarum & contumeliæ, in deteſtandam Romanorum dominandi libidinem, cui alendæ ex oppreſſione gentium, contra omne fas adminicula quærerent. Eóque tandem ventum eſt, ut ſagaciores nonnulli id aſſerere non dubitarent, niſi hisce molitionibus Romanorum tempeſtivè obviam eatur, brevì fore, ut Regnum antea jam ad ruinam inclinatum, attritis convulsíſque provincialium viribus & opibus, prorſus concidat & evertatur. Quæ cùm non ſolùm in privatis, ſed ùt diximus, etiam in publicis omnium coronis, non usque adeò ſecretis ſermonibus, & ſuſurris agitarentur, quin ad propinquos Romanos perlata, ab ijs pro inſita ſuperbia variè interpretarentur, *Gabinius tum Rex Marcoman. ſimul & Quadorum* facilè conjiciebat, ideóque cum utriusque gentis proceribus conſilia agitabat diverſa.

Romanj nova munimenta in Marcomania extruunt.
Marcomani id ægrè ferunt:
contra palàm murmurant.

Placuit tandem legatos *ad Equitium Illyrij præfectum*, & qui maximè extruendorum illorum munimentorum author habebatur, mittere, ac de pacis conditionibus, non eâ fide, quâ deceret, ab eo obſervatis, queri, remediáque poſcere. Ad quæ ille, ut erat ſimulator egregius, multa in ſpeciem cauſare, ac ultimò ſe quamprimùm conveniendi ipſum Regem causâ, *Carnuntum* velle venire, & de controverſia iſta tranſigere, ut nihil ſit, quod pacem dubiam aut ſuſpectam reddat: cupere igitur, ut & ipſe Rex eò ſeſe conferat. Hoc reſponſo, & bona cum ſpe pacis, dimiſſi legati, ad Regem rediêrunt: qui nihil fraudis, aut periculi hic ſubeſſe ratus, Equitio morem gerere non dubitavit; néque ſuorum voces & conſilia, qui nihil fidendum Equitio, homini crudeli, ambitioſo & vafro, exiſtimabant, admittens, fato conſilium omne præripiente, *Carnuntum* venit. Ubi exceptus eſt ab Equitio multis honoribus, átque etiam convivio ſingulari cum apparatu inſtructo: quò autem fraudulentiùs deſtinata perficeret Equitius, ſimulatione benevolentiæ, Regem omni obſequiorum genere præveniebat, amicitiam & boni vicini officium pollicendo, eadémque viciſſim ab illo expetendo. At non multò pòſt digredientem ab epulis, cùm â convivio ſe in cubiculum recepiſſet, immiſſis percuſſoribus, nefariè trucidari juſſit. Cujus rei atrocitate commoti *Marcomani & Quadi*, & tam crudelem indignámque ſui Regis necem vehementer deteſtati, contra fremere, indignari, ac æquiſſimo jure ad arma concurrere. Nec mora, in unum frequentes conveniunt, ac unanimi voto,

Rex Marcom. & Quadorum Gabinius, præfectum Illyrij ab ejusmodi inſtituto dehortatur: qui ſubdolè agens, Regem Carnuntum invitat:
Convivio excipit:
& contra fas trucidat 373.
Marcomani & Quadi Regis æde proritati,

 & con-

& conjunctis omnium ſuffragijs, ulciſcendam innocentiſſimi Regis mortem decernunt; *ſolennique & veteri gentis ritu, cruentum gladium per oppida, pagos, & quæque compita circumferri jubent, eo monimento, ut qui in bellum confeſtim nomina dare recuſarent, nec ſumptis armis confluerent, gladio ferirentur.* Et ne ſine Rege eſſent, juvenem quendam de ſtirpe quóque regia, nomine *Percham*, magnanimitate animi inſignem, & manu promptum, *in Gabinij locum* ſubſtituunt: opinionéque celeriùs munitiones recèns extructas, ſummâ vi adoriuntur, expugnant, & calentibus adhuc ob cædem Regis iracundiâ animis, præſidiarios omnes obtruncant. Inde ſuperato Danubio, *in Pannoniam* furiarum inſtar irrumpunt, ac profligatis, qui reſiſtere conabantur, *in Illyrium & Iſtriam* uſque vaſtabundi penetrant; cædibus & incendijs omnia complent; *Opitergium* clariſſimam in Illyrico urbem occupant, & exſcindunt, *Aquilegiâ* ægrè à civibus defenſa.

novóque Rege cõſtituto, Pannoniam invadunt, & graſſantes immaniter, in Illyrium usque penetrant.

Pompon. Lat. in Hiſtor. Impp. in Valentin. Calviſ. ad an. 373. Nucleus Hiſtor. Buccl. ad an. 374. VVelſer. lib. 2. Marcell. lib. 29.

Audiamus Marcellinum, qui tum vixit: *Obſeſſa* (inquit) *à Quadis & Marcomanis Aquilegia diu, Opitergiúmque exciſum, & cruenta complura per celeres acta procinctus: vix reſiſtente, perruptis Alpibus Julijs, primicero Marico. Et erat utut barbaris ratio juſta querelarum: Valentinianus enim ſtudio muniendorum limitum, glorioſo quidem, ſed nimio ab ipſo principatûs initio flagrans, trans flumen Iſtrum, in ipſis Quadorum terris, quaſi Romano juri jam vindicatis, ædificari præſidiaria caſtra mandavit. Quod accolæ ferentes indignè, ſuíque cautiores, legatione tenùs interim & ſuſurris arcebant.* Et poſt de Equitio, quem *Maximinus Palatij præfectus* deſidiæ inſimulabat, quaſi juſſa Impp. quibus munimenta illa in ſolo barbarico extrui jubebantur, contumaci auſu negligeret: *qui promotus profectúsque* (in Marcomaniam) *cùm veniſſet ad locum, intempeſtivè turgens, opus* (munimentum quoddam) *paulò antè incboatum aggreditur. Denique Gabinium Regem, ne quid novaretur modeſtè poſcentem, ut aſcenſurus humanitate ſimulatâ, cum alijs ad convivium* (Carnuntum) *corrogavit: quem digredientem poſt epulas hoſpitales, officij ſanctitate nefariè violatâ, trucidari ſecurum effecit. Cujus rei tam atrocis diſſeminatus rumor, illicò per diverſa, & Quados, & gentes circumſitas efferavit, regiſque flentes interitum, in unum coactæ, miſerè vaſtatorias manus, quæ Danubium tranſgreſſæ, cùm nihil expectaretur hoſtile, occupatam circa meſſes aggreſtem adortæ ſunt plebem, majoréque parte truncatâ, quâ quid ſuperfuit, domum cum multitudine varij pecoris abduxerunt.* Addit, parum tum abfuiſſe, quin *Helena Conſtantij Imp. filia poſthuma, à barbaris caperetur, cibum ſumens in publica villa, quam appellant Piſtrenſem, cùm duceretur Gratiano nuptura: ni favore propitij numinis, præſens Meſſala provinciæ rector, eam judiciali carpento impoſitam, Sirmium viceſimo ſexto lapide diſparatum, curſu eduxiſſet effuſo.*

Equitij, qui erat Illyrici præfectus, immanis crudelitas.

Anno demum ſequenti, vere jam pubeſcente, *Valentinianus è Gallia redux, Carnuntum in Pannoniam cum exercitu venit*: ubi continuos tres menſes æſtivos, in apparatu bellico, ad compeſcendos *Quadorum & Marcomanorum* adpetitus, ulciſcendáſque ab ijs illatas clades, inſumpſit. *Præmiſſo*

Valentinianus Imp. Marcomanos & Quados bello aggreditur.

igi-

Digitized by Google

igitur Merobaude (verba ſunt Marcellini) *cum militari peditum manu, quam regebat, ad vaſtandos cremandosque barbaricos pagos,* (in campo Marckfeld dicto, ſiniſtro Danubij littori vicinos) *comite adjuncto Sebaſtiano: Valentinianus ipſe Acincum* (fortaſſe nunc Encesdorſium eſt) *prope caſtra comovit, navigijsque ad repentinum caſum conjunctis, & contabulato celeri ſtudio ponte, per partem aliam* (trajecto flumine Moravâ) *tranſijt in Quados* (tum eam Hungariæ partem, quâ nunc continentur Poſonienſis, Trencinenſis, aliique adjuncti Comitatus) *ſpeculantes quidem ex diruptis montibus* (hi Albi dicuntur) *ejus adventum, quò plerique ancipites incertique accidentium, cum ſuis caritatibus ſeceſſerunt; ſed ſtupore defixos, cùm in regionibus ſuis, contra quàm opinabantur, auguſta cernerent ſigna. Progreſſus ergo coacto gradu, in quantum res tulit, jugulataque ætate promiſcuâ, quam etiam tum palantem ſubitus occupavit excurſus, & tectis combuſtis, redijt cum incolumibus cunctis, quos duxerat ſecum, Acincum.*

Marcell. l. 30. Marcomaniam populari jubet: in Quadiam tranſit: igni & ferro in obvia ſævit:

His tranſactis Imperator, quòd jam frigidior autumnus, haud dubia ingruentis hyemis ſigna daret, commoda hyberna pro ſe & exercitu circumſpicere cœpit. Nec multò pòſt remenſo *Danubio, & Carnunti* legione Pannonicâ, pro tutela limitis relictâ, *Bregetionem* venit, *Sabariam* inde, quam ſibi delegerat tum pro hybernis ſedem, primo quòque tempore petiturus. Cognito autem, poſt ſuum è Marcomania diſceſſum, exarſiſſe *Marcomanos inter & Quados,* ſimultates ac diſſenſiones graves, ideòque Quados, unà cum nonnullis Sarmatarum regulis, inclinari ad renovanda pacis fœdera; velléque de ejus conditionibus tranſigendis, legatos ad Imperatorem mittere, ſi modò fide publicâ interpoſitâ tutus acceſſus præbeatur, *Bregetione* ſubſtitit; ac tempori aliquid tribuendum ratus, cum ijs paciſci conſtituit: ſiquidem meliorem protrahendi belli eventum expectare, tum inopia commeatuum, tum alienum anni tempus, prohibebant.

in Pannoniam revertitur. Inter Marcomanos & Quados ſimultas oboritur.

Paucos poſt dies, advenerunt *Quadorum Sarmatarùmque legati;* qui in conſiſtorium, Equitio introducente, intromiſſi, cùm ſuo ritu ſtantes, curvatis corporibus, ſeſe excuſarent, etiam jurandi fidem addendo, nihil ex communi mente procerum gentis delictum in Romanos, ſed per Marcomanos, & ijs qui Danubio eſſent viciniores, ea omnia eveniſſe, quæ inciviliter fuiſſent geſta: Imperator ad ea ultra modum ſolitæ indignationis excandeſcens, acriter increpare cœpit nationem omnem, ùt beneficiorum immemorem & ingratam, iràque vehementiori ſuccenſus, diris omnibus eos devovendos, vicibus repetitis, aſſeruit. Quo in motu, corpore toto repentè contremuit, ac ſubitâ apoplexiâ tactus, *paulò poſt animum diu colluctatum, ut ſingultus ilia crebriùs pulſans, ſtridorque dentium, & brachiorum motus, velut caſtibus dimicantium indicabat, efflavit, ætatis anno 55. Imperij minùs centum dies, ſecundo & decimo.*

Quadi & Sarmatæ pacem petunt. Imperator acriùs excandeſcens, apoplexi tangitur, moritur anno 375. *Marcell. ſupr. cit. Aurel. Victor, in Vita Valentin. Imp. Eutrop. lib. 12. in Hiſt. Valentin. Oroſ. l. 7. c. 19. apud Lazium in Comment. Reip. Rom. l. 12. cap. 16.*

Errat Calviſius, & alij omnes, qui ſcribunt: *Valentinianum, dum vilem ac ſordidum Legatorum habitum vidiſſet, quæſiviſſe, numquid Sarmatæ omnes ejusmodi eſſent? Et Legatis reſpondentibus: Sarmatarum optimos, & ſelectiores ad ipſum eſſe miſſos: exclamâſſe graviori irâ*

 accen-

Digitized by Google

accenſum: malè ſecum agi, quod imperante ſe, gens tam vilis ac deſpecta, finibus ſuis nollet eſſe contenta. Quaſi verò Cæſar in Pannonia natus, & educatus, & tot annis in militia verſatus, & Sarmatarum vicinus, & in eo quoque bello, quod Conſtantius contra Sarmatas geſſit, præſens, illorum fortunam, mores, habitum ignorare potuiſſet. Quid porrò cum legatis *Quadorum* actum fuerit, an ipſis tutò domum redire licuerit, non conſtat. Crediderim ego, â prætorianis, eo ſubito Principis exitu, vehementer commotis, iráque percitis, ſine mora, ſpreto etiam jure gentium, trucidatos; ut idcirco Sarmatæ, rei hujus indignitate acerbiùs quàm unquàm proritati, primò *Hunnis, qui tum â paludibus Mæoticis, pervaſis Alanorum regionibus, in Daciam venerant;* deinde *Gothis* juncti, Romanos bello acerrimo exagitâſſe videantur, quo Imperium Romanum, per vicinam Mœſiam, inferiorémque Pannoniam vehementer acciſum, brevì poſt ad ruinam inclinavit.

Sarmatæ infenſi Romanis.

Sub id tempus, aut non multò poſt, *Marcomani* fœderatâ cum Romanis pace, perſtitêre in eorum fide conſtantes, unà cum nobiliori *Quadorum* parte: reliqui ſub *Alatheo & Seyfrido ducibus*, adhæsêre Sarmatis. Præerat tunc Marcomanorum genti *Frigeridus*, ſeu *Fridegildus.* Hic amicitiâ cum *Valente, & Gratiano Impp.* initâ, & ab ijs in ſocietatem armorum adſcitus, magna utique ac memoranda, varijs in bellis, dederat virtutis fidelitatiſque experimenta: tum præſertim, quando in Mœſiam *â Gratiano, Valenti in auxilium adversùs Gothos*, iiſque permixtos *Sarmatas, Tyrigetas, Hunnos & Alanos*, cum ſuis & Pannonum copijs miſſus fuit. Quamvis autem in ipſo limine crudeliſſimi belli, prælio non adfuerit, articulorum dolore præpeditus, cujus vehementiâ, nec equo inſidere, nec pedibus incedere poterat: copias tamen, quas adduxerat, in conſpectum usque hoſtium, imperterrito pede contendere, *ducémque alterum nomine Richomerem*, qui Gallicis cohortibus præerat, ſequi, & pro conſervanda Majeſtate Romani Imperij ſtrenuè pugnare juſſit; ac poſtmodùm & ipſe, ubi convaluiſſet, quid armis poſſet, inſigne ſpecimen præ ſe tulit. Nam cùm *Farnobius, è Gothorum ducibus non poſtremus*, fuſo fugatóque Romanorum exercitu, per inferiorem Pannoniam cum vaſtatorijs globis licentiùs, quàm ferri poſſet, vagaretur, obvia cuncta rapinis, igne & cædibus defœdans crudeliter; *Fridegildus* ſuis â diſperſione collectis, oppreſſit graſſantem, dum maximè putaret ſe ſecurum: trucidâſsétque omnes, ut ne nuncius quidem cladis ſupereſſet, nî occiſo cum promptiſſimis quibúsque *Farnobio*, quaſi jam interitu eorum haberet ultionis ſatis, reliquis parcendum duxiſſet. Marcellinus id hiſce refert: *Re in hunc modum peractâ, Gothi quid poſtea molirentur incerti, quæritabant Frigeridum, tanquàm obicem validum, ubi reperirent exciſuri: & cultiore victu ſomnóque parumper aſſumpto, eum ſequebantur, ùt feræ, docti, quòd Gratiani monitu reverſus in Thracias, & propè Berœam vallo metato, eventus rerum ſpeculabatur ancipites. Et hi quidem ad patrandum propoſitum, diſcurſione rapidâ maturabant, ille verò regendi conſervandique militis non ignarus, id quod cogitatum eſt ſuſpicatus, vel exploratorum relatione, quos miſerat, apertè inſtructus, per mon-*

Marcomani pacem cum Romanis colunt. Fridegildi Marcomanorum Regis cum Romanis conjunctio, adversùs Gothos, Sarmatas aliósque Romani nominis hoſtes.

Farnobium Gothorum ducem, per Pannoniam crudeliter graſſantem opprimit, an. 376.
Marcellin. l. 31.

Digitized by Google

montium celſa, ſylvarúmque denſitates, ad Illyricum redit, erectus proſperitate nimiâ, quam ei ſors obtulit inſperata. Repedando enim, congregatóſque in cuneos ſenſim progrediens, Gothorum optimatem Farnobium, cum vaſtatorijs globis vagantem licentiùs occupavit, ducentémque Taifalos nuper in ſocietatem adbibitos: qui, ſi dignum eſt dici, noſtris ignotarum gentium terrore diſperſis, tranſiere flumen, direpturi vacua defenſoribus loca, eorum catervis ſubitò viſis, certare cominùs dux cautiſſimus parans, adortúsque nationes, oppreſſit graſſatores minantes etiam tum acerba: trucidâſſétque omnes ad unum, ut ne nuntius quidem cladis pòſt appareret, ni cum alijs multis, perempto Farnobio, metuendo antehac incenſore turbarum, obteſtatus prece impensâ ſuperſtitibus peperciſſet. Hinc eximiam laudem, & præmia haud contemnendi pretij, ab utroque Impp. retulit, *perpetuus amicus Romani Imperij appellatus*, atque etiam præfecturâ ſuperioris Pannoniæ honoratus.

Imperatoribus idcirco ſingulariter gratus, & ab illis honoratus.

Sed rumpit interdum optimè cogitata, medio in curſu fortuna. Cæperat jam *Fridegildus*, pro meliori tutela Romani Imperij, & pro ſecuritate Pannoniæ, multa eáque utilia providere: ac imprimis munire anguſtias quaſdam, ne diſcurſantes hoſtes, tanquàm exæſtuantes vi torrentes, per Provincias ſuperiores, fuſiùs deinceps vagarentur: cùm ecce, domí (inſtigantibus haud dubiè *Alatheo*, & *Seyfrido Quadorum regulis*, qui Gothorum partes ſequuti, *Fridegildum* â ſocietate Romanorum abſtrahere omni modo ſatagebant) exoritur, ob diuturnam ejus abſentiam, ſeditio gravis; adeò ut nonnulli Regem ſibi alium, qui Majorum exemplo domî præſens, tanto diligentiorem boni publici curam gereret, præficere haud obſcurè meditarentur. Jámque gliſcente in diès malo, eò audaciæ aliqui turbulentiores proceſsêre, ut palam aſſerere nequaquam dubitarent: *non eſſe habendum Regem, qui alienâ potiùs, non Patriæ causâ regnaret.* Nihil porrò eorum, quæ in *Marcomania* agebantur, Regem fugiebat, hominibus ſuarum partium, quibus nihil non erat exploratum, crebris litteris eum certiorem de his facientibus. Tum neceſſaria glorioſis præpoſita: neque utile viſum, aliena tueri, & propria in aperto diſcrimine relinquere. Turbulentiſſima hæc ſeditionis tempeſtas, Marcomaniæ tranquillitatem haud mediocriter perturbavit, difficiléque ſedari potuit, ùt fit, cùm ſemel inteſtini motus altiùs exardeſcunt: donec tandem Rex, traductis in ſuam partem militiæ ducibus, quos de ſe omnia benè ſperare juſſerat, ſuperior evaſit. Inde converſo animo ad firmandum regimen, caſtigandámque ſeditioſorum temeritatem, præcipuos ex optimatibus, quos principes conjurationis fuiſſe, & ſeditionis authores conſtaret, juſſos cauſam dicere, damnatos, rapiendos ad ſupplicium, & plectendos capite curavit. Poſt hæc quieta fuêre omnia, in *Marcomania*, complures per annos, *Romanis interea cum Gothis bello acerrimo occupatis:* â quibus *Valens* exitiali prælio fuſus, & ſagittâ ſaucius anno 378. in quodam tuguriolo, ad quod confugerat, neſcientibus ipſis, quis eſſet, igne injecto abſumptus eſt.

ſeditione in Marcomania ſubortâ,

Fridegildus domum redit;

ſeditionem in tempore opprimit:

ſeditioſos caſtigat.

Pax in Marcomania.

Anno 396. Fridegildis Regina Marcomanorum filia Fridegildi, formulam rectæ fidei, ad quam ſe componeret, ùt jam ſuperiori libro aliquid diximus, *â S.*

Fridegildis filia Fridegildi, Chriſtianæ Religionis Sacris imbuitur.

Digitized by Google

Zonar. lib. 3. Annal. S. Paulin. in Vita D. Ambr. Calv. ad an. 396. VVelſer. lib. 2. ad an. 397. Goldaſt. de Privileg. Reg. Boh. l. 1. c. 8. §. 20.

à S. Ambroſio Mediolanenſi Epiſcopo petijt, quam & accepit. De quo S. Paulinus Nolæ Epiſcop. in Vita S. Ambroſij ſic habet: *Per id tempus Fridigil quædam Regina Marcomanorum, cùm à quodam Chriſtiano viro, qui ad illam fortè de Italiæ partibus advenerat, referente ſibi, audiret famam Viri, Chriſto credidit, cujus illum ſervulum recognoverat: miſſisque muneribus placatos ab Eccleſia poſtulavit, ut ipſius ſcriptis, qualiter credere deberet, informaretur. Ad quam ille Epiſtolam præclaram fecit, in modum Catechiſmi; in qua etiam admonet, ut ſvaderet viro ſuo, Romanis pacem ſervare. Quâ acceptâ Epiſtolâ, mulier ſvaſit viro, & cum populo ſuo ſe Romanis tradidit. Quæ cùm veniſſet Mediolanum, plurimùm doluit, quòd ſanctum Sacerdotem, ad quem feſtinaverat, minimè reperiſſet: jam enim de hac luce migraverat.*

Marcomani partes Honorij Imp. ſequuti, Honoriani dicti.

Notitia utriusque Imperij part. 2. & ibi Guido Pancirolus I. C. in Commentar. VVelſer. lib. 2. fol. 133. D. Hieron. Epiſtola 3. ad Heliodorum.

Poſtquàm igitur maritus ipſius, (nomen non exprimitur) ſeſe, Regnúmq; ſuum, *Arcadio & Honorio Impp.* titulo clientelæ tradidit, Marcomania pace fruens, denuò excrevit opibus & viribus; ipſiq; *Marcomani*, inter Romana auxilia *Imperatoris Honorij* ſæpè adſciti, meruêre, ob ſua præclara facinora, ut *Honoriani* cognominarentur. De quo Velſerus: *Meruêre*, inquit, *poſt illa, Marcomani pedibus & equo, inter Romana auxilia, pedites in ſeniores junioresq; tributi: Imperatoris Honorij deinde appellatione honeſtati, Honoriani Marcomani cognominati ſunt.* Aliqui tamen, qui rapto vivere conſveviſſent, juncti *Quadis & Sarmatis*, aliísque confœderatis gentibus, non ceſſabant Romanorum Provincias, ſub eodem Honorio, exagitare irruptionibus penè aſſiduis: ùt patet ex *D. Hieronymo*, qui natione Dalmata, Stridone genitus, tum temporis vixit, cujus verba hæc ſunt: *Viginti & eo ampliùs anni ſunt, quòd inter Conſtantinopolim & Alpes Julias, quotidie Romanus ſanguis effunditur: Thraciam, Macedoniam, Dardaniam, Daciam, Theſſaliam, Achajam, Epiros, Dalmatiam, cunctásque Pannonias; Gothus, Sarmata, Quadus, Alanus, Hunni, Vandali, Marcomani, vaſtant, trahunt, rapiunt*, &c.

Marcomani Vandalorum commilitones,

Zoſim. Hiſtoriar. lib. 4. Aimoinus l. 3. Hiſtor. Francor. cap. 1. Sigebert. in Chronol. an. 411. Calviſ. an. 408.

Galliam populantur: in Hiſpaniam penetrant:

Aliqui iterum cum *Vandalis*, & ducibus eorum *Godigiſilo & Caroco*, aſſumptis quoque *Alanis, Quadis, Svevis & Salingis*, Gallicanas Romani Imperij provincias, Alemaniâ peragratâ, ac Rheno ſuperato, invaſerunt; totúmque illum tractum, *intra Pyrenæum & Lygerim*, funeſtis depopulationibus, flammâ ac cædibus defædârunt crudeliter: *Moguntiam* everterunt, multis hominum millibus in templo trucidatis; *Vangionem, ſeu VVormatiam* deditione occupârunt & expilârunt. *Treviros, Rhemos, Ambianos, Attrebates, Norinos, Sequanos, Nemetes, Argentoratúmque* diripuerunt. Poſtea effractis Pyrenæi clauſtris, in Hiſpanias ſeſe, torrentis inſtar, effuderunt; cum quibus Hiſpanici nominis populi, poſtquàm diu certâſſent armis, tandem aſſiduitate præliorum, & pertinaciâ Vandalorum fracti, ijs ſeſe ſubdiderunt: *Aſturibus* tamen & *Cantabris* exceptis.

Luſitaniam occupant & Bethicam.

Hunc in modum exciſis, aut ſubmotis potiori ex parte indigenis, & reliquis ſubjugatis, Provincias inter ſe partiti ſunt. *Marcomanis unà cum Svevis*, obtigit nobilior *Luſitaniæ pars*: qui diſcedentibus poſtea *Vandalis in Africam*, occupârunt & *Bethicam*. Præerat illis *Rex Hermanricus* (alijs *Ermericus*) qui fœderatâ pace cum Romanis & vicinis populis, triginta tribus

bus armis Regno quietè potiebatur. Hinc gens univerſa adeò viribus & potentiâ excelluit, ut paulò pòſt, qui ei ſucceſſerunt Reges, totius *Hiſpaniæ imperium* affectare non dubitarent. Quamvìs deinde & ipſi, ùt rerum viciſſitudo fert, â *Gothis* oppreſſi ſunt. Ab eo tempore *Marcomani & Svevi, Romanis Gothisque in Gallitia* cœpêre permiſceri: quibus poſtremò cùm & *Nordmani Sarraceniq;ue* acceſſiſſent, eam gentem poſt ſe reliquêre, quæ noſtro ſæculo â metropoli, *Portugallenſis* appellatur.

Iſidor. Hiſpal. in Chron. Svebor. Tyro Proſper. in Chron. Jornand. de reb. Getic. Aventin. in Annal. Bojor. lib. 2. Rodericus Ximen. Toletan. in Hiſt. Gothor. Vandal. Svebor. & Saling. Naucl. in Chronograph. Volum. 2. part. 1. generat. 15. & 19.

Gothis permiſcentur.

Nonnulli *Marcomanorum & Quadorum* etiam cum *Radagaſto Venedo*, ſeu *Vendo*, (alij *Scytham*; alij *Gothum* nominant) qui adſcitis, & ſpe cogendarum magnarum prædarum allectis in ſocietatem *Gothis*, *Gepidis*, *Sarmatis*, *Scyris*, & alijs compluribus populis, ità ut ad ducenta millia armatorum ſub ſignis habuiſſe memoretur, expeditionem contra Romanos ſuſcepit, in Italia militârunt. Atque ità Marcomanis, propter continuas, tótque ac tantas ê patrijs ſedibus migrationes, numero plurimùm imminutis, *Sarmatæ*, quorum tum novæ iterum has in partes, ab Aquilone & Oriente hyberno, effundebantur copiæ, eò liberiùs commodiúsque ſeſe reliquijs veterum colonorum adjungere potuerunt. Brevì pòſt *Marcomani*, qui reſidui erant, & ijs juncti *Sarmatæ*, ſubiêre magni illius tyranni *Attilæ Hunnorum Regis*, jugum & imperium: non tamen ſine prævia maxima regionis totius calamitate & clade; Attilâ pro dilatione finium Regni, quod â Pannonijs protendere ſuper omnes Europæas gentes moliebatur, illis verò pro libertate, pro aris & focis diu certantibus. Ultimò in ſocietatem armorum ab eo adſciti, infeſtabant vicinas quóque regiones unà cum illo: primò *Illyricum*, *Dalmatiam*, *Macedoniam*, *Thraciam*, *& utramque Mœſiam*; deinde cùm etiam alij populi, immensâ ipſius fortunâ, & tot obtentis paſſim victorijs permoti, ſeſe ſubjeciſſent ipſius poteſtati, (utì *Valemir Orientalium Rex Gothorum*, *ſeu Oſtro-Gothorum*, *Ardaricus Rex Gepidarum*; præterea *Sarmatæ Aquilonares*, *Scythæ*, *Baſtarni*, *Scyri*, *Geloni*, *Rugi*, *ipſique Germani*, *Quadi*, *Svevi*, *Turingi*, *Bructeri*, *Franci*, *Nicri fluminis accolæ*, magnarum ex ſe virium & celebratæ potentiæ gentes) *Germaniam & Galliam* univerſam.

Marcomani & Quadi cum Radagaſto Venedo Italiam intrant, an. 405. *Goldaſt. ſuprà citat. §. 21. Joan. Damaſc. in ſupplem. Eutropij. Bucholcer. in Chronol. ad an. 405.*

Reliqui domî cum Sarmatis, Attilæ Hunnorum Regis imperium ſubeunt, circa an. Chriſti 444. *Sigonius de Imperio Occid. l. 13. ad an. 451. Calviſius an. eod. Jornand. de reb. Getic. c. 40. Thuroc. in Chron. Hungar part. 1. c. 14. Spangenb. in Chron. Saxon. cap. 50. VVeſer lib. 2. ad an. 444.*

cum Attila per Illyricum & vicinas provincias, per Germaniã item, & Galliam, arma victores circumferunt, an. 450. & ſequ.

Quingenta millia armatorum *Attila* in exercitu habuiſſe tum ferebatur, tantúmque ſui terrorem, per totum *Orientis & Occidentis Imperium* excitavit, ut vel ad nomen ejus, non aliter quàm furiæ cujusdam Orco progreſſæ, omnes nationes contremiſcerent. DEO tamen auſpice, & rem Chriſtianorum dexterâ virtutis ſuæ tutante, potens ac turgens hæc beſtia, cùm maximè ferociret, ad ruinam inclinavit. *Aetius* nâmque Dux Romani exercitûs, adjunctis *Veſt-Gothorum*, ſeu *Occidentalium Gothorum*, *Francorum*, *Burgundionum*, *Saxonum*, *Alanorum*, & nonnullorum quóque Sarmatarum, *ſub duce Sangibano*, auxilijs, oblatâ rei benè gerendæ occaſione, ei ſeſe cum valido exercitu, in campis *Catalonicis*, *ad Toloſam* objecit; commiſsóque prælio cruentiſſimo, quo cæſa fuiſſe utrinque centum ſexaginta quinque millia; alij centum & octoginta millia, ſcribunt (præter nonaginta Gepidarum & Francorum millia, qui ante congreſſionem publicam noctu ſibi occurrentes, mutuis conci-

Blond. decad. l. 2. Naucler. ſuprà cit. generat. 16.

Attila magno prælio cæditur, an. 451.

dêre vulneribus) adeò ut rivi occiſorum ſanguine per latè patentes campos torrentum inſtar manarent, Victor evaſit: delevilsétque hoſtem ad internecionem usque, ſi victoriâ uti, & *Thoriſimundo Regis Gothici Theodorici*, ***in eodem prælio cæſi filio***, qui nullum ſpatium victis, ſeu recolligendi vires, ſeu reſpirandi dandum exiſtimans, curſui victoriæ inſiſtere, & reliquias diſſipati exercitûs perſequi contendebat, obtemperâſſet.

Ferunt tunc *Attilam* campo cedere coactum, cùm ſeſe intra caſtrorum ſepimenta recepiſſet, metuerétque id comprimis, ne vivus in hoſtium poteſtatem veniret, ingentem ê ſellis equinis, & curribus pyram exſtrui, ſéque, ſi hoſtes caſtris potirentur, interfici & comburi juſſiſſe. Verùm Aetius, ſeu quòd periclitari ſecundò fortunam nollet, cùm aliàs præceps victoriæ proſequutio, frequenter novæ cladis cauſam præbere ſoleat, *& hoſti ad extrema redacto, redeat quandoque in præcordia virtus;* ſeu quòd jam non ità victos *Hunnos, ſicut victores Veſt-Gothos*, cæteróſque barbaros timeret, receptui canens, *hoſti fugienti argenteum*, ùt dicunt, *pontem relinquere* maluit. Ex quo *Attila*, Romanorum ſocordiam videns, mox pro victore ſe geſſit, ac recollectis viribus & copijs, regiones omnes, quæ *ad Moſam & Rhenum*, patent, populabundus invaſit, editis ubique immaniſſimæ crudelitatis exemplis. Quo tempore, etiam ille *ſacer cœtus Virginum, undecim millium, cum Diva Urſula, Dionethi Regis Britonum filia, ab Hunnis Coloniam Agrippinam obſidentibus, trucidatus eſſe fertur:* tametſi alij (*) id circa annum 383. alij verò longè priùs (†) nempe anno 237. accidiſſe velint. Tandem cùm Pannoniam redeundi conſilium cœpiſſet, *Iſenaci in Thuringia*, pro extollentia ſui nominis, acſi Romano ab exercitu nullum fuiſſet paſſus detrimentum, ſolennem conventum egit: ad quem vicinorum Regum legati *ê Dacia, Normania, Friſia, Litvania, Pruſſia, &c.* interpoſitâ fide, confluxiſſe memorantur. Quos ille magna cum liberalitate ſuſceptos, & muneribus varijs excultós, quieta ſub tranquillitate â ſe remiſit; ac demum & ipſemet per Bojemiam & Marcomaniam in Pannoniam redijt.

Romani victoriâ uti neſciunt.
Attila revaleſcit.
XI. millium Virginum ad Coloniam Rheni Martyrium.
Sigeber. Gemblac. in Chrônog. ad an 453. Thuroc. part. 1. c. 17. Bonfinius. H. Boëth. l. 7. apud Beyrling. in Theatro Magno Tom. 2. lit. C. fol. 380.
(*) *Baronius, VVelſerus, Calbiſius, Ægidius Bucherius, Gaufrid. Epiſcop. Aſaphenſis, Miræus.*
(†) *MSS. Colonienſ. apud Joan. Vorburg. Hiſtoriar. Volum. III. ad an. 383.*
Attila in Thuringia conventum agit, ubi variarum gentium legatos, comiter excipit.

Sed non diu vaſtus ejus animus quieſcere potuit: reparatis enim viribus, Italiam quóque (ut adhuc id brevibus hìc attingam,) unà cum *Marcomanis, Quadis, Sarmatis*, cæteríſque vectigalibus ſuis populis, invadendam ſtatuit. In quam ducturus, per ſtrages & ruinas ibat. Ac primò Illyrici ſinus oram, flammâ ac ferro depopulatus eſt: deinde occurrente ſibi Romanorum exercitu, eôque haud procul â Tergeſtino ſinu, non victo tantùm, ſed etiam propè deleto, ad *Aquilejam Carnorum Metropolim*, nobiliſſimam tum Urbem, alteram Romam antiquitùs dictam, caſtra poſuit; quam multo tempore obſeſſam, & â civibus conſtantiſſimè defenſam, expugnavit tandem, & ſine ullo ſexûs aut ætatis diſcrimine, interfectis omnibus, (cæſa ibi ſupra triginta ſeptem millia hominum) diripuit, incendit, ac funditùs evertit, adeò ut diu habitari deſierit. Quo facto, circumſtantes Urbes aggreſſus, omnia velut procella quædam vehemens, quæcunq; occurrebant, proſternebat immaniter. Ex his *Concordiam, Altinum, Paduam, Opitergium, Vincentiam, Brixiam, Cremonam,*

Thuroc. ſuprà citat. Ens in Hiſtor. rer. Hung. lib. 1.
In Pannoniam redit: exercitum reparat: Italiam petit: Aquilejam excindit.
Par fortuna aliarum Urbium.

nam, *Mantuam*, *Pergamum*, *Ferariam*; item *Ravennam*, *Comum*, *Mediolanum*, *Laudum*, *Novariam*, *Vercellas ac Ticinum Urbes nominatiſſimas*, partim deditione, partim vi cepit; nullis, nec victis, nec deditis parcens.

Cujus atrocitate *Venetorum populi* exterriti, ad vicinas *maris Adriatici* inſulas confugerunt: & cùm aliquandiu apud piſcatores latuiſſent, perſpectâ loci opportunitate, ac multis quotidie totâ paſſim Italiâ affluentibus, domos in inſula, quæ *Rivus altus* dicebatur, (ſecuri â barbarorum impetu, quibus non erat uſus navium,) condere, urbémque extruere cœperunt, quam demum ex communi Provinciæ vocabulo, *Venetias* appellârunt. Ita *Aquileja*, aliarúmque vicinarum Urbium interitus, *Venetiarum* origo fuit. *Roma* tantùm ſupererat: â cujus oppugnatione Tyrannum jam jam in exitium ejus feſtinantem, preces *Leonis I. Pontificis*, doctrinâ & Sanctitate inſignis, qui obviam ei proceſſerat, revocârunt. Interrogatus porrò â ſuis, cur non etiam Romanam, uti conſtituerat, aggrederetur Urbem, ſinerétque ſe tam citò, præter conſvetudinem, moveri oratione ſupplicum? reſpondit, ſe vidiſſe ſenem quendam in ſacerdotali habitu adſtantem *Leoni Papæ*, ſpecie auguſtâ, & ſupra humanam terribili, extrema ſibi minitantem, nî ſupplicibus parceret, & exercitum ex Italia confeſtim reduceret. Reverſus itáque eſt in Pannoniam: ubi paulò poſt miſerabili fato interijt. Cùm enim in nuptijs, quas cum *Hildica Regis Bactrianorum filia*, ſumptuoſiſſimo cum apparatu inſtrui curaverat, avidiùs ſeſe vino ingurgitâſſet, ac demum ſupinus quieſceret, eruptione ſanguinis, qui ei de naribus ſolitus erat effluere, noctu ſuffocatus, & extinctus eſt, anno 454.

Venetiarum origo.

Thuroc. cap. 19. Sigonius lib. 13. ad an. 453. Jornand. c. 41. & 42.

Attila Romæ parcit.

in Pannoniam revertitur, & moritur, an. 454.

Poſt eum filij de Regno dimicantes, regno exciderunt: diſtractis enim & occupatis civili bello fratribus, *Ardaricus Rex Gepidarum*, eâ occaſione in rem ſuam uſum, bellum intulit; ac trucidatis triginta millibus Hunnorum, unà cum *Elac filio Attilæ natu maximo*, ſedibus illorum potitus eſt. Alter verò frater *Chaba*, non ampliùs jam in Pannonia tutam ſibi ſtationem videns, conſilij inops, cum parte Hunnorum in veterem patriam diſceſſit, cæteris, qui adhuc ſupererant, in Dacia relictis. Poſt hæc *Marcomanis & Sarmatis* bellum fuit cum *Ardarico*, qui Daciâ totâ ad ripas usq; Danubij occupatâ, Marcomaniam quoque poteſtati ſuæ ſubijcere haud obſcurè moliebatur. Quo repulſo, cùm non multò poſt, eo ſucceſſu elati, in Pannoniam, quam Oſtrogothi tenebant irrupiſſent, Rege ipſo præeunte *Chunimundo*, qui naturâ ſuapte turbidus & inquies quærere rurſus arma, & novam ex armis laudem & ſpolia contendebat: accidit, ut fortunâ versâ, haud mediocrem referrent inde ignominiam & cladem. Nam cùm reverterentur in propria, haud modicis onuſti prædarum cumulis, frater *Valemiri Regis Oſtro-Gothorum Theodemir*, ſeu *Ditmar*, qui juſſu Regis, Pannoniæ ſuperiori præerat, intempeſtæ noctis ſilentio, dum adhuc in itinere eſſent, eos minùs cautos ad lacum Pelſodis oppreſſit, & partim concidit, partim diſſipavit, capto ipſo *Chunimundo*, & prædâ potiori receptâ: móxque primo diluculo Danubium tranſijt, ac nullo reſiſtente Marcomaniam ingreſſus, ut par pari referret, devaſtavit agros, exuſ-

Gepidæ Pannoniam Hunnis extorquent, cæſo Attilæ filio.

Alter Attilæ filius, cum reliquis in patriam receſſit.

Marcomani Sarmatis juncti, Gepidarum imperium excutiunt:

In Pannoniam prædatum excurrunt:

ab Oſtrogothis cæduntur; Chunimundo Rege capto.

ſit domos, fudit obvios, maximâque cum gloria, incolumi omnium, quos traduxerat numero, Pannoniam triumphabundus reverſus eſt. Pannonia tunc, prout illam *Gothi* tenebant, Jornande teſte, *in longa porrecta planitie habebat ab Oriente Mœſiam ſuperiorem, â Meridie Dalmatiam, ab Occaſu Noricum, â Septentrione Danubium: ornata patria Civitatibus plurimis, quarum prima Sirmis*, i. *Sirmium*, extrema *Vindomina*, i, *VVindibona*, ſeu ùt nunc vocamus, *VVienna*: quam deinde, Gothis in Italiam migrantibus, *Rugi ſub Rege Feletbeo* tenuerunt.

Oſtrogothi Marcomanis Regem reſtituunt: *Sigonius lib. 14. Jornand. c. 53. & ſequ.*

Brevì poſtea *Oſtrogotbi*, transactione factâ cum Marcomanis, *Chunimundum* ſuo reſtituêre Regno, plus æſtimantes reddere, quàm tollere hoſtibus Regem. *Sed ille*, verba Jornandis refero, *immemor paternæ gratiæ, poſt aliquod tempus, conceptum dolum parturiens, Scyrorum gentem incitavit, qui tunc ſupra Danubium conſidebant, & cum Gothis pacificè morabantur, quatenus ſciſſi ab eorum fœdere, ſecùmque juncti, in arma proſilirent, gentémque Gothorum invaderent. Tunc Gothis nihil mali ſperantibus, præſertim de utriſque amicis vicinis confiſis, bellum inſurgit ex improviſo.* Cujus rei indignitate commotus *VValemir*, ſummâ celeritate adhibitâ, copias quantas in ea urgente neceſſitate poterat, collegit, ac pugnæ avidus, nec fratrem, qui brevì idoneam militum manum, in qua obtinendæ victoriæ ſpes, citiùs collocari poſſet, adducturus erat, expectandum duxit, ſed omnem moram deteſtatus, extemplò hoſtem graſſantem perſequi, datâque pugnæ copiâ prælio, adoriri conſtituit. Verùm ut præcipiti, ita irritâ & inani, ſibíque ad extremum fatali contentione: nam prælio demum inito, â Marcomanis numero & potentiâ longè ſuperioribus profligatus, cùm pertinaci quâdam obſtinatione prælium reſtaurare conaretur, infelici caſu, equus ſub illo corruit, ubi â ſupervenientibus ê veſtigio Scyris circumventus, & lanceis confoſſus, ac trucidatus interijt. Quâ victoriâ Marcomani multò ferociores, quin ulteriùs, unà cum ſocijs, victricia proferrent arma, minimè dubitârunt, obvia cuncta populando, & pro libidine hoſtilia omnia exercendo: donec *Theodemir* ſupplementa feſtinatis delectibus contraxit, & juſto exercitu, opinione citiùs comparato, obviam graſſantibus prodijt: tum ſpolijs contenti, & quòd etiam *Sarmatæ* aſperitate hyemis ingruente, diutiùs in campo manere detrectarent, vel quòd cùm congeſtâ prædâ, ſeſe in tutiora maturè recipere mallent, patrias repetierunt ſedes.

qui beneficij immemor, Pannoniam denuò infeſtat:

Sigebert. ad an. 461. Jornand. de reb. Get. Vorburg. ad an. 471. Valemirum Oſtrogothor. Regem prælio occidit: onuſtus ſpolijs, & victor, domum revertitur.

Jornandes, Scyros cruentam tunc victoriam reportâſſe memorat. *Gothi verò*, inquit, *tam regis ſui mortem, quàm ſuam injuriam â rebellibus exigentes, ita ſunt præliati, ut de gente Scyrorum pauci ſuperſtites manſerint.* Additque, bellum inter Svevos, i. *Marcomanos, & Gothos*, brevì recruduiſſe: dum *Chunimundus*, novis Sarmatarum copijs, quibus *Beuga & Babai* reges, (alij, *Bogum & Popum* nominant,) præerant, & *Scyrorum* ſuperſtitum, quos *Edica & Vulfilo* adduxerant, fretus, in Pannoniam vaſtabundus irrupit. Commiſſo deinde prælio, propè amnem Bolliam, Gothos ſuperiores evaſiſſe, tantâque clade hoſtes affeciſſe, ut *illorum cruore campus* ma-

madefactus, veluti rubrum pelagus appareret. Atque tunc *Scyros* totaliter fuiſſe deletos credibile eſt, cùm deinceps nulla unquam mentio ipſorum fiat, niſi quis Servios ſeu, Srbos ab ipſis ortos putet. Hos Romani *Tauriſcos*, ùt reor, à *Tauris*, antiquis Sarmatiæ Europææ populis, nuncupavêre, & ſecus Iſtrum incolere, Strabo: in Claudio monte, Plinius prodidêre. Jornandes illos, mortuo Attilâ, cum *Satagarijs Alanisque cæteris*, in inferiori Mœſia, Candace duce, conſediſſe retulit. Aliqui natione Gothos, aliqui Sarmatas fuiſſe dicunt: Plinius cum Sarmatis & Venedis illos conjungit. *Plin. l. 4. c. 13.*

Cæterùm *Theodemir*, qui occiſo fratri ſucceſſerat, in majorem adhuc ulciſcendi occaſionem ſollicitè intentus, magnam irarum molem animo volvebat, quam haud multo poſt denuò in Marcomanos exeruit. Quippe æſtate ne dum adultâ, contracto exercitu, Danubium tranſijt: tum rectè, quando *Marcomani* metuentes, ne â tergo ab *Herulis, Rugis & Thuringis*, qui novarum ſedium cupidine accenſi, ſeſe per id tempus commovebant, obruerentur, finibus Regni ab ea parte, qua Boreæ obvertebantur & Coro, tuendis invigilabant. Adhibitâ igitur celeritate ſummâ, & ijs, qui ad incerta belli, & tuenda Danubij littora relicti erant, vel cæſis vel disjectis, Marcomaniam infeſtis armis adijt, & obvia quæque ferro & igne populatus eſt. Contrà, *Marcomani & Sarmatæ*, quos ſubitus adventantium hoſtium rumor, mox villarum incendia, cæsâque & disjecta ad ripam fluminis præſidia, & majoris etiam cladis metus, ad arma exciverant, vindictæ irâ perciti, quàm maximo potuêre numero, ad coërcendum hoſtium incurſum feſtinabant: adortíque ê ſuperiori loco, unum grave ſub ſarcinis illorum agmen, clamore, multitudine telorum, ac mox tumultuario omnium procurſu totum profligârunt, magnáque cæde editâ, reliquos intra vehiculorum ſepta contruſerunt. Qui exinde egredi non fuerunt auſi, totâ ſequenti die: donec poſtmodùm ſociorum opportunè accurrentium ſubſidio adjuti, velut diffractis caveis fera animalia, effuderunt ſeſe per ampla latè patentium camporum ſpatia; *Marcomanis* partim intra caſtra hærentibus, partim intra montana deliteſcentibus, neque ſecundò copiam pugnæ dare audentibus: ſeu quòd prævalente hoſtium multitudine, ſummam rei in majus periculum conjicere nollent, ſeu quòd tantiſper ſeſe opportuno loco tenere, & ferocem hoſtem cunctatione ludificandum cenſerent, quem deinde incautum & ſecurum opprimerent. Nacti poſtmodùm rei benè gerendæ occaſionem, & aliquot etiam novis Sarmatarum turmis aucti, totis viribus irruerunt in hoſtes: quos iterum haud mediocri affecerunt clade, incitante ad pugnandum fortiter fructu vincendi. Quamvìs autem *Marcomani, Gothos* in hunc modum, binis vicibus, repreſſerint, primiſque initijs fortunam cæptis arridentem habuerint: eâ tamen, ùt ſemper eſt varia & mutabilis, in deteriorem versâ, haud multo poſt adverſa omnia experiêbantur.

Theodemir Rex Oſtrogothorum necem fratris Valemiri vindicandam ſuſcipit:

Marcomaniam bello addoritur:

variâ fortunâ rem gerit.

Marcomani novis Sarmatarum copijs aucti fortiter reſiſtunt:

Nam cùm *Theodemiro*, qui ſe rurſum intra vehiculorum anfractus, cum diſſipati exercitûs reliquijs receperat, nova tum â popularibus, tum â Gepidis ſubveniſſent auxilia, majora multò prioribus, átque rurſum ferocibus

Certamen atrox.

Marcomani vincuntur.

Digitized by Google

utrinque concurſum eſſet animis, *Marcomani* hoſtium multitudine & viribus ſuperati, receptui dare cogebantur, quo fugæ perſimili complures ceciderunt: & quia quisque, quò ſe tutiorem fore ſperabat, in montium ſeceſſus evadere nitebatur, potior Regni pars hoſti victori in prædam ceſſit. Et niſi *Sarmatarum* valida manus, aliquandiu reſtitiſſet Victoribus, impunè per omnia volitantibus, conſumptum fuiſſet igni ac ferro Regnum totum. Autumno inclinante, *Theodemir* exciſis quàm plurimis in Marcomania pagis, lætus victoriâ, prædáque onuſtus, domum cum victore exercitu diſceſſit. Jornandes paulò aliter hæc memorat, qui Gothos non in æſtate, vel autumno, ſed hyemis tempore, Danubium glacie concretum, adeóque facilè pervium tranſijſſe, magnáque clade Svevos, id eſt, *Marcomanos* affeciſſe ſcribit.

Victores per omnia hoſtili more graſſantur.

Jornand. de reb.Get.cap.55. Sigebert. ad an. 462.

Haud multò poſt, *Theodemirum Sabariæ hyberna quietè curantem*, interturbârunt nuncij graves & crebri, indicantes *Marcomanos permixtos Sarmatis*, Danubium tum congelatum tranſijſſe, vagaríque licentiùs genuino more, ni pellantur, magna allaturos Pannoniæ ſuperiori detrimenta. Mox igitur coactâ undique è medijs hybernis multitudine militis ad reſiſtendum promptiſſimi, hoſtibus obviam contendit, eósque jam diffidentes ſibi, ac retrocedentes, cùm nec dum ſolutæ vernis caloribus nives, Danubium pervium ſinebant tutò, *in Marcomaniam* usque perſequutus eſt; irritâ tamen operâ, *Marcomanis & Sarmatis* intra montium ſaltus ſecedentibus, & ne hoſti aditus procul intrò pateret, egregiè obſiſtentibus. Modicum itáque in hoſtico moratus, cùm non haberet ullam confligendi copiam, & miles hyemis aſperrimæ tempore, ſubdivales moras difficillimè toleraret, magnâ inſuper neceſſariorum penuriâ preſſus, ad continuandam hybernorum quietem exercitum reduxit.

Marcomani bellum fruſtra inſtaurare conantur.

Néque deinceps ulla, in monumentis veterum, fit *Marcomanorum* mentio: niſi, quòd aliquandiu adhuc, *ſub ducibus Achiulpho & Remiſmundo*, Sarmatis juncti bella geſſerint cum Gothis, ùt dicetur paulò pòſt. Credibile eſt *Chunimundo* fatis functo, *Sarmatas*, utpote numero & viribus Marcomanos longè ſuperantes, regionem & ſolium Regni occupâſſe. Reſidui verò, vel in *Rugorum*, quos ſub id tempus *Pannoniam ſuperiorem, cum civitate Fabiana ſeu Vienna*, & aliquam etiam Marcomaniæ partem, ad Danubij & Moravæ confluentem, occupâſſe; vel *in Herulorum, quos Noricum Ripenſe*, & tractum illum ad Oenum flumen usque, tenuiſſe, *ex Eugippio in vita S. Severini*, conſtat, nomen tranſierunt: vel cum *Odoacre Herulo*, ùt ſuprà diximus; vel tandem cum *Theodorico Gothorum Rege*, Italiam petierunt. Atque hæc, de cladibus â Marte hoſtili, ſub Marcomanis Regibus, Moraviæ inflictis, dicta ſufficiant.

Marcomanis ad incitas redactis, Sarmatæ ſeu Slavi imperij regimen apprehendunt: circa an. 465.

Sigebert. ad an. 463. Jornand. & Procop. apud Lazium l. 9. de migrat. gent. & lib. 12.

Martis

CAPUT IV.

Nova plagarum â Marte hoſtili Moraviæ inflictarum ſeries, translato ad Sarmatas, ſeu Slavos Regno.

PRimum omnium de gente Sarmatica ſeu Slavonica, Regem in Moravia, vicinóque regionum tractu, fuiſſe *Babachum* nomine, ex ſuper. libro patet. Hic cùm eſſet vir acer, & ad res novas moliendas exercitatiſſimus, átque ingenio & viribus ſatìs inſtructus, magníque Imperij percupidus, crebris excurſionibus infeſtabat *Pannoniam*, penetrando ad *Valeriam* usque, & obvia quæque flammâ ac ferro ſternendo, eò licentiùs, quòd *Oſtro-Gothos*, per id tempus, bello cum Gepidis occupatos intelligeret. Quo cognito, *Theodemir Oſtro-Gothorum Rex*, miſſis tribus millibus peditum, & aliquot turmis equitum expeditorum ac fortium, unà cum *filio Theodorico*, *jam tum heroicarum virtutum juvene*, tria obſervari juſſit itinera, peroptimè eorum locorum, circa Danubij ripas gnarus, ideóque prænoſcens erupturos probabiliter per ea graſſatores. Nec quod deſtinaverat, irritum fuit: cunctis enim, qui per eos tramites exiêre, truncatis, receptáque prædâ omni, hi ſolùm innoxij evaſerunt, qui paulò altiùs Danubij vada, Rege præcedente, tranſiêre ſecuri. Quos tamen *Theodoricus*, ſucceſſu rei animatus, trajecto quóque Danubio, in interiora usque regionis eſt inſequutus, & quotquot minùs compoſito agmine fugientes deprehendere poterat, telorum genere multiplici configebat; ſícque ad Patrem ovans reverſus eſt.

Babach è Sarmatis, primus Marcomaniæ ſeu Moraviæ Rex.
ſupr. lib. 1. c. 3.

Fines Regni proferre cupit: Pannoniam vaſtat:

à Theodorico Theodemiri filio reprimitur.

Pace demum cum Gepidis transactâ, *Oſtro-Gothi* omnem armorum vim converterunt *in Sarmatas*. Vere igitur appropinquante, *Theodemir* exercitu ex hybernis educto, & novis adhuc ſupplementis aucto, aliquantò maturiùs, quàm quisquam fieri poſſe exiſtimâſſet, Moraviam ingredi conſtituit. Sed interveniente acutâ febri, quâ ex improviſo tentari cæpit, domi ſeſe curandæ valetudinis gratiâ continuit, & filium expeditioni præfecit. Hic cùm *ad Danubium* tum pruinarum reſolutâ congerie exundantem perveniſſet, offendit omnia conatibus ſuis áltiora, tranſitum imprimìs difficilem; non tantùm, quòd flumen ingenti aquarum mole ubique intumeſceret, ſed quòd ulterior quóque ripa, aliquot milliarium longitudine, *â Sarmatis* diligenti curâ cuſtodiretur, ſtationibus per pagos & villas, haud procul inter ſe diſſitis, eóque ordine collocatis, ut ſi neceſſitas poſtularet, in mutuum auxilium celeriter concurrere poſſent. Jámque adverſa littora armatorum plena erant. Quibus rebus animadverſis, *Theodoricus*, varia cum ſuis, de proſequendi belli rationibus agitabat conſilia: poſtremò ſubſidentibus nonnihil aquis, cùm jam diu expectatione *Sarmatas* teneret, flexo dextrorſum itinere, inſulam pauló remotiorem non ſatìs valido præſidio cuſtoditam occupavit; unde poſtmodùm

Theodemir contra Moravos adornat expeditionem:

Theodoricum exercitui præficit.

Theodoricus Danubium trajicit.

modùm expeditiores quoſdam in ulteriorem ripam transmiſit. Quibus arcendis, cùm *Sarmatæ* ſeſe univerſi obviam effudiſſent, ínque ijs repellendis unicè occuparentur, ipſe interea flumen transgreſſus, copias reliquis conjunxit. Tum atrox prælium exortum eſt: quod diu in ancipiti ſtetit: cùm utrinquè robora lectiſſimorum militum, hinc *pro aris & focis*, illinc pro dignitate nominis & victoriæ dimicarent. Ad extremum, *caſo Babacho Rege*, qui laxatâ ſui agminis compage, ab irruentibus Gothorum fortiſſimis, cecidit, reliqui caſu ejus perculſi, néque ampliùs ſtare auſi, ſed vitantes par exitium, ſemet omnes effuderunt in fugam: ſtratíſque plurimis, quorum greſſus vinxerat timor, cæteri, quos exemit celeritas morti, inter latebroſas montium convalles occultati, ſpectare cogebantur patriam ferro pereuntem, quam vindicâſſent profectò, etiam Rege cæſo, ſi vigore, quo diſceſſerant, reſtitiſſent.

Cruentum prælium. *Rex Moravorum cadit.* *Oſtro-Gothorum Victoria.*

Eâ clade permoti *Sarmatæ*, & jam penè extrema cogitantes, poſthabito conſilio latendi, potiùs aliud dedendi ſe, amplexi ſunt. Cunctis igitur ſummis infimíſq; approbantibus, præcipuos quoſdam, acceptâ fide publicâ, ad caſtra Gothorum ablegârunt, pacémq; precati, tributum annuum, delectúmq; juventutis & ſervitium ſpoponderunt. Quibus transactis, *Theodoricus* universâ *Sarmatarum Marcomanorúmq; gente* in clientelam ſuſceptâ, victor domum redijt. Et hoc videtur eſſe, quod ſcribit Jornandes Ravennæ Archi-Epiſcopus; *ſub cujus* (ſcilicet gentis Gothicæ) *dextra, ſæpè Vandalus jacuit, ſtetit ſub pretio* (id eſt tributo) *Marcomanus, Quadorum Principes in ſervitutem redacti ſunt.* Et quod Bonfinius: *nulla in Occidentali plaga gens fuit, quæ ad Theodorici nutum, aut amicitiam ejus fœdúsque ſponte non iverit, aut obſequium præſtiterit.* Itâ *Theodoricus*, ùt erat fortunâ ſui ſpectatior, meritíſque magìs, quàm ætate primùm pubeſcente conſiderandus, magnarum ubique obtinuit laudum præconia. Ipſe quoque *Leo Imp.* qui eum paulò ante obſidem Patri non expectanti, regio indumento, comitatúque conductum remiſerat, vocatum ad ſe, *Patricij Romani titulo*; *Zeno* autem *Leonis ſucceſſor*, *Conſulatûs dignitate* decoravit, locatâ ei inſuper in palatio ex ære equeſtri ſtatuâ: quod ſummi honoris fuit, néque permittebatur niſi maximis, & de Imperio Romano optimè meritis. *Singidonum* tamen civitatem, quam *Babach* antè, de *Camundo Romanorum duce*, victoriâ potitus occupaverat, & ipſe in ſuam redegerat poteſtatem, Rômanis non reddidit, ſed ſibi retinuit.

Moravi pacem petunt à Victore, & impetrant. *Theodoricus Moravos in fidem ſuſcepit.* *Sigebert. ad an. 465. Blondus Nancler. Jornand. lib. 1. de reb. Getic. cap. 16. Bonfin. decad. 1. lib. 7.* *Theodorici encomia.* *Jorn. cit.*

Cùm deinde *Odoacer*, unus â principibus *Herulorum*, auxilijs *Scyrorum*, *Rugorum*, & *Turcilingorum*, probè inſtructus, Italiam, ipsámque *Romam*, cæſo Oreſte patre *Auguſtuli* Romanorum Impp. ultimi, occupâſſet, & Capitolium ingreſſus, Regem ſe Urbis Romæ, ac totius Italiæ proclamari juſſiſſet; an. 476. *Zeno Imp.* Theodoricum cum Vicaria poteſtate, in Italiam miſit. Hic cognito, *Tranſillam Gepidarum, & Buſam Bulgarorum Reges* conſpirâſſe, haud dubiè Odoacri inſtinctu, ad impediendum ſe; ne quidquam hoſtile â tergo relinqueret, primò omnium iſtos compeſcendos ſuſcepit. Sed contra

Theodorici expeditio in Italiam, adversùs Odoacrem:

Digitized by Google

tra quos priùs, *Gepidas an Bulgaros?* exercitum duceret, hærebat ambiguus. *Bulgari*, ùt ſcribit Caſſiodorus, *toti Orbi terribiles dicebantur: & quia Gens nova, paulò antè ex Scythia advenerat, fama de ipſius potentia, & immanitate longè lateque ferebatur.* Tandem *Gepidas*, utpote viciniores, aggreſſus eſt; quibus proſtratis, vim omnem convertit *in Bulgaros*, quos pari felicitate, ſemel átque iterum gravi prælio fuſos repreſſit, & ultra Iſtrum, in veterem usque Daciam rejecit. Tum demum, eductâ ex Pannonia universâ penè *Oſtrogothorum gente*, & aſſumptis unà reſiduis *Marcomanis, & è Quadis, atq; Sarmatis* promptiſſimis, Italiam petijt: ubi tribus magnis prælijs *Odoacrem* occurrentem profligavit; uno *ad Sentium* flumen, altero *ad Veronam*, tertiò *ad Abduam*. Qui victus *Ravennam* ſe recepit, ibique per triennium ferè, circumſeſsâ Urbe, cum fortuna variò eventu luctatus, noviſſimè, hortante Epiſcopo loci deditionem fecit, pactis interpoſitis, ut quoad viverent, uterque per Italiam imperaret, & bello capta retineret. Verùm hæc Regni ſocietas diuturna non fuit: cùm enim occultas inter ſe ſuſpiciones haberent, vellétque *Odoacer* meliorem Italiæ partem ſibi, ſuíſque *Herulis* attribui: *Theodoricus* illum, & filium adoleſcentem, primoréſque gentis ad convivium invitatos, jure hoſpitalitatis nefariè violato, occidi juſſit, potitúſque Italiâ totâ, & Herulis, aliíſque ſub ſua ſigna ſuſceptis, *Romam Senatui regendam* commendavit, ſibi verò *ſedem Regni Ravennæ* delegit.

Caſſiod. l. 8. Epiſt. 10. Sigon. l. 15.

ubi ſuperato Odoacre,

& nefariè occiſo, anno 493.

Sedem Ravennæ figit.

Theodorico & Oſtrogothis è Pannonia diſcedentibus, cùm & Gepidarum â Theodorico nuper, ùt diximus, cæſorum, elangvuiſſet virtus, *Sarmatæ Moravi* denuò cæperunt erigere caput; ingreſsíque *Pannoniam ſuperiorem*, partem ejus nobiliorem, ripæ Danubij vicinam occupârunt; quam etiam, icto cum Gepidarum & Rugorum reliquijs, fœdere amicitiæ, in adventum usque *Longobardorum* quietè poſſederunt. Ut verò paucis hîc *de Longobardis* attingam; eorum ſedes fuit olim circa medium Albis ad ripam Occidentalem, ubi ditiones ſunt *Epiſcopatuum Magdeburg. & Halberſtad.* cum parte Marchiæ veteris: ùt patet ex Tacito, qui *eos inter Svevorum gentes connumerat, Semnonum, centum pagos, inter Rhenum & Albim, incolentium vicinos*, plurimíſque ac valentiſſimis nationibus cinctos. Hinc in eo tractu, *ad Magdeburgum*, qui vocatur **auff der Bord** / manet huc usque veſtigium *Longobardici nominis*. Non enim â longis barbis, ùt nonnulli perhibent, ſed ab hoc loco, qui fertilis eſt & planus, *nomen Longobardorum*, qui in Hiſtorijs vetuſtioribus etiam *Bardi* vocantur, emanâſſe, pleríque accuratioris notæ Scriptores exiſtimant; quippe vocabulum Bord, veteri idiotiſmo Svevico, agrum pinguem, & frugum feracem denotabat. Hi ſucceſſu temporis, in innumeroſam penè excreverunt multitudinem, ut non ſolùm *Vandalorum ad mare Balthicum ſedes*, verùm etiam *Septentrionalis Oceani inſulas* complerent: & cùm neque ij terræ tractus capere eos, minùs alere poſſent, aliqui *duce Tadone*, unà cum uxoribus, liberis, & ſuppellectili tota migrârunt inde, & pervaſis ſuperioris Germaniæ regionibus *ad Albim* ſitis, patentes illos & uberes campos, quibus nunc *inferiora Luſatiæ & Sileſiæ* continentur, occupârunt, indigenis

Caſſiodor. Patric. Roman. Theodorici Reg. Goth. Cancellarius. Procop. de Goth. l. 1. Sigebert. an. 488. & ſequ. Marian. Scot. Chron. l. 2. Blond decad. 1. lib. 4. Brunner. de reb. Boÿc. l. 4.

Oſtrogothis in Italiam migrantibus, Moravi Panoniā ſuperiorem occupant.

Longobardi ſedibus ſuis egreſſi, & meliorum cupidi,

Tacit. lib. de ſitu Germ. §. 12. Sabellic. lib. 5. Æneid. 8. Blond. decad. 1. lib. 7. ad fin. Siffrid. in Epitom lib. 1. Caſpar. Beucer. lib. 4. Chronic. ad init.

Digitized by Google

Lygiorum Luticiorúmque terras occupant.

vel ſedibus ſuis amotis, vel oppreſſis & extinctis, reliquis ſibi concordandi fide pactâ conjunctis.

Moravi novos vicinos timent.

Diffidij Moravos inter & Longobardos cauſa: de bello Goth. l. 3. n. 19.

compoſitio

Blond. decag. 1. lib. 1. ad init. Naucl. gener. 19.

Brevì poſtea, per ſua multa variáque fortiter acta, vicinis nationibus cunctis, præſertim *Moravis*, haud mediocrem incuſsêre metum: nihil enim vicino ferociente & prædationibus aſſveto pejus, nihil periculoſiùs. Contenti tamen præſenti ſuâ ſorte, comiter utcúnque cum omnibus finitimis coluêre pacem. *Tadone à VVacho filio fratris ſui Zuchilonis* occiſo, cùm *Hildegis filius Tadonis*, ad Sarmatas (Procopius expreſsè habet, *ad Slavinos*) *in Moraviam*, ſervandæ vitæ causâ profugiſſet, bellum idcirco *Longobardos inter & Moravos* exortum eſt; quod primò acrioribus irarúmque plenis efferbuit animis, *Gepidis* pro iſtorum, *Thuringis* pro illorum parte ſtantibus; haud multò poſt tamen, Hildegi in acie cæſo, poſuêre utrinque arma: & ut pax tenaciùs coaleſceret, *filiam Straphilia Regis Gepidarum, nomine Auſtrigoſam, VVachus in uxorem* duxit; quo facto, pax Moraviæ, viciníſque Regnis & Provincijs reſtituta eſt.

Longobardi Pannoniam ſuperior. & inferioris partem potiorem occupant: Fabric in Origin. Saxon. l. 1. Paul. Diacon. de reb. geſtis Longob. Beda de temporib. cap. 45.

Bella cum Gepidis proſperè gerunt.

Gepidarum clàdes & interitus,

Blond. decad. 1. lib. 4. Sigebert. ad an. 547.

Reliquiæ eorum in Hungaria.

Longobardi in Italia, novum Regnum condunt, circa an. 570.

VVacho mortuo, ſucceſſit *filius Valerius*: & huic *Andoinus*, qui primùm Longobardos, emenſo per Bohemiam itinere, & Danubio trajecto, in *Pannoniam ſuperiorem*, cedentibus *Moravis* induxit: ac non multò poſt, proſtrato *Turiſmundo Gepidarum Rege*, & eorum ſocijs *Herulis*, inferioris quoque haud exiguam partem occupavit. Id factum *Juſtino I. imperante*, circa annum 527. *quo primùm Dionyſio Exiguo Abbate Romano, natione Scythâ, authore, Anni cœpti ſunt à Chriſto numerari.* Porrò cùm Longobardorum potentia magìs ac magìs in Pannonia creſceret, & *Gepidæ*, id æquo juſtóque animo ferre non poſſent, tam diu utrinque gliſcebant odia, donec res iterum in apertum bellum, novos inter *Reges, Alboinum filium Andoini*, & *Chunimundum filium Turiſmundi* erupit. Gepidis tunc *Sarmatæ*, Longobardis verò adhærebant *Avares*, gens truculenta, à reliquijs *Hunnorum* promanans, & non ita pridem, *è Dacia in Pannoniam advena.* Certârunt poſtmodùm vario eventu; donec tandem victoria ceſſit Longobardis: Gepidarum verò, quidquid adhuc floris atque virium habebant, totum penitus cum ipſo *Rege Chunimundo* concidit. Ex eo námque tempore, *Gepidarum nomen* extingui cœpit, cùm ampliùs ſui generis duces non haberent; ſed partim *Sarmatis* parebant, partim *Hunnis*, ſeu *Avaris*; aliqui *in Longobardorum nomen* conceſſerunt. Ab ijs porrò, qui ſub *Sarmatarum* imperio erant, manſerunt aliqui ad ſecundum usque *Hunnorum*, eorúmque ſociorum *Jugrorum* in Pannoniam adventum, à quibus *Gepuſium*, ſeu *Zcepuſium* in Hungaria Poloniæ confini, denominatum eſſe ferunt.

Moravi novis popularium, uti Slavinorum, Scyrorum, ſeu Srborum copijs aucti, Avares Pannoniâ ſuperiore ejiciunt:

Poſt diſceſſum *Longobardorum cum Alboino in Italiam*, ubi exciſis paulò ante *Oſtro-Gothis*, per *Belliſarium & Narſetem Juſtiniani Impp. Duces*, novum in ea parte, quæ eſt *inter Alpes & Apenninum, Cenomanorum & Inſubrum* quondam ſedes, Regnum condiderunt, quoad à ſuo nomine *Longobardicum*, ſeu *Lombardicum* dici voluerunt: *Moravi Sarmatæ* novis popularium ſuorum, nempe *Slavinorum* (jam enim *Slavorum* nomen, his in regionibus multùm inclareſcere cœpit ab anno 538. ſi non citiùs, quo unà cum *Antis*, inter

auxilia

Digitized by Google

auxilia Romanorum, ſub Beliſario duce, adversùs Gothos, recenſentur. Tametſi *Alexander Guagninus, ſcriptor Italicus peregregius, in deſcrip. Poloniæ, gentem Henetam ſive Sarmaticam, ſub eodem Slavinorum nomine, dudum ante, dum adhuc Paphlagoniam regionem Aſiæ minoris incoleret, tempore belli Trojani, floruiſſe velit:* unde Amazonum Reginæ, nomen *Pentislava*, aliàs apud Græcos, *Pentheſilea*: quam de Heneta gente fuiſſe, ſupra oſtendimus) aucti copijs, & repetendæ Pannoniæ ſuperioris cupidine accenſi, validam expeditionem contra *Avares*, qui eam â Longobardis relictam occupaverant, ſuſceperunt, Martéque propitio uſi, victos intra montium *Valeriæ & Norici* anguſtias compulerunt. Quo ſucceſſu elati, & magìs atque magìs invaleſcentes, relictâ imbelli multitudine (ſiquidem â tergo nullus timebatur hoſtes) *in Moravia*, pro exercenda per latè patentes ac uberes campos re pecuariâ, cæteri ad arma ferenda gerendáque idonei, in *Pannoniam* commigrârunt, ibíque fixis Laribus, ſedem Regni, primò in ſuperiori Pannonia, *Tolnæ*, deinde in inferiori, *Sabariæ;* ac tandem cùm ultra montes Batonios protuliſſent fines, ad Dravum uſque, *Veſprimij* conſtituerunt.

Procop. de bell. Goth. Vorburg. ad an. 538.

lib. 1. cap. 3.

Pannoniam utramque in poteſtatem redigunt.

Itâ *Sarmatæ Moravi*, Pannoniâ, ac ijs terræ tractibus, qui Oderâ, Vago, Grano & Tybiſco irrigantur occupatis, adeò creverunt potentiâ & viribus, ut poſtremò redactâ etiam ſub imperium â parte una Daciâ, ab altera nobiliore parte Illyrij & Dalmatiæ, non ſolùm vicinis gentibus, uti Boijs, qui Noricum tenebant, & Francis, ſed ipſis quôq; *Impp. Conſtantinopolitanis, Tyberio Conſtantino, Mauritio, Phocæ, Heraclio*, & ſequentibus, totique Italiæ, formidandi haud vanè exiſtimarentur. Unde illud D. Gregorij, ad Maximum Salonitanum Epiſcopum: *Et quidem de Slavorum gente, quæ vobis valde imminet, & affligor vehementer, & conturbor. Affligor in his, quæ jam in vobis patior; conturbor, quia per Iſtriæ aditum, jam Italiam intrare cœperunt.* Cùm verò deinde Apuliæ quóque & Siciliæ imminerent, idem S. Pontifex, ùt narrat *Baronius*, datâ ad omnes illarum partium Epiſcopos circulari epiſtolâ, publicas preces, & *Litanias* bis omni hebdomadâ, Feriâ IV. & VI. piè decantandas indixit, ad placandam iram Divinam, & avertendum imminens periculum. *Et profuiſſe remedia iſta*, verba ſunt Baronij, *declaravit eventus: cùm certum ſit; nullam hoſtium incurſionem paſſam eſſe Siciliam, & inacceſſam Slàvinis remanſiſſe Italiam.* Iámque tum communi vocabulo, â Græcis & Latinis Scriptoribus, *Slavi* ſeu *Slavini* nominari cœperunt: eò quòd ipſimet etiam â rebus tam feliciter ac glorioſè geſtis, tales, nempe *Slàvvni*, id eſt, *glorioſi*, nomen â *gloria*, quod Slavonicum ſonat **Sláwa** / ſibi appropriando, vocari dicíque amabant: prout jam oſtendimus ſuprà lib. 1. c. 3.

Regni Moravici amplitudo.

Procop. de bell. Got. lib. 3. Blond. decad. 1. lib. 8. Jornand. de reb. Getic. pag. 611. D. Gregor. M. l. 8. Ep. 36. Baron. in An. Eccl. an. 601. n. 25. Calvif. in Chronol. an. eod. D. Greg. ep. 45. l. 9.

Cromer. de reb. Polon. l. 1. c. 13

Igitur prolatis in eam amplitudinem Regni finibus, cùm non eſſet, qui occupata armis repeteret, ad ocium, fruendáque tantiſper pacis bona ſeſe converterunt. Nam Imperatores, ſub id temporis, bello gravi ac periculoſo cum *Bulgaris*, ac poſtmodùm etiam cum *Saracenis & Perſis:* Exarchi verò, ſeu Imperij Vicarij, in Italia cum *Longobardis*, detinebantur. *Thaſſilo* tamen

Brunner. rer. Boÿcar. lib. 4. ad an. 595. Paul. Diacon. l. 4. Hiſtoriar. Miſcell. cap. 11. & 41. Item c. 42. de Garibaldo Taſſilonis filio à Slavis in Agunto (id eſt, ad Gmundam oppidum nunc Auſtriæ ſuperioris) prælio devicto. Velſer. rer. Boic. lib. 3. Sigebert. in Chronogr. ad an. 595. Dreſſ. in millen. VI. in Marchia Brandeburg.

Bojorum Rex, ſemel in Pannoniam ſuperiorem irruptionem feciſſe memoratur: quem etſi Germanicarum rerum Scriptores victoriâ partâ, maxima cum præda domum rediſſe aſſerant, alij tamen ſunt, qui eum pro præda plagas retuliſſe ſcribunt. Welſerus autem memorat, Thaſſilonem non de Slavis, qui Pannoniam ſuperiorem, ſed de alijs, qui Dalmatiam & Carinthiam tenebant, victoriam reportâſſe. Audiamus narrantem. *Anno 595. Thaſſilo Slavos, graves perpetuò & infeſtos vicinos, bello aggreditur, quorum, præter Zechorum nationem, quæ Sarmatiâ effuſa Bojohemum tenuit, alia Quarantanorum Dalmaticis oris progreſſa, Norici partem ad Hadriaticum ſinum vergentem inſidens, Bojcam premebat. Partâ victoriâ, maximam omnis generis prædam domum retulit.* Notandum hìc obiter, jam tunc Czechos incoluiſſe Bohemiam, contra quàm putent, Hagecius, Kuthenus, & quidam alij; & tanto quidem numero, ut in vicinas regiones ultra fontes Albis, ubi modò Sileſia, Luſatia, Marchia, & Miſnia continentur, prout teſtatur Dreſſerus, colonias mittere potuerint, mox ab anno Chriſti 500.

Moravi bella cum Bavaris gerunt, circa an. 594. & ſequ. Avarorum in Germaniam crudeliſſima irruptio, *Sigebert. ad an. 601. VVelſer. lib. 3. rer. Boÿc. Gaſpar. Ens rer. Hung. lib. 1.*

Habuerunt poſtea tam Bavari, quàm Franci & Thuringi, cum Avaribus grave ac diuturnum bellum: hi námque duce *Cachano*, qui reliquijs *Rugorum, Herulorum, Turcilingorum & Gothorum*, ad ſe ſpe cogendarum prædarum facilè pellectis, exercitum immanem comparaverat, factâ excurſione *in Bavariam, ac deinde in Franconiam & Thuringiam*, funeſtam ubiq; edidêre ſtragem, omnia ferro, ſanguine, flammâ, cæteriſque humanæ calamitatis exemplis atrociſſimè permiſcentes: parúmque abfuit, quin perſenſiſſet calamitatem æqualem Attilinæ, Germania tota.

Aliæ Slavorum copiæ, à ſinu Venedico progreſſæ, veteres Vandalorum terras, ad Albim usque, occupant: Saxones & Francos armis egregiè exercent.

Eorum exemplum ſequutæ *Henetorum*, ſive *VVenedorum* & *Saraborum* validiſſimæ gentes, quæ pridem *Sarmatiâ Europæâ*, ubi nunc *Lithvania & Moſcovia*, egreſſæ, ex ijsdem, uti *Slavi & Bulgari*, locis; & *Viſtulâ, ac Odrâ*, vaſtorum gurgitum fluminibus ſuperatis, totam illam terrarum plagam, â mari Balthico ad Albim usque, & montes Sudetos, circa annum 558. occupârunt. Ac non multò pòſt, Francos quóq; & Saxones exagitandos ſuſceperunt, quorum arma diu multúmque exercuerunt; cùm non contenti amplitudine occupatæ terræ, eam adhuc ultra Albim, Saxonum agros ad Luneburgum, Francorum ad Salam depopulando, terrásque carpendo, protendere conarentur. Hi poſtea *Clothario II. & Dagoberto I.* regnantibus, Francos ſæpiùs adorti, Thuringiam vicináſque regiones, infeſtabant crudeliter: quorum vim Franci, licèt quóq; bellicoſiſſimi, ægrè ac difficulter ſuſtinuerunt.

Aimonius in Hiſtor. Francor. l. 4. c. 23. Fredegar. in Annalib. c. 68. ad an. 639. Rhenan. lib. 1. rer. Germ. fol. 168. Calviſius in Chronol. anno 609. & ſequ. Krantz. lib. 1. Saxon. cap. 31. Trithemius in compend. de origin. Regibúsque Francor. l. 1.

Sub idem tempus, anno duntaxat uno priùs, nempe 638. præmemoratus Dagobertus Rex Francorum, Samoni Regi Slavorum per ſuperiorem Pannoniam, Noricum & Moraviam dominanti, grave intulit bellum, occaſione tali, uti referunt Fredegarius & Aimonius, vetuſtiſſimi rerum â Francis geſtarum Scriptores, & ex illis Joan. Philippus â Vorburg Præpoſitus Monaſterij Grandis-Vallis, Electoris Moguntini Conſiliarius, Hiſtoriarum Volum. VIII. ad annum 638. cujus narratio ſic habet. *Cùm negotiatores Franci, & ex Francia mercium commutatores liberiùs, & ſine ullo metu ad Slavos com-*

commearent, & magnâ multitudine horum patriam ingreſſi fuiſſent, ab ijs interfecti, & rebus ſpoliati ſunt, & tantâ quidem cum Dagoberti indignatione, ut hoc inter Dagobertum, & Samonem ſcandali initium fuerit, & ille extemplò Sicharium ad Samonem legatum direxerit, & ut negotiantes, quos ſui interfecerant, aut res illicitè uſurpaverant, conſiderarentur, & ut ipſe illatam his injuriam cum juſticia emendare faceret, petierit. Res ablatæ repetebantur, & ut illi, qui in noxa forent, aut dederentur, aut ſupplicio afficerentur poſtulabatur. Aſt Samo ſive prædæ particeps fuiſſet, ſive victoriæ contra Hunnos relatæ ſucceſſu elatus, cedendum, & æquitatis rationem non habendam exiſtimaret, cùm Sicharium videre, & ut ad ſe veniret, permittere noluiſſet, Sicharius magno animo progreſſus, & veſtem inſtar Slavorm compoſitam indutus, ad Samonis conſpectum cum ſuis pervenit, eidemque univerſa, quæ injuncta habebat nunciavit. Samo de cauſa cognoſci debere, & ad hoc placita inſtruenda, id eſt, conventus agendos, de tota cauſa diſceptandum, & ut de his, & alijs intentionibus, id eſt contentionibus, quæ inter partes ortæ fuerant, juſtitia in univerſum redderetur enitendum, dictitabat. Sicharius res ablatas priùs reſtituendas reſpondebat. Poſtremò, quod à Samone nihil, quod ſui admiſerant, emendatum eſſet, & de hujusmodi gentilitate, id eſt innata malitia, & intoleranda pravorum ſuperbia graviſſmè conqueſtus, tam ferociter exclamavit, & tam aſpera improperij verba, & minas tam ſævas adversùs Samonem loquutus eſt, ut, quia iſtiusmodi injuncta non habebat, non uti providus, ſed ſicut ſtultus Legatus, egiſſe viſus ſit. Increpabat palàm, quòd Samo, & regni ſui populi, non cum Dagoberto contendere, ſed huic ſervire deberent. Samo reſpondens jam ſauciùs dixit; Et terram quam habemus, Dagoberti eſt, & nos ſui ſumus, ſi tamen nobiſcum diſpoſuerit amicitias conſervare. Sicharius dixit: non eſt poſſibile, ut Chriſtiani & Dei Servi, cum canibus amicitias conlocare poſſent. Samo è contrario dixit; ſi vos eſtis Dei ſervi, & nos ſumus Dei canes, dum vos aſſiduè contra ipſum agitis, nos permiſſam accipimus, vos morſibus lacerare. Ejectus eſt Sicharius de conſpectu Samonis. Cùm hæc Dagoberto nunciâſſet, Dagobertus adeò commotus eſt, ut non ſolùm proprias vires contra Slavos convertendas, ſed etiam & ſocios, & amicos concitandos cenſuerit. Et quidem inprimìs ſuperbè de univerſo Auſtraſiorum regno exercitus moveri juſſus. Deinde ſocijs Allemannis negotium datum, ut illos juvarent. Poſtremò Longobardi amici rogati, ut ad eandem expeditionem concurrerent. Samonem tamen nequaquam territum oſtendit hoc, quòd ipſe Francorum impetum fortiter exceperit; alios Slavos, contra Allemannos & Longobardos ſtatuerit; Bulgaros Hunnis objecerit, & demum magnam Slavorum manum in Italiam miſerit. Quanta vis fuerit, demonſtrat hoc, quòd Francorum ſolorum phalanges tribus turmis, id eſt, exercitibus Slavorum regiones ingreſſæ ſint, & unà Allemanni, & Longobardi impetum fecerint, & hoſtiliter in Slavos perrexerint, & iſti ubique defenſionem his, & alijs locis præparare coacti fuerint. Et quia omnibus locis ſat validè occurrere non poterant, factum eſt, ut & illa in parte, quam Allemannorum exercitus Chrodober-

Samo Rex Moravorum, & vicinorum Slavorum potentiſſimus;

bellum gerit cum Francis & Germanis.

berto, vel Rotberto Duce, ùt alij habent, ingreſſus eſt, idemque & Longobardi victoriam obtinuerint, & de Slavis plurimum captivorum numerum ſecum duxerint. Tantò magis Samo connitendum ratus, magnam virium ſuarum partem, & plurimam fortium VVinidorum manum, ad Vogaſtenſe caſtrum contraxerat, ibique diu immoratus, loco adeò tuto conſederat, ut Franci eum pavore conſternatum rati, locum circumdederint, & triduò præliantes caſtra oppugnaverint. Samonem ſuos, donec illi defatigarentur, continuiſſe, colligitur, quòd triduò præliantes ſuſtinuerit, & tum demum in laſſos, & exhauſtos impreſſionem tam validam fecerit, ut de exercitu Dagoberti, multi gladio trucidati, & omnes cæteri exinde fugaciter tentoria, & res, quas habuerant, relinquentes, ad proprias ſedes reverſi ſint; & præter rerum jacturam, etiam hanc infamiam, quòd paſſim VVinidos victoriam iſtam non tantum fortitudine ſuâ, quantum Auſtraſorum dementiâ obtinuiſſe ſpargeretur, domum retulerint, & quidam etiam eos, Dagoberti, â quo aſſiduè ſpoliari ſe quererentur, odio, officio ſuo fungi, & prout Francici nominis gloria, & tanti momenti expeditio requirebat, dimicare noluiſſe adjecerint.

Samonis victoria.

Ab hinc Slavis Moraviæ & Pannoniæ incolis, altâ pace, & quæ ex ea promanant, publicâ ſecuritate, rerúmque omnium abundantiâ, aliíſque bonis frui licuit, toto illo Samonis Regis dominantis tempore, Francorum Regibus Dogoberto I. & Clodoveo II. alijs longè gravioribus bellis diſtentis. Obijt hic glorioſiſſimus victorioſiſſimúſque Rex, anno 664. De quo idem Warburg: *Samo poſtquàm triginta ſex, vel ſicut vetuſtiores habent, triginta quinque annos feliciter regnâſſet, & ſtrenuè regnum gubernâſſet, & duodecim ex genere VVinidorum, ſeu Slavorum uxores habuiſſet, & ex his vel duodecim, ùt refert Aimonius, vel viginti duos filios & quindecim filias, ùt habet Fredegarius, magno ſui apud Slavos, quòd ejus ductu & auſpicijs, non ſolùm libertatem recuperâſſent, ſed etiam tantum Regnum conſtituiſſent, relicto deſiderio, vel priori, vel hoc, nempe 664. vel ſequenti anno, deceſſit.*

Samo Rex moritur.

Cui in Regnum ſucceſſiſſe unum ê filijs, ex ſingulari ob parentis merita, erga regiam prolem, gentis ſtudio, nullus dubito; eſtô de nomine illius non conſtet. Primò circa annum 690. legimus regnâſſe apud Moravos *Marothum*, ſive *Moravodum*, regiámque ſedem habuiſſe *VVeſprinij in Pannonia*, ac fuiſſe Regem longè omnium virtute, ſapientiâ & fortitudine militari florentem ac memorabilem; ideóque regiminis ipſius tempore, *Regnum Moraviæ* florentiſſimum potentiſſimúmque, & vicinis omnibus formidabile extitiſſe. Mortuo demum, cùm *Svathes*, ſive *Svvatoſſ*, filius Regni gubernacula, circa an. 720. ſuſcepiſſet, haud multò pòſt *fortunæ volucris rota*, adverſa proſperis, & quieta tumultuoſis more ſuo alternans, Martem denuò furijs in conſortium aſcitis armavit, mæſtóſque transtulit *in Pannoniam & Moraviam* caſus, quibus Regnum, paulò antè florentiſſimum, exterarum gentium impetu, ac violentiâ ad ruinam inclinatum penè concidit. Totius autem ſementem exitij hanc comperimus cauſam.

Thuroc. in Chron. Hung. part. 1. lib. 24. in fine.

Pax illo mortuo, ab Hunnis in Pannoniam reverſis, turbatur.

Hunni aſſumptis popularibus ſuis Jugris, in Pannoniam redire conſtituunt:

Hunnorum gens, antea jàm Europæis populis, â cladibus illatis probè no-

Digitized by Google

nota, (quam diximus ſuprà, poſt mortem *Attilæ* fuiſſe â Gepidis profligatam, fuſam ac diſſipatam, & partem, quæ ſupererat, *duce Chabâ remigrâſſe in Scythiam*) memor Pannoniæ, telluris pinguiſſimæ ac ceſpitis feraciſſimi, (*Chaba enim in patriam redux, cùm genuiſſet filios Edemen & Ed,* ùt ſcribit M. Joan. Thuroc. in Chron. Hung. *donec ſupervixit, ſemper Pannoniæ, pinguide tellure reminiſcens, ſuæ generationi, ut rurſus Pannoniam repeterent, perſvadebat*) contractâque potiori multitudine, & vicinis *Jugris* ſive *Magyaris* popularibus ſuis, in armorum ſocietatem acceptis (unde *ab Hunnis & Jugris nomen Hunno-Jugrorum, ſeu Hungarorum* concretum exiſtimamus) ad repetendas tam felices terras, animum viréſque applicuit. Igitur pervaſis *Roxolanorum, Beſſorum, Cumanorum &c.* regionibus, in Daciam primò venerunt: ubi univerſo cœtu, quem ducebant, in ſeptem exercitus diviſo, & unicuique exercitui, qui armatorum triginta millia, & quinquaginta ſupra ſeptingentos; continebat, duce ſpeciali conſtituto, caſtrametandíque loco ſuo cuilibet deſignato, conſederunt. Atque hinc uſurpavit vulgus, ut regio â ſeptem illis caſtris, *Septem-Caſtrenſis*, patriâ noſtrâ linguâ, Sedmihradſko / appellaretur: ídque regioni nomen permanet, in hunc usque diem.

Thuroc. part. 1. cap. 23. ad fin.

in Daciam veniunt, in ſeptem diviſi agmina, circa an. 730.

Suprà lib. 1. c. 3. Ranzan. in Epitom. rer. Hung. indice 7. Thuroc. part. 2. cap. 2. Bonfin. decad. 1. l. 9. Ritius lib. 1. de Regib. Hung.

Hinc Septem Caſtrorum nomen; Sedmihradſko.

Præcipuus ex illis ſeptem ducibus fuit *Arpad,* qui ab Attila ducebat genus. Hic cùm aliquandiu in Dacia ſubſtitiſſet, deſiderio Pannoniæ inceſſanter agitatus, Chuſidum Chundi filium ablegat ad *Svatoſſium Regem*, petens totius gentis nomine, aliquam ad Tybiſci fluenta regionis partem, utpote incolis tum ferè vacuam, ſibi attribui in cultum. Cui cùm Rex, accepto dono, quod erat, equus candidus, ephippio frenóque aureo cultus, haud gravatè annuiſſet, confeſtim omnes ſeptem duces cum ſuis exercitibus, relictâ ſolùm imbelli multitudine in caſtris cum præſidio, loco egrediuntur: Danubióque appropinquantes, legatum denuò ad *Svatoſſium* mittunt, qui ei ſignificet, ut terrâ, quam Majores eorum jure belli quondam poſſederant, & quam ipſe, ſi quid in eam juris habuiſſet, equo vendiderat, extemplò decedat. Quo nuncio vehementer perculſus Rex, ſine mora militem, quem circa ſe habebat, arma capere & alios etiam ex vicinis urbibus & caſtellis, quotquot citò citiſſimè poſſent, ſub ſigna accelerare juſſit; & coactis, *ùt priori libro memoravimus*, properatione tumultuariâ aliquot armatorum millibus, ac incautè nimìs, priusquàm conveniſſent univerſi, profectione ſuſceptâ, *Danubium* tranſijt; cui Barbari ululantes pro more ſuo ferum ac triſte, clamoribus inconditis, facti obviam, quin illicò pugnæ copiam darent, minimè dubitârunt. Poſtquàm igitur miſſilibus telis ſemet utrinque eminùs laceſſentes aliquandiu certâſſent, ad conferendas tandem coiêre manus, haſtis & gladijs rem gerendo: unde exortum prælium atrox, quod diu in ancipiti ſtetit. Verùm quia barbarorum turmæ, longè prævalebant numero & viribus, multiq; in paucos, ac integri recentéſque, in feſſos & debilitatos ſummo irruebant impetu; regij tametſi diu, & expectatione acriùs vehementiúſque dimicâſſent, ultimò tamen videntes ſe tam immanem vim nequaquam ſuſtinere poſſe, deſperato omni victoriæ ſucceſſu, terga vertere, & quo quis-

â Svatoſſio Rege, partem Pannoniæ deſertam ſibi concedi excolendam, petunt, an. 744. Dona offerunt: Pannoniam ſibi reſtitui volunt.

Regi detrectanti vim inferunt.

Prælium utrinque committitur.

Regij prævalentibus Hungaris funduntur.

quiſque potuit, per ſylvas ac nemora, paludibus & multo cœno impedita, præcipiti fugâ dilabi cœperunt. Rex pugnam inſtaurare conatus, dum fruſtra omnia eſſe, séque nihil proficere videret, fugâ quóque ſeſe ê manibus hoſtium proripuit.

Rex pugnam reſtaurare fruſtra conatus, vix in tutum evadit.

Poſt exitialem pugnam, *Hungari victores, ceu leones ſanguinis irritamento atrociùs efferati*, Danubium trajecerunt, & profligatis quibusque obvijs, ipſo etiam Rege graviſſimo iterum prælio ad *Boni-pontem* (locus oſtenditur in Hungaria, ab indigenis hodiéque *Bontuda* dictus, non procul Tatâ, ubi Bregetionis urbis quondam celeberrimæ exſtant veſtigia) cæſo, regiáque ſede ejecto, Pannoniam inferiorem totam, nemine ampliùs adverſante occupârunt. Ad hunc modum, *Regnum Moraviæ*, improviſo hoſtium adventu concuſſum, & convulſum, maxima eáque nobiliori ex parte novis hoſpitibus ceſſit: ità ut plagam hanc, inter alias potiſſimùm memorabiles, quas unquam â Marte hoſtili Regnum tulit, meritò connumerandam cenſeam. Ea enim *Rex Svatoſs*, non ſolùm *utrámque Daciam, cis & ultra Tybiſcum, quatenus â Grano flumine, cum Danubio ad Pontum Euxinum usque excurrit*, verùm & *Pannonias*; imò florem quóque Nobilitatis & militiæ, ac quicquid virium habuiſſet, binâ dimicatione funeſtâ amiſit: néque ampliùs in Pannonia tutus, deploratâ jam penitùs rerum ſuarum ſpe, *in Moraviam ſecedendum duxit*, ubi novam Regiam ſibi & poſteris conſtituit. Ejus ſucceſſores *Samomir & Samoſlavv*, alijque, nonnihil de eo terræ tractu, qui ultra *Vagum flumen* protenditur, *ad Granum* usque recuperârunt, tum potiſſimùm, quando Hungaris, cum Bavaris & Francis bellum fuit.

Rex iterum átque iterum profligatur; Pannoniâ inferiori totâ ejicitur. *Wolfgang. Lazius in Comment. Reipubl. Rom. lib. 12. c.*

Rex in Moraviam ſe recipit.

Quippe *Carolus Magnus Rex Francorum, & primus de ſtirpe Germanicæ gentis Romanorum Imperator*, ſæpè ab Hungaris & Avaribus eorum fœderatis armis petitus, ſæpè injurijs laceſſitus, tandem in *bellum Hungaricum, confecto Saxonico, & paulò antè etiam Longobardico*, animum viréſque omnes convertit. Hoc bellum longum fuit ac difficile: duravit enim annos ſex, (licèt non continuos,) Hungaris ad quascunque defectionum, quæ ſubinde in Germania ac Italia exoriebantur occaſiones, bellum reparantibus. Tametſi autem *Hungari*, irruptionibus crebris & ſubitaneis, faceſſerent plurimùm periculi *Bavaris & Francis*, profligatis non ſemel eorum exercitibus, & finibus ditionis ſuæ prolatis, *in Noricum usque:* quâ tempeſtate, inter alias *Pannoniæ ſuperioris & Norici urbes*, etiam *Laureacum*, urbs vetuſtiſſima ornatiſſimáque, & *â Sede Archi-Ep.* celebris, furori barbarorum ceſſit, direpta & majori ex parte everſa. Ultimò tamen inſolentiam ferociſſimæ gentis, vi & armis compeſcuit *Carolus*, bellóque domitos, ac totâ Pannoniâ ſuperiori ſummotos, ultra *Arrabonem fluvium*, qui antiquitùs, ſuperiorem Pannoniam ab inferiori diſcriminabat, depulit.

Caroli Magni Imp. cum Hungaris diuturnum bellum.

Hungarorum in Pannoniam ſuperior. & Bavariam irruptiones frequentes.

A Carolo tandem repreſſæ.

Primo belli anno, *qui fuit annus Chriſti 791.* ipſemet expeditioni præfuit, ac ſolâ adventûs ſui famâ, Hungaros in fugam conjecit. Quo tempore, *Moraviam* quoque haud modicâ perſtrictam fuiſſe clade reperio; nam Cæſar copias univerſas, unà cum bellico apparatu, ob commodiorem rei annonariæ pro-

Carolus expeditionem contra Hungaros ſuſcipit: Exercitum in duo agmina dividit;

procurandæ rationem, bipartitò diviſit: *Francos ipſe & Bavaros, Ratisbonâ ſolvens, dextrâ Danubij ripâ, per Noricum duxit. Saxones* verò, *Friſios & Thuringos, Theodorico Comite, & Meginfrido cubiculi ſui præfecto ducibus; per Bohemiam* (Mnatâ Principe Gentis permittente, ac de commeatu etiam diligenter proſpiciente) *& Moraviam* proficiſci juſſit. cum uno ipſemet per Bavariam & Noricum vadit: cum altero duces ſuos per Bohemiam & Moraviam ire jubet.

Erat tunc *Rex Moraviæ Samoslav:* qui extimeſcens ſuſpicaci metu effloreſcentẽ, & ex propinquo undique imminentem Francorum potentiã; & fortaſſe etiam invidens gloriæ ac ſucceſſibus eorundem, dolénsq; ab exteris ea intercipi, quæ non multò ante, Majoribus ſuis vi extorta, reditura aliquando ad ſe, *ope Ruſſorum ac Polonorum*, ſperare fas eſſet; tranſitum omnem, vias & itinera, ne per ditiones ſuas progredi poſſent, præcludere inani pertinaciâ contendebat. Quem primò Cæſarei exercitûs duces, per nuncios amicè commonefecerunt: ne offenſam daret, quando nulla ſubeſſet injuriæ cauſa; néve hoſtem vellet ex amicis viciniſque ſimul, & totius *Francici Imperij* in ſe arma ſollicitare; â tergo & latere, hoſtem omni tempore habiturum, niſi â propoſito deſiſtere, & exercitui, *adversùs Hungaros communes hoſtes* proficiſcenti, liberum tranſitum per Regnum præbere velit. Cùm tamen nihil poſſent ſalubria hæc monita, apud obſtinatum ejus animum, néque ulla niſi in armis ſpes perrumpendi eſſet; quamvìs perpendentibus hæc ducibus, moleſtum erat, & periculoſum videbatur, jam inde belli labores ordiri; qui recentes ſuorum vires, contra Hungaros ſervari maluiſſent: viam tamen ferro, quocunque tamen modo, ſibi aperiendam ſtatuerunt. Nec mora, effracto per fortia in Regnum aditu, & exercitu, qui cuſtodiebat limitem, fuſo ac profligato, penetrârunt tridui ſpatio, ad ipſam usque Regiam, *VVelebradium*, miſcentes cuncta populationibus & incendijs; ita ut Rex intra mœnia urbis, ceu in caveam compulſus, hoſtiles ignes, & fumantia longè latéque tectorum culmina, paſſim per viciniam ſpectare cogeretur. Qui poſtmodùm â victoribus gravi obſidione preſſus, cùm videret ſe longè imparem viribus, ad conſilia pacis, ſi quo modo Francis reconciliari poſſet, animum applicuit: móxque (ùt adigebat neceſſitas inſtantis exitij) emiſſo ex Urbe ad caſtra, ſupplici Optimatum cœtu, pactâque tam vitæ, quàm fortunarum, ac totius Regni incolumitate, ſeſe eorum fidei ſubmiſit. Quod deinde & ipſe Cæſar ratum habuit: ita tamen, ut falſorum Deorum ſuperſtitionibus ejuratis, Chriſtianæ diſciplinæ ſacra amplecteretur, iiſque populos ſibi ſubjectos imbui fineret.

Annal. Caroli & Ludovici apud Stransky Reip. Bojem. cap 3. §. 3. Rex Moraviæ Samoslav, Cæſarianos â tranſitu prohibere fruſtra conatur: Monita ducum Cæſarianorum inſuper habet: vim Cæſarianorum malo ſuo expetitur, & ſapit. *Blond. decad. 2. lib. 1.* MS. Comenij. MS. Erythræi.

Caſtigatâ hunc in modum Regis, ob motum non neceſſariò bellum ferociâ, Franci nõ diu in Moravia cunctati ſunt, ſed admonito, ut in fide perſiſteret, Rege, & obſidibus ab eo acceptis, profectionem in Hungariam continuârunt, Cæſare jam tunc ad Arrabonem usq;, victricia arma circumferente. Audiamus de hac in Pannoniam expeditione Caroli, dêque ejus ſucceſſu, Reginonem Abbatem Prumienſis Cœnobij, Ord. S. Benedicti, in diœceſi Trevirenſi, vetuſtiſſimum rerum Francicarum Scriptorem: *Anno Dominicæ Incarnationis 791. Carolus ad partes Bojoariorum perrexit, & Ratisbonam pervenit: ubi & exercitum ſuum convenire juſſit, ibique cum conſilio Optimatum Regni, diſpoſuit ire in* *Hun-*

Reginon. lib. 2. Chronicor. ad an. 791. Adelmus in Annalibus ad an. eund. Aimon. de geſtis Francor. l. 4. MS. Comenij in antiq. Morav.

R

Hungarorum Regnum propter malitiam intolerabilem, quam in Gallorum populos geſſerunt, & Eccleſias Dei. Venit ergo cum exercitu, usque ad Anaſum fluvium, ubi triduanum jejunium cum Litanijs fecerunt, poſtulantes pro ſalute exercitûs, & adjutorium Dei, & vindictam inimicorum. Rex itaque littora Danubij de Auſtrali parte tenuit: Saxones autem cum quibusdam Francis & plurima multitudine Friſorum de Aquilonari; & ita pergentes pervenerant, ubi jam dicti Hungari habebant munitiones paratas, de Auſtrali parte ad Chunberg (id eſt Hunniburg ſeu Heynburg) *de Aquilonari verò ripa, in loco, qui dicitur Camp.* id eſt Marckfeld, (*ſic enim nominatur ille fluvius*, Marck, *qui ibi influit in Danubium.*) *Itaque Hungari cum ex utraque ripa parte vidiſſent exercitum, & claſſem per medium fluvium venientem, tantus terror Deo faciente, illos invaſit, ut dimiſſis præſidijs munitionum, fugæ latibula quærerent, & ſic Chriſto Duce uterque exercitus, absque læſione Pannoniam intravit. Pervenit autem Rex*, ſc. Carolus, *ad fluvium qui dicitur Raba, omnia cædibus, incendijs, rapinisque devaſtans, & inde reverſus Ratisbonam, celebravit ibi Natalem Domini, & Paſcha ſimiliter.*

Cæſaris in Hungaria proſperi ſucceſſus.

Victor Ratisbonam redit:

Herman. Contr. in Chronol. an. 791. Lambert. Schaffn. Marian. Scot. Sigebert. an. eod.

Fractis igitur magna ex parte Hungaris, cùm inter hæc frigidior autumnus ingruentis hyemis ſigna daret, *Carolus* Francorum exercitus in Bavariam reduxit, & *Ratisbonæ Natalem Domini*, inter magna, ob rem præclarè geſtam, *& Bavaros ab Hunnorum injurijs liberatos*, hominum gaudia, celebravit: Saxones autem cum Friſonibus, eo quo venerant itinere, nempe, per Moraviam, & *per Behemanos*, ùt habent Adelmus & Aimonius, domum reverſi ſunt.

Ademarus in Annal. Franc. apud Aimoinum lib. 4. de geſtis Francor. in princ. Eginhard. in Vita Caroli M. Ado Viennenſ. in Annalib. an 792 & ſequ.

Bellum cum Hungaris per legatos gerit: Regin. ad an. 796.

Pannoniam ſuperiorem in formam Provinciæ redigit, præſidióque firmat,

Annis porrò ſequentibus, *Carolus*, filio ſuo *Pipino*, ac præfectis vicinarum Provinciarum, *Vonomiro Slavo, Duci Carenthano, & Erico Principi Foro-Julienſi*, aliísque Comitibus & legatis, bellum cum Hungaris reintegrandum commiſit; tum imprimìs, quando inter ipſos Hungaros atrox civile bellum fervuit, quo nobilior ferè pars Gentis, unà cum duobus præcipuis Regulis, Cacano & Jugrio, cecidit; unde factum, ut in Hungaris, *ranæ murisque fabella omninò adimpleta fuerit, qui dum invicem ſeſe morderent, prædа milvi facti ſunt.* Bello igitur hoc facilè tranſacto, & *Hunnorum atque Avarûm* familijs in ſuperiori Pannonia multâ cæde afflictis, & partim exciſis, partim loco motis, Imperator eam Pannoniæ partem, conſtituit Regni ſui, Orientem verſús, limitem: adductísque in eam novis ex Bavaria colonis, effecit, ut reliquiæ barbarorum, quæ adhuc ſupererant, nihil moliri ampliùs, aut turbare poſſent, vel auderent. Quoniam verò Germaniam Galliæ conjunctam, in duo diſtinxerat Regna, illud quod Galliam attingebat, vocavit Germanico nomine *VVeſtreich*, id eſt, *Occidentale Regnum*; hoc verò, quod Orientem ſpectabat, *Oſtereich*, id eſt, *Orientale Regnum*; cujus quòd limes eſſet, verſùs Ortum, recens Hungaris erepta Pannonia, abolito Pannoniæ nomine, tractus ille dici cæpit *Marckoſtereich*, id eſt, *limes Regni Orientalis.* Hinc *Auſtriæ nomen* profectum, quæ complectitur hodie *Pannoniæ ſuperioris partem, & Noricum Ripenſe.* Nec debellandis tantùm hoſtibus, dilatandisque Imperij finibus, operam ſuam impendebat optimus Cæſar, ſed

Unde Auſtriæ nomen?

Carolus Religionem Chriſtiaṁam per ſuperiorem Pannoniam & Moraviam propagari curat.

(quod

Digitized by Google

(quod majus eſt, ac tanto Principe longè dignius,) etiam ornandæ augendǽque Chriſtianæ religionis curam gerens, eam ijsdem in locis, deſtructis idolorum fanis, & templis Chriſtiano ritu conditis, mirificè propagavit. Evocatus ab eo quoque eſt, Batavienſis, ſeu *Paſſavienſis Epiſcopus Trolphus*, ſive Hieralphus, poſtea Laureacenſ. Archi-Ep. vir opinione ſanctitatis clarus, qui populo vanis numinum commentis faſcinato Chriſtum prædicaret, ac legitimo unius ſolius veri Dei cultu commonſtrato, ritus religionis ordinaret, collegiáque doctorum virorum, & Scholas conſtitueret. Hic diligenti operâ dexteritatéque uſus, & divinâ imprimìs aſſiſtente gratiâ, brevì permagnos fecit in erudienda multitudine profectus; &, ùt referunt Annalium Bavaricorum Scriptores, Epiſcoporúmque Paſſav. Cathalogus: *Danubium poſtmodùm transgreſſus, Moravos quoque excolendos ſuſcepit, Regique & popularibus author fuit, ut priſcis gentilium ſuperſtitionibus renuntiarent. Quo facto, conſtituit Præſules, qui benè cœpta abſolverent:* ſed de hoc egimus jam antè, libro ſuper. cap. 3. Inter alia, â pijſſimo Cæſare extructa templa, ferunt fuiſſe *Viennæ, in honorem Sancti Petri*, ubi Rathfredum Epiſcopum conſtituit; & *Carnunti, Sanctæ Petronillæ*, unde & oppido nomen inditum, *Petronillum*. *Cachanum* quoque Avarûm ducem (hoc námque Cachani nomen, ducibus, velut gentile, per multa ſecula adhæſit) unà cum gente univerſa, in cognitionem veræ Fidei, & baptiſmi ſuſceptionem adduxit, dato duci nomine *Theodorus*. Sed ad noſtra textûs propoſiti, unde divertimus, revertamur.

Adlzreitter Annal. Bojor. part. 1. l. 9 §. 5. Brunner. Annal Bojor part. 2. lib. 6. §. 4.

Sigismund. de Puchova in Chronograph. Aimoin. de geſtis Francor. lib. 4. cap. 91. Hondorff. in promptuario Exempl. 3. præcipt. Decalog.

Samoslav Rex Moraviæ, inſtinctu Pipini Caroli M. filij Bohemis bellum infert.

Bello Hungarico fervente, *Rex Moraviæ Samoslaus*, Bohemos armis exagitandos ſuſcepit, in haud dubiam ſpem proferendorum ab ea parte Regni finium erectus, eò fidentiùs, quòd *Pipinum Caroli Cæſaris filium* haberet ejusmodi conſilij authorem; qui bello Hungarico totis incumbens viribus, ne intereà â Bohemis quicquam tentaretur hoſtile, adversùs populos Francorum fœderatos, novo illos cum Moravis bello diſtinendos exiſtimabat. Igitur *Samoslaus*, priusquàm aperto Bohemos aggrederetur bello, præfectum *Drzeviczenſem*, qui occiduæ Regni plagæ præerat, ſecretò admonuit, ut ab illa parte, excurſione in Bohemiam facta, cauſas novarum rerum quærere non intermitteret. Quem per ſe hominem inquietum ac temerarium, & non tam belli ſtrenuè gerendi, quàm cogendæ prædæ avidum, facilè ad irritandos armis & incurſionibus Bohemos impulit. Hic igitur comparatâ, tam è popularibus, quàm *ex Hermundurorum Marcomanorúmque montana incolentium reliquijs*, idoneâ ad excurrendum manu, acerrimam in eam regionem, quam modò *Czaslavienſem*, ab urbe iſthic primaria dicimus, irruptionem fecit; ſummáque celeritate uſus, pagos obvios dirripuit & ſuccendit, caſtello *Hradek* dicto, vi capto, quod ſimiliter injecto igne concremavit: & alio rurſum *Choteborka* nuncupato; quod ut haberet, quo ſe neceſſitatis tempore reciperet; non tantùm reliquit integrum, ſed firmiori adhuc maceriâ & vallo communijt. Auctus deinde novis *Hermundurorum* copijs, qui ſpe lucri agminatim ad eum confluebant, aliud rurſum munimen-

Moravorum cum reliquijs Hermundurorum Marcomanorúmque in Bohemiam irruptio & progreſſus.

Digitized by Google

tum pro tutiori receptu, *ad ſiniſtram Sazavæ amnis ripam* erexit; quod quia Hermundurorum præſidio firmavit, Bohemi *Brodam Teutonicam* appellârunt. Jámque Moravi cum Hermunduris juncti, circumlato paſſim terrore, non ſolùm *Horzeslao Kaurzimenſi Ethnarchæ*, ſed *Krzezomyslo* quoque *Pragenſium Principi*, quorum ditiones infeſtabant incurſionibus penè aſſiduis & cruentis, cœperunt eſſe formidandi & graves. Ad *Caurzimam* (urbs eſt in Bohemia cæteris veſtutior, â Praga quinto lapide dirempta) dum caſtra poſuiſſent, eique excidium minarentur vocibis clamoſis & truculentis. *Horzeslaus* majore animi mollitie, quàm virum vel principem deceret, vitæ fortunarúmque periculum metiens, nullâ dedecoris curâ habitâ, quin ſe dederet, non diu cunctandum ſibi exiſtimavit: Senioribus civitatis nec quicquam proficientibus, qui eum multo ſermone, multíſque rationibus in ſpem erigere, increpitáque degeneris animi ſubitâ conſternatione, â tam fœdo dementique conſilio abſterrere contendebant. Deditionem itáque hoſtibus de muro obtulit, ſi interim ab infeſtandis & exurerendis ſuburbanis ædibus, & villis ceſſare vellent, donec de conditionibus transſigeretur. At illi poſtridie, foras in caſtra, tranſigendæ eò firmiùs pacis ſpecie, evocatum, contra datam fidem exoculârunt, & vaſtato omni circacircum agro, ad Pragenſem usque viciniam populabundi penetrârunt; ubi in colle quodam, loco non niſi mille paſſibus *â VVeſſebrado, regia Ducum Bohemiæ ſede*, diſſito, intra cæduæ ſylvæ caudices, ſtatione fixâ, tam Duci, quàm toti Genti ſervitutem minabantur, ſuperbè ac inſolenter ſeſe jactitantes, quòd non armis jam, neque gladijs, ſed fuſtibus Bohemos cædendos, ſuáque poteſtati ſubijciendos ſuſceperint. Sed â *Krzezomysli* ducibus (Hagek, *Mnatam* tunc imperitaſſe vult) ingenti clade paulo poſt affecti, ac penè ad internecionem cæſi, dignas perfidiæ & temeritatis ſuæ dedêre pœnas. Quoniam verò in direptione caſtrorum, inter alia, inventi erant *fuſtes octingenti*, quibus ſeſe Moravi, Bohemos domare poſſe inani jactatione & faſtu oſtentabant, locus is â fuſtibus, *Kyge* (Bohemis námque, fuſtis, **Kyg/** vel **Keg**; in plurali verò **Kyge** ſonat) appellatus eſt.

Brodæ Teutonicæ origo, an. 793.

Moravi ad Caurzimam usque populabundi penetrant: Ducem Caurzimenſem obſidione premunt: deditione accipiunt, & contra pacta oculis privant. Strańsky Reip. Boiem. c. 2. §. 3.

Moravi Pragæ imminent:

â Bohemis clade internecivâ penè delentur.

Hagek. in Chron. Boh. ad an. 793. & 794.

Cæſis & disjectis, ac totâ Bohemiâ depulſis *Moravis*, eorúmque ſocijs *Germanis Hermunduris*, Krzezomyslus, quò validior deinceps ad propulſandos Moravorum inſultus evaderet, *ad ampliandam Pragam, augendámque ædificijs & incolis*, animum adjecit, ut ità ê numeratiori populo ad ſubitos caſus, delectum virorum habere, eóque plures neceſſitatis tempore ad arma excieere poſſet. Cùm verò *Partis illius, quam Libuſſa condiderat, quæ, poſtea Minor* vocari cœpit, locus dilatationem ferre commodè non poſſet, ab una parte aquis, ab alijs montibus clauſus, in adverſa fluminis ripa, Urbem aliam condere decrevit, móxque exciſo nemore, fundamenta ejus jecit, útque celeriùs procederet opus, Vultavam ponte ligneo junxit. Hæc poſtmodùm ædificijs tum publicis, tum privatis, ſacris & profanis exculta, *Major* dici meruit; cujus ſuburbanis ædibus, cùm annis ſubſequentibus, *Caroli Bohemor. Regis & Roman. Imp. IV.* operâ *Nova* acceſſiſſet, vulgus *Veterem* nuncupa-

Krzezomyslus Bohemorum Princeps Pragam ampliandam ſuſcipit:

Novam urbem ad dextram Vultavæ ripam, quæ modò Vetus dicitur, condit: Hagek. ad an. 795.

Digitized by Google

cupavit. Quod hìc paucis commemorándum duximus, ut conſtaret, *Moravos condendæ Majoris, ſive Veteris Urbis Prag. præbuiſſe occaſionem.* Præterea, ne deinceps Moravi latiùs in viſcera Provinciæ penetrantes, detrimenta fors majora inferrent, viámque dum vellent, apertam haberent, *Krzezomyslus* communicato cum *Czaslavo*, viro quodam prædivite, & opinione prudentiæ præ cæteris inſigni, conſilio, munimentum illis finibus, qui limiti Moravo viciniores erant, tuendis commodum & neceſſarium extruendum decrevit: ut iſthic certa militum præſidia excubarent, átque ità permanſioni & ſaluti incolarum rectiùs ac meliùs conſuleretur. Quod haud multò pòſt, in quodam amœno planóque loco extructum eſt, operâ & ſtudio ejusdem Czaslavi, qui illud â nomine ſuo *Czaslaviam* vocari voluit.

ejus mandato, Czaslavus quoque Dynaſta, adversùs inopinatas Moravorum irruptiones, Urbem in loco plano ædificat, quam â nomine ſuo Czaslaviam indigitat.

Breve ab hoc interceſſerat ſpatium, cùm Moravi, ut acceptam â Bohemis cladem ulciſcerentur, contractis longè majoribus copijs, Bohemiam denuò populabundi ingreſſi ſunt. Priùs tamen duo munimenta, *Iglaviam & Lipniciam arcem*, in ipſo Bohemiæ aditu, ſummâ celeritate adhibitâ, erexerunt: ex quibus datâ opportunitate rei gerendæ, excurſiones in interiora Bohemiæ agerent, & ſi neceſſe foret, adverſarijs prævalentibus, in ea certum ac tutum receptum habere poſſent. Quo facto, præſidijs illis juxta ac viribus freti, magna undique prædatorijs diſcurſionibus inferebant detrimenta: Bohemo Principe tum bello Miſniaco occupato. Et magis adhuc, dum *Czaslavienſes*, qui urgente causâ propriâ, (eos enim ùt plurimùm incommodabant Moravi) corripuêre arma, in occultas ſub Lipnicia delatos inſidias profligâſſent: tum eò licentiùs in regionem effuſi, longè latéque graſſabantur per omnia, cædes acerbas rapinis, & incendijs commiſcentes.

Moravi denuò in Bohemiam irrumpunt; Iglaviam & Lipniciam condunt, Bohemis bello Miſniaco diſtentis: Czaslavienſes profligant. Bohemi ad arma:

Tandem Bohemi Proceres, (vulgò, **Lopotowé a Wládyky**) tot ac tantis Patriæ illatis cladibus permoti, ne degeneris animi, aut deſidiæ arguerentur poſtmodùm â Principe, copias, quibus tanto malo occurreretur, quantocyùs parandas, & Moravos ab ulterioribus detrimentis inferendis arcendos conſtituunt; traditóq; ſummo totius exercitûs imperio, *Proſtislao de Chlum*, viro militiæ experimentis claro, & locorum, in quibus bellum geri debebat, apprimè gnaro, ei in mandatis dant, ut coacto majore adhuc ex finitimis agris milite, cum *Czaslavo, VVozyslavo, Slovvocho, Nevvrzeſo, Polemilo, Budhoſto*, aliisque Nobilibus, quàm primùm ſeſe conjungat, obviam hoſti pergat, ejus conatus reprimat, & ſi fieri poſſit, nova illa hoſtium munimenta in poteſtatem redigat. Qui rei gerendæ avidus, átque etiam odio ingenti ac vindictæ cupiditate incenſus, (nam ditionem ſuam totam *arci Chlumenſi* ſubjectam, habebat â Moravis devaſtatam,) nec expectatis, quæ convenire debebant copijs, hoſtes hinc inde palantes perſequutus eſt, ac compluribus eorum cuneis profligatis & disjectis, cæteros in munimentorum ſepta compulit: ſicque paucorum dierum ſpatio viciniæ toti, ac præſertim agreſti plebi, metu extremorum per varia diſperſæ, ſecuritatem reſtituit. Quo ſucceſſu *Bohemi* elati, & majoribus adhuc viribus, ſuperveniente *Czaslavo*, aucti, *Lipniciam* rectà petierunt, eam vel cum diſcriminibus exſciſuri poſtremis; haud ignari,

Moravi cæduntur.

Bohemi Lipniciam obſident;

opum ſuarum cumulos, à prædonibus per ſummam vim extortos, illic, ut in arduo munimento, eſſe conditos. In cujus conſpectum cùm perveniſſent, extemplò omnia ad obſidionem neceſſaria parârunt; iiſque diſpoſitis, mox deinde negotium oppugnationis aggreſſi ſunt: eſtô in vanum, naturâ loci in arduo poſiti, tum pertinaciâ defenſorum egregiè reſiſtente. Ultimò cùm diu ſatis pro mœnibus, & contra mœnia pugnatum eſſet, *Proſtislaus* rem novo conſilio aſtûque tentandam arripuit, & quaſi jam ulterioris oppugnationis pertæſus, obſidionem ſolveret, caſtra loco movit: ſelectiſſimis aliquot manipulis, ſub arce, in opaco quodam nemore, pro inſidijs relictis. Quod cùm viderent obſeſſi, rati univerſum recedere exercitum, nullis exploratoribus præmiſſis, effuderunt ſeſe ex arce penè omnes, ſummâ animorum alacritate, inſiſtentes veſtigijs recedentium; qui ex conſtituto, ſimulato timore, iter maturabant, ut *Moravos* inſequentes ab arce longiùs elicerent, & ad inſidias, quas tetenderant, perducerent. Viſâ deinde rei gerendæ commoditate *Bohemi* ſubſtiterunt, converſâque acie, cum *Moravis* conſeruêre manus: pugnatúmque eſt fortiter ab utraque parte, donec ij, qui pro inſidijs collocati erant, eruperunt è latebris: tum *Moravi* videntes ſe à tergo circumventos, ac veluti indagine clauſos, néque aliud jam vitæ ſubſidium, niſi diſceſſu ſperare veloci, ſerò temeritatem ſuam deteſtati, per medios hoſtium cuneos, quà quis potuit, huc & illuc diſpalantes, terga & latera dabant ferienda: plerique tamen cæſi ſunt, paucis exceptis, qui per anguſtas ſylvarum ſemitas ſparſi, & à præſenti periculo beneficio noctis ſervati, nuncij funeſtæ cladis futuri evaſerunt. *Bohemi* victores, mox eo veſpere, arcem defenſoribus vacuam occupârunt, quam ſequenti die dirreptam & expilatam ſolo æquârunt.

vi ſummâ oppugnant: quâ minimè ſufficiente, dolo rem tentant, obſidionem ſolvunt, Moravos è munimento eliciunt, inſidijs excipiunt, clade ingenti profligant: arcem occupant & ſolo æquant.

Nihil deinde intermiſsâ celeritate, *Iglaviam* verſùs, iter arripuerunt, quam vacuam à Moravis relictam incenderunt; ac demum irruptione *in Moraviam* factâ, ut par pari referrent, omnem illum Moraviæ tractum, inter *Teyam & Nigrim flumina*, populationibus & incendijs crudelem in modum devaſtârunt, exciſis compluribus pagis & arcibus, uti *Strazeko, Taſſovio, Byteſſio*, & alijs: unde cum opima præda & ſpolijs, in patriam reverſi ſunt. Interveniertibus deinde utriusque Gentis proceribus, *pax Bohemos inter & Moravos* coaluit.

Bohemi Iglaviâ exciſâ, Moraviæ fines vaſtant, par pari referentes. *Dauimſ. in Hiſt Boh. lib 2. Hagek ad an. 799 & ſequ.*

Non multò pòſt *Moravi, illato Avaribus, loca tunc ad Granum flumen tenentibus, bello*, eos ſedibus ſuis cedere compulerunt, Hungaris, quòd viribus ſuis, utpote à præteritis tot expeditionibus & cladibus vehementer attritis diffiderent, opitulatum ſocijs minimè accurrentibus. Hinc *in Annalibus Francorum* legere eſt: *Theodorum Ducem Avarûm*, confugiſſe *ad Carolum Imp.* ac petijſſe ſibi locum aliquem alibi extra Pannoniam dari, ubi ſecurè habitare poſſet, cùm adeò premeretur *à Slavis.* Ità etiam refert *Melchior Goldaſt. in Commentarijs de Bohemiæ Regni, incorporatarúmque Provinciarum Juribus ac Privilegijs*, aliorum plurium authoritati innixus. E quibus nonnulli volunt, Ducem Bohemorum fuiſſe in ea expeditione contra Avares, *Lechum* nomine, poſtea anno mox ſequenti, *à Carolo Caroli M.* filio, commiſſo

Moravi pactâ cum Bohemis pace, bellum cum Avaribus gerunt. *Goldaſt. lib. 2. cap. 2. § 11. Adhelmum in Annal. Francor. ad an. 805. Aimoinum l. 4. cap. 93. Rheginon. l. 4 Chronic. ad an. eund. Author Annal Pithœanor. Ado Viennenſ. ad an eund. Rudolph. Fuldenſ. in Annal. Franc. ad an. eund. Calviſ. in Chronol ad an. eund.*

miſſo prælio cæſum, Provinciámque totam redactam ſub tributum: quia tamen Scriptores noſtri, nullam unquam mentionem faciunt ullius Principis ſui *nomine Lechi*, ſed plerique Carolo Magno coætaneum ponunt *Ducem Krzezomyslum* (pauci *Mnatam*) cujus obitus refertur ad annum 804. quo *Lechus* bellum geſſit, & ſequenti poſtea in conflictu egregiè pugnans cecidit. Inſuper cauſa belli hujus non alia fuit, niſi ut Avares ex ea Pannoniæ parte, quæ Moravis vicinior erat, quocunque tandem modo pellerentur. Veriſimilius eſt, *eundem Lecbum fuiſſe Regem Moravorum, Samoslavi ſucceſſorem*; qui idcirco Hungariam infeſtis armis exagitandam ſuſcepit, *ut quæ olim* (verba ſunt Goldaſt.) *Moravorum Regno; usque ad Granum flumen erant ſubjecta, ea ſibi recuperaret, quæ tum beneficio Caroli Imp. Hunni tenebant, in ejusdem clientela conſtituti.* Pro meliori hujus notitia, lubet hîc apponere quod *apud Joan. Philipp. à VVorburg Hiſtoriar. Volum. X. ad an. 805.* (qui id ex vetuſtiſſimis rerum Francicarum Scriptoribus, *Aimonio, Adelmo, Reginone, Adone Vienneſi, Authore Annalium Pithœanor. & alijs*, ſe delibaſſe refert) legimus: cum hac tamen cautela, ut ubi ille Bohemos nominat, nos *Moravos, utpote Hunnorum átque Avarûm vicinos*, intelligamus.

Sic autem habet. *Pacatis Saxonibus, & Danis aliquantiſper repreſſis, Carolus aliqualem quidem quietem habebat, ſed ea propter Godefridi Regis, quoscunque poſſet, ſolicitantis ferociam, diuturna eſſe non potuit. Godefridus præcipuè eos, qui Pagani erant, concitabat. Slavi Bohemici hujus religionis adhuc erant, & Hunnos, quòd & Caroli hoſtes, & quidam ex ijs ad Chriſtianam converſi fuiſſent, eò infeſtiùs perſequi poſſe ſe exiſtimabant. Et quia ipſe Theodorus Caganus Hunnorum, ſive Rex, ſive Princeps, Chriſtianus erat, & Slavi Bohemici, quòd Carolum in prioribus contra Hunnos expeditionibus forti, fidelique operâ juviſſent, & Francorum exercitus aliquoties per Bohemiam tranſijſſet, omnia ſibi licere putabant, tanta eorum infeſtatio erat, ut Hunni in priſtinis ſedibus eſſe non potuerint. Sed Theodorus propter neceſſitatem populi ſui, Imperatorem adire, & inter Sabariam, & Carnutum locum ſibi ad habitandum dari poſtulare, coactus fuerit. Quantâ contentione Hunni cauſam ſuam egerint, teſtantur ſequentia: Hoc ipſo octingenteſimo quinto anno, Theodorus itidem Chriſtianus princeps Hunnorum, Carolum Aquis adijt, & ſibi ſuæq; genti aſſignari ſedes, quas tutò ſine cujusquam injuriâ colerent, petijt; Slavis enim poſt nuperas clades, prædæ ſe eſſe conquerebatur. Porrò indignum videri, cùm Franci vel victoriæ, vel clementiæ certè ſuæ, teſtes ſupereſſe, aliquas Hunnorum reliquias, paſſi ſint, illas nunc Slavorum ludibrijs expoſitas; nam moriendum ſi fuerit, Francorum gladium præoptandum fuiſſe; gentium omnium victoribus neque vitam, neque mortem ſe gravatè debituros: illud ipsâ morte triſtius futurum, ſi imbelli Slavorum dextrâ Hunnis ſit cadendum. Quæ querelæ Carolum adeò commoverunt, ut cùm jam Theodorum benignè ſuſcepiſſet, non ſolùm precibus ejus annuerit, ſed etiam donatum redire permiſerit. Imò etiam eum pro Cæſarea authoritate, Lechonem illorum Slavorum, qui à regionis, quam per Marcomanorum migrationes vacuam,*

cum Goldaſto ſentiunt, præter ſupra nominatos: Nicolaus Vignerius in Summar. Hiſt. Rom. lib. 8. Aventin. Annal Bojor. l. 4. Padelbornenſis Monachus in Vit. Caroli M. l. 8. ad an. 805. Indict. 12. Eginardus in Vita ejusdem. Clemens Scot. in Vita ejusd. Marian. Scot. l. 3. Chronicor. Trithemius de orig. Francor. an. 805.

Rex Moravorum Lechus, contra Avares fortiter pugnans occiditur, an. 805. *MS. Amos Comen. lib. de antiqu. Morav. Carolo de Zerotin oblato. MS. Matth. Erythræi de Marcoman. Moravis.*

cuam, ipſi ex Sarmatia progreſſi inſederant, nomine Bohemi vocantur, Ducem, ut ab Hunnis deinceps abſtineret, monuiſſe convincitur ex eo, quòd poſtmodùm, cùm non paruiſſet, contra ipſum exercitum, cum filio ſuo Carolo miſerit. Theodorus ad populum ſuum rediens, pauco tempore transacto diem obijt. Tum ille, qui poſt eum Cacanus ſalutatus fuerat, ne Carolus ob ſequutam mutationem Hunnorum injurias negligeret, veritus, unum de optimatibus ſuis miſit, & renovatis acriùs querelis, honorem antiquum, quem apud Hunnos Cacanus habere ſolebat, petijt. Nec Carolus Lechoni ob contumaciam infenſus, cunctatus, ſed Hunnorum injurias ſuas ratus, Cacani precibus cùm aſſenſum præbuiſſet, non ſolùm eum totius Regni ſummam, juxta priſcum eorum ritum, quo Cacanus apud Hunnos regnare ſolebat, habere præcepit, ſed mox etiam, ut Lechonis contumaciam ulciſceretur, & Godefrido Regi tantum ſocium adimeret, exercitum cum filio ſuo Carolo in terram iſtorum Slavorum, id eſt, in Bohemiam, miſit. Et Carolus omnem illorum Patriam depopulatus, impigrè bellum geſſit: & Lecho hoc, qui Hunnos in tantas anguſtias, ut ad Cæſarem confugere cogerentur, redegerat, non ferendum arbitratus, contractis copijs fortiter occurrit. Sed eum, cùm ſigna extemplò collata fuiſſent, Carolus occidit.

Lechus Rex Morav. bellum gerit cum Carolo M. Imp.

occiditur in prælio:

Polonicarum rerum ſcriptores, hunc *Lechum* volunt fuiſſe *Leſcum nomine II. Poloniæ Ducem*, qui vicinis Moravis, tanquam gentilibus ſuis auxilium contra Carolum ferens, in prælio occubuerit. Verùm hunc non adversùs *Hungaros*, ſed *Saxones & Thuringos* bellum ſuſcepiſſe, & conſerto infeliciter prælio cecidiſſe, conſtat ex alijs notæ probatioris. Cujus interitum, cùm vellet ulciſci *Miliduch Soraborum Dux*, tanquàm ejus ſemper in bellis contra Germanos geſtis individuus ſocius, pari quóque fato â Carolo prælio victus, & extinctus eſt. Conjecturam tamen hanc meam *de Lecho*, quem Regem Moravorum eſſe reor, ego tanti non facio, ut eam pertinaciùs tuendam exiſtimem: rem utcunque dubiam, in medio relinquamus.

Herburt. lib. 2. Hiſt. Polon. c. 8. Neugebaur. l. 2. Æn. Sylv. in Epitom. Blondi decad. 2. l. 1. Dlugoſſ. apud Cromer. lib. 2. Bonfin. de reb. Hung. decad. 1. lib 9. Rhegin. lib. 2. Chronicor. ad an. 806.

Cæſo *Lecho*, & H*ormiduro* ſucceſſore ejus brevì etiam, nempe an. 811. peſte extincto, arripuit Regni faſces *Mogemir* ejus nominis I. qui inito fœdere amicitiæ, cum *Ludovico Pio Imp. Caroli Magni filio*, bellum variâ fortunâ geſſit, jam cum Hungaris, jam cum Polonis: de quo egimus libro ſuper. cap. 3.

Hormidor Lechi ſucceſſor peſte extinguitur, an. 811.

Mogemir I. Rex Morav.

Frater ejus, cujus etiam ſuperiori libro meminimus, & qui Pannoniæ inferioris ſimul & Illyrij partem tenebat, *Lidovitus* homo inquies, ac tentandæ fortunæ ſupra modum avidus, bellum grave ac diuturnum, contra ſvadente licèt Mogemiro, cum Germanis geſſit: quod demum ipſum vitâ, & filios ejus bonis hæreditatéq; exuit. Worburgum iterum de hoc referentem audiamus:

Worburg. ad an. 819. Aimon. Adelm.

Contra Lidovitum, & Italiæ & Germanicæ copiæ paratæ fuerant: ſed has exercitus de Italia miſſus prævenit. Et ita veluti impar, cùm Germanicæ necdum adeſſent, rebus parum proſperè geſtis, infecto penè negotio, regredi coactus, tantum animorum Lidovito fecit, ut is ſuperbiâ elatus, & nunc quidquid vellet, â Cæſare impetrari poſſe ratus, legatos, quaſi pacem petendo ad Imperatorem miſerit, & conditiones quaſdam, ad quarum conceſſionem ea, quæ juberentur, facturum ſe pollicebatur, propoſuerit. Incenderat ejus animos, quòd Italico exercitu de Pannonia reverſo, Cadolechus Dux Foro-Julienſis febre correptus, in ipſa Marca deceſſiſſet, & nemo

am-

Digitized by Google

amplius timendus videretur: Sed Imperator cùm conditiones has, veluti ſe indignas, recipere nollet, ut eum eluderet, ex una parte, alias ei conditiones per legatos ſuos propoſuit; ex altera Cadolecho Baldericum, ad cujus curam Carantinorum regio jam pertinebat, ſubrogavit, & collectis ex utraque provincia viribus, quantum poſſet, ac etiam inopinatum impetum facere juſſit. Lidovitus hoc ignorabat, & ob rectas conditiones ſuas magis indignatus, & in perfidia incheata permanendum ſibi, velut optimum judicans, miſſis circumquaque legatis, vicinas juxta ſe gentes ad bellum ſolicitabat. Poſtremò Tunatianorum quoque populum, qui dimiſſâ Bulgarorum ſocietate, ad Imperatorem venire, ac ditioni ejus permittere ſe geſtiebat, ne hoc efficeret, ita intercepit, ut falſis perſvaſionibus illectus eo, quod facere cogitaverat, ommiſſo, perfidia illius ſocius, & adjutor extiterit. Baldericus conſilia ejus obſervabat, & non ſolum copias paratas habebat, ſed etiam Bornam Dalmatiæ Ducem eò impulerat, & ut ipſe magnas copias coëgerit, feceritq́, ut Dragamoſus Lidoviti ſocer, ſtatim ſecum in defectionis exordio, relicto genero, ſe conjunxerit. Lidovitus, ut, ne Baldericus ad Bornam accedere poſſet, impediret, adeò contra illum ſe vertit, ut hic Carantinorum regionem ingreſſus, ibi exercitum ejus obvium habuerit. Et quia incompoſito agmine, juxta Dravum fluvium, iter agebat, ipſe eum, quanquàm parvâ manu, aggredi non dubitavit. Adeòque improviſa res fuit, ut is hunc, multis interfectis, & averterit, & de illa provincia fugârit; & nemo debellatum eſſe dubitârit. Sed hâc clade Lidovitus nihil territus, ſubitò ad Bornam Dalmatiæ Ducem venit. Et quia hic nullam pugnandi morâm fecit, ingens prælium, ad Colapum fluvium, ubi Borna Lidovito magnis cum copijs occurrerat, commiſſum eſt. Et quanquàm hic in prima congreſſione, à Gudaſcanis deſertus fuiſſet, ſuorum tamen prætorianorum auxilio protectus evaſit: ſed perijt eo in prælio Dragamoſus. Tantò magis Borna, cùm iram in Gudaſcanos vertiſſet, à domum regreſſi iterum ab eo ſubiguntur. At Lidovitus dum Borna cum his occupatur, occaſionem nactus, valida cum manu, menſe Decembri, Dalmatiam ingreſſus, cunctis ferro & igni devaſtatis, Bornam eò compulit, ut cùm penitus imparem ſe conſpiceret, omnia ſua caſtellis incluſerit, & in aciem educere non auſus, copias tamen contraxerit, & cum delecta manu, nunc à tergo, nunc à latere inſiſtens, Lidoviti militem, & noctu, & interdiu quacunq́ poterat laceravit: neque eum in ſua provincia impunè verſari permiſerit. Ad extremum tribus hominum millibus, de exercitu illius interfectis, trecentis, vel eo ampliùs camelis captis, ſarcinis, & diverſi generis ſpolijs direptis, damno affectum regione ſuâ excedere coëgerit. &c. Et infra. *Dux Borna, poſtquàm Lidovitum, gravi damno affectum, regione ſuâ excedere coëgiſſet, hæc qualiter geſta fuerint, per legatos ſuos Imperatori nunciare curavit, & ita cuncta Imperator Aquis conſiſtens, lætus audivit.*

Regum Slavonicæ gentis, ad tuendum ſui nominis decus, egregia virtus.

Et ad annum 820. refert: *Interea bellum contra Lidovitum ſummâ vi geſtum, & transactâ hyeme, ut primùm herba pabulum jumentis præbere potuit, tribus exercitibus miſſis, extemplò motum eſt. Quantum Lidoviti nomen fuerit, ſummi apparatus ſignificant, & hi ex tribus exercitibus undiq́, & de Saxonia, quanquàm Danorum fides ſuſpecta eſſet, & de Orientali Francia, & Alemannia, Bajoaria quoque, atque Italia congregatis colliguntur. Exercituum Duces ita inter ſe conparaverant, ut ille de Italia per Alpes Noricos, alter per Carantanorum Provinciam: tertius per Bojoariam & Pannoniam ſuperiorem hoſticum intraret. Lidovitus tantam molem in ſe ruituram conſpicatus, validam ſuorum manum reſiſtere, & ab una parte hoſtes Alpium tranſitu prohibere juſſit. Contra medium, qui per Carantanos intraturus erat, ipſe conſtitit. Ubi igitur adituum præſidia fuerunt, ibi tam acriter pugnatum eſt, ut duo exercitus, dexter & ſiniſter, non tam itineris longitudine, & Dravo flumine, quod trajciendum erat, impeditus, quàm egregiâ hoſtium manu reſiſtente, Alpium tranſitus per aliquot dies prohibitus ſit. Medius, qui per Carantanos intrabat, feliciore quidem fortunâ uſus ſit: attamen ad loca deſtinata, niſi hoſte ter ſuperato, & Lidovito fortiter repulſo, pervenire non potuerit. Lidovitus ubi omnia magis irrita vidit, eò magis contra hæc nihil molitus, munitione tantùm Caſtelli, quod in arduo monte conſtruxerat, ſe ſuoſque continuit, & nec belli, nec pacis, vel per*

Eorundem in tuendis ſuis juribus, Supremi conatus.

Digitized by Google

berto, vel Rotberto Duce, ùt alij habent, ingreſſus eſt, idémque & Longobardi victoriam obtinuerint, & de Slavis plurimum captivorum numerum ſecum duxerint. Tantò magìs Samo connitendum ratus, magnam virium ſuarum partem, & plurimam fortium VVinidorum manum, ad Vogaſtenſe caſtrum contraxerat, ibique diu immoratus, loco adeò tuto conſederat, ut Franci eum pavore conſternatum rati, locum circumdederint, & triduò præliantes caſtra oppugnaverint. Samonem ſuos, donec illi defatigarentur, continuiſſe, colligitur, quòd triduò prælianteſ ſuſtinuerit, & tum demum in laſſos, & exhauſtos impreſſionem tam validam fecerit, ut de exercitu Dagoberti, multi gladio trucidati, & omnes cæteri exinde fugaciter tentoria, & res, quas habuerant, relinquentes, ad proprias ſedes reverſi ſint; & præter rerum jacturam, etiam hanc infamiam, quòd paſſim VVinidos victoriam iſtam non tantum fortitudine ſuâ, quantum Auſtraſorum dementiâ obtinuiſſe ſpargeretur, domum retulerint, & quidam etiam eos, Dagoberti, â quo aſſiduè ſpoliari ſe quererentur, odio, officio ſuo fungi, & prout Francici nominis gloria, & tanti momenti expeditio requirebat, dimicare noluiſſe adjecerint.

Samonis victoria.

Ab hinc Slavis Moraviæ & Pannoniæ incolis, altâ pace, & quæ ex ea promanant, publicâ ſecuritate, rerúmque omnium abundantiâ, aliíſque bonis frui licuit, toto illo Samonis Regis dominantis tempore, Francorum Regibus Dogoberto I. & Clodoveo II. alijs longè gravioribus bellis diſtentis. Obijt hic glorioſiſſimus victorioſiſſimúsque Rex, anno 664. De quo idem Warburg: *Samo poſtquàm triginta ſex, vel ſicut vetuſtiores habent, triginta quinque annos feliciter regnâſſet, & ſtrenuè regnum gubernâſſet, & duodecim ex genere VVinidorum, ſeu Slavorum uxores habuiſſet, & ex his vel duodecim, ùt refert Aimonius, vel viginti duos filios & quindecim filias, ùt habet Fredegarius, magno ſui apud Slavos, quòd ejus ductu & auſpicijs, non ſolùm libertatem recuperâſſent, ſed etiam tantum Regnum conſtituiſſent, relicto deſiderio, vel priori, vel hoc, nempe 664. vel ſequenti anno, deceſſit.*

Samo Rex moritur.

Cui in Regnum ſucceſſiſſe unum ê filijs, ex ſingulari ob parentis merita, erga regiam prolem, gentis ſtudio, nullus dubito; eſtô de nomine illius non conſtet. Primò circa annum 690. legimus regnâſſe apud Moravos *Marothum*, ſive *Moravodum*, regiámque ſedem habuiſſe *VVeſprinij in Pannonia*, ac fuiſſe Regem longè omnium virtute, ſapientiâ & fortitudine militari florentem ac memorabilem; ideóque regiminis ipſius tempore, *Regnum Moraviæ* florentiſſimum potentiſſimúmque, & vicinis omnibus formidabile extitiſſe. Mortuo demum, cùm *Svathes*, ſive *Svvatoſ*, filius Regni gubernacula, circa an. 720. ſuſcepiſſet, haud multò pòſt *fortuna volucris rota*, adverſa proſperis, & quieta tumultuoſis more ſuo alternans, Martem denuò furijs in conſortium aſcitis armavit, mæſtóſque tranſtulit *in Pannoniam & Moraviam* caſus, quibus Regnum, paulò antè florentiſſimum, exterarum gentium impetu, ac violentiâ ad ruinam inclinatum penè concidit. Totius autem ſementem exitij hanc comperimus cauſam.

Thuroc. in Chron. Hung. part. 1. lib. 14. in fine.

Pax illo mortuo, ab Hunnis in Pannoniam reverſis, turbatur.

Hunni aſſumptis popularibus ſuis Jugris, in Pannoniam redire conſtituunt.

Hunnorum gens, antea jàm Europæis populis, â cladibus illatis probè no-

nota, (quam diximus ſuprà, poſt mortem *Attilæ* fuiſſe â Gepidis profligatam, fuſam ac diſſipatam, & partem, quæ ſupererat, *duce Chabâ remigrâſſe in Scythiam*) memor Pannoniæ, telluris pinguiſſimæ ac ceſpitis feraciſſimi, (*Chaba enim in patriam redux, cùm genuiſſet filios Edemen & Ed,* ùt ſcribit M. Joan. Thuroc. in Chron. Hung. *donec ſupervixit, ſemper Pannoniæ, pinguide tellure reminiſcens, ſuæ generationi, ut rurſus Pannoniam repeterent, perſvadebat*) contractâque potiori multitudine, & vicinis *Jugris* ſive *Magyaris* popularibus ſuis, in armorum ſocietatem acceptis (unde *ab Hunnis & Jugris nomen Hunno-Jugrorum, ſeu Hungarorum* concretum exiſtimamus) ad repetendas tam felices terras, animum viréſque applicuit. Igitur pervaſis *Roxolanorum, Beſſorum, Cumanorum &c.* regionibus, in Daciam primò venerunt: ubi univerſo cœtu, quem ducebant, in ſeptem exercitus diviſo, & unicuique exercitui, qui armatorum triginta millia, & quinquaginta ſupra ſeptingentos; continebat, duce ſpeciali conſtituto, caſtrametandique loco ſuo cuilibet deſignato, conſederunt. Atque hinc uſurpavit vulgus, ut regio â ſeptem illis caſtris, *Septem-Caſtrenſis*, patriâ noſtrâ linguâ, Sedmihradſko / appelletur: ídque regioni nomen permanet, in hunc usque diem.

Thuroc. part. 1. cap. 23. ad fin.

In Daciam veniunt, in ſeptem diviſi agmina, circa an. 730.

Suprà lib. 1. c. 3. Ranzan. in Epitom. rer. Hung. indice 7. Thuroc. part. 2. cap. 2. Bonfin. decad. 1. l. 9. Ritius lib. 1. de Regib. Hung.

Hinc Septem Caſtrorum nomen; Sedmihradſko.

Præcipuus ex illis ſeptem ducibus fuit *Arpad*, qui ab Attila ducebat genus. Hic cùm aliquandiu in Dacia ſubſtitiſſet, deſiderio Pannoniæ inceſſanter agitatus, Chuſidum Chundi filium ablegat ad *Svatoſſium Regem*, petens totius gentis nomine, aliquam ad Tybiſci fluenta regionis partem, utpote incolis tum ferè vacuam, ſibi attribui in cultum. Cui cùm Rex, accepto dono, quod erat, equus candidus, ephippio frenóque aureo cultus, haud gravatè annuiſſet, confeſtim omnes ſeptem duces cum ſuis exercitibus, relictâ ſolùm imbelli multitudine in caſtris cum præſidio, loco egrediuntur: Danubióque appropinquantes, legatum denuò ad *Svatoſſium* mittunt, qui ei ſignificet, ut terrâ, quam Majores eorum jure belli quondam poſſederant, & quam ipſe, ſi quid in eam juris habuiſſet, equo vendiderat, extemplò decedat. Quo nuncio vehementer perculſus Rex, ſine mora militem, quem circa ſe habebat, arma capere & alios etiam ex vicinis urbibus & caſtellis, quotquot citò citiſſimè poſſent, ſub ſigna accelerare juſſit; & coactis, *ut priori libro memoravimus*, properatione tumultuariâ aliquot armatorum millibus, ac incautè nimìs, priusquàm conveniſſent univerſi, profectione ſuſceptâ, *Danubium* tranſijt; cui Barbari ululantes pro more ſuo ferum ac triſte, clamoribus inconditis, facti obviam, quin illicò pugnæ copiam darent, minimè dubitârunt. Poſtquàm igitur miſſilibus telis ſemet utrinque eminùs laceſſentes aliquandiu certâſſent, ad conferendas tandem coière manus, haſtis & gladijs rem gerendo: unde exortum prælium atrox, quod diu in ancipiti ſtetit. Verùm quia barbarorum turmæ, longè prævalebant numero & viribus, multiq; in paucos, ac integri recentésque, in feſſos & debilitatos ſummo irruebant impetu; regij tametſi diu, & expectatione acriùs vehementiúsque dimicâſſent, ultimò tamen videntes ſe tam immanem vim nequaquam ſuſtinere poſſe, deſperato omni victoriæ ſucceſſu, terga vertere, & quo quis-

â Svatoſſio Rege, partem Pannoniæ deſertam ſibi concedi excolendam, petunt, an. 744.

Dona offerunt: Pannoniam ſibi reſtitui volunt.

Regi detrectanti vim inferunt.

Prælium utrinque committitur.

Regij prævalentibus Hungaris funduntur.

quiſque potuit, per ſylvas ac nemora, paludibus & multo cœno impedita, præcipiti fugâ dilabi cœperunt. Rex pugnam inſtaurare conatus, dum fruſtra omnia eſſe, ſéque nihil proficere videret, fugâ quóque ſeſe ê manibus hoſtium proripuit.

Rex pugnam reſtaurare fruſtra conatus, vix in tutum evadit.

Poſt exitialem pugnam, *Hungari victores, ceu leones ſanguinis irritamento atrociùs efferati*, Danubium trajecerunt, & profligatis quibusque obvijs, ipſo etiam Rege graviſſimo iterum prælio ad *Boni-pontem* (locus oſtenditur in Hungaria, ab indigenis hodiéque *Bontuda* dictus, non procul Tatâ, ubi Bregetionis urbis quondam celeberrimæ exſtant veſtigia) cæſo, regiáque ſede ejecto, Pannoniam inferiorem totam, nemine ampliùs adverſante occupârunt. Ad hunc modum, *Regnum Moraviæ*, improviſo hoſtium adventu concuſſum, & convulſum, maxima eáque nobiliori ex parte novis hoſpitibus ceſſit: ità ut plagam hanc, inter alias potiſſimùm memorabiles, quas unquam â Marte hoſtili Regnum tulit, meritò connumerandam cenſeam. Ea enim *Rex Svatoſſ*, non ſolùm *utrámque Daciam, cis & ultra Tybiſcum, quatenus â Grano flumine, cum Danubio ad Pontum Euxinum usque excurrit*, verùm & *Pannonias*; imò florem quóque Nobilitatis & militiæ, ac quicquid virium habuiſſet, binâ dimicatione funeſtâ amiſit: néque ampliùs in Pannonia tutus, deploratâ jam penitùs rerum ſuarum ſpe, *in Moraviam ſecedendum duxit*, ubi novam Regiam ſibi & poſteris conſtituit. Ejus ſucceſſores *Samomir & Samoslavv*, alijque, nonnihil de eo terræ tractu, qui ultra *Vagum flumen* protenditur, *ad Granum* usque recuperârunt, tum potiſſimùm, quando Hungaris, cum Bavaris & Francis bellum fuit.

Rex iterum átque iterum profligatur; Pannoniâ inferiori totâ ejicitur. *VVolfgang. Lazius in Comment. Reipubl. Rom. lib. 12. c.*

Rex in Moraviam ſe recipit.

Quippe *Carolus Magnus Rex Francorum, & primus de ſtirpe Germanicæ gentis Romanorum Imperator*, ſæpè ab Hungaris & Avaribus eorum fœderatis armis petitus, ſæpè injurijs laceſſitus, tandem in *bellum Hungaricum, confecto Saxonico, & paulò antè etiam Longobardico*, animum virésque omnes convertit. Hoc bellum longum fuit ac difficile: duravit enim annos ſex, (licèt non continuos,) Hungaris ad quascunque defectionum, quæ ſubinde in Germania ac Italia exoriebantur occaſiones, bellum reparantibus. Tametſi autem *Hungari*, irruptionibus crebris & ſubitaneis, faceſſerent plurimùm periculi *Bavaris & Francis*, profligatis non ſemel eorum exercitibus, & finibus ditionis ſuæ prolatis, *in Noricum usque:* quâ tempeſtate, inter alias *Pannoniæ ſuperioris & Norici urbes*, etiam *Laureacum*, urbs vetuſtiſſima ornatiſſimáque, & *â Sede Archi-Ep.* celebris, furori barbarorum ceſſit, direpta & majori ex parte everſa. Ultimò tamen inſolentiam ferociſſimæ gentis, vi & armis compeſcuit *Carolus*, bellóque domitos, ac totâ Pannoniâ ſuperiori ſummotos, ultra *Arrabonem fluvium*, qui antiquitùs, ſuperiorem Pannoniam ab inferiori diſcriminabat, depulit.

Caroli Magni Imp. cum Hungaris diuturnum bellum.

Hungarorum in Pannoniam ſuperior. & Bavariam irruptiones frequentes.

A Carolo tandem repreſſæ.

Primo belli anno, *qui fuit annus Chriſti 791.* ipſemet expeditioni præfuit, ac ſolâ adventûs ſui famâ, Hungaros in fugam conjecit. Quo tempore, *Moraviam* quoque haud modicâ perſtrictam fuiſſe clade reperio; nam Cæſar copias univerſas, unà cum bellico apparatu, ob commodiorem rei annonariæ pro-

Carolus expeditionem contra Hungaros ſuſcipit: Exercitum in duo agmina dividit:

procurandæ rationem, bipartitò diviſit: *Francos ipſe & Bavaros, Ratisbonâ ſolvens, dextrâ Danubij ripâ, per Noricum duxit. Saxones* verò, *Friſios & Thuringos, Theodorico Comite, & Meginfrido cubiculi ſui præfecto ducibus, per Bohemiam* (Mnatâ Principe Gentis permittente, ac de commeatu etiam diligenter proſpiciente) *& Moraviam* proficiſci juſſit.

cum uno ipſemet per Bavariam & Noricum vadit: cum altero duces ſuos per Bohemiam & Moraviam ire jubet.

Erat tunc *Rex Moraviæ Samoslav:* qui extimeſcens ſuſpicaci metu efflореſcentē, & ex propinquo undique imminentem Francorum potentiā; & fortaſſe etiam invidens gloriæ ac ſucceſſibus eorundem, dolénsq; ab exteris ea intercipi, quæ non multò ante, Majoribus ſuis vi extorta, reditura aliquando ad ſe, *ope Ruſſorum ac Polonorum*, ſperare fas eſſet; tranſitum omnem, vias & itinera, ne per ditiones ſuas progredi poſſent, præcludere inani pertinaciâ contendebat. Quem primò Cæſarei exercitûs duces, per nuncios amicè commonefecerunt: ne offenſam daret, quando nulla ſubeſſet injuriæ cauſa; néve hoſtem vellet ex amicis viciniſque ſimul, & totius *Francici Imperij* in ſe arma ſollicitare; â tergo & latere, hoſtem omni tempore habiturum, niſi â propoſito deſiſtere, & exercitui, *adversùs Hungaros communes hoſtes* proficiſcenti, liberum tranſitum per Regnum præbere velit. Cùm tamen nihil poſſent ſalubria hæc monita, apud obſtinatum ejus animum, néque ulla niſi in armis ſpes perrumpendi eſſet; quamvìs perpendentibus hæc ducibus, moleſtum erat, & periculoſum videbatur, jam inde belli labores ordiri; qui recentes ſuorum vires, contra Hungaros ſervari maluiſſent: viam tamen ferro, quocunque tamen modo, ſibi aperiendam ſtatuerunt. Nec mora, effracto per fortia in Regnum aditu, & exercitu, qui cuſtodiebat limitem, fuſo ac profligato, penetrârunt tridui ſpatio, ad ipſam usque Regiam, *VVelebradium*, miſcentes cuncta populationibus & incendijs; ita ut Rex intra mœnia urbis, ceu in caveam compulſus, hoſtiles ignes, & fumantia longè latéque tectorum culmina, paſſim per viciniam ſpectare cogeretur. Qui poſtmodùm â victoribus gravi obſidione preſſus, cùm videret ſe longè imparem viribus, ad conſilia pacis, ſi quo modo Francis reconciliari poſſet, animum applicuit: móxque (ùt adigebat neceſſitas inſtantis exitij) emiſſo ex Urbe ad caſtra, ſupplici Optimatum cœtu, pactâque tam vitæ, quàm fortunarum, ac totius Regni incolumitate, ſeſe eorum fidei ſubmiſit. Quod deinde & ipſe Cæſar ratum habuit: ita tamen, ut falſorum Deorum ſuperſtitionibus ejuratis, Chriſtianæ diſciplinæ ſacra amplecteretur, iiſque populos ſibi ſubjectos imbui ſineret.

Annal. Caroli & Ludovici apud Stransky Reip. Bojem. cap. 3. §. 3.

Rex Moraviæ Samoslav, Cæſarianos â tranſitu prohibere fruſtra conatur: Monita ducum Cæſarianorum inſuper habet: vim Cæſarianorum malo ſuo expertitur, & ſapit.

Blond. decad. 2. lib. 1.
MS. Comenij.
MS. Erythræi.

Caſtigatâ hunc in modum Regis, ob motum non neceſſariò bellum ferociâ, Franci nō diu in Moravia cunctati ſunt, ſed admonito, ut in fide perſiſteret, Rege, & obſidibus ab eo acceptis, profectionem in Hungariam continuârunt, Cæſare jam tunc ad Arrabonem usq;, victricia arma circumferente. Audiamus de hac in Pannoniam expeditione Caroli, dêque ejus ſucceſſu, Reginonem Abbatem Prumienſis Cœnobij, Ord. S. Benedicti, in diœceſi Trevirenſi, vetuſtiſſimum rerum Francicarum Scriptorem: *Anno Dominicæ Incarnationis 791. Carolus ad partes Bojoariorum perrexit, & Ratisbonam pervenit: ubi & exercitum ſuum convenire juſſit, ibique cum conſilio Optimatum Regni, diſpoſuit ire in Hun-*

Reginon. lib. 2. Chronicor. ad an. 791.
Adelmus in Annalibus ad an. eund.
Aimon. de geſtis Francor. l. 4.
MS. Comenij in antiq. Morav.

R

(quod majus eſt, ac tanto Principe longè dignius,) etiam ornandæ augendæque Chriſtianæ religionis curam gerens, eam ijsdem in locis, deſtructis idolorum fanis, & templis Chriſtiano ritu conditis, mirificè propagavit. Evocatus ab eo quoque eſt, Batavienſis, ſeu *Paſſavienſis Epiſcopus Trolphus*, ſive Hieralphus, poſtea Laureacenſ. Archi-Ep. vir opinione ſanctitatis clarus, qui populo vanis numinum commentis faſcinato Chriſtum prædicaret, ac legitimo unius ſolius veri Dei cultu commonſtrato, ritus religionis ordinaret, collegiáque doctorum virorum, & Scholas conſtitueret. Hic diligenti operâ dexteritatéque uſus, & divinâ imprimìs aſſiſtente gratiâ, brevì permagnos fecit in erudienda multitudine profectus; &, ùt referunt Annalium Bavaricorum Scriptores, Epiſcoporúmque Paſſav. Cathalogus: *Danubium poſtmodùm transgreſſus, Moravos quoque excolendos ſuſcepit, Regique & popularibus author fuit, ut priſcis gentilium ſuperſtitionibus renuntiarent. Quo facto, conſtituit Præſules, qui benè cœpta abſolverent:* ſed de hoc egimus jam antè, libro ſuper. cap. 3. Inter alia, â pijſſimo Cæſare extructa templa, ferunt fuiſſe *Viennæ, in honorem Sancti Petri*, ubi Rathfredum Epiſcopum conſtituit; & *Carnunti, Sanctæ Petronillæ*, unde & oppido nomen inditum, *Petronillum*. *Cachanum* quoque Avarûm ducem (hoc námque Cachani nomen, ducibus, velut gentile, per multa ſecula adhæſit) unà cum gente univerſa, in cognitionem veræ Fidei, & baptiſmi ſuſceptionem adduxit, dato duci nomine *Theodorus*. Sed ad noſtra textûs propoſiti, unde divertimus, revertamur.

Adlzreitter Annal. Bojor. part. 1. l. 9 §. 5. Brunner. Annal. Bojor. part. 1. lib. 6. §. 4.

Sigismund. de Puchova in Chronograph. Aimoin. de geſtis Francor. lib. 4. cap. 91. Hondorff. in promptuario Exempl. 3. præcipt. Decalog.

Bello Hungarico fervente, *Rex Moraviæ Samoslaus*, Bohemos armis exagitandos ſuſcepit, in haud dubiam ſpem proferendorum ab ea parte Regni finium erectus, eò fidentiùs, quòd *Pipinum Caroli Cæſaris filium* haberet ejusmodi conſilij authorem; qui bello Hungarico totis incumbens viribus, ne interea â Bohemis quicquam tentaretur hoſtile, adversùs populos Francorum fœderatos, novo illos cum Moravis bello diſtinendos exiſtimabat. Igitur *Samoslaus*, priusquàm aperto Bohemos aggrederetur bello, præfectum *Drzeviczenſem*, qui occiduæ Regni plagæ præerat, ſecretò admonuit, ut ab illa parte, excurſione in Bohemiam facta, cauſas novarum rerum quærere non intermitteret. Quem per ſe hominem inquietum ac temerarium, & non tam belli ſtrenuè gerendi, quàm cogendæ prædæ avidum, facilè ad irritandos armis & incurſionibus Bohemos impulit. Hic igitur comparatâ, tam è popularibus, quàm *ex Hermundurorum Marcomanorúmque montana incolentium reliquijs*, idoneâ ad excurrendum manu, acerrimam in eam regionem, quam modò *Czaslavienſem*, ab urbe iſthic primaria dicimus, irruptionem fecit; ſummáque celeritate uſus, pagos obvios dirripuit & ſuccendit, caſtello *Hradek* dicto, vi capto, quod ſimiliter injecto igne concremavit: & alio rurſum *Choteborka* nuncupato; quod ut haberet, quo ſe neceſſitatis tempore reciperet; non tantùm reliquit integrum, ſed firmiori adhuc maceriâ & vallo communijt. Auctus deinde novis *Hermundurorum* copijs, qui ſpe lucri agminatim ad eum confluebant, aliud rurſum munimentum

Samoslav Rex Moraviæ, inſtinctu Pipini Caroli M. filij Bohemis bellum infert.

Moravorum cum reliquijs Hermundurorum Marcomanorúmque in Bohemiam irruptio & progreſſus.

tum pro tutiori receptu, *ad ſiniſtram Sazavæ amnis ripam* erexit; quod quia Hermundurorum præſidio firmavit, Bohemi *Brodam Teutonicam* appellârunt. Jámque Moravi cum Hermunduris juncti, circumlato paſſim terrore, non ſolùm *Horzeſlao Kaurzimenſi Ethnarchæ*, ſed *Krzezomyslo* quoque *Pragenſium Principi*, quorum ditiones infeſtabant incurſionibus penè aſſiduis & cruentis, cœperunt eſſe formidandi & graves. Ad *Caurzimam* (urbs eſt in Bohemia cæteris veſtutior, â Praga quinto lapide dirempta) dum caſtra poſuiſſent, eíque excidium minarentur vocibis clamoſis & truculentis, *Horzeſlaus* majore animi mollitie, quàm virum vel principem deceret, vitæ fortunarúmque periculum metiens, nullâ dedecoris curâ habitâ, quin ſe dederet, non diu cunctandum ſibi exiſtimavit: Senioribus civitatis nec quicquam proficientibus, qui eum multo ſermone, multíſque rationibus in ſpem erigere, increpitáque degeneris animi ſubitâ conſternatione, â tam fœdo dementíque conſilio abſterrere contendebant. Deditionem itáque hoſtibus de muro obtulit, ſi interim ab infeſtandis & exurerendis ſuburbanis ædibus, & villis ceſſare vellent, donec de conditionibus tranſigeretur. At illi poſtridie, foras in caſtra, tranſigendæ eò firmiùs pacis ſpecie, evocatum, contra datam fidem exoculârunt, & vaſtato omni circacircum agro, ad Pragenſem usque viciniam populabundi penetrârunt; ubi in colle quodam, loco non niſi mille paſſibus *à VVeſſebrado, regia Ducum Bohemiæ ſede*, diſſito, intra cæduæ ſylvæ caudices, ſtatione fixâ, tam Duci, quàm toti Genti ſervitutem minabantur, ſuperbè ac inſolenter ſeſe jactitantes, quòd non armis jam, néque gladijs, ſed fuſtibus Bohemos cædendos, ſuáque poteſtati ſubijciendos ſuſceperint. Sed â *Krzezomysli* ducibus (Hagek, *Mnatam* tunc imperitâſſe vult) ingenti clade paulo poſt affecti, ac penè ad internecionem cæſi, dignas perfidiæ & temeritatis ſuæ dedêre pœnas. Quoniam verò in direptione caſtrorum, inter alia, inventi erant *fuſtes octingenti*, quibus ſeſe Moravi, Bohemos domare poſſe inani jactatione & faſtu oſtentabant, locus is â fuſtibus, *Kyge* (Bohemis námque, fuſtis, **Kyg**/ vel **Keg**; in plurali verò **Kyge** ſonat) appellatus eſt.

Brodæ Teutonicæ origo, an. 793.
Moravi ad Caurzimam usque populabundi penetrant: Ducem Caurzimenſem obſidione premunt:
deditione accipiunt, & contra pacta oculis privant. *Stranſky Reip. Boiem. c. 2. §. 3.*
Moravi Pragæ imminent:
à Bohemis clade internecivâ penè delentur.
Hagek. in Chron. Boh. ad an. 793. & 794.

Cæſis & disjectis, ac totâ Bohemiâ depulſis *Moravis*, eorúmque ſocijs *Germanis Hermunduris*, Krzezomyslus, quò validior deinceps ad propulſandos Moravorum inſultus evaderet, *ad ampliandam Pragam, augendámque ædificijs & incolis*, animum adjecit, ut ità ê numeratiori populo ad ſubitos caſus, delectum virorum habere, eóque plures neceſſitatis tempore ad arma exciere poſſet. Cùm verò *Partis illius, quam Libuſſa condiderat, quæ poſtea Minor* vocari cœpit, locus dilatationem ferre commodè non poſſet, ab una parte aquis, ab alijs montibus clauſus, in adverſa fluminis ripa, Urbem aliam condere decrevit, móxque exciſo nemore, fundamenta ejus jecit, útque celeriùs procederet opus, Vultavam ponte ligneo junxit. Hæc poſtmodùm ædificijs tum publicis, tum privatis, ſacris & profanis exculta, *Major* dici meruit; cujus ſuburbanis ædibus, cùm annis ſubſequentibus, *Caroli Bohemor. Regis & Roman. Imp. IV.* operâ *Nova* acceſſiſſet, vulgus *Veterem* nuncupa-

Krzezomyslus Bohemorum Princeps Pragam ampliandam ſuſcipit:
Novam urbem ad dextram Vultavæ ripam, quæ modò Vetus dicitur, condit: *Hagek. ad an. 795.*

Digitized by Google

cupavit. Quod hìc paucis commemorándum duximus, ut conſtaret, *Moravos condendæ Majoris, ſive Veteris Urbis Prag. præbuiſſe occaſionem.* Præterea, ne deinceps Moravi latiùs in viſcera Provinciæ penetrantes, detrimenta fors majora inferrent, viámque dum vellent, apertam haberent, *Krzezomyslus* communicato cum *Czaslavo*, viro quodam prædivite, & opinione prudentiæ præ cæteris inſigni, conſilio, munimentum illis finibus, qui limiti Moravo viciniores erant, tuendis commodum & neceſſarium extruendum decrevit: ut iſthic certa militum præſidia excubarent, átque ità permanſioni & ſaluti incolarum rectiùs ac meliùs conſuleretur. Quod haud multò pòſt, in quodam amœno planóque loco extructum eſt, operâ & ſtudio ejusdem Czaslavi, qui illud â nomine ſuo *Czaslaviam* vocari voluit.

ejus mandato, Czaslavus quoque Dynaſta, adversùs inopinatas Moravorum irruptiones, Urbem in loco plano ædificat, quam â nomine ſuo Czaslaviam indigitat.

Breve ab hoc interceſſerat ſpatium, cùm Moravi, ut acceptam â Bohemis cladem ulciſcerentur, contractis longè majoribus copijs, Bohemiam denuò populabundi ingreſſi ſunt. Priùs tamen duo munimenta, *Iglaviam & Lipniciam arcem*, in ipſo Bohemiæ aditu, ſummâ celeritate adhibitâ, erexerunt: ex quibus datâ opportunitate rei gerendæ, excurſiones in interiora Bohemiæ agerent, & ſi neceſſe foret, adverſarijs prævalentibus, in ea certum ac tutum receptum habere poſſent. Quo facto, præſidijs illis juxta ac viribus freti, magna undique prædatorijs diſcurſionibus inferebant detrimenta: Bohemo Principe tum bello Miſniaco occupato. Et magis adhuc, dum *Czaslavienſes*, qui urgente causâ propriâ, (eos enim ùt plurimùm incommodabant Moravi) corripuêre arma, in occultas ſub Lipnicia delatos inſidias profligâſſent: tum eò licentiùs in regionem effuſi, longè latéque graſſabantur per omnia, cædes acerbas rapinis, & incendijs commiſcentes.

Moravi denuò in Bohemiam irrumpunt; Iglaviam & Lipniciam condunt, Bohemis bello Miſniaco diſtentis: Czaslavienſes profligant. Bohemi ad arma:

Tandem Bohemi Proceres, (vulgò, Lopotowé a Wládyky) tot ac tantis Patriæ illatis cladibus permoti, ne degeneris animi, aut deſidiæ arguerentur poſtmodùm â Principe, copias, quibus tanto malo occurreretur, quantocyùs parandas, & Moravos ab ulterioribus detrimentis inferendis arcendos conſtituunt; traditóq; ſummo totius exercitûs imperio, *Proſtislao de Chlum*, viro militiæ experimentis claro, & locorum, in quibus bellum geri debebat, apprimè gnaro, ei in mandatis dant, ut coacto majore adhuc ex finitimis agris milite, cum *Czaslavo, VVozyslavo, Slovvocho, Nevvrzeſo, Polemilo, Budhoſto*, aliísque Nobilibus, quàm primùm ſeſe conjungat, obviam hoſti pergat, ejus conatus reprimat, & ſi fieri poſſit, nova illa hoſtium munimenta in poteſtatem redigat. Qui rei gerendæ avidus, átque etiam odio ingenti ac vindictæ cupiditate incenſus, (nam ditionem ſuam totam *arci Chlumenſi* ſubjectam, habebat â Moravis devaſtatam,) nec expectatis, quæ convenire debebant copijs, hoſtes hinc inde palantes perſequutus eſt, ac compluribus eorum cuneis profligatis & disjectis, cæteros in munimentorum ſepta compulit: ſicque paucorum dierum ſpatio viciniæ toti, ac præſertim agreſti plebi, metu extremorum per varia diſperſæ, ſecuritatem reſtituit. Quo ſucceſſu *Bohemi* elati, & majoribus adhuc viribus, ſuperveniente *Czaslavo*, aucti, *Lipniciam* rectà petierunt, eam vel cum diſcriminibus exſciſuri poſtremis; haud ignari,

Moravi cæduntur.

Bohemi Lipniciam obſident;

R 3

opum

opum ſuarum cumulos, â prædonibus per ſummam vim extortos, illic, ùt in arduo munimento, eſſe conditos. In cujus conſpectum cùm perveniſſent, extemplò omnia ad obſidionem neceſſaria parârunt; iiſque diſpoſitis, mox deinde negotium oppugnationis aggreſſi ſunt: eſtô in vanum, naturâ loci in arduo poſiti, tum pertinaciâ defenſorum egregiè reſiſtente. Ultimò cùm diu ſatis pro mœnibus, & contra mœnia pugnatum eſſet, *Proſtislaus* rem novo conſilio aſtúque tentandam arripuit, & quaſi jam ulterioris oppugnationis pertæſus, obſidionem ſolveret, caſtra loco movit: ſelectiſſimis aliquot manipulis, ſub arce, in opaco quodam nemore, pro inſidijs relictis. Quod cùm viderent obſeſſi, rati univerſum recedere exercitum, nullis exploratoribus præmiſſis, effuderunt ſeſe ex arce penè omnes, ſummâ animorum alacritate, inſiſtentes veſtigijs recedentium; qui ex conſtituto, ſimulato timore, iter maturabant, ut *Moravos* inſequentes ab arce longiùs elicerent, & ad inſidias, quas tetenderant, perducerent. Viſâ deinde rei gerendæ commoditate *Bohemi* ſubſtiterunt, conversâque acie, cum *Moravis* conſeruêre manus: pugnatúmque eſt fortiter ab utraque parte, donec ij, qui pro inſidijs collocati erant, eruperunt ê latebris: tum *Moravi* videntes ſe â tergo circumventos, ac veluti indagine clauſos, néque aliud jam vitæ ſubſidium, niſi diſceſſu ſperare veloci, ſerò temeritatem ſuam deteſtati, per medios hoſtium cuneos, quâ quis potuit, huc & illuc diſpalantes, terga & latera dabant ferienda: plerique tamen cæſi ſunt, paucis exceptis, qui per anguſtas ſylvarum ſemitas ſparſi, & â præſenti periculo beneficio noctis ſervati, nuncij funeſtæ cladis futuri evaſerunt. *Bobemi* victores, mox eo veſpere, arcem defenſoribus vacuam occupârunt, quam ſequenti die dirreptam & expilatam ſolo æquârunt.

vi ſummâ oppugnant: quâ minimè ſufficiente, dolo rem tentant, obſidionem ſolvunt, Moravos ê munimento eliciunt, inſidijs excipiunt, clade ingenti profligant: arcem occupant & ſolo æquant.

Nihil deinde intermiſſâ celeritate, *Iglaviam* versùs, iter arripuerunt, quam vacuam â Moravis relictam incenderunt; ac demum irruptione *in Moraviam* factâ, ut par pari referrent, omnem illum Moraviæ tractum, inter *Teyam & Nigrim flumina*, populationibus & incendijs crudelem in modum devaſtârunt, exciſis compluribus pagis & arcibus, uti *Strazeko, Taſſovio, Byteſſio*, & alijs: unde cum opima præda & ſpolijs, in patriam reverſi ſunt. Intervenientibus deinde utriusque Gentis proceribus, *pax Bohemos inter & Moravos* coaluit.

Bohemi Iglaviâ exciſâ, Moraviæ fines vaſtant, par pari referentes. *Dubrav. in Hiſt. Boh. lib. 2. Hagek ad an. 799. & ſequ.*

Non multò pòſt *Moravi, illato Avaribus, loca tunc ad Granum flumen tenentibus, bello*, eos ſedibus ſuis cedere compulerunt, Hungaris, quòd viribus ſuis, utpote â præteritis tot expeditionibus & cladibus vehementer attritis diffiderent, opitulatum ſocijs minimè accurrentibus. Hinc *in Annalibus Francorum* legere eſt: *Theodorum Ducem Avarûm*, confugiſſe *ad Carolum Imp.* ac petijſſe ſibi locum aliquem alibi extra Pannoniam dari, ubi ſecurè habitare poſſet, cùm adeò premeretur *â Slavis*. Ità etiam refert *Melchior Goldaſt. in Commentarijs de Bohemiæ Regni, incorporatarúmque Provinciarum Juribus ac Privilegijs*, aliorum plurium authoritati innixus. E quibus nonnulli volunt, Ducem Bohemorum fuiſſe in ea expeditione contra Avares, *Lechum* nomine, poſtea anno mox ſequenti, *â Carolo Caroli M.* filio, commiſſo

Moravi pactâ cum Bohemis pace, bellum cum Avaribus gerunt. *Goldaſt. lib. 2. cap. 2. § 11. Adhelmum in Annal. Francor. ad an. 805. Aimoinum l. 4. cap. 93. Rheginon. l. 4. Chronic. ad an. eund. Author Annal. Pithæanor. Ado Viennenſ. ad an. eund. Rudolph. Fuldenſ. in Annal. Franc. ad an. eund. Calviſ. in Chronol. ad an. eund.*

miſſo prælio cæſum, Provinciámque totam redactam ſub tributum: quia tamen Scriptores noſtri, nullam unquam mentionem faciunt ullius Principis ſui *nomine Lechi*, ſed plerique Carolo Magno coætaneum ponunt *Ducem Krzezomyslum* (pauci *Mnatam*) cujus obitus refertur ad annum 804. quo *Lechus* bellum geſſit, & ſequenti poſtea in conflictu egregiè pugnans cecidit. Inſuper cauſa belli hujus non alia fuit, niſi ut Avares ex ea Pannoniæ parte, quæ Moravis vicinior erat, quocunque tandem modo pellerentur. Veriſimilius eſt, *eundem Lechum fuiſſe Regem Moravorum, Samoslavi ſucceſſorem*; qui idcirco Hungariam infeſtis armis exagitandam ſuſcepit, *ut quæ olim* (verba ſunt Goldaſt.) *Moravorum Regno, usque ad Granum flumen erant ſubjecta, ea ſibi recuperaret, quæ tum beneficio Caroli Imp. Hunni tenebant, in ejusdem clientela conſtituti.* Pro meliori hujus notitia, lubet hic apponere quod *apud Joan. Philipp. à VVorburg Hiſtoriar. Volum. X. ad an. 805.* (qui id ex vetuſtiſſimis rerum Francicarum Scriptoribus, *Aimonio, Adelmo, Reginone, Adone Viennenſi, Authore Annalium Pithœanor. & alijs*, ſe delibaſſe refert) legimus: cum hac tamen cautela, ut ubi ille Bohemos nominat, nos *Moravos, utpote Hunnorum átque Avarûm vicinos*, intelligamus.

cum Goldaſto ſentiunt, præter ſupra nominatos: Nicolaus Vignerius in Summar. Hiſt. Rom. lib. 8. Aventin. Annal Bojor. l. 4. Padelbornenſis Monachus in Vit. Caroli M. l. 8. ad an. 805. Indict. 12. Eginardus in Vita ejusdem. Clemens Scot. in Vita ejusd. Marian. Scot. l. 3. Chronicor. Trithemius de orig. Francor. an. 805.

Rex Moravorum Lechus, contra Avares fortiter pugnans occiditur, an. 805.

MS. Amos Comen. lib. de antiqu. Moravor. Carolo de Zerotin oblato. MS. Matth. Erythræi de Marcoman. Moravis.

Sic autem habet. *Pacatis Saxonibus, & Danis aliquantiſper repreſſis, Carolus aliqualem quidem quietem habebat, ſed ea propter Godefridi Regis, quoscunque poſſet, ſolicitantis ferociam, diuturna eſſe non potuit. Godefridus præcipuè eos, qui Pagani erant, concitabat. Slavi Bohemici hujus religionis adhuc erant, & Hunnos, quòd & Caroli hoſtes, & quidam ex ijs ad Chriſtianam converſi fuiſſent, eò infeſtiùs perſequi poſſe ſe exiſtimabant. Et quia ipſe Theodorus Caganus Hunnorum, ſive Rex, ſive Princeps, Chriſtianus erat, & Slavi Bohemici, quòd Carolum in prioribus contra Hunnos expeditionibus forti, fidelique operâ juviſſent, & Francorum exercitus aliquoties per Bohemiam tranſiiſſet, omnia ſibi licere putabant, tanta eorum infeſtatio erat, ut Hunni in priſtinis ſedibus eſſe non potuerint. Sed Theodorus propter neceſſitatem populi ſui, Imperatorem adire, & inter Sabariam, & Carnutum locum ſibi ad habitandum dari poſtulare, coactus fuerit. Quantâ contentione Hunni cauſam ſuam egerint, teſtantur ſequentia: Hoc ipſo octingenteſimo quinto anno, Theodorus itidem Chriſtianus princeps Hunnorum, Carolum Aquis adijt, & ſibi ſuæq; genti aſſignari ſedes, quas tutò ſine cujusquam injuriâ colerent, petijt; Slavis enim poſt nuperas clades, prædæ ſe eſſe conquerebatur. Porrò indignum videri, cùm Franci vel victoriæ, vel clementiæ certè ſuæ, teſtes ſupereſſe, aliquas Hunnorum reliquias, paſſi ſint, illas nunc Slavorum ludibrijs expoſitas; nam moriendum ſi fuerit, Francorum gladium præoptandum fuiſſe; gentium omnium victoribus neque vitam, neque mortem ſe gravatè debituros: illud ipsâ morte triſtius futurum, ſi imbelli Slavorum dextrâ Hunnis ſit cadendum. Quæ querelæ Carolum adeò commoverunt, ut cùm jam Theodorum benignè ſuſcepiſſet, non ſolùm precibus ejus annuerit, ſed etiam donatum redire permiſerit. Imò etiam eum pro Cæſarea authoritate, Lechonem illorum Slavorum, qui à regionis, quam per Marcomanorum migrationes vacuam,*

Lechus Rex Morav. bellum gerit cum Carolo M. Imp.

occiditur in prælio:

cuam, ipſi ex Sarmatia progreſſi inſederant, nomine Bohemi vocantur, Ducem, ut ab Hunnis deinceps abſtineret, monuiſſe convincitur ex eo, quòd poſtmodùm, cùm non paruiſſet, contra ipſum exercitum, cum filio ſuo Carolo miſerit. Theodorus ad populum ſuum rediens, pauco tempore transacto diem obijt. Tum ille, qui poſt eum Cacanus ſalutatus fuerat, ne Carolus ob ſequutam mutationem Hunnorum injurias negligeret, veritus, unum de optimatibus ſuis miſit, & renovatis acriùs querelis, honorem antiquum, quem apud Hunnos Cacanus habere ſolebat, petijt. Nec Carolus Lechoni ob contumaciam infenſus, cunctatus, ſed Hunnorum injurias ſuas ratus, Cacani precibus cùm aſſenſum præbuiſſet, non ſolùm eum totius Regni ſummam, juxta priſcum eorum ritum, quo Cacanus apud Hunnos regnare ſolebat, habere præcepit, ſed mox etiam, ut Lechonis contumaciam ulciſceretur, & Godefrido Regi tantum ſocium adimeret, exercitum cum filio ſuo Carolo in terram iſtorum Slavorum, id eſt, in Bohemiam, miſit. Et Carolus omnem illorum Patriam depopulatus, impigrè bellum geſſit: & Lecho hoc, qui Hunnos in tantas anguſtias, ut ad Cæſarem confugere cogerentur, redegerat, non ferendum arbitratus, contractis copijs fortiter occurrit. Sed eum, cùm ſigna extemplò collata fuiſſent, Carolus occidit.

Herburt. lib. 1. Hiſt. Polon. c. 8. Neugebaur. l. 2. Æn. Sylv. in Epitom. Blondi decad. 2. l. 1. Dlugoſſ. apud Cromer. lib. 2. Bonfin. de reb. Hung. decad. 1. lib 9. Rhegin. lib. 2. Chronicor. ad an. 806.

Polonicarum rerum ſcriptores, hunc *Lechum* volunt fuiſſe *Leſcum nomine II. Poloniæ Ducem*, qui vicinis Moravis, tanquam gentilibus ſuis auxilium contra Carolum ferens, in prælio occubuerit. Verùm hunc non adversùs *Hungaros*, ſed *Saxones & Thuringos* bellum ſuſcepiſſe, & conſerto infeliciter prælio cecidiſſe, conſtat ex alijs notæ probatioris. Cujus interitum, cùm vellet ulciſci *Miliduch Soraborum Dux*, tanquàm ejus ſemper in bellis contra Germanos geſtis individuus ſocius, pari quóque fato â Carolo prælio victus, & extinctus eſt. Conjecturam tamen hanc meam *de Lecho*, quem Regem Moravorum eſſe reor, ego tanti non facio, ut eam pertinaciùs tuendam exiſtimem: rem utcunque dubiam, in medio relinquamus.

Hormidor Lechi ſucceſſor peſte extinguitur, an. 811.

Mogemir I. Rex Morav.

Cæſo *Lecho*, & H*ormiduro* ſucceſſore ejus brevì etiam, nempe an. 811. peſte extincto, arripuit Regni faſces *Mogemir* ejus nominis I. qui inito fœdere amicitiæ, cum *Ludovico Pio Imp. Caroli Magni filio*, bellum variâ fortunâ geſſit, jam cum Hungaris, jam cum Polonis: de quo egimus libro ſuper. cap. 3.

Frater ejus, cujus etiam ſuperiori libro meminimus, & qui Pannoniæ inferioris ſimul & Illyrij partem tenebat, *Lidovitus* homo inquies, ac tentandæ fortunæ ſupra modum avidus, bellum grave ac diuturnum, contra ſvadente licèt Mogemiro, cum Germanis geſſit: quod demum ipſum vitâ, & filios ejus bonis hæreditatéq; exuit. Worburgum iterum de hoc referentem audiamus:

Worburg. ad an. 819. Aimon. Adelm.

Contra Lidovitum, & Italiæ & Germanicæ copiæ paratæ fuerant: ſed has exercitus de Italia miſſus prævenit. Et ita veluti impar, cùm Germanicæ necdum adeſſent, rebus parum proſperè geſtis, infecto penè negotio, regredi coactus, tantum animorum Lidovito fecit, ut is ſuperbiâ elatus, & nunc quidquid vellet, â Cæſare impetrari poſſe ratus, legatos, quaſi pacem petendo ad Imperatorem miſerit, & conditiones quaſdam, ad quarum conceſſionem ea, quæ juberentur, facturum ſe pollicebatur, propoſuerit. Incenderat ejus animos, quòd Italico exercitu de Pannonia reverſo, Cadolechus Dux Foro-Julienſis febre correptus, in ipſa Marca deceſſiſſet, & nemo

am-

Digitized by Google

amplius timendus videretur: Sed Imperator cùm conditiones has, veluti ſe indignas, recipere nollet, ut eum eluderet, ex una parte, alias ei conditiones per legatos ſuos propoſuit; ex altera Cadolecho Baldericum, ad cujus curam Carantinorum regio jam pertinebat, ſubrogavit, & collectis ex utraque provincia viribus, quantum poſſet, ac etiam inopinatum impetum facere juſſit. Lidovitus hoc ignorabat, & ob rectas conditiones ſuas magis indignatus, & in perfidia incboata permanendum ſibi, velut optimum judicans, miſſis circumquaque legatis, vicinas juxta ſe gentes ad bellum ſolicitabat. Poſtremò Tunatianorum quoque populum, qui dimiſſâ Bulgarorum ſocietate, ad Imperatorem venire, ac ditioni ejus permittere ſe geſtiebat, ne hoc efficeret, ita intercepit, ut falſis perſvaſionibus illectus eo, quod facere cogitaverat, ommiſſo, perfidiæ illius ſocius, & adjutor extiterit. Baldericus conſilia ejus obſervabat, & non ſolùm copias paratas habebat, ſed etiam Bornam Dalmatiæ Ducem eò impulerat, & ut ipſe magnas copias coëgerit, feceritq́, ut Dragamoſus Lidoviti ſocer, ſtatim ſecum in defectionis exordio, relicto genero, ſe conjunxerit. Lidovitus, ut, ne Baldericus ad Bornam accedere poſſet, impediret, adeò contra illum ſe vertit, ut hic Carantinorum regionem ingreſſus, ibi exercitum ejus obvium habuerit. Et quia incompoſito agmine, juxta Dravum fluvium, iter agebat, ipſe eum, quanquàm parvâ manu, aggredi non dubitavit. Adeòque improviſa res fuit, ut is hunc, multis interfectis, & averterit, & de illa provincia fugârit; & nemo debellatum eſſe dubitârit. Sed hâc clade Lidovitus nihil territus, ſubitò ad Bornam Dalmatiæ Ducem venit. Et quia hic nullam pugnandi morâm fecit, ingens prælium, ad Colapum fluvium, ubi Borna Lidovito magnis cum copijs occurrerat, commiſſum eſt. Et quanquàm hic in prima congreſſione, à Gudaſcanis deſertus fuiſſet, ſuorum tamen prætorianorum auxilio protectus evaſit: ſed perÿt eo in prælio Dragamoſus. Tantò magis Borna, cùm iram in Gudaſcanos vertiſſet, ij domum regreſſi iterum ab eo ſubiguntur. At Lidovitus dum Borna cum his occupatur, occaſionem nactus, valida cum manu, menſe Decembri, Dalmatiam ingreſſus, cunctis ferro & igni devaſtatis, Bornam eò compulit, ut cùm penitus imparem ſe conſpiceret, omnia ſua caſtellis incluſerit, & in aciem educere non auſus, copias tamen contraxerit, & cum delecta manu, nunc à tergo, nunc à latere inſiſtens, Lidoviti militem, & noctu, & interdiu quacunq́ poterat laceravit: neque eum in ſua provincia impunè verſari permiſerit. Ad extremum tribus hominum millibus, de exercitu illius interfectis, trecentis, vel eo ampliùs camelis captis, ſarcinis, & diverſi generis ſpolijs direptis, damno affectum regione ſuâ excedere coëgerit. &c. Et infra. *Dux Borna, poſtquàm Lidovitum, gravi damno affectum, regione ſuâ excedere coëgiſſet, hæc qualiter geſta fuerint, per legatos ſuos Imperatori nunciare curavit, & ita cuncta Imperator Aquis conſiſtens, lætus audivit.*

Regum Slavonicæ gentis,

ad tuendum ſui nominis decus,

egregia virtus.

Et ad annum 820. refert: *Interea bellum contra Lidovitum ſummâ vi geſtum, & tranſactâ hyeme, ut primùm herba pabulum jumentis præbere potuit, tribus exercitibus miſſis, extemplò motum eſt. Quantum Lidoviti nomen fuerit, ſummi apparatus ſignificant; & hi ex tribus exercitibus undiq́, & de Saxonia, quanquàm Danorum fides ſuſpecta eſſet, & de Orientali Francia, & Alemannia, Bajoaria quoque, atque Italia congregatis colliguntur. Exercituum Duces ita inter ſe comparaverant, ut ille de Italia per Alpes Noricos, alter per Carantanorum Provinciam: tertius per Bojoariam & Pannoniam ſuperiorem hoſticum intraret. Lidovitus tantam molem in ſe ruituram conſpicatus, validam ſuorum manum reſiſtere, & ab una parte hoſtes Alpium tranſitu probibere juſſit. Contra medium, qui per Carantanos intraturus erat, ipſe conſtitit. Ubi igitur aditùum præſidia fuerunt, ibi tam acriter pugnatum eſt, ut duo exercitus, dexter & ſiniſter, non tam itineris longitudine, & Dravo flumine, quod traÿciendum erat, impeditus, quàm egregiâ hoſtium manu reſiſtente, Alpium tranſitus per aliquot dies prohibitus ſit. Medius, qui per Carantanos intrabat, feliciore quidem fortunâ uſus ſit: attamen ad loca deſtinata, niſi hoſte ter ſuperato, & Lidovito fortiter repulſo, pervenire non potuerit. Lidovitus ubi omnia magis irrita vidit, eò magis contra hæc nihil molitus, munitione tantùm Caſtelli, quod in arduo monte conſtruxerat, ſe ſuòſque continuit, & nec belli, nec pacis, vel per ſemet-*

Eorundem in tuendis ſuis juribus,

Supremi conatus.

S

ſemetipſum, vel per legatos ullum ſermonem habuiſſe dicitur. Exercitus verò poſtquàm in unum convenerunt, totam penè regionem ferro & igne vaſtantes, haud ullo gravi damno accepto, domum reverſi ſunt. Is tamen, qui per Pannoniam ſuperiorem iter fecerat, in tranſitu Dravi fluminis, ex locorum & aquarum inſalubritate, ſoluti ventris incommodo graviter affectus, & pars ejus non modica hoc morbo conſumpta eſt. Quibus domum reverſis, Carniolenſes, qui Carcaſavum fluvium habitant, & Forojulienſibus penè contigui ſunt, Baldricho ſe dediderunt. Item & pars Carantanorum, quæ ad Lidoviti partes à nobis defecerat, facere curavit.

Ad annum autem 821. *Jucunda quidem acciderant, quæ de Lidovito undique ſubmoto, & intra anguſta unius arcis munimenta compulſo, pluſque loco, quàm viribus confiſo, nunciata fuerant. Sed ex altera parte moleſtum erat, quòd ad tam iniqua redactus, ullum nec belli, ut juſta acie decerneret, nec pacis, ut deditione, vel aliâ conditione bellum finiret, ſermonem habuiſſet, ſed Cæſaris vires eludere, & ita fatigare velle videretur, ut de eo in ordinem redigendo, cogitationem deponere cogeretur. Sed Ludovicus veluti contemptus, magis concitatus, cùm in hyeme, menſe Februario, conventum Aquis celebrâſſet, & de Lidoviti pertinacia ad duces, qui frequentes convenerant, retuliſſet, & cum ijs de bello hoc Lidovitico tractâſſet, denuò ad frangendos ejus ſpiritus, tres exercitus, qui futurâ æſtate perfidorum agros, per vices vaſtarent, ordinavit.* Et infra. *In eodem apud Theodonis villam conventu, affuêre etiam Comites jam de Pannonia regreſſi, & poſtquàm univerſam deſertorum, & Lidovito adhærentium regionem depopulati fuiſſent, nec ullas ijs ibidem copiam pugnandi feciſſet, ſed Lidovitus arcis ſuæ munimentis adhuc teneret ſe, domum reverſi: & quia niſi arx illa expugnaretur, debellari non poſſe dubitabant, data opera, ut omnis generis machinæ contraherentur, & populis jam domitis, per exercitum de Italia miſſum, ipſi arci, cum majoribus copijs opus non fore, admoverentur. Expeditionem anni hujus, aliquantiſper interruperat, quòd Borna Dalmatiæ, atque Lyburniæ Dux defunctus, & ut Imperator alium ſubſtitueret, neceſſarium fuiſſet. Ad tollendam moram hic extemplò populo petenti conſenſit, & nepotem illius nomine Ladaslavum ſucceſſorem ei conſtituit.*

Item anno 822. *Per quæ, & accedentem hiſce Lidoviti calamitatem, tantus cæteris Orientalibus Slavis terror injectus eſt, ut plerique denuò in fidem venerint, & ipſius Lidoviti animus fractus ſit. Nam cùm propter bellum hoc, tam validus de Italia exercitus miſſus fuiſſet, ut Lidovitus, nec in munito illo caſtello, quod in arduo monte conſtruxerat, & in quo advenientibus hoſtibus, per aliquot annos ſe, ſuóſque continuerat, nec alibi tutum ſe ratus, etiam Siſciâ civitate relictâ, ad Sorabos Slavos, quæ natio magnam Dalmatiæ partem obtinebat, fugiendo conferre ſe compulſus ſit; & quamvis uno ex Ducibus, à quo receptus fuerat, per dolum interfecto, civitatem ejus in ſuam ditionem redegiſſet, miſſis tamen ad Imperatoris exercitum legatis ſuis, ad ejus præſentiam venire velle ſe promiſit.*

Tandem anno 823. *Auxit lætitiam Aulæ, quòd peracto placito, & dimiſſis Proceribus, cùm Imperator jam inde digredi ſtatuiſſet, repentè de Lidoviti, qui relictis in Dalmatia Sorabis*, i, Servijs *ad Liudemuſſlum* (alibi *Liudemiſſlum* vocat) *Bornæ Ducis avunculum pervenerat, & aliquantum temporis cum eo moratus, dolo ipſius interfectus fuerat, interitu allatum fuiſſet.*

Aimon. lib. 4. de geſt. Franc. Adelm. in Annal. an. 823.

Ejus filijs, *Raſticz* ſive *Raſtislaus*, alijs *Radislaus*, aliquibus *VVratislaus*, & *Bogislaus*, à *Ladaslavo Dalmatiæ Rege*, & ejus cognato *Liudemiſſlo* patrijs ſedibus per ſummam vim ejecti, in Moraviam ad patruum conceſſerunt. *Bogislaus* poſtea circa an. 827. fortiter pugnans contra Hungaros, utì meminimus libro ſuper. (alij volunt, contra *Bulgaros*, quos ex *Aimonio & Adelmo in Annalib. Francor.* hoc ipſo anno Pannoniam invaſiſſe, & aliquot Slavonicas gentes ſubegiſſe conſtat) occubuit: *Radislaus* verò poſt aliquot annos, *Regnum Moraviæ* obtinuit, de quo paulò poſt.

Moge-

Digitized by Google

Mogemiro abſque liberis maſculini ſexûs defuncto, *Brynno* quidam ex Optimatibus præcipuus, quòd eſſet virtute præſtans, bonus, juſtus ac multitudini maximè gratus, communi univerſorum ſententiâ, Rex eſt renunciatus. Cujus regiminis principia erant utcunque pacata, poſtea ex improviſò turbata omnia, domî ubi maximè ſperabatur, motibus excitatis; quibus Regnum univerſum adeò concuſſum eſt, ut ſimul in partes ſciſſum (prout fit in civilibus bellis) penè corruiſſet, nî tandem *Brynno* rebellium, quorum dux erat *Mogemir*, regij ſanguinis juvenis, furori cedens, voluntarium exilium, vitæ quietiori magis, quàm tractationi armorum deditus, cum filio, & fidelioribus quibusdam lubens ſuſcepiſſet: qui cùm *ad Ludovicum Germanicum* veniſſet, benignè ab eo exceptus, & quâdam regionis parte, Savo flumini adjacente, donatus eſt. De quo apud Aventinum legitur iſtud. *Brynnonem, qui & Privina Moravorum Regulum, qui trans Danubium in Aquilonari ripa habitabat, cum filio Hezilone, ad ſe venientem benignè ſuſcepit* (videlicet Ludovicus) *eundem in Religione Chriſtiana inſtituit Traiſmæ* (*vicus eſt in Auſtria Epiſcopi Salisburg.*) *in templo D. Martini ſacro fonte abluit, & Ratboldo legato ſuo commendat.* Addit & hoc. *Erant Brynnonis urbes: Nitravia, Piſonium, quæ & VVratislaburgium, & Brynna, quæ adhuc ab eo nomen ſervat.* Aliquid etiam de eo refert Bernhardus Krembsmonaſterienſis: *quidam*, ait, *Pryninna exulatus à Moymaro Duce Moravorum ſupra Danubium, venit ad Ratbodum Comitem.*

Brynno, Mogemiri I. ſucceſſor Regnum Mogemiro II. reſignavit, & in Carinthiam abijt, an. 836.

Anonym. de converſ. Carenthan. Comenius de Antiquit. Morav. MS. an. 846. Aventin. lib. 4

Et Brunner. in Annalib. Bojor. *Ad quem*, nempe Ratbodum Pannonici limitis Præfectum, *cùm Prininna ſive Pryno, à Moymaro Moravorum duce proſcriptus transfugiſſet, Ludovici Regis fidem expetijt: à quo comiter habitus, Chriſtiana etiam Sacra ſuſcepit, diuque Ratbodo quàm familiariſſimè uſus eſt. Tandem, incompertum quâ causâ, ſive levitas animi ea fuit, ſive ſpes amplioris fortunæ, repentè ex amico hoſtis effectus, Ratimari Bulgarorum Ducis partibus acceſſit, ejusque legatum Hecilonem, qui eâ tempeſtate Pannoniæ fines infeſtus incurſaverat, armis juvit. Sed Ratbodus Ludovici juſſu hoſti obviam progreſſus, nullo illum loco paſſus eſt conſiſtere, magnisque cladibus multatum è Provincia ejecit. Cujus fuga cùm Prynonis etiam ſpes proſtraviſſet, non minor verecundiæ illum pœnitentia, quàm pudor ſubijt. Optimum tamen factu viſum, Ratbodo ſeſe permittere, cujus cùm placabiles iras nôſſet, brevem errorem priſtinis officijs ſuis condonandum credebat. Neque illum ſua ſpes fefellit: Savo trajecto, conciliatore Salachone Comite uſus, apud Ratbodum gratiæ locum obtinuit: quem eâ fidei conſtantiâ tutatus eſt, ut dignum Ludovicus judicârit, cui juxta Savum flumen, magnum agri modum contribueret beneficiario jure poſſidendum. Quem locum deinceps inductis colonijs, longè celebriorem reddidit, & multis ædificijs exornavit: ſtabiliendisque fortunis arcem inſigni opere molitus ſacrâ Æde inſtruxit, quam Luitramus Archi-Ep. Salisburg. Deo Deiparæq; conſecravit, ipſo anno 840. VIII. Cal. Febr. Neque hic conſtitit ejus pietas; mox pluribus in locis ab eo templa excitata, Luitramo architectos materiariosque ſubmittente. Quo Religionis ampliandæ ſtudio permotus Ludovicus Rex, octavo dein-*

In libello de converſione Carenth. apud Matth. Flaccium Illyric. in cathalog. teſt. veritat. Item apud Vorburg. Hiſtoriar. Volum. Undecimo ad an. 843. Andreas Brunner, Soc. JESU in Annalib. Bojor. part. 2. lib. 6.

deinceps anno, cum ſumma abſolutâque poteſtate, Provincia ab eo tot impendijs exculta Prynonem praeſſe juſſit.

Cæterum *Mogemiri II.* regimen non videtur fuiſſe diuturnum; cùm Radislaum jam circa annum 842. in Moravia regnâſſe conſtet: num autem fuerit ille, ex Mogemiri, vel Hormiduri cognatis, incertum. Iſtud certum, duos fuiſſe hujus nominis Mogemiros; alium Hormiduri, ab anno 811. ad usque 834. præter propter; alium Brynnonis, ab anno 838. ſucceſſorem.

CAPUT V.

Alia eáque graviora bella, ſub Rege Radislao.

Radislaus Mogemiro II. ſuccedit.

ITâque *Radislaus*, quamvìs apud Moravos exul, ob præclaras tamen animi & corporis dotes, quòd eſſet non tantùm genere, formâ, celſitudine corporis, præ cæteris inſignis, verùm etiam ingenio ſagax, diſertus, ſolers & induſtrius, reíque militaris peritus, & manu ac conſilio æquè promptus: tum etiam propter *Mogemiri I. patrui*, de toto Regno optimè meriti, gratam memoriam, *Rex Moraviæ* conſtituitur. Hic ut expectationi illorum, qui ſe tam propenſis animis & ſtudijs in Regem elegiſſent, ſatìs faceret; ocium & quietem deteſtatus, & ſuapte etiam naturâ, prout aliquando pater ipſius *Lidovitus*, ad bellum ciendum promptus, primo quóque tempore, aliquid audendum *contra Hungaros* ſibi ſumpſit. Quo autem ſucceſſu, ſuprà oſtendimus. Ex quo apparuit, fortunam conatibus ejus non ſatis ex æquo reſpondiſſe, quin potiùs egregiè ipſi illuſiſſe; quam neque deinceps multùm ſibi propitiam habuit.

lib. 1. c. 9.

variâ fortunâ, ſed plerumque ſibi iniquiori bella gerit:

Nam moto, ſæpiúsque repetito, non neceſſario contra *Germanos* bello, cauſam ultimò præbuit adeò funeſtæ calamitatis, ut & ipſi perniciem, & regioni toti ſupremam cladem, ſenſim licèt, ac velut per intervalla, attuliſſe viſa ſit. Quippe ardens nimiùm fervidâ ac præcipiti, proferendi Imperij cupiditate, quaſi immenſum ejus animum anguſtia Regni, quod tamen poſſidebat ampliſſimum, minimè capere poſſet; allectis in ſocietatem *Hungaris & Dalmatis*, cum quibus priùs de omni controverſia amicè convenerat, arma animúmque in bellum Germanicum tranſtulit: tum rectè, quando poſt mortem *Ludovici Imp.* inter fratres *Lotharium, Ludovicum & Carolum*, civile exarſerat bellum, funeſtùm admodùm & cruentum. Igitur in maximam ſpem belli proſperè conficiendi erectus, delectum quàm fortiſſimorum, per omnes ſui juris provincias inſtituit; collectóque juſto exercitu, *in Auſtriam* vaſtabundus ex improviſo irrupit: & quia initia belli hujus experiebatur proſpera, ſubjugatâ Auſtriâ, & caſtellis ferè omnibus, in ea occupatis, tantos inde conceperat ſpiritus, ut *Norico quóque Ripenſi, & Bavariæ* extrema quǽque minitari non dubitaret. Jámque Norico imminebat, paulò poſt

cum Hungaris & Dalmatis fœdere inito,

bellum Germanis infert:

Auſtriam occupat:

Bavariæ imminet.

Digitized by Google

pôſt, ubi de commeatu proſpexiſſet ſufficienti, infeſtis illud ſignis aggreſſurus. Quæ tamen ità diſpoſita complere ad votum non potuit, *Hungaris*, *bello Bulgarico*, ſub id tempus interveniente, domum retractis, & fratribus germanis inter ſe tandem, *Triarchiâ* conſtitutâ, pacificatis.

Hungaris demum bello Bulgarico domum revocatis,

Nam *Ludovicus*, cui Germania in ea trina partitione Imperij obtigit, ubi de miſerabili Auſtriæ ſtatu cognoviſſet, poſtpoſitâ omni morâ, eò quamprimùm profectionem inſtituit; diviſóque bifariam exercitu, cum una parte *Carolomanum filium*, Dalmatis invigilare juſſit, cum altera eâque potiore, ipſe reprimendam *Radislai* inſolentiam ſuſcepit. Cum utríſque deinde certatum eſt velitationibus crebris: tentatáque ſunt inter partes non ſemel pacificationes, *Dalmatis* pacem ſvadentibus, & fortaſſis imminentem exercitûs ſui, & Regis cladem, animo præſagientibus; ſed *Radislao* præferoces gerente ſpiritus non placuit, niſi inſiſtere bello, ac tentare armis extrema quæque: donec *fuſis Dalmatis*, *& Rege eorum Geſtimulo occiſo*, *Ludovicus*, converſis in illum copijs univerſis, prælio victum profligavit, ac totâ Auſtriâ ejecit. Néque ſatis erat Victori, Moravos Provinciâ ejeciſſe, ſed in ipſa quóque hoſtilis Regni viſcera, ſigna transferri decrevit, indignum exiſtimans, ſi rupta ab hoſte fœdera manerent inulta. Verùm æſtate jam tum in autumnum inclinante, cùm ingruentibus cœlo pluvijs, incommodum valdè ducendo exercitui foret iter, â propoſito deſtitit: dilatâque in aliud tempus de hoſte fallaci vindictâ, militem ad deſtinata loca, quibus ſeſe contineret per hyemem, dimiſit. Ipſe autem *in Germaniam*, ad novos delectus habendos, inſtruendúmque, pro futuri belli uſu, majorem apparatum, reverſus eſt.

& Geſtimulo Rege Dalmatis cæſo, an. 844.
Lambert. Schaffnaburg. de reb. Germ. an. 844. Marian. Scot. lib. 2. Chron. an. eod.
Auſtriâ fœdè ejicitur.

Vere appropinquante, & omnibus, quæ ad tantum bellum neceſſaria erant, ſummò ſtudio comparatis, *Danubium trajecit:* tum obvijs, qui littora tutabantur, in fugam conjectis, ac nemine poſtea reſiſtente, interiora Regni liberè cum toto exercitu ingreſſus eſt, vaſtis cladibus & incendijs omnia complens. Non fidebat viribus ſuis, *Radislaus*, *celeritate Ludovici præventus*, neque Sedi ſuæ Regiæ, ſed tutiora conſilia ſequutus, in Orientalem Regni plagam ſeceſſit: ubi adſcitis denuò in auxilium *Hungaris*, adjutus quoque â *Zemovito Polonorum Duce*, ſpatio temporis brevi, exercitum comparavit, tantarum virium, ut jam Ludovico par videretur. Apertâ tamen vi congredi, inque unius prælij diſcrimen totius rei ſummam conijcere non auſus, caſtris ſeſe continuit; niſi quòd ſubinde *Polonorum & Hungarorum turmæ*, ad velitandum excurrerent, *Germanis interea per Auſtralem & Occiduam Regni plagam* impunè graſſantibus. Hunc in modum potior verni temporis, imò aliquâ etiam æſtatis pars, minoribus ſolùm congreſſibus extracta fuit; donec tandem pacificatio ſequuta eſt; quibus conditionibus, non conſtat. Hæc acta fuiſſe volunt aliqui, an. 845. Alij, cum *Rudolpho Fuldenſi*, ſcriptore coævo, & *Lamberto Saffnaburg*. an. 846. quo, *Bohemorum duces quatuordecim*, *cum hominibus ſuis*, *operâ Ludovici Regis*, *Chriſtianam religionem ſuſcepiſſe*, *& in Theophania Octava baptizatos eſſe*, narrat Sigebertus. Verum *nomine ducum Bohemorum*, non debere intelligi regnantes tunc Principes, ſed illu-

Bellum exurgit atrox, Moraviæ perniciosum.
Ludovicus, Germanicus Moraviam ingreſſus Radislaum premit:
Moraviam vaſtat:
Radislaum ad petendam pacem compellit.
Aventin. lib. 4. Spangenb. Fuld. & Saffn. an. 846. Sigeb. ad an. 846. Fuldenſ. 845.

illuſtriores quosdam Dynaſtas & Nobiles, Bavariæ & Franconiæ viciniores: uti *Plſnenſes Radauſſij poſteros, Klatovienſes, Studynecios, Teplenſes, borenſes, Liticenſes, Kadanenſes;* oſtendi alibi.

Phoſphor. Septic. Gloria Prag. Eccl. Rad. III. p. 117.
Ludovici Germ in Bohemia geſta.

His tranſactis, Ludovicus in Saxoniam ad ſupprimendos, qui ibi exoriebantur, tumultus, cum exercitu per Bohemiam contendit: quem dum *VVratislaus Dux Zatecenſis*, ſtolidâ ferociâ, tranſitu prohibere nititur, arma ipſius omnium primò in ſe convertit: quæ tamen egregiè ſuſtinuit. Unde Fuldenſis de Ludovico: *per Boëmanos*, inquit, *cum magna difficultate, & grandi damno exercitus ſui, regreſſus eſt.* Et Lambertus Hirsfeldenſis monachus: *Ludovicus filius Ludovici, Pannoniam* (Moraviam ſc.) *ſubegit, & Bohemos domum rediens vaſtavit.* Neque id ſatis fuit, ſed biennio ſequenti toto, eundem *VVratislaum*, (*Hoſtivito Bohemorum Duce* tunc Germanorum amico, vigore fœderis, anno 840. Francofurti inito) poſt iteratos ſæpè conflictus, adeò exagitavit, ut is, acceptis quàm plurimis damnis, pacem ultimò petere, imperata facere, atque obſides dare compelleretur. Anno tamen 849. vel, ùt habet *Sigebertus*, 850. *Saxones & Franci*, clade affecti ſunt ingenti, ab eodem *VVratislao*, & confœderatis ipſius *Sorabis, Dalemincijsque.* Qua de re cùm apud *Bohemicos Scriptores*, altum ſit ſilentium, & victoria hæc multùm ad gloriam meæ Gentis faciat, liceat mihi hîcâ Moravicis rebus nonnihil deviare, & *Brunnerum Scriptorum rerum Bojicarum eximium*, de hoc fusè commemorantem referre.

Rudolph. in Annal. Francor. ad an. 846. Lambert. Schaffn. ad an. eund.

Stranſky Reip. Boh. cap. 8.

Rudolph. ibid. ad an. 848. Calſiſ. ad an. 848. 849. Georg. Fabric. rer. memorab Sax. l. 1 an. 850. Ditbmarus Merſburg. Brunner in Bojicis parte 2. lib. 6. n. 8. ex Annalib. Fuldenſ. ſub an. 849. Sigebert. ad an. 850. Baronius an. eod. Fabric. rer. mem. Sax. l. 1. an. 850. Calſiſ. an. 848. & ſequ.

Proximo anno, nempe 849. cum Bohemis infeliciter pugnatum eſt, Ducum ſuperbiâ, qua nusquam graviùs, quam in bello peccat. Dederant in eam expeditionem nomina, procerum nobiliſſimi quique, etiam è ſacro ordine; copijs omnibus, cum ſummo imperio, Erneſtus præerat, regi in paucis charus, Nariſcorum præſes & limitis cuſtos. Initia belli egregiè ſe dabant, nullâ re par noſtro militi hoſtis, munimentis ſe tenebat; ſed Erneſtus viribus animisque ſuorum fretus, ad caſtra ipſa oppugnanda acceſſit: ibi acris pugna edita; cùm hoſtis loco, noſtri virtute vincerent; cadunt utrinq; multi, plures vulnerantur; ex quibus etiam Dacbulfus, partium noſtrarum dux, Sorabici limitis præſes, ſecundùm genu ſagittâ ictus eſt. Caſtra etſi capta tunc non ſunt, illorum tamen in poſterum tuendorum hoſtibus ſpes adempta. Igitur de deditione agi cœptum, evocato ad id illo ipſo, quem modo nominavimus, Dacbulfo, ob peritiam linguæ, & quòd cætera etiam virtute olim cogniti æquitati magis confiderent. Dacbulfus, ne hoc ipſum ferociores hoſtes redderet, ſi ſaucium aſpexiſſent, obligato vulnere, in equum impoſitus, dolorem animi conſtantiâ preſſit, & cum legatis paciſci cœpit. Æqua omnia, & honorifica nobis poſtulaverant; quæ dum ad concilium ducum refert, quidam cæcâ ambitione abrepti fremere, indignarique palam, quòd confecti belli gloriam, in ſe potiſſimùm transferre Dacbulfus ſatageret; pacificatoris perſonam nunc ex æquo agere, poſtquàm pugna infeliciter cecidiſſet: quin potiùs arma viris relinqueret, & Sorabis ſuis extra teli jactum, jus diceret; id claudum ſcilicet optimè facturum: minimo minus nuper abfuiſſe, quin hoſtis caſtris exueretur; nunc metu per-

Digitized by Google

perculſum, in ultima rerum omnium deſperatione, mentionem pacis injeciſſe, non apud ſummum belli ducem, cujus ea res arbitrij ſit, quem conditiones non accepturum, ſed daturum eſſe ſciebat; ſed apud eum, qui quoquo modo bellum cuperet finiri, altero ſaltèm crure integro, cujus illi, quàm famæ gloriæq; potior ſit cura; ſe quidem non paſſuros, victoriam ſibi, unius imbelliâ, è manibus eripi. Hæc duces per ſe, & apud exercitum haud paulò ferociorem jactare, pacem qualemcúnque Dachulfus feciſſet, faceretque deteſtari, & turbidiſſimis vocibus prælium depoſcere, ultro locum ac tempus pugnandi ſumpturi, ſi ab Imperatore non daretur. Ergo conclamatum eſt ad arma, & in Bohemos omnia alia cogitantes impetus factus; quibus cùm nec armandi ſui tempus ſuppeteret, ipſa tamen noſtrorum iniquitas animos dabat: cobortantésque ſe mutuò, ſcirent ſibi cum violatoribus juris humani divinique negotium eſſe, noſtros inconditè irruentes, non exceperunt modò fortiter, ſed paventes lymphatisque ſimiles, cùm non æquè vigeret in pugnam manus, atq; paulò ante lingua in convicia diſerta fuerat, ferro conciſos, ignominiaq; & vulnerum plenos in caſtra, pecorum more, egerunt; ad prædam converſi, per ſummum otium ſpolia corporibus detraxerunt, non modò nemine reſiſtere auſo, ſed neq; ad fugam ſatis animato. Igitur verſâ fortunæ aleâ, qui nullam ante pactionem auribus admiſerant, jam ipſi pro capite decidere, & pro magno impetratum velle, uti ſalvis corporibus abire ſibi inde liceret. In eam rem, nulla conditionis fœditas recuſata eſt; quas inter illa fuit, ne de publica via decederent, ut per frequentia hoſtibus loca, velut in triumpho traducti, miſerabili ſpectaculo infeſtos oculos paſcerent.

Violatores fidei Germani,

à Bohemis egregiè caſtigantur.

Sigeb. Gembl. ad an. 850.

Cùm deinde recruduiſſent diſſidia, inter *Ludovicum*, *& filios Lotharij*, qui tunc Imperio ſponte depoſito, monaſterium Prumienſe, apud Treviros ingreſſus erat, *Radislaus* recuperandæ alicujus partis Pannoniæ ſuperioris, occaſionem adeſſe ratus, arma rurſum corripuit; factâque in Auſtriam irruptione repentinâ, eam hoſtili more populatus eſt. Quo cognito *Ludovicus*, nè ad bellum civile res domî perveniret, quantâ potuit induſtriâ effecit: móxque ſedatis motibus inteſtinis, copias univerſas, quas tum habebat inſtructiſſimas, in hoſtem duxit. In quem tamen multitudine armatorum, & viribus longè prævalentem, nihil tentare auſus fuit, ſed percurſâ celeriter regionis parte, cùm deinde accurrentibus indiès, majoribus ad Radislaum, *ex Hungaria & Polonia* copijs, non videret ſe ampliùs in terra hoſtili tutum, iter quâ venerat, repetijt. De quo audiamus Rudolphum, cujus *Abbas Hatto*, expeditioni huic, & ſequenti interfuiſſe memoratur. *Rex Ludovicus in Slavos Markenſes* (id eſt, Moravos) *contra Raſticem Ducem eorum ſibi rebellantem, proſperè ducto exercitu, ſine victoria redijt, malens adverſarium firmiſſimo vallo munitum, ad tempus dimittere, quàm militum ſuorum, periculosè pugnando, damna ſuſtinere. Magnam tamen Provinciæ partem prædationibus, & incendijs vaſtavit exercitus, nec parvam multitudinem hoſtium, caſtra Regis invadere cupientium, usque ad internecionem delevit,* &c.

Radislaus bellum contra Ludovicum renovat:

Auſtriam populatur.

Radislao occurrunt Hungari & Poloni auxiliatum.

Rudolph. citat. ad an. 855.
Annal. Fuldenſ. an. eod.
Lambert. Schaffn. an. eod.
Marian. Scot. lib. 3. Chronic. an. eod.

Ludovicus Moraviam ingreditur: hoſti impar in Auſtriam redit.

Sequenti anno, *Ludovicus filium Carolomanum in Auſtriam, ad tuendos*

Digitized by Google

Ludovici expeditio in Bohemiam, contra Slavatam ducem, an. 856.

dos Imperij fines miſit, ipſe verò menſe Auguſto, cum parte exercitûs, per Sorabos iter faciens, & Duce illorum *Ctiborio* unà aſſumpto, in Bohemiam movit, contra *Slavatam* (Aventino *Slavizam*, Annalibus Francorum *Slavitagum*) *VVratislai* (Aventinò & alijs *VViztrachi*) *ducis Zatecenſis non ita pridem defuncti filium*, qui ejecto *Vlaſtislao fratre* majore natu, vi Ducatum occupavit. Nihil tamen ſingulare eâ expeditione geſſit, *Slavatâ* egregiè ſua, tum foris, tum *intra Zatecij mœnia* defendente; niſi quòd vicinus ager totus, ab irato milite ingentia detrimenta tulit. Altero poſt hæc anno, miſſo *Otgario Eichſtadenſi Epiſcopo*, *Rudolpho Præfecto Palatij*, & *Erneſto Duce Bavariæ*, cum fortiori manu, eo usque anguſtiarum *Slavatam* adegit, ut is conſilij inops, & jam néque civibus, quos mutatâ fortunâ, etiam fidem paulò pòſt mutaturos haud obſcurè prævidebat, non ſatis fidere auſus, clàm urbe cedere, & primò ad *Borzivogium Bohemiæ Principem cognatum ſuum*, qui patri ſuo *Hoſtivito*, anno præterito, nempe 856. defuncto ſucceſſerat, anno ætatis ſuæ vigeſimo tertio, Pragam, deinde *ad Radislaum in Moraviam* fugere cogeretur.

Alia ruſum expeditio, an. 857.

Slavata Ducatu pulſus, in Moraviam ad Radislaum ſe ſubducit.

Stransky loco ſupr. cit. VVeleslabin. in Genealog. Ducum Boh. in Annalib. Francor. an. 857.

Lubet hac de re Fuldenſem audire: *Otgarius Epiſcopus, & Hruodolphus Comes Palatij, & Herneſtus filius Hernuſti Ducis, cum hominibus ſuis in Boëmanos miſſi, civitatem VViztrachi ducis, ab annis multis rebellem occupaverunt, expulſo ab ea Slavitago, filio ducis VViztrachi, qui tyrannidem tunc in ea exercebat. Quo per fugam elapſo, & ad Raſticem ſe conferente, frater ejus, qui ab eo patriâ pulſus, apud Cztiborium Sorabum exulabat, ad Regem fideliter veniens, loco fratris Dux conſtituitur.* Aventinus verò in hunc modum: *apud Slavos, nationem Germaniæ magnæ tum populoſam, tum ferocem, tumultuatum eſt. Schlavitza, VViztrachi Bojemiæ Dynaſtæ filius, cum fratre de potentatu contendit, fratrémque Bojemiâ exigit, Principatum occupat, & Regi noſtro* (Ludovico II.) *non eſt audiens dicto. Germanus ad Regem exul profugit, ab eóque Ducatum impetrat, Erneſtus dux limitis Septentrionalis Bojariæ, Rudolphus præfectus Pratorij, Odgerus Epiſcopus Aichſtadienſis, cum copijs in Bojemiam pergunt, exulem Bojemum vi reducunt, popularibúsque imponunt. Schlavitza fugâ ſibi conſuluit, & ad Ratisolaum Regem Moraviæ elapſus eſt.* Alius item: *Auguſto menſe in Dalmatas, quos alij Dalemincios rectiùs vocant*, (hi *Slavi* erant, tum regionem ad Albim inhabitantes, quæ poſtea ab urbe Miſna, Henrici Imp. ſtudio, circa an. 930. condita, *Miſnia* dici cæpit,) *ſuſcepta expeditiò eſt. Itinere per Sorabos inſtituto: prælium ex ſententia confectum: Dalmatæ in ditionem Ludovici conceſſerunt, tributúmque pacti, fidem datam obſidibus firmârunt. Plus negotij ſequente anno in Bojohemo fuit. Slavitagus illic VViztrachi Ducis filius tyrannidem arripuerat, cujus documentum primùm in fratre edidit, quem Imperij conſortem non ferens, per ſummam injuriam, avitis bonis, & ipsâ adeò Patriâ expulit. Is ad Sorabos fugâ elapſus, exilij mala miſerandus, Cziczstibori cliens utcunq; tolerabat. Sublato æmulo, Slavitagus cùm multo impotentiùs ageret, Ludovici in ſe iram vertit; qui Otgario Epiſcopo, Ruodolto Palatij Comiti,* &

Brunner. Annal. Bojor. part. 2. l. 6. ad an. 857. Aventin. Annalib. Boj. lib. 4. fol. 316. Spangenb. in Chron. Saxon. ad an. 856.

Slavatæ Ducis Zatecenſis fuga ex Bohemia in Moraviam.

Digitized by Google

& Erneſto Erneſti filio, ſummâ rerum permiſsâ, bellum illud per legatos adminiſtravit, ſucceſſu felici. Civitas, ubi fortunarum prædariámque domicilium Slavitagus conſtituerat, in poteſtatem venit. Slavitagus fugâ elapſus, ad Raſticem Moravorum regulum, &c. Ita Brunner, in Annal. Bojor. antiquis Scriptoribus, & eorum temporum coævis innixus.

MS. de antiq. Urbis Zatec. Nicolai Artemiſij Notarij, civis, Senatoris, ac tandem Primatis Reipubl. Zatecenſis, anno 1542. oblatum Dionyſio Sla[illegible]ta, Domino [illegible]c in Koſtelecio nad Cžernýma Leſy / *repertum non ita pridem in arce Koſſimberga, inter alia vetuſtiſſima ſcripta.*

Ab hoc *Slavata* (ut id brevibus hîc attingam, cùm veluti ſub manu enata res occurrat) deſcendere ſtirpem inclytam *Slavatarum, Comitum in Bohemia*, conjectura haudquaquàm improbabilis eſt: fulciri enim poteſt, tum etymo nominis, ùt patet; tum gentilitio inſigni ipſorum, ſeu clypeo, quo tres lineas in latum protenſas, tria currentia flumina repræſentantes geſtant; quales geſtâſſe olim *Duces Zatecenſes*, probat ex antiquiſſimis Urbis Zatecenſis monumentis, picturis, clypeis eorundem Ducum, & Sigillis, *Nicolaus Artemiſius*, quondam Urbis illius *Primas*: in ſignum (ut ait ille) quòd ditio eorum tribus præcipuæ notæ fluminibus; *Oegrâ*, â plaga Occidentali, ex quatuor fluviorum parente *Pinifero monte* veniente, & per medium, regionem ſcindente irrigabatur, *Albi* verò & *Miſâ*, ceu limitibus â natura fixis, claudebatur.

Slavatarum in Bohemia Majores, Duces Zatecenſes, Ducum Bohemiæ legitimis natalibus deſcendentes Poſteri.

Neq; mirum videri debet, familiam Principum eò usque deſcendiſſe, ut intermiſſo generis ſui ſplendore, deinceps nō niſi de communi provincialium ſtatu cenſeretur; nam idem exemplum patet, *in Baronibus Svibovijs, â Theobaldo, & Czerninijs ab Henrico, VVladislai Regis Bohemiæ fratribus germanis*, legitimis natalibus deſcendentibus. Et *Svibovij* ſimiliter, acceptâ paternæ hæreditatis titulo *Provinciâ Klatovienſi*, in ſcuto ſuo gentilitio portârunt tres hujusmodi lineas, (Aquila nigra in albo campo poſteriùs acceſſit:) quas hodiéque pro ſuo inſigni ferunt: ſicut etiam *Czerninij*; licèt nonnihil diverſo modo, & tantùm per mediam, eámque dextram ſcuti partem poſitas. Unde mihi videtur omnino veriſimilius, quod probatioris notæ Scriptores, rerûmque Bohemicarum peritiores imprimis, volunt; nimirum, tria illa in ſcuto protenſa flumina, fuiſſe gentilitium, & commune inſigne *Principum Przemyslo-Libuſſæorum*: quali *Boleslaum Pium, in literis Fundationis Cœnobij Brzevvnovienſ. Ord. S. Benedicti propè Pragam*, uſurpâſſe conſtat. Ita Balbinus in Epitom. rer. Bohemicar. lib. 1. cap. 7. ſentit hiſce: *Ego rurſus ab Hagecio diſceſſionem facio, ajoq; veriſimilius videri: vetuſtos Bohemiæ Principes ante D. VVenceslaum, non Aquilam, ſed tria flumina, aut potiùs lineas, aut tabellam ad ejus ſimilitudinem, quâ in Scachidis ludo utuntur, in clypeo tuliſſe. Hoc argumento Sſvibovìorum antiquiſſima in Bohemia ſtirps ex Regibus antiquis Bohemiæ, virili ſanguinis lineâ deſcendens (ùt Clatovienſe vetuſtiſſimum Chronicon, Paprocius, aliique omnes agnoſcunt) itidem Czerninij, ab eadem Bohemiæ Principum Origine, tria illa flumina gentilitia hodiéque oſtentant. Inter antiquiſſimas (ùt multorum fert opininio) totius Bohemiæ ſtatuas, numeratur Statua D. VVenceslai, in celebri quondam ſacrarum Virginum, cui Svvietſe nomen erat, Cœnobio, proximè ad civitatem Bilinam: ubi in clypeo, quem armatus D. VVenceslaus ſuſtinet, non Aquila, ſed tria illa flumina, quæ modò dixi, ſpectantur.* Addit poſtmodùm, id quod ſupra inſi-

Svihovij & Czerninij in Bohemia, vetus Przemyslo-Libuſſææ ducalis ac demum etiam Regiæ Familiæ ſanguis.

Balbinus in Epit. rer. Boh. & in Geneal. Guttenſt. Crugerius in ſacris Memor. in diverſis locis.

Paprocký w Poſlaupnoſti Knjžat a Kráľůw Cžeſkých w Knize 3. w Kap. 6. *MS.*

Digitized by Google

inſinuavimus paucis. *Demonſtrari iſtud apertiùs poteſt literis publicis, Boleslavi II. Bohemiæ Ducis, quibus Cœnobium Brevvnovienſe, unà cùm S. Adalberto Epiſc. fundavit: quæ litteræ hodiéque Braunoviæ aſſervantur. Sigillum eſt grandiuſculum, in eo Princeps ſolio inſidens, juvenis formâ inſignis, promiſſis capillis, togâ longâ, alterâ manu vexillum, alterâ rotundum quendam clypeum manu retinens ſpectatur; in eo clypeo clariſſimè nulla Aquila, ſed tres lineæ, ſeu tres fluvij viſuntur.* Ita ille antiquitatum Patriæ ſcientiſſimus: quod affirmat etiam *Paprocius*, qui ſigillum illud ſe vidiſſe teſtatur. Nos noſtra proſequamur.

W Poſlaup. noſtí Kráſúno Cžeſkých. pag. 348.

Radislai cum Rege Bulgariæ, Ducibúsque Poloniæ & Ruſſiæ adversùs Germanos fœdus.

Pezelius Hiſtor. Melliſ. part. 3. pag. 115. Bucelen. in Nucleo Hiſt. ad an. 845. ait Bulgaros ad pacem & Fidem converſos. Regenvolſcius in Hiſtor. Eccleſiar. Slavonic. l. 1. c. 1.

His in Bohemia actis, *Radislaus* in rem conſulens ſuam, & imminentia longè ante proſpiciens, ut ſua fortiùs adversùs Germanos, quos ſibi propter receptum *Slavatam*, multò quàm antea infenſiores haud vanè exiſtimabat, præmunire poſſet, fœdús *cum Polonia & Ruſſiæ Ducibus* inijt; â Rege quoque *Bulgarorum Michaële*, cui, novo tunc Chriſtiano, pax erat *cum Imperatore Græco Michaële III.* ſelectiſſimam bellatorum manum in auxilium accepit.

Carolomanus Ludovici Germanici filius contra Moravos exercitum comparat:

Rudolph. tit. ad an. 858. Author Annal. Pythæan. Brunner.

Intereà *Carolomanus*, prout â Patre juſſus fuerat, coactâ undique multitudine militis ad gerendum bellum idonei, nec dum adulto vere, anni 858. in Auſtriam movit, geminâ conſideratione alacrior: tum quòd eâ feſtinatione, anni maturitate non expectatâ, Moravos ex improviſo opprimi poſſe non diffideret, tum quòd expletus prædarum varietate miles, nuperâ expeditione in Bohemia, hic quoque ſimili in ſpe, fidenter in effectus animaretur proſperos. Ne verò diu gravaret exercitu Auſtriam, mox ubi comparâſſet omnia neceſſaria, quæ præſens poſcebat procinctus, Danubium trajicere conſtituit. Sed difficulter ſufficiebat in ea, quæ conabatur: *Moravi* námque *Germanos* ſolertiſſimè contemplati, cùm eos longè latéque, per adverſas *Danubij ripas*, figere tentoria cernerent, aſſiduò in armis erant, noctésque agebant exſomnes, cuſtodientes pervigili ſtudio, ne tranſitus tentaretur. Sicque complures tranſière dies, *Germanis*, ſi quâ viâ traijci poſſet flumen, ſollicitè modum quærentibus, *Moravis* autem id ipſum ſummâ vi arcentibus.

Danubij tranſitum vi & armis fruſtra tentat: Dolo tandem uſus,

Edoctus tandem exploratorum delatione *Carolomanus*, altiora aliquantùm *Danubij littora*, non ita accuratè ab hoſte, caſtris tantùm Germanorum ut plurimùm intento, cuſtodiri, nocte intempeſtâ, relictis ad ignem calonibus & lixis, ut ſpeciem remanentis exercitûs præberent, tacitè caſtra locò movit: uſúsque noctis ſerenæ beneficio, dum *Moravi* ignes obſervarent, copias omnes, celeritate maximâ, in alteram partem, nemine prohibente, traduxit; & ut hoſtibus occurreret inſperatus, mox primò diluculo, curatis citò corporibus, aciéque inſtructâ, ſtudio maturabat ingenti Conatu tamen irrito: ſiquidem *Moravi*, cognito Germanorum tranſitu, cùm id primò rumores, deinde nuncij attuliſſent certi, nihil animo ſeſe demittere, ſed illicò ad arma & procinctum conclamare, ſignum profectionis dare, agmina equitum peditúmque in ordinem diſponere, præmiſſiſque aliquot expeditioribus turmis, cum reliqua exercitûs mole, citatis paſſibus, obviam hoſti contendere.

Danubium nullo reſiſtente trajicit.

Moravi ad reſiſtendum ſeſtò concurrunt.

Sed

Sed neque *Carolomanus* à ſolita animi fortitudine quicquam remiſit: qui è denſioribus ſylvis, per quas iter fecerat, egreſſus, acie inſtructâ, explicatiſque ſignis, Moravos ad prælium expectabat: quorum cùm â longè audiret fremitum, tubásque torvum increpantes, ita ut ſenſim magìs ac magìs appropinquari ſentirentur, ſuos ad egregiè pugnandum breviter adhortatus, ſelectiorem bellatorum partem, primæ hoſtium fronti oppoſuit.

Datô poſtmodùm æneatorum occentu ſolenniter ad prælium ſignô, ferocibus utrinque concurſum eſt animis, *Moravis* equitatu & numero prævalentibus, qui fulguris inſtar irruebant, in Germanorum turmas, frendentes immania; quos contrà, *Germanus miles* ſuſtinebat fortiter. Quo in ardore prælij primo, pugnatum eſt, paribus diu momentis, cœlúmque exultantium cadentiúmque reſonabat vocibus magnis. Brevì poſt *Moravi*, pulſis disjectíſque equitibus Germanis, primam aciem peditum inceſſerunt: quam ab equitibus inconditè fugientibus, turbatam â latere dextro, negotio facili obtriviſſent, nî reliqui Germanorum manipuli conferti, ſibíque inhærentes, ſtetiſſent immobiles; qui uſu præliorum diuturno firmati, egregiâ virtute reſtiterunt, hoſtémque prodigere vitam pro victoria contendentem, viribus adultis exceperunt, ſuóque ſtrenui exempli auſu, equitibus jam non niſi fugæ intentis, præbuerunt cauſam, ut denuò conglobati, ad pugnam redintegrandam accurrere non dubitarent. Quo facto, recruduit multò acrioribus animis prælium, *Moravis* ſummâ vi agminis Germanici laxare compagem tentantibus: ſed continuatâ ſerie peremptorum, quos *Germanus* jam fortior, eóq; fidentior proſternebat, ſuccedebant ſuperſtites interfectis; ita ut ad extremum magnâ clade affecti, & audito tot ſuorum occumbentium gemitu, non modò perturbarentur vehementer, ſed aliqui jam etiam fugam in tutiora circumſpicerent. Diremit tandem hoc internecivum certamen, cedens veſpero dies, & *Germanis* propiùs ad Danubium retrocedentibus, *Moravi* quoque cum auxiliaribus copijs, repetierunt tentoria triſtes.

Pugna utrinque committitur. — *Acies Germanorum nutat:* — *Sed mox in ordinem redigitur.* — *recrudeſcit certamen:* — *quod interveniente noctis tenebrâ dirimunt.*

Nihil poſt hæc inter partes, præter inducias, actum eſt, bimeſtres; quas deinde interveniens dira fames, longorum bellorum indubitata appendix, nec multò poſt etiam atrociſſima peſtilentiæ lues, effecerant longiores. Cupiebat quidem *plebs Morava*, intra ſeptorum ambitum contruſa, immaniter fremens, animiſque concita truculentis, *Germanos*, extrema metuentes retroceſſiſſe arbitrata, inſequi, experirique poſtrema diſcrimina: ſed quia ſociorum copiæ fractæ, nihilque ampliùs tentare auſæ, diſceſſum in propria maturabant, ab ulterioribus belli gerendi cogitationibus, nolens volens remittere debuit. Pactis inducijs, *Carolomanus* rediens in Auſtriam, id imprimis curandum ſuſcepit, ut militum cruento labori quies ſuccederet aliqua, ad refocillandas vires; tametſi mœſtâ ſqualens inopiâ regio, exigua quædam victui congrua ſuggerere potuerit.

Moravi experiri poſtrema volunt. — *Carolomanus in Auſtriam redit.* — *Rudolph. ad an. ſupra cit.*

Circa hæc tempora, *S. Cyrillus*, quem *Græcum* alij, alij *Illyricum Slavum*, alij *Bulgarum natione* fuiſſe volunt, poſt plantatam jam in alijs permultis *Slavonici nominis Provincijs, Chriſti fidem, in Moraviam â Svatopluco Re-*

gis nepote, cui apud Bulgariæ Regem, Chriſtianorum ſacris recèns tum initiatum, non ita pridem innotuerat, unà cum *fratre Metudio* vocatus venit, *corpus S. Clementis Papæ Martyris*, ê medio maris, in Cherſoneſo Pontica, prodigiosè levatum ſecum ferens. Qui Rege, & Proceribus Regni, aliíſque in divinorum myſteriorum notitia meliùs edoctis, & compluribus etiam ab Ethnica ſuperſtitione ad Chriſtianam fidem reductis, *VVelebradi* ſtationem fixit; ibi de conſenſu regio, adnitente potiſſimùm *Svatopluco*, *Sedem Epiſcopalem* erexit, quam anno 861. *Nicolaus I. Pontif. Max.* confirmavit.

Cathal. Epiſc. Olomuc. Auth. Auguſt. Præpoſ. Brun. MS.
Bellum redintegratur.

Anno 863. recruduit *inter Moravos & Francos* diſſidium: Quippe *Radislai* ferox ingenium, & ad gerendum bellum ſummè proclive, diu quieſcere nequaquam potuit; qui totus in eam cogitationem incumbebat, quomodo Ludovici potentiã infringere, & *Pannoniam ſuperiorem*, utpote *Regni Moravici* quondã nobiliſſimam partem, quam Anteceſſores ſui, per annos complures, in pace tenebant, ſibi denuò vindicare poſſet. Erat enim rebus ex animi ſententia aliquandiu fluentibus, animo tam elato, ut nihil penitùs humile, aut demiſſum cogitaret; usque adeò, ut non modò *Pannoniam ſuperior.* ſed *Noricum* quoque totum propediem occupandum, ſummâ ingenij vanitate ſibi proponeret. Bellum itáque, quod præteritis annis, partium conſenſu intermiſſum potiùs, quàm terminatum fuit, inſtaurandum ſuſcepit: ſuíſque innixus rationibus, ac rurſum *Bulgaris* in ſocietatem armorum vocatis, in Auſtriam irrupit, aliquâ militum manu domî, pro tutela limitis Occidui, ne quid â Bohemia hoſtile in Regnum penetraret, relictâ.

Radislaus Bulgarorum copijs adjutus in Auſtriam irruit.

Annal. Franc. ad an. 863. Spangenb. in Chron Saxon. cap. 103. an. eod.
Ludovicus Germanicus partem exercitus.

His cognitis *Ludovicus*, & de apparatu Radislai, non modò rumoribus primis, qui volitabant penè continui, ſed certis quoq; crebríſque nuncijs edoctus; (hoſtium námque conſilia, & molitiones tempeſtivè nôſſe bonum eſt; *nec parcendum hìc laboribus, non opibus:*) ante omnia *Carolomanum filium*, quem affectati Regni falsò ab adverſarijs inſimulatum, odio & armis acerrimè perſequebatur, in gratiam recepit. Deinde legiones undequáque contrahi juſſit, nominato die, quo *Reginoburgi*, ſeu *Ratisbonæ* comparerent ad profectionem inſtructæ; ibique præſentiam ſuam expectarent. Quoniam verò præter hos, alij adhuc longè graviores, (*Sorabis per Thuringiam* paſſim crudeles excurſiones depopulationésque exercentibus) aſſurgebant motus, facile erat *Ludovicum*, urgente tantâ malorum impendentium mole, diſtrahi in curas ancipites. Cui dubitanti diu, quos priùs, & quâ vi propulſare deberet, utrinque enim exagitabatur nuncijs ferè aſſiduis, deploratam jam *Auſtriam*, deploratam *Thuringiam* indicantibus, nullo renitente, ad internecionem barbaris vaſtantibus univerſa; ſedit tandem, ut exercitu bifariam diviſo, *Carolomanum cum Arno Herbipolenſium Epiſcopo, contra Moravos:* ipſemet verò, cum validiori manu, *adversùs Sorabos*, feſtinato curſu, contenderet. Et iſtius quidem expeditionis is eventus fuit, ut *Sorabi* multis cladibus affecti, non tantùm pœnas violatæ fidei luerint, ſed etiam pacem, quam antea numeris omnibus abſolutam habebant, tum non niſi conditionibus arduis impetrare potuerint.

contra Sorabos mittit:

Sorabi victi.

Pari

Pari fortunâ *Carolomanus*, ne qua interveniret mora, aſſumptis levioris armaturæ equitibus, & ſelectiori cataphractorum manu, percursóque celeri feſtinatione itinere, *Patavium* pervenit; ubi modico, ſicut res exigebat, ocio cum milite recreatus, *in Noricum Ripenſe* movit, turmáſque hoſtium aliquot obvias, & in ſe catervatim ruentes fudit ac diſſipavit; captiſque nonnullis, & alijs in ipſo primo furore conflictûs truncatis, reſiduos in curam celeritatis omne quod poterant conferentes, quia ſequi non valebat, gravitate præpeditus armorum, innocuos abire reliquit. Ex quo rei benè geſtæ eventu, certiori jam ſpe, ad propulſandos è finibus Imperij hoſtes confirmatus, venit *Laureacum*, non ita pridem Ludovici operâ reſtauratum; adeò inſperatus, ut eo portas penè pulſante, metu hoſtium paulò antè circacircum volitantium, aditus Urbis non ſine anxia panderetur ambage. Ubi pauliſper moratus, dum fatigato conſulit militi, peditem expectans, *Moravi* interea onuſti ſpolijs remeabant in propria: paucis exceptis, quos aviditas prædarum detinebat adhuc, per Auſtriam graſſantes.

Partem alteram cum Carolomano contra Moravos ire jubet.

Carolomanus hoſtes hinc inde palantes profligat:

& Auſtriâ excedere cogit.

Congregato deinde in unum exercitu, dum poſt variatas plurium ſententias, placuiſſet penè omnibus, *trajicere Danubium*, & hoſtem domi quærere, ulciſcíque tam vetera, quàm recentia ejus in violandis fœderibus delicta: tum *à Ludovico* accurrunt nuncij, quibus feriò ſeveréque prohibebatur *Carolomanus*, ducere in hoſticum, ne nimiâ fortaſſe cupiditate pugnandi, longiùs ſigna inferret, quàm ut abſque clade, multitudine hoſtium prævalente, ſeſe eripere poſſet. Expectandum potiùs tempus aliud opportunum, Regíque barbaro jam haud dubiè prædarum cumulis ſaturo, tractatio pacis per ſimulationem ſuggerenda, protrahendáque, ſi ad eam inclinari videretur; ut ita in ſpem pacis erectus, nilque adverſi metuens, negotio poſtmodùm faciliori, obrui ex improviſo poſſet. Igitur *Carolomanus*, quamvis acerrimo flagraret in hoſtem animo, mandato tamen Patris, poſtpoſitâ omni rei benè gerendæ ſpe, paruit, id ipſum etiam Epiſcopo, tanquàm conſiliorum arbitro approbante. Erat enim cautiùs obſervandum, ut appetitivi conatus opportunitati obtemperarent, nec præcurentes eam, nec deſerentes: qui ſi proceſſiſſet intempeſtivè ac præcipitanter, metuendum erat, ne exercitui funeſtam, & nomini Francorum turpem referrent cladem.

Danubium trajicere conſtituit:

ſed à Patre prohibetur.

Quapropter ejectis, qui ſupererant, totâ Auſtriâ Moravis, cùm res utrinque nonnihil quieviſſent, *Carolomanus*, ut pacis renovandæ causâ *Radislai* pertentaret animum, *Slavatam*, quem apud Regem conſilio multùm poſſe, certâ relatione cognoverat, fide publicâ interpoſitâ, ad colloquium vocavit; cum quo ſemotis arbitris diu multúmque egit, quatenus Regem â cogitationibus belli dehortari, eíque potiùs pacem, quam aliquando tandem ſyncerâ mente, *cum Imperio Romano* ſervaret, ſvadere vellet; ut ita poſt tot ac tantas clades, quieti & tranquillitati populorum utriúſque partis conſuleretur: neque diutiùs ſineret obrui innoxiam plebem, diris calamitatibus ac ærumnis, *quas jam â viginti & ampliùs annis, aſſiduis ferè bellorum procellis jactata toleràſſet.* Paruit ille, híſque inſtructus refert ad Regem, quòd bello-

Carolomanus vocato ad ſe Slavatâ, pacis tractationem ſimulat.

Digitized by Google

Slavata id ad Regem refert: privatæ etiam cauſæ ſuæ, in recuperando, Zatecenſi Ducatu, haud immemor.

bellorum acerbiſſimorum pertæſi Germani pacem petant. Prius tamen, quàm ejusmodi negotium conficiendæ pacis & concordiæ ſuſcepiſſet, privatæ quoque rei memor, multa ſua, & facultatum ſuarum detrimenta, quæ tam exilio diuturniori, quàm erepto per ſummam injuriam Principatu, ferre cogeretur, Carolomano, verbis in id accomodatis expoſuit, & ut Principatui ſuo reſtitueretur, poſtulavit: tum verò diligentiam ſuam, omnéque ſtudium, quo Regem & proceres Regni, ad amplectendam pacis & concordiæ curam, inducere poſſet, adhibiturum ſe pollicitus eſt. Datáque illi ſpes â Principe, fore, ut poſtquàm ſuſceptâ ejus operâ, pacis fructuoſus & exoptatus finis eſſet impoſitus, paribus officijs & beneficio, votis ejus reſpondeatur.

Rex ægrè ad tractandam pacem conſentit.

At Rex, non niſi neceſſitate Germanos urgente, pacem peti ſuſpicatus, varia cum ſuis agitabat conſilia, latiúsque ſemet extentans, & in ſublime erigens ſupercilia, primò nec mentionem pacis audire voluit: donec *â Slavata*, aliisque, quos â ſecretioribus habebat conſilijs, perſvaſus, tractationi ſuper pace condeſcendit, inducijs interea pactis, quò tutiùs, in loco aliquo certo, inter partes conveniri poſſit. Jámque autumnales decreſcebant dies, *Sole per Scorpionem Zodiaci* gradiente. Quia verò tractatione pacis initâ, miſſi *â Radiſlao* proponebant conditiones adeò graves, ut illas Germani, ne victi quidem, dignè tolerare potuiſſent; præſertim, *ut Pannoniâ ſuperiori cederent ad Noricum usque;* quod, præter alia, petebat tumens Radiſlaus; opportunam, ac intentioni Patris ſui ſanè congruam habuit *Carolomanus* cauſam, protrahendi ſubornatum hoc ſpecioſæ pacis tractandæ negotium, in adultam usque hyemem.

Radiſlai poſtulata.

Ludovicus Germ. Conventum Principum Ratisbonæ agit, & de bello Moravico conſultat.

Interea *Ludovicus, repreſſis Sorabis*, & alijs cunctis motibus per Germaniam ſedatis, *Ratisbonam* venit; ubi *Natalis, ac Epiphaniæ Domini ſolenniter transactis Feſtis*, conſilia cum ſuis, de parando ſuſcipiendóque *adversùs Moravos* bello, agitare cœpit; convocatóque frequentiore Senatu, præſente quoque *filio Carolomano*, quid faciendum è Republica foret, ſingulatim exquiſivit. Erant in Senatu, prout quisque affectus erat, aut ingenio valebat, varia ſtudia, ita ut ſententiæ in diverſum traherentur; pars enim pacem ineundam ſvadebat, & ut æquis conditionibus iniri poſſet, intenſiori operâ cum hoſte agendum. Alij verò militiæ clari, & bellicarum rerum peritiâ inſignes, multis adducti rationibus, bellum contra perfidum hoſtem proſequendum cenſebant; ídque tempeſtivè, priusquàm ille ſociorum, prout antea, firmaretur viribus. Tandem libratis diu conſilijs, cùm & *Ludovicus ipſemet*, & *Carolomanus*, ad belli conſilia inclinarent, bellum ſecretò, nè fieret hoſti palam, decretum eſt: mox etiam habiti delectus, Principum atque Comitum exactæ ad id bellum operæ pollicitæ; & quò arctiùs id lateret hoſtem, ſtudium & inchoatæ pacificationis, quod aliquantùm eâ protenſione refrixiſſe videbatur, obliquâ mente reſumptum. Quæ dum ita providè inſtituuntur & cautè, *Ludovicus*, ut præveniret Moravos, nihil tale ob interjectam ſpem pacis opinantes, mox *primo Vere*, ipſos adoriri conſtituit. Incertum verò, quid intervenerit cauſæ, quòd toto Veris tempore, quietè ſeſe tenuerit; pacis nihilominùs

Aliqui pacem,

Alij bellum ſvadent.

Bellum ſecretò decernitur.

Digitized by Google

minùs tractatione, cum Radiſlao ad ſpeciem continuatâ. Primò ad finem menſis Julij cum jam maturæ eſſent ſegetes, expeditionem, quam tam occulto ſtudio adornabat, ſuſcepit; ductóque per *Meridionalem Bohemiæ plagam* (quam, ùt fœderatorum, tranſibat intactam) exercitu, & *Carolomano ab Auſtria* impreſſionem facere juſſo, in *Moraviam* citato gradu contendit: quam ubi, difficultate omni depulsâ attigiſſet, urens omnia rapiénsq;, per medium hoſtile ſolum graſſabatur intrepidus. Hæc dum celerantur, *Radislaus*, prout in rebus inſperatis fieri ſolet, raptim collectâ manu, obviam hoſti proceſſit, egreſsúsque *VVelehradio*, *Podivinum* venit; vehementer, at ſerò, dolens ſe vanâ ſpe pacis eluſum. Videns autem ſuos, ad reſiſtendum duobus tam validis exercitibus, longè impares, plebem verò penè omnem mali novitate perterritam, ingentique adventantis calamitatis pavore correptam, ad capeſſenda arma conſurgere tardiùs, quàm exigeret neceſſitas præſens, *Podivini* ſubſtitit; quòd fortaſſe jam *à milite Germano*, circa Urbem agminibus denſatis concurſante, elabi in tutiora prohiberetur.

Ludovicus duobus exercitibus, uno per Bohemiã, altero per Auſtriam, Moraviam petit: an. 864.

Radisleus inducijs pactis & ſpe pacis objectâ decipitur: ad arma ſerò conclamat: impar viribus, Podivini ſeſe continet:

Quippe *Ludovicus*, poſt aliquot pagorum domicilia, ad majorem terrigenis incutiendum metum exuſta, cùm in interiora Regni veniſſet, & ùt inquit Aventinus, *usque ad Svartzam amnem, cuncta luctu, cæde, rapinis complêſſet*, nihil priùs habuit, quàm ut ſuas cum Auſtriacis copias conjungeret. Cognito demum, *Radislaum* modicâ, etſi validâ, teneri Urbe, ejus capiundæ ſpe accenſus, nihilque cunctatus, totius exercitûs vim eò convertit. *Radislaus* viſo circa Urbem hoſte, ocyùs portas non tantùm claudi, ſed ingentibus ſaxis, & columnarum fragmentis obſtrui juſſit; ac mœnibus, ubi opus erat, ùtque tempus ſufficiebat, firmatis, ſe ſuósque ad defenſionem majore animo, quàm viribus comparavit; móxque præfectis, ut tam cives, quàm milites, ad ſua loca & ſtationes, quas tuerentur, deducerent, in mandatis dedit.

Aventin. citat. fol. 316.

ad defenſionem parat.

Adveniens *Ludovicus*, uti erat naturâ & ingenio minimè crudelis, primò omnium *ad Radislaum* nuncium miſit, eúmque, ut ommiſsâ pertinaciâ, ad fidem redire, ſéque dedere malit, quàm ultima experiri, admonuit. Cùm verò nec pacatiori hujusmodi alloquio, nec vicinitate diſcriminis, illum quicquam moveri videret, Urbem cum omnibus copijs invadere ſtatuit: ac confeſtim diei ſequentis exordio, ſigno per rubeum vexillum erecto, coronâ circumdari juſſit. Nec mora, *Germanus* fulgentibus inſtructus armis involat in muros: & quibusdam vehentibus ſcalas, alijs dirigentibus machinas, alijs jam ipſa ſcandentibus mœnia, *invaditur civitas*. Unde funeſtiſſima exoritur belli turba, oppugnatoribus ſummâ alacritate in muros provolantibus, & è contrà, regijs & oppidanis, inſigni virtute ſeſe defendentibus; qui ſuperſtantes propugnaculis celſis, lapidibus eminùs, telorúmque genere omni, hoſtes in interiora ferociùs ſeſe proripientes arcebant. Pugnabatur eventu ancipiti horis aliquot, hinc inde multis amiſſis & vulneratis: quod & diebus ſequentibus, ſecundò atque iterum factum; adeò ut ad extremum, cùm longior indiès & difficilior oppugnatio redderetur, Germani duces ſpe capiendæ urbis omnino deijcerentur.

Ludovicus Radislaum, obſequij & deditionis faciendæ admonet. Renuit ille:

ac præter omnium ſpem, munimentum adversùs iteratos hoſtiles impetus, fortiter defendit.

Nihilo-

Ultimò conſilia ſuorum ſequutus, cum Ludovico tranſigit:

Nihilominùs intervenientibus utrinque Optimatibus, & negotiò rectiùs penſato, *Radislaus* videns ſe tanto bello imparem, & ut ſe præſenti periculo, dum adhuc tempus eſſet, eriperet, inducias unius diei poſtulavit, quarum intervallo, ad accipiendas pacis conditiones animum adjicere poſſet. Brevíque ipſemet Urbe egreſſus, & ſupplex Lũdovico factus, ad pacis conditiones deſcendit: *obſides, quos Rex petierat dedit, ac fidei arctiùs deinceps ſervandæ, ſacramentum cum Proceribus ſuis renovavit.* Aliqui volunt hanc adhuc fuiſſe ſuperadditam, & *Radislao* quidem viſam ſupra modum difficilem, ideóque poſtea nec ſervatam, tanquàm vi, ac in virum etiam conſtantem, cadente incommodi gravioris metu, â ſe extortam: *nempe, ut in ſiniſtra Danubij ripa, ubi Ludovico opportunum videretur, duo munimenta extrui, eáque militari præſidio firmari permitteret.* Quibus tranſactis, *Ludovicus* dimiſsâ parte exercitûs, eo itinere, quo venerat, ipſe cum filio & cæteris, Danubio trajecto, *Tulnam, primariam eâ tempeſtate in Auſtria urbem* petijt; rebúsque omnibus, ijs præſertim, quæ ad exſtructionem novorum præſidiorũm (ea putantur eſſe, *Steina & Neoburgum forenſe*, ſeu *Kornaburgum*) faciebant, ordinatis, *Ratisbonam*, & inde *Francofurtum* redijt.

duris licèt conditionibus: quas poſtmodùm ſervare, ei difficile fuit.

Pro confirmatione dictorum, Annales Francorum, â ſupra nominato Rudolpho, ad annum Chriſti 864. in quo & deſinit, conſcriptos audiamus. *Ludovicus Rex ultra Danubium, cum manu valida profectus, Raſticen in quadam Civitate, quæ linguâ gentis illius Devvina, â puella dicitur* (hanc aliqui *Podivinum*; alij *Devinam*, ad *Danubij & Moravæ confluentem*, in limite Auſtriæ ſitam arcem percelebrem, quam modò corrupto â Germanis vocabulo, Toven vocant, eſſe putant) *obſedit. At ille obſides, quales & quantos Rex præcepit, neceſſitate coactus dedit: inſuper cum univerſis Optimatibus ſuis, fidem ſe cunctis diebus Regi ſervaturum eſſe, juramento firmavit.* Nicolaum item Vignerium: *Ludovicus Rex*, inquit, *magnam expeditionem fecit, contra Raſticum Ducem Slavorum in Moravia, quem in quadem civitate obſeſſum tandem coëgit ad deditionem. Qui in gratiam Regis receptus, eidem præſtitit juramentum fidelitatis.* Et Brunnerum. *Sexageſimo quarto anno, contra Raſticem æternum hoſtem, res præclarè geſta. Compulſus in Dovvinæ civitatis mœnia, circumſeſſusque, cùm neque obſidionem ferre diutiùs, neque ſui copiam facere per vires poſſet, ad pacis conditiones deſcendit, obſides quos Rex petierat, dedit; fideique totius violatæ vindicatæq; ſacramentum, cum proceribus ſuis renovavit. Hæc Auguſto menſe patrata.* Ita *Radislaus* moto non neceſſario bello, in ea ſe pericula conjecit, quæ vitare potuiſſet: uti ſæpè accidit, quòd quæ arcere, vel evitare conantur homines mala, intempeſtivis conſilijs, ea attrahant & accelerent, in ſui ſuorúmque perniciem; juxta illud, quod apud Platonem dicitur: *fugientes fumum ſervitutis, in ignem ſervum incidunt.*

Rudolph. in Annal. Francor. ad an. 864. Lambert. Schaff. an. eod. Spangenb. an. eod Calviſ. an. eod. Vigner. in Summar. Hiſtor. Franc. l. 2. an. eod. Brunn. Annal. Boj. Part. 2. lib. 6. §. 10. an. eod.

Conabatur quidem *Radislaus*, etiam *Borzivogium Bohemiæ Ducem, VVelebradum, hoc ipſo anno 864. menſe Junio, ad ſe vocatum*, in ſuſcepti belli ſocietatem pellicere modis omnibus: ſed fruſtra, quòd ille pacem tunc & amici-

Digitized by Google

amicitiam cum Ludovico, novis ac recentibus pactorum legibus pepigiſſet, quam integrâ fide violare non liceret. *Borzivogio* tamen, ac *toti Bohemorum Genti*, adventus ille in Moraviam, accidit valde ſalutaris: ſiquidem ex frequentioribus *cum D. Cyrillo, & Svatopluco Regis nepote*, ac Regni hærede jam deſignato, juvene promovendæ religionis Chriſtianæ ſtudioſiſſimo, colloquijs, & Deo ita diſponente, Chriſti cognitione probè inſtructus, atque cum comitatu omni ſuo, die, quæ *Natalem S. Joan. Bapt.* præcedit, luſtrati fonte expiatus, Svatopluco pro ipſo in baptiſmo fidejubente, domum Chriſtianus reverſus eſt. Quem honoris gratiâ *Svatoplucus* ad multum itineris, *Svitaviam* usque, quòd oppidum eſt in confinijs Bohemiæ, fuerat comitatus; *Cyrillus* verò *Kaichum ſacerdotem* ei adjunxit, brevique etiam ipſemet, ſive ut calamitates imminentis belli evitaret, ſive, quod citiùs crediderim, ut occaſione hâc Gentem quoque Bohemam, ad veri Dei cultum perduceret, Pragam venit, *corpus S. Clementis* unà ferens; in cujus Honorem, quacúnque iter per Bohemiam tenuit, maximè verò, ubi divertens aliquandiu ſubſtitit, Ædium ſacrarum, ſub ejusdem *Sancti Nomine*, aliqua principia jecit: uti *Litomiſſlij in ipſa Corte Principum*, quæ poſtmodùm in *Cœnobium Montis Oliveti Ord. Præmonſtr.* tranſijt: item *Reginæ Hradecij, Saczkæ, ac tandem in VVyſſehrad.* Quod ſacrum corpus triennio poſt, gliſcentibus, & ad ſeditionem usq; erumpentibus, contra Borzivogium, domeſticorum propter Religionem turbis, *Romam, Nicolao I. Pontifice*, uti habetur in Breviario Romano, anno videlicet 867. detulit. Sed de his egimus alibi: in Moraviam revertamur.

Borzivogij Ducis Boh. converſio ad Chriſtianam Religionem, anno 864.

Corpus S. Clementis in Bohemia.

MS. Archivi Litomiſſl.

Cæterùm neque in hunc modum, bello ſcilicet improſperè geſto, caſtigatus, quieſcere diu potuit *Radislai animus*, ruentibus in ejus exitium fatis: quæ eum paulò pòſt præcipitem, tanquam è rupe quadam egerunt excelſa. Nam crudo ferens animo, tam graves, ſummæque iniquitatis, (ùt ille dicebat) & inſolentiæ plenas ſibi â Ludovico impoſitas leges; præſertim in ſolo Regni, extrui vaſto opere caſtella nova, futura aliquando ſibi, ſucceſſoribus, ac toti Regno pernicioſa; tacita primùm intra ſe volutabat conſilia, diu æſtuans, quâ vi, quo modo, quibúsve commentis, hæc impediret, præſénsque excuteret jugum. Deinde ubi id, urgente efferatâ cupidine vindictæ, eſſet confeſſus proximis: *pacta cum Germanis, urgente dirâ neceſſitate, inita prolixè deteſtatus, palamque demonſtrans, ea olim funeſta fore Regno & Genti, ideóque teſtari ſe, tam ſuperbæ paci nequaquam ſtaturum:* nonnulli aſſentationum peritiâ inſignes, & qui pacem diuturnam ferre non poterant, eum ad res novandas, & excutiendam hanc ſervitutem, ſecretis apertísque conſiliorum rationibus, incitabant. Alij verò, quibus pax cordi erat, fidem juratam, & promiſſa inviolabili tenore ſervanda ſvadebant; neque cogitandum, ut incertâ ſpe vindicandæ libertatis, tantum perjurij ſcelus, ævo omni deteſtandum committatur: quo tam potens hoſtis, â quo jam ante tot tantásque clades Moravia pertulit, juſtè exacerbari, & ad reſumenda majora arma irritari poſſet. Debere eſſe documento ſuperioris tempeſtatis bella, ſummo ſemper cum Moraviæ detrimento ſuſcepta, atque infeliciſſimè geſta,

Phoſſbor. Gloria Prag. Eccl. Rad. III. pag. 119.

Radislaus damnata fatis belli conſilia reſumit:

renitentibus fruſtra Regni primoribus.

quorum funeſtam cladis memoriam, nunc cum majore luctu & lachrymis recolere cogerentur. Denique ſanioris judicij omnes, non togati tantùm, ſed etiam militares viri, prudentiæ & experientiæ opinione clariſſimi, *pacem datam potiùs ſervare, quàm toties damnata fatis arma reſumere*, ac incertos belli eventus experiri, conſulebant.

His ultro citróque habitis, Rex tametſi nonnihil â ſolita ferocia remiſiſſe videbatur, paulò poſt tamen reverſus ad genium, & pro libitu furens, bellum ſine reſpectu ſalutis alienæ, vel ſuæ, decernit; gementibus ſuprà non paucis, cladem extremam patriæ haud obſcurè præſagientibus; juvabâtque demiſſis, atque etiam lachrymantibus indicare oculis, quod animi averſabantur. *Sed profectò ineluctabilis* (ùt inquit Paterculus) *fatorum vis, cujus cùm fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit.* Cautè tamen, & in ſilentio omnia ad bellum diſponi juſſit, ut par pari referret, & Germanos etiam, dum minimè putarent, egregiâ aliquâ clade afficeret. Quoniam verò *Bulgaros* jam tunc, ùt innuimus ſuperiùs, Chriſtianâ Religione imbutos, & cum *Ludovico* fœdere junctos, non ampliùs in ſocietatem armorum pellicere potuit, neque *Polonos*, bello cum *Pomeranis & Caſſubijs* per id tempus occupatos; cum *Bohemis & Sorabis*, quos opportunè tum clandeſtina de inferendo *Germanis* bello, & excutiendo, quo ab ijs, *Sorabi* imprimis, tenebantur jugo, agitare conſilia intellexerat, fœdus inijt. Et *Bohemis* quidem juſta videbatur indignationis, bellíque ſuſcepti ratio, vel ex eo: quòd ipſis *Bavari*, ob repudiatum, & de ſolio Principatûs, in quod antea ſuâ ſponte ſuſcepiſſent, *Stogemirum*, ſive *Stilfridum*, haud multo poſt, certis de cauſis amotum, vim priùs minarentur. Erat *Stogemirus*, *Sucoslai quondam Bilinenſis in Bohemia Toparchæ frater*; qui *Hoſtiviti Ducis* tempore, an. 852. perduellionis reus, atque idcircò, ùt ovitaret pœnam, Bohemiâ profugus, in Bavariam cum ſuis ſeceſſit: ac demum Borzivogio, propter inductos, ábſque conſenſu publico, novæ Religionis in Bohemiam ritus, â Proceribus paganis Magiſtratu abire juſſo, revocatus fuit, inque ipſius locum Princeps ſurrogatus; rurſus tamen, quòd Bohemicè loqui ampliùs non ſciret, & Chriſtianam quoque religionem profiteretur, dignitate motus, ac eò unde venerat, redire juſſus. Id igitur Bavaris, qui *Stogemiro*, ex diuturna converſatione, veluti jam concivi ſuo, ſuſceptum regimen perpetuum faviſſent, ægrè ferentibus, adeò, ùt jam etiam multa hoſtilis contra Bohemos animi ſigna darent: *Bohemi* non expectandum rati, donec aperto bello â Bavaris impeterentur, ipſi priùs Bavaros bello infeſtandos ſuſceperunt. *Initium*, inquit Brunnerus, *â Bohemis factum, qui in agrum Bojorum effuſi, cùm incendijs & rapinis latè omnia fœdâſſent, mortalium greges, fœminarum præſertim, captivos traxiſſent, ad reprimendam in præſens barbaram licentiam, Ludovicus limitum illorum præſides in armis eſſe juſſit, donec juſto bello inquieta gens appeteretur.*

C. Vellei. Patercul. Hiſtor. Rom. l. 2. §. 57.

Radiſlai confœderatio cum Bohemis & Sorabis.

Rhegino lib. 2. Chron. ad an. 869. VValafrid. Strabo in Annal. Franc. ad an. 866. Baronius in Annal. Eccl. Tom. 8. Guilhelm. Bibliothecarius Rom. Eccl. in Vita Hadriani II. Baptiſta Platina in Vita ejusd. Nicolaus I. in Epiſt. 70. ad Hincmarum Archiep. Rhemenſem apud Vorburg. XII. Volum. Hiſtor. an. 866.

Bohemorum in Bavariam irruptio.

Brun. p. 2. l. 6.

Cæterùm *Radislaus* comparato exercitu, ante alia omnia, nova illa duo munimenta, quæ operariorum ſeriò manus admoventium diligentiâ, opinione citiùs aſſurrexerant, oppugnanda adoritur. Quæ licèt milite, uſúſque con-

Radislaus Auſtriæ bellum infert:

congruis omnibus abundè eſſent proviſa; quia tamen muri non dum erant ſolidati, facilè arietibus coagmenta lapidum recèns ſtructorum verberantibus, terebrantibúsque ceſsêre: eáque res propugnatorum animos, ipsósque præfectos conſilij inopes maximè perterruit, & ad deditionem, quam alioquin repudiáſſent, amplectendam compulit. Demolitis ac ſolo æquatis oppidis, Danubium trajicere, ínque Auſtriam perrumpere nitebatur, multo, ſed irrito conatu: *Carolo Ludovici filio, deîn Imperatore ejus nominis Tertio*, qui â patre, in locum *Carolomani fratris*, bello Gallico tum occupati, in ſubſidium Auſtriæ, cum expeditiore manu miſſus, opportunè venerat; (*neque enim conſilia Radislai, Germanis maturè & accuratè omnia explorantibus, ignota eſſe poterant*,) tranſitum ſummis viribus arcente, atque reluctante ipſo etiam Danubio, â largis tunc imbribus autumnalibus turgido. Non ceſſabant deinde utrinque excurſiones, præſertim in hyeme, Danubio pluribus in locis, firmâ glacie, duri inſtar pavimenti incruſtato. Hoc modo funeſtiſſimi, quod ſequutum eſt, belli initia fuêre jacta, anno 868.

â Danubij tranſitu prohibetur.

Aimon. de geſt. Francor. lib. 5. cap. 31.

Interea *Ludovicus* tot & tantis injurijs provocatus, & pro dignitate Germanici nominis, tantam perfidiam *Radislai* ſinere inultam, nequaquam exiſtimans, hyemem penè totam in apparatu bellico, & delectu militum inſumpſit. Sed nec *Radislaus* ſibi deerat: qui perpendens arduam belli impendentis molem, neceſſaria præſtruebat omnia ad procinctum, arma & tyrocinia cogens, legiónésque augens juventutis validæ ſupplementis: auxilia ſuper his *Ruſſorum & Svislorum* (fortè *Sileſiorum*) poſcebat mercede vel gratiâ, ut eo majoribus viribus fretus, Germanis, ſi non ſuperior, par ſaltèm evaderet. Ut verò laborum periculorúmque haberet, cui tutò fideret, aliquem participem, *nepotem ſuum Svatoplucum*, jam tum multarum virtutum adoleſcentem, ingenio manúque promptum, &, uti meminicus ſuprà, *Regni hæredem, aſſentientibus Primoribus gentis, deſignatum*, in ſocietatem Imperij adſcivit; cui deinde diviſo bifariam exercitu, partem expeditioris armaturæ ducendam regendâmque tradidit.

Spangenb. in Chron. Saxon. c 104. ad an. 868.
Brunner. in Annal. Bojor. Part. 2. lib. 6.

Belli apparatus utrinque inſtruuntur magno ſtudio.

Author. Annal. Pithaanor. & Fuldenſ. ad an. 868.

Radislaus nepotem Svatoplucum in ſocietatem regiminis aſſumit.

Veris igitur principio, cùm *Moravi Auſtriam, Bohemi Bavariam, & Sorabi Thuringiam*, ac finitimos populos Francorum fœderatos, hoſtilem in modum premerent, *Ludovicus Ratisbonæ morbo gravi diſtentus*, filijs curam belli gerendi commiſit: & *Carolomanum contra Bohemos, Ludovicum verò contra Sorabos, Carolum contra Moravos*, cum copijs miſit. Et duo quidem primi, propitiâ utcúnque fortunâ uſi, domuerunt brevì utrósque. *Borzivogius* enim â Bohemis, ſub id tempus revocatus, & dignitati priſtinæ reſtitutus, in id incubuit totus, ut excitatas per abſentiam ſuam, tam foris, quàm domî turbas omnes, quocúnque tandem modo componeret; quò demum faciliùs commodiúsque Chriſtianæ diſciplinæ ſacra populo commendaret.

Bohemi cum Sorabis Thuringiam populantur: contra quos Ludovicus filios Carolom. & Ludovicum mittit: Carolum verò Auſtriæ præeſſe juſſit.

VValafrid. Strabon in continuatione Annal. Francor. ſeu Fuldenſ. ad an. 869.

At *Carolo, cum duobus validiſſimis Moravorum exercitibus, Auſtriæ imminentibus certanti, res longè difficilis fuit*. Auxerat porrò difficultatem, & periculum novus â tergo, unde minimè ſperabatur, hoſtis. Quuippe

Aventin. citat. fol 326.
Calviſ. in Chronol. an. eod.

Cundacker dux Carinthiæ à Ludovico ad Radiſlaum deficit.

Cundacker Carinthiæ dux, ùt aliàs ſæpè Ludovico rebellis, tum etiam uſus occaſione præſentis *à Slavonicis gentibus* concitati tumultûs, in *Radiſlai partes* tranſijt: qui ut diſtraheret Caroli vires, primò expeditiores aliquot turmas, ad populandam Auſtriam emiſit, quas deinde ordinatis in omnem caſum domî rebus, cùm reliquis copijs ſequutus eſt. Id igitur haud mediocriter Caroli animum perculit. Jam etiam Danubij aquæ, quæ antea nivibus tabefactis latè fuſis gurgitibus evagatæ, adeò intumuerant, ut Moravos à trajiciendo multùm deterruiſſe viderentur, ſubſidebant: unde licebat Moravis, faciliori tandem negotio, adverſas occupare ripas. Tot igitur circumſtantibus malis, *Carolus*, in curas diſtrahebatur ancipites, num littora Danubij, prout cœperat tueri, hoſtémque tranſitu arcere, vel copias in tutiora tempeſtivè reducere, ſatiùs foret. Conſilio demum ſalubri uſus, uti eventus docuit, (metuendum quippe erat, ne ex improviſò circumveniretur ab hoſtibus) campo ceſſit, ſeque *Tulnam* recepit.

Caroli res anguſtæ per Auſtriam.

Quia verò militum calonúmque numerus magnus, civitatem cum jumentis introire, ex tam præcipiti itinere, quod fugæ haud abſimili erat, prohibitus, ſub parietibus mœnium ſeſe tenere cogebatur, ſupervenientibus demùm Moravis, primò in illos impetus factus eſt. Qui tamen curruum ambitu circumſepti, urgentéque cauſâ obtinendæ ſalutis, vim omnem hoſtium, magnâ ferociâ in ſepta procurrentium, fortiter ſuſtinuerunt: & è muris quoque crebra mittebantur tela; ûtque opinari dabatur, nulla fruſtra mittebantur, inter hominum cœco quodam furore, versùs mœnia tendentium, denſitatem. Dedit autem, rebus ità per biduum flagrantibus, grave momentum, *expeditio Cundackeri irrita.* Cùm enim jam per Auſtriam iter faciens, copias ſuas cum Moravicis jungere feſtinaret, aliqui tribuni militum defectionem ipſius vehementer averſati, primò capita inter ſe conferre, ſeſe mutuò explorare, mox conſilia miſcere, ac denique in apertam ſeditionem erumpere: incitatisque animis, ac legionibus quóque in ſuam ſententiam traductis, tantâ animorum ferociâ ſeſe oppoſuêre Duci, ut diris convicijs proſciſſo ejus nomine, parum abfuerit, quin eo tumultu occideretur, aut vinctus ad Ludovicum mitteretur. Hoc igitur repentino ſuorum tumultu, tanquam telo, perculſus *Cundacker*, néque aliam tutiorem viam evadendi, impendens ab irato milite periculum, niſi maturo diſceſſu, videns, ſvadentibus id ipſum familiaribus, noctis intempeſtæ ſilentio, conſcenſo equo, ſeſe cum paucis ad tutiora, & deinde ad Moravos proripuit. Cujus adventu *Moravi*, qui aliàs cum exercitu venturum expectabant, haud parum conturbati, illicò obſidionem ſolverunt, pérque regionem totam turbinis inſtar effuſi, ac ſumma celeritate in excurrendo uſi, dira ubique crudelitatis relinquebant veſtigia, miſcentes cuncta populationibus & incendijs, *ad Anaſum usq; fluvium*, qui graſſantibus limes fuit.

Tulnæ à Moravis gravi obſidione premitur.

Cundackeri conatus irriti.

Brunner. in Bojic.

Moravi obſidione Tulnæ ſolutâ per Auſtriam impunè graſſantur.

Ex Bavaria & Francia Carolo auxilia veniunt:

Interea *Rudolphus Comes*, tunc limitis Bavarici præfectus, collecto novo *ex Bavaris & Francis* exercitu, ità ut equitum mille & ducentos, peditum verò quatuor millia, aut ampliùs, habuiſſe ſub ſignis diceretur, hoſti hinc inde

de

Digitized by Google

de palanti, & cogendis duntaxat prædis intento, occurſurus egreditur; aſſumptis unà *Carentbanorum copijs*, *quibus*, *Cundackeri loco*, *præeſſe juſſus Hezilo*, *Brynnonis quondam Moraviæ Regis*, ſed poſtea exulis, ùt ſupra docuimus, *filius*. Sub id tempus pars prædatoriorum agminum, evaſtatâ undique regione, factóque *prope Aredacum, oppidum pervetus ad Danubium*, itinere, illud majori ex parte vacuum repererunt, quòd incolæ, cognito eorum adventu, relictis ſedibus, ad tutiora loca profugiſſent: præter aliquos audaciores, qui extrema tentare auſi, in templum, quod præaltâ turri maximè conſpicuum viſebatur, ſeſe receperant, illúdque multiplici telorum genere, in omnes partes jaculando eminùs, & ſubeuntes arcendo, pro virili tuebantur. Eodem ferè tempore, *Rudolphus & Hezylo*, duabus ex partibus, duobúsque factis agminibus, in conſpectum hoſtium, obſcuriore jam ad veſperum cœlo, advenerunt. Quibus viſis, *Moravi*, qui templo incluſos obſidebant, illicò ommiſsâ eâ contentione, ſeſe ad pugnam parârunt, ac in proximam oppido planiciem egreſſi, ſtructâque acie ita conſtiterunt, ut latera eorum magnâ carrorum multitudine clauderentur. Nec *Bavari*, quin hoſtes aggrederentur, quicquam ſibi dubitandum exiſtimavêre. Moravos inſigni clade profligant.

Sublato igitur ingenti utrínque clamore, ſigna ſignis collata ſunt. Et quia ſtatim in primo congreſſu, è Moravis non pauci occubuerunt, & quidem ex anteſignanis præcipui; facilè cæteri loco moveri, ſolutíſque ordinibus turbari cœperunt, ita ut poſtremò etiam intento curſu, ſeſe intra curruum ſepimenta recipere feſtinarent. Pugnabatur tamen etiam tum acerrimè, & multi utrínque cadebant. Superveniente demum nocte, ab inferendis mutuò cladibus ceſſatum eſt.

Varia poſt hæc agitabant conſilia *Moravorum duces*: ſed ita, ut palam deſponderent animos, & de ſola fuga capienda cogitarent. Re igitur cum ductoribus viarum communicatâ, ſub obſcuræ noctis tenebris, caſtra loco moverunt, præmiſſis curribus opimiori prædâ onuſtis, & alijs, quò promptiùs atque expeditiùs iter maturarent, corruptis & concrematis. At *Bavari*, qui omnem illorum motum diligenti curâ obſervabant, audito caſtrorum tumultuantium ſtrepitu, confeſtim ſub ſigna concurrerunt omnes, ad invadendos hoſtes, aut ſi turpem fugam arriperent; ſine mora perſequendos, animis viribúsque parati. Verùm *Comes* expectandam lucem, & certiùs cognoſcenda hoſtium conſilia, ſtatuens, ſuos, ut imperium ſuum expectarent, hortatus eſt. Cognito demum per exploratores eorum diſceſſu, locorúmque peritiâ, & ſuorum virtute ac viribus fretus, poſthabitâ cunctatione omni, ac non dum orto Sole, premenda fugientium terga ſuſcepit: atque ita veſtigijs eorum inſiſtendo, & quà dabatur, minutiores pugnas miſcendo, eóſque ſternendo & cædendo, proſequi fortunam non priùs deſtitit, quàm potiore prædâ receptâ, & plurimis conciſis, reliquos in effuſam fugam compuliſſet. Moravorum fuga. alia Moravorum clades.

Unde exultantes, ac eo ſucceſſu læti, *Germani milites*, in alterius globi perniciem, tanto audentiùs feſtinabant: edoctiq; ſpeculatione fidâ, vaſtatoriam manum, direptis circacircum villis, quieſcere propè *Ipſum amnem*, illuc citatis

tatis paſſibus contenderunt. Jámque antecurſores, abditi in vicino colle denſitate arbuſtorum obſcuro, *videbant lavantes alios, quosdam curantes equos, potantésque nonnullos.* Nacti igitur horam impendiò tempeſtivam, illos nec opinatò adoriuntur: contra *Ruſſi* (illorum námque fuêre turmæ) nihil præter clamorem inconditum; nec expedire arma diſperſa, nec componere aciem, nec reſurgere in vires permittebantur, urgente inſtanter Victore: igitur *fuga potiùs, quàm pugna, Ruſſorum fuit.* Multi forati pilis & gladijs, ê veſtigio cecidêre, capti etiam non pauci: cæteros in pedes verſos texêre vicini ſaltus.

Ruſſorum clades.

Hoc proſpero rerum effectu, quem virtus peregerat & fortuna, aucti fiduciâ, *Rudolphus ac Hezylo duces*, diligenti iterum ſpeculatione præmiſsâ, in tertium cuneum, qui reſtabat ex equeſtribus copijs longè validior, properè moverunt ſigna; maturatóque itinere, illum, præter omnem expectationem, in planicie quadam ſtantem, inſtructâ acie, & ad congrediendum paratum, invenerunt. Signo itáque prælij per buccinas dato, magnis utrinque concurſum eſt animis; ac primò ſagittis, aliíſque miſſilibus telis ſeſe invicem inceſſabant, poſtmodùm ubi cominùs res agi cœpit, ſtrictis conflixêre mucronibus: certatúmque eſt tantâ utrínque pertinaciâ, ut pugna ad diei extremum protenderetur. Superveniens poſtmodùm, átque nimiùm increbreſcens pluvia, multâ nive permiſtâ, ventúſque violentiùs incumbens, diremit pugnantes; incertos primùm, cui victoria ceſſiſſet; donec proximus dies eam oſtendit. *Moravi* ſiquidem, deſerto prælij loco, ſilentio noctis, ad caſtra Regis, qui mutato conſilio, *ad obſidionem Tulnæ* redierat, ſeſe recipientes, *Germanos* tanquàm victores reliquerunt. Conſtabat tamen etiam Germanos, cum eâ copioſâ multitudine colluctatos, funereáque multa perpeſſos, victis fuiſſe pares.

Certatum utrinque fortiter.

At *Radislaus*, cognitâ ſuorum, quos prædatum emiſerat, clade, cùm etiam in oppugnatione urbis adverſa omnia experiretur, â mœnibus ter non ſine ingenti clade rejectus, ſpe potiundæ melioris fortunæ haud obſcurè dejici, animúmque deſpondere cœpit: & magìs adhuc, *ubi parari ad Ratisbonam claſſem, quæ ſecundo Danubio mitteretur in Auſtriam*, relatione certâ didiciſſet. Tum veritus, ne ab hoſtibus, occupato vel disjecto, quem habebat *per Danubium*, ex colligatis ratibus, ponte, præcluderetur ſibi regreſſus, tribunos omnes convocavit, & ab ijs ſollicitè exquiſivit, quid in præſenti faciendum foret? & num tempeſtivè, integris utcunque rebus, *Danubium remeare*, an verò bellum in hoſtili agro, totis viribus proſequi, novas ex Moravia in ſupplementum exercitûs copias evocare, & quòd in præſens eſſet, *obſidionem Tulnæ* ſine intermiſſione urgere expediret? Hæréńſque diu multúmque ſollicitus, tandem ſvaſu multorum in id flexus eſt, ut remenſo flumine tutiora peteret, limitémque ſeu adverſas fluminis ripas, ne pateret hoſti aditus, impenſiori curâ & operâ firmaret. Præmiſſis itáque impedimentis, in Moraviam revertit: ubi fixis ad Danubij littora, longéque protenſis caſtris, ipſe malignâ febri tentatus, *Podivinum* ad curandam valetudinem, capeſſendámque modicam quietem ſeceſſit.

Radislaus cum ſuis conſultat.

In Moraviam redit.
MS. Comenÿ de Antiqu. Mor. part. 2.

Quæ

Digitized by Google

Novus Moravis à tergo hoſtis.

Quæ dum ità aguntur, *Carolomanus* paulò pòſt *datâ pacis dextrâ Bohemis*, duces ſuos cum parte exercitûs præmittit *in Moravos*, ſequuturus & ipſe cum reliquis, ubi rem etiam *cum Sorabis* in tuto poſuiſſet. Hi ſemitis concædearborum denſâ undique obſtructis, per circuitus longos & flexuoſos transcenſis, in patentem regionem, nihil tale opinantibus Moravis, quòd ab ea parte ſe tutos exiſtimarent, de improviſo irruerunt, ſævientes flammâ ac ferro immaniter. Quibus cùm feſtinâſſent obviam, *Cundackerus & Odrifauſius* (Annales Francorum *Arasſizonem* nominant) *heros, bellicâ virtute, átque animi fortitudine inſignis*, ćum expeditiori manu *à Radislao* miſſi, eósque jam non procul abeſſe, ex pulvere, inſtar fumi craſſioris, ab equitatu in aëra ſublato, animadvertiſſent, ſteterê veſtigijs fixis, diſponentes ad pugnam aciem. Sed néque Germanis ducibus erat aliud in animis, quàm obvium protinùs aggredi hoſtem: quòd & milites pugnæ deſiderio teneri cernerent, & ipſi eum in finem, ut inſolentiam hoſtis retunderent, & ad ſpem decúsque victoriæ occaſionem quærerent, ſe miſſos â Principe meminiſſent.

Prælium.

Cùm deinde collato pede res agi cœpiſſet, & exitio Moravi urgerentur gravi, accidit, ut primis ordinibus, qui Germanorum impetum nequaquam ferre poterant, cæſis & diſſipatis, reliqui eo caſu perterriti, tumultuari, nutare, â fervore certaminis remittere, jámque ad fugam ipſam inclinari conſpicerentur. Verùm *Cundacker* nihil ſe animo demittens, quantũ poterat, pugnando reſiſtebat, ac voce & manu alios ad ſtrenuè agendum cohortabatur. Nec minùs fortiter rem geſſit, ab altera parte *Odrifauſius*; qui cùm in eo fervore prælij, procul nimis ſeſe immiſiſſet in hoſtem, propéque eſſet, ut vel caperetur, vel interficeretur; multi *ex Moravis & Ruſſis* conglobati, ad eum defendendum concurrerunt, alijs ab hoſte circumventis pro ſalute propria dimicantibus; videbatúrque prælij hoc modo inſtaurati facies prorſus anceps. Cùm inter hæc *Cundacker* pugnando interficitur; & non procul ab eo, dux quidam alius, multis confoſſus vulneribus occumbit: quibus cadentibus, cæteri facilè diſſipati profugerunt. *Odrifauſius*, cùm ſeſe præſenti periculo, ægrè licèt, nec ſine vulnere, explicuiſſet, multis fortibus viris, quos habebat in pugna ſocios, amiſſis, ſaluti quoque ſuæ conſulendum duxit; ac præcipiti fugâ, cum reſiduis, è manibus hoſtium ſe proripuit.

Cundacker fortiter pugnat.

interficitur.

Moravorum nova clades.

De hoc prælio, & interitu Cundackeri, ſicut & de præterita duplici Moravorum clade, Strabus Monachus Fuldenſis, cujus Abbas Sigefridus expeditioni huic, uti prioribus Hatto aderat, in Annalium Francorum continuatione, ita refert: *Karlmannus cum exercitibus Raſtici bis numero congreſſus, victor extitit, prædam inde capiens non modicam: ſicut ipſe literis ad Patrem ſuum* (Ludovicũ Germanicum) *deſtinatis, retulit.* Et infra. *Cundackar vaſallus Karlmanni, qui multis perjurijs & doloſis machinationibus, Hladovico Regi ejusque filijs, ſæpenumerò extitit infidelis, & proprium Dominum derelinquens, ad Raſticen defecerat, contra Patriam, more Catilino, dimicare volens, occiſus eſt. Hic Karlmanni Ducibus ad locum certaminis appropinquantibus, dixiſſe fertur ad eos, quibus erat à Raſtice prælatus: pugnate fortiter veſtram Patriam tuentes,* ego

Strab. ad an. 869. Author. Annal. Pithæanor. & Fuld. Item, Baron. in Annal. Eccl. an. eod. Aventin. lib. 4. fol. 326. Vigner. citat. lib. 2. an. eod.

ego enim in hoc certamine vobis proficuus non ero, quoniam S. Emmerammus, caterique Sancti, in quorum Reliquijs, Hlodovico Regi, filiiſque illius fidem me ſervaturum juravi, meum clypeum & haſtam tenentes, mea brachia & viſum deprimunt, & me undique conſtrictum, quaſi loris ligatum retinent, ita ut nec manum quidem ad os mittere valeam. Dum hæc infelix loqueretur, noſtris ſupervenientibus occubuit, Domino illi infidelitatis ſuæ condignam mercedem retribuente. Quod cùm Regi relatum fuiſſet, omnes in commune, laudare Dominum, ſignis etiam cunctarum in Reginesburgo Eccleſiarum concrepantibus, pro interitu hoſtis extincti præcipit.

Cundackeri in prælio cædes.

Victoriâ hâc Germani feroces, cœperunt eò magis fugientes urgere: ſed mox clamore Ducum prohibiti, nè hoſtem avidiùs ſequentes, illaqueandis ſeſe committerent inſidijs, ſub ſigna redierunt. Quâ occaſione *Odriſauſus*, in rem ſuam uſus, quantum in ea perturbatione licuit, ſuos â fuga recollegit, & occupato vicino nemore, intra concædem arborum conſedit. Et quoniam hæc Sole agebantur extremo, nôxque adventans ad quietem invitos trahebat, Germani capto per ocium cibo, ſomni manſerunt expertes, veriti ne ab hoſte locorum gnaro, cujus fremitum propè audiebant, repentino obruerentur caſu. Sed *Moravi* nil ampliùs tentare auſi, continuerunt ſeſe intra arborum ſepimenta, quieti, toto die ſequenti, & Germani ſimiliter vallo tumultuariè erecto circumcluſi, ſubſidia utrique expectantes; hi *à Carolomano*, illi *à Svatopluco*, quem cum recentibus copijs adventare curſores annunciabant certiſſimi. Interea nuncius *à Carolomano* miſſus inſtruit ſuos, monétque, ne ullam præbeant hoſti pugnæ copiam (ignarus jam datam eſſe, & quidem propitio Marte) ſed per montium ſaltus, & inacceſſa loca ducentes agmen, eum ludificarent, differréntque tantiſper fortunam certaminis, donec ipſe cum copijs ſuis, & Bavâricis propediem acceleraturis, opportuno adventu firmâret ſingula. Sed hi mox alium recentem viribus ad eum expediunt, docentes, quo ſtatu res ſeſe haberent, orantéſque, feſtinaret tantùm, & curſui victoriæ ipſemet inſiſteret; alioquin metuendum eſſe, ne obtentam victoriam luctuoſa ſequatur clades, hoſte cum recentibus copijs, ad ſuccurrendum ſuis, appropinquante.

Moravi, â clade recollecti intra arborum concædem ſeſe continent.

Neque Germani quicquam deinceps audent, inſidias veriti.

Altero pôſt die, circa veſperum, advolat cum valida manu *Svatoplucus:* cujus adventu ex ſignis militaribus cognito, *Odriſauſus*, illicò cum ſuis in apertum prodijt, eíque ſe magna cum lætitia conjunxit, *ſubſidium hoc cœlo veluti delapſum reputans.* Manè deinde milites nil niſi pugnam ſpirabant: claráque voce paſſim audiebatur, properandum in hoſtem, caſtráque ocyùs promovenda, ac ultrò irruendum, ſarciendúmque incommodum, ac vindicandam ſociorum, & ducum cædem. Cùm igitur tanto miſcerentur caſtra tumultu, ut pugnantium ſimilia omnia magis, quàm pugnam poſcentium diceres; vel erupturum quàm primùm crederes avidum ſanguinis militem, ſine duce, ſine ſignis, nullo diſciplinæ militaris ordine ſervato: *Svatoplucus*, quamvìs â Patruo in mandatis haberet, ne temerè, niſi opportunitate ſummâ rei gerendæ viſâ, cum hoſte dimicaret; videns tamen totius exercitûs ardo-

Svatoplucus ſuis, cum recenti milite auxilio accurrit:

Digitized by Google

ardorem tantum, primò impenſiùs gaviſus, tacitâ lætitiâ ſingulorum minas audiebat, ſuperbóſque vultus, & feroces ſpiritus contemplabatur: deinde indecorum ratus, tam juſta militum deſideria tardari ampliùs, exercitum propiùs in hoſtem movit, quem non longè abeſſe vallo concluſum, ab Odriſauſi exploratoribus didicerat. Nihil tamen eâ adhuc die tentavit, ſed in valle quadam dumoſa caſtra metatus, ſilentio ſeſe continuit.

In hoſtem progreditur.

Sequenti porrò die, niteſcente jam luce, jubet ſuos ante omnia curare corpora, ne ſi pugnam aliqua belli (ùt fit) fortuna, præter ſpem ludificando, longiorem feciſſet, jejunus miles debilitatus, ſegniùs victoriam proſequeretur. Interea promptiores nonnulli, audentioréſque operam dabant, ſi quo modo circumcurſando caſtra & obequitando, ac ſæpè ad foſſam usque & vallum, cum ingenti clamore provolando, Germanos ad pugnam provocarent: cùm tamen necquicquam proficerent, & ex adverſo complures ex ſuis, ſagittis petitos & ictos, fœdè vulneratos cernerent, ſeſe in caſtra receperunt.

Suos ad pugnam paratos eſſe jubet.

Jámque eductæ *Moravorum copiæ*, cuſtodijs *Germanorum*, apertiori conatu ſe ipſas prodebant; unde perſtrepens mox in caſtris tubarum ſonus, ad ſua quemque ſigna, & ad reſiſtendum hoſti vallo imminenti excitabat: neque enim tantis viribus inſtructi erant *Germani*, ut aperto poſſent congredi campo; ideóque caſtris vallo, ſudibus præaltis, & aggeribus firmatis, ſeſe tenere, & pro poſſibili tueri, compellebantur. *Moravi*, cùm propè veniſſent, acerrimo quidem impetu, ac iteratis vicibus irruebant in caſtra; quæ tamen per varia certaminum genera defenſabantur fortiter, machinis ad mittenda undique tela providè diſpoſitis; adeò ut oppugnantium multi, partim vi telorum, partim gladijs & haſtis interfecti proſternerentur; ac æſtu Meridionali nimio (quippe *Sol tum ſublimior, decurſo cœleſti Cancro, ad domicilium Leonis tranſiens*, omnes pariter ſudore perfuſos, armorum inſuper gravantibus ſarcinis, exuperabat,) prælium dirimente, cæteri non ſine detrimento gravi, ad ſua tentoria regredi cogerentur. Medebatur poſt hæc ſuis quisque vulneribus, pro poſſibilitate, vel curantium copia.

Moravi caſtra hoſtium ſummâ vi aggrediuntur.

cum clade repelluntur.

Noctu verò agitatis utrinque ſub onere armorum vigilijs, reſultabant altrinſecùs, exortis clamoribus colles, *Moravis virtutem Svatopluci extollentibus*, ac hoſti extrema quæque minantibus; *Germanis viciſſim Moravos* ob perfidiam, convitijs, & diris omnibus acriter proſcindentibus. Manè denuò *Moravi*, ut acceptam ulciſcerentur cladem, omiſsâ omni cunctatione, tentare caſtra, totis viribus conſtituunt; ac edito ſupremo conatu, omnes aut oppetere glorioſè, aut clade hoſtium litare animis popularium cæſorum. Signo igitur ad faciendum inſultū per lituos dato, rurſum ab omni parte prorumpunt in aggeres, víque ſummâ penetrare conati, ac libratis ſecuribus, primò omnium valli ſepem diſſipandam aggrediuntur: quibus tamen obſeſſi, ex aggeſtis erectis intrinſecùs, quantùm facere nitíque poterant, æquis viribus per omnia reſiſtebant. Hinc diu cruentum prælium ſtetit, nec metu mortis quisquam ex ulla parte, â ſtudio propugnandi removebatur. Tandem

Secundò fortunam tentant:

& poſt diu anceps certamen,

.X

dem eò usque productâ contentione, cùm ſors partium eventu regeretur indeclinabili, paulò pòſt *manipuli quidam Moravorum*, aggere & vallo ſuperatis, ab ea parte, ubi propugnantibus minùs periculi eſſe videbatur, proſiliunt in caſtra: tum alij quoque, ex altera parte, humeris ſociorum innixi, aut ſuper clypeos ſcandentes, objecta tranſcendunt, munimenta confertim intrant, ac multa cæde editâ, primo loco potiuntur. Concurſum eſt undique in tam magno ac præſenti periculo; & quia telorum miſſiliúmque nullus ampliùs uſus erat, cominùs haſtis & gladijs res gerebatur; ferocior & copioſior ſemper inſtabat *Moravus*, urgebátque, obvia cuncta cædibus & conſternatione replens; donec deſperatâ in armis ſalute, *Germani* vix mediâ parte ſuperſtites, per medias *Victorum* acies, quò quis poterat, effuſo curſu, exceſſerunt caſtris. Quos *Moravi*, ſparſos paſſim per dumeta & agros, non eâ celeritate, quâ pro militari diſciplina debuiſſent, perſequuti ſunt: impediebat fortaſſe laſſitudo viros, ſiquidem ad ultimam usque defatigationem certatum fuit; vel, ùt cupidiora ſunt prædæ mortalium ingenia, diripiendorum caſtrorum expectatione diſtinebantur, manubijs hoſtium potiùs, quàm proſequendæ *Victoriæ* intenti.

In caſtra penetrant:

Germanos caſtris exuunt & diſpergunt:

caſtra diripiunt.

Parta Victoriâ, *Svatoplucus* reliquam diei partem, in colligendis ſpolijs, noctem verò, & diem ſequentem, quietiſſimè in caſtris tranſegit. Tertiâ á victoria die, nuncio *ex Bohemia* percepit certo, adventare *Carolomanum*, cum exercitu. Nam etſi *Ludovicus*, vehementiâ morbi nihil intermittente, domî ſub cura Medicorum ſeſe contineret; nulla tamen deerat ex parte, in ijs rectè ordinandis, quæ ad præſentis belli ſtatum facere videbantur. Collecto igitur per æſtatem *viginti quatuor millium exercitu*, præter id, quod *in Auſtria ſub Carolo, in Bohemia ſub Carolomano, & Thuringia ſub Ludovico filijs*, in armis habuit; quatuor millia miſit *Ludovico in Thuringiam, adversùs Sorabos*, novandis rebus iterum intentos: *decem millia Bavarorum, Carolomano in Bohemiam*, qui iſthinc aggrederetur *Moravos*; & *totidem Francorum Alemannorúmque, Carolo in Auſtriam*, quò citiùs faciliúsque hoſtis, undíque bello preſſus, inclinari poſſet in ruinam, reddíque *finibus Auſtriæ & Bavariæ* optata quies. Neque difficilem futuram victoriam, tum copiarum robur, tùm juſta belli ratio, ſperare faciebat.

Carolomanus cum novo exercitu Moraviæ imminet.

Author. Annal. Pithaanor. & Fuldenſ. ad an. 869. Brunner. Adlzreit. Comenius in MS. de Marcom. & Morab.

Svatoplucus cùm de appropinquante novo, & majore hoſtili exercitu cognoviſſet, victoriâ, ac recenti rei benè geſtæ gloriâ non parum inſolens, aſſeverare id jactabundus non dubitabat; offerri ſibi, â Dijs immortalibus, novam longéque præſtantiorem gloriæ adipiſcendæ occaſionem, brevíque ſe effecturum, ut *Germani totâ eÿciantur Pannoniâ*: (*ita ſunt ſubinde humana ingenia, ſecum tantùm colloqui aſſveta, & ad maxima quæq; ſpondenda, ſibi nimio plus facilia & prona?*) móxque claſſicum canere, ſigna movere, & obviam hoſti procedere juſſit. Verum *Odriſauſus*, aliíque duces, quibus *Carolomani* tum virtus, tum fortuna, ac rerum bellicarum experientia perquàm nota eſſent, monuêre Principem, *feſtinaret lentè*, neque adeò fideret felicibus utcúnque fortunæ primordijs: *Carolomanum* eſſe Ducem, non tantùm manu promptum bellóque ſtrenuum, ſed & conſilij expediti ac circumſpecti;

Svatoplucus victoriâ ferox, hoſti obviam ire parat.

Alij vitandum prælij diſcrimen cenſent.

Digitized by Google

cti; proinde non eſſe congrediendum, neque periculum virium faciendum, niſi præordinatis, quæ ad conflictum pertinerent, benè rebus, ac temporis & loci occaſione commodâ captatâ. Quæ dum agitantur, nuncij ſuperveniunt alij, *Carolomanum appropinquare jam Moraviæ finibus*, ac contendere eò celeriori paſſu, quòd fortaſſe de clade ſuorum percepiſſet. Placuit itáque *Moravis*, & ipſi Principi ſaniora ducum conſilia probanti, caſtra movere loco, & ſecedere in tutiora, conflictui & receptui, ſi qua ingrueret vis, aptiora: cæterùm per extima Regni, ab ea parte, ubique viæ ac ſemitæ, duplicatâ arborum concæde, præcluſæ. Et ſuffecit convenienter ad ea omnia citò exequenda tempus: nam *Carolomanus*, ſivè quòd perceptâ clade ſuorum, priùs recolligere dillapſos, & hinc inde palantes ſtatuiſſet; ſive ignarus, quantarum virium eſſet hoſtis, regionem ingredi, séque & exercitum in diſcrimen aliquod objicere nollet, timerétque intra ſuſpectos montium, & ſylvarum ſeceſſus, ut ſæpè contigiſſe meminerat, inſidias, in confinijs Bohemiæ per triduum ſubſtitit: néque citiùs iter proſequi voluit, quàm exploratorum delatione, *& de numero hoſtium, ex quo vires eorum penſare poſſet; & de ſitu loci, quo ſeſe parati ad reſiſtendum fortiter tenebant; & de alia occultiori aliqua in Regnum ſemita*, per locî indigenam, datâ quæſitum induſtriâ, cognoviſſet.

Svatoplucus caſtra in tuto locat.

viis hoſti concæde arborum obſtruit.

Carolomani prudens cunctatio.

His perſpectis, optimum factu cenſuit, relictis *Svatopluci* caſtris, utpote loco & inſidiarum latebris probè munitis ac tutis, ingredi potiùs, quâ daretur acceſſus, regionem hoſtilem; præſertim cùm idem, á parte altera, *Carolus* ex conſtituto eſſet facturus. Præmiſsâ igitur cohorte peditum, admodùm ſilenti & ad omnes caſus compoſito agmine, ac præeunte carbonario homine ſylveſtri tum opportunè comprehenſo, qui pacto obtinendæ ſalutis, iter fidum ſe monſtraturum erat pollicitus, (nam obſiſtente ceſſarum arborum concæde, ire protinùs vetabantur;) perveniunt tandem ambagibus & circuitibus longis ſuperatis, ad planiora apertioráque. Ubi ſolito efferatior *Germanus miles*, mox tanquàm fulminis turbo, perculit agreſtem turbam, ſegetibus tum vernis demetiendis occupatam: quâ partim fusâ, partim captâ, exurebat villas, dirripiebat pecora, reſiſtentes obtruncabat; nil denique integrum reliquit, quod ferro poſſet ignéque conſumi, vel in ſervitutem abigi; ut eo modo *Svatoplucum* è latebris ſylvarum elicere, & ad faciendam pugnæ copiam permovere poſſet.

Carolomanus duce itineris comprehenſo.

in Moraviam penetrat, obvia dirripit & vaſtat.

Per id tempus *Carolus*, adjutus illis *decem Francorum Alemanorúmque millibus*, quos ſuprà docuimus, ei à patre fuiſſe miſſos, nec non navali claſſe inſtructâ, *Danubium transmiſit*: perruptóque limite, & ijs, qui reſiſtere audebant, cæſis aut disjectis, ipſo etiam *Radislao*, qui reparatâ valetudine, cum prætoriano ſuo milite, ad propulſandos hoſtes accurrerat, profligato, & in fugam acto, ac nemine ampliùs reſiſtente, *Moraviam ingreſſus eſt*. *Svatoplucus* interim, licèt de hac *Caroli in Regnum irruptione* nondum quicquam comperti haberet; mox tamen ubi alterum, cui invigilabat hoſtem, pertranſijſſe fines, quâ minimè putabatur, cognoviſſet, itinere edicto, caſtra

Carolus Danubium trajicit,

Moravos profligat:

Moraviam populatur.

 loco,

Svatoplucus obviam Carolomano ire conſtituit: *Annal. Pith. cit. VValefrid. in Annal. Franc. ad an. 869.*

loco, quo ſe tenebat, movit, ut hoſti per vicos & oppida Regni impunè graſſanti, cunctáque cædibus & incendijs permiſcenti modum poneret, eúmque ab ulteriori agrorum & villarum vaſtatione, *ultore gladio* (ſi Superis videretur) propulſaret.

Ità diſpoſitâ, inque omnem eventum providè inſtructâ profectione, vix duarum horarum iter, per ſylvas & calles conſitas arboribus, emenſus fuit; quùm procurſatorum adventu anhelantium etiam tum indicatur, equeſtres hoſtium turmas, propè adeſſe. Quo nuncio haud parum commotus, mille, ùt antè cogitaverat, lectiſſimos equites præmiſit, ducibúſque eorum præcepit, ut paulò longiùs procurrerent, vigilanter omnia ſervaturi, ubinam locorum hoſtilis exercitus ageret, ac ne quid inſidiarum orir etur: mandabátque eis, ut ſi comprehendere poſſent, unum vel alterum, referrent ſibi captivum. Quibus ſic ordinatis, in aperta planitie, ad amnem quendam cum exercitu ſubſtitit, varia volvens animo, ac ſollicitè expectans, quidnam ſibi emiſſarij equites relaturi eſſent: ſed priusquàm ij redijſſent, nuncij alij advenerunt graves: *Carolum armatâ vi tranſijſſe Danubium*, ac *proſtrato Radislai exercitu, graſſari per Meridionalem Regni plagam impunè, ad Teyam usque*: jámque *Radislaviæ, munitionis novæ*, quam *Radislaus* ad coërcendos inopinatos Germanorum ab Auſtria excurſus, opere magnifico paulò antè exſtruxerat, & â nomine ſuo indigitaverat, (hæc nunc *Retzium* eſſe putatur) obſidionem moliri. Extemplò igitur, poſthabitâ conſultatione omni, ſigna movere jubet, rem Patriæ verſari jam in aperto diſcrimine, clamitans: & idcirco *quærendum eſſe, quærendum pertinaciter hoſtem, non expectandum*; opprimendúmq; dum adhuc viribus disjunctis facilè opprimi poſſet, antequàm junctis copijs coaleſcat in invincibile robur, toti Moravorum genti & Regno fomidandum.

exploratores præmittit:

De Caroli ab alia parte progreſſibus ſerò cognoſcit:

prælium decernit.

Ergo promotis caſtris, inſtructâque & paratâ ad dimicandum acie, hoſti ſeſe conſpiciendum præbuit. Maluiſſet quidem *Carolomanus*, haud diſſentientibus alijs ducibus, eum diem absque prælio tranſigere, eáque morâ quieti exercitûs conſulere, quòd inſolitus diei æſtus, & vix tolerandus Solis fervor eſſet: ſed inſtantibus ſummâ vi *Moravis*, qui ultra Meridiem in armis & acie ſtabant certaminis avidi, ſub Veſperum, cùm jam Sol in occaſum inclinaret, pugnæ copiam fecit. Concurſum igitur ferocibus utrinque animis, & pugnatum magno utriusque partis exitio, fortunâ jam huc, jam illuc ſe vertente: *cædebant, cadebántque Germanorum non pauci, ſimul arma ſignáq; Francica, auro & coloribus micantia, jaculatione telorum densâ diſcindebantur confringebantúrque*. Pari fortunâ *Moravi equites*, cùm ictus Germanorum ampliùs, nec ipſi, nec eorum equi ferre poſſent, locum & aciem, in qua pugnando hactenus perſtiterant, deſerere cœperunt; eo animo, ut ſe poſt peditatûs terga tantiſper reciperent, ac peditibus immixti, ab eisque defenſi, tutiori loco Germanorum vim faciliùs ſuſtinerent. Ità pari utrinque contentione dimicatum fuit, tantâ virium animorúmque pertinaciâ, ut *tam ex Moravis, quàm Germanis* plurimi interirent, & *Carolomani chlamys*, eo tamen intacto, circa humerum telo pertunderetur. Ad extremum, nox ſuperveniens, prælium diremit.

Pugna conſeritur.

ancipiti Marte pugnatur:

Nox certamen diṙimit.

Ma-

Manè deinde *Carolomanus*, qui potiorem tulit cladem, miſſo caduceatore *ad Svatoplucum*, inducias per triduum popoſſit, ut interim corpora peremptorum ſepelienda curaret: at ille veritus, ne ſub hoc induciarum ſpatio, ei conjungerentur Francorum copiæ, quas ipſum *à Carolo fratre*, ex interceptis nuncijs, expectare non ignorabat, unius tantùm diei, quo & ſuos humare poſſet, conceſſit; séque rurſum die ſequenti in aciem prodĭturum, ut collatis reſiduis viribus, denuò ac meliori fortaſsis ſorte fortunam tentaret, ſignificari juſſit. Interea *Carolomanus* nihil tum magìs cogitabat, quàm de maturo in tutiora receptu: (néque enim ſecundò, cum efferato hoſte, fortunam periclitari voluit, probè gnarus, *furorem quandoque vires & arma miniſtrare*, ac tygrium more, cæco impetu ruere in ferrum, néque quid patiatur, ſed quid faciat, intueri.) Itáque tuto potiùs, quàm decoro conſilio, furori hoſtium cedendum ratus, conclamatis vaſis, ac præmiſſis impedimentis & curribus, quos legio una præiret, eámque certa manus equitum ſequeretur, ipſe cum reliquo exercitu poſtremi agminis curam ſuſcepit; ſimúlque mandavit, ut ſummo, quo poſſent, ſilentio progrederentur, & qui ſequentia agmina ducerent, ità antecedentium iter obſervarent, ne inſtitutus ordo perturbaretur; & hoſtis, ſi animadverſo eorum diſceſſu, laceſſeret abeuntes, repelli tantò faciliùs poſſet. Per hunc modum, ſecundam circiter noctis vigiliam, Lunâ ſubobſcurè aliquantùm lucente, profectionem inſtituit.

Induciæ unius diei pro ſepeliendis utrinque occiſis.

Carolomanus in tutiora recedit:

Nec tamen ullo ſilentio caveri potuit, quin *procurſatores Moravorum* diſceſſum ipſius perſentirent, ídque ſubitò *ad Svatoplucum* referrent. Quo is cognito, tametſi ardore pugnandi æſtuans ingenti, hoſtem inſequi in animo habuerit, ita, ut jam expeditiores turmas, quæ contento paſſu inſiſterent fugientium tergis, præire juſſerit: paulò pòſt tamen mutato conſilio, & ne dubiâ adhuc luce circumveniretur inſidijs, metuens, loco quo ſteterat, ſe continuit, *timuit* (ut plerúmque fit) *eum, qui non minùs timebat.* Miſſi tamen rurſum ſelectiores equites, qui citatiſſimo equorum curſu provolando, & veſtigijs abeuntium quantum poſſent inſiſtendo, metum augerent, & iter obſervarent: Interea *Carolomanus*, cùm ad deſtinatum locum, per tot difficultates incolumi exercitu, ſalvis rebus ſuis, ac nullo accepto detrimento, tot licèt hoſtium catervis à tergo volitantibus, ac prælium cientibus, ſingulari felicitate, perveniſſet, ſubſtitit, frontémque & ſigna in *Moravos* obvertit, néque certamen detrectavit. Sed nullo juſto prælio eo, & ſequenti die, concurſum fuit, ſolùm velitationibus carpebant ſe invicem: donec *Carolomanus* ipſe, turmis aliquot cataphractorum à fratre miſſis opportunè auctus, ideóque in certam ſpem victoriæ potiundæ erectus, pugnæ copiam dedit.

quem Svatoplucus inſequi conſtituit:

ſed inſidias veritus, conſilium mutat.

Poſt leviores utrinque pugnas,

Igitur conflictu inito, certamen atrox & cruentum utrínque commiſſum eſt, diúque victoria nutans in ancipiti ſtetit: poſtremò *ferratis Alemanorum catervis*, multò acriùs & vehementiùs *in Moravos* pedem inferentibus, & diffringentibus primos ordines, adeò, ut plurimi ex anteſignanis, vi & impetu eorum proculcarentur, *ad Carolomanum* inclinari viſa eſt. Pugnatum nihilominùs *à Moravis*, etiam dum primi ordines proturbarentur, ſupra

Juſto rurſum prælio concurritur.

Moravi fuſi & fugati.

Digitized by Google

ſupra quàm dici queat, fortiſſimè & diutiſſimè, magnam vim ſagittarum in hoſtes aſſiduè jacientibus: ſed quia illos *thoracibus & galeis armatos*, ſagittæ haud facilè permeabant; qui inſuper eminùs omni telorum genere, cominùs verò haſtis, verutis & gladijs peritiſſimè rem gerebant, noviſſimè pedem referre, fugáque dilabi cœperunt. *Svatoplucus*, etſi in ea fortunæ iniquitate, prælium reſtaurare omni conatu niteretur; disjectis tamen ordinibus, videns ſe reliquum pugnæ ampliùs ſuſtinere nequaquam poſſe, concitato equo, celeri quo poterat curſu, fugam arripuit: omníſque exercitus, omnêſque ordines permixtim, confuſi & palantes, hinc inde per vicinam vallem, & agros & montes, prout cuíque ſors dederat, converſi in fugam, remedia quæſivêre ſalutis. Turmæ equeſtres pernicitate equorum adjutæ, evaſerunt cladem pleræque; at pedites omnes aut cæſi ſunt, aut capti; pauculis exceptis, qui inter cædem & tumultum, valle emenſâ, ad juga montium, & colles vicinos profugerunt, ſícque præſens exitium evitârunt, denſitate ſylvarum tecti.

Svatoplucus prælium reſtaurare fruſtra conatus, fugâ ſibi conſulit.

Peditum fugientium cædes.

Conclamatum jam erat *de Moravia*: & duplici hoſtium triumphantium exercitu, (jam enim venerat etiam *Carolus* cum *Francis & Alemanis*.) cuncta igni ac ferro devaſtante, nihil videbatur proximiùs, quàm ut ſuccumberet tota, cum Gente univerſa: præſertim ubi etiam *Radislavia*, poſt ſeptem dierum obſidionem, ad Victoris arbitrium deditionem feciſſet. Verùm quia hæc non ſemper in manu hominum, ſed plerúmque *in manu fortunæ ſunt, quæ pro libitu ſuo, humanas res & negotia verſat, alternat, variat, eadémq; deprimit, atq; iterum extollit*; ideò paulò pôſt apparuit alia rerum facies. Nam *Svatoplucus*, recollectis equeſtribus copijs, hoſtium turmas quaquaverſùm palantes aggreſſus, campo depulit, & nè, uti cœperant, prædas undique agerent, graſſarentúrque prælicenter, coërcuit. *Radislaus* etiam, cùm pôſt acceptam â Francis & Alemanis cladem, *VVelebradium*, ac inde *trajecto Moravâ, in Orientalem Regni plagam*, ſeceſſiſſet, curâ diligenti (ùt omninò exigebat neceſſitas præſentis periculi,) non parcens labori, neque pecuniæ, novum accerſebat militem, tum ex ſuis, tum ex vicinis populis, *Hungaris & Slavis; â Poloniæ etiam & Ruſſiæ Ducibus*, promiſſas auxiliares copias præſtolabatur indiès.

Moraviæ ſuprema calamitas.

Moravorum res mutantur in melius.

Svatoplucus copias equeſtres reſtaurat, hoſtémque graſſantem reprimit. Radislaus quoque exercitum reparat: acceſſione Polonorum & Ruſſorum viribus augetur.

Hæ porrò ubi confluxiſſent, tanto numero, ut *â Radislao* nunquam antea majorem exercitum, néque ex validioribus pugnatioribúsque, coactum fuiſſe omnibus conſtaret; partem, quæ *imperia Svatopluci* ſequeretur, protinùs in hoſtem, ire juſſit: ipſe verò cum reliquis, *remeato Moravâ*, *Regni extima*, *Danubio proxima* petijt; eo conſilio, ut præcluſo Germanis â tergo, ad Danubium regreſſu, & â fronte, *Svatopluco* acriùs urgente, eò faciliori negotio, ab omni parte armis circumdatos opprimeret. Et ſucceſſiſſet conſilium; nî Principes ab amicis præmoniti, & de immenſâ hoſtium multitudine, cui ad reſiſtendum vix forent pares, edocti, *præoccupato ad Danubium paſſu*, maturè in Auſtriam receſſiſſent. Neque deinde quidpiam *Radislaus* in eos tentare auſus, quòd â tranſitu Danubij viribus renitentium prohiberetur, copias ſociorum, perſoluto ſtipendio, & die, quo ſub ſigna redirent, præfixo, domum remiſit, ſuos verò per hyberna diſtribuit.

Germanos opprimere inopinatò contendit.

Germani de periculo edocti, in Auſtriam properè ſeſe recipiunt. Radislaus copias dimittit.

De

VValafrid. Strab. ad an. 869. Calviſ. an. eod. Annal. Pith. ſuprà cit. Aventin lib. 4. fol 315. & ſequ. MS. Comenij de Antiqu Morav. part. 2.

De hoc bello Walafridus ità paucis refert: *Menſe verò Auguſto, Rex Hludovicus collectis copijs, in tres partes dimiſit exercitum. Æquivocum ſuum* (Ludovicum III.) *cum Thuringis & Saxonibus, ad comprimendam Soraborum audaciam deſtinavit. Bojoarios verò Karlmanno in adjutorium fore præcepit, contra Zventibaldum nepotem Raſtizi dimicare volentem: ipſe autem Francos & Alemannos ſecum retinuit, adversùs Raſtizen pugnaturus. Cúmque jam proficiſcendum eſſet, ægrotare cœpit; unde neceſſitate compulſus, Karlum filiorum ſuorum ultimum eidem exercitui præfecit, Domino exitum rei commendans. Qui dum cum exercitu ſibi commiſſo, in illam ineffabilem Raſtizi munitionem, & omnibus antiquiſſimis diſſimilem veniſſet, divino auxilio fretus, omnia mœnia regionis illius cremavit incendio, & abſcondita quæque in ſylvis, vel defoſſa in agris reperiens, cum ſuis dirripuit, omnésque ſibi congredientes fugere compulit, vel interfecit. Nec minus Karlmannus Regnum Zventibaldi nepotis Raſtizi, igne & gladio depopulatur, vaſtatáque omni regione Karlus & Karlmannus fratres convenerunt, de victoria ſibi cœlitùs data gratulantes.* Eadem *Aimonius, Authores Annal. Pithæanorum; fuſius verò quidam Anonymi, & ex ijs Brunner.* memorant.

Fames in Moravia.

Proceres Moravi ad pacem inclinant:

Svatoplucus quóque.

Maximam eo bello tulit Moravia calamitatem, â tot hoſtium & ſociorum, qui æquè miſereri in alieno non didicerant, exercitibus penè obruta. Dira inſuper fames, conſumptis omnibus, quæ mandi ſolent, & quæ ab agreſtibus, non ſine diſcriminis metu, meſſis tempore in acervos congeſta erant, per ſummam hoſtium malitiam exuſtis, inſtabat præ foribus: quod vel maximè *Moravorum Optimates*, urgebat ad ineunda pacis conſilia, ſi quo modo Reges inter ſe componi, & *pax Regno, viciniſque Provincijs reddi* poſſet: quorum præcipui, Regem, ut hoc modo ad publicum corruentis Regni decus tuendum, ſimul & detrimentum majus imminens avertendum, curas & cogitationes convertere vellet, cùm aliter perfici nequaquam poſſe cenſeretur, multis rationibus cohortabantur. Et *Svatopluco* quidem præſentem Patriæ ſtatum perquàm miſerabilem perpendenti, minimè diſplicuêre ejuſmodi conſilia: non quòd eum belli tæderet, quod utcunque ſtrenuè geſſiſſet, ſed ut quieti & tranquillitati ſubditorum, poſt tot ærumnas conſuleretur.

Radiſlaus mavult bellum.

At *Radiſlaus*, licèt jam ætatis utcunque provectæ, & valetudinis imminutæ, *nihil ſpirabat, niſi Martem:* diúque contentione maximâ reluctabatur ſvadentibus pacem. *Excutiendum* (dicebat) *eſſe priùs ſociorum auxilijs, quæ in promptu habere liceat, intolerabile Germanorum univerſo nomini Slavonico infenſiſſimorum jugum, & vindicandæ injuriæ, tótque ab eis illata damna.* Atque hic immoderatus belligerandi ardor, qui in alijs nonnunquam intepeſcit, in illo ætatis progreſſu magìs efferveſcebat, obſtinatum ejus propoſitum accendente nonnullorum adulatorum cohorte.

Pacis tandem tractationem admittit.

Tandem negotio rectiùs penſato, cùm pacem peti, quæ juſtis conditionibus poſſet tranſigi, expediret, eámque ex re tum fore plurium ſententiæ comprobâſſent; *Radiſlaus* quóque omiſsâ pertinaciâ, in tractationem pacis, primo quóque tempore ineundam conſenſit. Miſſi itáque Legati *ad Carolo-*

ma-

Digitized by Google

Legati Moravorum pacis tractandæ cauſâ, ad Carolomanum.

manum, tum temporis *Mutaræ*(civitas eſt pervetus, *in dextro Danubij littore, è regione Kremſij*) commorantem, ut de voluntate ejus ac Patris, ſuper fundanda pace cognoſcerent; & ſi ad idem inclinatos animadverterent, ubi locus transactioni deſignari deberet, parti utrique commodus & tutus, exquirerent; ac interea inducias (néque enim excurſiones utrinque hoſtiles ceſſabant, potiſſimùm in hyeme, Danubio pluribus in locis firmâ glacie ſtrato ac pervio,) paciſcerentur.

Qui reduces, cùm *Germanos Principes*, quanquàm multis in rebus, ac præſertim toties patratis hoſtilitatibus, graviter *à Radislao* offenſos, non abhorrere tamen â pace, retuliſſent; ſi modò *Radislaus* ſeriò ſapere, & de fide ac obſequio in futurum arctiùs cavere, bonæque vicinitatis jura, & veteres pactiones ſyncerè deinceps colere vellet: *Svatoplucus* negotium transactionis in ſe ſpontè ſuſcepit propriâ, *nobile hoc opus, & viro Principe dignum exiſtimans.* Cúmque ea in re, maturè facto opus eſſe, videret, non diu moratus, aſſumptis duobus alijs ê proceribus, *Odrifauſo & Hoſtierado*, quos Rex patruus ei aſſignaverat, ad deſtinatum locum profectus eſt, indicia cùm veri in Patriam amoris, tum circumſpectæ, in ordinanda tranſigendáque pace, prudentiæ daturus.

Svatoplucus, ex arbitris tractandis conditioribus delectis, primus. *MS. Comen. de Morav. part. 2.*

Sed res humanæ in eundem modum ſeſe habent: quemadmodum ij, quibus per Solem iter eſt, umbram neceſſariò projiciunt, eámque velint nolint comitem habent; ità qui ad gloriam verâ nituntur virtutis viâ, ſine invidia id agere nequeunt. Nam *Svatopluco* proſpiciente fideliter utilitati publicæ, & ut pax reduci poſſet cum decore, nihil pudori Patrui ſui prærептura vel Majeſtati, in id ſummo ſtudio incumbente, reperti ſunt *in Radislai aula* potentiorum nonnulli, qui adulandi, átque gratiam Regis bonis malíſque artibus aucupandi, profeſſores jam docti, cuncta, quæ Svatoplucus in ſtatuendis conditionibus pacis ordinabat ſagaciſſimè, & quæ *ad Radislaum* non intermittebantur referri, (erat enim neceſſe, tanquàm legatum, ſuper omnibus geſtis, ad Regis referre ſcientiam) vertebant in ſiniſtrum, talia ad patulas Regis aures obſtrepentes inſulsè: *plus nimiò hoſti concedi, ſtatuique conditiones adeò graves, ut eas victus quiſque, ne dum victor ſperneret*; (erant autem: ut duo illa munimenta ab Auſtriacis in ſiniſtra Danubij ripa, vigore pactorum exſtructa, quæ Radislaus ſolo æquari juſſerat, denuò inſtauraret: & præter ea, alia duo, quorum tamen nomina non exprimuntur, exſtrui pateretur.) *nilque aliud Svatoplucum per hac moliri, quàm ut Germanorum devinciret ſibi animos, ac eorum ope Patruum, quaſi quo icta paci ſtare nollet, ſolio Regni deturbaret.*

Sunt, qui Svatoplucum graviter carpunt & criminantur: fraudis ac perduellionis inſimulant.

Hæc & his congruentia plurima Regi inſuſurrabant, audire talia geſtienti: & ùt ſenes, præſertim ubi de Imperio, quod tenent, agitur, timidi & ſuſpicaces ſunt, & facilè quibusvis vel incertis rumoribus, temeréque fidem adhibere ſoliti, haud difficulter ei omnia perſvadebant; qui exinde in ſollicitudines anxias diſtractus, agens tum *VVelebradij*, formandis in futura conſilijs dies impendebat & noctes.

Radislaus citò credulus, Svatopluco offenditur.

In-

Inter quæ *Svatoplucus*, rerum, quæ in ſecretiori palatio Regis agitabantur, ignarus, ſubitò advenit, tabulas pacis ferens: quæ cùm perlectæ eſſent, mox inſolitâ indignatione excanduit Rex, limíſque oculis Svatoplucum contuens, *Dij te perdant* (inquit) *cum tua hac, quam nefariè cudiſti, pace.* Nihilque poſt hæc percontatus, vel audire perpeſſus, abire eum in malam peſtem juſſit: qui perculſus tam inſperatâ Patrui commotione, illicò abſceſſit, ùt juſſus fuerat, ac ejusmodi ſuſpicionis contumeliâ proritatus, non tantùm palatio, ſed totâ Regiâ abſceſſit: néque ampliùs in Regis conſpectum venit, licèt minis abjectis accerſeretur ſæpè.

duris verbis illum excipit.

Svatoplucus Regiâ excedit:

Hinc magìs commotus ſenex, ſuopte ingenio mobili repentinus & ſuſpicax, varia cum proximis agitabat conſilia, quâ vi, aut dolo Nepotem opprimere poſſet. Sed jam ille, cùm ſua omnia dicta & facta obſervari, nihílque tutum ſibi in Moravia crederet, *facere aliquid, quàm pati ſatiùs eſſe judicans*, communicatóque cum ſuis conſilio, ultrò *in Auſtriam ad Carolomanum* conceſſit: & multa de Patrui in ſe concepto odio queſtus, ab eo ad vindicandam hanc injuriam auxilia poſtulavit. Alij ſcribunt, ſtructas fuiſſe, inter geniales epulas, *Svatopluco* ferales inſidias; quas cùm ille indicio cujusdam conſcij in tempore didiciſſet, faſtidium cibi ob languentem ſtomachum ſimulâſſe, & quaſi illud non aliâ meliori medicinâ, quàm aucupio & equitatione levare poſſet, foras cum prædatricibus avibus, & famulatu ſuo excurriſſe. *Radislaum* interim cùm animadvertiſſet fraudem detectam, illicò cum armata manu fugientem inſequutum eſſe, eo haud dubiè conſilio, ut illum ad certam retraheret necem: verùm miro fortunæ ludo, ab eodem, quem captatum venerat, ipſummet captum, vinctum, & *Carolomano* traditum. Et tum apparuit, importunè lædi eum, cujus fide opus habeas. Hoc modo Radislaus, *laqueo* (ùt inquit Walafridus Strabus) *quem Svatopluco tetendit, ipſemet captus eſt.* Sed præſtat audire totum, quod idem Walafridus, Scriptor coævus, commentatur. *Zventibald nepos Raſtizi, proprijs utilitatibus conſulens, ſe Karlmanno unà cum Regno, quod tenebat, tradidit. Unde Raſtiz vehementer iratus nepoti, occultè ponit inſidias, & eum in convivio nihil mali ſuſpicantem jugulare diſponit. &c. Sed Raſtiz juſto Dei judicio captus eſt, laqueo, quem tetendit. Nam ab eodem nepote ſuo comprehenditur, ligatur, & Karlmanno præſentatur: à quo ſub militibus illum, ne elaberetur obſervantibus, in Bojoariam miſſus, usque ad præſentiam Regìs* (Ludovici) *ſervandus in ergaſtulum cum retruditur. Karlmannus verò Regnum illius, nullo reſiſtente, ingreſſus, cunctas civitates & caſtella in deditionem accepit, & ordinato Regno, ditatúsque gazâ regiâ, revertitur.* Et infrà: *Rex Hludovicus, circa Calend. Novembr. in Bojoariam profectus eſt, ibique cum ſuis colloquium habens, Raſtizen gravi catenâ ligatum ſibi præſentari juſſit, eumque Francorum judicio, & Bojoariorum, nec non & Slavorum, qui de diverſis Provincijs Regi munera deferentes adevenerant, morte damnatum, luminibus tantùm oculorum privari præcepit.* Aventinus addit; cæcum poſtea *Radislaum*, fuiſſe Monaſterio incluſum. Quidam verò Anonymus expreſsè habet, illum in monaſterio S. Emmerami reſiduum

non ſatis in Patria tutus,

in Auſtriam abit.

VValafrid. Strabus an. 870. Annal. Pith. cit. Calviſ. in Chronol. an. eod. Brunner. part. 2. l. 6. n. 11.

Radislaus per inſidias capitur:

Ratisbonam vinctùs abducitur;

MS. Anon. apud Comen. part. 2. Author. Annal. Pithaan. & Fuldenſ. an. 870. Aimonius lib. 6. cap. 26. Rhegino lib. 2. Chronicor. Sigebert. Gembl. in Chronograph. an. eod. Daubrav. l. 4. Cromer. rer. Polonic. lib. 2. Vorburg. Hiſtoriar. Volum. XII. Brunner. in Bojicis Part. 2. lib. 6. num. 11.

luminibus privatur, & in Monaſterium includitur, an. 870.

Odriſauſus Familiæ ſagittiferorum cum myſtacibus, Originarius Major.

Paproc. in Spec. Mor. l. 1. part. 4. c. 9. & alibi.

(†) *MS. Franc. Can. Prag. in Chron. part. 2. cap. 16.*

(*) *Teſtã. Georg. de Kraw absq. prole maſc. defuncti. Reliquit filias 4.* Ludmilla *nupta Joanni Berca, accepit Sternbergam.* Kunhuta *nupta VVenc. de Bozkowicz, accepit Racziccium &* Oprawau Blaſſtecka Zásbrd. Joanna *nupta Joanni Heroldt de Kunſtat, accepit Plumlow & jus Patron. Monaſterij Proſtegow:* Eliſabetha *nupta Pertholdo de Lippa, accepit Straznicium. Bzenecium & Miloticium vendita, & pecunia inter omnes diviſa.*

duum vitæ transegiſſe, & anno ſequenti obijſſe. Ità Radislaus Regno exutus, & viſu libertatéque privatus, temeritatis ſuæ pœnas dedit; ut vel hinc cognoſcere liceat, quàm gravi, & non præcipiti conſilio, bella ſint ſuſcipienda, quæ perpaucis, ſine cauſa ſuſcepta, inulta fuêre: ac licèt in nonnullis, quædam ſub initium fælicitas ſubriſerit, funeſto tamen exitu ea ſignârunt. Teſtes: *Nicanor, Bacchides, Apollonius, Antiochus, Holofernes, Alaricus, Vitiges, Attila, Totila, Pyrrhus, Hannibal, Xerxes, Jugurtha, Cimbri, Teutones, Catilina, Antonius*, aliíque plures ex omni gente: ut taceam domeſtica, & vicinorum exempla. Nova regna hi quæſiverunt, alienis & ſuis exciderunt: habere hoſtes voluerunt, invenerunt; ac morte tandem infelici ſuâ, & ingloriâ, omnes propè interierunt.

Exinde verò, quòd non in publico, vel alio ſqualidiori carcere, ſed in monaſterio, (*ſolenni Principum id temporis ſupplicio,*) aſſervandus erat ad mortem usque, Chriſtianum imbutum fuiſſe legibus, quod etiam ſuprà oſtendimus, nemo dubitet.

Odriſauſus porrò, cujus hìc fuerat ſemel átque iterum mentio, eſt, ut reor, heros ille, *Saulus* nomine, vel unus ex poſteris illius ejusdem cognominis; qui cuidam giganti *è Græcia*, (juxta alios, *è Bulgaria*) advenæ, in Aula Regis Moraviæ, alios ad certamen provocanti, labium ſuperius, unà cum myſtacibus, ſingulari audaciâ, nec minori animi fortitudine detraxit; & quem idcirco Rex, *Odriſauſum*, id eſt, *detractorem myſtacum* appellavit, ſimul & *myſtaces ſagittâ per medium transfixos*, prout illos Regi videre cupienti oſtenderat, in clypeo ſuo militari ferre juſſit.

Huic originem ſuam debet *Familia celeberrima Sagittiferorum*, ſeu, ùt loquitur vetuſtiſſimus Scriptor: (†) *Familia ſagittam circumflexam in naribus, ſuo in gentilitio clypeo ferentium:* ſucceſſu temporis in plures diviſa ramos, ac longè latéque, non tantùm *per Moraviam & Bohemiam*, verùm etiam *per Poloniam, Litvaniam, Ruſſiam, Croatiam, Dalmatiam, Serviam*, & alia Slavonici nominis Regna, copioſiſſimè propagata. Ex qua hodiéque *in Moravia* ſuperſunt: *Tvvorkovvsky de Kravvarz, & Sedlnicky de Cholticz; Kravvarais*, ſpeciali quâdam, ſed ejusdem generis, eáque excellentiſſimâ, & quondam in Moravia florentiſſimâ ſtirpe, uti ſuo loco videbimus, anno 1466. cum *Georgio de Kravvarz, Domino in Sternberg, Plumlovv, Straznicz, Raczicz, Bzenecz & Miloticz*, ex eadem ſtirpe ultimo: (*) & *Daubravicijs*, nobiliſſimâ quóque propagine, cum *Smilone Oſſovvsky de Daubravicz, Domino in Trebicz*, an. 1613. die 16. Febr. extinctis.

In Bohemia fuerunt olim *Mraczkij de Dube, Bavvorij de Strakonicz, de Beneſſovv, & de Bechinie:* ex quibus nulli ampliùs ſuperſunt, ſed communi generis humani fato, quo nata omnia intereunt, & ipſi defecerunt. Et quidem poſteriores tres ſtirpes jam dudum: *Mraczkiana* noſtrâ adhuc memoriâ claruit; primò nuper in *Carolo*, egregio juvene, in Jankovienſi prælio, anno 1645. multis vulneribus confoſſo, & exinde mortuo, deſijt. E *Bechinæis* erat *Tobias Ep. Prag.* ab an. 1278. ad an. 1296. quem non fuiſſe *ex Lazanais*, ùt vo-

volunt aliqui, & ipſe Paprocius, ſed *ex Sagittiferis* ſeu *Odriſauſijs*, clarè oſtendit ipſi coævus Scriptor, cujus jam meminimus, *Franciſcus Canonicus Prag.* dum præter alia, etiam de ipſius Aulæ magnifico apparatu, déque famulorum veſtitu, narrat iſta: *Nobiles etiam milites, Domicellosque Curiæ ſuæ, ſuperiores, mediocres, & infimos veſtivit ex integro: cujuslibet veſtimento ſagittâ circumflexâ in naribus, ſigno Progenitorum ſuorum, inſignito.* MS. Franc. ſupr. cit.

In *Polonia* ſunt in hodernum usque diem Familiæ, hujus præſtantiſſimæ originis, quàm plurimæ: *Sſidlovecij*, â quibus, ùt teſtatur Paprocius, *Principes Radzilovij & Oſtrovienſes. Koniecij, Chlevicij, Diebenskij, Penizkovve, Laſſatæ, Syrakovvskij, Ketlinſſtij, Paczanovvskij, Kurzanſſtij, Bebnovvſſtij, Koſtelecij, Dialinſſtij, Zielſſtij, Kuczborſſtij, Murzinovvſſtij, Rudovvſſtij, Roskovvſſtij, Bronievvſſtij, Radoczſſtij*, & alij pluresquàm quis fortaſſe credat, & quàm percenſeri omnes absque lectoris tædio poſſint. E *Syrakovvskijs* unus, nomine *Hieronymus*, circa an. 1530. migravit ex *Polonia in Moraviam*: ubi ductâ in uxorem *Catharinâ Hanuſſij Petrzvvaldsky* filiâ, nâtâ ab *Alena Prazmiana*, ſtationem pro ſe, & pro Poſteris ſuis poſuit. Ejus filius *Ctibor Syrakovvsky de Pierkovv, Dominus in Staro-VVes & Paſſkovv*, propter eximiam eruditionem, & linguarum multarum, ac imprimìs Latinæ peritiam, *Scriba Supremus, ſeu Protonotarius Moraviæ* eſſe meruit. Uxorem habuit *Joannam filiam Hynkonis Bruntalsky de VVrbna, Domini in Bruntal & Goldſtein, Supremi Capitanei Moraviæ*: ex qua tres filios genuit, *Hynkonem, Joannem & Ctyborium.* Num adhuc quis è poſteritate illorum in Moravia ſuperſit, dubito.

Polonia, alibíque.

Paproc. in Spec. Mor. lib. 3.

Accedunt ad majus hujus *Familiæ Sagittiferæ* decus, duo præſtantiſſima lumina, *S. Hiacynthus*, vulgò **S. Jacek** / & *B. Czeslaus*, fratres gemini, ex eadem progeniti, in agro Opolienſi Diœceſ. Wratislaw. Ordinis Prædicat. vivente adhuc S. Dominico Ord. illius Fundatore, profeſſi. Quàm igitur fælix *Familia Kravvaraeorum, Sedlniczkyorum, Syrakovvskiorum, Laſſatarum*, ac cæterorum! quæ non modò Regna & provincias tot viris illuſtribus, ſed etiam Cœlum Sanctis adauxit. Redeamus, unde digreſſi ſumus.

S. Hiacynthus & B. Czeslaus ex eadem Familia.

Bzov. in propag. S. Hiac. c. 1. & ſequ. Paproc. Cromer. Miechov. Brev. Rom.

CAPUT VI.

Continuatio malorum, ſub Svvatopluco Rege penultimo.

BEllа funeſta & cruenta, quæ poſt caſum *Radislai* hominis inquietiſſimi ſopita, aut intermiſſa videbantur, haud multò pòſt magno ac repentino impetu recruduerunt, occaſione tali. Cùm enim *Svatoplucus*, invitatis ad ſe *Bohemorum, Polonorum & Ruſſorum Ducibus*, renovandi mutui fœderis causâ, mox anno regiminis ſui primo, frequentiorem egiſſet conventum, præſen-

Svatoplucus cum Bohemis, Polonis & Ruſſis fœdus & amicitiam renovat.

 tibus

tibus quóque *Baſilij Imp. Conſtant.* & *Michaëlis Regis Bulgarorum* legatis; præbuit idcirco occaſionem Germanis ſuſpicandi, quaſi occultioribus conſilijs ab inita pace, & â fide *Carolomano* data, jure jurandóque firmata, reſilire meditaretur. Auxerat ſuſpicionem, quòd duo illa munimenta *Radislai*, juſſu antea ſubverſa, quæ vigore pacis denuò inſtaurare tenebatur *Svatoplucus*, non eâ, quâ ex pacto debebant, operariorum diligentiâ aſſurgebant.

Carolomanus id ſiniſtrè interpretatur:

Hæc igitur, licèt dubia incertáque, *Carolomanus* pro compertis accipiens, & nè in exitiale malum erumperent aliquando ex improviſo metuens, dolo Moravum capere, & opprimere in tempore conſtituit: qua de cauſa inijt conſilium tale. *Boſonem Comitem*, cum quo antea conſilium communicaverat, & cujus prudentiæ jam pridem ſibi compertæ ut plurimùm fidebat, *ad Svatoplucum* miſit; & per ſimulationem tractatûs publici, *Mutaram* invitavit, ut ità amicè allectus, ſine ullo caperetur obſtaculo. Qui nihil in profunda veritus pace, comparuit; exceptúsque eſt *à Carolomano*, contuitu primo peramanter; nihílque omiſſum, quod exigeret apparandum, tanti hoſpitis dignitas. Die ſequenti, finitis epulis, *Carolomanus*, tanquàm arcanum quid ei communicaturus, in ſecretius conclave inductum, remotis arbitris, ſciſcitatus eſt, de ſucceſſu conventûs cum vicinis Principibus, & vicinorum Regum legatis, tantâ frequentiâ, & tam diu celebrati: & quandonam univerſale bellum, cum ijſdem confœderatis, adversùs Germanos indicturus eſſet? Quo audito *Svatoplucus*, licèt nullius facinoris aut perfidiæ, cujus inſimulari haud obſcurè videbatur, conſcius eſſet, rei tamen novitate haud mediocriter perculſus, ignorabat primò, ùt fit, quid proloqui deberet; donec reſumpto animo, prorupit in hunc modum. *Se quidem in eo conventu, quem habere licuit, fœdus amicitiæ cum vicinis Principibus pepigiſſe; non alio tamen animi propoſito, quàm ut arctiùs firmatâ pace, Regnum ſuum tot bellorum motibus hactenus quaſſatum, ac penè ad ruinam inclinatum, in melioris fortunæ ſtatum reducere poſſet.* Addidit: *ſi inter hæc perfidum quicquam in Carolomanum, aut juratæ pacis leges egiſſet, & eo ſcelere convinceretur, paratum ſe ad dira ſupplicia quoquo modo ſubeunda. Proinde ſe ab eo contendere, ne adverſis de ſe rumoribus, qui nullo auctore orirentur, credere vellet.* Conceptam tamen ſuſpicionem nequierat diluere, néque placare animum Principis in propoſito obſtinati, ſed juſſus, ut accingeret ſe itineri, *Ratisbonam* miſſus eſt.

Svatoplucum ad ſe Mutaram invitat:

[...]nimq; objecta diluentem, & Divûm hominúmque fidem, ac gentium jura, fruſtra conteſtantem,

Ratisbonam in cuſtodiam mittit.

Cujus rei tam inſperatæ, & fraudis plusquàm Punicæ diſſeminatus ubique rumor, & *Moravos*, & populos circumſitos ijs fœdere junctos, ad arma provocavit: qui exiſtimantes Regis captivitatem fore Radislai parem, coacti in unum, *Presbyterum quendam de ſtyrpe regia, nomine Slavimirum, Regem appellavêre*, conſenſione firmiſſimâ. Qui tametſi primùm obſtinatâ mente reſiſtebat univerſis & ſingulis, nunc indignari ſemet oſtentans, nunc manus tendens, oránſque & obſecrans, ne ſe â rebus ſacris abſtrahant, néve adigant, ut ſeculi negotia, quæ ſtatui ſuo minimè conveniant, & quæ in præſentiarum curare vix rerum peritiſſimus poſſit, tractanda ſuſcipiat: conclamabatur nihilominùs ex omni parte, uno paríque ardore *Slavimirum Regem* appellantibus

Moravi tumultuantur.

Novum Regem, Sacerdotem quendam, ſed regio ortum ſanguine, creant.

bus, eúmque ad capeſſendum regimen, maximâ contentione urgentibus, mixtis etiam probris & convicijs, ut tandem aſſenſum dare cogeretur. Miſſi etiam, continuatis dies ac noctes itineribus, legati *ad Bohemos, Polonos & Ruſſos*, pro petendis auxilijs: quæ quidem illi promptis & alacribus animis, abſque cunctatione promiſerunt: quòd Germanis, utpote ſuæ, ac omnium *Slavorum* libertatis, acerrimis oppugnatoribus, infenſiſſimi eſſent, eorúmque potentiæ inviderent. Nec mora, quicquid ditionis Auſtriacæ, ad *Danubium* usque erat, crudeli factâ excurſione, irarúmque pleni, totum rapinis, cædibus & incendijs plusquàm hoſtiliter defœdârunt, nemine ad prohibendam populationem ſatis valido; munimentis verò illis duobus recèns inſtauratis, & alijs tumultuario ſolùm opere extructis, â præſidiario milite ægrè admodùm defenſis: quarũ tamen una, poſtremò oppugnantiũ pertinaciæ ceſſit.

Auxilia fœderatorum implorant.

Auſtriam invadunt, vaſtant.

Jámque furore magìs ac magìs incitante, etiam Danubij tum fortaſſe, ob raras in æſtate pluvias, alicubi vadoſi tranſitum ſummo ſtudio quærebant, certi ſi fluvio potirentur, in ſuo arbitrio fore, quem in vindicanda Regis contumelia modum ſibi ponere vellent. Nec multum abfuit, quin vado utcunque meabili reperto, deſtinata perfeciſſent, nî *Auſtriaci* adverſas fluminis ripas, aggeribus, & præacutis ſudibus, omnique præſidiorum genere, diligenti curâ præmunijſſent. His cognitis *Carolomanus*, Ambricum Epiſcopum Ratisbonenſ. cum pedeſtri equeſtríque milite probè inſtructo, in Auſtriam citatis itineribus proficiſci juſſit, ipſe eum triduo pòſt ſequutus. Ubi Danubio, loco & tempore opportuno, navium, quas ſecundo flumine advexerat, beneficio, celeriter trajecto, *vim Moravorum* nonnihil repreſſit; profligatóque uno agmine, quod ê fortiſſimis habebatur, & quod maximè â tranſitu arcere contendebat, reliquos in varias dilapſos partes, negotio facili, â ripa & præſidiariorum infeſtatione depulit.

Danubium trajicere fruſtra conantur.

â Carolomano reprimuntur.

Interea *Ludovicus* de hiſce turbis edoctus, Ratisbonam Francofurto venit: & Svatoplucum in Curiam vocatum, cùm ei objectum crimen probari nequaquàm poſſet, abſolvit, liberúmque abire fecit; dato ad Carolomanum mandato, ut illum in Regnum reduceret, & exortos præcipiti conſilio motus, rurſum pro ſua dexteritate pacaret. Exiſtimabat enim bonus Princeps, pacem reduci meliori modo vix poſſe, quàm *reſtituto in Regnum Svatopluco:* quem idcirco muneribus excultum, adjecto inſuper ſplendido comitatu, ad ſua remiſit. At longè ſecùs accidit, quàm ſperabatur: *periculoſum namque eſt* (inquit Æneas Sylvius) *clarum ac potentem virum in carcerem rapere, quandoquidem neque nocentem plectere eum, neque innocentem dimittere tutum eſt.*

Ludovicus Germanicus Ratisbonam veniens, cauſam Svatopluci audit; eúmq; abſolutum in Regnum reduci jubet.

Æneas Sylv. l. 3. Commentar. in Panormitan.

Quippe *Svatoplucus* injuriæ magìs, quàm beneficij memor, & irâ, quam tantiſper compreſſerat, ſupra modum exæſtuans, id omninò ad dignitatem ſuam, exiſtimationémq; pertinere cenſebat, ut contumeliam ſibi illatã quamprimùm ulciſceretur. Proinde redditus Regno, cùm domeſticas turbas, *Slavimiro* regimen, quod eò usque invitus geſſerat, ſibi haud gravatim in manus reſignante, compoſuiſſet negotio levi, mox conſilia ſua omnia, & vires in bellum adverſùs *Carolomanum* convertit: quod demum concitatis ad arma *Bohemis,*

Svatoplucus injuriam ſibi illatam ulciſci ſtatuit:

Carolomano bellum infert.

Digitized by Google

Aimonius lib. cit. c. 28. & 27. VValafrid. Strab. ad an. 871. Aventin. lib. 4. fol. 355. Vigner. ſupra citat. an. eod. Adlzreith. Annal. Bojor. Part. 1. lib. 11. §. 36. Brunner. ſupra citat.

bemis, à *Polonis* verò auxiliaribus copijs ſubnixus, Marte utcúnque propitio per triennium geſſit. Walafridus ita de eo ſcribit: *Zventibald nepos Raſtizi, apud Karlmannum infidelitatis crimine inſimulatus, in cuſtodiam miſſus eſt. Slavi autem Marabenſes, Ducem ſuum periiſſe putantes, quendam Presbyterum ejus Ducis propinquum, nomine Sclagamarum, ſibi in Principem conſtituunt, ei minantes interitum, ni Ducatum ſuper eos ſuſciperet. Qui eisdem neceſſitate coactus aſſenſum præbens, contra Engilſcalcum, & VVilbelmum Duces Karlmanni prælia movere, & eos ex obſeſſis civitatibus expellere nititur. Illi verò adversùs hoſtem pari intentione dimicantes, & nonnullos de exercitu ejus proſternentes, eum fugere compulerunt. Interea Zventibald, cùm nullus crimina, quæ ei objecta fuerant, probare potuiſſet, à Ludovico dimiſſus, & muneribus Regijs bonoratus, in Regnum ſuum rediit, ducens ſecum Karlmanni exercitum, quaſi Sclagamarum expugnaturus: ſic enim per dolum promiſerat, ſi ei ad Patriam reditus concederetur. Sed ſicut ſolet incautos, & de ſe præſumentes ſequi ignominia, ſic illi contigit exercitui: nam Zventibald cæteris caſtra metantibus, urbem antiquam Raſtizi ingreſſus eſt, ſtatimque Sclaviſco more fidem mentitus, & juramenti ſui oblitus, non ad expugnandum Sclagamarum, ſed ad ulciſcendam contumeliam à Karlmanno ſibi illatam, vires ſtudiúmque convertit.* &c. Hoc modo *Svatoplucus*, Princeps alioquin ſuâpte naturâ benignus, & minimè crudelis, ſed tunc juſto dolore ad ferociam usque exacerbatus, & ſumendæ quâcunque tandem viâ, ultionis cupidiſſimus, injuriam à Germanis ſibi illatam vindicandam ſuſcepit.

Melch. Goldaſti malignitas, & odium Gentis noſtræ, *ex primis duobus ipſius libris in Comment. de Regn. Boh. patet:*

Melchiorem Goldaſtum J.C. Commentariorum de Bohemiæ Regni incorporatarúmque Provinciarum juribus & privilegijs Autborem, hìc miror, quòd ſicut alia multa Bohemorum & Moravorum bella, etiam juſtiſſima, utpote pro ſalute, pro libertate, pro gloria gentis, pro aris deníque & focis, ſubinde etiam contra Schiſmaticos Reges & Imperatores, pro ſacroſancta Religione, pro conſervanda Sedis Apoſtolicæ authoritate, pro pace univerſi orbis, ſuſcepta ac feliciter geſta, *conjurationes*, & *rebelliones*, invidioſis vocibus, ac turpiſſimis nominibus appellat: ita & hoc Svvatopluci, in ſua *Rebellionum Moravicarum cum Bohemicis Concatenatione*, ùt illam auctiorem faciat, in eandem execrabilium bellorum claſſem reponere non dubitat. Quaſiverò non licuiſſet Svatopluco, tam enormem injuriam ſibi illatam, ipsúmque etiam jus fœderis, & hoſpitalitatis nefariè violatum, æquiſſimo jure armis ulciſci. Videantur primi duo ipſius libri, qui penè ex toto, hujusmodi convicijs & maledictis ſcatent: ubi inter cætera legere eſt, quomodo Bohemos & Moravos, ille ſemper victos, ſemper domitos, & dum caput levare conantur, pro gentis gloria, (quod ipſe *rebellionem*, ùt dixi nominat) ſemper eſſe repulſos oſtendit. Verbo, quidquid adversùs Bohemorum & Moravorum nomen & jura, ex Authoribus Germanis, aliísque congerere potuit, longè latéque recitat, clades omnes adfert, ſæpè ex *bello unico, duo, tria, quatuor bella* facit: imò quòd ampliùs eſt, fracta ſubinde à Polonis, quæ cum Germanis habebant fœdera, illatásque ab ipſis, & viciſſim acceptas clades, contra quàm referant coævi, &

& magis adhuc ex iſtis eluceſcit.

fide

fide digniſſimi Scriptores, Bohemis adſcribit, (quod ſuo loco oſtendam) ut exemplorum multitudine abundare ſe monſtraret. Contrà verò, quidquid in laudem Bohemorum & Moravorum cedere poterat, flagitioſo ſilentio præterit, & ne mutit quidem: homo non certè ingenui ac germani pectoris; qui ex libera Hiſtoria, & Regina veritatis filia, mancipium ſibi & proſtibulum malis artibus facit. An forſitan in animum induxit ſuum, nullum facilè repertum iri, qui hæc animadvertat? ideóque cuſtode remoto, tutum ſibi eſſe putavit, quod vellet agere, mentiri impunè, & in hiſtoria, ut ità dicam, latrocinari? Unde meritò apud omnes cordatos Scriptores, propter ejuſmodi confictas, præſertim libro 1. & 2. narrationes, criminationes, calumnias, falſas Authorum, & detortas in alium ſenſum allegationes; deniq;, ut quod res eſt dicam, mendacia, malè audit, & pro egregio fabulatore habetur. Videantur, *Epitomes rer. Bohem.* proximè typis edita; & ſuo tempore, ubi prodierit quóque in publicum, Magni Authoris opus, *Slavo-Bohemia*. Jam ad noſtra.

Hiſtoria eſt Veritatis filia.

Balbin. in Epit. rer. Boh. l. 1. c. 10. in Notit. pag. 87.
MS Slavo-Bohem. part. 1. cap. 26.
Vigner. ad an 872.

Anno ſequenti, nempe 872. cùm jam adulto Vere, exercitus Ludovici, *per Sorabos & Siuslios*, (fortè *Sileſios*) in Moraviam irrupiſſet, *Svatoplucus* relictâ parte copiarum pro tutela limitis Auſtriæ vicinioris, cum reliquis obviam hoſti proceſſit. Dúmque Germani (*Saxones erant & Thuringi*) diſcretim hoſtem ſibi appropinquantem adoriri feſtinant, ac ortis inter ſe diſcordijs, de honore contendunt & dignitate: utráque enim gens primas ſibi pugnando partes arrogabat; *Moravi* nec exſpectato certandi ſigno ſolemni; *Saxones* primò inceſſunt. Qui dum arma tardiùs per tumultum expediunt, *Moravi* interfectis plurimis, auctique fiduciâ, aciem quoque perrupêre *Thuringorum*; quâ disjectâ, *Thuringi & Saxones* rei meliùs gerendæ ſucceſſu deſperato, terga dare, palantéſque & effusè fugientes dilabi cœperunt. Multi tamen in fuga ipſa, à victore milite, naturâ feroce, cæſi & obtruncati, campos cadaveribus accumulatos replevêre. Alij abjectis armis ſublatíſque manibus, veniam vitǽque incolumitatem poſcebant; qui tamen ab iratis perſequutoribus, aut è veſtigio cæſi ſunt, aut inſtar pecudum gregatim abacti, ac compedibus & catenis conſtricti. Pauci meliore fortunâ uſi, aut qui priores fugam cœperant, ægerrimè evasêrunt. Et quod inauditum hactenus erat, indignúmque Germanicò nomine, *aliqui à mulieribus Moravis è fuga retracti, equis deturbati, & fuſtibus contuſi, benéque delumbati*, dignas ſanè vecordiæ ſuæ dederunt pœnas. Teſtatur id præfatus Scriptor hiſce: *Menſe Majo, miſit Ludovicus Rex Thuringos & Saxones, contra Slavos Marabenſes: qui* (ſcilicet Thuringi & Saxones) *quoniam Regem ſecum non habebant, & inter ſe concordes eſſe nolebant, idcirco hoſtibus terga verterunt, & plurimis ſuorum amiſſis turpiter redierunt: ita ut quidam Comites, in illa expeditione fugientes, à mulieribus illius regionis verberati, & de equis in terram fuſtibus dejecti referebantur.*

Expeditio Ludovici in Moraviam improſpera.

Magna Saxonum Thuringorúmque in Moravia clades.

Aliqui à fœminis de jumentis proturbati, turpes ignaviæ pœnas dant

Strab. ad an. 872.
Spangenb. in Chron. Saxon. an. 871.

His turpiter & cum inſigni clade ejectis, *Svatoplucus* ocyùs ſigna movit in *Carolomanum:* qui ſub id tempus, acceptis è *Franconia* ſuppetijs, à Patre miſſis, & *per Arnonem Epiſcopum Herbipolenſ.* ac *Sigebardum Abbatem Fuldenſ.* adductis, (ſic enim illa ætas ferebat, ut animarum cuſtodes pedum jaculo mutarent)

Carolomanus Moraviam late populatur.

tarent) transmiſſóque Danubio, & *Ambrico Epiſcopo Reginoburgenſi* cum parte copiarum in ſtatione ad claſſem relicto, *Moraviam ab Auſtrali plaga* cuneis incurſabat diſperſis. Quò dum feſtinat, opportunè adveniunt *auxiliares Polonorum copiæ lectiſſimæ:* quibus auctior, Germanis usque adeò terrori fuit, ut nec contro verſas auderent illi opponere manus, ſed validiori præſidio in munimentis relicto, *Danubium*, ubi eos expectabat claſſis, citatis paſſibus petierunt. Deprehenſi nihilominùs â Moravis ê veſtigio inſequentibus, magnam tulerunt cladem: plurimos in eo tumultu flumen tranare conatos, gurgites hausêre; non pauci capti: reliqui qui cladem evaſerunt, nihil deinceps toto anni illius tempore, tentare auſi ſunt.

Aventin. f. 338. Authores Annal. Pith. & Fuld.

Carolomani clades.

Brunnerus ex Aventino refert: *Moravos* paulò ante, cùm *ſponſam Bohemi Principis filiam*, nuptum in Moraviam ducerent, fuiſſe in inſidias præcipitatos, & â Bojis clade inſigni perſtrictos. *Oppreſſi*, inquit, *facili, ùt putabant receptu, evadere in arcem â Bohemis inſeſſam* (hæc putatur fuiſſe *Hradiſſtium*, alio nomine *Kotnovv* in prærupto quodam monte, *ſupra amnem Luznicen*; ubi poſtmodùm *Ziſca cum Taboritis*, *â caſtris ſic vocatis militibus*, urbem condidit, quam ab iisdem, *Taborum* nominari voluit) *properabant: ſed in illas delati fauces, per quas vix pediti expeditum iter eſſet, ut vitæ conſulerent, equos impedimentáque omnia, & totum apparatum nuptialem diripiendum Bojis reliquerunt. Equi frenati ſtratique ſexcenti quadraginta quatuor fuère, & totidem ſcuta: tantò jucundior præda, quantò minore periculo parta fuit.* Filia porrò illa Bohemi Principis: num *Borzivogii*, qui tunc imperabat, vel alicujus alterius Dynaſtæ fuerit? & an nuptura *Svatopluco* in Moraviam ducebatur? non liquet. Sunt tamen, qui ex tanto equitum ſcutatorum comitatu, conjecturam probabilem faciant, fuiſſe *Borzivogii Ducis, vel ſororem, vel filiam, Svatopluco Regi deſponſatam.* Nos rem dubiam, in medio relinquimus.

Moravorum ê Bohemia redeuntium cum Sponſa infortunium.

Hæc dum *in Moravia* proſpero aguntur eventu, *Bohemi* erumpentibus in bellum Moravis, audendum etiam aliquid contra Germanos rati, limitem perrupère *Bavaricum:* ſed inſigni clade excepti, ſe & patriam in maximum diſcrimen præcipitârunt. Aventinum audire placet: *Ludovicus Rex* (inquit) *Reginoburgi conventu habito, vindicare ab ultimo dedecore â Venedis* (id eſt, Slavis) *injuncto, nomen gentémque Bojorum* (Bavarorum) *parat. Quatuor exercitus, ad diverſos Orbis cardines, in Venedos arma movere cœpit. Karolomanus cum Boiis, orientis ab ora, ſuperat navibus Hiſtrum; Ambricum, Epiſcopum Reginoburgenſem cum parte copiarum, ſtationes & excubias ad claſſem ſedulò agitare jubet. Ipſe extremos fines Moravorum adoritur. &c. Luitprandus Archimyſtes Moguntinus cum Rheni accolis, cúmque Lotharingis, Bojemiam per ſaltus Hercynios vi penetravit, manu ferroque viam fecit. Zentislaum, Utislaum, Hermannum, Spotimarum, & Moſolaum, Regulos quinque Bojemorum, cum manu valida occurrentes, conjuratos Svatobogi*, (Svatopluci) *in fugam conjecit, multos occidit, plerósque in Multam amnem actos ſubmerſit, Bojemiam prædando peragrat, cum triumpho revertitur.* Idem in Annalibus Francorum ſive Fuldenſium legitur: *Quidam deſtinantur contra Bohe-*

Bohemorum in Bavariam irruptio carò ſtetit.

Aventin. cit. Brunner. Annal. Bojor. p. 2. l. 6. §. 12 an. 872. Adlzreit. an. eod.

Duces Bohemorum â Germanis victi.

Bohemos, qui Dei adjutorio freti, Duces quinque; quorum iſta ſunt nomina: Zuventislav, VVitislav, Heriman, Spoitiman, Moyslav, cum maxima multitudine ſibi rebellare nitentes, in fugam verterunt: & alios quidem occiderunt, alios verò in fluvio Fludaba (Muldava) *ſubmerſerunt: qui autem evadere potuerunt, in civitate* (ſc. Pragenſi) *defecerunt. Deinde parte non modicâ illius Provinciæ depopulatâ, incolumes reverſi ſunt. In hac Expeditione Luitbertus ArchiEpiſcopus primatum tenuit.* Audiatur pro meliori claritate alius: *Ludovicus Rex miſit exercitum contra Bohemos, ſibi ex inſtigatione Zvendebaldi Moraviæ Ducis rebellantes. Quibus feliciter ſuperatis, quinque eorum Duces: Zventislaum, VViteslaum, Hermannum, Spotimarum & Mislaum profligavit. Hujus expeditionis conductor erat Luitpertus ArchiEpiſcopus Moguntinus: nec enim tum temporis inuſitatum erat, Epiſcopos & Abbates bella ſequi, & prælijs intereſſe.*

VValafrid. Strab. an. 872. Calviſ. an. eod.

Nicolaus Vigner. in Summar. Hiſtor. Franc. lib. 2. an. 872.

Hic autem (ùt obiter id perſtringam) meritò quis mirari poſſit, cur nulla fiat mentio *Borzivogij Bohemiæ Ducis?* qui, ùt jam antea meminimus, *Hoſtivito* patri ſuo, anno 856. mortuo, concordibus populi votis ſucceſſerat. Dubitare etiam, nnm vera ſit *Bohemiæ Ducum, â Bohemis Scriptoribus tradita ſeries & ſucceſſio?* cùm Bohemia tunc, non unum ſupremum Principem, ſed complures Duces abſolutè imperantes habuiſſe videatur: prout ſuprà allati Hiſtorici, præſertim *VValafridus*, cujus *Abbas Sigebardus* (quod ſupra jam innui) inter potiſſimos expeditionis illius Ductores memoratur, manifeſtè teſtantur. Niſi illos quinque, qui recenſentur, dicámus (ùt vero propius videtur) non fuiſſe abſolutos Bohemorum Duces, ſed partium tantùm Ethnarchas, â Borzivogio Principe, in ductores belli adversùs Francorum potentiam aſſumptos; ùti *Sventoslaus Bilinenſis, VVitoslaus Kadanenſis, Thuringus Gubernator Ducatûs Zatecenſis*, qui cùm natione Germanus eſſet, nomen fortaſſe Hermanni, quod Germanis, præſertim Thuringis, valdè familiare erat, ob Arimini quondam ſui Regis memoriam; haud ſecùs atque Bohemis nomen Wenceſlai; Germanis Caroli, Henrici, Godefridi, &c. item, *Spitimir VVrſſcovicenſis frater Borbogi de Sitolib, & Mſtislaus filius Tubonis Klatovienſis;* quos tum floruiſſe in avitis ſuis ditionibus conſtat, & nomina eorum ad ἔτυμον prætactorum accedunt prope. Sed nos unde divertimus, revertamur.

Dubium exoritur:

Stransky Reipubl. Boj. cap. 8. §. 8.

VVeleslev. in Genealog. Ducum & Princ. Bohem.

ſolvitur.

Cæſo, ùt ſuprà dictum, hoſtili exercitu, & altero finibus Regni ejecto, *Svatoplucus* ſecuram agreſti turbæ reddidit meſſem; quâ peractâ, & æſtate jam in autumnum inclinante, ne ocio marceſceret miles, oppugnationem munimentorum, in quibus potiſſimùm conſiſtebat recuperati imperij, vindicatæque libertatis momentum, aggreſſus eſt, haud parvi laboris ac difficultatis opus. Nam etſi ad campeſtria certamina, & equeſtres utrinque concurſus, copias haberet lectiſſimas, non tamen ad urbium expugnationes, & id belli genus, militem ſatis idoneum inſtructúmque. Unde per viginti octo dies, toto penè *Septembri menſe*, obſidionales ad unum duntaxat oppidum *Kornaburgum* protractæ ſunt moræ, Germanis â mœnibus vim omnem ſimmo

Svatoplucus ocij impatiens, bellum proſequitur:

Z ſtudio,

Digitized by Google

oppugnationem munimenti hoſtilis fruſtra tentat:

ſtudio, nec minori virtute, arcentibus. Ultimò videns irritos ſuorum conatus, obſidionem ſolvit, & diſpoſitis omnibus pro ſecuritate, quæ limitum rationes poſcebant, militibus verò ad ſuas ſtationes redire juſſis, *Podivinum*, quieturus ibi, & acturus etiam hyemem, conceſſit.

copias in hyberna dimittit:

Bellum redintegratum, an. 873.

Anno ſequenti, longè majoribus & efferatioribus utrinque animis, recruduit bellum. Et quidem *Carolomanus* prævenire hoſtem conatus, non dum adulto Vere, emiſsâ per militares numeros expeditionali teſſerâ, cunctos Danubium tranſire juſſit. Nec mora, omnes evolant ex hybernis, transmiſsóque, ùt mandatum erat, Danubio, ſtationes ad oppidum, quod erat ripæ Danubij proximum *, figunt, expectantes adventum Principis. Qui cùm veniſſet, irrumpendum mox in hoſtilem terram, eámque tandem armis ac bello domandam, & in provinciæ formam redigendam conſtituit. Sed multa obſtacula Principem cautum impediebant, quo minùs id fidenter tentandum ſuſciperet: præſertim, quòd *Sorabi*, & vicini illorum *Suislij*, ſub id tempus palam â fide & obſequio deficerent; *Bohemi* quóque propter legatos ſuos ſub cuſtodia detentos, non vanâ conjecturâ timerentur. Tum etiam, quòd â *patre Ludovico* crebris literis & nuncijs moneretur, ut conſideratè ac circumſpectè rem ageret, néve hoſtem peteret laceſſerétque citiùs, quàm *Alemanorum & Svevorum* auxilia convenirent.

* (*Steinam.*)

Carolomanus Danubium tranſit,

Author. Annal. Pithœan. & Fuld. ad an. 873. & ſequ. Brunner. ſupra cit.

Poſt quintum denique ac decimum *à Calendis Martijs* diem, çùm expectatæ copiæ, quarum ſex millia utriúſque ordinis militum erant, acceſſiſſent, deſiderij ſui compos, illicò exercitum ducere in hoſticum maturavit. Nec *Svatoplucus* ingruente tantâ belli mole ſibi deerat, qui his omnibus dudum prævisis, totam penè hyemem in apparatu bellico, & tyrocinijs cogendis, præſertim in inſtruendo peditatu, quo maximè egere ſe ſciebat, tranſegerat. Quamvìs autem ſociorum auxilia non dum contracta haberet, & â ſuis inſtanter moneretur, ne caput ſuum & vitam, *Regnúmque ac Gentem univerſam*, unius pugnæ diſcrimini exponeret: néve copias in aciem priùs produceret, aut rem ferro decerneret, quàm adeſſent *Bohemorum* ſaltèm, ſi *Polonorum* expectare nollet, conductæ cohortes; quarum acceſſione cùm vires & exercitus augeri, tum eò citiùs feroces hoſtium animi obtundi poſſent. Nullis tamen precibus, aut obteſtationibus id ab eo impetrari potuit: qui ſuis innixus rationibus, â quibus divelli nullatenùs voluit, omníque morâ increpitâ, infeſta ſigna in hoſtem quamprimùm vertenda exiſtimabat, néque expectando fœderatorum Principum ſenſim progredientia auxilia, tempus terendum: rem proinde maturè ferro decernendam. Cujus ſententiæ, alij non pauci, præſertim militum duces, fervidis atque audacibus animis, aſſentiebant; adeò, ut omnem vel unius diei moram tollendam, itérque in hoſtem ocyùs ſuſcipiendum ſvaderent. Recenſitis itáque copijs, & caſtris promotis, hoſti obviam proceſſit.

Moraviam armis petit. Svatoplucus ad reſiſtendum vires comparat:

neque expectatis Bohemorum & Polonorum auxilijs,

obviam hoſti procedit.

Tertio die, cùm in quædam prata, quibus â dextra parte ſaltuoſa utcúnque loca, cum collibus incultis adjacebant, perveniſſet, & ſe *â Carolomano*, qui non procul inde, in patentiori tamen planitie conſederat, & â quo jam vix mille

mille paſſus aberat, cum omnibus copijs, parato ad dimicandum animo, expectari didiciſſet, breviter ſuos, ut præſentibus animis pugnam capeſſerent, ac fortiter agerent, néque de victoria dubitarent, admonuit; ac confeſtim promovere ulteriùs gradum, attolli ſigna & explicari, tubas canere, primúmque agmen in hoſtes irrumpere jubet. Certatum eſt â meridie ad usque occaſum Solis, magnâ utrínque contentione, pugnantibus pro ampliando dominatu *Germanis*, pro patrijs laribus, & avita libertate *Moravis*. Ad ultimum, cùm adhuc in neutram partem victoria inclinaret, ſeſe in caſtra receperunt.

pugnæ copiam facit.

Prælium dubiâ victoriâ.

Potior tamen *Moravorum* prodigere vitam pro victoria contendentium, quàm Germanorum, credebatur fuiſſe ſtrages. Hinc defervuit *Svatopluci* ad congrediendum ſecundò ardor; qui deinceps caſtris ſeſe quietè continuit, eſtò â *Carolomano* ſæpè ad tentandam novi prælij fortunam provocaretur. Inter hæc auxiliare è *Bohemia* agmen, quod maximè peditatu conſtabat, miſſum â *Mſtibogio Curimenſi Duce*, opportunè venit; *Borzivogio* tuendis ſuis finibus, ne quid hoſtile ex Bavaria, vel Miſnia in Provinciam irrumperet, ſollicitè intento; cujus adventus labantem jam aliquantùm *Svatopluci* fortunam haud mediocriter ſublevavit: ut idcirco *Svatoplucus* copijs auctior, non ampliùs â faciendo novo viriũ periculo abhorrere videretur. Verùm *Carolomanus* cautiori conſilio cuncta perpendens, ac metuens, nè ſupervenientibus etiam *Polonis*, quos numero maximo propediem adfuturos conſtans fama ferebat, circumveniretur ab hoſte multitudine prævalente, recedere *ad Danubium* ſatiùs duxit. Noverat enim nullam tutiorem militiam eſſe, inter numeroſam gentium colluviem, & tot armatorum millia, quàm cunctando, negare hoſti copiam pugnæ: qui etiamſi ſuggereret de induſtria materiam benè gerendi, ut velut inescatam felici ſemel ſucceſſu temeritatem faciliùs circumveniret, opprimerétque, eludenda tamen eſſe accuratâ ratione ejus deſideria, néque emere *luctuoſam Victoriam* nimiâ ſuorum pernicie, quin diſtinendum potiùs carpendúmque paulatim, prout temporum ſvaderet & locorum habitus.

Svatoplucus Bohemorum auxilijs innixus denuò pugnam cupit.

Carolomanus ad Danubium retrocedit.

Advenientibus *Polonis*, cùm jam ingentis ſpeciem exercitûs confeciſſet *Svatoplucus*, varia proſequendi belli cum ſuis agitabat conſilia. Aliqui bellum in caput hoſtium devolvendum ſvadebant, mittendáque expeditiora equitum agmina, *in ulteriorem Auſtriam*, quæ *transnatato Danubio*, velut procella, ſubito impetu confunderent, turbarent, miſceréntq; omnia: quod imprimis *Poloni*, aviditate rapiendi incitante, impigrè exequuturos ſeſe pollicebantur, quaſi etiam eo inſigni facinore oſtenſuri, quantum momenti partibus accreviſſet, acceſſione ſui. Alij verò abſtinendum omninò ab ejusmodi periculoſis in hoſtium excurſionibus, néque deſperato auſu ultrò nudandam, & defendam patriam exiſtimabant. Et ut ſententiam ſuam certis inniti rationibus oſtenderent, addebant, compertum haberi, *Auſtriacos*, oppoſitas fluminis ripas, accuratiori, ſi unquam, ſtudio, per omnes littoris flexus, extructis munitionibus, ijs potiſſimùm in locis, ubi ſi diuturniores Solis fervores acciderent, vado tranſiri poſſet, præſepſiſſe; adeò, ut non niſi multa cum cæde, & merſione plurimorum nandi imperitorum, tranſitus tentaretur. Cavendum

Polonorum adventu varia apud Moravos agitantur conſilia.

Aliqui in Auſtriam bellum transferri ſvadent.

Alij factu id difficile, nec niſi magno cum diſcrimine, eſſe oſtendunt.

Digitized by Google

igitur, ne ſciſſis ſociorum partibus, viribúsque disjunctis, belli ejus auſpicia â promptiſſimorum interitu capiant; progrediendum potiùs conjunctis armis & animis in hoſtem, enitendúmque fortiter, ut inſigni aliquâ clade affectus, & quod imprimìs ad recuperandum priſtinum Patriæ decus eſſet, totâ ditione, quam cis-Danubium, malis utiq; artibus, Regno abſtractam teneret, exutus, deinceps flumen ipſum, potentiæ ſuæ, ac inſatiabilis in prolatandis imperij finibus cupiditatis, metam & terminum agnoſcat.

Poloni laceſſenda hoſtium caſtra ſuſcipiunt:

His ultro citróque diggeſtis, vicit media quædam ſententia, quæ aptior tempori, ac rerum gerendarum dignitati videbatur; nempe, ut *ſelectiores Polonorum equeſtres globi*, quorum præ alijs pruriebant in excurſionem animi, præmitterentur ad laceſſanda hoſtium caſtra. Quí cùm procurſatores quosdam hoſtium incautos oppreſſiſſent ad unum omnes, pervenerunt negotio facili, nemine ſe ampliùs in conſpectum dante, & nocte tum interluni, ad usq; exteriores caſtrorum vigiles; quibus celeriter obtruncatis, perrumpere in ipſa media caſtra, ſi proſperior illuxiſſet eventus, occultè meditabantur. Verùm audito ruentium ſonitu, gemitúque cæſorum excitati alij, qui intra ſepta caſtrorum excubabant, hoſtem adeſſe, ſigno per lituos dato nunciârunt. Quo facto, cùm in caſtris plena eſſent armorum ſtrepitu, Germanis cohortibus celeri curſu ſub ſigna concurrentibus, ſtetêre *Poloni*, veſtigijs fixis, progredi ultra non auſi; parati tamen ad congrediendum, patrandúmque virtute ſuâ ſpecioſum aliquod facinus, ſi qua ab hoſtium caſtris erupiſſet manus. At *Carolomanus* neſciens quantarum virium eſſet hoſtis, caſtris ſe continuit, fixis circa tentoria ſignis, & ſtationibus fortiori præſidio firmatis. *Poloni* quoque ſorte ſuâ contenti, quòd procurſatoribus atque ſtationarijs oppreſſis, hoſtium caſtra tumultu terroréque impléſſent, ad *Svatoplucum* redierunt.

Caſtra Germanorum repentino tumultu complentur.

Poloni re proſperè geſta ad ſuos redeunt.

Poſt hæc *Carolomanus* caſtra loco movit, & ad ipſam *Danubij ripam*, quò tutior eſſet ab hoſte, numero & viribus prævalente, conſedit. Quem *Svatoplucus* inſequutus, cùm non poſſet elicere caſtris, ad oppugnanda illa animum adjecit: irrito tamen, licèt ſæpiùs iterato conatu. Dúmque ita laceſſunt ſe, & acuunt magìs iras, quàm dimicant cum hoſte *Moravi*, advolant repentè *ad Svatoplucum* nuncij triſtes, clamore inſveto, *Hungaros* (quos haud dubiè *Carolomanus* exciverat) irrupiſſe *in Regionem Vagi*, referentes. Quòd primò non multùm movebat Regem, minùs ut â propoſito oppugnandorum caſtrorum hoſtilium remitteret animum, aut eo inopinato caſu præter modum conſternaretur; ſed ubi alios atque alios adcurrentes vidit, & eundem fermè omnium ſermonem: niſi quòd de magnitudine copiarum incerta adhuc ferebantur. *Non enim agmine compoſito procedebant Hungari, ut de numero eorum certa potuiſſet fieri æſtimatio, ſed manipulatim ſparsimque, quâ quisque meliorem prædæ cogendæ occaſionem vidit, nullo vetante, populandis incubuêre agris*; & vaſtabundi per totum illum, qui *Vago & Moravâ* clauditur, tractum, pandebantur impunè, urendo ubíque & populando. Tum anxius, plenúsque curarum, primarios belli duces & tribunos ad ſe vocat, conſultaturus (re ipsâ magnam difficultatem ad capeſſendum conſilium adferente)

Svatoplucus caſtra Carolomani, ſummâ vi, ſed fruſtrâ, adoritur.

Hungari inopinatò in Moraviam irrumpũt.

Svatoplucus turbatur, & cum ſuis conſultat 1°

ferente) quæ ratio præſentis belli continuandi, ac ſimul fugandi è Regno novi hoſtis eſſet ineunda. Viſúmque eſt omnibus prorſus neceſſarium, ut novo huic turbini occurreretur citò, antequàm invaleſceret difficulter deind e ſedandus; néque interea ab oppugnatione caſtrorum deſiſtendum, cùm propè ſit, ut vel vi expugnentur, vel ab hoſte, cui facilis per Danubium regreſſus ſit, deſerantur. Mox itáque ſelectiora quatuor equitum millia, expediuntur adverſus *Hungaros,* ea cum cautela, ut *intra Moravam* tantiſper ſubſiſterent, darêntque operam, ut priùs hoſtium vires explorare poſſent, deinde prout rei gerendæ ſerviret occaſio, fortunam tentarent.

partem exercitus ad eos reprimendos properare jubet.

Quibus bipartito agmine progreſſis, fortuna ſanè propitia ceſſit: nam cùm inſignior *Hungarorum* turma, cui *Bulko totius illius expeditionis dux* præerat, aquationis causâ ad amnem quendam conſediſſet, *Moravi* præcipiti curſu, ac magno ſublato clamore irruentes, ipſos hoſtes nihil tale veritos, equisque & corporibus curandis intentos, oppreſſerunt penè omnes, *Bulkone* cum paucis pernicitate equi vix elapſo. Alij, quos prædandi ſtudium â duce longiùs traxerat, clade hâc perceptâ, & nonnulli propiores, hoſtili clamore audito, ſociorum fortunam conjicientes, fugâ & ipſi, quâ ſolâ poterant, ſeſe in tutum proripere contendebant: quorum tamen complures, onere ſpoliorum præpediti, & celeritate inſequentium præventi, non ſolùm prædâ, ſed & vitâ exuti ſunt. Ita paucorum dierum ſpatio *Hungari* repreſſi, & *Moraviâ* totâ ejecti, *Svatoplucum* ab ea parte ſecurum reddidêre.

Hungari profligantur.

Moraviâ cum clade ejiciuntur.

Sed, ùt fortuna volubilis eſt, dum hæc celeri & proſpero geruntur ſucceſſu, *Svatoplucus* caſtris Germanorum invigilans, alio ſubito ac infelici percellitur caſu. Cùm enim recentes *Francorum copiæ, Carolomano â patre ſecundo Danubio miſſæ,* in caſtra appuliſſent, petijſſéntq; ſibi dari facultatem erumpendi in hoſtem: quod & antea *pedeſtres Svevorum copiæ*, multis precibus urgebant, frendentes ſubinde, quòd erumpere ſæpiùs conati â ducibus prohiberentur: permiſſum eſt tandem utriſq;, ut junctis viribus cuſtodias hoſtiles aggrederentur, iisq; perruptis tentarent, ſi quo malo hoſtem afficere, âtq; nuperam cladem ulciſci poſſent. Hi igitur poſtridie ſummo manè egreſſi tacitè, ac preſſis, ùt dici ſolet, veſtigijs, impetum in proximos ſtationarios faciunt, eósq; improviſo metu perculſos loco pellunt, in aggeres irrumpunt, & celeritate uſi, cum vigilibus manus conſerunt: qui cùm & pauci eſſent, & tardiùs, quàm oportebat, ad propulſandam vim præſentem arma capeſſerent, facilè ab inſtantibus *Germanis* circumventi cæſique ſunt. Ex altera verò parte, octo quóque *Germanorum equitum* alæ, vexillis explicatis, ac magno ſublato clamore prodibant; ità ut *Moravi* utrinq; exagitati diſtractiq;, in quam ſe partem verterent, non ſatis explicare poſſe viderentur. Et quamvìs ad primum pugnantium clamorem, totis caſtris ad arma concurreretur, & *Svatoplucus* ipſemet ſuos, voce & manu, exemplóque ad reſiſtendum hortari, iisque ubi exigebat periculum, opem ferre contenderet: tamen in tam præcipiti ac inſperato tumultu, & inter hoſtes magno utrinq; conatu incumbentes, dubia diu & anceps rerum facies, ac Martis alea fuit. Poſtremò ejus certaminis is fuit exitus, ut cùm jam undiq; fren-

Carolomanus novis Francorum copijs augetur.

Franci cum Svevis, in Moravorum caſtra, ex improviſò irrumpunt

ſtragem haud immodicam edunt.

Moravi ſeriùs ad reſiſtendum confluunt:

Digitized by Google

tandémq; prævalent, & hoſtes ſubmovent.

frendentium catervæ *Moravorum*, ſociorúmque in prælia venirent accenſæ, *Germani* parte ſuorum ſtratâ, vel ſagittarum undiq; volantium crebritate confixâ, receptui dare cogerentur, non ampliùs totius exercitûs hoſtilis molem in ſe converſam ſuſtinere valentes. Conſtabat tamen, in numero longè minori, *Germanos* cum ea copioſa multitudine colluctatos cecidiſſe, quàm *Moravos*.

Quieta deinceps omnia in utriſq; caſtris.

Poſthæc nihil â partibus eo die tentatum hoſtiliter, ſed retentus utrinque caſtris quietiſſimè miles, néq; procurſationibus ullis indultum; quin edictum *à Carolomano*, capitali propoſito animadverſionis metu, ne quis injuſſu ſuo, non ſolùm in hoſtem pugnaturus egrederetur, ſed neq; etiam pugnandi ullam faceret mentionem. Nec *Svatoplucus* erat moleſtiæ & anxietatis expers, ut qui tantam ſuorum cladem, ignominiámq; ab hoſte, æquo animo ſufferre nequaquam poſſet; plenus itáque indignatione, totâ illâ die in caſtris mœſtus ſilentio ſe continuit, edicto etiam lato, ne quis foras excurreret ad dimicandum cum hoſte; qui ſi denuò caſtra adoriri præſumeret, tunc intra ſepta caſtrorum, ſcorpionibus, balliſtis, ac telis magìs, quàm gladijs & corporibus ſuis rem gererent, ratus eo modo, minori cum periculo, hoſtium audaciam arceri poſſe.

Svatoplucus cum ſuis, de ſumenda vindicta, conſultat.

Aliqui hoſtem dolo, ſimulatâ pacis tractandæ mentione, opprimendum cenſent.

Rex id primò reprobat:

poſtea conſentit.

Sequenti die, concilio ad prætorium indicto, Proceres & fortiſſimos quosque, ac peritos militiæ viros convocavit, ardénsq; odio ſimul & irâ, de remedio vindictæ multa quærens tacitè, & conſulens diſſeruit; placuítq; omnibus, ut occaſione diligentiori operâ quæſitâ, hoſti par pari referrent, & cùm maximè ſe tutum exiſtimaret, impreſſionem in caſtra facerent. Quò autem fraudulentiùs deſtinata exequerentur, mittendos ad eum, qui nomine Regis pacem poſtularent; átq; ità pacis mentione objectâ minùs cautum, néque hoſtile quidpiam metuentem redderent, tantò faciliùs deinde opprimendum. Quod *Svatoplucus* primùm quidem deteſtari videbatur, tam nefario dolo circumvenire hoſtem haud regium exiſtimans: poſtremò tamen ab alijs, quibus fervidiora ingenia erant, & qui ejusmodi dolos & aſtus nullos ducebant turpes, perſvaſus, conſenſit.

Carolomanus à pace minimè alienus, legatis Moravorum conditiones proponit:

qui referendas eſſe priùs ad Regem, cujus aſſenſu firmentur, dicunt; ſumptóq; cum Germanis prandio, ad ſuos redeūt.

Igitur deliguntur viri, qui *ad Carolomanum* proficiſcerentur petituri pacem, aut inducias: qui ubi poſtulata Regis ordine expoſuiſſent, ſuſcepti ſunt honorificè, bonóq; animo eſſe juſſi; *pacem fore, ſi modò Svatoplucus pactis prioribus ſtare, tributum ſolitum pendere, captivos reſtituere, ac ipſemet in perſona Carolomanum accedere, veniam factorum petere, & fidelitatem arctiori ſacramento firmatam, ſervandámq; impoſterum tenore illibatô, promittere velit*. Inclinabant enim *Principes Germani ad pacem*, eâ potiſſimùm ratione, ut poſt tot bella, tandem publicæ quieti conſuleretur. Clades quóque *Hungarorum*, quorum deinceps operâ, in diſtrahendis *Moravis*, uti tam facilè, ſpes non erat, obverſabatur in oculis. Ij verò, qui *à Svatopluco* miſſi fuerant, tacitis priùs inter ſe ſermonibus colloquuti, ſe ea, quæ proponerentur, Regi ſuo, & Optimatibus relaturos dixêre, ac in craſtinum cum illorum votis & ſententijs redituros, longè interim alia animo volutantes. Et quia prandendi tempus inſtabat, *Carolomanus* priùs illos ad ſumendum cibum invitari juſſit, lautéq; exceptos habitósq;, deîn ad ſuos redire permiſit. Qui cùm rediſſent, retuliſséntq; ea quæ

ege-

egerant, *Svatoplucus* haud vanè arbitratus, eâ interjectione pacis, *Germanos* ſi non ab armis, & ardore belli proſequendi, ſaltèm ab accuratiore caſtrorum cuſtodia, nonnihil remiſſuros; ac opportunitatem rei gerendæ, quam conceperat, ſe nactum videns, Tribunos, & alios, qui ejusmodi conſilij authores habebantur, ad ſe vocat, iîsque præcipit ordine cuncto, quæ quis agere, & quâ parte hoſtium caſtra aggredi debeat; & alia, quæ ad id operis in rem eſſe cenſebantur. Et ut dolum dolo magìs tegeret, rariores noctu accendi ignes juſſit, haud ſecùs atque jam etiam ipſe minùs ſibi timeret, ſpei pacis confiſus. Rareſcentibus deinde ex interventu diei ſtellis, & ordinibus in unum coactis, enixè omnes ad agendum fortiter cohortatus eſt: dehinc omnes alacres animis, atque irarum ſpeîque plenos ê caſtris educit, & néque ſigno ullo per buccinas dato, plenis agminibus versùs hoſtium caſtra contendit.

ad ſuos redeunt.

Svatoplucus ſuis, quis rei conficiendæ eſſet modus, oſtendit.

Summo diluculo caſtris ſuis egreditur:

Adventantes ubi propè conſpexiſſent *Germanorum vigiles*, mox ſigno dato hoſtem adeſſe prodiderunt, ínque clamorem eruperunt inconditum. Ipſi tamen his vocibus nihil turbati, accelerabant inſtantiùs gradum, jámque promptiores aliqui, vallo, ubi minùs cuſtodiebatur, ſuperato, in caſtra penetrârunt. Quo viſo, *Germani* concurrerunt undíque ad propulſationem periculi tam abrupti, & feſtinandi ſtudio alijs impedientibus alios, *Moravorum* audacia ipſo ſucceſſu creſcebat; proinde incerti atque ancipites (ùt fit in rebus dubijs) quid agi deberet! fugáne conſulere ſaluti, an arma opponere irruenti hoſti, ratâque ſalutis deſperatione glorioſos potiùs vitæ exitus curare? Tandem ad reſiſtendum deſperatione quâdam conciti, vim vi oppoſuerunt: pugnatúmque eſt utrínque magnis viribus. *bohemi Curimenſes* potiſſimùm, quorum ultra ſolitum ſævientium comæ fluentes horrebant, & quidam truculentiæ plenus elucebat ex oculis fervor, mixti cum *peditibus Moravis*, efferato quodam impetu tela dextris explicantes, irruebant *in Germanos*, frendentes immania: quos contra *pertinax Germanus* ſcutorum obicibus vertices tegens, ejectánsque haſtas, vel tela concriſpans, rejiciebat. Sed ubi inaniores propinquitas ipſa ſagittas effecit, qui ſcutati erant *ex Moravis*, abjectis gravioribus armis, ut promptiùs atq; expeditiùs pugnarent, ſtrictis gládijs cominùs certabant: haſtati verò, qpia tuta ferro pectora gerebant, & loricis tecti, eò audaciùs ſe objicientes, hoſti incumbebant. Tum omnis circumfuſa acies, clamórque utrínque ingens ſublatus, nunc reſiſtentibus, nunc cedentibus Germanis; atque ita dextræ dextris miſcebantur, cœlúmque exultantiũ cadentiúmque reſonabat vocibus magnis. At paulo poſt, cùm *pedeſtres Moravorum & Bohemorum copiæ* altiùs progredientes, duo præcipua *agmina Germanorum* vi nimiâ propuliſſent, iréntque in reſidua frementes; equites *Moravi* ab altera parte, viſo rectore ſuo cæſo, fœdâque conſternatione perculſi, præter ſpem retroceſſerunt inconditè. Quæ res, dum primi fugientium poſtremos impediunt, reliquos equeſtrium copiarum ordines, qui *Germanorum* vim fortiter ſuſtinebant, facilè perterrefecit, turbavit, & unà cum illis in præcipitem fugam traxit. *Svatoplucus* viſo hoc, quanquàm concito equo fugientes ſiſtere, & ad redintegrandum prælium reducere ſummo niſu conaretur,

in caſtra hoſtium nihil tale metuentium de improviſo irrumpit.

Germani perturbato quidem, ſed minimè fracto animo, correptis armis, Moravos fortiter excipiunt.

Bohemi pedites, velut in rabiem quandam verſi, cæco furore in Germanos ruunt.

Pugnatur diu & acriter.

Moravi equites, cæſo duce, remiſſiùs inſtant: loco cedunt, & aciem reliquorum turbant: fúgam dant, Svatopluco fruſtra dehortante.

Digitized by Google

Germani victoriam proſequuntur.

retur, fruſtra tamen laborem & clamorem impendit. Interea *Germani*, pulſis disjectiſque equitibus, vires omnes converterunt in pedites, cum quibus opinione diutiùs pugnabant paribus utcúnque momentis; donec tandem laxatâ ab utrôque latere eorum agminis compage, cùm promptiſſimi quique cecidiſſent, reliqui, monente ipſo *Svatopluco*, quo quis modo eximi ſe præſenti diſcrimini poterat, diffugerunt pavidi ac triſtes, pulsíque caſtris, victoriam, quam in manu habebant, fœdo errore equitum ceſsêre Germanis.

Annal. Francor. ad an. 873. & ſeqq. Author. Annal. Pithaan. an. 874. Vigner. in Summar. Hiſtor. Franc. lib. 4. an. eod.

Svatoplucus ob rem malè geſtam triſtis, in equitum præfectos ſeverè animadvertit.

Reſiduum diei in utriſque caſtris quieti datum, & curationi vulnerum; transactúmque, præſertim *inter Moravos*, tacitè ſine clamore, triſtitiâ ex re malè geſta affectos. Mæſtiorem námque Regem viſum, ob tam turpem cladem, triſtia quoque cæterorum ingenia, & ad ipſum compoſiti vultus, imitabantur, nunc conſolantes ſeſe invicem, nunc privato odio frementes in equitum duces ac tribunos, mali hujus principes. Die ſequenti *Svatoplucus*, vocatis præfectis equitum, ut rationem rei malè geſtæ redderent, jure militari in eos agi juſſit; & *aliquos mitiori pœnâ contentus, ſacramento duntaxat ſolvit, ùt deſides & ignavos. Alios ademptis equis, in funditorum alas tranſcripſit, ut mortem, quam effeminatè timuerant, viriliter optarent. Alios denique majoris perfidiæ convictos, & per rerum capitalium judices damnatos, extremo addixit ſupplicio.*

Ad Carolomanum mittit factum excuſans

Ad Carolomanum deinde miſit, excuſans facinus heſternum, eò quòd militem ſolito ſæviùs efferatum, ac veluti rabie quâdam percitum, nequiviſſet continere caſtris; ideóque eorum ſe furore & libidine transverſum actum: ſed acceptâ inſigni clade edoctum, quid præcipites in bello motus ſecum ferant. Veniam idcirco petere, ſummíſque precibus contendere, ut quod ad pacem faciendam optimum in præſens judicaret, decerneret, ſe omnia haud gravatè comprobaturum. At *Carolomanus*, levitatem hanc perfidiæ proximam vehementer deteſtatus, nuncios videre nec ſuſtinuit, neque ut palam audirentur, concedere voluit; ſed *in malam crucem abire*, ac protinùs caſtris

à quo convitijs proſcinditur.

excedere juſſit: Svatoplucum multis proſciſſum convitijs, *ſceleratum, perfidum, ac regio nomine indignum, qui pacem ore, ſævitiam animo, arma hoſtilia manibus ferret*, appellans: adjectis etiam minis, ſe primo quoq; tempore, majore cum potentia *in Moraviam* rediturum, effectúrúmque brevì, ut dignitate regiâ exutus, & in ordinem redactus ſolum vertat, aut in vinculis expiret.

Chriſtiana Religio Svatoplucum Carolomano reconciliat.

Poſtmodùm tamen intervenientibus proceribus, & quibusdam etiam *Viris Sacratis*, qui *Svatopluco* ob religionis Chriſtianæ cultum, cujus obſervantiſſimus erat, favebant, & apud *Carolomanum* haud mediocri authoritate pollebant, colloquium de ineunda pace impetratum eſt. Quippe elangvuerunt jam tum utrínque partium animi, quos periculorum varietas fregerat & laborum; nihilque poſt ærumnas multiplices, & communes partis utriúsque

Induciæ paciſcuntur.

luctus, erat deſiderabilius cunctis, quàm Pax. In eo tamen colloquio, quòd non dum *Carolomani* ira defervuiſſet, non niſi de octo menſium inducijs tranſigi potuit.

Annal. Franc. cit. Aventin. lib. 4. ad an. 873.

His firmatis, *Carolomanus* in Bavariam redijt: *Svatoplucus* verò ſequeſtra-

ſtratis ſollicitudinibus bellicis, & copijs auxiliorum in propria remiſſis, ad propagandam Chriſtianam religionem animum convertit; idola quæ adhuc exſtabant multa, & ad quæ fiebant concurſus plurium, veterem adhuc religionem mordicùs tenentium promoventiúmque ſuſtulit, & Eccleſias condidit. Quarum curam & gubernationem commendavit *Sacerdotibus*, *viris eruditione & virtute præſtantibus*, qui populo præeſſent, & rudibus præcepta Fidei exponerent; ac memor dicti Iſaiæ: *Reges erunt nutritij tui*; Eccleſijs & Scholis attribuit certos reditus, quibus Sacerdotum & Inſtructorum juventutis familiæ alerentur. *Sedem quoque Epiſcopalem*, *VVelebradi*, cui, ùt ſupra meminimus, *S. Cyrillus præerat Romà redux*, *in Archi-Epiſcopalem*, adſentiente, atque id ipſum approbante *Joan. VIII. Pontifice Max.* evexit. Cujus intuitu, plures adhuc *in Regno Epiſcopatus*, qui *VVelebradenſi Archi-Epiſcopæ* deinceps eſſent Suffraganei, conſtituit, exſtructis & diſtinctis Eccleſijs, ac proventibus, unde ſuſtentarentur deſtinatis; utì *Nitriæ & Speculo-Julij*, aliàs *Juliomontij*. Tametſi jam antea, ſtatim *Mogemiri Regis* tempore, Sedes ibi Epiſcopales fuiſſe credantur: id quod oſtendit Epiſtola decretalis, *Eugenij II. Papæ*, cujus meminimus ſupra, ad Epiſcopos earum ſedium aliarúmque, Urolpho Laureacenſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopo tum ſubjectarum, Romæ anno 826. data; ſed quæ injuriâ temporum ſub *Radislao* ſqualebant deſolatæ.

Svatopluci in propaganda Religione Chriſtiana ſtudium.

Iſaia cap. 49. v. 23.

lib. 1. c. 3.

Porrò inducijs ad finem tendentibus, *Berthmarum dynaſtam Svevum*, quem ſuperiori anno in bello ceperat, & apud ſe volentem detinebat, dignitate *Rectoris palatij* honoratum, ad *Ludovicum* Mediomatrici concilium agentem miſit, pacem ſibi prorogari petens. Cui *Ludovicus*, cùm inter alia, etiam de ipſius impenſiſſimo in propaganda Religione Chriſtiana ſtudio cognoviſſet, referri juſſit: ſe pacem initam ſervaturum, etiam perpetuam, ſi modò etiam ab illo juxta conditiones, debitè obſervetur. Miſit poſt hæc ſecundò, ad *Comitia Forcheimenſia*, legationem ſolemnem, cui *Joannes Sacerdos*, *Venetijs oriundus* præerat, & omnia quæ ad pacem ſtabiliendam opportuna ac neceſſaria cenſerentur, ſe ſervaturum pollicitus eſt. Walafridus ita narrat: *Rex Hludovicus, cum Karlmanno & Hludovico filijs ſuis, in villa Forcheim locutus eſt, ibique legatos Zventibaldi pacem petentes, & fidelitatem promittentes ſuſcepit. Cujus legationis princeps erat Johannes Presbyter de Venetijs, qui etiam, ut & Rex omni ambiguitate remotâ crederet, quicquid verbis dicebat, Sacramento firmabat: videlicet, ut Zventibald Regi fidelis permaneret cunctis diebus vitæ ſuæ, & cenſum à Rege conſtitutum per annos ſingulos ſolveret, ſi ei tantummodò quietè & pacificè à Rege vivere concederetur.* Atque ita pax ſtabilis, non modò cum *Moravis*, ſed etiam cum *Bohemis*, tanquàm Moravorum fœderatis coaluit.

eam refert Aventin. fol. 298. Hund. in Metropol. Salisb. in Epiſt. Pataviensſ. cap. 19. Gevold in append. ad Chronic. Reichersberg fol. 17. Goldaſt. in append. ad Comment. de Bohem. Reg. Privil. ſub anno 826.

Inducias prorogari petit. *Aventin. fol. 338.*

Pacem ſollicitat, & obtinet.

VValafrid. Strab an. 874. VVigner. an. eod. Calviſ. an. eod.

Bellis in hunc modum finitis, *Moravia* fruebatur ocio & quiete, per continuos quatuordecim annos, quibus denuò viribus & opibus excreverat amplis; redijt námque cultus agris, ſecuritas incolis, ac tuta cuique rerum ſuarum poſſeſſio; leges emendatæ utiliter, latæ ſalubriter. Nobiles Regni hortatu & exemplo Regis, ad ornandas Urbes, oppida, caſtelláque illecti. Et

Brunner. & Adlzreit. in Annal. Bojor. lib. ſupr. cit.

Moravia pace gaudens multùm reflorescit.

Digitized by Google

quamvìs *Regem inter & Ludovicum* veteres ſimultates & diſſenſiones, quæ pacis legibus ſopitæ, atque jusjurandi religione penitùs extinctæ videbantur, acerbiùs non ſemel recrudeſcerent: Reginæ tamen interventu, (*hac erat Adelgais, ſecundùm alios Ludgardis, Carolomani filia, quam Svatoplucus, mortuâ primâ, Borzivogij, ùt volunt aliqui, vel ſorore, vel filiâ, anno 876. duxerat uxorem*) quæ inter illos agebat mediatricem, nè ad bellum res perveniret, ſingulis vicibus ſumma cum prudentia præſtitum eſt.

Ludovico II. Imp. Carolus patruus ſuccedit: cui Ludovicus Germanicus, auxilijs Moravorum & Bohemorum innixus, bellum infert: *Aventin. Annal. Boj. lib. 4. Goldaſtus in Comment. de Regn. Bohem. Pribil. lib. 2. cap 14. §. 4. Brunner. cit. lib 7 §. 1.* irrito conatu. Ludovicus Germ. obit. Carolomanus Bavariam, Auſtriam &c. hæreditate obtinet. *Annal. Franc. VValafrid. & aliorum ad an. 876. Rhegin. lib. 2. Chronic. an. eod. Herman. Contract. in Chron. an. eod. Marian. Scot. lib. 3. Chronic. an. eod. Sigebert. an. eod.*

Inter hæc anno 875. dum mortuo *Ludovico II. Imp. Carolus cognomento Calvus Rex Franciæ*, fratre *Ludovico Germanico* inconſulto, arripuiſſet Imperij faſces, jámq; exercitu comparato, in Italiam quoque iter diſponeret, ut Imperium Germanis præreptum traheret ad Francos; frater non ſatis æquo id ferens animo, filios *Carolomanum & Carolum*, qui conatibus ejus obviam irent, eûmque Italiæ aditu prohiberent, cum ſelectioribus copijs ocyùs proficiſci juſſit; ipſemet verò cum cæteris, & quæ *ex Moravia Bohemiáq;* (prout Comitiorum Francofurtenſ. decreta apud Aventinum & Goldaſtum referunt) opportunè ei advenerant, auxilijs, Franciam adoriri conſtituit. Sed infectis rebus rediêre, & filij & pater, *Carolo jam Romæ in Imperatorem renunciato, & coronato.* Nec multo poſt, *Ludovicus* varijs morbis diu antea, & tunc importunis febribus conflictatus, vitam cum morte commutavit Francofurti, V. Calend. Septemb. anno 876. quo ſepulto, in monaſterio S. Nazarij, *Laureaci in agro Vangionum*, filij tres regnum paternum diſpertierunt inter ſe. *Carolomano* obtigit, quod voluit, nempe *Bavaria, Noricum, Pannonia ſuperior ſive Auſtria & Carinthia*: & vocatus eſt *Rex Bavariæ. Ludovico Orientalis Francia, Turingia, Saxonia, Friſia & Lotharingiæ pars*: vocatúsque eſt *Rex Orientalis Franciæ. Carolo* verò ceſſit *Alemania*, quæ hodiè *Svevia* dicitur, & reliqua pars *Lotharingiæ*; vocatúsque eſt *Rex Alemaniæ.*

Carolus Imp. bellum movet in Ludovici Germanici hæredes: clade afficitur. Carolomano miſſa Moravorum auxilia. Carolus Imp. novo prælio à Carolomano in Italia funditur:

Interea *Carolus Imp.* in Franciam reverſus, mox ubi de morte *Ludovici fratris* comperiſſet, filijs ejus de regno paterno bellum inferre decrevit: coactóque quinquaginta millium exercitu, primò *Ludovici* Regnum invaſit. Miſerat paulò ante *Ludovicus* ad patruum, *rogans ea quæ pacis eſſent*; quod cùm non impetraret, ſed jus fásque omne in armis tantùm eſſe videret, nihil ampliùs moratus, cum exercitu, quem ad certum diem ex omnibus provincijs *ad Francofurtum* convenire juſſerat, ei obviam proceſſit, commiſſóque *ad Andernacum* prælio, ſuperatum fudit fugavítque; *Carolomano* interea & *Carolo* in ſuis provincijs, novos belli apparatus, ſummâ diligentiâ ſtudióque urgentibus: ad quos ubi acceſſiſſent equeſtres *Moravorum turmæ à Rege miſſæ*, Italiam repetere armis conſtituerunt. Nemo exiſtimabat Imperatorem, poſt nuperam acceptam cladem, tam citò recolligere vires, & reſtaurare exercitum poſſe: is tamen nihil eâ clade commotus, aut animo fractus, paucorum dierum ſpatio, tantum militum cœgerat, ut nepotibus occurrere, & novam prælij fortunam tentare haud abnueret. Sed irrito, uti antea ſucceſſu, fortunâ conatibus ejus per ſummam malignitatem illudente: prælio ſiquidem *ad Veronam* inito, clade rurſum cruentâ profligatus, & in fugam conjectus,

jectus, vix in tutum evaſit. *Mantua* poſtmodùm quo ſe fugâ proripuerat, profluvio ventris extinguitur, non ſine ſuſpicione dati *à Sedechia Judæo* veneni, anno 878. Eum biennio poſt ſequutus eſt *Carolomanus*, apoplexiâ exſtinctus, XII. Calend. April. anno 880. relicto filio *Arnolpho, Adelgaidis Reginæ Moraviæ fratre*, Pannonici limitis tunc præfecto. Interea anno 877. *S. Cyrillus Archi Ep. VVelebrad.* Romam ſecundò abit, *Metudio fratre ſuo*, viro etiam ſanctimoniâ vitæ conſpicuo, *Moravis pro ſacrorum Antiſtite*, loco ſui relicto. Dignum memoratu, quod de eo refert Æneas Sylvius, Pius II. Pontifex Max. *Ferunt*, inquit, *Cyrillum, quùm Romæ ageret, Romano Pontifici*, (Adriano II. qui Nicolao ſucceſſerat) *ſupplicâſſe, ut Slavorum linguâ ejus gentis hominibus, quam baptizaverat, rem divinam faciens, uti poſſet. De qua re dum in ſacro Senatu diſceptaretur, eſſéntque non pauci contradictores, auditam vocem tanquàm de cœlo in hæc verba miſſam: Omnis Spiritus laudet Dominum, & omnis lingua confiteatur ei. Indeque datum Cyrillo indultum.*

Mantuæ moritur.

Carolomani obitus.

Siffrid. Presb. in Epitom. lib. 1. Lambert. Schaffn. & alij ſupra citat.

Slavonicæ linguæ dignitas.

Æn. Sylv. in Hiſt. Bohem. cap. 13. in fin.

Anno 884. *Carolus III. Imp.* cognomento *Craſſus*, Carolomani frater, in Auſtriam venit, & propè *Tulnam*, ſub monte Comageno, caſtra metatus concilium habuit. *Ibi inter alios*, verba ſunt Walafridi, *Zventibaldus, cum Principibus ſuis, homo (ſicut mos eſt) per manus Imperatoris efficitur, conteſtatus illi fidelitatem juramento, quod uſque dum Karolus vixiſſet, nunquam in Regnum ſuum hoſtili exercitu eſſet venturus.* Fuſiùs hac de re Andreas Brunner Societ. JESU, ex eodem, & alijs Annalium Fuldenſium Scriptoribus memorat, quem audiamus. *Ludovico Caroli Craſſi patre rerum potiente, VVilhelmus & Engelſchalcus fratres, belli pacisque ſtudijs clariſſimi viri, limites Bojcos, quà Orientem ſpectant, tutati cum fide, fuerant hoſti formidabiles, æqui civibus, & apud utrosque famâ diverſis artibus partâ incliti. Cùm à Moravis, ſtatum olim ac ſolenne in ſingulos annos bellum, Boij paterentur, nullum, his præſidibus, gravius patria vulnus acceperat, donec ſuis tandem triumphis ſunt immortui: quibus vitâ functis, nullâ meritorum ratione habitâ, filijs præteritis, provinciæ procurationem Aribo à Carolo accepit. Id VVerinbarius, Megingotbus & Pappo (ea filiorum nomina fuêre) & Vezillo, alijsq́ ſangvine his annexi, pro indigniſſimo habuêre, mortem ſibi tolerabiliorem profeſſi, quàm paternæ dignitatis, quæ ad ſe in parte hæreditatis devoluta ſit, incubatorem, cum parentum ſuorum ornamentis & inſignibus, volitantem per provinciam aſpicere. Hæc ita palam jactata ſunt, ut facilè ad aures Aribonis pervenerint; qui gnarus, quàm factioſos adverſarios nactus eſſet, potentes ſibi circumſpicere amicitias, quibus caput fortunásque ſuas tueretur, inſtitit; cúmque cerneret æmulos ſuos abundare provincialibus clientelis, nobilitatémque omnem memorem paternorum beneficiorum vivere obnoxiam filijs, próque ijs ultima auſuram, excluſus ſpe domeſticorum præſidiorum, conſilium capit deteſtabile, extremique furoris: & cum Zventibaldo Moravorum principe, veteri Bojci nominis hoſte, fœdus init, ejusq́ ſanciendi causâ, filium illi ſuum obſidem permittit.*

Caroli III. Imp. expeditio in Auſtriam:

VValafrid. Strab. an. 884. Calviſ. an. eod. Aventin. f. 353.

Brunner Annal. Bojor lib. 7. ad an. 884.

cauſa hujus fuſiùs explicatur.

Occaſione tumultuum Auſtriacorum.

Zventibaldus ultro oblatam amicitiam avidiſſimè amplexus eſt, occaſionem ſe nactum ratus, quâ per ſummam diſſimulationem, & ſpeciem auxilij ſocio

Digitized by Google

ferendi, multiplices Bojorum injurias ulciſceretur: ſed primos illius conatus celeritas Aribonis æmulorum prævertit, qui populari ſeditione concitatâ, ipſum provinciâ expulerunt: is apud Carolum de vi conqueſtus, prono illius favore reſtitutus eſt. Zventibaldus, cùm in amico violatam Auguſti autoritatem, ſpecioſam utique cauſam, haberet obtentui, contra dynaſtas factionis adverſæ principes, tanquàm hoſtes Reipub. profectus, primo ſtatim impetu VVerinbarium Engelſchalci filium, & Vezillonem Comitem eidem cognatum, in ſuam poteſtatem redegit, fœdasque illis barbaræ crudelitatis notas impreſſit; Quippe manu dextrâ præcisâ, lingvâque evulsâ, etiam virilitatem ademit, in ſui ludibrium deinceps victuris; commilitones eorum, carnificibus præbere ſecundas manus juſſi, miſerabile ſpectaculum in patriam retulêre. Neque hîc ſe tenuit furor; ſed clam Danubio trajecto, in omnem latè agrum flamma hoſtilis deſævijt, quæ tam modeſta non fuit, ut Aribonis tantùm hoſtes ureret; quanquam id vulgo Zventibaldus præ ſe ferebat, abundè ſuismet factis refutatus. Et Aribo neceſſariò connivebat; ut qui facem hanc ipſe accenderat: Megingotbus verò & Pappo, neq; arcere vim, neq; ſuas apud Carolum calamitates deplorare jure poterant, ùt cujus auctoritatem, Aribone è præfectura exturbato, haud vulgariter anteà læſerant: id tandem conſilij fuit, in Arnulphi Carolomani regis fidem tutelámq; concedere, qui tunc Pannoniam, vicario imperio, pro Carolo Craſſo tenebat.

Svatoplucus correptis armis, Auſtriam invadit: in captos viros illuſtres crudeliter ſævit: per Auſtriam impunè graſſatur:

Zventibaldus materiam bello quærens, cum Arnulpho per legatos expoſtulat, permoleſtum ſibi accidere, hoſtibus ſuis apud eum perfugium patere; ſibi eos bello perſequi certum eſſe, terrámq; omnem, quæ illos ferret, pro hoſtili, eorúmq; amicos, pro hoſtibus habiturum. Cùm Arnulphus iniquitate poſtulatorum offenſus, ore libero legatis reſpondiſſet, novæ paulò poſt querelæ ſupervenêre: Pannonios cum Bulgaris conſilia miſcuiſſe, neque alijs auctoribus ducibusque eos in ſuum regnum, priore anno irrupiſſe videri; id ſi factum Arnulphus neget, non niſi jurato crediturum. Etiam hanc legationem, ùt imperioſam, neque è dignitate ſua, Arnulphus aſpernatus eſt; conſtanter id quidem, ſed illud parum providè, quòd, cùm minas illas bellum parturientis poſſet agnoſcere, nudam præſidio Pannoniam reliquerit; quæ ignava ſecuritas Zventibaldo peropportuna fuit. Nam contractis repente copijs, Pannoniam ingreſſus, omnia cædibus miſcuit; paſſim rapinæ & incendia facta; utraque impunè: neque alia magìs re, quàm conceſſâ libertate vaſtationis Zventibaldo animi crevêre, ut hoc ipſo, quem ante numeravimus anno, in Pannoniam cum exercitu redierit: quem tantum fuiſſe ſatis conſtat, ut cùm agmen, orto ſole, iter facere militari paſſu cœpiſſet, quem primi locum inſtiterant, ultimi ante noctem continuâ ambulatione tione non aſſequerentur.

cum Arnolpho affine, quod hoſtes foveat, expoſtulat. Auſtriam longè latéque vaſtat.

Hæc tanta prædonum colluvio, cùm dies ipſo duodecim, in vexanda evaſtandáque Pannonia abſumpſiſſet, mirum eſt, aliquid ſecundæ prædationi reliquum feciſſe; & tamen bis domum digreſſis, nova manus, velut poſt meſſem ad ſpicilegium redijt; quibus cùm Megingotbus & Pappo, quorum maximè res & fortunæ agebantur, impares copias objeciſſent, fuſi fugatique in Arrabonis fluminis tranſitu aquis hauſti ſunt. Moravi victoriâ crudeliter uſi, regionem omnem,

Auſtriæ miſerabilis ſtatus:

omnem, quâ ab Arrabone ad Orientem patet, in ſolitudinem redegerunt: plurimi mortales ferro cæſi; nobilitas in ſervitutem abſtracta, ad arbitrium barbarorum vel vixit, vel interijt; ita tamen, ut ſuperſtitum longè miſerabilior conditio fuerit, quàm quibus gladio jus dictum eſt: nam membris inhumaniſſimè multati, ſemivivi, ſemianimeſque redierunt, vivæ hominum umbræ. Cùm finis populandi nullus fieret, expergefactus tandem Carolus, pulcherrima quondam provinciæ, quam barbarus furor buſtum fecerat, refocillandæ curam ſuſcepit; ingreſſusque iter, ad Tullinam flumen, montémque Comagenum caſtris poſitis, eò Zventibaldum cum proceribus ſuis evocavit. Paruit ille non obedienter modò, ſed enixè etiam officioſus, in auctoritate ſe Cæſaris fuiſſe futurúmque deinceps, vir ad ſimulationem natus factúsque, etiam jurisjurandi religione interpoſitâ, profeſſus eſt; & quando ita Carolo videretur, ſui principatûs ſe finibus contentum, eo vivo, Pannonicis rebus temperaturum: in quæ cùm fidem dediſſet, Carolo ſatisfactum eſt; Zventibaldo in ſinu ridente, ſe laceratione provinciæ, ſibi tam facilem viam ad redintegrationem gratiæ ſtraviſſe.

calamitas inexplicabilis.

Caroli III. Imp. in Auſtriam adventus.

Svatoplucus componitur.

Anno 887. Autumni tempore *Mſtibogius Dux Curimenſis in Bohemia*, frater *Hoſtiviti Principis Bohemiæ* defuncti, vir provectæ jam ætatis, ſed inquies, & ultra ſortem temerarius, ſumptâ causâ, quòd ſibi propter miſſa nuper *Svatopluco* contra Germanos auxilia, nondum plenè ſatisfactum eſſet, hoſtilem excurſionem *in Moraviam* fecit; ac perrupto ex improviſo limite, agreſtem turbam ſementi faciendæ tum intentam, magnâ perculit conſternatione & clade; cæsisque nonnullis, alijs captis, villis autem direptis & incenſis, nemine obſiſtente, incolumis revertit. Hoc cognito *Svatoplucus*, extemplò prætorianos equites, & aliquam manum peditum, qui avertendis ulterioribus Mſtibogij conatibus invigilarent, *Bohemiam* versùs, contendere juſſit. Miſit quoque *ad Borivogium Bohemiæ Principem*, aliàs amiciſſimum ſemper, ut de ejus erga ſe animo cognoſceret, & an etiam juſſu ipſius, vel conſenſu, irruptio hæc accidiſſet, edoceretur. A quo non niſi pacifica omnia retulerunt nuncij, nihil ex ejus mente delictum adſeverantes in Regem, ſed per patruum ſuum *Curimenſem Ducem*, & ſubditos ejus populos limiti Moravo confines, eveniſſe, quæ inciviliter geſta eſſent: nullam proinde ſibi in eorum conſilijs & factis partem eſſe. Reducti præterea captivi, quos *Mſtibogius* jactando prædam, Borivogio nepoti miſerat. Cæterùm *Svatoplucus*, firmato â confinijs Bohemiæ limite, *Arnulpho affini in Imperatorem recèns electo*, & ex interiori Germania, Ratisbonam reduci, obviam proceſſit, ut ei *felicia Imperij auſpicia* precaretur: â quo junctâ dextrâ, ſumma cum benevolentiæ ſignificatione, exceptus eſt; ac per *Feſta Dominici Natalis, Epiphaniæq;* detentus, lautéque habitus. Domum cùm revertiſſet, in id incubuit totus, ut injuriam ſuis â *Mſtibogio* illatam, quamprimùm ulciſci poſſet. Nec mora, convocatis *Noſiſlavo & Kozechovitio* ducibus, ac hoſtem prævenire cupiens, nondum adulto vere, eos cum copijs regionum, ſeu provinciarum, & alij peculiaribus, operâ *Svatoborij* ſupremi armorum magiſtri ſtipendio conductis, in ditionem

Mſtibogij Ducis Kaurzimēſis in Moraviam hoſtilis irruptio.

Daubrav. Hiſt. Boh. lib. 3. Hagek in Chron. Boh. ad an. 887.

Svatoplucus ſuos ad illum arcendum mittit:

Borzivogij Bohemiæ Ducis animum, num conſenſu ipſius hæc fierent, explorat:

& præter ipſius voluntatem ea accidiſſe cognoſcit.

Svatoplucus ſalutandi Arnulphi Imp. causâ Ratisbonam venit:

domum redux bellum Mſtibogio infert.

Digitized by Google

Mſtibogij, ut par pari referrent, ire juſſit: qui *Bohemiam* ingreſſi, per obvia quæque rapinis & incendijs graſſabantur impunè.

Mſtibogius præcipitis ſuæ audaciæ,

Quod cùm ad *Mſtibogium* frequentioribus nuncijs delatum eſſet, mox quoque milite, quantâ potuit celeritate congregato, hoſtibus occurrendum duxit: omnémq, moram tanquàm pernicioſam deteſtatus, nec expectato, usque dum aliæ ex vicinis urbibus & caſtellis confluxiſſent copiæ; ipſemet cum aliquot peditum cohortibus, & paucis admodùm equitum turmis, obviam illis contendit. Parúmque ſui æquus æſtimator, ſed neque rei, quam aggrederetur, quæ multò majorum virium eſſet, æquior, *Moravos* primo quoque tempore aggredi, & ubi ubi occaſio daretur, tentare prælij fortunam conſtituit: renitentibus licèt alijs ducibus, ſvadentibûsque, nè priùs rem ferro decernere vellet, quàm omnia auxilia contraxiſſet, & viribus hoſte haud inferior exiſtimaretur. Expectandum potiùs, donec *Czaslavienſes cum Malinenſibus*, *&* *Chrudus* (is erat ex nominatioribus Bohemiæ Dynaſtis unus) cum ſuis adveniant, qui juſtum exercitum utriúsque armaturæ militum adducturi ſint, & in quibus vel præcipua obtinendæ victoriæ ſpes collocari queat. Sed obſtinatum Principis animum flectere nemo potuit; qui ſuis ſubnixus conſilijs, quibus ſibi indulgendo errare potiùs, & obſtinatiùs perſiſtere, quàm alienis rectè uti conſveviſſet, hoſtium congreſſum minimè formidandum exiſtimabat. Brevi poſtmodùm temeritatis ſuæ pœnas dedit, in inſidias *Moravorum* præcipitatus, tantáque clade profligatus, ut fortiſſimis quibúsque ex ſuis ammiſſis, vix ipſe cum paucis hoſtium manus evaſerit.

& nimiæ ad pugnandum aviditatis, pœnas clade luit.

Moravi victores, per Bohemiam vaſtabundi panduntur impunè.

Hæc clades aditum in interiora Provinciæ Moravis aperuit: qui in duo diviſi agmina, & aliquâ peditum parte, pro cuſtodia curruum, quos opimâ prædâ onuſtos habebant, relictâ, (hos tamen deinde, mutato conſilio, *in Moraviam* præmittere maluerunt) effuderunt ſeſe multò licentiore auſu, per circumjacentem regionem univerſam, expilando agros, & hoſtilia quæque exercendo. Additus cladi terror, inflammatione villarum, quas profugientes paſſim coloni relictis omnibus deſerebant. *Audaciores aliqui ex Moravis, ad usque ripam Albis excurrerunt, tantáque damna intulerunt, ut nè frugiferis quidem arboribus pepercerint.*

Fabric. in Annal. urbis Miſn. an. 888. Mſtibogius copias reparat:

Interea *Mſtibogius* nihil eâ clade turbatus, cum ſuis, quos ex fuga collegerat, *Czaslaviam* conceſſit; ubi reparatis viribus, & *Malinenſium* copijs ſibi adjunctis, cùm & *Chrudus* cum valida manu brevi adfuturus diceretur, nihil priùs habuit, quàm ut cladem temeritate acceptam, novâ ac ſalubriori conſilio initâ cum hoſte pugnâ, aboleret. Itáque diſpoſitis ad profectionem rebus, & *Lichniciâ*, ſeu *Lichtenburgo* in arduo monte caſtro ad dextram relicto, rectà in montes, ultra quos *regio Chrudimenſis* protenditur, & ubi vel maximè *Moravi* graſſabantur, contendit. Dúmque citatis paſſibus proſequitur iter, per exploratores, quos præmiſerat, edocetur, ſtare ad pagum *Rudova*, intra curruum ſepta, unum hoſtium agmen. Quare progredi ulteriùs noluit, ſuperiori clade cautior, ſed intra concædem arborum ſubſtitit; & alios rurſum exploratores delegit, qui caſtra hoſtium penitiùs explorarent, daréntque operam,

denuò in hoſtem movet: memor præteritæ cladis cautiùs progreditur.

ut

Digitized by Google

ut aliquem ſeu *ex Moravis*, ſeu ex indigenis captum adducerent, â quo de eorum viribus certiora intelligere poſſet. Sub id tempus, *Noſislavus* alterius agminis Moravici dux, *Chrudum*, ad arcendos hoſtium excurſus minùs cautè egreſſum, haud mediocri clade affecit, & retro in munimentum, quod recenter ſuper veteres alicujus quondam urbis, *Bojorum*, vel *Hermundurorum*, vel *Marcomanorum* tempore, ruinas, opportuno loco extruxerat, & â nomine ſuo *Chrudimam* indigitârat, compulit: qui tamen paulò poſt, novis ſupplementis ex urbana plebe auctus, & *Mſtibogio* conjunctus, cladem longè majorem ipſi retulit. Chrudus Chrudimæ conditor à Moravis cæditur.

Cæterùm *Mſtibogius*, cùm per exploratores reduces, & colonum quendam, è pago *Rudova* adductum, qui hoſtium caſtra coràm inſpexerat, cognoviſſet, ea non eſſe usque adeò munita, quin non magno diſcrimine ſuperari poſſent; tentare fortunam, & noctu, nihil tale ſuſpicantibus *Moravis*, caſtra adoriri conſtituit, ſiquidem & ipſa luna pernox claráque, ad hoc audendum incitare videbatur. Audax utique facinus, ſed eventu probatum. Nocte igitur jam ingruente, capto per breve ſpatium ſomno, ac poſtea corporibus curatis, tertiam circiter vigiliam caſtra loco movit, ac ſilenti, quantum fieri potuit, agmine in hoſtem proceſſit. Præerat huic Moravorum agmini *Kozechowicius*: qui aliquid de ejusmodi conſilio *Mſtibogij* præſentiens, vigilias & ſtationes duplicari juſſit. Hinc ad *Mſtibogij* adventum, quem facilè prodebat equorum fremitus, diluculo præſertim jam appropinquante, vigiles excitatis caſtrorum præfectis, momento quaſi temporis, conturbârunt omnia ac repleverunt tumultu. Exîn perſtrepens tubarum ſonus, ad capeſſenda arma, propulſandámque hoſtium vim excitabat cunctos. Non tamen idcirco tardabant, ne dum impediebant *Mſtibogij* propoſitum: qui etſi illo tumultu miſceri caſtra, ac volitare per ſtationes armatos cerneret, niteſcente jam magìs ex interventu diei cœlo; nihil tamen de concepto ardore moderatus, ingenti clamore fremitúque caſtra adortus eſt, disjectíſque qui reſiſtebant negotio facili, in ima caſtrorum penetravit. Occurrebant multi, ſumptis tumultuariè armis, ſed impares, & numero, & viribus; qui *ferociâ Bohemorum*, vel diſcerpti gladijs, vel in fugam acti ſunt. *Kozechovitius*, ubi profligatos ſuos, nec ſpem ullam melioris fortunæ vidit, fugæ quoque ſe commiſit, paucíſque comitatus, in Moraviam per avios ſaltus, & varios errores delatus eſt. Mſtibogius fortunam tentat: caſtra hoſtium nec opinatò adoritur: in caſtra penetrat: Moravos profligat.

Expugnatis & dirreptis *Moravorum* caſtris, *Mſtibogius* tanto ſucceſſu ferox, nihil cunctandum cenſuit; ſed extemplò contra alterum agmen, cui *Noſislavus* præerat, & quod longè validiori militum manu conſtabat, ocyùs transferri ſigna juſſit: cognitóque, ubi in caſtris ſeſe teneret, mox eo, intempeſtâ rurſum nocte, ire perrexit. Manè demùm, cùm nebulam craſſiorem, quæ paulò ante emerſerat, Sol exoriens radijs tepidioribus diſcuſſiſſet, *Noſislavum* inſtructâ acie ſe expectare animadvertit. Signo igitur prælij dato, conflictus editur acerrimus, hinc *Bohemis*, illinc *Moravis* pertinaciſſimè pugnantibus: cúmque telis primò & haſtis impetijſſent ſe invicem, ardore demùm prælij magìs ac magìs creſcente, res cominùs gladijs geri cœpit; collatóque Mſtibogius victoriâ ferox alterum hoſtium agmen aggreditur. Pugna atrox.

Digitized by Google

que pede, arma armis, ſcuta ſcutis concrepuêre, dum quisque ſibi veluti aſſignatum credit hoſtem, & cruenta inviſi capitis ſpolia detrahere ſtudet. Et licèt *Bohemi* prælium acriter ineuntes, & obvia quæque ſternentes, ac frendentes immania, mox primo impetu hoſtes in fugam ſeſe compulſuros exiſtimarent: eorum tamen audaciam *Moravi* ita repreſſerunt, ut facilè intelligerent, cum intrepidis fortiſſimísque viris ſibi rem eſſe. Denique urgentibus ſummâ vi *Moravis*, & omnia conſternatione cædibúsque replentibus, *acies Bohemorum* paulò poſt fluctuare cœpit, adeò ut aliqui jam etiam remedia fugæ circumſpicerent, quicquid contrà *Mſtibogius* niteretur. Sed inter hæc opportunè accurrit laborantibus auxilio *Chrudus*; cujus adventu recruduit prælium; in quo *Moravi*, licèt jam numero impares, ac inſuper laſſitudine viribúsque fracti, *vim tamen Bohemorum* diu adhuc ſuſtinuerunt: poſtremò cùm ab omni parte, hoſtium multitudine prævalente, circumventi, in orbem pugnare cogerentur, néque ampliùs viribus ſufficerent, inclinari cœperunt. Nihilominùs aliqui, extrêmo periculi metu, id quod ſæpè in deplorata ſpe ſalutis accidit, in temerariam audaciam & ferociam verſo, ultro in cuneos victorum irruebant; nec quicquam arma, tela, gladios *Bohemis* objicientibus: cùm ut viros fortes deceret, id unum curarent, quando cadendum eſſet, ne inulti morerentur. Multi tamen, cùm in unum conferti *Bohemorum vim* eluſiſſent, equorum pernicitate & robore perrumpentes eorum ordines, incolumes ſeſe ê media cæde ſubduxerunt: & tunc *Mars ubique remiſſior* fuit. Aliqui *ex Moravis*, quos prædandi ſtudium â caſtris longiùs traxerat, ê longinquo clamore hoſtili audito, ſociorum ſuorum fortunam conjicientes, fugâ & ipſi, quâ ſolâ poterant, ſaluti ſuæ conſulere feſtinabant. *Noſislaum*, alij in prælio, cùm diutiùs quàm expediebat, inani pertinaciâ dimicâſſet, occiſum ferunt: alij, videntem in ſola fuga reſtare ſalutem, deſperatis rebus, tandem fortunæ adverſæ ceſſiſſe ac profugiſſe, memorant. Utut ſit, perijſſe tamen vel in prælio, vel in fuga, exinde credebatur, quòd nunquam poſtea â quoquam viſus ſit. Lætus eâ victoriâ fuit *Mſtibogius*, & pro rei memoria, in loco poſterioris hujus prælij villam exſtrui juſſit, quam â pugna nova, quæ Bohemis ſonat **Bog nowý** / *Bojanoviam*, quaſi *locum pugnæ novæ* diceres, nuncupavit. Conabatur deinde *Mſtibogius* cum ſelectiori manu (*cæteris, quos ex promiſcua plebis grege, magis ad colendos agros, quàm tractanda arma idoneos, tumultuariè, urgente neceſſitate, collegerat, domum remiſſis*) excurrere *in Moraviam*, jámque appropinquabat limiti: ſed *Kozechovitius* recollectis ê fuga copijs, & de exercitu novo ſibi in auxilium accurrente certior, ideóque audentior, parvo licèt numero, magno tamen auſu, tentanti aditum vim oppoſuit, atque reſtitit adeò fortiter, ut ille â propoſito deſiſtere, pedémq; referre compelleretur.

Porrò ſupervenientibus *ex Moravia* auxilijs, quamvis nullo juſto prælio concurſum fuit, quòd neutra pars ſummæ rei periculum facere auderet; velitationibus tamen crebris ſeſe perſtringebant invicem, donec interveniente *Borivogio*, pax tandem ſequuta eſt: in quam *Moravi* eò propenſioribus inclinabant

Mſtibogiani nutant. Chrudi adventu reſtituitur prælium.

Mſtibogij victoria.

Locus pugnæ **Boganow** hodiéque dicitur, oppido rei teſte inſignis. *Hagek ad an. 888. Dubr. Hiſt. Boh. lib. 3. MS. de orig. & antiquit. urbis Chrudim.*

Moravi ex fuga colliguntur: novis ſupplementis augentur.

Crebræ utrinque velitationes.

Pax.

nabant animis, quod à tergo metuerent *Hungaros*, quorum per id tempus novæ & majores copiæ effuſæ *ex Scythia*, ſuperatis fluminibus *Tanai & Boryſthene*, Thraciâq; peragratâ & expilatâ, conjunxerunt ſeſe cæteris *in Pannonia*: cum quibus deîn magnis agminibus progreſſi, intermiſſa bella redintegrarunt, factâ primò omniũ, mox anno ſequenti, hoſtili excurſione *in Moraviam*. Novus Hungarorum è Scythia adventus, Moravis juſtum metum incutit.

Prævíderat hoc *Svatoplucus*, ideóque remedia tempeſtivè quærenda arbitratus, non modò ſuis copiarum præfectis, ut ad capeſſenda arma parati, & rebus omnibus inſtructi eſſent, in mandatis dedit, ſed etiam quò validior ad reſiſtendum evaderet, miſſis in confines amicorum provincias, idoneis ad conſcribendum militem hominibus, tantum virium ſpatio temporis brevi comparavit, ut *Hungari* iteratâ licèt crebriùs *in Moraviam* irruptione, totâ illâ æſtate, non niſi plagas, & vulnera, prædarum locò, referrent. Addebat porrò animum *Svatopluco* victoria ſingularis, â ſuis, præterquàm quòd in minutioribus prælijs ſemper ſuperiores evaderent, obtenta; quâ *Hungarorum turmas*, quæ ex promptiſſimis conſtabant, nimiâ prædarum cupidine longiùs, quàm pro diſciplina militari decuiſſet, provectas, înque inſidias præcipitatas, occidione penè deleverunt, adeò ut pauciſſimi fugâ cladem evadere potuerint: plerique vel cæſi, vel capti, reliquis qui domî erant, documento fuêre, ut poſtea cautiùs excurrerent. Hungari in Moraviam irrumpunt: â Moravis cæduntur.

Erat tum *ex Hungarorum ducibus*, præcipuus nomine *Giula*, *Giula*, unius è ſeptem illis, quos *Svatoplucum I.* Pannoniâ ejeciſſe ſuprà memoravimus, pronepos: hic, uti erat Chriſtiano nomini infenſiſſimus, ingenióque turbido, immani & truculento, præſertim verò irâ cupidinéque vindictæ *in Moravos*, ob illatam ſuis cladem, flagrans, denuò parabat arma, néque deſiſtere â bello, donec ſatis ſupérque ultionis ſumeret, conſtituit. Giula Hungarorum dux bellum adversùs Moravos ſummo conatu apparat.

Quo cognito, *Mſtibogius*, ruptâ per ſummum nefas pace, *Moravos* quoque armis exagitandos ſuſcepit: & quò tutior in proſequendo tam nefario animi propoſito eſſet, arcem quandam limiti Moravo vicinam, nomine *Obeb*, fortiùs communijt; ut inde, ceu è ſpecula, occaſioni invigilaret, & ubi ſeſe offerret, excurſionibus repentinis *Moravos* infeſtaret. At DEUS, qui ruptores fœderum maximè averſatur, & qui juſtæ cauſæ ſemper adeſt, *utrúmque hunc Svatopluci hoſtem*, cùm minimè putarent, miro atque horrendo fato oppreſſit. Nam *Mſtibogius*, dum in *arce Obeb* moraretur, ſéque jam ad excurſionem *in Moraviam* accingeret, repentè extinctus eſt, *â dæmone*, ùt ferunt, *ſub humana ſpecie, diro mortis genere ſuffocatus*. *Giula* verò dum ſuos in aperto campo recenſeret, irruptionem *in Moraviam* mox facturus, turbato cœlo, ac exortis è repentino turbine imbribus, *fulminis telo ictus interijt*. Poſt quorum interitum, *Svatoplucus* moleſtiſſimâ eâ curarum mole, quâ cum duplici hoſte, diverſis in locis fuerat dimicandum, levatus, ad confinia Regni, præſertim Hungariam verſùs, meliùs communienda, animum adjecit. Et ùt ſcribit Daubravius: primò omnium juſſit, *ad vada fluvij Vagi, qui Moraviam â Pannonia tunc velut limes dirimebat, caſtella inædificari, præſidiaque illis imponi; tum deinde montes, ſylvis deſectis ſepiri, & alibi foſſis & vallo muniri:* Idem Mſtibogius molitur. Mſtibogij, & Giulæ interitus. *Daubraſ. l. 3. ad fin.*

 poſtre-

poſtremò arces & oppida mœnibus cingi, muriſque firmari, ne impoſterum Hungaris liceret, quod vellent, pateretve tam facilis in Moraviam aditus.

Perniciosa Arnulphum inter & Svatoplucum ſimultas. *Daubraʋ. l. 3. ad fin. Daubraʋ. l. 4. Joan. Adlzreitt. in Annal. Boica gent. Part. 1. lib. 12. §. 42. Andr. Brunner. Soc JESU in Annal. Bojor. lib. 7. §. 4.* nova belli cauſa ab Auſtriacis data,

Brevi poſt *Arnulpho Cæſari* cum *Svatopluco*, interceſſit ſimultas gravis, ea potiſſimùm de cauſa, quòd *Svatoplucus* Imperatoris Græci partibus nimiùm ſtudere, & multa in Germanorum perniciem occultis machinationibus moliri crederetur: quæ primò tacitè utrinque, ceu in ſinu, fovebatur, donec anno 892. quùm *Svatoplucus* à Cæſare, ad conventum Hengisfeldam vocatus venire detrectaret, in nervum erupit. Alij hanc præterea referunt Moravici belli cauſam. *Hac dum in eo ſunt*, (ita ſcribit Joannes Adlzreitter, Maximiliani Bavariæ Ducis & Electoris Cancellarius) *bellum in Moravos recruduit, ex cauſa parum honeſta, quæ initium accepit ab Arnulphi Regis domo. Engiſchalcus, inſigni temeritate juvenis, puellam quam Rex è concubina tulerat, volentem an invitam, è paterna Regia in Moraviam abduxit, amores inſanos præferens patriæ charitati. Arnulphus pro eo, ac debuit, dedecus ægerrimè tulit: ſimul iraſcebatur Zventibaldo*, (Svatopluco) *quòd raptori perfugium conceſſiſſet; irâ tamen diſſimulatâ, Engiſchalcum promiſſâ facinoris impunitate, in Pannoniam* (Auſtriam) *reduxit, & quò eum magis irretiret, Provinciæ præfecit, non neglecturus occaſionem ſumendi ſupplicij, quam non dubitabat, ab inſolenti adoleſcentis audacia brevi naſcituram. Et verò nata eſt. Nam homo effrenis, ſuique impotens, abuſus conceſſâ poteſtate, cœpit multa protervè agere, præter legum & moris inſtituta, haud pauca peccare in Bojariæ proceres, ratus, ſe ſoceri favore ſatis eſſe ſecurum. Verùm ubi ad Aulam redijt, omnia alia eſt expertus: mox enim à Magnatibus injuriarum poſtulatus, Regi ſiſtitur, causámque juſſus dicere, cùm nihil magis deeſſet, quàm innocentiæ argumenta, oculorum effoſſione mulctatur. Occultè interea faba cudebatur in Moravum, quem jam olim Boicæ Reges, ut ſudem in oculo ferentes, oppreſſum voluiſſent. Ambigua impotentiorum ſors, cui è vicino potentiores inſidiantur.*

Moraviam quoque involvit.

Ad priores offenſiones, acceſſit alia ex VVilhelmo Engeſchalci patruele. Habebat hic cum Zventibaldo occultum litterarum & conſiliorum commercium, quod ex nuncijs ultro citròque commeantibus, denique deprehenſum, illi, juxta ac Moravo fuit exitiale. Vix aliter hujusmodi opertaneæ communicationes, quàm proditorum exitio finiuntur. VVilhelmo perduellionis lege damnato, ſupererat ira in Zventibaldum, eò flagrantior, quòd VVilhelmi germanus, contactus criminis fraterni conſcientiâ, metùque ſupplicij, in Moraviam profugerat. Suſpicionem quidem Zventibaldus conatus eſt eluere, cæde profugi, quem unà cum multis alijs Boicæ exulibus, interfici juſſit: verùm quæcunque præterea fuerint occultarum factionum argumenta, bellum in Moravum decretum eſt. Pro manifeſta bellandi cauſa fuit, quòd Zventibaldus Regi tributum negaret: & quòd plus æquo, Orientis Imperatoris foret addictus. Ita ille.

in atrox bellum erupit.

Bello igitur *in Moravos* decreto, confeſtim per provincias & ſubditos populos, ac Regna ſociorum, præconia emiſſa, edictáque propoſita, ac juſſæ nominatim urbes, quantum quælibet militum impendere deberet, qui quantocyùs *ad Ratisbonam* congregarentur in unum, juſſa Cæſaris expectaturi.

Quo

Quo verò faciliori negotio *Svatoplucum* opprimeret Cæſar, excitavit ad arma, & irruptionem in Moraviam faciendam, etiam *Cuſulam Hungarorum ducem*, & *Brzaslavonem Croatiæ regem*, vel, ùt alij volunt, *Carinthiæ principem*. Ipſemet deinde collecto è *Francis, Bavaris & Svevis* exercitu, profectionem in Moraviam, per Bohemiæ fines ſuſcepit: ac profligato, mox impetu primo, limitis præſidio, nullo poſthac repugnante, Moraviam ingreſſus eſt, obvia quæque populando, & urendo. Ferro tamen in agreſtem plebem, utpote innocuam, ſævire prohibuit.

Arnulphi Imp. in Moraviam expeditio.

Interea *Svatoplucus*, nihil ex tam vaſto belli motu animo fluctuans, expedito conſilio omnia, quæ vel alius Imperator prudens & impiger, in tali caſu ageret, egit; contrahens undique exercitum, & ſe omnibus medijs, ad vim hoſtium prohibendam, communiens. Auditâ demum clade ſuorum, quos ad cuſtodiendum limitem præmiſerat, cùm & nonnulli ex ijs fugâ elapſi redijſſent trepidi, clamore inſveto, *jam jam in veſtibulo adeſſe hoſtem, ardere omnia miſcerique*, miſerabili tumultu nunciantes, obviam hoſti, ſummâ quâ potuit celeritate, proceſſit: *Mogemirum* verò *filium ſuum, ſed ante legitimas nuptias natum*, juvenem jam tunc excellenti virtute fortitudinéque præditum, & rei militaris peritum, conatibus Hungarorum invigilare juſſit.

Svatoplucus ad reſiſtendum, animum viréſq; comparat: obviam hoſti progreditur.

Et Cæſar quidem non usque adeò feſtinandum cenſuit; ſeu quòd inſidias in terra hoſtili, præſertim cùm vias, pluribus in locis, prægrandibus ramoſarum arborum truncis præſeptas offenderet, vereretur; ſeu quòd conſultiùs duceret expectandum, usque dum *Croatæ* & *Hungari* perrupiſſe â tergo limitem audirentur. Nihilominùs die ſequenti, cùm accelerante *Svatopluco*, utérque exercitus in mutuum veniſſet conſpectum, non multâ Principum cohortatione incitati concurrerunt: certatúmque eſt magnis utrínque viribus, ampliùs horæ ſpatio, eo tandem eventu, ut utrobique non ſine confuſione acies loco moverentur. *Franci* enim equites, *in Moravos* ſummo illati impetu, primos ordines penè omnes diſſipârunt; ac ſummâ celeritate uſi, reliqua agmina pari virtute diſijcere, vel penitùs obterere contendebant. Ex adverſo cùm vim phalangis Moravicæ, quam *Svatoplucus* habebat inſtructiſſimam, & cui *Letoslaus probatæ fortitudinis heros* præerat, *Svevi & Bavari*, nequaquam ferre poſſent, poſt diuturnam dimicationem, loco quoque cedere compellebantur; & nî beneficio proximi ſaltûs ſe præſenti periculo exemiſſent, inſtantibus ſummâ vi â tergo & lateribus Moravis, non procul aberat, ut ad internecionem usque delerentur.

Arnulphi cunctatio. Prælium. Anceps victoria.

Manifeſtâ Cœlitum ope, fuiſſe tunc â præſenti periculo ſervatum Arnulphum, Brunnerus refert hiſce: *Huc potiſſimum pertinere putamus, quæ â Vobburgenſi Comite, ſine temporum certa nota, conſignata litteris ſunt. Arnulphus cum egregia in Cœlites omnes pietate ferretur, Emmeramum Martyrem eximijs officijs ſemper coluit, ut neque habitatione quidem â Tutelari Divo voluerit eſſe remotior, nobili Regiâ juxta illius ſacram Ædem poſitâ. Cujus religioſi affectus fructum præſentem ſæpe aliàs, & Moravico præſertim bello, uberrimum tulit. Nam aciebus utrinq; explicatis ad pugnam, repentè hoſtibus cœle-*

Brunner. Annal. Boicor. lib. 7. §. 4. Arnulph. lib. 1. de S. Emmeramm. Adlzreitt. cit. Part. 1. lib. 12. in fin. Arnulphi in pugna periculum.

 ſtium

ſtium auxiliorum primos ordines ducentium, auguſta ſpecies objecta, animos pavore conſternationeque implevit: jamque ut in pugna iniquiſſimè comparata, & exercitu altero pleno anteſignanis Divis, Moravis certamen inire detrectantibus, omnia ad fugam ſpectabant, niſi laxatis ordinibus diffluentes, Thraſo quidam (Letoſlaus fortè) *perditæ audacia, inbibuiſſet: qui Zventibaldi clypeo obarmatus, raptoque prætorio vexillo inſignis, ignavos proditoreſque increpans, obſtantibus ſubmotis, usque ad Arnulphum penetraverat. Eum cùm unum peteret, à ſene veneranda oris ſpecie humanum egreſſo faſtigium, repreſſus eſt. Qui Emmerammum ſe profeſſus, inſertâ in clypeum manu, furentem ultra non eſt paſſus. Quem ut animo viribúsque repentè linqui commilitones aſpexerunt, nemini dubium fuit, iratis ſe ſuperis, eam dimicationem, magno malo ſuo, ſuſcepiſſe; beneque actum iri ſecum, ſi ſalvis pedibus, & integro capite, inde ſeſe proripuiſſent.*

ex quo diviniτùs eripitur.

Germani caſtris ſeſe continent, Moravis fruſtra provocantibus ad pugnam. Moravorũ de Hungaris victoria: quâ permotus Cæſar in Auſtriam diſcedit.

Caſtris poſtea ſeſe utrinque continuêre quieti, illo & ſequenti die: neque deinceps ullam pugnandi copiam dare voluit Cæſar, eſtô à *Moravis* ſæpè provocaretur; excurſionibus ſolùm & minoribus prælijs, ſeu velitationibus certabant invicem, arridente nunc his, nunc illis fortunâ; cujus alternante eventu accidebat, ut qui modò vincebant, paulò poſt vincerentur. Ultimò cùm certis nuncijs percepiſſet *Arnulphus* de Hungarorum clade, quos *Mogemir*, ſub id tempus prælio cæciderat cruento, idque ipſum ab Hungaris ê prælio fugâ dilapſis certò certiùs cognoviſſet: inſuper intellecto, quòd *Mogemir* ſucceſſu ferox, cum victore exercitu, citatis paſſibus acceleret, eò haud dubiè conſilio, ut junctis cum Patre viribus, res tandem prælio decerneretur juſto, caſtra loco movit, ſæpè reſpectans, num â tergo vel latere invaderetur; cúmq; adDanubium veniſſet, nullâ factâ morâ flumen trajecit, ac poſtmodùm potiori parte exercitûs in Auſtria pro tutela limitis relictâ, in Bavariam diſceſſit.

Svatoplucus rei gerendæ occaſionem non intermittit. *VValafrid. Strab. in Annal. Fuld. ad an. 891.*

Poſt cujus diſceſſum *Svatoplucus*, quicquid *ditionis Auſtriacæ cis Danubium* erat, totum ſuæ poteſtatis fecit, occupatis penè omnibus caſtellis, quæ partim ſolo æquari, partim præſidio ſuo firmari juſſit. De hac Cæſaris in Moraviam expeditione, *Strabus* ita meminit: *Arnulphus Rex de Francia redux cum victoria, in Alamania curte Regia, Ulma, honorificè Natalem Domini celebravit. Inde Orientem* (id eſt in Auſtriam) *proficiſcitur, ſperans ſibi Zventibaldum Ducem habere obvium, ſed ille more ſolito ad Regem venire renuit: Inde Rex irato animo in Hengiſtfeldano, cum Brazlavone duce colloquium habuit: ubi inter alia quærens tempus & locum, quomodo poſſit terram Moravorum intrare, conſultum eſt, ut tribus exercitibus armatis Regnum illud invaderet. Rex equidem aſſumptis ſecum Francis, Bojarijs & Alamanis, menſe Julio, Moraviam venit: ibi per quatuor hebdomadas cum tanta multitudine, Ungaris etiam ibidem ad ſe cum expeditione venientibus, omnem illam regionem incendio vaſtandam, verſabatur. Miſſos etiam ſuos inde ad Bulgarios, & Regem eorum Landomir, ad renovandam priſtinam pacem cum muneribus, menſe Septembri transmiſit; & ne coëmptio ſalis inde Moravanis daretur, expoſcit. Miſſi autem propter inſidias Zventibaldi Ducis, terreſtre iter non valentes*

lentes habere, de Regno Brazlavonis per fluvium Odagra (Dravum) *usque ad Gulpam, deìn per fluentes Save fluminis, navigio in Bulgariam perducti, ibi à Rege honorificè ſuſcepti, eâdem viâ, quâ venerant, cum muneribus menſe Majo reverſi ſunt.*

Eodem anno *Herbipolenſis Epiſcopus Arno*, â Poppone Thuringiæ Duce inſtigatus, *Bohemos* bello exagitandos ſuſcepit: ſed ùt temerario auſu, ita improſpero eventu. Nam nullâ re memorabili geſtâ, & nec *Bohemiam* intrare auſus, cùm domum per *Dalemintiam*, ſeu *Miſniam*, Thuringiam versùs, reverteretur, & *in pago Chutizi*, ùt refert Ditmarus, *ad Camenicium amnem, juxta plateam in parte ſeptentrionali, fixo ſuper unum collem pro ſe tentorio, Sacris operaretur, Miſſamque cantaret*, improviſo impetu *à Bohemis*, eorùmque fœderatis *Sorabis* ſupervenientibus circumventus, & oppreſſus unà cum ſuis mortem oppetijt, die 29. Junij. *Ubi hodie*, verba ſunt Ditmari, *ſæpe accenſa divinitùs videntur luminaria, & Sanctos Domini Martyres hos eſſe, nec Slavi dubitant. Poppo* inauſpicatæ expeditionis ſvaſor & author, juſſu *Arnulphi Imp.* in ordinem redactus, omníque dignitate privatus, meritas conſilij ſui improbi pœnas dedit.

Arno Epiſc. Herbip. occiditur.

Aventin. lib. 4. fol. 363. Ditmar. Epiſc. Merſeburg. Chron. l. 1. ad init. an. 892. Regino in Chron. lib. 2. an. eod. Chron. Mansfeld. cap. 112. Fabric. Brunner. VVeleslav. in Calend. hiſtor. ad d. 29. Junij.

Cæterùm in Moravia, pacato tantiſper Provincialium ſtatu, poſt diſceſſum hoſtium, ac ſolicitudine ſingulorum ſolutâ, *Svatoplucus* reſerari urbès juſſit, arcéſque undíque: militem verò, quem *ex Nobilibus*, & ijs, qui more Patriæ, ſuo ſumptu, militare tenebantur, obq́ue id â Regibus, certâ immunitate & agris donati erant, lectum habebat, onere militiæ per id tempus reſpirandi causâ exſolvit, ac in propria remiſit: itâ tamen, ut ſi qua repentè ingrueret hoſtium vis, illicò reſumptis armis, *Podivinum* congregarentur. Cæteros, quos ære conduxerat, per ſtationes & præſidia diſtribuit, ab ea potiſſimùm parte, quâ *Auſtriæ & Pannoniæ* attingebant fines, ut iſthinc incolentium fortunas ab excurſionibus hoſtium tutarentur.

Svatoplucus copias ad tempus dimittit.

Sequens porrò hyems, non niſi in novo belli apparatu conſumpta utrínque fuit, *Svatopluco* de ijs omnibus, quæ belli neceſſitates requirebant, ſeriò proſpiciente: qui etiam, ut eò validior in hoſtem prodiret, & injurias tot ſibi illatas egregiè ulciſceretur, nuncios ad vicinos *Slavonici nominis regulos*, petendorum auxiliorum causâ miſit; ſimul ac moneri juſſit, in præſenti rem quoque illorum agi, eò quòd compertum ſit, *Germanum Principem* non ad ejus duntaxat perniciem, ſed ad commune *Slavonicarum gentium*, imprimìs verò *Bohemorum, Soraborum & Polonòrum*, tendere excidium, ut ſe primùm oppreſſo, ſumptis velut inde victoriæ auſpicijs, ac ferociæ alimentis, cæteros quoque libertate & fortunis omnibus exuat. Quâ legatione movit pleróſq; *Bohemos* imprimìs & *Sorabos*, quos vicini belli contagio maximè terrebat; præſertim ubi etiam *Hungaros* bello huic conſociâſſe vires & arma, intellexiſſent: metuebant enim, ne ſi tot ac tantæ potentiæ hoſtes *Moravum* opprimant, eodem quoque calamitatis tenore ſuam & vicinorum fortunam trahant. Ideóque ſuopte inſtinctu, in ſpem communis libertatis in tuto locandæ, ſtabiliendǽque erecti, ac multis & varijs *Germanorum injurijs* miniſque pro-

Novi utrinq; belli apparatus.

Svatoplucus â vicinis Slavonici nominis Principibus auxilia ſolicitat:

Digitized by Google

ritati, occaſionem duntaxat & modos, quibus pro præſentis periculi neceſſitate, pernicioſis hujusmodi conſilijs, ad excutiendum tandem plenè ſervitutis jugum, obviam iri poſſet, quærebant. Quare ſecretioribus conſilijs mutuò habitis, *Poloni* imprimìs equeſtris militiæ promiſerunt auxilia, ſtatim ad veris initium mittenda; *Bohemi* verò & *Sorabi*, bellum *Thuringis & Saxonibus* inferendum, ad diſtrahendas Cæſaris vires ſtatuêre. Jámque *Martiæ* imminebant *Calendæ*, dum *Svatoplucus* dimiſſo filio *Mogemiro*, pluribúsque Optimatum ſuorum, per ſtativa militum, copias undique luſtrari juſſit: ipſemet etiàm nihilo ſegnior, ab alia parte peragrans urbes & caſtella, crebra edicta per univerſum Regnum decernere, non dies, non noctes ceſſare, donec ad expeditionem diſpoſuiſſet omnia.

& obtinet.

Svatopluci delectûs.

Interea ducum, qui *ad Danubium* ſtationem tenebant, nuncijs docetur & literis, *Francorum Bavarorúmque* exercitus, Cæſare præeunte, in Auſtriam veniſſe; jámque propè margines tendere fluminis, incertum, quânam parte erupturi eſſent. Quibus perceptis Rex, ut propiùs agens futuros poſſit antevenire hoſtium conatus, illicò hybernis egreſſus, & accito undique equitatu, peditúmque quo potiſſimùm valebat robore, unà aſſumpto, *VVelebradio* movit, ac Tegâ transcurſo, *Radislaviam* petijt, uberem commeatibus anteà prævifis & munitam: ubi parumper ſubſtitit, dum exploratores, aut perfugæ, motum caſtrorum hoſtilium indicarent. *Mogemirum* autem, ut limitem Orientalem, eâ diligentiâ, quâ antehac ſæpè, ab Hungarorum incurſione tueretur, cum valida armatorum manu proficiſci juſſit.

Cæſaris in Auſtriam cum exercitu adventus.

Mogemir Svatopluci filius Regni limitem contrà Hungaros curat.

Cùm deinde exploratorum relatione didiciſſet, Cæſarem ſubſtitiſſe *ad Mutaram*, tum quòd Danubius â liquefactis nivibus nimiùm exundans, commodo tranſitui officeret, & navigia pauca adhuc in promptu eſſent, tum quòd *Svevorum auxilia, & Hungarorum* duceret expectanda: *Svatoplucus* in rationes ducebatur ancipites, num arcere deberet hoſtem â tranſitu, an verò permittere transgredi, ſimularéque metum & fugam, ac demum opprimere incautum. Quod poſtremum dum approbâſſent alij quoque duces, conſilio non ſatìs provido, licèt ab eventu ſecundo, limitis cuſtodes monuit, ut ſimul atque multitudo tranſire cæpiſſet hoſtilis, ſimulato metu, referrent actutum pedem. Dúmque hujusmodi juſſa cuſtodiunt ſtationariæ cohortes, & hoſtium obſervant conatus, agens ipſe *Radislaviæ* curabat cætera. Ac non multo poſt, motis propiùs ad Danubium caſtris, diſponebat omnia: quâ parte, quóve modo, hoſtis, ubi expanſa inferret ſigna, aggrediendus eſſet: ſvadebátque dandam illi de induſtria primùm benè gerendi materiam, fovendámque aliquantùm audaciam ejus, ſanguine ſuorum, ut velut ineſcata felici ſemel ſucceſſu temeritas, faciliùs demum circumveniri & opprimi poſſit: & initio quidem, ſi offerret pugnæ copiam, eludenda eſſe ſummâ ratione ejus deſideria, carpendúsque paulatim, prout temporum ſvaderet & locorum habitus, usque dum in grave ac certum aliquod diſcrimen præcipitaretur.

Svatopluci de bello gerendo conſilia.

Cæſarem inſidijs circumvenire conſtituit.

Quæ dum aguntur ita providè, ſpeculatores accurrêre certiſſimi, Cæſarem claſſe navium jam comparatâ, tranſitum moliri; ac paulò poſt ſupervenêre

Cæſar Danubium trajicit.

nêre alij, jam curſu celeri trajeciſſe, adduxiſſéque magno numero *Hungaros*, (ſed hi *Carenthani* erant) eo haud dubiè animi propoſito, ut multitudine equitum ſtipatus, totam pervaderet priùs Moraviam, quàm auxilia *Polonorum Moravis* opitulatum accederent: aut ſi occaſio ferret, cum *Svatopluco*, de ſumma rerum, collatis viribus periclitaretur. Quo cognito *Svatoplucus*, etſi primùm ſtupore & metu, tumultúque ſuorum offunderetur; quippe famâ de multitudine hoſtium adventantium, omnia in majus vero extollente, timor quidam novus & inſvetus, plerorumque occupârat animos, usque adeò, ut & vana etiam quædam trepidis credere, & vereri ſvaderet: poſtmodùm tamen perpendens ea omnia, quæ jam ante pro ſalute Patriæ, per univerſam regionem diſpoſuerat prudentiſſimè, riſit hanc vanam ſuorum trepidationem. Nè tamen nimiâ hoſtis contemnendi licentiâ, militum ingenia ab ea belli cura laxaret averterétque; præcipuas centurias, & cohortes in concionem vocavit; & patenti in campo, ac vultu etiam ad ſerenitatis ſpeciem formato, cunctos oratione gravi eſt alloquutus: quâ omnium animos, in tantam fiduciam erexit, ac ſpe victoriæ accendit, ut poſt hæc nihil majore deſiderio, quàm hoſtis propiorem adventum, expectare viderentur. Omnes denique haſtas vibrantes, ac ſcuta concutientes irati, poſt multa, quæ benevolè reſpondiſſent, petebant ſe duci protinùs in hoſtem.

In caſtris Moravorum trepidatio.

Svatoplucus ſuorum animos ad fortiter agendum erigit.

Quâ alacritate cunctorum, Rex ad ea, quæ ad fallendum hoſtem diſpoſuerat, converſus, concione mox ſolutâ, *Svatoborium* probatæ fidei, maturíque conſilij ducem, cum lancearijs, & aliquot levioris armaturæ turmis, ad laceſſendum hoſtem procedere juſſit. Quem ipſemet deinde, cognito *Germanos* jam non niſi trium circiter millium paſſibus abeſſe, cum ſelectiore manu, alio tamen itinere, ſequutus eſt; *Letoslao* cum reliquis in colle quodam dumoſo, denſiſſimis referto arboribus, in inſidijs ſtare juſſo: cui id potiſſimùm dederat in mandatis, ne priùs proſiliret, quàm alios totis ſignis implicitos hoſti, hoſtémque ex conſtituto ad ipſum usque inſidiarum locum elicitum videret: tum obſervato tempore, â tergo vel latere exiliens, in hoſtes prorumperet, & quàm fortiſſimè rem gereret. Nec aliorſum, quàm præviderat *Svatoplucus*, prorupit eventus. Cùm enim ſequens dies penè tota conſumpta eſſet, in velitationibus, ceu pugnæ prælud ijs, quæ Moravis ut plurimùm accidebant cruentæ, permittente *Svatoborio* & *Rege*, Germani fiduciâ ſpei majoris animati, prælium poſcebant ardore multo. Non erat quidem Cæſari in animo, priùs dare pugnæ copiam, quàm captatâ loci & temporis commoditate tutâ, ſatis certum de victoria ſe exiſtimans, ubi provideret, ne vinceretur: hunc tamen totius exercitûs ardorem cernens, ac proſpiciens, ne inter hæc *Poloni* venirent, ipſe poſtea multitudine hoſtium circumventus, manus conſerere, iniquiori ſorte cogeretur; utendum tempore cenſuit, & prælium decrevit. Cúmque primo ſtatim congreſſu, *aciem Moravorum* ſimulato pavore nutantem, & jam fugam ipſam circumſpectantem loco moviſſet, atque hinc inde fervidiùs, carptímque inſultâſſet cedentium tergis, ad locum usque inſidiarum pervenit. Nec mora, *Rex* & *Svatobor* ſiſtentes greſſum, frontem

Moravi pugnæ avidi.

Svatoplucus ad fallendum hoſtem modum diſponit:

Germanos ad pugnam elicit:

fugam ſimulat:

atque

Digitized by Google

Cæſarem inſidijs excipit. atque ora in illum obvertunt, teláque & arma expediunt, *Letoslaus* etiam cum ſuis, ex inſidijs, maximo ſublato clamore erupit. Tum juſtiore partium dimicatione concurſum fuit; torvúmque canentibus claſſicis, adultis viribus certabatur, jam his, jam illis prævalentibus. Prælium atrox ac diuturnum, Tandem cùm *Carenthani equites*, viſo rectore ſuo proſtrato, dilabi, ac proculcando pedites, cuncta turbare cœpiſſent, *acies Germanorum* inclinari viſa eſt: quam tamen *Cæſar*, cum ſua legione, quam habebat inſtructiſſimam, usque adeò ſuſtinuit, ut inter hæc cæteri tam pedites, quàm equites, reduci in ordinem potuerint. Recruduit ergò pugna, certatúmque paribus momentis ad veſperum usque: nox tandem mutuis cædibus finem fecit. noctе ſuperveniente dirimitur.

Triduanæ induciæ. Triduum ſequens, inducijs pactis, corporibus occiſorum ſepeliendis indultum fuit: poſt cujus decurſum, cùm Germanorum animi eâ clade fracti langueſcerent, de pace agi utrinque cœpit, in quam ipſi etiam proceres Moravi, *Metudio ArchiEp.* ut plurimùm ſatagente, inclinabant, & Regem ab ulteriori proſecutione belli, multis rationibus dehortabantur. Verùm *Polonorum* turmis advenientibus, pacis tractatio omnis *à Svatopluco* abjecta eſt. De pace ineunda fruſtra agitur, Svatopluco viribus prævalente. Cujus animum tunc præter ſolitum ferocem, multùm quoque accendebant nuncij, *Mogemirum* brevì adfore cum altero exercitu, referentes. Hic etenim cùm nihil hoſtile moveri *ab Hungaris* videret, quòd per id tempus ipſimet domî, gravi diſſenſione laborarent; ne otio marceſceret miles, néve contemneretur inertiæ, aliquam duntaxat manum pro cuſtodia limitis, loco quo ſteterat, reliquit, ipſemet verò cum potiori parte exercitûs, & cum Ruſſis, qui paulò ante acceſſerant, remenſo *Moravâ*, patri opitulatum properavit. Mogemir relictâ copiarum parte, pro ſecuritate limitis, in Germanos movet. Jámque reflexo *ad Danubium* itinere, ut primò omnium claſſem, quâ trajecerat Imperator, opprimeret, poſtmodùm *Germanos* à tergo invaderet, feſtinabat: fortunáque propitiâ uſus, ac ſummâ celeritate adhibitâ, naves littori adhærentes oppreſſit penè citiùs, quàm ſtationarij de adventu ejus cognoviſſent. claſſem Danubianam ex improviſo opprimit, naves exurit. Quibus majori ex parte exuſtis, mox iterum adversùs caſtra hoſtium contendit, præmiſſis ad patrem nuncijs, qui eum de omnibus, ex quibus ulteriora conſilia caperet, edocerent. Actum de toto *Cæſaris* exercitu tum fuiſſet, nî aliqui *Moravorum*, quibus erat primæ ac honoratioris militiæ cura commiſſa, *Cæſarem* hæc per nuncios docuiſſent occultos, ut quidam exiſtimabant. Cæſarei exercitûs diſcrimen. Cæſar itáque ſuſcepto pro inſtantium rerum ratione conſilio, ne cum multiplici hoſte, aperto cum diſcrimine, ſibi pugnandum eſſet, noctu caſtra loco movit, tantâ feſtinatione, ut multa caſtrenſis ſupellex, & non contemnenda commeatûs & alimentorum copia, primo cuique occupanti relinqueretur, Et ut falleret hoſtem, ignes ſolito plures in caſtris excitari juſſit, relictis nonnullis ex calonibus & lixis, qui accenſos foverent, donec in tutiora ſeſe reciperet. Cæſar in tutiora, Bohemiam versùs, recedit.

Manè facto, procurſatores *Moravorum* retulêre ducibus, quieta ultra ſolitum eſſe omnia in hoſtium caſtris, neque ùt antea ſtationes videri ante portas: qui fraudem aliquam ſubeſſe interpretati, aliud exploratorum agmen miſerunt, quod accuratiùs obſervaret, ne eo ſilentio aliquid inſidiarum ab hoſte vaferrimo præſtructum lateret. Quibus referentibus hoſtem diſceſſiſſe, Moravi de Cæſaris diſceſſu ſeriùs cognoſcunt: con-

Digitized by Google

confeſtim ſigno per lituos dato, caſtra promoveri, primíque omnium *Poloni*, cum expeditioribus *Moravorum* cohortibus, hoſtem inſequi, ejúsque veſtigia obſervare juſſi ſunt. Cùm interea *Cæſar*, emenſo ad Bohemiæ usque confinia, ac deinde flexo ſiniſtrorſum itinere, nil haberet ampliùs, quod timeret: præſertim cùm neque Poloni eâ celeritate, quâ videri geſtiebant, inſequerentur cedentem, inſidias fortaſſe veriti. Primò poſt direptionem caſtrorum, cùm jam *Mogemir* præſens adeſſet, *Svatoplucus* cum tota exercitûs mole, ac citatis paſſibus, Cæſarem ſequutus eſt, exiſtimans illum alicubi inter ſepta ſylvarum conſtitiſſe. At ille quantâ potuit celeritate, ita ut pedites equitum juſtis paſſibus procedentiũ progreſſus æquare cogerentur, feſtinabat per vias fragoſas, inter montes & valles, ad Danubium usq;: ubi modicùm ad dandam militi ad reſpirandum quietem, ſubſtitit. Et quoniam paulò poſt exploratione certâ didicerat, procurſatores hoſtium non abeſſe procul, placuit ad refringendum aliquandiu eorum impetum, occupare vicina anguſtarum viarum clauſtra, peditibus ſagittarijs in ijs diſpoſitis; quorum virtute, opportunitatéque anguſtiarum, per diem penè totam, tam vaſtæ potentiæ hoſtis, ne progrederetur ultra, detentus eſt; exercitu inter hæc Cæſareo, navium beneficio, quæ *Laureaco* opportunè venerant, ad ulteriorem ripam tranſmiſſo: quem deinde reliqui, hærere diutiùs ijs in anguſtijs non auſi, noctu ſequuti ſunt. Die ſequenti *Moravi*, ſuperatis montium anfractibus & clauſtris, ad Danubium venerunt: ubi per ſiniſtrâ fluminis ripâ pandebantur impunè, *tractum illum à parte Aquilonari Danubio objectũ totum, usque ad Bohemorum confinia*, fœdè populantes.

Germanorum veſtigijs inſtant.

Cæſar ad Dabium cum ſuis incolumis pervenit:

Danubium trajicit.

Moravi ſiniſtram Danubij ripam, vicináque loca populantur.

Cæſar ut primùm *Laureacum* venit, *Leopoldum Marchionem Auſtriæ*, ad Hungaros, cum auro & muneribus miſit, qui placatis partium ducibus componeret inteſtinos motus, conjunctósque animis & armis *in Moravos* concitaret. Interea accurrebant nuncij frequentes, tum ex *Italia*, tum è vicina *Bavaria*; hi deploratum *Thuringiæ* ſtatum indicantes, *Sorabis* nullo prohibente, ad internecionem usque, vaſtantibus univerſa; illi à *Summo Pontifice, & Optimatibus Italiæ*, opem contra *Gvidonem Romani Imperij* æmulum implorantes. Nunciabatur quoque, *Bohemos Sorabis junctos, Saxoniam hoſtilibus infeſtare armis*. Hæc dum ſollicito Cæſar perpendit animo, *Marchio ab Hungaris revertitur*, referens peracta ad ſententiam cuncta: Hungaros ſublatâ omni controverſiâ, mutuò ſibi dediſſe dextras, & ne impoſterum daretur ulla ſeditionum aut ſimultatum materies, coaluiſſe advenas cum indigenis in unam gentem, brevì contra *Moravos* junctis viribus expeditionem ſuſcepturos, quâ præteritam dignè ulciſcerentur cladem. Quibus cognitis, Cæſar copias omnes bifariam diviſit, partem *in Auſtria* reliquit, partem *contra Bohemos & Sorabos* miſit: ipſe verò *Ratisbonam*, ac inde *Oetingam*, quò *Principibus Imperij, ad dies Pentecoſtes conventum indixerat*, reverſus eſt. De hac *Arnulphi expeditione in Moraviam*, & de ejus non ſat proſpero ſucceſſu, *Strabus* paucis ita habet: *arrepto itaque Rex itinere, iterum Regnum Zventibaldi Ducis ingreditur cum exercitu, maximâ parte illius regionis expoliatâ: tamen propter inſidias poſitas, magna cum difficultate itineris in Bojoariam, ad regiam curtem Oetingam, reverſus eſt.*

Cæſar Hungaros denuò contra Svatoplucum concitat.

Bohemi cum Sorabis per Thuringiam & Saxoniam graſſantur.

Hungari novam irruptionem in Moraviam parant.

Cæſar partem copiarum contra Bohemos ire jubet.

Strab. ad an. 893.

Aventin. lib. 4. fol. 364.

Luitprand. lib. 1. rer. in Europa geſt cap. 5.

Hepidan. in Annal. ad an. 893.

Calviſ. in Chronol. an. eod.

Spangenb. in Chron. Saxon. cap 112.

Hagecius Cu-rens. MS. Comen.

Digitized by Google

Sed & *Svatoplucus* habebat in comitatu Cæſaris non paucos ſibi addictos, qui eum de periculo ab Hungaris imminenti, edocuerunt tempeſtivè; quorum fidelem relationem ſpeculatores etiam, quos *à Mogemiro*, pro cuſtodia limitum relictos ſuprà meminimùs, idem afferentes comprobabant. Ergò poſt habitâ omni cunctatione, *Mogemir* cum ſuis & *Polonorum* turmis, præmittitur hoſtibus obviam: ſed priusquàm acceleráſſet ille, jam *Hungari*, cæſis aut diſſipatis limitum cuſtodibus, graſſabantur per latè patentes ad *Brzeslaoburgum* (nunc *Presburgum* ſeu *Poſonium*) campos, rapinis cædibus & incendijs cuncta permiſcentes. His porrò accedebant majores indiès ſociorum turmæ, ſpe prædarum in omne facinus accenſæ: quas hinc inde palantes *Mogemir*, trajecto *Moravâ*, affecerat quidem primò clade haud mediocri; non multò poſt tamen ab ipſis in unum conglobatis, longè graviori, & quâ Regnum univerſum in extremum diſcrimen præcipitâſſe meritò cenſeri poſſit, exceptus eſt. Cùm enim Hungari in unum conferti, gradu incederent leni, præter morem, peterentque *oppidum Modram*, incertum quo errore, procurſatoribus omnem illam multitudinis colluviem, quam viderant, in numero decem circiter millium eſſe firmantibus, *Mogemir*, præcoci nimis auſu, ijsdem ſine mora occurrere decrevit; immemor mandatorum Patris, qui id potiſſimùm ei pro lege ſtatuerat, ne temerè ſemet committeret diſcrimini, néve cum equeſtribus copijs, ſine robore peditum, pugnam cum ea barbarorum incondita multitudine iniret, ſed ſe & peditatum præſtolaretur pauliſper, periculi participem. Vicit tamen funeſta juvenis deſtinatio, & adulabilis quorundam ſententia comitum, qui ne fortaſſe victoriæ, quam ſibi inani ac præpoſterâ ſpe promittebant, conſors fieret Pater, properari curſu celeri ſvadebant.

Hungarorum in Moraviam irruptio.

à Mogemiro nonnihil reprimuntur.

Mogemir fortunam prælio tentare conſtituit:

diſſvadentibus licèt alijs.

Concurſu itáque facto, prælium ferocibus utrinque animis initum eſt, certatúmque diù acerrimè, modò huc, modò illuc victoriâ inclinante. Ante omnes *Mogemir*, ùt erat juvenis rei gerendæ cupidus, manúque promptus, nullum ſanè aut optimi ducis, aut fortiſſimi militis officium prætermiſit; ſuísque ab omni parte intentus, maximè ubi laborabatur, maturam opem ferre contendebat, *accurrendo*, *hortando*, *urgendo*, dextrâ etiam fortiſſima facinora edendo. Verùm multitudine *Hungarorum* prævalente, trudentéque pondere plebis immenſæ, *acies Moravorum* tandem nutare cœpit, donec & ſuccubuit. Ergò ſolutis ordinibus, paſſim, quà cuique proximum videbatur, diffunduntur univerſi: dúmque ſe quisque expedire diſcrimine magno conatur, aliqui ſparſim disjecti, hoſti celeriter inſequenti miſcentur: alij, dum urgente fato, ac victore â tergo inſtante, alter alterum præcurrere feſtinat, ſe ipſos urgent atque urgentur: quidam mox principio aciei inclinatæ, adeóque maturiùs, quàm opportebat, effuſi in fugam, petiêre per notos calles, proximos *Albi Montis* receſſus. *Mogemir* ipſe, ex fulgore veſtis & armorum, ab hoſte agnitus, pugnatorûmque mole circumdatus, cum nonnullis, quos circa ſe habebat, tantiſper adhuc vim hoſtium ſuſtinuit; ultimò tamen videns & ſibi extremum imminere diſcrimen, ut ſe fortunæ ſervaret meliori, viâ ferro factâ, & equi pernicitate adjutus, in tutum evaſit.

Prælium conferitur.

Moravi fuſi fugatique.

Mogemir fortiſſimè reſiſtit:

fuga ſibi conſulit.

Jam

Digitized by Google

Jam *Svatoplucus* cum reliquo robore exercitûs *Hodoninam* pervenerat, dum infelix & lugubris adverſæ pugnæ exitus ad eum defertur; ex quo non parum animo conſternatus, contineri non potuit, quin temeritatem filij, palam damnaret, graviſſiméque deteſtaretur. Non deſpondit tamen animum, ſed celeriter cuncta, quæ expoſcebat neceſſitas præſens & urgens, ita diſpoſuit, ut pro tunc *Hungaris* limes victoriæ *Morava* eſſet; quibus alioquin, adeptâ hac victoriâ, & omnia per *Moraviam* metu ſummo præoccupante, latè omnia aperta, & nihil invium, aut ſuperatu arduum fore videbatur. Proceſſu igitur eorum audaciæ fracto, cùm viderent per adverſi littoris flexus præſidia locari, munitionéſque extrui denſas, neque poſſe niſi multo ſanguine tranſitum tentare, exinde digreſſi ſunt effuſoriè per totum illum ultra flumen tractum, quem peragravêre hoſtiliter, vaſtis cladibus quicquid inveniri potuit, deſcœdantes.

Svatoplucus filij in conſerendo prælio temeritatem deteſtatur:

Hungaros à tranſitu Moravæ prohibet.

Per id tempus *Auſtriaci* quoque minimè feriandum rati, *in Moraviam* irruerunt: cæſóque præſidio pro tutela limitis ab ea parte relicto, *ad Radislaviam* usque penetrârunt, omnia flammâ ac ferro populantes. Quo cognito Rex, in varia, ſi aliàs unquam, ſcindebatur, anxiâ cogitatione, quid moliretur, hærens. *Svatoborium* tandem cum expeditiore manu *contra Auſtriacos* ire juſſit; ipſe verò cum reliquis, ulterioribus *Hungarorum* conatibus invigilando, ſtationem *ad Moravam* continuandam ſuſcepit. Dedit præterea municipiorum præfectis in mandatis, ut urbes & caſtella omnia, tum commeatu, tum alijs neceſſarijs rebus firmarent; ut, ſi ſors iniqua ferret, campóque cedendum eſſet, haberet & miles, & agreſtis turba, quò ſe in tam præcipiti periculo reciperet. In primis verò, ut *VVelebradium, Bruna, Podivinum, Radislavia, Gemnicium urbes*, quæ præcipuæ erant, & à quibus totius Regni ſalus dependebat, communirentur, accuratam operam dabat: quaſi præſcius tantæ hoſtium multitudini vi ſummâ ingruenti cedere tandem, fore neceſſe.

Auſtriaci in Moraviam irrumpunt:

contra quos Svatoplucus Svatoborium cum parte exercitûs ire jubet:

Urbes per Regnum, ad capiendum, ſi neceſſarius foret, in eas receptū, commeatu, alijsque neceſſarijs communiri curat.

Neque ſecùs accidit: nam cùm *Hungari*, reperto per exploratores vado, in adverſam trajeciſſent ripam, præſidio, quod arcebat à tranſitu, ad internecionem oppreſſo; *Moravi*, qui non procul inde caſtris aberant, repentinâ ejusmodi hoſtium irruptione vehementer perculſi, &, nec fugam capeſſere, cùm eſſent in contuitu, qui ſectarentur, nec congredi cum hoſte equitatu & numero prævalente, metu indubitatæ mortis, cautum exiſtimantes, conſilij penè inopes erant. Poſtea tamen neceſſitate in virtutem versâ, conſerere cum hoſte manus, ſupremóq; conatu edito, fortunæ periculū facere non ampliùs dubitârunt. Nec mora, acie, eâ quâ licuit celeritate in ea temporis anguſtia, ordinatâ, *Hungaros* irrumpentes excipiunt. Sed impares viribus, tum quia hoſtes commoditate ſecuri tranſitûs, per vada fluminis, novi & recentes turmatim concurrebant, vix æquo Marte primum ſuſtinuêre congreſſum, illicò ordinibus turbatis, terga vertere, hoſtíque ſummâ vi ingruenti cedere cogebantur. Quanquàm verò accurrens *Svatoplucus*, ſuos fugæ jam magìs quàm pugnæ intentos, nunc precando, nunc objurgando aliquandiu continuerit, ut omiſſam pugnam reſtituiſſe exiſtimaretur: poſtremò tamen videns aciem jam penitùs

Hungari Moravam vado ſuperant:

Moravos reſiſtentes profligant, & in fugam vertunt.

Digitized by Google

nitùs disjectam diſſipatámque, & occiſos promptiſſimos, non ampliùs malignanti fortunæ reluctari voluit, ſed amiſſo exercitu, ut vitam ſervaret, concitato equo, ac celeri quo poterat curſu, *VVelebradium* ſe proripuit: omniſque exercitus, omnésque ordines permixtim confuſi, & palantes hinc inde per latè patentes campos, alij *Hodoninam*, alij *Huſtopecium*, alij *Podivinum* versùs, alij ad viciniora caſtella, prout cuique ſors dederat, in fugam converſi ſunt. Conſtabat tamen vix tertiam evaſiſſe *Moravorum* partem, reliquis omnibus miſerabili fato, aut cæſis, aut captis. Quæ demum fuerit objectæ tot hoſtibus Moraviæ facies, vix cogitatione, nè dum verbis quisquam aſſequi poteſt. Eâ enim victoriâ potiti *Hungari*, effuderunt ſeſe quaquaversùm, agminibus plenis, miſcentes cuncta populationibus & incendijs, ferro quoque in miſeros agreſtes, quos deprehendere poterant, absque ullo diſcrimine ſexûs crudeliter ſævientes, *Svatopluco* & proceribus Regni fruſtra ex urbibus & caſtellis, Patriam flammâ ac ferro pereuntem, proſpectantibus.

Rex VVelebradium ſe recipit.

Hungari immani crudelitate per Moraviam graſſantur.

Parem calamitatem tulit etiam meridionalis Regni plaga, *Svatoborio* ab Auſtriàcis profligato, & *Radislaviæ*, quo ſe ex fuga cum reliquijs exercitûs receperat, gravi obſidione preſſo; ut in tam miſerando rerũ ſtatu, nil aliud expectandum videretur, quàm *proximum Regni excidium & ruina*. At miſericordiæ plenus DEUS, qui humiliat & ſublevat, percutit & ſanat, cùm in hunc modum auguſtiaretur *Svatoplucus*, extremis penè quaſſatus, nè dicam obrutus, malis; neque eſſet ad propulſandam tam immanem hoſtium vim, præſens remedium ullum, potenti dextrâ virtutis ſuæ, paulò poſt ſuccurrit afflicto, *concitatis adversùs Hungaros Bulgaris*. Hi námque, ſive ut præteritas ulciſcerentur ab Hungaris illatas clades, non ita pridem â *Leone Philoſopho Imp.* Conſt. contra *Simeonem Bulgarorum Regem* in ſocietatem armorum adſcitis; ſive ut *Svatoplucum*, cum quo idem *Rex Simeon* ſui mox initio regiminis pepigerat amicitiæ fœdus, tot malis implicitum eximerent, *Hungaros* novo bello exagitandos ſuſceperunt; cæsîsque qui *ad Savum* pro cuſtodia limitis ſtabant, provinciam, nemine deinceps reſiſtente, ingreſſi ſunt, prædas hominum & pecudum, quorum tum habebatur per Hungariam copia ingens, agendo licenter. Id igitur ubi latiùs fama vulgâſſet, *perveniſſetque nuncijs certis in Moraviam ad Hungaros*, qui tum *VVelebradium obſidione premebant*, eam vel cum diſcriminibus exciſuri poſtremis; tum ut fortunæ principalis inſignia, *theſaurósque Svatopluci*, quos illic, ceu *in ſede Regiâ* conditos haud ignorabant, occuparent; tum ut ſublato capite cæterarum urbium, ipsóque Rege, ac nobiliore optimatum cœtu, Regnum totum eò citiùs ſuam in poteſtatem redigerent; perculſi eâ rei novitate, illicò tumultu cuncta inter ſe miſcere, obſidionem ſolvere, & ad tuenda propria, itineribus feſtinis, properare cœperunt. Dúmque in varia diſperſi agmina, ſpoliíſque onuſti revertuntur, *Mogemir*, quem ſuprà diximus, ê medio infelicis pugnæ evaſiſſe incolumem, recollectis *intra Carpathi juga*, tam ê ſuis, quàm ê *Polonis & Ruſſis* haud contemnendis copijs, fortè fortunâ in unum eorum agmen, dum in valle quadam opaca ad amnem ſecurùm conſediſſet, equis & corporibus curandis

Miſerandus Moraviæ Status.

Bulgari invadunt Hungariam. *Cedren. in Annal. Græcu an. 889.*

Hungari ab obſidione VVelehradi domum revocantur.

Mogemir recuperato exercitu, Hungarorũ agmen unum ex improviſo adoritur, & internecione delet.

Digitized by Google

randis intentum incidit; totúmque oppreſſit; ita ut nemo ex eo numero, qui vel cladis nuncium ad ſuos referret, ſuperfuerit.

Svatoplucus pacis conſilia arripit, Legatos ad Marchionem Auſtriæ Radislaviam tum obſidione prementem,

Poſt diſceſſum Hungarorum *Svatoplucus*, belli improſperè geſti pertæſus, animum omnêque ſtudium ad conſilia pacis, ſi quo modo Cæſari reconciliari poſſet, convertit. Miſſo itáque *Archi-Epiſcopo ad Leopoldum Marchionem*, qui obſidioni *Radislaviæ* nihilo remiſſiùs incumbebat, nunciari curat: ſibi nihil magis in votis eſſe, quàm ut præſenti bello, quiete & pace ſuperinductâ, exoptatus finis imponatur. Se igitur eum etiam atque etiam petere & hortari, ut tam pio ſalubrique officio, quo & *Deus Opt. Max.* placari queat, & miſera agricolarum plebs, quæ jam tot belli incommoda ſuſtinuit, aliquando ſublevetur, diligenter & ſyncero animo in id incumbere, ſuúmque ſtudium apud Cæſarem interponere velit; quo tandem pax & amicitia, æquis & honeſtis conditionibus, redintegretur. Dederat etiam *Archi-Epiſcopo* poteſtatem, ut ſi Germanos â pace haud alienos animadverteret, inducias paciſceretur, donec de conditionibus, certo loco ac tempore, utrinque colloquium inſtitueretur. Quem cùm Marchio direxiſſet ad Cæſarem, nil interea ab oppugnatione remittens, priusquàm ſibi de voluntate Cæſaris liquidò conſtaret, accidit, ut urbs illa militibus quàm plurimis ſublatis, ſubſidiique ſpe nullâ affulgente, in certas tandem leges, deditionem facere compelleretur.

& ad Cæſarem mittit.

Inter hæc *Archi-Epiſcopus*, tum precibus ſuis, tum aliorum Principum ſuffragijs, Cæſarem urgere non deſtitit, donec & ipſius animum ad pacem flexit; cujus ubi tractatio fieri cœpiſſet, mox ad Marchionem nuncij miſſi, juſſúmque ut ab armis abſtineretur. Non multò poſt *pax concluſa eſt:* Svatopluco ingloria quidem, ſed neceſſitate excuſata; qui ad omnia penè, quæ Cæſar, pro lubitu imponens leges ſtatuiſſet, abſque omni tergiverſatione condeſcendere, *partem Regni Danubio viciniorem illi cedere; tributo, cujus antea immunis erat, impoſterum pendendo ſeſe obſtringere; inſuper filium Svatobogium obſidatûs pignore, ut obſequuturus conditionibus impoſitis, tradere cogebatur.*

Pax tractatur concluditur duris licèt Svatopluco conditionibus.

Firmatâ tabulis pace, & tranquillitate publicâ in eum modum procuratâ, reſpiravit aliquantùm *Moravia*, abingentium pondere calamitatum, quo vix non oppreſſa fuit tota. *Svatoplucus* tamen non diu eâ fruitus eſt: nam anno ſequenti, ſeu morbis & ſenio confectus, ſeu dolore belli malè infeliciterque geſti, uti & ignominioſæ pacis tædio, migravit ê vivis. Quem etſi nonnulli Scriptores in prælio adverſùs Hungaros; alij verò in eremum ſeceſſiſſe velint: nobis tamen hac in re plus fidei facit, *Rhegino Abbas Cœnobij Prumienſis Ordin. S. Bened.* vir, ùt inquit *Trithemius*, tum in divinis ſcripturis, tum in ſecularibus literis eruditiſſimus, & ſuo tempore, inter Doctores Germaniæ & Galliæ, facilè Princeps, ac ævi illius æqualis; qui *de rebus Francorum cum eodem Svatopluco Rege geſtis* ſcripſit. Hic igitur lib. 2. Chronicorum, ad annum 894. ita narrat: *circa hæc tempora Zundibolch Rex Marabenſium Slavorum, vir inter ſuos prudentiſſimus, & ingenio callidiſſimus, diem clauſit extremum.* Addit poſtea: *cujus Regnum filij ejus* (nempe Svatobogius & Mogemirus) *pauco tempore infeliciter tenuerunt, Hungaris omnia usque ad ſolum depopulantibus.*

Strub cit. Sigebert. ad an. 893. Naucler. Volum. 2. part. 1. generat. 31. Mutius lib. 8. Chronic. German.

Svatopluci obitus, anno 894. *juxta Rheginon. Chronicor. l.2.*

Rhegino & Aventin. Annal. Bojor. lib. 4.

Idem Aventinus memorat: *Svatoplucus ſerò tandem intellexit, quas vires laceſſerit; coactus denique tot tantisque malis, pacem ſupplex petijt: filium Moymarum* (juxta alios Svatobogum) *ultro dat obſidem, agrèque pacem ab Arnulpho impetrat. Ipſe in paucis poſt diebus, triſtitiâ ægritudinéque animi, mortem oppetijt.*

Sed neque Germanis, ipſique Francorum Imperio, illa cum Hungaris tum adhuc paganis, *in Moravorum Chriſtianorum* perniciem, inita armorum ſocietas impunè ceſſit, *vindice juſto Deo;* cui quàm odibiles ſint ejusmodi ſocietates, ac fœdera & amicitiæ cum infidelibus aliíſque Dei hoſtibus, adverti poteſt, tum ex illa increpatione Divini Vatis, ad Regem Joſaphat: *impio præbes auxilium, & his qui oderunt Dominum, amicitiâ jungeris?* tum ex multis divinæ ſeveritatis exemplis, quibus, ùt Hiſtoriæ ſacræ & prophanæ docent, fœdera hujusmodi fuerunt acerrimè vindicata. Tale etiam hìc accidit; nam brevi poſt *Hungari*, in Germaniam effuſi agminibus denſis, non ſolùm *Auſtriam & Bavariam*, vicináſque provincias, ſed *Saxoniam quoque, Thuringiam, Franconiam, Sveviam & Italiam* infeſtis percurrerunt armis, longè latéque incendijs, direptionibus ac cædibus omnia pervaſtantes. Quorum immanitas eò usque potentiâ crevit, ut *in Galliam* quoque horribili graſſatione penetrarent; *Romano* tandem etiam *Imperio, Conradi primi tempore,* ſub jugum miſſo, quod ultimò non niſi tributo annuatim pendendo pacem redimere potuit. Sed hæc funera infra explicari poterunt carptim, cùm ad ea pervenerimus.

Evocati Hungari contra Moravos, peſſimo conſilio, eo quòd genti feroci, & aſſvetæ rapinis via monſtrata eſt, ad futuras Germaniæ & Italiæ calamitates.

Paralip. c. 19.

Sic juſtiſſimâ patiendi vice, *ferociſſimam gentem, quam exciverant Germani Moravorum malo, paulò poſt excepêre ſuo;* ut in illis verificatum fuiſſe conſtet illud: *conſilium malum, conſultori peſſimum.* Unde Luitprandus Diaconus Ticinenſis, ac poſtea Epiſcopus Cremonenſis, hoc Arnolphi conſilium meritò deteſtatur: *O cæcam,* inquit, *Arnolphi regnandi cupiditatem! ô infelicem amarúmque diem! unius homuncionis dejectio, nempe Zvventebaldi, quem adverſarium patiebatur, fit totius Europæ contritio. Quot mulieribus viduitates, patribus orbitates, virginibus corruptiones, Sacerdotibus populísque Dei captivitates, Eccleſijs deſolationes, terris inhabitatis ſolitudines, cæca ambitio paras?* &c. Ita ille, cujus ætas tempori illi proxima erat, *crudelitatem Hungarorum,* Italiam penè omnem graſſatione horribili percurrentium, circa annum 936. abundè expertus.

Luitprand. l. 2. rer. in Europa geſt. cap. 15.

Et, ut breviter adhuc de ejusmodi fœderibus hìc attingam, ſciri debet: ſocietates & *fœdera eſſe quidem, tum Regibus & Principibus, tum Rebuspublicis & Communitatibus licita ex ſe, atque utilia:* cùm in eo ſita videatur ſocietatum ac fœderum ratio, ut fœderati & ſocij, communi illâ animorum armorúmque conteſſeratione, tum ad propulſandas ab eorum quolibet injurias, tum ad inferendum, cui vellent, juſtum bellum, potentiores & ſecuriores evadant. Verùm non ſemper & confusè, neque promiſcuè ſocietates & fœdera, aut utilia, aut licita eſſe concedunt ſanioris notæ Politici; præſertim ſi cum infidelibus, ſi & cum potentioribus ineantur. Nam, qui ſe potentiori aſſociat, libertatem ſuam â ſe abdicat, & ſe pluribus moleſtijs, periculiſque obnoxium reddit,

Fœdera & ſocietates non ſemper, & cum quocunque, ſunt licita aut proficua.

Digitized by Google

reddit, quàm ſi ſolus ſua agat: conſtátque exemplis non paucis, quòd potentiores invitati ab imbecillioribus ad belli ſocietatem, tandem ipſos oppreſſerint: ita *Philippus Macedo fecit Thebanis, Angli Saxones Britannis, Gothi Italis, Saraceni Hiſpanis, Sarmatæ & Slavi Marcomanis, Turcæ Græcis, ac poſtea etiam Hungaris.* Hinc Sapientis monitum: *ditioni* (ſeu potentiori) *te, ne ſocius fueris.* Sæpè etiam, *qui ſe arctiùs fœderibus implicant, coguntur ſequi alienos furores:* & plerúmque, *qui religioſiſſimè ea colunt, maximè decipiuntur, & jacturam faciunt graviſſimam.* Verúmque illud Lyſandri: *pueros aſtralogis ludere; Reges & Principes juramentis & fœderibus.* Qui verò ſe cum infideli ſociat, odibilem ſe Deo, ùt ſuprà oſtenſum eſt, reddit; maximè dum eam ſocietatem in perniciem fidelium vertit. Qua in re ſugillatur haud mediocriter quidam Chriſtiani nominis Princeps, ob fœdus olim cum Turcis initum, adverſùs *Carolum Cæſarem, & fratrem ejus Ferdinandum Hungariæ & Bohemiæ Regem:* in quorum ditiones excierat terrâ maríque *Turcarum exercitus*, Chriſtianorum multitudine ingenti â barbaris partim cæsâ, partim in diram ſervitutem abductâ. Verùm, unde huc declinavimus, revertamur.

Eccleſiaſt. c. 13.

Chriſtianorum Principum cum confœderatis Turcis deteſtanda.

Paul. Jovius lib. 45. Hiſt. Nic. Iſthvanſi de reb. Hung. lib. 11. & 15.

CAPUT VII.

Res in Moravia geſtæ ſub Svatobogio Rege; & bella, ac Regni Moravici finis.

SVatopluco mortuo, excitata fuit inter proceres Moraviæ de *Regis electione* concertatio gravis, nonnullis *ad Mogemirum*, filium defuncti Regis primogenitum, ſed *ante legitimas*, ùt dixi, *nuptias natum*, ob ejus eximias animi & corporis dotes, inclinantibus: alijs verò cum Archi-Epiſcopo, *pro Svatobogio*, utpote *hærede legitimis natalibus orto*, ſtantibus. Quamvis enim *Moravia* nequaquam eſſet *Regnum hæreditarium*, & Reges quotquot ad illud usque ævum Moravis cum imperio præfuerunt, non hæreditarij juris cujusquam neceſſitate vel prærogativâ, verùm *electionis gentis liberæ, conſvetudine apud omnes Slavici nominis populos uſitatâ*, illud faſtigium conſcenderunt; adeóque *Reges Moravis non naſcebantur, ſed liberis liberi populi ſuffragijs legebantur:* ut plurimùm tamen alter alteri, ex eodem genere, in faſcibus Regni apprehendendis, conſentientibus, ex innato erga regiam prolem vel agnatos affectu & ſtudio, Moravis, ſuccedebant.

Diſſidia Moravorum in eligendo Rege.

MS. Comen. de antiqu. Morav. part. 1.

Moravorum in eligendo Rege libertas.

Stransky Reip. Boh. c. 5. §. 24. Helmold. Cromer. Miechov.

Illis porrò, qui *Mogemirum* reſpiciebant, videbatur ratio juſta conſilij; aſſerebant enim, eum eſſe in præſens Regni ſtatum, qui maturi judicij Regem, ac talem qui *ferociſſimæ Hungarorum genti* opponi poſſit, requirat: in *Svatobogio* admodùm juvene (nec dum enim annum ætatis duodecimum expleverat) nullam publicæ rei ſpem tutò collocari poſſe. Contra alij, nullatenùs id permitti poſſe, ut potior in Regno habeatur *filius ancillæ*, *præ filio liberæ*, notam eo modo

Aliqui in Mogemirum;

alij in Svatobogum inclinant;

modo inuri indelebilem Regno & genti; ideóq; *Svatobogium* omnibus, tum *Mogemiro* fratri, anteferri opportere. Cæterùm ſi is non dum Regno admi- niſtrando, propter ætatem, idoneus videatur, Optimatum interea præcipuis, quorum probitas præ reliquis comperta eſſet, ejus adminiſtratio committe- retur, donec ætas Regis, firmando imperio redderetur maturior. Addebant, Cæſarem nequaquam id laturum, ut ſororius ſuus per ſummam injuriam Re- gno amoveatur. Idem aſſerebat *Leopoldus Marchio*: qui auditis *Moravorum de novo Rege optando*, controverſijs, *VVelebradium* venit, ut in commune conſuleret, quod facto expediret.

& hi prævalent.

Leopoldus Marchio Auſtriæ,

Hæc per æſtatem agebantur *in Moravia*, diverſis partium animis. Porrò autumno appropinquante, nuncij ex Bavaria veniunt, *Cæſarem ab expeditione Italica*, quam initio anni in *Longobardiam* ſuſceperat, re- dijſſe, & *Vormatiæ* ſubſtitiſſe indicantes. Quos brevì exceperunt alij: *Cæſarem in Bavariam rectà tendere*, ac inde moturum quantocyùs *in Moraviam*, cum *Svatobogio*, qui pignoris loco â patre datus *Oetingæ* ſervabatur, ut eum patrio inauguraret Regno. Quod cùm intellexiſſet *pars in Mogemirum pronior*, ex- templò ſententiam mutare, partíque adverſæ, quam prævalituram haud va- nè ſuſpicabatur, ſeſe accommodare cœpit. Sed neque *Mogemir* invidiâ, vel cupiditate regnandi ullâ laboráſſe viſus eſt, ut inſimulari ambitûs, ejúſque lege damnari poſſet: tametſi juvenis formâ, celſitudine corporis, maximóque ingenio inſtructiſſimus, & ob id imperio digniſſimus; ſive quòd ipſum quo- que natalium puderet, & idcirco *Regij culminis* ſemet minùs dignum exiſti- maret; ſive quòd potentiam Cæſaris vereretur, nollétque *Patriam*, poſt tot ærumnas & calamitates antea perpeſſas, novis iterum involvere periculis; *Pa- tria, quàm ſuimet amantior*. Toto igitur interregni tempore, quietè ſe con- tinuit, Statuum Regni arbitrio, cuncta concedens. Illud tamen nec diſſimu- lare potuit, nec ſilere: ſperare ſe in Regno Patris, aliquam ſaltèm regionis par- tem obtenturum, ne penitùs extorris videatur. Nec multò poſt Cæſar, aſſum- pto *Svatobogio*, & nobiliore parte exercitûs, *Mutaram* (oppidum in dextra Danubij ripa ſitum) appulit: ubi paucorum dierum quiete captâ, cùm perce- piſſet *in Moravia*, causâ novi Regis, pacata eſſe omnia, eò proficiſci maturavit.

& Arnolphus Imp. pro Svatobogio. *Rhegino ad an. 894. Marian. Scot. lib. 3 Chron. an. eod.*

Mogemiri modeſtia.

Arnulphi adventus in Auſtriam,

Ingredienti Regnum, *Mogemir* cum ſatìs magna procerum & Nobilium manu, qui ſtudio videndi & ſalutandi *Svatobogij novi Regis*, militarem in modum armis ſcutisque protecti, certatim confluxerant, obviam proceſſit. *VVelebradium* ubi ventum, *Archi-Epiſcopus* in atrio Templi publico tam Cle- ri, quàm populi nomine, Cæſaris adventum gratulatus, eum, ut *Svatobogium*, populo & ordinibus univerſis id unicè efflagitantibus reſtituere, ínque ſedem Patris collocare velit, petijt. Dies poſtea ſequentes, qui erant *Natali Dominico ſacrati*, poſt Divina peracta, epulis per urbem, aliiſque feſtivitatibus hilarem in modum ſunt transacti; præſertim *â Nobilitate Teutonica* varij generis ludi, ac diverſa ſpectacula, equitúmque concurſus, & alia lætitiæ hilaritatíſque ſi- gna, ſtupentibus ad ea *Moravis*, qui ſimilia nunquam viderant, edita fuêre. De Regis novi inauguratione, quo ritu, quáve pompâ peracta ſit, non con-

inde in Moraviam cum Svatobogio Regni Candidato.

Ludi & concurſus equeſtres.

Regis Svatobogij inauguratio.

ſtat:

Digitized by Google

ſtat: probabile tamen eſt, illum ſolito aliorum Chriſtianorum Regum more unctum & coronatum. Adfuêre ei ſolemnitati etiam *legati Hungarorum* â Cæſare vocati, cum quibus Cæſar renovavit fœdus, quo *Moraviæ quoque Regnum* incluſum voluit: ſicque ordinatis omnibus, quæ ê Republ. cenſebantur, & *Mogemiro*, quò quietiùs ſe contineret, *parte Regni ad Vagum* conceſsâ, ipſo verò *Rege Svatobogio & Regno, Archi-Epiſcopi & Procerum curæ commiſſo*, in Auſtriam, ac inde in Alemaniam revertit.

Mogemiro pars Regni in ditionem datur.

Metudius Archi Ep. Regni Adminiſtrator.

Aventin. fol. 364.

Abhinc pax in Moravia per biennium ſtetit; donec rurſum anno 897. exortâ inter proceres, de adminiſtratione Regni diſſenſione gravi, nova inteſtinarum ſeditionum erupit tempeſtas: quam potentiores nonnulli opibus & clientelis ſubnixi, magnâ virium contentione, ad ſummam obtrectationem partium Regiarum, reique publicæ perniciem concitaverant. Quos inter primi ac potiores fuêre, qui antea *factionem Mogemiri* per fas nefàsque alendam ſuſceperant, & qui partium ejusmodi ſtudijs inveterati, planéque obſtinati, nullis benignitatis obſequijs â Regijs placari, ínque ſaniora conſilia adduci potuêre. Cùm itáque viderent agi cuncta in Regno, *Archi-Epiſcopi* duntaxat arbitrio, & quorundam paucorum, quibus commiſſa erat â Cæſare juvenis Regis educatio; *tametſi omnia, magna cum Reipublicæ tranquillitate, bonique publici emolumento agerentur.* Virtuti tamen illorum ac prærogativæ, iſti maligno livore pleni, in occulto invidere, & dicta factáque omnia, perpetuâ obtrectatione ſugillare non ceſſabant; ultimò etiam viam, quâ ipſos loco movere, & poteſtate abrogatâ in ordinem redigere poſſent, ſollicitè circumſpicientes. Poſtquàm igitur multa in eam rem in cætibus privatis agitâſſent, palàm deinde in circulis, traductâ in partes Nobilitatis, ac popularium hominum voluntate, in præſens regimen invehi, illúdque verbis acerrimis proſcindere, ſumméque deteſtari cœperunt, indignum aſſerentes: *ut diutiùs tolerent unius Sacerdotis imperium, & eorum qui avaritiâ potiùs & habendi libidine, quàm zelo boni communis procurandi Rempub. adminiſtrarent, ac Regis juvenili ætate abuſi, Regnum prædæ loco haberent: deferendam potiùs rei ſummam atque imperij poteſtatem, ad ipſum Regem; aut ſi non dum tanto regimini par ſit, ad Mogemirum Principem uſu rerum, experientiâ, judicio, ſolerti ingenio, aliisque regijs virtutibus vigentem, munere illo utique digniſſimum.*

Mogemiriana factio reſuſcitatur,

ſumpto contra Adminiſtratorem Regni, aliósque Regios Curatores principio,

Boni publici obtentu.

Qui domeſtici motus exarſiſſent brevì in civile bellum: jam enim & Rex ipſe, juvenili quâdam cupidine, ad capeſſendum regimen ferebatur; qui cognitâ procerum diſſenſione, non ampliùs *Archi-Epiſcopum* audire, non monitis ejus parere, ſed pro libitu omnia agere cœpit. Verùm, cùm ita odia ingraveſcerent, & diſſidia procerum magis ac magis augerentur, *Archi-Epiſcopus*, & tutelâ Regis, & gubernatione Regni ceſſit ſpontè; alij verò ab æmulorum machinationibus non ſatis domi tuti, abiverunt in Auſtriam, Cæſaris reditum ex Italia, quo ſecundò diſceſſerat, præſtolaturi. Cæſare deîn reverſo, & *Natalem Domini*, Oetingæ celebrante, concurrerunt ad eum utrique: hi, ut de contumelia, & vi ab adverſarijs ſibi illata Cæſarem edocerent: illi, ut expoſitis Regni gravaminibus, facti ſui rationem redderent, Regíque eſſe traditam,

ArchiEpiſcopus Regni adminiſtratione ſpontè cedit:

Alij ad Cæſarem appellant.

tam, publico tam Optimatum, quàm totius populi aſſenſu, imperij poteſtatem abſolutam, teſtarentur.

Strab. ad an. 897.
Cæſar Moravos componit:

Strabus aliquid de eo inſinuat paucis: *Cæſar verò cùm in curte Regia Otinga, Natalem Domini celebraret, advenientibus ibidem ad eum Moravorum miſſis*, (id eſt, legatis) *qui pro pace cuſtodienda, ne exules eorum profugi reciperentur, ab Imperatore flagitant. Quos Rex, ùt audivit, abſolvit, & ſine mora abire permiſit*. Et tunc juſſit quóque moneri Regem, ut ſiquidem Regni gubernacula ſuſcepit, ætate ad ferendum tantum onus utcúnque adhuc imbecilli, *Seniorum*, præſertim verò *Archi-Epiſcopi*, inſiſteret conſilijs: neque pateretur ſe, ſeditioſorum hominum, qui proditiones Principum nihil ducerent ſibi turpes, ſtudio & libidine transverſum agi.

Svatobogium boni regiminis gerendi admonet.

Atque utinam obtemperâſſet Avunculi monitis, tum *ſalutaribus Archi-Epiſcopi inſtitutis!* in optimum ſanè evaſiſſet Principem. Sed ſui poſtmodùm juris factus, ac velut alter *Roboam* conſilijs juniorum depravatus, â ſerijs & bonis principijs, quibus inſiſtere debuiſſet, ad vana & ludicra animum convertit; ad extremum vix non *in Heliogabalum* transformatus. Etenim ſvaſu & ductu peſſimorum, teneram ætatem ſuam, non in jucundis dùntaxat venationis aucupiíque exercitijs, utique ſuis temporibus viro Principi concedendis: ſed etiam in ijs, quibus juveniles animi facilè capi & ineſcari ſolent, compotationibus & choreis, aliíſque ejusmodi vanitatibus, magno ejus & Regni totius incommodo, imò & ruinâ transverſam agebat: ita ut hiſce voluptatum illecebris deditus totus, curas & munia Reipubl. per ſummam negligentiam poſthaberet, nihílque penſi duceret, ſed alijs iíſque perverſiſſimis ea adminiſtranda delegaret; *gementibus Archi-Epiſcopo, Epiſcopis, & alijs ex Proceribus non paucis*, qui corruptos Regis mores, perdendi Regni inſtrumenta fore, facilè prævidebant.

Svatobogij levitas.

Svatobogij & Mogemiri fratrum diſſidium, erupit in bellum.

Sequenti anno, recruduit diſſidium *Regem inter & Mogemirum*; quod diu mutuis gliſcebat odijs, usque dum in civile erupiſſet bellum. In eo, quia viribus & gratiâ populari prævalebat *Mogemir*, (quippe vir erat humanitatis ſingularis, ínque demerendis hominibus ſedulus, & ob id amabilis cunctis) facili negotio adverſam oppreſſit partem, cæsóque regio exercitu, *Svatobogium* in tantas conjecit anguſtias, ut *VVelebradio* ſe continere neceſſe habuerit: quem poſtea urbe per proditionem occupatâ cepit, & cum alijs ſibi adhærentibus in vincula conjecit. Neque deerant, qui tollendum ſvaderent; quod eveniſſet brevì, nî Cæſar intellecto Regis periculo, *Leopoldóque Marchione* in Moraviam cum exercitu quamprimùm ire juſſo, eum præſenti diſcrimini exemiſſet.

Strab. ad an. 898.

Svatobogius præſenti vitæ periculo eximitur.

Strabus hiſce rem refert: *Poſtea verò inter duos fratres gentis Marabenſium* (*Mogemirum videlicet, & Zventobolchum*) *eorúmque populum, diſſenſio atque diſcordia graviſſima orta eſt, ita etiam, ut ſi utérque alterum ſuis viribus inſequi atque comprehendere valeret, capitalem ſubiret ſententiam. Tunc verò Rex iſta ſciens, Marchiones ſuos, Luitbaldum ſcilicet* (Auſtriæ,) *& Aribonem Norici Comitem, unà cum cæteris fidelibus ſuis, parti, qua ad ſe*

ſpem

Digitized by Google

m ac confugium habuit, auxilium ad eorum liberationem protectionémque, varios ſuos primates transmiſit. At illi more gladij ignéque, prout poterant, micos ſuos humiliaverunt, & devaſtando necaverunt. Iſtius autem diſſen- nis & diſrupta pacis, inter ſupra nominatos fratres, Aribo Comes, Ibarico ge Iſanrico) *filio ſuo inſtigante, inſtructor delatórque, atque proditor eſſe vincitur: & ob hanc cauſam Præfecturâ ſuâ ad tempus caruit, quam non ltò poſt reaccepit* &c. Subjungit infra: *denique non poſt multum temporis, varij terminos Moraborum confidenter iteratò intrantes, & quæcunque po- ant diripiendo populati ſunt, & Zventobolchum puerum, filium antiqui cis Zventobaldi, ſuúmque populum de ergaſtulo civitatis, in quo incluſi mo- bantur, eripuerunt, ipſámque civitatem igni ſuccenderunt, atque in fines atriæ ſuæ pro miſericordia ſecum abduxerunt.* Aventinus verò ita habet: *Moravia, Moëmarus Svatobogum fratrem, prodente Eyſenricho Bojorum rpurato, capit, in vincula conjicit, necare parat. Boij juſſu Imperatoris, in mpore ſuppetias capto ferunt, urbem, ubi captivus detinebatur, expugnant, ices captivos omnes liberant, Svatobogum ſecum in Bojoriam deducunt.*

Aventin. lib. 4. fol 366.
Brunner. Annal. Bojor. l. 7. §. 5.

Patet ex hinc Cæſarem, magnam *Svatobogij*, ejúsque ſalutis curam ha- iiſſe: quem anno ſequenti, ſumptâ expeditione *in Noricum*, contra *Arabo- em & Iſanricum rebelles*, ac inde *in Moraviam*, Regno reſtituit. Audiamus trabum; *Interim Iſanricus tyrannidem ſuam, ſine ceſſatione contra Regem xercebat; quod vehementer Rex accipiens decrevit, navigio, quia jam tunc firmus corpore fatigaretur, civitatem Mutarenſem, in qua ipſe Iſanricus rat, aggredi: quod & factum eſt. Illo verò reſiſtente, Rege quoque & ſuis for- ter viriliterque ſuperantibus, atque civitatem oppugnantibus: demum ipſe anricus vi compulſus, cum uxore, & his qui ad ſe pertinebant exivit, & Im- eratori ſeſe præſentavit. Tunc Rex cuſtodibus illum cuſtodiendum commenda- it, quatenus Radiſponam produceretur. At ille timens ne puniretur, fugam nijt, & ad Marabenſes* (videlicet ad Mogemirum, cui ex intimis erat) *usque ugit. &c.* Clariùs de hoc Brunner. *Rebus* inquit, *foris pacatis, domeſtica ranquillitati Iſanricus Comes invidebat, à quo Moravos regulos colliſos dixi- mus. Is cùm arcem nefaria perfidia Mutaram, Norici urbem elegiſſet, diu vi- ina omnia inde infeſta habuit: verùm cùm illius crudelitas ferri ampliùs non oſſet, hoſtis Reip. declaratus, bellóque appetitus eſt. Id Arnulphus tametſi ægro corpore, per ſemet gerere ſtatuit, navigióque devectus, quia aliam jactatio- nem non ferebat, Mutaram obſidione cinxit, eíque tantâ conſtantiâ incubuit, ut Iſanrico nulla alia, niſi in voluntaria deditione, ſpes relinqueretur. Eâ ergò quàm aptiſſimè adornatâ, cum uxore & familia urbe egreſſus, Cæſaris ſe po- teſtati permiſit. Is cuſtodiâ ſeptum deportari Ratisbonam juſſit: ſed cùm negli- gentiùs aſſervaretur, fruſtratus cuſtodes, fugam ad Moravos intendit.*

Cæſar Svatobogij curam gerit.

Strab. an. 899.

Reſtitutus paterno ſolio *Svatobogius*, & per Cæſarem, fratri Regníque proceribus reconciliatus, gubernationem ab eo præclaro facinore eſt auſpicatus, quòd *Archi-Epiſcopum* receperit in conſiliorum arbitrum, & alios quosdam vitâ ac morum gravitate præ cæteris conſpicuos, rerúmque uſu & expe-

Svatobogius in integrum reſtituitur.

Digitized by Google

ArchiEpiſcopum in conſiliorum ſuorum moderatorem recipit:

rientiâ præſtantes; qui quoties res ardua atque difficilis in jure dicundo occurriſſet, cum eo capita conferrent; & quos *Moravi* tanquàm oracula quædam audiebant, & venerabantur. Hinc rectè deinceps & ſapienter factis, ac indulgentiæ, lenitatis liberalitatiſque exemplis, univerſorum animos ſibi devinxit adeò, ut nemo eſſet, qui non libenter ei obtemperaret. Auxit porrò gratiam, quòd, ut odia partium tolleret, & diſſidijs, quò minùs recrudeſcerent, obviaret, celeberrimo Athenienſium exemplo, *Amniſtiæ*, ſeu *oblivionis præteritarum rerum decretum* publicari juſſit; in eum modum, *ut omnia & ſingula, præteritis belli civilis motibus, alterutri parti ultrò citròque hoſtiliter illata, abſque ulla rerum, ſeu perſonarum exceptione aut reſpectu, eſſent & manerent omnimodâ oblivione ſepulta.* Hoc ſalubre conſilium apparet *ab Archi-Epiſcopo* & cæteris, quos in ſocietatem ferendi regiminis habebat adſcitos, ortum eſſe; qui eo medio avertere dilacerationes Patriæ, & mutuas civium lanienas fideliter ſtuduerunt. Ex quo patet, felices térque beatos eſſe Principes, dum *Conſiliarios probos, prudentes ac fidos* habent, quos illis, velut cuſtodes, & *humanas*, ut ita dicam, *Intelligentias* apponit Deus. *Salus námque Regum, & incolumitas populorum ſunt Conſiliarij boni:* contrà, *mali, Regnorum pernicies & ruina:* uti liquidò patebit in *Svatobogio*, ubi is rurſum, ſpreto ſenum conſilio, abjectóque penitùs, â recto virtutis tramite defeciſſet.

Amniſtiam conſtituit.

Principum felicitas, Conſiliarij probi.

Arnulph. Cæſar moritur.

Mortuo *Arnulpho Cæſare*, qui circa finem anni 899. fatis conceſſerat, *Hungari* non ſecùs, acſi cum morte Cæſaris expiráſſent pacta pacis, nullâ ratione induciarum, nullâ juris ac æquitatis curâ habitâ, *Moravos* novis injurijs exagitandos ſuſceperunt. Horum furori *Mogemir*, in cujus ditionem primò vaſtabundi irruperant, occurſurus, ſuos quamprimùm ad capeſſenda arma excivit; & aſſumpto unà *Bozislao* (*) cum aliquot expeditioribus equitum turmis *â Svatobogio* opportunè miſſo, fortunáque propitiâ uſus, hoſtium cuneos hinc inde palantes celeritate præventos, brevi puncto fudit ac diſſipavit. Quo felici rei effectu, quem virtus peregerat & fortuna, crevit *Mogemiro* audacia major, adeò ut diligenti ſpeculatione præmiſſâ, in reliquum etiam agmen, quod reſtabat fortiſſimum, ducere ſuos navandæ rei cupidiſſimos non dubitaret; maturatóque itinere hoſtes propè *Marothum vicum, â Marothi quondam Moraviæ Regis nomine celebrem*, invenit ad congrediendum paratos. Mox itáque, aperta in planitie, aciem compoſuit dilatatam arte ſolerti, ut ſpatijs amplioribus occupatis, æquiparare *Moravi* hoſtium multitudinem apparerent, inferiores numero, licèt viribus pares. Signo poſtmodùm per buccinas dato, & Moravis ſummo impetu irrumpentibus, pugna inchoatur: quæ diu in ancipiti ſtetit, victoriâ neutrò inclinante: donec ad extremum urgente *Bozislao*, cum ſuo equitatu, Hungari terga dare, ínque effuſam fugam ruere compelluntur. Quanquàm autem *Mogemir* ſuorum paucitatis conſcius, fugientium tergis minimè inſiſteret, ſatis ſe lucri & gloriæ, fuſis hoſtibus, & recuperatâ majori ex parte prædâ, adeptum eſſe ratus; tanta fuit tamen *Hungarorum* conſternatio, ut non niſi in ſola fuga, ſpem & ſalutem omnem collocarent. Currus hoſtium dirrepti, & quod ſpolijs omnibus clarius fuit, integri

Hungari Moraviam populantur:

(*) *Hunc Comenius dicit eſſe unum l. VVelenij poſteris, qui ſucceſſu temporis, Bozkowicij & de Czerna-Hora nominabantur.*

â Mogemiro cæduntur.

Mogemiri victoria: Hungarorum fuga.

MS. Com. ſupra cit. part. 2.

gri captivorum greges in libertatem aſſerti ſunt. Haud multò pôſt *Hungari reconciliati Moravis*, arma & vires converterunt adversùs *Germanos, Auſtriacos & Bavaros*; atque iterum, adversùs *Italos*, quos plusquàm hoſtilibus afſecêre cladibus, *Venetorum* imprimis & *Longobardorum* ditionibus igni ac ferro exciſis.

Pax cum Hungaris.

Herman. Contr. in Chronic. an. 900.

Hungarorum in Germaniam, ac poſtea Italiam crudelis irruptio.

Hungaris per Italiam graſſantibus, *Mars* aliunde rurſum cruentos *in Moraviam* concitavit motus, *Epiſcopis Bavariæ*, ut plurimùm, cum *Theotmaro Archi-Epiſcopo Juvavienſi Metropolita ſuo*, claſſicum canentibus. Cauſa moram exigit. Ferebant illi graviter *Moraviam juri ſuo Metropolitano, quod ab Eccleſia Laureacenſi*, exciſâ non ita pridem ab Hungaris urbe, *ad Eccleſiam Juvavienſem ſeu Salusburgenſem* devolutum aſſeverabant, ſubtractam, conſtituto *Authoritate Pontificis Joan. VIII.* proprio *VVelehradij Archi-Epiſcopo Metudio, S. Cyrilli primi ibidem Epiſcopi fratre & Succeſſore.* Ideóque in id totis incubuêre viribus, ut *Moravos* quocunque tandem modo jurisdictioni ſuæ ſubijcerent, & *Eccleſiam VVelehradenſem*, aliásque noviter erectas, *Eccleſiæ Juvavienſi* Suffraganeas, ùt ajunt, conſtituerent. Quò autem faciliùs deſtinata exequerentur, detulerunt *Metudium Romam, ad Joannem VIII.* quod ſecùs doceret, & alios in decantandis ſacris Miſſarum ſolemnijs, ritus obſervaret (ex eo, *quòd ſubinde ad excitandos in laudem Dei Neophytos linguâ uteretur Slavonicâ*) quàm teneret *Sancta Romana Eccleſia.* Prout aliquid eorum inſinuat, *Baronius*, qui inter alia, *Metudium* Romam vocatum memorat, ob eam potiſſimùm cauſam; ut Fidei ac prædicationis ſuſceptæ rationem redderet. Comparuit igitur anno ſequenti, nempe 880. unà cum *Svatopluci Regis legato*, nomine *Zamyslo*, & quæ obijciebantur ab adverſarijs, cuncta ordine diluit, ſéque Orthodoxæ religionis cultorem manifeſtò oſtendit & probavit, tanta cum ſatisfactione judicum, ut & Sedi ſuæ reſtitueretur, & *Confirmationem privilegiorum*, ad magìs firmandum ſtabiliendúmque Metropolitanæ ſuæ jus, ringentibus fruſtra æmulis, obtineret.

Rhegino lib. 2. Chron. ad an. 901.

Brunner. part. 1. l. 7. §. 6.

Nova belli contra Moravos ſemina.

Bavariæ Epiſcopi Metudium Archi-Ep. VVelehrad. apud Pontificem falsò deferunt.

Baron: Tom. 10. ad an. 879. §. 76.

Metudij Archi-Ep. fit palàm innocentia.

Dederat tum Pontifex ad Svatoplucum Epiſtolam, in qua *Eccleſiam Moravenſem Sanctam* appellat, ac poſtea de negotio Metudij ita refert: *Igitur hunc Metudium Venerabilem Archi-Epiſcopum veſtrum interrogavimus, coram poſitis Fratribus noſtris Epiſcopis, ſi Orthodoxæ Fidei Symbolum ita crederet, & inter ſacra Miſſarum ſolemnia caneret, ſicut Sanctam Romanam Eccleſiam tenere, & in Sanctis ſex univerſalibus Synodis, à Sanctis Patribus, ſecundùm Evangelicam Chriſti Dei noſtri Auctoritatem, promulgatum atque traditum conſtat. Ille autem profeſſus eſt, ſe juxta Evangelicam & Apoſtolicam doctrinam, ſicut Sancta Romana Eccleſia docet, & à Patribus traditum eſt, tenere & pſallere. Nos autem illum in omnibus Eccleſiaſticis doctrinis & utilitatibus, Orthodoxum & proficuum eſſe reperientes, vobis iterum ad regendam commiſſam ſibi Eccleſiam Dei remittimus; quem veluti Paſtorem proprium, ut digno honore & reverentiâ, lætaque mente recipiatis, jubemus; quin & noſtra Apoſtolicæ auctoritatis præcepto, Archi-Epiſcopatûs jura ac privilegium confirmavimus, & in perpetuum, Deo juvante, firmum manere ſtatuimus,*

Pontificis Max. ad Svatoplucum Regem Epiſtola, an. 890.

Baron. an. 880. §. 16. & ſequ.

quâ Metudium Regi commendat:

jura Archi-Epiſcopatûs VVelehrad. confirmat:

tuimus, ſicut Anteceſſorum noſtrorum auctoritate, omnium Eccleſiarum Dei jura & privilegia, ſtatuta & confirmata conſiſtunt: ita ſanè, ut juxta canonicam traditionem, omnium negotiorum Eccleſiaſticorum curam habeat ipſe, & ea, velut Deo contemplante, diſpenſet. Nam populus Dei illi commiſſus eſt, & pro animabus eorum hic redditurus erit rationem. Ipſum quoque Presbyterum nomine Vichinum, quem nobis direxiſti electum, Epiſcopum conſecravimus Sanctæ Eccleſiæ Nitrienſis; quem ſuo Archi-Epiſcopo, in omnibus obedientem, ſicuti Sancti Canones docent, eſſe jubemus. Et volumus, ut pariter cum ipſius Archi-Epiſcopi conſenſu & providentia, alterum nobis apto tempore utilem Presbyterum vel Diaconum dirigas, quem ſimiliter in Eccleſia alia, in qua Epiſcopalem ſedem noveris eſſe neceſſariam, ordinemus Epiſcopum; ut cum his duobus à nobis ordinatis Epiſcopis, præfatus Archi-Epiſcopus veſter, juxta decretum Apoſtolicum, per alia loca, in quibus Epiſcopi honorificè debent & poſſunt exiſtere, poſtmodùm valeat ordinare. Tandem de uſu linguæ Slavonicæ in Sacris adjecit iſtud: *Litteras denique Slavonicas à Conſtantino quodam Philoſopho repertas, quibus Deo laudes debitas reſonent, jure laudamus: & ut in eadem lingua Chriſti Dei noſtri præconia, & opera enarrentur jubemus. Neque enim tribus tantùm, ſed omnibus linguis Dominum laudare, Auctoritate ſacrâ monemur, quæ præcepit dicens: Laudate Dominum omnes gentes, & collaudate eum omnes populi. Et Apoſtoli repleti Spiritu Sancto, locuti ſunt omnibus linguis Magnalia Dei. Hinc & Paulus, cæleſtis quoque tuba inſonat monens: omnis lingua confiteatur, &c. Nec ſanæ fidei vel doctrinæ aliquid obſtat, ſive Miſſas in eadem Slavonica lingua canere, ſive ſacrum Evangelium, vel Lectiones divinas novi & veteris Teſtamenti benè tranſlatas, vel interpretatas legere, aut alia Horarum officia pſallere: quoniam qui fecit tres linguas principales, Hebræam ſcilicet, Græcam & Latinam, ipſe creavit & alias omnes, ad laudem & gloriam ſuam: &c. Data menſe Junij Indict. XIII.*

ut Epiſcopi ſint plures in Moravia, facultatem dat.

Miſſas cani legiſque linguâ Slavonicâ concedit.

Metudius re benè peractâ, in Moraviam revertitur.

Bavariæ Epiſcopis ſilentium imponitur.

Conatus Epiſcoporum Bavar. reviviſcunt.

Hatto Moguntin. Archi-Ep. cauſam illorum apud Pontificem agit.

Eam vide apud Gewoldum poſt Chronicon Reicherſperg. & apud Goldaſtum in Appendice Documentorum in fine Commentar. de Bohemici Regni Jurib. & Privileg.

Abſoluto hunc in modum *Metudio*, ac ſedi ſuæ Archi-Epiſcopali cum dignitate reſtituto, *Epiſcopi Bavariæ* nihil impoſterum ſunt tentare auſi, usque ad initium regiminis *Arnulphi Cæſaris:* apud quem nil intentatum reliquêre, quò tandem authoritate illius apud Sedem Apoſtolicam interpoſitâ, votorum ſuorum, in reducenda ad ſuum jus *Eccleſiâ Moravicâ*, compotes eſſe poſſent, importunis etiam precibus negotium urgentes. At Cæſar jura *VVelebradenſis Eccleſiæ*, â Pontificibus Romanis *Nicolao I. & Adriano II.* collata, *& à Joanne VIII.* dum jam in Metropolitanam evecta eſſet, ſingularibus privilegijs, legibus & immunitatibus firmata, probè perſpecta habens, poſtulata eorum rejecit: quin impoſito cunctis ea de re ſilentio, *Metudium*, quem ob ſanctimoniam integritatémque vitæ colebat, & reverebatur ùt Patrem, in quieta poſſeſſione *jurium Archi-Epiſcopalium* relinqui juſſit, nihil penitùs mutans, neque tum, cùm *Svatoplucum* experiretur hoſtem.

Poſt Arnulphi obitum, redierunt Epiſcopi ad genium; atque iterum cùm Metudio de injuria expoſtulârunt, patrocinante eorum cauſæ *Hattone Moguntino Præſule:* qui idcirco ſpecialem Epiſtolam ad *Joannem IX.* recenter

tum

Digitized by Google

tum ad apicem Summi Pontificatûs evectum dederat, anno 900. perſtringens Moravos hiſce: *Pietati veſtræ intimamus, quòd Fratres & Patres, & CoEpiſcopi noſtri Bavarienſes apud nos conquerentes, & alta ſuſpiria trahentes gemebant, qualiter Moravenſes populi, Francorum poteſtati rebelles, jactant ſe ab illorum conſortio eſſe diviſos, & ſeorſim Metropolitano gloriantur â Veſtra* (Prædeceſſorum Veſtrorum) *conceſſione eſſe ſublimatos; cùm nunquam Metropolitana ſedes inter illos haberetur, ſed ſemper illorum Provinciæ & Diœceſi coharerent.* Ac demum poſt commendationem Bavarienſium ſubjunxit. *Illi autem Moravenſes, ùt noſtris auribus illatum eſt, in occaſionem ſuperbiæ ſuæ aſſumunt, quia â Veſtra* (Prædeceſſorum Veſtrorum) *conceſſione dicunt ſe Metropolitanum ſuſcipere, & ſingulariter degentes, aliorum Epiſcoporum conſortia refutant. Si hâc confidentiâ diutiùs inflantur, usque ad ſanguinis effuſionem, ùt multi arbitrantur, proſilient. In quantum præſumimus, admonemus, quatenus Veſtra Auctoritas, priusquàm hoc contingat, ad humilitatis viam illos corrigendo deponat, ut tandem cognoſcant, cui dominatui ſubjici debeant. Quod ſi Veſtra admonitio illos non correxerit, velint, nolint, Francorum Principibus colla ſubmittent: & credimus, absque effuſione ſanguinis & mutua cæde, ex utraque parte nunc poſſe benè contingere.*

Querimonia ad Domnum Papam, quòd Moraviam Metropolitano Bavariæ juri ſubtraxerit.

Hinc pro manifeſto eſt, *Bavaros*, jam tum *adversùs Moravos* circumſpectâſſe arma. Verùm apud *Sedem Apoſtolicam* prævenit illos *Clerus Moraviæ*, ùt juſtâ causâ, ita felici ſucceſſu: nam priusquàm epiſtola Moguntini, Romam allata fuiſſet, jam Pontifex legatione inſtitutâ, *tres Epiſcopos in Moraviam miſerat*, ut ibi de jure & ſtatu Eccleſiarum cognoſcerent. Qui cùm in Moraviam veniſſent, reperiſſéntque religionem Chriſtianam, in pleriſque ad Romanæ Eccleſiæ, in paucis verò *ad Græcæ*, ſeu quod idem erat, *ad bulgaricæ diſciplinæ ritus* conformatam, majora indiès ſumere incrementa, & *Metudium* in erudienda multitudine permagnos facere profectus, ejúsque operâ *exſtrui in Regno paſſim Ædes ſacras*, *conſtitui presbyteria & ſcholas*; nec quicquam eſſe, quod emendatione egeret, niſi quis illos *Bulgaræ gentis ritus*, quibus plerique adhuc *Græcæ diſciplinæ* tenaciores, in ſacris, maximè verò *rem Divinam, non alio, niſi Slavonico ſermone faciendo*, utebantur, antiquandos exiſtimaret; quos tamen, utpote ab Apoſtolica Sede nunquam prohibitos, imò cœlitùs comprobatos abrogare piaculum eſſet: non tantùm *jura Archi-Epiſcopatûs* reliquêre integra, ſed quò magìs adhuc clareret numero Præſulum, *nova Metropolitanæ Sedes*, tres alios Epiſcopatus eidem Archi-Epiſcopatui ſubjectos conſtituerunt.

Cleri Moravici cauſa juſta apud Pontif. Max. triumphat.

Legati Pontificij in Moraviam mittuntur:

Magna ubiq; Religionis incrementa fieri vident:

Plures Epiſcopatus in Moravia conſtituunt.

Exacerbati idcirco *Bavarici Præſules*, & ferendum id æquo animo nequaquam rati, ut tot annorum labor, quem in vindicando, quod aſſeverabant ſe indubitatò habere, jure, impendiſſent, irritus ac inanis prorſus redderetur; mox initio anni ſequentis, dederunt litteras expoſtulatorias, multúmque graves ad Pontificem, (Hi porrò erant: *Theotmarus Juvavienſis Eccleſiæ Archi-Epiſcopus, VValdo Friſingenſis, Erckenbaldus Eychſtadenſis, Zacharias Sabionenſis, Tutto Ratisponenſis, Richarius Patavienſis Eccleſiæ Epiſcopi*) quibus,

Bavariæ Epiſcopi magis idcirco tumultuantur.

eas vide apud ſupra cit. Ad Pontificem acerrimis litteris provocant;

bus, contra illos Apoſtolicæ Sedis legatos, non ſine ſtomacho, afferebant iſta: *Venerunt, ùt ipſi promulgaverunt, de latere Veſtro, tres Epiſcopi: videlicet, Joannes Archi-Epiſcopus, Benedictus & Daniel Epiſcopi, in terram Slavorum, qui Maraci dicuntur; quæ Regibus noſtris, & populo noſtro, nobis quoque cum habitatoribus ſuis ſubacta fuerat, tam in cultu Chriſtianæ Religionis, quàm in tributo ſubſtantiæ ſæcularis &c. Nunc verò, quod nobis grave videtur, & incredibile, in augmentum injuriæ jactitant, ſe* (nempe Moravi) *magnitudine pecuniæ id egiſſe; qualia de illa Apoſtolica Sede nunquam audivimus exiſſe: neque Canonum decreta ſanxiſſe, ut tantum ſchiſma una pateretur Eccleſia; eſt enim unus Epiſcopatus in quinque diviſus. Intrantes enim prædicti Epiſcopi, in nomine Veſtro, ùt ipſi dixerunt, ordinaverunt in uno eodemque Epiſcopatu, unum Archi-Epiſcopum* (hunc certè non ordinaverunt, ſed confirmàrunt: quippe ordinatus erat ante) *& tres ſuffraganeos ejus Epiſcopos, absque ſcientia Archi-Epiſcopi* (Javavienſis) *& conſenſu Epiſcopi* (Patavienſis) *in cujus fuerunt diœceſi.* Dein: *Quòd nos præfati Slavi criminabantur, cum Hungaris fidem Catholicam violâſſe, & per canem ſeu lupum, aliàsque nefandiſſimas & Ethnicas res, ſacramenta & pacem egiſſe, atque ut Italiam tranſirent, pecuniam dediſſe: ſi vobis coram poſito, ratio inter nos agitaretur, ante Deum, qui cuncta novit antequàm fiant, & coram vobis, qui vicem ejus Apoſtolicam tenetis, eorum falſitas manifeſtaretur, & noſtra innocentia probaretur. Quia enim Chriſtianis noſtris longè â nobis poſitis ſemper imminebant, & perſecutione nimiâ affligebant, donavimus illis, nullius pretioſæ pecuniam ſubſtantiæ, ſed tantùm noſtra linea veſtimenta, quatenus aliquantùm eorum feritatem molliremus &c.* Et mox de Moravis: *Ipſi Hungarorum non modicam multitudinem ad ſe ſumpſerunt, & more eorum, capita ſuorum Pſvedo-Chriſtianorum penitùs detonderunt, & ſuper nos Chriſtianos immiſerunt; atque ipſi ſupervenerunt, & alios captivos duxerunt, alios occiderunt, alios ferinâ carcerum fame & ſiti perdiderunt, innumeros verò exilio deputaverunt; & nobiles viros ac honeſtas mulieres in ſervitium redegerunt, Eccleſias Dei incenderunt, & omnia ædificia deleverunt, ita ut in tota Pannonia noſtra,* (id eſt ſuperiore) *maxima Provincia, tantùm una non appareat Eccleſia: prout Epiſcopi â vobis deſtinati, ſi fateri velint, enarrare poſſunt, quantos dies tranſierunt, & totam terram deſolatam viderunt.* Ultimò: *Idcirco ſinguli omnèsque admonendo precamur, ne ullo modo alicui falsò de nobis aliquam ſuſpicionem referenti, creduli ſitis, antequàm oportunitas exigat, ut hujus rei gratiâ miſſus* (legatus) *de Veſtra Celſitudine nobis, aut â noſtra parvitate directus appareat vobis. Communis gemitus, & generalis dolor anguſtat, quos Germania, & tota tenet Norica, quòd unitas Eccleſiæ tali dividitur ſciſſurâ: eſt enim, ùt præmiſimus, unus Epiſcopatus in quinque diviſus. Ideo ſi quid fraus maligni, Slavorum calliditate adduxerat, juſtitia vertat, Vòsque virtute ex alto induti, & Apoſtolicâ poteſtate armati, juxta Prophetam: quod fractum eſt alligate, quod infirmum conſolidate, quod abjectum reducite: ut deinceps populus & integritate gratuletur, & Sancta Eccleſia tranquillâ devotione lætetur.* Ita gliſcentibus utrinque

Legatos Pontificios falſitatis inſimulant:

Moravos criminantur.

audacter nimis ad Pontificem Max.

Digitized by Google

que odijs, res tandem eo ipſo anno erupit in bellum. Nam *Bavarici*, cùm poſtulata ſua parvipendi viderent, nec â *Svatobogio*, quem etiam ea in re interpellârunt, haberi digna, ad quæ reſpondeatur, ferro emendationem ab adverſarijs extorquendam, ſuíque juris libertatem bello vindicandam decreverunt. Multum verò proritamenti huic turbini addidit *Iſanricus*(de quo ſuprà) *Arnulpho Cæſari* antea, & tum quoque *Ludovico filio ejus* contumax ac rebellis, quem profugum *Mogemir* ſuſceperat. Bavari Moravis bellum inferunt:

Primò itaque *Bavarici*, trajecto Danubio, invadunt *Moraviam*, *Theotmaro Archi-Epiſcopo*, & *Leopoldo Marchione* ducibus: alij verò cum *Tuttone Epiſcopo*, & *Cunrado Comite*, ducto per confinia Bohemiæ itinere, irruunt â parte occidua, ſævientes primo illo impetu, hoſtium more, in obvia quæque crudeliter, priusquàm *Moravi* ſumptis armis, graſſationi illorum modum impoſuiſſent: neque enim multò poſt, *Archi-Epiſcopus & Marchio* in inſidias præcipitati, funeſtam retulerunt cladem. Quippe *Mogemir*, cognito eorum adventu, confeſtim cum exercitu, quem maturâ uſus proviſione, habebat ad omnes caſus inſtructiſſimum, obviam ijs proceſſit; cúmque perveniſſet ad quercetum quoddam, *capto quaſi in arena conſilio*, ſubſtitit, ibíque cum ſelectiori militum robore ſe occultans, reliquos expeditiores ad laceſſendum hoſtem progredi juſſit; eâ tamen cautelâ, ut ſi Germani ad conferendas manus egrederentur, non multùm reſiſterent, ſed retro pedem ferendo fugam ſimularent, quò citiùs illi in inſidias, ubi ipſe expectaret paratus, præcipitarentur. Et res ſanè, prout diſpoſuerat *Mogemir*, ſucceſſit. clade inſigni per inſidias excipiuntur.

Marchio námque viſis *Moravis* accurrentibus, & mox iterum citato greſſu, quaſi pugnam detrectarent, retrocedentibus, quin eorum tergis inſiſteret, & cum equeſtribus copijs, in fugientes impetum faceret, nec quicquā ſibi dubitandum exiſtimavit; reclamante licèt *Archi-Epiſcopo*, qui inſidias, id quod erat, metuebat. Cúmque inſtando urgendóque premeret vehementiùs *Moravos*, jam ſenſim ad locum inſidiarum pedem referentes, repentè *Mogemir* cum ſuis erumpit; tum etiam illi, qui fugam ſimulabant, fugam ſiſtunt, & converſis armis in primos, qui jam tergis imminebant, impetum faciunt. Ita re inopinatâ perterriti *Bavarici*, tametſi aliquandiu fortiter ſuſtinuerint Moravos; ultimò tamen â fronte & ab utroque latere acerrimè preſſi, in fugam compulſi ſunt: in quos hinc inde disjectos, ab equitibus Mogemiri ê veſtigio inhærentibus, magna ſtrages eſt edita, major haud dubiè futura, nî peditatus ſubſequens fugientes excepiſſet: aliqui relictis equis, per montium & ſylvarum latebras diffugerunt. Cæſi *ex Bavaris ad CCC.* & totidem capti: inter quos duo præcipui nominis Comites, *Gebelhardus & VVallo*. Nec deinceps quicquam tentandum duxit Marchio, clade illâ ſupra modum conſternatus, ſed tutiora, quæ *Archi-Epiſcopus*, & alij, conſilia in præſens afferebant, ſequutus, eo quo venerat itinere, in Auſtriam redijt. Bavarorum clades. Cæſorum & captivorum numerus.

Hâc ſociorum clade perceptâ, alterius exercitûs duces, *Epiſcopus & Comes*, veriti, ne ſi *Svatobogio*, quem cum valida manu ſibi oppoſitum, & in multis, levioribus licèt certaminibus, gravem experiebantur, accederet *Mogemir*,

Digitized by Google

Bavarici in Moravia non ampliùs tuti,

gemir, in diſcrimen aliquod grave ſeſe, & copias univerſas præcipitarent, maturè potiùs cedendum loco duxerunt: diſpoſitis igitur tacitè ad profectionem ordinibus, ac pedite intermedio accepto, iter primo diluculo *Bohemiam verſùs*, arripuerunt. Quod cùm *Moravi* per exploratores didiciſſent, ac demum illuceſcente die, ipſimet etiam caſtra hoſtium loco mota conſpexiſſent, celeriter erumpentes, poſtremis agminibus inquietandis, magno clamore ſummáq; ferociâ incubuerunt. Premebantur itáq; Bavari ſolito acriùs, adeò ut multi jã de deſerendis curribus & impedimentis cogitarent: niſi Comes ſubſiſtens monuiſſet cataphractorum ducem, ut fronte in hoſtes obvertere, eóſque ſubmovere maturaret. Quo impigrè facto, ferociã illorũ repreſſerunt; qui haud levi etiã incommodo affecti, pacatiùs deinde iter Bavaris patriã repetentibus reliquerunt.

domum in glorij redeunt.

Aventin. l. 4. fol. 369. Brunner. Adlzreiter.

De hoc bello ſcribit Aventinus: *Mortuo* (inquit) *Imperatore Arnulpho, Moravi, qui Moëmaro parebant, Eyſenricho transfugâ inſtigante, ad Joannem Pontificem Romanum legatos mittunt, graviter Bojos accuſant, Slavis inimicos intolerabiles eſſe criminantur. Pontifex Oratores ſuos in Moraviam mittit: hi Moravos à legibus Bojorum ſolvunt, reclamantibus Bojariæ Epiſcopis: nam Moravi hinc anſâ arreptâ, Ludovico rebellant, Præfectis Bojorum obtemperare recuſant. Quamobrem Boij per Bojemiam, in comilitium ſecum Bojemis adſcitis, in Moraviam hoſtili animo tranſitum faciunt, per menſem ferè totam regionem devaſtant. Hatto Archiflamen Moguntinus, quinque Bojorum Pontifices, Joanni Urbis Romæ primario Sacerdoti literis conqueruntur, ſe falsò & immeritiſſimos accuſari à Slavis. Joannem facinus indignum, adverſum pietati & majorum decretis commiſiſſe, liberè & apertè multisque verbis docent. Hortantur poſtremò, ut Moravos mendaciorum loquaciſſimos corrigant, niſi Bojorum Præfectis & Epiſcopis pareant, fulmine ſuo terreant. Oportere primarium Sacerdotem plus tribuere Boijs, qui rem Romanam reſtituerunt, quàm Moravis, qui Romanam Majeſtatem vaſtant, & manubrio* (ex facto hujuſce modi Legatorum) *Epiſcopi Romani occupato, à Rege Ludovico deficere conantur. Bojos tam ſacratos, quàm populares, pietatis Chriſtianæ officio, nulli genti ſecundos eſſe: à quibus nolint, velint, Slavi Moravis ſub jugum mittentur.* Innuit de hoc bello & Strabus: *Bojovvarij* (inquit) *per Boëmanniam, ipſis ſecum aſſumptis, in Regnum Marabavorum irruperunt, per tres hebdomadas cuncta devaſtantes: tandem cum omni proſperitate domum reverſi ſunt.*

Bohemi Bavarorum ſocij contra Moravos.

Strab. an. 901.

Quod autem Scriptores hi aſſerant, *Bohemos in ea expeditione fuiſſe Bavarorum ſocios*, id vix in *Borzivogium* cadere potuiſſe arbitror, ut *Moravis, à quibus Religionem Chriſtianam acceperat;* beneficij hujus loco, hoſtem ſe præbuiſſet. Ingratum certè oſtendiſſet ſe: quod minimè convenit *Principi pio & juſto;* qualem fuiſſe Borzivogium, Patriæ monumenta prolixè ferunt. Inſuper agebatur tunc cauſa, tam *Bohemis*, quàm *Moravis* communis: ſub una námque erant Eccleſia: & ſicut *D. Cyrillus* illos Fidei Chriſtianæ rudimentis imbuerat, ita frater ejus *D. Metudius* curam eorum Paſtoralem continuabat, ſubmittendo *Sacerdotes*, *viros probos & doctos*, alióſque miniſtros,

Non Borzivogius Bohemiæ Princeps,

pro

Digitized by Google

pro erudienda multitudine idoneos. Quandóque etiam ipſemet illos adibat, & ſingulari dexteritate uſus, permagnos in commonſtrando unius ac veri DEI cultu profectus faciebat, conciones penè quotidianas in Æde ſacra, quam hodiéque *ante Lætam Curiam* nuncupant, & quæ â Divo Cyrillo, honori *Beatiſſimæ DEI Genitricis* dicata erat, frequentiſſimo populi concurſu habere ſolitus. Sed malim fuiſſe aliquem *ex Stogemiri*, de quo ſupra, Poſteris, qui ut magis popularem redderet ſe Bavaris, armorum ſocietate initâ, illos cum famulitio ſuo, & clientibus, quos habebat, in Moraviam comitatus eſt; id quod vero haud abſimile videtur. Ex itinere verò tranſiens per Auſtralem Bohemiæ plagã, aut per confinia ejus, fortaſſe aliquos etiam ex Bohemis; præſertim *Suſſicenſes, Klatovienſes, & Piſecenſes*, quos jam tum divitijs & potentiâ præ alijs floruiſſe conſtat, in eandem expeditionem elicuit, ſecúmque eduxit.

Daubr. Hiſt. Bob. lib. 4.

ſed aliquis potiùs è Stogemiri poſteris,

Daubr. lib. cit. Hagek an. 896. Stransky Reip. Boh. c. 8. §. 9.

Bavaricæ militiæ comes.

Haud multò poſt *Bavari* tranſegerunt cum *Svatobogio & Mogemiro* controverſiam omnem, adnitente ut plurimùm Hattone Moguntino, qui tandem pacem ſvaſit; ob id potiſſimùm, ut *Gebelbardi Comitis* neceſſarij ſui, vitæ & libertati conſuleret, atque inteſtinos, qui ſub id tempus domî exoriebantur, eò citiùs compeſceret motus. Cauſa verò Eccleſiaſticorum utriúſque partis ad Sedem Apoſtolicam, utì congruebat, rejecta eſt. Atque hoc videtur eſſe, quod Hermannus monachus Cœnobij S. Galli, Ord. S. Bened. Scriptor egregius, in Chronico ad an. 901. innuit: *Eodem anno Mojmarius, & Iſanrtcus cum Rege* (Ludovico Imp.) *pacificantur.*

Pax ſequitur.

Herman. Contractus quondam filius Comitis de Veringen in Svevia, poſtea Religioſus, integerrima vita: claruit ſub Henrico Imp. circa an. 1040. Hic compoſuit illos de Beatiſſima Virgine dulciſſimos hymnos: Salve Regina. & Alma Redemptoris Mater.

Inter hæc *Hungari ex Italia revertuntur*: qui captâ modicâ per hyemem quiete, mox iterum anno ſequenti, vere nondum adulto, armis multiplicatis & viribus, in res aſſurrexerunt novas; & primò *Croatas* oppreſſum excurrerunt, ut ijs ſubactis, liberiorem haberent, quando vellent, etiam in *Dalmatiam* aditum, â quibus pretio & prece deliniti, vim poſtea omnem converterunt *in Moravos*. Horum conatus tempeſtivè ſubodoratus *Mogemir*, nihílque differendum ratus, utì erat in rebus cunctis ſolers & providus, arma confeſtim & militem contrahit; & ne ſolùm viribus rem gerere adversùs hoſtes cogeretur, ad aſtum converſus, circa limitem in quadam ſaltuoſa valle, per quã irrupturos noverat, inſidias præſtrui juſſit, quibus deinde primũ eorum temerè procurrentium agmen, facili negotio oppreſſit. Sed fortuna doloſa, quæ initio ei applaudere videbatur, malignè paulò poſt illuſit, quantóque faventiùs ei tum in modico arriſerat, tantò funeſtiùs in extremo dejecit ac proſtravit. Erat in ea expeditione Hungarorum, *dux Chuſſol*, vir acer, ac Chriſtiano nomini infenſiſſimus: qui *Moraviam* ingreſſus, totum agmen *in Mogemirum* convertit, tantâ vi in eum invectus, ut ſuſtineri nequaquam poſſet. Monuerant quidem ante prælium *Mogemirum*, alij duces, ne copias in aciem produceret, séque & Regnum univerſum unius pugnæ diſcrimini exponeret, priusquàm auxilia *à Svatobogio*, quæ propediem adfutura nunciabantur, convenirent. Sed fato ejus conſilia omnia præripiente, perſvadere non poterant animo conſerendæ pugnæ ſupra modum avido, vel ut modicum moræ admitteret. In tres turmas diviſit exercitum: quarum tamen duæ,

Hungari ex Italia reduces, Moravis metùm incutiunt.

in Moraviam vaſtabundi excurrunt:

â Mogemiro reprimuntur.

Mogemiri fortuna mutatur.

Fatalis in Mogemiro prælij committendi ardor.

Digitized by Google

mox initio prælij, ſolutis ordinibus profugêre, *fruſtra libertatem, patriam, aras, focos, conjuges liberòsque inclamante Duce; magna charáque nomina, additura utique animos, niſi omnem honeſti ſenſum turpis timor extinxiſſet.* Neque tamen ea fuga, cæteris animos adimere viſa eſt, quin infracto animorum & virium robore, ac præeunte Duce, ſtrenuè rem gererent, & usque ad medios hoſtes, magnam in obvijs edendo ſtragem, proveherentur: donec & ipſi multitudine hoſtium undique circumfuſi, cæſi vel disjecti ſunt. *Mogemir* ne vivus in poteſtatem hoſtium veniret, amiſsâ jam totâ rei benè gerendæ facultate, quod unicum ſupererat, omnibus circa ſe corporis ſui cuſtodibus occiſis, maluit fortiter occumbere; ergo ſupremo virtutis fortitudinísque conatu edito, telorum tandem hoſtilium multitudine haud inultus obrutus eſt. Ita cecidit *vir profectò heroicis connumerandus ingenijs, Regníque Moravici columen,* quo ſublato brevì & Regnum ipſum non labare tantùm, ſed ruere viſum eſt.

Mogemiri clades, interitus. *Aventin. f. 370.*

Hungari victoriâ feroces Moraviam vaſtant:

Hungari victoriâ potiti, totum illum circa *Vagum & Sochum* flumina tractum, ad *Albos montes* usq; & *confluentem Moravæ*, percurrerunt vaſtabundi, oppida & villas more ſuo exſcindentes ferro & igni: & ſi victoriam tantâ celeritate partam, ſaniori conſilio proſequuti fuiſſent, facili negotio victricia ſigna protuliſſent etiam ultra *Moravam*, *Svatobogio* & Optimatum primoribus, tam *ſubitâ Mogemiri clade*, adeò conſternatis, ut ſalutis ſuæ unicè ſolliciti, fugæ magìs, quàm arcendorum hoſtium remedia circumſpicerent, conſilij penè inopes; quod alioquin, ad tuenda firmiori præſidio Moravæ littora, exigebat neceſſitas præſens. Verùm contigit Hungaris, ut quondam *Hannibali*, quem *Mabarbal*, vel *Pancha* (ùt volunt alij) lentitudinis increpans, *vincere eum ſcire, ſed victoriâ uti neſciſſe*, meritò arguebat. Occupati námque *Modræ oppidi*, atque iterum *Czervveno-Kameni* caſtelli oppugnatione, eò quòd vicinæ Nobilitatis theſauros, quibus avidiſſimè inhiabant, illic tanquàm in validioribus munimentis reconditos cognoviſſent, ſpatium dederunt Moravis recolligendi vires, reſpirandíque â conſternatione & metu; ſerò poſtmodùm inconſideratæ dementiæ alter alterum arguentes, quòd non potiùs, fuſo fugatóque Moravorum exercitu, & obſidionalibus ærumnis ubíque declinatis, irruerint confeſtim in interiora Regni defenſoribus penè nudata, ſolitâ celeritate uſi, quà antehac occaſione tali, hoſtium conſilia ſæpenumerò prævertiſſent. Fixis deinde juxta *Brzeslaoburgum* caſtris, ipſum quidem caſtellum, (cladium memores priſtinarum) nec tentare ſunt auſi, agros verò fertiles latè longéque patentes, & tum adultis herbis, ac ſegete ad maturitatem accedente veſtitos, ad extremum vaſtavêre penuriæ, cultoribus cæſis aut captis. Porrò advenientibus *è Bohemia & Polonia* auxilijs, receſſerunt in propria, prædarum tantiſper ſaturi: neque ampliùs eo anno ventum erat ad ullum juſtum prælium, niſi quòd circa limitem fierent excurſiones frequentes.

Victoriâ tamen ſuâ uti plenè neſciunt. *Tit. Livius Marcellin. Plutarch. in Annibal.*

Moravi ad arma conclamant.

Auxilia Bohemorum & Polonorum miſſa Moravis, Hungaros reprimunt.

Nova Hungarorum in Moraviam irruptio.

Sequenti anno, multò majore *Hungarorum ferociâ* recruduit bellum. Quippe Hungari ſolito ardore prædarum, augendíque regni cupidine ſupra modum flagrantes, rursùm violentâ manu Regni perrupêre limitem; & disje-

disjectis, qui reſiſtere conabantur, ſpatio temporis brevi, penetrârunt ad usque *Moravam*, facilè & flumen tranſituri, nî tum â tabefactis nivibus latè fuſi gurgites vadum ubique impedijſſent. Quamvìs autem *Moravi*, eâ tam repentinâ hoſtium irruptione, non parum conſternarentur, videntes tantam multitudinem in exitium ſuum collectam, jámque peti ipſa viſcera Regni: amore tamen Patriæ, ſalutis ac libertatis propugnandæ excitati, cùm animadverterent agi, de omnium vita, citámque inſtare mortem, aut perpetuam ſervitutem, niſi barbaris reſiſtatur potenter; ad arma concurrerunt viritim omnes, vitámque impendere parati pro aris & focis, egregiè per dies aliquot ſuſtinuerunt vim hoſtium, tranſitum Moravæ ſummo conatu urgentium; auſos quoque nonnullos fiduciâ nandi amnem permeare latenter, trucidârunt. Poſtea tamen ſubſidentibus aquis, *Hungari* copiarum numero, ac præſertim equitatûs robore prævalentes, flumen ſuperârunt; cæsiſque & disjectis præſidijs, atque iterum *prælio cum Moravis inito, victoriáque obtentâ*, digreſſi ſunt effuſoriè per obvia quæque, miſcentes cuncta populationibus & incendijs: *Svatobogio* & alijs, qui prælio victi intra munimenta urbium & caſtellorum confugerant, fruſtra patriam flammâ ac ferro pereuntem ſpectantibus.

Hungari Moravos cædunt: Regnum quaquaverſum populantur:

Pervaſtatâ in hunc modum potiore nobilioréque Regni parte, *Hungari* quaſi eo ſucceſſu majora ferociæ alimenta ſuſcepiſſent, *VVelebradium* obſidendum ſuſceperunt; quòd ibi Regem & Optimates Regni latere, docentibus omnia profugis, didiciſſent; exiſtimantes, capto Rege, Sedéque regiâ, facilè ſe Regnum totum poteſtati ſuæ ſubacturos. Nam cùm priùs aliqua minoris notæ caſtella ad deditionem tentâſſent, retulerunt ab incolis, intempeſtivam adhuc eſſe defectionem, ſed ſi Sedem Regni primariam occupaverint, ſe quóque, utpotè Regni ſequelas, victoribus acceſſuros. Verùm *Svatobogius* clauſa urbe, & obſeratis undique portarum aditibus, videns totius rei ſummam jam in alea poſitam, nihil eorum, quæ ad defenſionem requirebantur, prætermiſit. Alij quoque duces, continuò penè cum armatis diu noctuque inter propugnacula viſebantur; cæteri congeſta undique ſaxa, teláque habebant in promptu, ut quando hoſtes, qui jam Urbem coronâ cinxerant, peterent muros, multitudine miſſilium ſternerentur & lapidum. Neque adeò difficile erat reſiſtere Hungaris, prædis potiùs cogendis, quàm oppugnandis Urbibus aſſvetis: irruebant quidem muros denſis agminibus, *locuſtarum inſtar*; ſed ſine modo, ſine ordine, ita ut quò frequentiores foſſas Urbis tranſilire, muróſque ſuperare niterentur, eò majori cum ſtrage, cæde & ruina ad ima præcipitabantur. Cúmque ita propugnatores, hoſtium multitudini ferociùs, quàm conſultiùs, in muros & valla prorumpenti ſtrenuè reſiſtunt, & alios telis & ſaxis, alios pluteis & cratibus, alios gladijs & verutis proterunt, deturbant paſſim, obtruncant, ſigna eorum avellunt, ultra foſſas propellunt, audaciſſimum quemque ex anteſignanis trucidant; reliqui clade primorum perterriti terga vertunt, celerique curſu vitantes exitium, in caſtra ſe recipiunt. Neque poſtea quidpiam in aggredienda urbe tentare auſi, potiùs uti antea prædatum ſeſe effuderunt multò crudeliùs in obvia quæque ſævientes.

VVelehradiũ Regni Metropolim, & in ea Regem obſident.

Regis & Optimatum, in propugnanda urbe, cura & virtus.

Hungarorum impreſſiones fortiter excipiunt & repellunt.

Hungari obſidione ſolutâ longè latéque Moraviam populantur.

Georg. Fabric. lib. 1. rer. memorab. Saxon. an. 903. Spangenb. in Chron. Saxon. c. 119.

Digitized by Google

Interea *Svatobogius* nil magis ſollicitâ volvebat mente, quàm quomodo rebus ſuis extremo in diſcrimine verſantibus conſulere poſſet: & quia auxiliares copias *à Bohemis & Polonis* habebat promiſſas, ſtatuit ijs ſupervenientibus, prælio rurſus tentare fortunam. Verùm alijs conſultiùs viſum tutiúſque, ut pertentarentur hoſtium animi, ſi quo remedio pax ab eis ſi non impetrari, pretio ſaltèm redimi poſſet; ſvadebántque captandos muneribus ſpecioſis barbaræ multitudinis duces. In quàm ſententiam, cùm deinde Rex ipſe, & cæteri deſcendiſſent, egreſſi ſunt nonnulli viri graves, & uſu rerum ac experientiâ clari, qui rem periclitarentur, fide publicâ interpoſitâ. Collatóque negotio cum Hungarorum primoribus, iiſque auro devinctis, rem eò usque perduxerunt, ut pax utrínque concluderetur ad decennium: conditionibus tamen *Svatobogio* acerbis: inter quas erat, quod Hungari obſtinatiùs petebant, *ut Rex ipſis cederet dextram Vagi ripam, unà cum oppidis & caſtellis adjacentibus; & annis ſingulis penderet tributum.* In quæ omnia *Svatobogius*, neceſſitate urgente, conſenſit, tradiditque ſine cunctatione, quæ petebantur; difficilè hoc adeptus, ne obſidatûs ſpecie, prout aliàs inſtabant Hungari, *viros è comitatu ſuo præcipuos* dare teneretur. Ita pace initâ, & Regno Moraviæ Hungaris vectigali facto, quievit pauliſper ab inferendis cladibus & cædibus *Mars cruentus.*

Tractatio pacis. *Conditiones pacis.*

Quo facto, *Svatobogius* metu omni ſolutus, redijt ad genium; ſpretóque conſilio ſeniorum, & *Archi-Epiſcopo rurſum è palatio ejecto*, pro libitu omnia agere cœpit; nactus aſſentatorum plurimos, ob ſimilitudinem morum ætatíſque vicinitatem, & quia ad ſingula ejus verba plaudere ſciebant, acceptos. Quorum ductu, præter inveteratos ipſius in luxu ſectando mores, ſævitum quoque eſt in multos acriùs, quàm errata flagitaverant; vel dicta: maximè in eos, quos olim *Mogemiro* adhæſiſſe conſtabat; cujus memorandis virtutibus frater, ubi potuit, obtrectabat, nec ſimilis ejus, nec ſuppar. Multi itáque, ſublato, de quo retulimus ſuprà, *Amniſtiæ inſtituto*, tanquàm noxij damnabantur: pars necati, alij puniti bonorum mulctatione, actíque Laribus ſuis extorres, nullo ſibi relicto, præter querelas & lacrymas, ſtipe collatitiâ victitare cogebantur. Nec quidpiam valuêre intercedentium preces, ſed nec judicij forma in his malis quærebatur, ut *ſaltèm ſpecietenùs crimina præſcriptis legum committerentur, quod aliquoties fecêre Principes ſævi:* verùm quidquid Regis implacabilitati ſediſſet, id veluti fas júſque debitum, confeſtim urgebatur impleri. Ignorabat Rex juvenis ſententiam illam Tullianam docentem: *infelices eſſe eos, qui omnia ſibi licere exiſtimant.* Inſuper moto contra Cæſarem bello, inquietare cœpit vicinam Auſtriam excurſionibus crebris; tractúmque illum cis-Danubianum, quem Auſtriaci tenebant â Regno Moraviæ, partim vi, partim deditione abſtractum, rurſum armis repetere ſtatuit: irrito tamen ſucceſſu, & incommodo ſuo, quàm Auſtriacorum graviore; plus ſiquidem amittebat indiès, quàm recuperaret, â fortuna jam penitùs deſtitutus.

Svatobogius mores in pejus mutat: *contra fas in ſuos ſævit.* *Daubrav. l. 4.* *Auſtriæ fines, malo ſuo, infeſtat.*

Et hæc quidem medullitùs gementibus multis agebantur, palámque in eo deplorando rerum ſtatu, fata adventare caſum regni funeſtum, modò

non

non loquentibus ſignis, apertè monſtrabant: facilè námque ex habitu Regis miniſtrorúmque ejus, id potiſſimùm quid ille ajat, vel neget, ut aſſentiri poſſint, obſervantium, colligere licebat, peſſimis eorundem nutibus & conſilijs, proximè Regni ruiturum culmen. Quippe, ut nihil ſalutare magìs Reip. aut Regno, eſt *conſilio*, præſertim *quod magìs bono publico, quàm Principis placito ſtudet*: ita nil pernicioſius *conſilio, quod utilitatis privatæ causâ, placere Principi affectat*. Proinde cùm in rebus magnis, ùt volunt Sapientes, non ſolùm primordia rerum gerendarum, ſed etiam acta & eventus manant ex conſultatione, conſequens eſt, ut ex conſilijs quoque, aut errore ruant, aut virtute proſperè cedant univerſa. *Ego*, ait Salluſtius, *in vita multa audiendo, atque legendo ita comperi: omnia Regna, Nationes, Civitates usque eo proſperum Imperium habuiſſe, dum apud eos vera conſilia valuerunt: ubicunque autem gratia, timor, voluptas, ea corrūpere, poſt paulò imminutæ opes, deinde ademptum Imperium, poſtremò ſervitus impoſita eſt.*

Cauſæ ruentis Regni,

Conſiliarij mali.

Conſilijs bonis, vel pravis ſtant, vel ruunt Regna. *Orat. ad Jul. Cæſ.*

Peucer. lib. 5. Chronic. f. 79.

Svatobogio igitur ſalutaribus conſilijs deſtituto, & in vitia, cæco quodam furore ruente, facilè & Regnum in ruinam inclinavit. Acceſſit Religionis & Sacerdotum contemptus, quod vitiorum in Principe maximum. Nam ſi quæ virtus Principibus ac Regibus debet eſſe prima, eſt *Religio*: ut non ſine myſterio, *Regum Juda lectulus, unò tantùm ab altari Domini pariete diviſus*, fuiſſe feratur. *Pietate, religione, cultu & veneratione Dei ſtant Regna*: ultimò, prudentiâ humanâ. Unde ſicuti ſtatera, ſi lancem loco motam habet, pondera juſtè non indicat; ità & anima Principis, niſi habeat rationis lancem ſtabilem, ac firmiter pietati ac religioni affixam, rectè progredi non valet, ſed circumfertur jugiter atque deprimitur. Ideóque ſine religione non faciet Princeps officium ſuum; ſed neque ſubditi. Quid enim boni, quæ fides, quæ juſtitia, quæ ſocietas, quæ lex ibi eſſe poterit, ubi Religio exulat? non niſi fraudes, odia, ſimultates, oppreſſiones, conjurationes, & peſſima quæque ibi exercentur; quæ poſtremò inferunt ruinam Regnorum & interitum: uti hìc in *Moravorum Regno* manifeſtum exemplum patet.

Scriban. in Polit. l. 2. c. 19. Juſtus Lipſ. in Politic. Strada decad. 1. lib 2. de Belgij rebell.

Religio & pietas Regnorum propugnacula.

Chryſoſtom. homil. 5. in ſecundam ad Timoth.

De cujus interitu, tametſi ſuperiori libro diſſeruimus, adductis in teſtimonium duobus inſignioris notæ Scriptoribus*: nihil tamen abs re facturi fortaſſe ſumus, ſi pro majori claritate, tertij adhuc, nempe *Joannis Daubravij Epiſcopi Olomuc.* authoritatem adjecerimus; qui in Hiſtoria Bohemiæ, de Svatobogio Regníque Moravici ruina, hæc habet: *Acceſſit ad audaciæ illius* (Svatobogij) *cumulum, inſolentiſſimus in Præſulem ſacrificantem inſultus: Metudius Præſul erat, Divis poſtea adnumeratus, ad quem Rex miſerat, ne priùs Sacra* (in feſto SS. Petri & Pauli) *obiret, quàm ille à venatu reverteretur. Expectat Præſul plus ſatis temporis: dein Meridie jam inſtante, ac magnâ plebis multitudine* (quia moræ longioris tædebat) *dilabente, neglecto Regis imperio, ad aram ſe recipit, Sacráque more ſolemni facere incepit. Ecce tibi Rex turbâ venatorum, canúmque grege ſtipatus, ſubitò in templum inſilit, ad arámque cum ingenti ſtrepitu boatúque, & latratu ſe applicat, ac ægrè manus à violando Præſule abſtinet. Cæterùm omnia quæ in ara depoſita erant, ſacra profanáque diſtur-*

* *Æneâ Sylvio, & Paulo Stranſky.*

Cauſa interitûs Regni Moravici, *Daubrav. l. 4.*

Svatobogij impietas.

ſturbat, & deijcit. Hunc tantum Dei veriùs, quàm ſui contemptum ipſe Præſul Deo vindicandum reliquit, ac inde protinus in Bohemiam migravit. Nec longè aberat detractæ Religionis ſuæ vindex Deus, ſicut nec Cæſar contemptæ ſuæ dignitatis; ſed uterque per tempus ſuum à contemptore eam pœnam exegit, quâ ſubdomantur ſuperbi & impij. Nam Cæſar Regnum illius per edictum publicavit, deditque illud diripiendum vicinis gentibus, Hungaris, Polonis, Auſtriacis: reliqua pars, quæ nunc exſtat, ultrò ſe fidei poteſtatique Bohemorum permiſit. Et mox de Svatobogio rurſum: *At miſericordiæ plenus Deus, qui non vult mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat, de Rege multarum gentium, humilem inopémque ſibi fecit heremi cultorem, ad montem cui Sembor vocabulum, quem tres duntaxat Heremitæ vitam aridam durámque viventes, incolebant; ijs Rex quartus additus, nemini contubernalium de tolerantia patientiáque conceſſit. Nec niſi ante extremum diem, quis eſſet, ſe illis prodidit, à quibus etiam Nitriæ in Pannonia conditus fuiſſe dicitur, & donec appareret conditorium, hoc elogium inſculptum habuiſſe fertur. Regem Moraviæ Svatoplucum* (Svatobogium) *in medio Regni ſui,* (malim ego in medio Regni prædeceſſorum ſuorum) *ſepultum jacere. Tam latè olim támque longè proſpectabat Moravia.* &c.

Regnum Moraviæ publicatum vicinis præda fit.

Svatobogius pœnitentiâ ductus, abit in eremum.

Regni Moravici finis.

ſupra l. 1. c. 3.

Hic finis fuit *Regni Moravici*, quod à *Marcomanis ad Sarmatas*, ſeu *Slavos* translatum duravit annos 450. circiter. Cœpit enim, ùt ſupra dictum, cum *Babacho primo Moravorum Rege;* deſijt autem, longâ ſucceſſorum ſerie, *in Svatobogio*, anno Chriſti 908.

Ex quo patet, nihil in rebus humanis conſtans eſſe, nihil ſtabile, ſed omnia, etiam ſumma quæque, habere ſuum finem. Patet quoque Imperia, aut Regna, non rapi, vel obtineri viribus; nec regi, vel ſuſtineri conſilijs humanis; nec conſiſtere, aut ruere caſu, ſed conſtitui ac ſervari divinitùs: & rursùs, creſcentibus gubernatorum aut ſubditorum vitijs & impunitate, vel mutari ac transferri de gente in gentem, vel prorſus deleri.

MAR-

MARTIS MORAVICI

Liber III.

LErna plagarum â Marte hoſtili Moraviæ inflictarum, cùm poſt Svatobogium Regem ultimum, in Provinciam Regni Bohemiæ redacta eſſet; ad usque VVenceslaum ejus nominis III. Bohemiæ Regem, ex Przemyslo-Lybuſſæa ſtirpe ultimum.

CAPUT I.

Regnum Moraviæ â vicinis gentibus, Hungaris, Polonis, Auſtriacis diripitur: cujus pars, Bohemorum fidei poteſtatíque ultrò ſe permiſit.

ORbatis Rege Moravis, mox Regnum novis bellicis turbinibus undique concuti, crebris hoſtium incurſionibus divelli, & funeſtis tam villarum ac oppidorum, quàm populorum vaſtationibus miſerandum in modum lacerari, atque ita perire cœpit. Nam *Hungari* ſub id tempus reverſi ex Bavaria, quam direptionibus, incendijs ac cædibus defœdârunt crudeliter, *profligato Ludovici Imp. ad Auguſtam Vindelicorum exercitu*, trium dierum prælio, quo præcipuum *nationis Germanicæ decus*, *florémque Nobilitatis* & militiæ, ac inter alios præſtantioris nominis Principes, *Leopoldum Auſtriæ Marchionem*, & *tum quoque Bavariæ Ducem*, *è Caroli Magni proſapia genitum*, *ad quem reducitur origo Ducum Bavariæ*, & *Palatinorum Rheni*, occubuiſſe perhibent: vim deinde omnem converterunt in *Moravos*. Quibus pari fato profligatis, regionem horribili graſſatione percurrerunt penè totam, defœdantes more

Miſerabilis in Moravia rerum facies.

Append. in Chron. Rheginon. an. 907. Marian. Scot. Chron. lib. 3. Herman. Contract. in Chron. an. 908. Lambert. Schaffn. an. eod. Siffrid. in Epitom. l. 1. an. eod. Naucler. Volum. 2. part. 2. generat. 31. Hund. Tom. 2 in Metrop. pag. 249. Peuctr. lib. 4. Chronic. in Ludovico IV. Jacob. Fugger in Speculo Auſtr. l. 2. c. 1.

Hungari in Moraviam ferro flammâque graſſantur:

ſuo

Digitized by Google

Bohemicis Polonicisque auxilijs repelluntur: denuò populando crudeliter & urendo Moravos infeſtant:

ſuo cuncta populationibus ferro & igni: ardebant paſſim Divorum aræ, privata fumabant tecta, & tota pene patria buſtum fuit. Advenientibus è *Bohemia & Polonia* auxiliaribus copijs, Moravam transmiſerunt, onuſti ſpoliorum genere omni; nec quicquam aperto Marte tentare ampliùs auſi, dirimentibus fortè auſpicijs, vel congredi prohibentibus: in propria reverſi ſunt. Non multò poſt tam dulcedine prædarum ineſcati redierunt; ubi imprimis oppidorum & caſtellorum *Vagum inter & Moravam*, quæ tenebantur à Moravis, oppugnationi incubuerunt: quibus partim vi, partim deditione in poteſtatem redactis, totóque illo trans Moravam nobiliſſimo terrarum tractu, ad confluentem usque Danubij occupato, quaſi jam cupiditati ſuæ feciſſent ſatis, pacem obtulerunt *Moravis*; quam & pepigerunt hâc lege, ut ſibi ea retinere liceret, quæ bello cepiſſent: hísque inducijs incluſi quoque ſunt *Bohemi & Poloni*, tanquàm *Moravorum* ſocij & fœderati.

Pacem Moravis ſuâ ſponte offerunt:

Germaniam longè latéque incendijs, direptionibus ac cædibus complent.

Erant Hungari in pace concedenda eò promptiores, quòd ſecretioribus conſilijs, bellum aliud *adversùs Teutones* meditarentur: ùt brevì poſtea eventu patuit. Nam peragratâ & expilatâ *Auſtriâ*, effuderunt ſeſe iterum in ima usque *Bavariæ*; & disjectis Germanorum, quotquot ad reſiſtendum concurrerant exercitibus, penetrârunt tandem *in Saxoniam & Thuringiam*; ubi rurſum Burcardo duce, cum magna illuſtrium virorum manu prælio cruento cæſo, *totam penè Germaniam* percurrerunt, miſcentes cuncta cædibus & incendijs. Quod fecerunt & anno ſequenti, cæſo *Francorum* exercitu. Sed neque impoſterum, velutì anniverſarij turbines, ceſſabant ab irruptionibus; donec pacem obnixiùs petitam, *Ludovicus Imp.* datâ ingenti pecuniarum ſummâ, & tributo quotannìs pendendo redemit. Qui deinde ex animi ægritudine, & dolore rei malè cum Hungaris geſtæ, in morbum incidit, ac brevì poſt obijt 12. Calend. Januarij, an. 911. *Imperator ex ſtirpe Caroli Magni ultimus.*

Append. ad Rhegin. an. 909. & 910. Herman. Contract. an. eod. & ſequ. Marian. Scot. an. eod. Lambert. an. eod. Ens rer. Hungar. lib. 1.

Ludovicus IV. Imp. pacem ab illis multo auro redimit.

Naucler. ſupra cit. Peucer. citat.

Moravi fortunam tentant: quæ tamen ipſis ſingulari malignitate illudit.

Interea Moravorum conatus omnes, quibus denuò in priſtinum ſplendorem aſſurgere nitebantur, adeò irriti erant, fortunâ omnibus eorum conſilijs malignè illudente; ut idcirco vicinis gentibus, ludibrio penè ac deſpectui haberentur. Pars *VVratislaum Bohemiæ Ducem*, cujus fidei jam antea ſeſe tradiderat, in Regem poſcere: pars in *Rapoldum Arnolphi Imp. minorem natu filium*, ob linguæ Slavicæ peritiam inclinari: pars Regnum ad aliquem ex Procerum ordine, tacitis votis translatum velle: sícque ſciſſis partibus augebantur magìs ac magìs concertationes graves & pernicioſæ, quæ brevì erupiſſent in civile bellum, niſi pax Hungarorum cum Cæſare inita, novum incuſſiſſet metum. Tum enim veriti, id quod erat, ne Hungari continuis aſſveti excurſibus, factâ jam cum Germanis pace, rursùm Moraviam bello petant; prout antea ruptis etiam contra omne fas fœderibus, non ſemel feciſſent, abjectâ diſceptatione ulteriori, *VVratislao* concordibus ſuffragijs tradiderunt ſe & Regnum. Nec mora, *Joannem Epiſcopum*, cum alijs præcipui nominis, ad eum mittunt poſtulatum, ut ad capeſſendum Regnum venire, votóque & deſiderio publico illorum, qui ipſum tam propenſis animis in Regem elegiſſent, ſatisfacere, Regnúmque tot injurijs expoſitum, in priſtinam faciem vindicare vel-

Procerum de novi Regis electione concertatio gravis.

VVratislao Bohemorum Duci Regnum offerunt: ad capeſſenda Regni gubernacula invitant.

vellet: non deeſſe, etiam poſt tot inflictas calamitates & clades, copias & vires, quibus recuperari amiſſa poſſint.

At ille domeſticis præpeditus turbis, quæ poſt mortem *Borivogij patris* tum defuncti exarſerant, *Religionis causâ*, pleriſque adhuc, tum ê proceribus, tum ê plebe, â Chriſtianorum ſacrorum ritibus alienis; nequierat ipſis extemplò morem gerere. Memor tamen dictorum *Divi Metudij*, qui paulò antequàm Pragâ diſceſſiſſet Romam, prædixerat Principi; *fore brevi*, *ut Moravia Bohemia* jungatur; ac proinde magìs divino, quàm humano conſilio id ſortis ſibi primo deferri videns, penitiùs hæc omnia conſiderabat. Quare Epiſcopo cum collegis comiter excepto, ac demum in concilium vocato, ſe jus & tutelam Regni Moravici ſuſcipere profeſſus eſt; daturúmque operam, quantùm humanâ ope fieri poſſit, ne tam honorifici de ſe judicij *Moravos* pœniteat, néve eorum quidpiam, quæ ad præclaræ erga ipſos ſuæ voluntatis teſtificationem pertinerent, neglectum videatur: ipſorum viciſſim jam eſſe, curare, ut quæ ſuorum nomine attuliſſent, rata permaneant. Nihil porrò turbarentur ex eo, quòd mox poſtulatis eorum ſatisfacere nequeat; neceſſariam eſſe moram, ut compoſitis ad animi ſententiam domî rebus, externis deinde eò validiùs incumbere poſſit. Quæ cùm relata eſſent in *Moraviam*, multi impatientiâ moræ, contra muſſitare, & aliqui rurſum in factiones abire; præſertim, qui Septentrionalia incolebant, *ad Polonum*, tanquàm viciniorem ſibi, haud obſcurè inclinari videbantur: prævaluit tamen Optimatum cætus, *magis Bohemo*, *quàm Polono Chriſtianâ religione nondum imbuto* favens. **VVratiſlaus pacatis domî rebus,**

Brevi poſt *VVratiſlaus*, pacato Provincialium ſtatu, *Moraviam* petijt; **in Moraviam cum exercitu movet:** & quia per id tempus Hungari induciarum obliti, denuò in Moraviam irruperant, valido cum exercitu, quem ê fortiſſimis ſingulari diligentiâ collectum habebat, eò contendit, rectâque in hoſtem duxit: quem ſolâ adventûs ſui famâ adeò conterruit, ut neque auderet expectare venientem, ſed in tutiora maturè receptui daret, miſsiſque nuncijs amicam potiùs peteret pacem. **Hungaros in obvia quæque graſſantes coërcet,** A qua prudenti conſilio nequaquam abhorruit Princeps; ut initia novi regiminis hâc **Hungari pacem petunt.** viâ ſibi firmaret, avertendiſq; ſubditorum miſerijs, quas tot ac tantæ hoſtium irruptiones invexiſſent, conſuleret. Atque hoc tutum & ſalutare conſilium, ommiſſo alio præcipiti, ſuâpte naturâ capeſſentem, multi etiam ex comitatu, *tam Bohemi quàm Moravi*, ut hoc modo ad publicum corruentis *Moraviæ decus* tuendum, ſimul & majora detrimenta avertenda, curam ſuſciperet, multis rationibus ſvadebant. Itáque renovatis in certas leges inducijs, pax redintegrata eſt. **Conditiones pacis.** Daubravius de eo refert hiſce: *Domi foriſque rebus quietis*, **Daubrav. Hiſt. Bob. lib. 4.** (in Bohemia) *ſubitò nunciatur*, *Hungaros*, *dum Alemaniam Saxoniámque petunt*, *in fines Moraviæ deflexiſſe*, *ibidemque incolas populatione*, *& omni rapinarum genere miſerandâ calamitate affeciſſe. In re adeò inopinata*, *haud potuit VVratiſlaus per tempus occurrere*, *opémque ferre Moravis*; *ſed paulò poſt contractis in Bohemia copijs*, *Moravos quoque armatos ſe expectare juſſit*, *ut communibus viribus*, *minore cum periculo*, *hoſtem invaderent*, *vindictámque de injuria illa ab eo caperent*. *Agmina ducentibus in Pannoniam*, *legati*

Digitized by Google

Hungarorum in via ſe offerunt (abhorrebant videlicet in diſceſſu ſuorum à bello Hungari) VVratislaum magnoperè orantes, nè longiùs cum exercitu ſuo progrediatur: paratos ſe eſſe ad damna ſartienda, quæ ipſis ignaris ſunt illata Moravis, à popularibus ſuis, quos illi ad Germanos, non autem Moravos vexandos miſerint. Juſſi pecuniam adnumerare, quâ & ſtipendium militi exolvi, & res quæ inter populandum amiſſa erant, redimi poſſent. Tum Moravis quoque imperatum, ut ſylvas Pannoniæ adverſas ſucciderent, ne ſic impunè hoſtis incautos aſſultaret.

Hungari Germaniam denuò igni & ferro vaſtant:

Abhinc viguit per Moraviam publica quies, annis tribus, Hungaris interea per *Auſtriam, Bavariam & Sveviam*, atque iterum *per Italiam*, arma circumferentibus. Ex Italia reduces, denuò in Germaniam ſpolijs opulentæ regionis pellecti, ſeſe infuderunt; & primò percursâ celeriter *Auſtriâ Bavariaq; Orientalem Franciam*, deinde Rheno transmiſſo, Baſileâque eversâ, *Alſatiam & Lotharingiam*, ac rurſum in reditu *Thuringiam & Saxoniam*, percurrerunt, cuncta populationibus, ſanguine, rapinis, cædibus & incendijs fœdiſſimè permiſcentes. Erat tum temporis *Imperator Cunradus I.* qui cum viribus ſufficere, & tam immanem hoſtium multitudinem ferro ſuperare non poſſet, muneribus & auro eam delinire, & pacem pretio emere neceſſe habuit.

pecuniâ placantur:

Herman. Contr. an. 916. Peucer. lib. 4. Chron. in Cunrado I.

in Moraviam populabundi excurrunt ſævientes immaniter.

Coſmas in Chron. lib. 1. Hagek ad an. 916.

Moravi ab Hungaris pacem emunt.

VVratislaus moritur, an. 926. die 13. Febr. (*juxta alios an. 916.*)

Cunrad. I. Imp. Moravos in fidem ſuſcipit.

Append. ad Rhegin. an. 917. Nauclerus, Sigebertus. Hoſman. in Pompa regij ingreſſus in ſuperior. Luſatiam in præfat. ex antiquo Chronico Morav. c. 181. apud Goldaſt. l. 3. c. 16. §. 5. & 30.

Quo audito, *Moravi* in ſolicitudines diſtrahebantur varias, metuentes ne *Hungari*, utì pro more ſuo inquieti, jámque tot mortalium funeribus paſti, at nondum ſatiati, denuò *in Moraviam*, ruptis, prout antea perſæpè induciarum pactis, prædatum excurrerent. Neque ſecùs accidit, quàm timebatur: nam in ipſo reditu, cùm *ex Bavaria* reverterentur rei benè geſtæ feroces, *in Moraviam*, Danubio viciniorem vaſtabundi irruperunt, incolis, qui poſt tot calamitates & clades ſupererant, nihil tale opinantibus, partim immani truculentiâ ferro exciſis, partim in captivitatem abductis, pagis verò & oppidis cum ſupellectili multa, quæ accipi non poterat, incenſis. Quapropter *Moravi* virium ſuarum, quæ ad reſiſtendum perquàm modicæ erant, haud ignari, novis rurſum legibus pacem flagitare, & cùm ferro non poſſent eam extorquere, auro mercari; ſéque majore quàm antea tributo quotannìs pendendo obſtringere cogebantur. Quippe nulla quantumvìs fœda conditio reſpuenda videbatur, modò cum ferociente vicino, ac velut incubante hoſte paciſci, & patriam ab extremo diſcrimine eximere poſſent.

Cùm deinde â Bohemia, *VVratislao* defuncto, & filijs ejus ætate adhuc imbecillioribus, parum ſubſidij, ſi qua de improviſo ingrueret vis, expectari poſſe videretur, præſertim *Drabomirâ Principis defuncti conjuge imperante*, quæ profanis gentilium ſuperſtitionibus tenaciſſimè addicta, *in Chriſtianos*, velut quondam *Jezabel in Prophetas*, ſæviebat immaniter; fidei ac tutelæ *Cæſaris Cunradi* tum in Bavaria bellum contra *Arnolphum Ducem*, *Leopoldi ab Hungaris*, ùt ſupra meminimus, *occiſi filium* gerentis, ſeſe ſubmiſerunt; qui ipſis in clientelam & fidem ſuſceptis, *Burckhardum Comitem Buchbornenſem*, qui ſuo nomine Rempublicam curaret, miſit: uti teſtatur Abraham Hoſmannus Hiſtoriographus Cæſareus hiſce: Hat Kayſer Conradus der erſt/ den

ſtreit-

ſtreitbaren Kriegs-Helden Graff Burckharden von Buchhorn auff den Reichs-Tage zu Regenſpurg / zu einem Marggraffen in Mähren und Lauſitz gemacht: wie in der alten Mähriſchen Chronica cap. 181. folio 265. Quem tamen brevì revocavit, & *Alemaniæ*, ſeu *Sveviæ Ducem*, conſtituit: ſurrogato haud dubiè in locum ipſius alio, cujus tamen non ſuppetit nomen. Quale autem ſit illud *vetus Moraviæ Chronicon*, cujus hìc mentionem facit Hofmannus, nullam ejus copiam adhibitâ ſat diligenti inquiſitione habere; ſed neque de illo quicquam reſcire vel audire, nè quidem in præcipuis per Bohemiam & Moraviam Bibliothecis potui.

Cruſius in Annal. Svev. Stumphius in Chron. Helvet.

Hungarorum in Italia progreſſus.

Interim Hungari ab *Alberico Hetruriæ duce* evocati contra Romanos, petierunt *Italiam*: qui relictis Romanis in *Tuſcos Alberici fœderatos* vim totam converterunt, & non modò *Thuſciam*, verùm etiam *Lombardiam* defœdârunt crudeliter, ſævientes more ſolito, in obvia quæque cædibus & incendijs: illectíque dulcedine prædarum redibant deinceps anniverſarijs excurſibus, indigenis magna ex parte deletis, aut qui ſupererant, fugáque prolabi nequierant, in Hungariam abductis. Quâdam vice etiam *Urbem Venetiarum* tentârunt, famâ opulentiæ ipſius inducti, & lembis tumultuariè fabricatis, *Novam civitatem* primo impetu occupârunt & incenderunt: exindéque per littorales inſulas debacchati, *Equiligium* caput, aggeris, & *Clugiam* populati ſunt: propéque erat, quod etiam *Rivumaltum* in ſuam redigiſſent poteſtatem, niſi *Petrus III.* cognomento *Tribunus*, *Venetiarum Dux*, egregiâ virtute reſtitiſſet: cui meritò debetur urbis ſalus. Hinc Moravi, occupatis bello Italico Hungaris, pace aliquandiu fruebantur ſecuri.

Blondus decad. 2 lib 2. Naucler. cit. generat. 31. Blond. decad. 2 lib. 2.

Henricus I. Imp. D. VVenceslaum Bohemiæ Ducem, Regem creat, an. 935.

Chron. Halberſtadienſ. ad an. 935. Naucler. Volum. 2 generat. 31. Hagek ad an. 923. Alij & melius an. 935. Balbin. in Epitom. rer. Bohem. l. 1. c. 7. an 937. Stransky Reip. Boj. c. 8. §. 12. Dubrav. l. 5. Kranzius l. 4. Saxon. cap. 28. Alij ut Boregk. Julius Solimanus, Zeiglerus, Caſtritius Ottonem I. filium Henrici dicunt. VVitikin. de geſt. Sax lib. 1. Ditmar. lib. 2. ad init.

Mortuo *Cunrado Imp.* ſucceſſit *Henricus Auceps*: hic poſt cæſos memorabili prælio Hungaros in Thuringia, habito generali conventu Principum *Mersburgi* (non, ùt volunt alij, *Ratisbonæ* nec *Vormatiæ* nec Aquisgrani) Divum quoque *VVenceslaum Bohemiæ Principem*, *VVratislai defuncti filium* ad ſe vocavit, quem tum ob fidem egregiè ſervatam, quam *VVitichindus*, ſcriptor coævus magnoperè deprædicat, ſicut & *Ditmarus* temporum illorum vicinus, tum ob cæteras Principe dignas virtutes, maximè autem ob vitæ ſanctimoniam, cujus jam tum fama tanta fuit, quanta raró mortuos ſequitur, excepit humanitate ſingulari; adeò ut præter alia pretioſi generis munera, inter quæ præcipuum cenſebatur *brachium S. Viti Mart. quondam Corbeiæ in Saxonia aſſervatum*, etiam *Regium nomen ac diadema*, magno Principum omnium applauſu, ſpontè ei obtulerit, adjecto *Regno Moraviæ*: ex qua tunc primò regius in Bohemiam titulus translatus fuiſſe videtur. Et Moraviam quidem ſine omni tergiverſatione lubens in clientelam ſuſcepit; ſed regiam dignitatem pertinaciùs rejecit, quàm obtulerit Cæſar: neq; caput ſuum (modeſtiſſimus Princeps) ullo pacto diademate cingi, imò nec à ſuis *Rex* appellari voluit; tametſi à Cæſare, aliíſque Principibus deinceps ſemper in epiſtolis titulo Regis decoraretur. Hinc forſan eſt, quòd *VVitichindus Boleslaum VVenceslai ſucceſſorem vocet Regem*. Reductâ in Bohemorum Ducum poteſtatem Moraviâ, aſſurgere denuò cœpit; pijſſimo ſub hoc Principe, tum religione, tum

& Moraviam ipſi attribuit.

Nauclerus, VVeleslav. VVitichind. lib. 1 & 2. Blondus decad. 2. lib. 2.

Moraviæ Status reflorescit.

tum opibus: nec quidpiam adverſi toto ejus regiminis tempore, Deo ita diſponente, tulerat ab ullo externo hoſte: anno 934. excepto, quo ab Hungaris, dum Saxoniam peterent, itinere *per Septentrionalia Bohemiæ, versùs Luſatiam & Daleminciam*, ſeu *Miſniam* ducto, detrimenta haud mediocria ſenſit.

Occiſo illo, per ſummum *Boleslai fratris* ſcelus, matre ipsâ *Drabomirâ*, muliere impijſſimâ ac Chriſtiano nomini infenſiſſimâ id procurante, anno 939. (Pulkavva & Hagek volunt an. 929.) mox alia patuit rerum in Moravia facies. Quippe *Moravi parricidium Boleslai deteſtati, deſciverunt ab Imperio Bohemico omnes*; & ut proprium, ſicut antea, domî haberent Principem, cuidam ex Principibus Ruſſiæ, nomine *Olgo, nepoti Jaropolci Kygovienſium Ducis*, (vel *Olgæ*, quæ erat *Jori*, patris *Jaropolci* uxor, fratri) concordibus ſuffragijs Regnum detulerunt, eúmque in *veteri ſolio regio VVelebradij collocatum, Regem appellârunt:* Qui etſi primùm reluctari videretur, quòd fortaſſe regnum tot præteritis hoſtium irruptionibus, & quæ adhuc imminerent, ita concuſſum laceratúmque animadverteret, ut exigua ejus retinendi ſpes affulgeret; aut quia pecunia, exercendæ virtutis, & gerendi belli nervus, deerat: tamen, ùt eſt natura hominum imperij avida, occaſionem hanc minimè prætereundam cenſuit, poſtpoſitáque omni difficultate & periculo, curam Regni ſuſcepit. Nec quicquam negotij hac in re faceſſere ei poterat *Boleslaus*, bello inter hæc graviſſimo, quod cum *Othone I. Imp. Henrici Imp. filio*, cædem S. Wenceslai ulciſcente, variâ utrinque fortunâ, per annos quatuordecim geſſit, occupatus. *Impium námque* (verba ſunt Brunneri) *facinus, & ſuâ atrocitate, & cœleſtibus inſuper prodigijs evulgatum, puro pióque bello vindicandum Otho putavit; ne fruſtra nuper in ſolenni inauguratione, ab Hildeberto Moguntino, ſcelerum ultorem gladium accepiſſe videretur. Urgebat etiam privata neceſſitudo, quæ illi cum VVenceslao interceſſerat, ut qui juvenis in Cæſarea aula verſatus, admiranda virtutum omnium in ea documenta reliquerat.*

Fabricius addit belli hujus cauſam alteram.* *Primo*, inquit de Othone I. *poſt electionem anno* (ſc. 939. quo electio ipſius & inauguratio ratihabita ab omnibus Imperij Principibus fuit) *bellum intulit Boleslao Duci Bohemiæ; ejus belli cauſa duplex: una, quòd fratrem VVenceslaum in templo orationi intentum crudeliter interfecerat, ipſe à religione alienus, pietate eximiâ Principem: altera, quòd Vandalo* (Venedo) *cuidam vicino ſuo* (Dobromiro Zatecenſi) *Saxonum clienti, bellum non neceſſarium moverat.* Narrat deinde infelicem Ottonis expeditionem, & duos Saxonum exercitus â Boleslao deletos. Witikindus tertiam adhuc belli præſentis cauſam memorat, nempe *Legatos Thanemari* (qui fuit Henrici Aucupis filius, & Ottonis I. major natu frater) à *Boleslao violatos.* Bellum hoc, ùt dixi, adversùs *Ottonem* in 14. annos produxit Boleslaus, ut mirari ſubeat, quomodo totius penè Germaniæ viribus appetitus, potuerit ſubſiſtere, & tanto Imperatori (*cui bello pares paucißimos Germania tulit, qui Romam ipſam capit, omnésque Imperio infidas nationes perdomuit*) occurrere, támque diu reſiſtere, ultimò belli tædio, & *Ottonis* clementiâ magis, quàm ullâ aliâ clade ſuperatus.

D. VVenceslaus à fratre occiditur an. 939.

Baronius Tomo 10. Urſpergenſis in Chronic. an. 938. Ditmar. Chronic. lib. 2. Sigebert. Brunner. Stransky cap. 8. §. 12. MS. Chriſtannus Tractatu de Paſſ. S. VVencesl. expreßè habet an. DCCCCXXXVIII. in Archivo Capitul. Prag.

Etiam quædam MS. exemplaria Coſmæ, habent an. eund. nempe 939.

Pulkava, Hagek & alij, qui annum 929. ponunt, videntur ex aliquo male ſcripto codice, in quo X. annor. numerus omniſſus erat, in errorem inducti.

Moravi Olgum Ruſſiæ Principem aſſumunt in Regem.

Cromer. lib. 3. in Miecysl. Luitprand. l. 5. cap. 6.

Zonaras Annal. Græc. to. 3. MS. Comenij, de Antiqu. Morav. part. 2. Item de origine Baronum à Zerotin, oblatum Carolo à Zerotin an. 1630. Aliquid innuit Paproc. in Speculo Moravia.

Sigeb. an. 938. & ſequ. Baronius Annal. Eccl. an. eod. VVitikindus, Spangenb. Calviſius, Blondus, *Brunner. Annal. Bojor. Part. 2. l. 7. §. 9.* * *Fabric. lib. 2. orig. Saxon. in Ottone M. VVitichind. lib. 2. & 3. Annal. Sax.*

In

In Moraviam ad *novum Regem Olgum* redeo; cui ſtare diu non potuit quieta Regni poſſeſſio. Nam Hungari paulò poſt reverſi *ex Italia*, quam perinde, atque iterum *Bavariam, Sveviam, Franconiam, tranſitoque Rheno, Alſatiam, Burgundiam, Lotharingiam & Galliam omnem*, turbinis inſtar, percurrerunt, crudeliſſima ubique atrocitatis veſtigia poſt ſe relinquentes; cùm poſtmodùm eorum ducem *Toxim*, Berengarius Spoletanorum princeps, qui ſe pro Rege Italiæ gerebat, objectâ argenteâ offâ; datis ſcilicet *decem argenteorum nummorum modijs* placâſſet, arma tranſtulerunt *in Moravos*, novique Regis periclitaturi fortunam, bipartito agmine *in Moraviam* irruperunt, obtrituros ſe incolas & Regem, tanto virium robore, haud quaquam ambigentes. Neque Rex ſibi defuit, qui prævidens hæc maturè, antequàm eveniſſent, & delectu militum domî habito, accitis etiam in ſubſidium *è Polonia & Ruſſia* haud contemnendis copijs, tantâ celeritate atque diligentiâ exercitum comparavit, ut citiùs omnino, quàm hoſtes fieri poſſe exiſtimâſſent, in campum hoſti obviam prodire non dubitârit.

Hungari ex Italia, atque iterum Germania reduces,

in Moraviam ſummâ vi irrumpunt.

Hungari videntes Moravos adeſſe, in ſpatioſa quadam planicie, propè *Moravam*, ad præliandum paratos, ſubſtiterunt nonnihil cunctabundi, quòd fortaſſis illos, ne expectaturos quidem ſuum adventum, crediſſent. Et quia veſper imminebat, diſtulêre prælium in poſteram lucem, ſeſéq, non ſine clamore & fremitu, ùt fieri ſolet, intra ſepimenta curruum receperunt. Manè vix diluxerat, cùm prælij initium, effusâ *in Moravos* ingenti telorum procellâ, faciunt, primóque impetu complures ſternunt: qui tamen nihil eo tam ſubito caſu turbati, reſtiterunt fortiter, ita ut longè plures ex hoſtibus, quàm ex Moravis occumberent. Dúmque ita ſummis utrinque viribus certatur ampliùs horæ ſpatio, res eò tandem venit, ut victoria ad Moravos inclinari videretur; ſucceſſiſſétque, niſi *fortuna immitis, quæ antea jam toties illuſerat Moravis, etiam tum virtuti eorum, priſtinæq; felicitati invidiſſet.* Hoſtium itáque fortunâ & multitudine prævalente, *Olgus cæſus ac profligatus, Moraviam univerſam victoribus barbaris dirripiendam reliquit.* Tum demum Moraviam procurſare Hungari: agere pro libitu cuncta, rapere, ferre omnia, ſacra, profana: incendia cædibus miſcere, nullúmque crudelitatis genus prætermittere. Agris in eum modum pervaſtatis, vim deinde converterunt in oppida & urbes expugnatis præcipuis; uti *VVelebradio & Podivino*, quæ dirrepta ſuccenderunt; alia viliora minúsque rebus ad propulſandum hoſtem neceſſarijs inſtructa, facilè furori eorum ceſſerunt, Rege novo cum aliquot primoribus vix fugâ elapſo: qui nulli urbium ſatis fidens, ſed pernicitate equi adjutus, in montium ſeceſſus evaſit incolumis. Atque ita *potior Moraviæ pars* in Hungarorum devenit poteſtatem; exceptâ ſolùm *Septentrionali plagâ*, quâ parte magìs montana eſt & ſylveſtris, ob ídque acceſſu difficilior, & caſtellis aliquot paucis in arduo ſitis; *Bucblovienſi, Brunenſi, Znogmenſi, Kravviborenſi*, & alijs. Quæ tametſi Hungari multâ tentâſſent arte, nunc pollicitationibus defenſores allicientes, nunc pœnas cruciabiles minantes: nihil tamen effecêre, quin ultimò adhibitâ fruſtra vi, & pluribus acce-

Atrox prælium.

Hungari Moravos cædunt.

Dubrav. l. 5. Hagek ad. an. 947.

rapinis cædibus & igni in obvia quæque ſæviunt: VVelehradium & Podivinum, vix benè inſtauratas à præterita clade, urbes, dirripiunt & ſuccendunt:

In Hungariam prædarum onuſti cumulis revertuntur:

acceptis damnis, quàm illatis, deſiſtere à cœptis compellebantur. Poſt hæc funeſta gens rapiendi cupidior, onuſta ſpoliorum genere omni, captivorúmque examen maximum ducens, *Pannoniam*, actura domî hyemem, repetivit exultans. Dux tamen Hungarorum *Toxis*, Arpadij genere ortus, gaudio inſolenti elatus, diúque deſiderio potiundæ Moraviæ flagrans, ad *VVelebradium* cum nonnullis ſubſtitit, *urbem quondam florentem*, *Regiáque Sede inclytam*, & tum favillis oppletam: neque priùs diſceſſit, quàm labefactatâ ab incendio murorum parte denuò reſtauratâ, munimentum præſidio firmâſſet.

VVelebradium reparant præſidióque firmant.

Olgus inſtaurato exercitu,

Interea *Olgus* tam acerbè â fortuna mulctatus, quanquàm potiorem copiarum partem infelici illo prælio amiſiſſet; ſalvis tamen adhuc & ſuperſtitibus præcipuis belli ducibus, quibus maximè fidebat, exercitum reparare, & fortunam, quæ ei mox initio regiminis tantoperè adverſa infensáque extitiſſet, ſecundò experiri conſtituit. Agens itáque hyemem *Julio Montij*, impenſiore curâ novum inſtruebat belli apparatum, arma & tyrocinia cogens, legionésque augens, novis ex Polonia & Ruſſia ſupplementis: præſtructíſque omnibus, quæ ad oppugnandam urbem tolerandáſque obſidionales difficultates neceſſitas poſcebat, nondum adultâ hyeme, luſtrato exercitu, profectionem *VVelebradium* versùs ſuſcepit. In cujus cùm propè veniſſet conſpectum, buſta turrium ac delubrorum, ipſiúſque *Sedis Regiæ* paulò ante ſplendore maximo conſpicuæ cernens, ingemuiſſe fertur, reputans quantam miſeranda civitas tuliſſet cladem! primóque fixis tentorijs, per nuncios pacatiore colloquio ſvadere cœpit mœnium defenſoribus, quatenus urbe traditâ incolumes redirent ad ſuos. Illis autem rotundè negantibus, coronâ urbem cingi, aſſultúque valido ſemel atque iterum peti juſſit: irrito tamen ſucceſſu. Cúmque ita per tridui ſpatium, fruſtra laborâſſet, neque ullum procederet obſidionale commentum, ſpeculatores paulò poſt accurrerunt certi, unanimi adſeveratione nunciantes, Hungarorum immenſas adventare copias: quo audito, obſidionem ſolvit, mœſtúſque in tutiora cum ſuis abſceſſit.

adjutúsque Ruſſorum & Polonorum auxilijs,

VVelebradium recuperandum ſuſcipit:

vim fruſtra admovet:

re infectâ obſidionem ſolvit,

MS. Comenij cit. qui totum hoc, quod de Olgo memorat, dicit ſe habere ex Annal. Setuſtiß. Ruſſorum.

Minutis poſt hæc prælijs res utrínque agebatur; neque enim, ut aperto Marte in pugnæ diſcrimen deſcenderet *Olgus*, elici potuit, â tergo & lateribus, ſylvis & montibus ſecurus. Et quoniã ijsdem in locis nihil ampliùs erat, quod rapi poſſet, fama quoque percrebruerat incertum unde orta, *Bulgaros* graſſari impunè per Hungariæ fines, *Toxis* commorandum in Moravia diu minimè duxit, ſed firmato fortiori præſidio Welehradio, in Hungariam quantocyùs reverſus eſt. *Olgus* etiam nil ampliùs in recuperanda *Sede Regia* tentare auſus, id ſolùm egit, ne hoſtibus, qui â maleficijs inferendis non ceſſabant, ſed crebris vicibus in Moraviam revertebantur, reliquum adhuc, quod limiti *Bohemorum Polonorúmque* vicinum erat, excindere conati, ubi vellent, etiam licere poſſet. Tametſi autem haud parum conturbaretur, ubi certâ relatione didiciſſet, rumorem illum *de Bulgarorum in Hungariam irruptione*, quam aliàs rebus ſuis plurimum momenti allaturam ſperabat, fuiſſe inanem; prævidebat enim *Hungaros* rerum hactenus geſtarum ſucceſſu feroces non quieturos: non deſpondit tamen animum, ſed de omnibus, quæ in futurum, ad propulſandos hoſtes, neceſſaria fore exiſtimabat, diligenti curâ proſpexit; & quò

Minoribus certatur utrinque prælijs.

Hungari Bulgaricæ in Hungariam irruptionis famâ domum contendunt.

Olgus novis ſupplementis copias auget.

Digitized by Google

quò viribus auctior, hoſtique ſi non numero, virtute ſaltèm par evaderet, auxilia *à Polonis*, præter illa, quæ *à Duce Ruſsiæ* agnato ſuo promiſſa habebat, mercede & prece popoſcit.

Bellum recrudeſcit.

Itáque anno ſequenti, nempe 949. *recruduit inter Moravos & Hungaros hoſtilitas*; quæ diu in ancipiti ſtetit, Moravis cautè omnia inſtituentibus, neque priùs quàm Polonica auxilia acceſſiſſent, pugnæ copiam dare auſis, quamvìs ab Hungaris continuò provocarentur: velitationibus ſolùm, & repentinis excurſibus ſeſe invicem infeſtabant. At poſtmodùm, cùm *Olgus* viribus ſuis nimiùm fretus, caſtra per latè patentes campos, *Podivinum versùs*, promoviſſet, præbuit Hungaris, quam avidè expectabant ad dimicandum, minutioribus licèt prælijs, copiam. Triduò igitur toto, perpetuis aſſultibus laceſſiti *Moravi*, ad *Brunam* tandem juſto prælio conſeruerunt cum hoſte manus: ſed fortunâ priori haud diſſimili. Nam etſi primum Hungarorum impetum fortiter exceperint, ſuſtinuerîntque tam diu, ut demum loco cedentibus Hungaris, victoria ad ipſos inclinari videretur: ſimulata tamen fuit Hungarorum fuga, qui ex conſtituto recedebant, ut Moravos in præſtructas jam ante inſidias pertraherent. Obverſis enim in inſequentes ſe ſignis, & alijs â tergo & latere coortis, circumventi Moravi, in orbem Marte iniquiſſimo pugnare compellebantur: fit cædes ingens; fælices, quibus via ad fugam patuit, quâ tamen admodùm paucis, vel in vicina caſtella munitiora, vel in avios ſaltus, gaudere licuit. *Olgus*, quòd armis & criſtis præ alijs conſpicuus eſſet, ideóque multorum peteretur telis, ægrè evaſit. *Atque ita citerior Moraviæ pars, ad usque Bohemiæ confinia, Victorum ferocia ceſſit:* qui proceſſu audaciæ facto, in ipſam quoque Bohemiam delati, complures pagos & villas devaſtârunt: eóque licentiùs, quòd Boleslaum tum adhuc bello cum Cæſare diſtineri non ignorarent.

Pugna committitur.

Hungari Moravos inſidijs exceptos profligant.

Olgus vix fugâ evadit.

Daubrav. ſupra cit. Hagek an. 949.
Spangenb. in Chron. Saxon. c. 135. an. 949.
Georg. Fabric. lib. 2. rer. memorab. Saxon. an. eod.
Calviſius, Tunecius in Chronolog. an. eod.
Append. in Rhegin. an. 950.
Sigebert. in Chronol. an. eod.

Olgus collectis ex fuga, quos poterat, *JulioMontium* ſeſe recepit, adjunctis ſibi ex itinere duabus turmis, *â Ziemomyslo Poloniæ Duce* miſſis: ſed nihil adversùs victores arma in longum latùmque circumferentes tentare valens, & ultimò neque in ullo Moraviæ munimento tutus, *in Poloniam*, majora fortaſſe auxilia, quibus reſtitui regno poſſet, *â Ziemomyslo* petiturus, conceſſit; ibíque non multò poſt *contracto morbo, vitam cum morte commutavit.* Ab hoc *Olgo*, ſunt qui deducant originem *Baronum de Zierotin*, Familiæ in Moravia etiamnũ celebris, quæ multos edidit viros Patriæ utiles, non togatos tantùm, ſed etiam heroas inſignes ſagóque clariſſimos; uti *Fridericos*, *Bedrzichos*, *Carolos*, &c. Diverſos tamen *â Zierotinijs Bohemicis*; quales fuêre *Plichtæ*, *Budislai*, *Jaroslai*: quod vel ipſa gentilitia ipſorum Inſignia faciunt manifeſtum. Nam *Bohemici* in ſuo clypeo geſtabant *aquilam nigram*; qualem hodiéque ferunt in parte ſcuti ſui media, *Sſvibovij & Lobkovicij*: iſti *per Sophiam; Jaroslai Plichtæ â Zierotin, qui ultimus erat bujus Nobiliſſimæ ſtirpis de virili ſexu, filiam, â Nicolao de Lobkoviz, circa an. 1456. in uxorem ductam:* illi *per Scholaſticam, alteram ejusdem Jaroslai filiam, â VVilbelmo juniori Sſvibovvsky de Rizmberg & Rabi, circa an. 1463. in conjugem aſſumptam.*

Coſmas Prag. lib. 1. Chron. Boh. VViti chind ſupra cit. lib. 8.

Juliomontium divertit: in Poloniam abit: moritur.

Paproc. in Speculo Morav. l. 1. part. 2. cap. 6. fol. 89. Comen. citat.

Familiæ Zerotinianæ vetuſtas & dignitas.

ptam. (Errant proinde, qui has *Plicbta â Zierotin*, in prælio Mildorffenſi in Bavaria anno 1323. occiſi filias putant.) *Moravici* verò *leonem nigrum, coronâ regiâ redimitum, cum cauda quadruplicata, primis pedibus ſurſum erectum, & poſterioribus intra tres colles nigri quoque coloris gradientem: qualem etiamnum, qui* ſuperſunt, in aureo clypeo geſtant. Sunt mihi præ manibus ſigilla & litteræ, *Jaroslai Plicbta â Zierotin*, anno 1418. **w Sobotu po Swatých gedenácte Tiſýc Děwyc Božjch/** *Praga*: & aliæ, *Jaroslai Plicbta â Zierotin*, illius, ùt reor, filij anno 1462. **ten Auterý před S. Hawlem/** *Praga* quoque datæ. Sunt & Bernardi de Zierotin & in Drzevvohoſticz anno 1472. **na Hranicých** (*in Moravia*) **w Cžtwrtek den S. Panny Kordulý/** datæ: quibus ea omnia, quæ dixi, ſufficienter probare poſſum. In datis anno 1462. eſt in teſtem adhibitus, etiam præfatus *VVilhelmus junior de Rizmberg & Rabi*: cujus ſigillum ibidem appenſum, habet ſcutum media tantùm parte, eáque dextrâ, tribus gentilitijs ipſius lineis ſignatum, reliquâ parte mediâ, vacuâ: in eum modum, prout *Czerninij* geſtant, *Familia*, ùt alibi dixi, *ejusdem Originis*; hâc ſolûm cum differentia, quòd Czerninij ſiniſtram partem ſcuti mediam, habeant ejusmodi tribus lineis ſignatam: Sſvihovij autem dextram. Ex quo apparet, Wilhelmum tum adhuc non aſſumſiſſe *Aquilam Zierotinianam*, ſed poſteriùs. Et hæc per parentheſim.

Alij Zerotinij fuerunt *Bohemici*: alij ſunt *Moravici*.

in ArchivoCapit.Metr.Prag.

ex ArchivoFamiliæ Pernſtein.

Cæterùm *Hungari*, Moraviâ jam penè totâ ſubjugatâ, totam belli molem tranſtulerunt *in Bohemiam*, quam peragravêre licenter, ad usque *Czaslaviam*, urbem plano loco ſitam, ac probè communitam: ubi aliquandiu ſubſtiterunt. Edocti poſtea â ſuis, quos in Pannonia, pro tutandis â parte Auſtrali & Orientali finibus reliquerant, Germanos, qui *Styriam* tenebant, hoſtilia contra ſe moliri, imò jam excurſionibus crebris infeſtare Hungariæ fines, Bohemiâ diſceſſerunt, & Danubio ſuperato, in *Styriam* citatis paſſibus contenderunt: præſidio tamen, quòd poſſeſſa ſemel loca tueretur, in Moravia relicto. Reverſi ex *Styria* victores, *in Polonos Moraviam incurſantes* arma converterunt; iisque repreſſis, & locis Poloniæ vicinioribus firmatis, *Bohemos* iterum, *aſſumptis unà Moravis*, exagitandos ſuſceperunt; ac cæſo qui limitem cuſtodiebat milite, ſpatio temporis brevi, *ad Kaurzimam* pervenerunt, obvia ex itinere cuncta, procellæ inſtar, fœdum in modum evertentes. Et quia urbem illam vicinæ Nobilitatis ſupellectili refertam noverant, docentibus captivis, eam quocúnque tandem modo occupare ſtatuerunt. Suſtinebant vim omnem oppidani, oppugnantiúmque conatus retundebant armis fortiter, ita ut Hungari, multis affecti detrimentis, ſpéque potiundæ urbis penitùs dejecti, obſidionem ſolvere cogerentur. Nihilominùs per latè patentes campos effuſi, graſſabantur immaniter, loca quævis obvia, inſatiabili rabie urendo & vaſtando. Quamvìs autem *Boleslaus*, jam tum belli Germanici pertæſus, Cæſari reconciliatus eſſet; cùm pactione tributi quotannis pendendi ſeſe obſtrinxiſſent: exhauſtus tamen viribus, reſiſtere tantæ multitudini hoſtiũ, tam properè, ùt requirebat neceſſitas præſens, non potuit. Hinc latiùs graſſandi patuit Hungaris facultas: qui paulò pòſt etiam *ultra Albim & Moldavam, vaſtorum*

Hungari in Bohemiam usque penetrant: *Thuroc. in Chron. Hungar. part. 2. cap. 23. Dubrav. l. 5. Hagek an. cit. Hagek ad an. 953. & ſequ.*

Kaurzimam urbem fruſtra obſidione tentant: Solutâ obſidione, obvia cuncta incendijs, cædibus & rapinis longè latéque devaſtant. *Krantz. lib. 3. Saxon. cap. 32. Blond. decad. 2. lib. 2. Carion. Chronicor. lib. 3. in Ottone I. Sebaſtian. Francus in Chronic. part. 2. fol. 454. Cuſpin. de Cæſar. in Ottone I. VVitichind l. 3. Annal. Sax.*

ſtorum gurgitum flumina, protulerunt ſigna, prædas hominum agentes & pecorum; jámque palàm toti Bohemorum genti minabantur ſervitutem. Nec longè abfuit, quin Bohemia tunc parem Moraviæ ſubiiſſent ſortem; nî inter hæc *dux Hungarorum Toxis*, tributo ab *Ottone I.* negato proritatus, & idcirco vi illud exacturus, revocâſſet *ex Bohemia & Moravia* ſuorum turmas in Germaniam traducendas. Is igitur, copijs maximis, quantis antea nunquam, *per Auſtriam*, *in Bavariam* ex improviſo irrupit, ſicque Bohemiam periculo exemit. Tanta porrò *multitudo Hungarorum* tunc in unum collecta fuiſſe fertur, ut eorum natio penè univerſa, velut ê ſuis mota ſedibus, obruere Noricum & Alemaniam totam crederetur. Bernonis qui Divi Udalrici vitam ſcripſit, clara verba ſunt: *Ungarorum tantam multitudinem erupiſſe, quantam tunc temporis viventium nemo ſe antea vidiſſe in ulla regione meminerit: qui Noricum regionem à Danubio flumine uſque ad Nigram ſylvam, quæ pertinet ad montana, ſimul devaſtando occupârint.* Addit, *Otto Friſingenſis*, eos inſtar locuſtarum omnia fuiſſe depaſtos. Hinc etiam idem *Toxis* palàm jactitare non dubitabat, ſe nihil præter ruentis cœli caſum formidare; nec ſuperari poſſe, niſi cœlum, terra, elementáque omnia in ſe conſpirarent.

Toxis Hungarorum Dux ſuos ê Bohemia & Moravia evocat:

Germanis bellum infert, multùm ſanè formidandum.

lib. 6. cap. 20.

Contra hos, *Otto* firmiſſimas quoque copias *ex Bavaris*, *Svevis*, *Saxonibus*, *Thuringis & Francis* collegit; quibus acceſſit etiam Bohemorum equeſtris turma mille conſtans viris, quos ipſemet *Boleslaus* â Cæſare contra communem hoſtem evocatus adduxerat. Prælio deinde inito *ad Lycum amnem*, non procul *Auguſtâ*, Divinâ magìs ope, quàm noſtrorum virtute, *victoria Ottoni ceſſit*, *Hungarorum exercitu ad internecionem caſo*, ut vix ſupereſſet, qui nuncium cladis domum referret. Nam qui victorum manus effugere conabantur, vel in *Lycum* ivêre præcipites, hauſtique gurgitibus interibant, vel ſi aliò deflexiſſent, ab inſequentibus ê veſtigio Germanis trucidabantur. Complures etiam per ſolitudinem errantes, á colonis & obvijs quibúſque deprehenſi, neci dati ſunt. *Toxis*, & alij quatuor duces capti, & in furcam acti, capitibus in terram pronis, dedêre pœnas. Hic exitus fuit invicti, ùt ſibi videbatur exercitus: ſic námque *Vis conſilij expers mole ruit ſuâ, & odit ſuperbos, ſceleris éſtque ultor Deus.* Hâc clade adeò enervata fuit Hungarorum potentia, ut multis poſtea temporibus nihil ampliùs adverſùs Germanos tentare auſi, ſeſe in Pannonia quietè continuerint. Nec multò poſt ad Chriſtiana ſacra converſi, & efferato ingenio mitiori cultu temperato, legibúſque humanitatis aſſvefacto, mores cum Religione mutârunt.

Frodoard. ad ann. 955. Spangenb. in Chron. Saxon. cap. 138. Cuſpinian. Urſpergenſ. Goldaſt. in Commentar. de Regni Bohem. Privil. lib. 2. cap. 14. VVeleslavin. in Calend. Hiſtor. die 10. Auguſt.

Hungarorum in campis Vindelicis pugna, & ingens clades.

VVitichind. l. 3. Hepidannus in Annal an. 955. Diethmar. l. 4. Sigebert. Nauclerus cit. Herman. Contr. Schaffn. Reicherſperg. Monachus S. Afræ Auguſtanus, in Vita S. Udalrici, c. 12. in fine.

In Bohemiam tamen, mox anno ſequenti, unà cum Moravis, prædarum ac imprimis argenti, quod tum ê *fodinis Lipnicenſibus*, aliíſque eruebatur largiter, dulcedine allecti, ex improviſo irruerunt. Quo cognito, *Boleslaus* extemplò copias, quantùm in re ſubita licuit, congregari jubet, & *Zvvykoſſio Krabæ filio* (hic pro inſigni *raſtrum* ferebat: quale poſtea ferebant *Comites de Oſſyk*, & *Poſtupicij*, haud dubiè ipſius poſteri,) virtutis ſobriæ duci, negotium dat, ut quamprimùm hoſti obviam prodeat, ejúſque excurſibus coërcendis ſeriò invigilet: cui *Hlavaczium* Comitem adjunxit pari poteſtate collegam, virum

Nova Hungarorum cum Moravis in Bohemiam irruptio.

Boleslaus Dux Bohemiæ vires ad reſiſtendum comparat.

virum audacem & fortem. Hi *Kaurzimam verſûs* profecti, cùm non procul ab hoſtium conſediſſent caſtris, dubitare cœperunt, num hoſtes adoriri prælijque fortunam experiri, vel potiùs dilato tantiſper pugnæ caſu, tuto loco ſeſe continere, & Principem qui propediem cum prætoriano ſuo milite acceſſurus eſſet, præſtolari deberent. *Zvvykoſſius* cunctandum omnino, neque ſummam rei unius pugnæ diſcrimini exponendam cenſebat; præſertim, cùm â Principe haberent in mandatis, non ut laceſſerent, ſed pro habitu commoditatéque lóci arcerent duntaxat hoſtem. E contra *Hlavaczius* pugnæ avidus, hæc eſſe meticuloſi animi haud levia indicia, vitare conſpectum hoſtium, in quos ſi ſe viros eſſe meminiſſent, audacter irruendum eſſet, captivósque & prædam omnem ab eis extorquendam, diſſerebat: neque eorum multitudinem magnoperè eſſe formidandam, ut quæ potiori parte ex agreſtibus, ſtivæ, & alijs ſervilibus miniſterijs curandis magis, quàm armis tractandis, aſſvetis conſtaret: florem militiæ Hungariæ, proximâ quàm â Germanis tuliſſent clade, concidiſſe. Tandem funeſtâ hujus deſtinatione prævalente, ulteriùs progreſſi, collem quendam conſcenderunt denſis arbuſculis obſitum, vulgò **Neſſaſowina** dictum, cujus utrúmque latus jam antea occupaverant hoſtes: non alio conſilio, niſi ut ſupervenientes Bohemos opprimerent incautos: quod & factum. *Bohemi* igitur cùm viderent ſe in inſidias delatos, ſubſtiterunt primò veluti immobiles, periculo imminente conſternati. Interea viſi ê latebris hoſtes exſiliunt, ínque agmina Bohemorum â fronte & lateribus illati, obvios quósque, haſtis ac telorum genere multiplici ſternunt & configunt; brevíque temporis ſpatio aciem illorum totam diſijciunt: qui diſſipati, cùm ampliùs reſiſtere non poſſent, neque aliud vitæ ſubſidium, niſi diſceſſu ſperare veloci, per calles conſitas arboribus & anguſtas, ſeſe effuderunt in fugam. Eo caſu triſti, uterque ducum unà cum promptiſſimis deſiderati ſunt.

Bohemi in inſidias præcipitati clade magnâ funduntur:

Cæſi militiæ Bohemor. duces.

Hagek ad an. 956. Dalimil. in Hiſt. Bolesl. Daubr. lib. 5. circa fin.

Potiti victoriâ *Hungari & Moravi*, ac nemine ampliùs reſiſtente, tantò licentiùs ſeſe per Bohemiam vaſtabundi effuderunt: atque iterum ſuperato *Albi & Moldavâ*, tractum illum fæcundiſſimæ regionis omnem, quaquaverſùm ferro ac igni defædârunt crudeliter: quâ tempeſtate, præter alias complures civitates & villas, etiam *Budeczium*, *Slanenſi in provincia*, *urbecula* in editiori quodam colle, olim condita, & â ſcholis diverſi generis diſciplinarum celebris, atque etiam *â D. VVenceslao* diſcendi causâ frequentata, ab Hungaris occupata, direpta & diruta fuiſſe perhibetur. Jámque *Hungari* totis viribus ad ſubjugandam Bohemam gentem contendebant; quod, occupatis aliquot haud exigui momenti oppidis, & alijs, *ut Feyvaro propè Kaurzimam*, & *Belvaro ſeu VVelvaro propè Slanam*, quarto â Praga lapide, noviter erectis, haud difficile factu ſibi, ſpe licèt inani, pollicebantur. Neque in promptu erat *Boleslao* tantum virium, ut poſt *Zvvykoſſij* cladem, auderet prodire hoſti obviam: donec accurrentibus ex vicinis oppidis & pagis recentibus copijs (quippe omnes qui tractandis armis erant idonei, ódio ingenti ac vindictæ cupidine contra Hungaros incitati, præſertim altioris ordinis viri nobiles, Pragam ad Principem confluebant, tantâ alacritate, ut vix ullus domî reli-

Hungari victoriâ elati arma ultra Albim proferunt: nova munimenta, in quæ ſe recipiant, condunt.

Bohemi ad arma conclamant:

Digitized by Google

relictus eſſe crederetur) adverteret ſe jam ad reſiſtendum utcúnque parem. Venit quoque *Robmil Klatovienſis dynaſta*, cum haud contemnenda veteranorum cohorte; qui cùm eſſet rei militaris ſummè peritus, Principem in ſpem victoriæ vehementer erexit. Igitur in campum prodiens *Boleslaus*, vim vi objecit, & hoſtes ſæpiùs iteratis congreſſibus attritos, egregiè contudit, ejeciſſétque brevi Bohemiâ totâ, niſi & illis novus ab *Hungaria & Moravia* miles tempore ſuccurriſſet opportuno. Hyems deinde ſolito aſperior poſuit certaminibus finem.

Hungaris pro virium niſu reſiſtunt.

At in Vere recruduit bellum: quod primò diu ancipiti Marte ſtetit: poſtea tamen, *Boleslaus*, Saxonicis, Hermanno ductore, & multis è Luſatia voluntarijs auctus delectibus, (metuebant enim Saxones, aliíque Bohemorum vicini, nè Bohemia ab Hungaris occupata, eorum pariter fortunam in diſcrimen traheret) audendum aliquid ſeriò contra hoſtem exiſtimavit. Pugnatum deinde *cum Hungaris, propè Belvari muros*, tantâ utrinque virtute & animorum ferocia, ut à prima diei hora, ad meridiem usque certamen protraheretur, jam his, jam illis prævalentibus: donec *pedites Bohemorum*, cùm non poſſent ulteriùs ferre *Hungarorum* impetum, turbari & loco cedere cogebantur. Hoc tamen viſo *Boleslaus*, qui ab altera parte rem curabat, protinùs cum trecentis advolat, ſuíſque in ordinem reductis, prælium reſtituit. Fervente in hunc modum pugnâ, & Bohemis acerrimè hoſtem urgentibus, poſtremò Hungari inclinari cœperunt; ac tandem etiam arreptâ fugâ terga vertere, quam nec *Gichan Hungarorum dux*, nec alij præfecti, aut minis aut verbis, neque verberibus retentare potuerunt, quin ſolutis ordinibus, pars in vicinum oppidum penetrare contenderet, pars aliò feſtinaret, & quocúnque poſſet modo, ſaluti conſuleret. In ea rerum perturbatione ipſe quoque, ubi pugnando & ſtrenui ducis, & fortiſſimi militis officio functus eſſet, cum cæteris præfectis fugam capeſſere coactus, *ad Belvari portas* ſe contulit, ut exercitûs reliquias colligeret, urbémque tueretur. Accidit verò, ut ob tumultuantem fugâ & metu Hungarorum in oppidum pleno impetu ruentium turbam, portæ occludi nequirent, quidquid illi, quibus earum cura commiſſa erat, niterentur, præoccupante omnia formidine. Unde *Boleslai equeſtres turmæ*, curſui victoriæ celeriter inſiſtentes, in ipſas portas, ipsáque munimenti clauſtra, antequàm obſerari potuiſſent, penetrârunt magno numero; ubi novum de integro certamen, pugna atrox, & prælium utrinque cruentum in foro agi cœpit. Quippe *Hungari* omnem ſpem vitæ fortunæque ſuæ, in nullo jam, niſi in victoria poſitam videntes, deſperatis pugnabant animis: prævalentibus tamen victoribus, paſſim jumentorum more cædebantur, donec ad unum omnes jugulati ſunt. His peractis, & civitate deſtructâ, (quam tamen ſucceſſu temporis *Principes Bohemiæ* denuò reſtaurârunt) vexillíſque barbarorum & ſignis, ſicubi fuère allata inventáque, laceratis, incenſis, & abolitâ penitus in ea regione ipſorum memoriâ, *Boleslaus* expeditionem adversùs alterum agmen, quod *Kaurimenſem* infeſtabat *provinciam*, ſuſcepit: parique fortunâ uſus, mox primo congreſſu fudit, ac compluribus cæſis, alijs verò captis,

Auxilia Bohemis à Saxonibus & Luſatijs miſſa.

Pugnatum fortiter.

Bohemorum nutat acies quæ tamen Boleslai virtute mox reſtituitur.

Hungari in fugam conjecti,

dum ſeſe in vicinum munimentũ recipere contendunt,

Bohemi unà irrumpunt.

Nova intra munimentum pugna.

Hagek ad an. 957. & ſequ. Boregk an. eod. MS. Anonym. Joan. Reg. tempor.

Hungari internecione deleti.

Boleslaus victoriam ſtrenuè proſequitur,

Digitized by Google

Hungaros totâ Provinciâ ejicit: *Daubraſ. Hiſt. Boh. lib. 5.*

reliquos in fugam actos regione totâ ejecit, ſicque *Patriam à dira hoſtium ſervitute vindicavit.*

Victorem exercitum in Moraviam mittit,

Porrò ut ejusmodi hoſtiles *Hungarorum & Moravorum excurſus*, ab iisque inflictas Bohemiæ calamitates, dignè rurſum ulciſceretur *Boleslaus*, copias univerſas bifariam diviſit, eásque ducibus *Bogislao Hroſſij filio, & Stoſsko de Pſsovv, qui erat Brzomiri filius, Hauſeki fratris S. Ludmillæ nepos*, viris militiâ claris, artéque & uſu belli præſtantiſſimis, in Moraviam miſit. Et ille quidem prolatis ultra *Nigrim* ſignis, & caſtellis quàm plurimis; inter quæ præcipui nominis erant, *Lomnicium* in præalta rupe ſitum, *Deblinium & Biteſsium*, partim vi, partim deditione occupatis, totum illum per ea montana tractum, Principi ſuo in poteſtatem redegit. Hic verò, obtento, *Dreviczio ſive Trebiczio caſtro vetuſtiſſimo*, cùm ultro citróque diſcurrens paucos inveniret, quos ſuperare poſſet, per latè patentes campos penetravit populabundus, ad usque *confluentem Nigrîs & Teyæ*: in eúmque modum perluſtrata eſt armis Moraviæ nobilior pars, ſpatio temporis brevi, ſubacti agreſtes, recepti Nobilium primores, hoſtes verò ejecti. Denique quod non facilè ſpe conceptum erat, ne dum opere tentari poſſe eâ expeditione credebatur, *tota illa Moraviæ regio, inter Teyam, Nigrim & Svitavam flumina, unà cum præcipuis urbibus, Brunâ, Taſſovio, Slavonicio & Gemnicio*: ac brevì poſt illa etiam, *quæ Moravæ adjacet, unà cum Podivino & VVelebradio* (exultis licèt,) quæ ſe victoribus certo transactionis pacto tradiderunt ſpontè, *in Principum Bohemorum redijt poteſtatem.*

oppida & caſtella non pauca, vi & deditione occupat:

Moraviæ nobiliorem partem in ſuam poteſtatem redigit. *Hagek an 960. Boregk an. eod. MS. Anon. cit.*

Poloni Moraviam infeſtant: Juliomontium ad deditionem cogunt.

Boleslai Bohemor. Ducis promovendæ Religionis Chriſtianæ pietas.

Poloni in Moravia magis atque magis invaleſcunt. *Dithmar. Chronic. lib. 3 Lambert. Schaffn. ad an. 975. & ſequ. Fabric. rer. memorab. Sax. lib. 2. an 976. & ſequ. Becherer. in Chron. Turing. an. eod. Calviſius in Chronol an. eod. & ſequ. Reuſner. in Iſag. Hiſtor. an. 977. Spangenb. in Chron Sax. cap. 146.*

Per id tempus, aut non multò priùs *Poloni, non contenti eâ Moraviæ parte, quâ modò continetur Ducatus Oppavienſis, totáque Sileſia Superior*, crebris adhuc excurſibus populabantur confinem limitibus ſuis Moraviam; fuſisque Hungaris, ac inde ejectis, protulerunt fines ditionis ſuæ *ad Juliomontium* usque: quam urbem poſt diuturnam obſidionem, deditione acceperunt. Erat tunc *Dux Polonorum Meczislaus*: qui initâ affinitate cum *Boleslao Bohemorum Duce*, cujus filiam *Dambrovcam* duxerat uxorem, & eâ occaſione etiam Religionem Chriſtianam ſuſceperat, (quippe *Boleslaus è ſævo mutatus in optimum pijſſimúmque Principem, non priùs filiam ei dare voluit, quàm luſtrali fonte expiatus, Chriſtiana ſacra in Poloniam induceret*) pacem & amicitiam cum Bohemis comiter utcúnque coluit. At mortuo *Boleslao*, cùm idem *Meczislaus* inhiaret perperàm Moraviæ toti; jámque nonnulla caſtella cum vicinis oppidis & pagis, quæ aliàs Bohemorum parebant imperio, ſub id tempus, quo *Boleslao Boleslai filio, bellum erat cum Ottone II. Imp.* occupaſſet: odia primò & ſimultates illum inter & affinem gliſcere cœperunt graves: ac tandem, mortuâ quoque *Dambrovcâ, quæ erat quaſi medium malè cohærentis inter fratrem & maritum concordiæ pignus*, in manifeſtum eruperunt bellum. Bis illud, intervenientibus utriúsque gentis Proceribus, ſopitum fuiſſe, atque bis recruduiſſe ferunt. Ultimò deteſtantibus Polonorum imperium Moravis, & idcirco ad Bohemos deſciſcentibus, *Bohemi non ſolùm Moraviam*, quâ Septentrionem versùs protenditur, recuperârunt, ſpatio temporis brevi, ſed

Bohemi correptis armis Polonos Moraviâ exturbant:

ſed illatis *in Poloniam* ſignis, duce *Craſſotâ Sukoradskio*, ipſam quoque *Cracoviam urbem primariam*, negotio haud difficili in poteſtatem redegerunt anno 994. Dederat nâmque rei benè gerendæ magnum momentum, excitatum per id tempus, contra *Polonos â Ruſſis grave bellum*, quo diſtracti illi, ad propulſandos *Bobemos* minimè ſufficiebant: neque poſtea, cùm reverſi â bello hoc, quod æquè geſſerunt eventu non ſatis proſpero, (ùt innuit ipſemet *rerum Polonicarum Scriptor Cromerus*) recuperationem urbis tentarent, conatibus eorum tum prorſus irritis cunctis.

Cracoviam occupant.

Polonorum res in arcto poſitæ,

Cromer. rer. Polonic. lib. 3. in Miecyslao.

Sed ùt res humanæ incertæ ſunt ac inſtabiles, *neque Bohemis diuturna fuit Cracovia, vicinique agri Polonici poſſeſſio.* Defuncto enim an. 999. *Boleslao II.* qui ab eximia pietate *Pij & Lenis* nomen accepit, cùm *Boleslaus III. ejus filius cognomento Ruffus*, licèt â *Craſſota tribuno*, quem tuendæ civitati Parens præfecerat, ſæpè moneretur, ut præſidiarium novum militem, veterano penè extincto, ſubmitteret, aut ipſemet cum exercitu veniret, id tamen neglexiſſet; evenit, ut *Poloni*, qui rebus ſuis in omnem occaſionem erant intenti, ſuſceptâ totis viribus *Cracoviæ* oppugnatione, & tribuno ad deditionem tandem compulſo, *Bohemos* totâ Poloniâ abegerint. Ita *Boleslaus III.* quod Pater virtute occupavit, ignaviâ amiſit ſuâ. Serò tandem ſapuit; & cùm jam *Cracovia* perdita eſſet, copias tum primò *in Bohemia, & in Moravia* colligi juſſit; quibus luſtratis, ac pro militari diſciplina in ordinem redactis, expeditionem *in Poloniam* ſuſcepit.

Daubrav. l. 6. Dalemil. in Chron. Boleslaō. cap. 32. Coſmas, Kuthen. Boregk. Hagek ad an. 994. Strานsky c. 8.

Boleslai III. Bohemorum Ducis negligentiâ reſtaurantur.

Ditmar. lib. 5. Chronic.

Poloni Cracoviam recuperant.

Boleslaus III. dum in Poloniam rebus perditis ſeram opem fert,

Præfuit eo tempore Polonis, *Boleslaus Chrobry, filius Miecislai Dambrovcâ genitus*, paulò ante *Rex, & Imperij Romani amicus ab Ottone II. Imp. appellatus.* Hic ut eo citiùs cognatum, abſque armorum ſtrepitu opprimeret, pacem datâ operâ ſimulavit; miſsiſque nuncijs colloquium petijt. Quo obtento, controverſiam omnem compoſuêre inter ſe eâ lege: *ne deinceps quicquam juris Bohemi Principes ſibi in Poloniam, nec viciſſim Poloni in Moraviam vendicarent; ne item alter alterum bello laceſſeret, ſed ut cognatos decet, perpetuam inter ſe pacem & amicitiam colerent.* Invitavit deinde *Rex Bohemum, Cracoviam ad epulas*, âdque auſpicandum hoſpitij ſanctitate fœdus; cui dum paret ille, nilque ampliùs hoſtile ab avunculo metuens, dimiſſo exercitu ſeſe Cracoviam confert, proceribus tantùm aliquot comitantibus; ecce! inter ipſas epulas, contra datam fidem, ac violato per ſummũ nefas jure, non hoſpitij tantùm, ſed ipſius regiæ menſæ, capitur, & admotâ oculis ignitâ laminâ exoculatur, ſicque cæcus domum remittitur. Audiamus Fabricium Saxonem. *Bohemus interea*, inquit, *inſidijs capitur, & oculis privatur â Rege Poloniæ, jurisjurandi immemore. Nam cùm ei ad convivium invitato, poſt conditiones & fœdera ſalutem promiſiſſet, nec ferro vim ullam illaturum; admotâ ad oculos candenti laminâ, viſum ei ademit: cùm ille nec vitam violatam poſſet dicere, nec ferro ſe attactum fuiſſe. Ejusdem Conſiliarij, inter epulas trucidati, de muris Cracoviæ dejiciuntur.* Idem *Coſmas Decanus Prag.* Idem *Pulkavva* referunt: aulicos Ducis immani crudelitate fuiſſe interfectos, alios carceri traditos. Facinus indignum, ac prorſus barbarum, *in Principe, in Rege,*

Cromer. lib. 3. in Boleslao I.

â Boleslao Polonor. Rege ad colloquiũ de pace ſubdolè invitatur;

& contra omne fas luminibus privatur.

Fabric. lib. 2. Origin. Saxon. Bulkavva c 27. Hiſt. Boh. Bonfin. Dreſſer. Æn. Sylv. Hiſt. Boh. cap. 17. Daubrav. l. 6. Coſmas lib. 1. Dalemil. c 33. Hagek & Boregk ad an. 1002. Pulkavva, Daubrav. Hagek. Stransky.

Rege, in cognato, in avunculo: quod dum Poloniæ ſcriptores *Miechovius* & *Cromerus* excuſare conantur, magis accuſant, reique indignitatem apertiùs demonſtrant.

Michov. l. 2. c. 5. Cromer. l. 3.

Rediens in Bohemiam *Boleslaus cæcus*, ac referens ſerò deplorandum nimiæ crudelitatis ſuæ documentum, cùm adverteret ſe gubernandæ Reip. jam inutilem prorſus abſque oculorum uſu, ſpontè deceſſit Principatu, quem *Jaromiro fratri* tradidit. Interea *Chrobry* bellum adversùs Bohemos in proximum annum decernit, ut eo temporis ſpatio exornari equitatus, pedeſtrésque copiæ acciri ex majore Polonia, & quod ſummum in negotio momentum habebat, ut finitimi *Ruſſorum Principes* conciliari ac fœdere adjungi poſſent. Sequenti anno, mox ad veris initium, ex improviſo in Bohemiam irrupit, urbésque multas & arces, quâ ibat, pleráſque nemine prohibente cepit, *Pragámque* adeò ipſam paulò poſt: quam biennio per præfectos, & relictum in præſidio militem tenuit; *VVyſſebrado arce* exceptâ. Hanc triſtem ſortem *Moravia* quoque tulit, denuò ſub jugo Polonorum gemens: ùt refert Coſmas: *reverà poſt obitum ſecundi Boleslai, ſicut urbem Pragam, ita totam Moraviam vi obtinuerant Poloni.*

Boleslaus Rex Polon. in Bohemiam irrupit, urbes arcésque, quà ibat, omnes cepit: Pragam etiam, VVyſſebrado excepto.

Polonorum in Moraviam irruptio.

Coſmas Pragenſ. in Chron. Boh. lib. 1.

Jaromirus videns ſe imparem ad reſiſtendum, profugit in Saxoniam, ad D. Henricum ejus nominis II. Imp. auxilium ab eo flagitans. *Henricus* verò ſuæ non ſolùm dignitatis, ſed etiam æquitatis eſſe duxit, eum ab omni injuria tueri, quem in tutelam ſuſcepiſſet. Confeſtim igitur luſtrato *ad Dobrolucam* exercitu, in Bohemiam profectus eſt, perruptóque limite, & caſtello quodam in ipſo regionis aditu recepto, *Zatecium* venit: ubi ipſimet oppidani, ſtatim ad adventum Cæſaris, portas Civitatis aperuerunt, Polonis qui pro præſidio relicti erant, majori ex parte trucidatis: quam tamen ipſorum cædem, pijſſimus Imperator, non ſatis æquo tulit animo, ob ídque civibus non parum ſuccenſuit; & quotquot adhuc inveniri poterant Poloni ſuperſtites, illos ſervari, & pro majori ſecuritate in Ædem ſacram, velut ad aſylum deduci præcepit. Poſtea *Jaromirum* cum expeditiore manu *ad Pragam* in poteſtatem redigendam præire juſſit: qui ſolâ adventûs ſui ac Cæſaris famâ, Polonos adeò terruit, ut non niſi fugam circumſpicerent, ac ne convaſandi quidem malè parta exſpectato tempore, ſed raptim ſublatis, quæ nobilioris pretij eſſent, Urbe relictâ, ad *confines Luſatiæ montes* ſeſe recipere feſtinarent, *Budiſſinâ urbe*, quam in poteſtate habebant, tantiſper, dum reſpirarent, prædámque in tutum præmitterent, ſe tutaturi. In eo tumultu, ùt narrat Ditmarus, qui tum vivebat, Merſpurgi Epiſcopus, *Zobislaus frater Adalberti Præſulis, & Chriſti Martyris, fugientes Polonos ſubſequutus, in ponte vulneratus oppetijt, & magnum hoſtibus gaudium, ſuis autem luctum ineffabilem reliquit.* Pragâ & Arce utráque occupatis, *Cæſar tandem adveniens, ab Antiſtite Theodato, & â Duce Jaromiro, cum immenſo Cleri*, verba ſunt Ditmari, *totiúsque populi tripudio ſuſcipitur, & ad Eccleſiam S. Georgij deducitur: cunctis mox dignitatibus â Rege (Cæſare) bonoratur Jaromirus paternis, convocatis indigenis coram omnibus.* Narrat deinde, Cæſarem, feſtum *Nativitatis Beatiſſimæ Virgi-*

Jaromirus Boleslai Cæci filius Bohem. Dux, ad Henricum Cæſ. confugit.

Cæſaris in Bohemiam expeditio.

Polonorum fuga.

Adelboldus Epiſc. Trajecti. in Vita S. Henric. Imp. an. 1004.
Nonnoſius Presbyter in Commentar. de Vita & geſtis S. Henrici Imp. cap. 3. & 4.
Dithmar. lib. 6.
Coſmas lib. 1.
Hagek Boregk.
Daubravius, Fabricius, Calviſius, Mutius, Dalimil. c. 33.

Virginis Mariæ, ibidem ſolemniſſimè celebrâſſe, & Godeſcalcum Epiſcopum Friſingenſem Miſſam ceciniſſe. Ita paucorum dierum ſpatio, quod multorum menſium, quamvìs proſperæ fortunæ opus, etiam periti rerum fore opinabantur, *totâ ab hoſtibus armis purgatâ Bohemiâ, Cæſar bellum in Luſatiam,* ad oppugnandam *Budiſſinam* tranſtulit. Quo & ibi feliciter confecto, *Jaromirus* in eam curam cogitationémque incubuit totus, ut *Moraviam* quoque de hoſtium poteſtate eriperet: miſsóque eò exercitu, cui *Ctiborium Slavatam de Chlum* ſibi cognatione junctum, ut pote *ex eadem Przemyslo-Libuſſæa ſtirpe, ùt ſuprà diximus, per Duces Zatecenſes, longâ ſerie genus ſuum deducentem,* virum magnitudine animi, arte & uſu belli, conſiliorum celeritate & promptitudine præſtantiſſimum, qui tunc *arcem Chlum,* in arduo monte ſitam, cum adjacenti territorio, *in provincia Czaslavienſi* poſſidebat, præfecerat Ducem, multa partim vi, partim minis, partim promiſſis & pactis in deditionem accepit: recuperaturus brevì omnia, niſi domeſtici, qui tum ex improviſo eruperant, fuiſſent obſtaculo motus.

Stranſky c. 8. in Jaromiro. Balbin. in Epit. Boh. l. 2. c. 14. Jaromirus ad extorquendam Polonis Moraviam animum viréſque convertit.

Nam *Uldricus Jaromiri frater*, uti erat animoſiſſimus, & regnandi ſummè cupidus, inſidijs primò, quas ſtruebat frequentes, conabatur fratrem tollere incautum: & cùm non ſuccederent, ad vim converſus arma corripuit, pertractiſque in partes ſuas è ſeditioſis non paucis, *Pragam* cum exercitu, quem in *Bavaria, & Occidentali Bohemiæ plaga* collegerat inſtructiſſimum venit; vique armatâ derelictum â fratre, qui imparatus ad reſiſtendum *Pragâ* exceſſerat, ipſo *ſacro Sabbatho Dominicæ Reſurrectionis*, Principatum occupavit. Neque ſatìs habuit eum exuiſſe Regno, ſed non multò poſt captivum inque poteſtatem ſuam redactum, ut ei de repoſcenda, aut quoquo modo tentanda dignitate priore cogitandi cupidinem omnem reſeraret, viſu quoque privavit. Inſuper *Boſionem* (Bozegum) *inclytum militem*, ſic narrat Ditmarus, *cæterosq; complures interfici præcepit, eò quòd hos fratrem adjuvare exulem â falſis murmuratoribus audierit.* Diſtractis in hunc modum *Bohemis* motibus inteſtinis, *Poloni* ijs in rem ſuam uſi, arma corripuerunt: cæsóque *Ctiborio*, qui præfecturam obtinebat Moraviæ, & quem opprimi facilè hoſti erat, cùm nulla ſupplementa ipſi ex Bohemia mitterentur, non ſolùm ea quæ paulò antè amiſerat, recuperârunt, ſed ultra Moravam progreſſi, omnem illum tractum Bohemiæ limitibus contiguum, inter *Moravam, Svitavam, Nigrim & Iglavam flumina*, horribili graſſatione percurrerunt, palam jam toti Moraviæ ſervitutem minitantes. Quo comperto, Bohemi *Czaslavienſes, Malinenſes* & *Chrudimenſes,* quibus tanquàm vicinioribus, ut plurimùm ingruebat periculum, lectâ expeditiore juvenum manu, ad tuendum limitem bipartito agmine profecti ſunt. Et illi quidem ſucceſſu felici; nam *Polonos jam ultra Zdiaram* collimitia Bohemiæ invadentes, ruentéſque in opulentas pecore & frugibus villas obſtinatiſſimè, non tantùm repulerunt, ſed cum nihilominùs reſtauratis auctiſque viribus intentiſſimo conatu Bohemiam ingredi vellent, duobus congreſſibus ita attriverunt, ut reſidui fugâ ſalutem quærere compellerentur. At *Chrudimenſes*, cùm in primo finium aditu propè *Byſtram*,

ſed domeſticis motibus impeditur: ab Uldrico fratre Principatu exuitur: capitur & viſu privatur.

Ditmar. lib. 6. pag. 76. & 83. Daubrav. l. 6. in fin. Hagek. Boregk an. 1004. Æn. Sylv. c. 18. Dalimil. c. 36. Miechov. in Chron. Polon. lib. cap. 5. Poloni ſubactâ Moraviâ, Bohemorum finibus iminent. Czaslavienſes & Chrudimenſes Bohemi arma corripiunt. Czaslavienſium victoria.

cum hoſte conſeruiſſent manus, eúmque ſimulatâ fugâ cedentem, ſolutis ordinibus, quaſi jam victoriâ certi, temerè inſequerentur, in occultas delati inſidias, poſt multos prorumpendi conatus fruſtra tentatos, omnes penè cæſi ſunt; paucis exceptis, quos fugæ celeritas per latebroſas montium convalles exemit morti: locus infelicis pugnæ, **Trpin**/ quod *locum paſſionis* ſonat, dici obtinuit. Eâ victoriâ *Poloni* inſolentiores, effuderunt ſeſe in Bohemiam agminibus diſperſis, ſuóque genuino tunc more urebant pagos, pecora diripiebant, ac reſiſtentes ſine ullo reſpectu obtruncabant; ita ut niſi inter hæc adverſa ſociorum *à Czaslavienſibus* cæſorum fortuna, metu paris exitij, ipſos revocâſſet, tota illa *Orientalis Bohemiæ plaga*, cum tot nitidis urbibus, oppidis & caſtellis, furori eorum haud multo labore ceſſiſſet.

Chrudimenſium clades. *Ditmar. lib. 7. Daubrav. l. 7 Hagek an. 1012. Cromer. rer. Polon. lib. 3. Vincentius Kadlubek & Dlugoſſus apud Cromer. ibid.* Polonorum in Bohemiam crudelis irruptio.

Uldrici contra Polonos magni apparatus. Kolovvrat, Slavata &

Tandem pacatis in Bohemia rebus, *Uldricus, cùm & fratri operâ Helitardi Prag. Epiſcopi reconciliatus eſſet*, animum & vires in *bellum Polonicum, ad vindicandam Moraviam*, ulciſcendáſque injurias â Rege Boleslao illatas, convertit. Itáque delectu militum habito, primò *Jaroſſium de Kolovvrat, heroam non minùs Nobilitate Familiæ, quàm bellicâ virtute inſignem, qui Kaurzimanis pratoriâ quâdam poteſtate præerat*, cum quingentis, & *Bohdalum Slavatam Chlumenſem, Ctiborij filium* natu majorem, cum ducentis peditibus, pauciſque equitibus, *in Moraviam*, miſit; inſtructos eâ lege, ut ad limitem intra arborum concædem tantiſper agerent, vigilanter omnia ſervaturi, ne â pernici ac copioſo hoſtium equitatu circumveniri poſſent: uti ante hac ſæpiùs eveniſſe meminerat: donec *Roſenſium de Chauſtnik & Straz*, aliorûmque copiæ (totus enim ille Bohemiæ tractus limiti Moraviæ confinis, periculo tam gravi â Polonis imminente, in armis fuit) ipſis accederent: tum viribus aucti, copiam pugnæ quærerent, hoſtémque aggrederentur; aut ſi non dum viribus ſufficerent, ſuum adventum expectarent. Monuerat etiam *Rodekum, virum de ſtyrpe Byvogij & Caſſæ, quæ erat Croci Ducis Bohemiæ filia, ſoror Lybuſſæ, inclytum, & tum Glacenſem Caſtellanum*, ut cum ſuis præſtò eſſet; firmatóque ab ea parte limite, cum cæteris jubenda operiretur, quid agere, aut quo tendere deberet, brevì cogniturus.

Roſenſes, viri militiâ clari.

Quibus ita ordinatis, ipſe adhuc Pragæ agens, copias undique cogebat quàm potuit maximas: quas cùm in juſti exercitus ſpeciem contraxiſſet, haud multò poſt profectionem indixit, non ſecùs, ac ſi *in Moraviam* primò omniũ contendere vellet: quod iter etiam rebus varijs de induſtria juſſerat inſtrui. Interea ſiniſtrorsùm deflectens rectâ *Glacium* petijt, ut ab ea parte hoſtem aggrederetur, quâ ille minimùm putaret. *Glacij* non diu cunctatus eſt, ſed quiete per diem tantùm medium, & noctem ſequentem militibus conceſsâ, mox iterum primo diluculo, ſigno ad profectionem dato, iter arripuit, partéque præſidij in caſtro relictâ, *Rodekum* cum reliquis ſe comitari juſſit; dextrorsúmque movens, per aſperos montium calles, *in Moraviam* penetravit, tantâ celeritate, ut famâ de ſe nullâ præversâ (id enim accuratiùs obſervârat) improviſus caſtella & vicos complures occuparet, Polonis tum cum *Jaroſſio*, quem Roſenſium acceſſione, viribus auctum noverant, occupatis. Qui deinde viſis

Uldricus in Moraviam movet, quo improviſus penetrat,

in

in ipſo regionis gremio Bohemis, nec ampliùs quicquam tentare auſi, diffugerunt, pars intra munimentorum ſepta, pars intra notos montium ſeceſſus: aliqui obſidionales in urbibus ærumnas veriti, & planarijs tantùm conflictibus, non propugnandis murorum clauſtris aſſveti, tempeſtivè etiam munimentis exceſſerunt. Quo facto, potior Moraviæ pars, multáque oppida Uldrici Principis arbitrio ſeſe permiſerunt.

Solóque adventûs ſui famâ Polonos fugat.

& Moraviam in fidem recipit,

Longè tum â ſuis aberat *Rex Polonus*, bello gravi cum *Jaroslao Ruſſorum Duce* impeditus: quo difficili Marte terminato, cùm aliud multo gravius periculoſiúsque immineret *ab Henrico Imp.* quem frequentibus ſuorum in Saxoniam excurſionibus ad arma provocaverat; nollétque duos pro uno habere hoſtes, ſimúlque â tergo & fronte peti, maluit quocúnque tandem modo paciſci cum Bohemo. Miſſis itáque nuncijs, pacem petijt, juri omni quod in Moraviam prætendere fortè poſſet, renunciare paratus: hâc tamen lege, *ut ſibi Uldricus adversùs Germanos, tanquàm communes gentis Slavonicæ hoſtes, auxiliaretur fidenter.* Quibus poſtulatis maturè perpenſis, cùm pacem ê Republ. tum fore, (eſtô nonnihil durâ conditione, in eo, *quòd deinceps Imperator pro hoſte babendus eſſet*) cæterorum quoque ſententia approbâſſet, fœdus utrinque ictum eſt; quo conſvetis tabulis firmato, *Uldricus* curam Provinciæ *VVitkoni Roſenſi dicto de Chauſtnik* commiſit, ac demum Pragam triumphanti ſimilis revertit. Ita denuò *Moravia redijt in Bohemorum Principum poteſtatem:* exceptâ parte Orientali, in qua *Hungari*, & Auſtrali ad Danubium, in qua *Germani* fixas ſedes mordicùs tenebant: & duobus aut tribus locis Poloniæ vicinioribus, quæ *Boleslaus* ſibi reſervavit.

Rex Poloniæ pacem flagitat, & obtinet.

Uldricus Pragam triumphabundus revertitur.

Parabatur interim in Germania, juſſu Cæſaris, impenſiore curâ, & per copias multiformes, *adversùs Polonos expeditio* ſolitis gravior, deſtinatiùs id publicâ tutelâ poſcente. Nam *Cæſar*, videns conſpirâſſe *Polonos* non tantùm cum *Bohemis*, ſed & *Sorabis*, aliiſque *Slavonicis gentibus Oderæ & Albis fluminum accolis*, perpendénſque ſollicitâ mente molem belli; delectum militum, per univerſas Imperij Provincias inſtituit, magnóq; ſtudio expeditionis illius apparatum urſit. Nec mora, contracto undique exercitu, armis & ſubſidijs omnibus probè inſtructo, & ex itinere *Hermanno Dietrichóque Marchionibus, cum Saxonicis & Thuringicis*, quibus præerant copijs, unà aſſumptis, Albim tranſijt, ac citatis itineribus *Poloniam*, Odram versùs, petijt. Quò autẽ faciliùs diſtraheret hoſtiũ vires, *Henricum Bavariæ ducem*, cum *Ekchardo Marchione Miſniæ*, contra *Bohemos* ire juſſit; dato etiam ad *Henricum Marchionem Auſtriæ* mandato, ut adſcitis in ſocietatem *Hungaris*, *Moraviam* â tergo turbaret. Quæ omnia peracta ordine, ùt diſpoſuerat Cæſar.

Bellum Germanicum adversùs Polonos & Bohemos.

Lambert. Schaffn. an. 1015. H. Mutius l. 14. de reb. geſt. Germ. fol. 108. Krantzius l. 6. VVandal. c. 6. Author. Chron. Slav. cap. 34. Fabric. Orig. Saxon. lib. 2. MS. Altahenſe Chron. Brunner. Annal. Bojor. Part. 2. l. 9. §. 2.

Ne autem hìc inſtituti modum, quod imprimìs vitari oportet, in recenſendo fuſiùs, quàm fortaſſe par ſit, *belli Polonici* progreſſu, excedere videamur; ea ſolùm, quæ ad meliùs patefaciendum novum hoc Moraviæ ab Auſtria, unde minimè putabatur, inflictum vulnus, ſerviunt, brevibus perſtringemus. Igitur *Uldrico* domî, bello gravi, hoſtéque duplici diſtento, & vix ut Bohemiam â præſentis periculi magnitudine eximeret, viribus ſuffi-

Cæſar Bavaros & Miſnenſes Bohemiam, Auſtriacos Moraviam infeſtis armis adoriri jubet.

ciente;

VVitko Moraviæ Præfectus impar viribus ad reſiſtendum.

ciente; *VVitko*, cui præfecturam Moraviæ à Principe commiſſam fuiſſe paulò ante meminimus, famâ celeritatéque belli ab Auſtria & Hungaria impendentis obrutus, cùm ad illud ſuſtinendum, ſe longè imparem haud ignoraret; conſilium ex re capit, & collectis quotquot ad capeſſenda tractandáque arma idonei erant, agreſtiúmque magnâ parte cum annona & ſupellectili tota, ut materiam ſæviendi & prædas agendi occaſionem auferret hoſti, in urbes reductâ, caſtellis & urbibus, quæ omni neceſſariorum genere, ùt in tam præcipiti periculo fieri poterat, firmari juſſit, ſeſe tueri, bellúmque ducere conſtituit.

ſe ſuóſque in munimentis continet.

Auſtriacorum &

Jam *Henricus* Moraviæ finibus cum exercitu appropinquabat: & quia neminem qui reſiſteret obvium conſpiciebat, inſidias veritus, *ad Teyam* ſubſtitit, promptioribus nonnullis ad explorandas Moravorũ res præmiſſis, qui cautiùs gradientes eorum conatus obſervarent, & ne quid inſidiarum lateret, ſpecularentur. Illis verò referentibus, tuta eſſe in itinere omnia, villâſque à cultoribus deſertas, pecore & frugibus reperiri vacuas; atque id ipſum etiam captivis, quos adduxerant, affirmantibus; *indigenas omnes & quidquid roboris virorum fuit, omnémque tam militarem, quàm imbellem ætatem, intra urbium & caſtellorum munimenta confugiſſe*; ſecurus inſidiarum caſtra movit, Teyamque tranſmiſit. Quo tempore, etiam *Hungari* ſeſe *in Moraviam* catervatim effuderunt. Præerat tum Hungaris *Stephanus Rex*, ſanctimoniâ clarus, ſub quo *Hungari* majore, quàm nuper ſub patre ejus *Geiſa*, numero, & ex Optimatibus pleríque, deterſâ barbarie, ad Chriſtianam religionem ſunt converſi: qui *Giſelam* ſororem *D. Henrici Imp.* habebat conjugem, adeóque facilè ad perſequendos affinis ſui hoſtes induci potuit.

Hungarorum in Moraviam irruptio.

Miſeranda Moraviæ calamitas.

Ita rurſum *Moravia* duplici hoſte gravata, magna ubiq; tulit detrimenta, totâ illâ Hungariæ & Auſtriæ viciniori parte, quæ à præteritis Hungarorum excurſibus aliquantùm reſpiràſſe videbatur, & quam proximus Polonorum furor non multùm attigerat, horribiliter devaſtatâ, & villis quàm plurimis exuſtis; fruſtra indigenis, tum ê munimentis, tum ex altiorum montium jugis, patriam flammâ pereuntem ſpectantibus; quibus uno eodémque contuitu, vicena & plura licebat videre in ſubjecta regione incendia, partim *ab Hungaris*, partim *ab Auſtriacis* excitata. Oppugnationem deinde caſtellorum aggreſſi ſunt *Auſtriaci* ſtimulati cupidine divitiarũ, quas illic ê vicinia tota congeſtas non ignorabant: irrito tamen conatu; pleráque enim in arduo ſita, vim omnem ſuperabant armorum: excepto, quòd oppida quædam infirmiora dirripuerint: Hungaris interea ad agendas prædas converſis, ad ipſa uſque Bohemiæ extima, nemine prohibente, penetrantibus; jámque etiam per ditionem *VVitkonis*, quæ proxima erat, ferro & igne graſſantibus.

Auſtriaci caſtellorum oppugnationem fruſtra tentant: urendo & populando obvia cuncta, Bohemis etiã formidinem incutiunt.

Uldricus à Cæſare pacem petit:

Dum hæc tot ac talia per turbines agitantur diverſos, *Uldricus* ſuſcepto pro inſtantium rerum ratione conſilio, primarios quoſdam ê proceribus, unà cum *Helichardo Epiſcopo*, ad Cæſarem curſui tum victoriarum adversùs Polonos intento miſit, delicti veniam petituros & pacem. Erant quidem ê Principibus Germanis non pauci, qui blandiendo apud Cæſarem adulandóque

que, *vetera Bohemorum odia*, recentêsque *Uldrici* injurias refricabant, ejúsque periculo magnoperè lætabantur: pro ſua tamen *Cæſar* benignitate, cùm & Sacrati Antiſtites, *Gero Magdeburgenſis*, *Albertus Halberſtadenſis*, & alij, pro *Uldrico* intercederent, ad pacem inclinavit; eíque referri juſſit, ſi deterſis odijs & injurijs, ſyncerâ mente ad officium redeat, ac *fœderi Polonico* renunciet, daturum ſe operam, ut gratiæ clementiǽque Cæſareæ, quemadmodùm & publicæ tranquillitatis, quam pro ſuo ſuorúmque populorum commodo deſiderare videatur, fructum, primo quoque tempore cumulatè percipiat. Libratis denique ultrò citróque conſilijs, cùm brevì poſt *Uldricus* fœderi Polonico ſolenniter renunciâſſet, *pax Bohemis & Moravis* eſt reſtituta. Innuit hac de re aliquid Fabricius, inſignis rerum Saxonicarum Scriptor hiſce: *Uldricus Dux Bohemiæ, ne eandem ac Polonus experiretur fortunam, de pace cum Imperatore agi curavit, & gratiam impetrat.*

quam intervenientibus Principibus, obtinet.

Fabric. lib. 2. an. 1015. Dithmar. l. 6. Calviſius an. eod. M. Adam. in Hiſt. Eccl. l. 2. cap. XXXIX.

Conabatur quidem *Boleslaus Polonus*, qui aſſidua penè bella cum Germanis geſſit, allicere denuò *Ulricum & Bohemos*, in ſocietatem armorum, eáque de cauſa *Miſeconem* ſeu *Mieczislaum* filium ſuum ad illum miſit. Verùm *Uldricus* officij memor, *Miſeconem* vinciri juſſit. Quo cognito Cæſar, *Thiedricum nepotem meum* (verba ſunt Ditmari) *illuc miſit, ut ſatellitem captivum ſibi redderet.* Renuit primò Uldricus, eò potiſſimùm argumento ſeſe excuſans: *hunc ſi ſinam elabi, gemina mihi fera, Pater juxta ac filius erunt metuendi: ſin prædam ſervavero, nihil erit, quod à filio metuam; ſed commodi aliquid, quod à patre expectem.* Cùm tamen inſtaret Cæſar (erant enim in Aula, qui etiam auro Polonico corrupti, Cæſarem, ne à captivo in libertatem aſſerendo quicquam deſiſteret, urgere non ceſſabant) nolens volens dimiſit illum, & Cæſari tradidit; quem Cæſar poſt multam deliberationem, perſvaſus ultimò ab *Gerone Archi-Ep. Magdeb.* & alijs quibusdam, liberum patri reſtituit. *Fabricius* ſcribit, *Meſiconem*, ab obſidione *Miſnæ* egregiâ virtute civium, atq; etiam mulierum rejectum, ac poſtea Mersburgi per inſidias ab *Uldrico* captum & in Bohemiam abductum: qui inſuper recitat ipſas *Uldrici ad Henricum Imp.* literas, quibus ſe, quòd *Meſiconem* captivum teneat, excuſat. Sed apud me *Ditmari fides* potior eſt, qui iſta velut domeſtica videbat, & *Uldricum* familiariter noverat: cum quo etiam eo ipſo anno 1015. *Feſta Paſchalia Mersburgi*, ubi tunc quoq; Imperator Henricus aderat, *celebrâſſe, & dies hos ſolennes admodùm hilares duxiſſe fatetur.* Atque hìc liquidò patet malignitas illorum, qui aſſerere impudenter audent, *Uldricum*, Mieſiconem ad ſe profugum, jure fœderis & hoſpitalitatis violato, nefariè cepiſſe, eúmque Imperatori, gratiam ipſius hâc arte aucupando, tradere voluiſſe: Imperatorem verò tantum nefas deteſtatum fuiſſe, proditorem proſcripſiſſe, & Ducatu quoque exuiſſe.*

Ditmar. lib. 7 fol. 87. Fabric. lib. 2. orig. Saxon. in Henr II. Item, lib. 1. Annal. Miſn. an. 1015. Dreſſer. millen. VI. parte II.

** Videantur apud Gold. l. 2. c. 5. n. 3. & 4.*

Sequenti anno, qui erat 1016. quieſcente ab inferendis Moraviæ cladibus *Marte cruento*, antea jam perſæpe gravi; exitialis peſtifera labes, crudelem in modum graſſari cœpit, à *Calendis Februis*, in altam usque hyemem: quæ inſanabilium vi concepta morborum, non tantùm *per Moraviam & Bohemiam*, ſed per vicina quoque Regna, imò *per univerſam Europam* omnia penè

Immanis peſtilentiæ lues.

con-

Hagek ad an. 1016. Lambert. Schaff. an. 1017. Ditmar. cit. fol. 100. & ſeq.

contagijs polluebat & mortibus, ita ut vix decima hominum portio ſuperfuiſſe ſcribatur. *Dux Uldricus* ſilvas pleráſque in Bohemia, maximè *circa Pragam & VViſſebradum*, incendi juſſit, eóque modo venenatum aërem purgavit, & peſtem ſuſtulit.

Hæc dira plaga *bellum Polonicum*, quò minùs continuo duceretur procinctu, interrupit: quod tamen anno ſequenti, per ſummam ingratitudinem *Boleslai*, denuò recruduit. Tot enim ac tantis contumelijs & illuſionibus, cùm præter fallaces pacis promiſſiones, nihil ab eo ſperaretur ampliùs, ad juſtam tandem iram provocatus Imperator, & ne qui ſingulari patientiâ hactenus omnia adverſa toleráſſet, pacémque minimè abrumpendam exiſtimâſſet, ad extremum ab eo circumventus ludibrio haberi poſſet; ipſum tanquàm ingratum, perfidum, omne fas abrumpentem, & bellum ſubinde revocantem, armis compeſcere decrevit. Comparato itáque exercitu, & *Uldrico* quoque in ſocietatem belli invitato, *Albim* cum omnibus copijs transmiſit, rectáque *Poloniam* versùs contendit. Inter hæc *Mieczyslaus*, cognito *Uldricum ad Imperatorem profectum*, tenue in Bohemia præſidium reliquiſſe, ex improviſo irruptionem cum X. legionibus *in Bohemiam*, per *Glacenſem provinciam* fecit, biduóque per obvia quæque graſſatus, magnam captivorum multitudinem cum præda ingenti abduxit. Quod nè Poloni impunè ferrent, *à Cæſarianis & Bohemis* par pari relatum, & circa *Glogoviam majorem & VVratislaviam*, vagis omnia populationibus fœdata. *Nemetzium* deinde menſe Auguſto, *Cæſar* obſedit. (videatur *Ditmarus*, qui hæc fusè deſcribit, lib. 7.) Menſem propè in obſidione triverat, primíque in murum evadere conati ſunt *Bohemi*, poſt illos *Lutitij* idem auſi, ſed irrito ſucceſſu. Ultimò cùm denuò graſſante per caſtra lue, exercitus numero animíſq; imminutus non modò de victoria, ſed etiam vita deſperare cœpiſſet, Cæſar obſidionem ſolvit, *itérque ſuum* (verba ſunt Ditmari) *valde arduum*, nempe per montana, *in Bohemiam direxit*, *ubi ab ejusdem provinciæ juſto Duce Othelrico*, i, Uldrico, *ſuſceptus*, *decenti munere honoratur.*

Bellum cum Germanis & Polonis recrudeſcit.

Polonorum in Bohemiam irruptio.

Cæſar in Bohemiam venit.

Dum Imperator *Nemetzium* obſidione premeret, *Marabenſes*, ùt refert Ditmarus, i, *Moravi*, Bohemiam clanculum ingreſſi, magnáque celeritate uſi, urbem quandam occupârunt, in qua tantum de omni genere ſpoliorum invenerunt, ut copiâ ingenti abunde expleti ac locupletati viderentur. Sed, ùt in proverbio eſt, *malè parta*, *malè dilabuntur*: nam domum revertentes cum præda & captivis, inopinatò in *Henricum Auſtrium* inciderunt, qui acri invectus impetu in eos irruit, liberatíſque captivis, & extortâ prædâ, diſſipatos & palantes, partim in fuga cecîdit, partim captivavit: cæſos tunc ex Moravorum numero, plusquàm mille viros fuiſſe, ſcribit *Ditmarus*. Ego non *Moravos*, ſed *Polonos*, qui id temporis, quædam adhuc loca præſidijs ſuis occupata *in Moravia* tenebant, fuiſſe puto: quamvis etiam ex *Moravis* aliqui ſpe prædarum illecti, ijs ſeſe aſſociare potuerint.

Alia Moravorum, vel potiùs,

Ditmar. lib. 7.

Polonorum in Bohem. irruptio.

Bolizlaus verò, ait Ditmarus, *in VVorcizlava*, i, Wratislavia *civitate*, *eventum rei ſolicitus expectans*, *cùm Imperatorem abiſſe*, *urbémque ſuam*

inco

Digitized by Google

incolumem ſtare audiret, *lætatur*, *militibúsque congaudet*. Ideóque, quia victus non erat, pro Victore ſe geſſit, diſceſsúque Imperatoris omnia ſibi prona ratus, tum ut ſeſe in *Uldrico Bohemo* aliquomodo vindicaret, turmam peditum ſexcentorum aut ampliùs *in Bohemiam* immiſit: quibus tamen malè audacia ceſſit; inſidijs námque excepti, & ſemel atque iterum proſtrati, ad internecionem penè omnes deleti ſunt, ita ut pauculi beneficio ſylvarum elapſi, cladis nuncium *Boleslao* adferre potuerint. Hunc finem habuit *expeditio Cæſaris adversùs Boleslaum*, â Scriptore vitæ *D. Meinvverci Epiſcopi Monaſterienſ.* (ut benè notat *Brunnerus*) ſupra verum inflata: dum *Poloniæ*, *Moraviæ Bohemiæq́;* ſervitutem impoſitam affirmat, manifeſtus vanitatis; cùm neque Bohemia jugum meruerit, integrâ in Cæſarem fide; nec duæ reliquæ, ad illud accipiendum edomitæ fuerint. *Ditmarus* ſanè, quem fallere nihil potuit, triumphos non loquitur, lacrymanti propior: Cæſarianis victoriæ laudem ita indulget, ut tamen propiùs periculo fuiſſe victores, quàm victos, palam fateatur. Anno demum ſequ. qui erat 1018. *Budiſsinæ*, inquit Ditmarus, *facta eſt per Cæſaris legatos pax cum Boleslao, non qualis decuit, ſed ſicut tunc fieri potuit*, qualem videlicet, tempus & rerum conditio tulerunt; eâque obſidibus, & ſacramento utrinque firmata III. Calend. Febr. Quàm porrò aliter, & quàm falsè de his ſcribat *Goldaſtus*, uti alibi ſæpiùs, pro capitali & acerbiſſimo in Gentem noſtram odio, verus *Bohemomaſtix*, jam videbimus.

Polonorum in Bohem. irruptio malè ceſſit.

Pax Cæſaris cum Polonis.

Ditmar. lib. 8. ad init.

Anno 1018. inquit ille, *Imperator cognitâ Uldrici Bohemi ſuperbiâ & pertinaciâ â legatis, quos ad eum miſerat, decernit, nè quis porrò nuncius ad eundem mitteretur, néve ullus ab eo miſſus audiatur; addita decreto pœna eſt, ut ſi quis aut ſocietatis cum eô, aut collocutionis ullius reus deprebendatur, perduellis ſit.* Atque iterum Anno 1019. *Gero Antiſtes Magdeburg. & Arnolfius Præſul Halberſtad. pacem Budiſsinæ cum Duce Bohemiæ, Imperatoris juſſu ſanciunt: quibus adjuncti fuère Hermannus & Dietricus Marchiones Miſniæ, & Fridericus Comes quidam Imperatori â cubiculo. Hi cùm Imperatoris mentem expoſuiſſent, & viciſſim Bohemi voluntatem cognoviſſent, conditiones inveniunt, quibus pax firmata eſt. Bohemus obſides dat, & Odam Marchionis Miſniæ Echardi filiam ſe ducturum promittit. Quæ cùm â cubiculario Imperatori renunciata eſſent, conditiones approbat. Publicata pacis Capit. IV. Calend. Februar.* Ita Goldaſtus. Sed vide hominis malignitatem: totum hoc, quod â *Boleslao Chrobry Polonorum Rege* actum fuit, ùt teſtatur *Ditmarus*, qui hæc omnia oculis ſuis ſpectavit, ille *Bohemis*, & nominatim *Uldrico Duci*, adſcribit: ut tantùm hoc modò acueret magìs in Bohemos odium, & indicẽ *Bohemicarum* (ùt ille vocat) *Rebellionum*, quas ubi poteſt conquirit, & ubi invenire non poteſt, flagitioſiſſimè excogitat, auctiorem faceret.

Melchior Goldaſtus falsò applicat Bohemis, Goldaſt. in Comment. de Regn. Bob. privil. l. 2. c. 4. num. 15. ex Fabricio ſupra cit. an. 1018. Goldaſt. ibid. n. 6. ubi citat Fabricium ad an. 1019. & Calviſium ad an. eund. quæ cum Polonis acta ſunt. Goldaſti mala mens oſtenditur, &

Pro exploranda magìs veritate, & ut quiſque fraudem, & malum dolum ipſius manu tangat, & palpet, conferamus ea, cum Ditmari narratione, qui ſic habet. *Ibi tunc*, nempe Marsburgi, ubi Ditmarus erat loci Epiſcopus, *Archi-Epiſcopi duo, Erkinbaldus & Gero* (hic Magdeburgenſis, ille Moguntinus) *& Arnulphus Antiſtes*, (Halberſtad.) *cum Comitibus Sigefrido &*

Ditm. Chron. lib. 7.

Bern-

Bernhardo, cæteriſque Principibus, juxta Mildam fluvium, quatuordecim dies ſedebant, Boleslavum per internuncios ad Albim venire rogantes ad colloquium à ſe diu deſideratum; & hic tunc erat Scitiani. Et ut legationem audivit, ſe ob timorem hoſtium illò venire dixit nullatenùs audere. Et nuncij, quid ſi, inquiunt, ſeniores noſtri ad nigram veniant Elſtram, quid facies?

Ex narratis alterius fide digni Authoris.

Et ille: nec pontem hunc, inquit, præterire volo. Talibus dictis reverſi ſunt, dominisque hæc omnia intimabant ſuis. Imperator autem Purificationem S. DEI Genitricis nobiſcum celebrat: poſt hæc Epiſcopi & Comites, ob contemptum Boleslavi ſe fallentis, triſtes adveniebant, & Imperatoris mentem apertis legationibus incendunt. Ibi tunc de futura expeditione tractatur, & fidelis quisque ad hanc præparari monetur, & ut nullus inter nos, & publicum hoſtem deinceps mitteretur nuncius, vel ſuſciperetur, firmiter ab Auguſto prohibetur, & quis hoc hactenùs agere præſumeret, diligenter inquiritur. De hinc Imperator à nobis proficiſcens ad Magdeburg venit, magno ibidem ſuſceptus honore. &c.

Ditmar. lib. 8. ad init.

Et infra: *Anno Dominicæ Incarnat. 1018. Indict. II. anno autem Domini Henrici Imp. Auguſti 16. Imperij autem 4. Circumciſio Domini, & Theophania, in prædicta Civitate* (Francofurti ad Mænum) *ab eodem venerabiliter colebatur: poſteàque juſſu ſuo, & aſſiduâ Bolislavi Ducis ſupplicatione, in quadam urbe Budiſſin dicta, à Gerone & Arnulpho Epiſcopis, & à Comitibus Herimanno atque Theodorico & Friderico ſuimet Camerario, pax ſacramentis firmata eſt, III. Calend Febr. non ùt decuit, ſed ſicut tunc fieri potuit: electisque obſidibus acceptis, præfati ſeniores reverſi ſunt. Transactis autem quatuor diebus, Oda Enkihardi Marchionis filia, à Bolislavo diu jam deſiderata, Zizam venit: & quia tunc nox erat, multis luminaribus incenſis, ab immenſa utriùsque ſexùs multitudine ſuſcepta eſt, ac nupſit Duci prædicto, poſt Septuageſimam, absque canonica authoritate, quæ vivebat hactenus ſine matronali conſvetudine, admodùm digna tanto fœdere.* &c.

manifeſtè probatur.

Jam conferat quis iſta cum ſuperiùs Goldaſti dictis, & clarè animadvertet ea, quæ *Ditmarus de Boleslao* memorat, illum ex odio nationis noſtræ, *Uldrico* injurioſiſſimè adſcripſiſſe; quanta impudentia! talem ac tantum Principem, *Henrico Auguſto* imprimìs, & alijs quoque Imperij Principibus ſingulariter charum, &, ùt teſtatur Ditmarus, *ſemper fidelem* probris inceſſere, eiq; Rebellionem impingere! *Hæc igitur aliquando perpendant* (ita monet Balbinus noſter) *aperiántque oculos, qui Goldaſtum admirantur, & vel ex his fraudibus, perverſam ejus in Regnum Bohem. mentem intelligant, deque rebus cæteris ab eo allatis faciant conjecturam. Sanè ſi ob paucula quædam ſequiùs dicta, inſignis ſcriptor Herodotus, meruit tamen, ut maximus Philoſophus Plutarchus, juſto libro, cui titulnm fecit, de Herodoti malignitate, quereretur: quanto juſtiùs & jure meliori, quiſpiam hiſtoriæ Patriæ anteſignanus, de Goldaſti malignitate ſcriberet, qui unam ſibi integram gentem lacerandam maledictis, & deprimendam ſumpſit, quàm dives enim, & quàm fœcundum Author noſter haberet argumentum!* Sed ſatìs jam ſtomachi juſtæque iræ; Ad *Uldricum* redeamus, qui uti pacis ſtudioſum Principem decuit, quoad *Henricus Imp.*

Ditmar. lib. 6.

Epitom. Rer. Boh. l. 3. c. 3.

Quid de Goldaſto ſentiendum?

Imp. vixerat, amicitiam cum illo, & cum omnibus Imperij Principibus, comiter ac ſyncerâ fide coluit: ipſo Ditmaro Epiſcopo teſte locupletiſſimo, utpote rerum omnium, quæ tunc in Imperio agebantur, optimè conſcio, & Henrico ab intimis Conſilijs, qui expreſsè *Uldricum Bohemiæ Ducem inclytum, & Regi per omnia fidelem* nominat. Cum Boleslao quoque Polono, antequàm in bellum contra *Ruſſos* gerendum ſuſcepiſſet, pacificè de omni controverſia transegit: per quod ſubditis ſuis populis, præſertim *Moravis*, poſt tot præteritas calamitates & clades, opportunè proſpexit. Uldricus Dux Boh. Cæſari fidelis.

Eodem anno, nempe 1018. *Henricus Marchio Auſtriæ*, VIII. Calend. naturæ debitum exolvit. Erat *Leopoldi ex Bambergenſium Comitum ſtirpe, re & nomine Primi Marchionis Auſtriæ*, qui defuncto an. 928. *Rudigero de Pechlaria*, favente Henrico Aucupe Imp. ſucceſſerat, nepos: vir ſolers & induſtrius, reique militaris admodùm peritus, & uti illum Ditmarus nominat, *fortis armatus.* Cum *Hungaris* multoties conflixit, fortunâ ut plurimum propitiâ uſus: cum *Moravis*, poſtquàm ſemel inter *D. Henricum Imp. & Uldricum*, pax certis legibus firmata eſſet, bonum deinceps ſemper vicinum egit. Cui defuncto *Albertus* filius ſucceſſit. Marchiones Auſtriæ. Ditmar. lib. 4.

CAPUT II.

Bella varia Moravorum & Bohemorum cum Polonis, Hungaris & Auſtriacis, ab anno 1018. usque ad an. 1093.

MOrtuo *Boleslao Chrobry*, anno 1025. Mars funeſtos rurſum transtulit in Moraviam caſus. Quippe *Poloni*, atque imprimìs illi, qui militiæ dediti pacem oderant, & qui continuis ſuperiorum temporum bellis exercitati, partâ pace quietem atque otium ferre nequierant, gerendi potiùs belli, quo aliorum facultatibus ſuas augere poſſent, cupidi, multis rationibus Regem juvenem *Miecyslaum* ad ſuſcipiendum parandúmque bellum *adversùs Bohemos, pro recuperanda Moravia* incitabant; eam potiſſimùm juſti belli cauſam exagerantes, *quòd Bohemiæ Dux nuper bello Germanico, non perſtitiſſet ijs, quibus Boleslaus Rex Moraviam ei ceſſerat, fœderum pactis*, ſed ùt fœdifragus, dum maximè nutaret ſociorum fortuna, reſilijt, Germanis ſupplex factus. Et quod majus eſt, ipſummet Regem, tum Principem, ad ſe â Patre miſſum, contra omne fas captivâſſet, & vinctum in manus hoſtium tradidiſſet. Quibus eò usque deduxerunt Regem, ut poſt multa, quæ alij pacis quàm belli amantiores afferebant in medium, conſenſerit tandem in bellum, vel invitus. Collectis igitur decem millium copijs, in *Moraviam* ex improviſo irrupit; & primò per artes fallendo diverſas, proceres diſpendijs levioribus tentabat, alios ſollicitans verbis & promiſſis, alios excurſibus occupans repentinis. Audito de- Poloni Moravis bellum inferunt, inque multa diviſi agmina, per regionem vaſtabundi digrediuntur;

 mum

mum, *Moravos* in interiori Provincia viritim confluere ad arma, & ex Bohemia *Brzetiſlaum Uldrici filium*, adventare valido cum exercitu; prædatum excurrit, ac diſperſis agminibus ſeſe longè latéque per Moraviam effudit, eo, uti apparebat, conſilio, ut, ſi infectis alijs rebus recedendum foret, non niſi ſpolijs priùs ditatus, recederet. Itáque totum illum terræ tractum, qui *Oppæ*, *Oderæ*, *Moravæ* & *Beczvæ* interjacet fluminibus, percurrit celeriter, multâ agreſtium turbâ interceptâ, & unà cum pecoribus abductâ: illis tantùm fortunæ manſerunt integræ, qui tempeſtivè vicinorum montium petivêre receſſus.

rapinis & populationibus omnia complent.

Moravi arma corripiunt:

Inter hæc *Moravi* in unum conglobati, *VVitkone juniore duce*, proceſſerunt in hoſtem, cautiſſimè obſervantes agminum ſuorum latera, ne circumvenirentur ab eorum equitatu: & quia ad congrediendum non dum ſatìs inſtructi erant, ibant non ut laceſſerent, ſed ſolùm ut arcerent hoſtem impunè per omnia graſſantem. Et quidem fortunâ comite; nam cùm in valle quadam deprehendiſſent turmam unam diviſioni prædarum intentam, accidit, ut antequàm illa armaretur, temporis brevi puncto præventam, totam ad internecionem oppreſſerint. Quo facto, exultantes innoxij prælij felici ſucceſſu, ad cæterorum quoque perniciem ducere maturabant: ſed duces & tribuni veriti, ne ab illis intra condenſa ſylvarum, & flexuoſos colles, fortaſſe in occulto delitеſcentibus, peterentur inſidijs, cohibebant quantum poterant plebis impetum, ſenſímque incedentes, ultimò in editiori quodam monte ſubſtiterunt cunctati. Et jam quoque *Bohemi* appropinquabant, *Brzetiſlao* impigro & feroci juvene, cum anteſignanis præeunte: quibus *Moravi*, propè caſtrum *Sovinec*, ſeſe adjunxerunt; exínque progreſſi ulteriùs, cùm *Polonos* Moraviâ excedere cognoviſſent, citatis paſſibus illos ſequuti ſunt, compluribus ex illis, quos dulcedo prædarũ diutiùs diſtinuerat, ex itinere oppreſſis, & vel cæſis, vel captis. Cromerum de hac Mieczyslai expeditione audiamus: *His itáque rebus motus Rex Miecyslaus, & magnis populi clamoribus & convicijs vix tandem impulſus, & ſibi jam Regnóque timens, in Moraviam duxit exercitum: & oppidum quidem nullum oppugnatione tentavit; quippe quæ Boëmorum præſidijs tenerentur, & per ſe etiam oppidani conſcientiâ deditionis atque defectionis, obſtinatè ea defenſuri eſſe viderentur: ſed agris tantùm & ſuburbanis vaſtatis, magnáque hominum, pecudum & jumentorum prædâ abactâ, domum reverſus, dimiſit exercitum.* Ita ille. *Hagek* verò aſſerit, cæſa tunc â Bohemis aliquot Polonorum millia, captôsque plurimos; quos *Brzetiſlaus* in Hungariam catervatim pelli juſſit, ut ibi velut pecora divenderentur. Quod affirmat *Coſmas* quoque; *Æneas* & *Daubravius*, Hiſtorici graves. His proſpero eventu transactis, *Brzetiſlaus* firmato ab ea parte limite, & caſtellis aliquot, quibus opportunè arcerentur hoſtium excurſus, ibidem erectis, milites per præſidia locavit: ipſemet autem cum prætoriana cohorte *Olomucij* ſtationem fixit, *præfecturam Moraviæ â Patre conſequutus.* Nec poſtea *Miecyslaus* quidquam in *Moravos*, aut *Bohemos* tentare valuit, per ſex annos, bello Pomeranico impeditus.

agmen latrocinantium nec opinatò aggrediuntur, & internecione deleat.

Brzetislaus Uldrici filius cum copijs Bohemicis accurrens, Moravis conjungitur: Polonos inſequitur, premit & cædit. *Cromer. citat. in Miecyslao.*

Hagek ad an. 1026. Coſmas lib. 1. Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. c. 18. Daubrav. l. 7. Polonorum clades. Brzetislaus Moraviæ Præfecturam ſuſcipit. Olomucij ſtationem figit.

Ne

Ne tamen *Mars cruentus* longâ nimis ab inferendis cladibus intepeſceret morâ, *Hungaros* rurſum in *Moravorum* perniciem concitavit. Hi námque anno 1030. veris tempore, cùm intellexiſſent *Brzetislaum*, Pragam diſceſſiſſe ad patrem, gravi in morbo tum conſtitutum, fiduciâ ſingulari ex abſentia ejus animati, irruperunt ex improviſo *in Moraviam*, pace tum ſecuram; eámque, celeritate uſi, hoſtilem in modum populati ſunt, plurimâ tam pecudum, quàm hominum multitudine, in *Hungariam* abductâ. Id ulturus *Brzetislaus*, ſtatim ac redijt, evocato è præſidijs veterano milite, & alio quem inter hæc provinciales collegerant, unà aſſumpto, hoſtium veſtigijs ad ipſam usque *Hungariam* inſtitit: ac par pari referens, *Vagóque* ſuperato, ad confluentem usque *Grani*, è regione *Strigonij*, populabundus penetravit. Sed nè ad bellum gravius, protrahendúmque longiùs res veniret, *D. Stephani Regis*, Strigonij tum agentis, ſapientiâ modeſtiáque præſtitum eſt: qui *miſſo ad Brzetislaum Sebaſtiano Archi-Epiſcopo*, ut eum edoceret, injuſſu ſuo eveniſſe, quicquid hoſtilitatis per nonnullos veriùs latrones, quàm milites, accidiſſet; ſe transactioni pacis ſtare, modò ipſe non ultra ſæviat, ſed quâ venerat viâ, absque ulteriore maleficio Regno excedat, mitigavit ferociam Principis. Firmatâ ergò pace, *Brzetislaus in Moraviam triumphanti ſimilis reverſus eſt*: in quo, jam tum ex ijs, quæ agebat, in quantum evaſurus eſſet heroam, elucebat, *Princeps tum formâ celſitudineque corporis, tum militaribus exercitijs, maximáq; animi fortitudine inſtructiſſimus*. Hic námque erat, qui *Moraviam*, poſt Svatobogium, â diverſis nationibus appetitam, tentatam, afflictam & horribiliter laceratam, ceu de collectis ex naufragio tabulis, in eam formam, quâ nunc exſtat, feliciter reduxit, ita ut ei meritò *Vindicis ac Liberatoris Moraviæ nomen* debeatur.

Hungari in Moraviam excurrunt: prædas agunt.

Brzetislaus, ut par pari referret, Hungariam vaſtat:

Daubraſ. l. 7. Hagek ad an. 1030.

S. Stephani Hungariæ Regis humanitate placatur.

Pax utrinque redintegratur.

Brzetislaus Moraviæ Vindex.

Anno ab hac expeditione tertio, (aliqui volunt citiùs) *Bohemos* grave excepit bellum, cujus occaſione etiam *Moravia* inſignem tulit plagam. Quippe *Conradus II. Imp.* cognomento *Saliquus*, qui *S. Henrico anno 1024. tertio Idus Julij defuncto* ſucceſſerat, ægerrimè ferens *Juditha filiæ Ottonis Comitis agnati ſui*, (alij filiam *Othonis III. Imp.* volunt) raptum, quam *Brzetislaus* ſolà duntaxat pulchritudinis ipſius famâ incitatus, vi ex *monaſterio Svini-Brodano apud Ratisbonam*, rapuit, duxítque in uxorem, bello hanc contumeliam ulciſci ſtatuit; ideóque expeditionem validam adornari juſſit, cui ipſemet præeſſe voluit. Sed interveniente per id tempus morte *Rudolphi Burgundiorum Regis*, qui Cæſarem conſtituerat Regni hæredem, utilia minùs neceſſarijs præponens, & ne fortaſſe *ab Othone Belgij Principe*, Regis defuncti ex ſorore nepote, in capeſſendo Regno præveniretur metuens, eò ipſemet cum parte exercitûs iter arripuit. Contra Bohemos, filium *Henricum* miſit. Quamvis autem plerique Bohemicarum rerum Scriptores aſſerant, ipſummet Imperatorem in perſona huic expeditioni adfuiſſe; apud me tamen plus facit Wippo Capellanus Conradi Imp. qui in Vita ejusdem hæc habet: *Dum Imperator Chunradus in Burgundia agit* (hoc autem fuit an. 1033. ùt omnes Hiſtorici teſtantur) *filius ſuus Henricus Rex, non ſegniùs Reipublicæ conſuluit, in Bohemia, & in*

Novi belli origo.

Æn. Sylv. in Hiſt Boh. c. 18. Daubraſ. l. 7.

Herman. Contract. in Chron. an. 1032.

Lambert. Schaffn. Marian Scot. in Chron. lib. 3. Naucler. gener. 35.

Henrici filij Conradi II. expeditio in Bohemiam.

VVippo in Vita Chunradi Salici Imp. c. 32.

& in cæteris regionibus Slavorum: ubi & Udalricum Ducem Bohemiæ, & reliquos quàm plures, Cæſari adverſantes ſtrenuè ſubjugavit.

Perrupto Bohemiæ limite, & itineribus, quæ in opaca denſitate ſylvarum fagis inciſis & quercubus conſtrata erant, haud parvo labore ſuperatis, *Germani* effuderunt ſeſe in regionem licenter: ubi poſteaquàm miſeræ plebi tempore aliquanto graves fuiſſent, propè *Beronam* ſubſtitêre, ad conferendas cum *Brzetislao* manus parati. Nullo tamen juſto prælio concurſum fuit, ſed levioribus tantùm concurſibus ſeſe invicem perſtringebant. Tandem (ùt transcurſis hiſce breviter ad Moravica redeat ſtylus) ex interventu *Juditha* pacificatio ſequuta eſt. Tum igitur diſtractis bello Germanico *Bohemiæ Principibus*, *Poloni* recuperandæ Moraviæ cupidi, denuò bellum moverunt; & multiplicatis armis & viribus, tum planè, cùm *potiorem partem juventutis Moravæ, in Bohemiam â Principe evocatam* intellexiſſent, *in Moraviam* irruperunt; nullóq; reſiſtente eam longè latéq; percurrerunt, caſtellis compluribus eo repentino impetu occupatis, ac vel direptis & ſuccenſis, vel ſuo præſidio firmatis. Cujus rei nuncij cùm perveniſſent ad *Brzetislaum*, eò citiùs ille animũ applicuit ad accelerandam cum Germanis pacem; quâ peractâ, totam vim *in Polonos* convertit: nihilq; cunctatus, cũ expeditiore manu in *Moraviam* contendit: reliquos autem in eam *Poloniæ oram*, quæ modò *Sileſiæ nomine* gaudet, ad diſtrahendos duplici bello hoſtes, *Glacenſi itinere*, ſummâ imperij militaris, *Ctiborio juniori Slavata*, (aliàs z Chlumu/) *Ctiborij* ſenioris, cujus meminimus ſuprà, *filio* commiſsâ, proficiſci juſſit. Succeſſerunt porrò feliciter agminis utriusq; conatus: hi námque terram hoſtilem ingreſſi, totam ad *Oderam* usque, cladibus affecerunt funeſtis. *Brzetislaus* autem fuſis ac profligatis binis diverſis vicibus *Polonis*, audaciam eorum non tantùm repreſſit, verùm etiam paulò poſt, in ipſam Poloniam, ad *Ratiboriam* usque, penetravit: adduxiſsétque tum ſtatim Polonorum rem in ſummum diſcrimen, nî imbrium autumnalium fœda crebritas proſequendæ victoriæ obicem poſuiſſet. Reductis itáque partim in *Bohemiam*, partim in *Moraviam* copijs, cum cæteris placuit caſtella ab hoſte capta, & *quidquid in Moravia Polonicis armis procubuerat*, vindicare, ſervitióque eximere. Tametſi autem locorum præſidiarij per aliquot tempus fortiter reſtiterint: cùm tamen ad ultima compulſis nemo ſuccurreret, ſuccurrere tandem ſibi ipſis coacti, deditionem fecerunt: qui verò obſtinatiùs deditioni renitebantur, vi capti & exciſi ſunt.

Anno ſequenti, qui erat 1035. *Brzetislaus*, ne ſineret Polonorum facinus, quod rupto pacis fœdere commiſiſſent, diu inultum, ac ne etiam miles longiore fortaſſis ocio marceſceret, *Poloniam* acriori bello premere conſtituit: jámq; per *Moraviam* emiſerat per militares numeros teſſeram expeditionalem, docens quâ die, quóve loco ſub ſigna coire deberent. At monitu patris, qui pacem Polonis ſeſe ſubmittentibus dandam exiſtimabat, â propoſito nolens volens deſtitit. Nihilominùs quod vivente patre exequi non potuit, id mortuo illo, cùm imperij regimen abſolutum ſuſcepiſſet, inſigni virtute pariter & fortunâ eſt exequutus. Nam peracto funere patris, qui anno 1037. die 9. Novembr.

Bellum variâ fortunâ geritur.

De controverſia tranſigitur.

Æn. Sylv. c. 18. Daubrav. l. 7. Hagek an. 1032. Dalimil. in Chron. Boleslav. cap. 42. VVeleslav. Pulkavva. Fabric. Bonfin. decad. 2. lib. 2.

Polonorum in Moraviam irruptio.

A Brzetislao reprimuntur.

MS. Coruen. de antiq. Morav. part. 3. Baronius in Annal. Eccl. an. 1034. n. 33. Æn. Sylv. c. 18. in fine.

Brzetislaus bellum, quod Polonis inferre

Uldrico Parente ſuo vivo, non poterat:

Digitized by Google

vembr. ſatis conceſſerat, hyemẽ ſequentem totam, in apparatu bellico, armis, commeatu aliiſque neceſſarijs inſtruendo inſumpſit; & quò validior prodiret in hoſtem, *funem* (inquit Daubravius) *ex ſubere in torquis modum intortum, circum vicos & pagos ferri juſſit, cum hac denunciatione: ſuſpendio illum periturum, quisquis idoneus militiæ repertus illam obire detrectaverit.* Tantâ flagrabat belli hujus cupidine! & juſtiſſimis ſanè de cauſis; non attento, quòd â *Cromero*, de vi per ſummam injuriam illata accuſetur. *Non defendo* (verba ſunt Balbini Scriptoris eximij) *Templorum ſpoliationes, rapta ſinè Summi Pontificis authoritate Sanctorum corpora, aliáque ejusmodi ſcelera, quæ bellum etiam juſtum aliquando comitari ſolent; ſed ajo: ſi Regum ac Principum ingentes illi ſpiritus ſpectentur, nihil magis Brzetislaum, quàm bellum Polonis inferre debuiſſe. Videbat ante ſe miſerrimum ſenem avum ſuum* (octoginta & ampliùs annos natum) *Boleslaum III. qui fide datâ & acceptâ, jurejurando firmatâ deceptus, cùm ſe ad amicum, imò amitinum Regem venire Cracoviam putat, in crudeliſſimi hoſtis manus ultro ſe dedidit, ab eóque inauditâ in hoſpitem, in Principem, & cognatum barbarie, luminibus orbatus eſt, turpiſſimè eluſo quod dederat juramento: Bohemis & Moravis Proceribus plerisque, & ſatellitio univerſo, quo cinctus advenerat, crudeliſſimè interfecto. Recordabatur Moraviam à Cæſaribus Bohemiæ adjunctam, & Majoribus ſuis donatam & confirmatam, à Polonis toties miſerè pervaſtatam, ad extremum nullo jure occupatam, & tributis impoſitis ſibi, & Regno Bohemiæ nuper ademptam fuiſſe, unde Polonos armis exegerat: audierat & viderat Bohemiam eorundem Polonorum exercitibus ſpoliatam, Pragam duobus annis inſeſſam, pro libidine ibi & impotenter regnatum; cujus mali veſtigia aliqua etiam tum apparebant. Sciebat patrem ſuum Uldricum, ejusdem Poloni Regis ad Cæſarem precibus, ne vindicare Patrem ſuum poſſet, in turrim conjectum ægrè effugiſſe. Sciebat VVrſſovecios (Familiam ad excidium Principum Bohemiæ genitam, multisque eorum fatalem) à Polonis receptos audiri, foveri, in pretio eſſe, dignitates obire.* Juſtiſſimas proinde habebat *Brzetislaus* belli inferendi cauſas; quod vel ipſimet *Dlugoſſus & Miechovienſis, Canonici Cracovienſes* agnoſcunt, dum vindictæ ſtudio *Brzetislaum* incenſum, bellum Polonis intuliſſe ſcribunt: ideóque errant, qui ei non perpendentes hæc, latrocinium impingunt. Ante omnia autem *Brzetislaus*, ut tanto inſtructior milite & armis prodiret in campum, veteranos quosque rei militaris præ alijs peritiores nominavit, qui tyrones plebejos, armis tractandis nondum aſſvetos, ad ſimulachra pugnæ cienda, dum aſſveſcant, & addiſcant, aliáque militaria munera, caſtrenſésque labores obeundos inſtruerent; nec opus erat hortatibus multis, privatim & publicè factas à Polonis injurias, pro ſe quísque ulturi properabant.

mortuo illo infert, magno cum apparatu.

Daubrav. lib. citat.

Miechov. lib. 2. cap. 11.

Balb. in Epit. rer. Boh. lib. 3. cap. 2.

Cauſæ juſtæ belli contra Polonos ſuſcepti recenſentur.

Brzetiſlai diligentia.

Anno igitur 1038. contractis majore penè quàm uſus poſcebat copijs militum, *Brzetislaus* ipſemet cum Bohemis, *Glacenſi itinere Sileſiam* petijt: & *VVratislaviâ* urbe jam tum celebri, in poteſtatem redactâ, *Oderáque* flumine transmiſſo, ac nemine reſiſtente, facilè *in majorem usque Poloniam* penetravit.

Exercitum bipartitò dividit: aſſumptísque ſibi Bohemis, majorem versùs Poloniam contendit:

Moravos Minorem Poloniam aggredi jubet.

travit. Alterum verò, qui ex *Moravis* conſtabat exercitum, ***in minorem Poloniam***, *Marquardo de Prerovia duce*, proficiſci, & agrum *Cracovienſem* infeſtare hoſtiliter, ipſiúsque urbis oppugnationem tentare juſſit.

In Polonia tumultuum motuúmque inteſtinorum plena, *Cromer. lib. 4. ad init.*

Erat tum in *Polonia* miſerabilis rerũ facies: mortuo enim *Miecyslao*, cùm filius ejus unicus *Cazimirus*, Regno cum Matre profugus, vitæ religioſæ Ord. S. Bened. nomen dediſſet, vitam monaſticam *Cluniaci in Burgundia* profeſſus, Regnum ſine Rege lacerabatur crudeliter, nemine id, quod pro bono publico eſſet, procurante, ſed plerisq; ſuis tantũ commodis & utilitatibus intentis. Unde (ùt refert Cromerus) *quaſi lymphatico furore agebantur cuncta, latrociniis viæ publicæ infeſtabantur, pagi & oppida incendebantur, & audaciſſimus quisq; collectâ plebejæ facis perditorúmque hominum manu, invadebat aliena; trucidabantur paſſim divites locupletiorésque, denique omnia vi, cædibus & ſtupris miſcebantur.* His acceſſit *Maslai*, quondam apud *Miecyslaum* pocillatoris tyrannis; qui uti erat potens & audax, dominatum inter ſuos, in *tractu Plocenſi*, & confinio *Pruſſorum* arripuit; confluentéque ad eum undique magnâ hominum, præſertim ex vagis & errabundis multitudine, in terribilem metuendúmque, maximè proceribus evaſit. *Jaroslaus* quoque *Ruſſiæ Dux*, per id tempus *Podleſſiam* invaſit, & eam *Poloniæ oram, quam Bugus interfluit, totam ad usque confluentem Viſtulæ*, fœdè populabatur.

Bohemorum in Polonia Majori ſucceſſus,

In eo itáque turbatiſſimo Polonorum ſtatu, haud difficilè fuit *Bohemis & Moravis* triumphare *in Polonia*; & illi quidem *Poſnaniâ*, *Gneſnâ*, aliiſque urbibus, & oppidis occupatis ac direptis, theſauros ſacræ & prophanæ ſupellectilis collegerunt ingentes; inter quos erat, *ſacra Baſilicæ Gneſnenſis* ſupellex; itémque *corpora S. Adalberti, Gaudentii & Quinque Fratrum MM. Benedicti, Matthæi, Joannis, Iſaac atque Chriſtini.* Hi verò, cùm fruſtra diu in oppugnatione *Cracoviæ* deſudâſſent, pertæſi tandem obſidionalium laborum, converterunt potiùs vires in cogendas prædas, omnémque vicinum agrum, circumlato paſſim terrore, vaſtabant prælicenter, exciſis compluribus villis & oppidis, incolis verò in ſervitutem abductis. Haud multò poſt *Brzetislaus*, Poloniâ majore peragratâ, in minorem movit; cæſóque in itinere *Polonorum exercitu*, propè *Przedborzium*, quintis demum caſtris, *ad Cracoviam* venit, ubi vocatis ad ſe *Moravorum* copiis, quæ *Sandecenſem* tunc infeſtabant agrum, intermiſſam urbis obſidionem redintegravit; quam poſt toleratam aliquot dierum oppugnationem deditione accepit. Quo facto, alia quoque viciniora oppida, inter quæ præcipui erant nominis, *Sandecia*, victoris arbitrio ſeſe permiſerunt, ubi ingens auri, argenti, variæque ſupellectilis copia ab incolis expreſſa fuit. Neque citiùs Poloniâ exceſſit *Brzetislaus*, quàm Poloni cum eo *de tributo* in annos ſingulos Bohemis Principibus pendendo, cautione datâ, conveniſſent. Ad illud tamen, ut cederet urbibus, perduci non potuit, ſed relicto in eorum præcipuis præſidiario milite, *in Bohemiam triumphabundus* revertit. *Ex hujus expeditionis ſucceſſibus* (ait Stransky) *facta eſt Bohemia cùm populi agreſtis coloniâ, & pecoris multitudine abundantior, tum theſauris ſupellectilique ar-*

Bohemorum item & Moravorum in Minori Polonia. Brzetislaus in Bohemiam victor redit. *Coſmas ad an. 1038. Hagek & Kuthen. an. 1039. Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. c. 19. Dalimil. in Chron. Boleslav. cap. 43. Stransky c. 8. in Brzetislao I. Daubrav. l. 7. Pulkavva c. 34. Miechov. lib. 2. p. 13. ca*

rae

reâ & argenteâ opulentior. Sanctas autem Reliquias (inquit Daubravius) *& alia templorum ſpolia pretioſiora, partim in arcem Pragenſem, partim Boleslaviam, partim etiam in Moraviam deportata Princeps curavit.* Miechovius, *S. Chriſtini*, unius ex *Quinq; Fratribus MM.* corpus, ſcribit *in Eccleſia Olomucenſi*, ſub tabulis argenteis inauratis, fuiſſe tunc depoſitum: quod tamen ego, primò an. 1130. agente *VVenceslao Marchione Moraviæ Fundatore Cathedralis Eccleſiæ Olom.* accidiſſe invenio.

SS. Reliquias adfert.

Cùm deinde *Caſimirus* diſpenſatione *Summi Pontificis* voto religionis ſolutus, gubernacula *Regni Polonici*, poſt tot calamitates & clades ſuſcepiſſet, opem tum *Pontificis*, tum *Cæſaris* Henrici III. adversùs Bohemiæ Principem imploravit: ut ita illum non ſolùm ab inferendo Polonis bello, quod rurſus moliebatur prohiberet, ſed etiam ad reddenda, quæ ſuperiori anno abſtuliſſet, compelleret. Cæſar *Brzetislaum* in jus vocavit, ut de pacifragio, & damnis Poloniæ illatis reſponderet: qui cùm parere nollet, (& ne fortaſſe tenebatur, utpote *ſui juris Princeps, nullius imperio obnoxius*,) bello petendum decrevit. Jámque expeditione indictâ, & copijs ad confinia Bohemiæ traductis, vi maximâ limitem perrumpere conabatur: ſed intra montium anfractus, & concædem ſylvarum, quas ex conſtituto per viciniæ illius accolas, qui Chodowé/& vulgò Pſohſawcy vocantur; (*homines antehac liberi, nunc æquè ſicut alij, priſtinâ libertate exuti*), curaverat in tempore dejici *Brzetislaus*, â Bohemis deprehenſus, & cum maxima clade rejectus, eodem itinere, quo venerat, non ſine dedecore & metu, in Bavariam reverſus eſt. Fusè de hoc narrant non Bohemici tantùm, ſed etiam Tevtonici ſcriptores. Hermannus Contractus Comes Svevus, ac poſtea Monachus, qui tunc vivebat, ſic refert: *Henricus Rex, ducem Bohemiæ bello petit: ſed multis proceribus & militibus in præſtructione ſylvæ citrà & ultrà occiſis, vel captis, nihil dignum efficere potuit.* Et Lambertus Schaffnab. coævus quoque illius temporis: *Henricus*, inquit, *in Bohemiam duxit exercitum, ibique VVerinberus Comes, & Reginhard ſignifer Fuldenſis, cum alijs multis occiſi ſunt.* Neque ampliùs eo anno quidquam in *Bohemos*, quòd ſciret *auxilijs Moravicis & Hungaricis* evaſiſſe longè fortiores, tentandum duxit. Convenit deinde cum *Cazimiro*, ut ſimul eodémque tempore, ad diſtrahendas hoſtium vires, *Cæſar Bohemiam*, ille invaderet *Moraviam*. Reparato itáque novis ſupplementis exercitu Cæſar, anno ſequenti, mox initio veris in Bohemiam, adhibitâ ſummâ celeritate contendit, ut famâ de ſe nullâ præversâ eò citiùs penetraret interiora Provinciæ, facilè deinde belli reſidui proſequuturus curſum.

Polonorum contra Brzetislaum querelæ apud Pontif. & Cæſarem.

Cæſar Bohemiam infeſtis armis petit,

ſed in ipſo aditu, magnâ clade reprimitur.

Herman. Contract. in Chronic. an. 1040. Schaffn. an. eod. Marian. Scot. an. eod. Gemblacenſ. an. eod. Otto Friſingenſ. lib. 6. Chronic. cap. 32 Chron. Mansfeld. cap 171. VVeleslaw. in Cal. Hiſt. ad d. XII. Aug. alij habent diem XXII. Auguſti.

Erat tum *Brzetislaus in Moravia* firmandis, quas tutela limitum â parte Septentrionali poſcebat, rebus intentus; neque exiſtimabat tam citò fore in procinctu hoſtilem tantæ molis exercitum, paulò ante per hyberna, & ſtationes varias in longum latúmque diſperſum. Percepto igitur hoc nuncio triſti, *Pragam* celeriter cum octo equitum turmis advolat, cæteris pro cuſtodia finium, ſi quid â *Polonis*, quos pari ratione hoſtilia moliri non ignorabat, moveretur, *in Moravia* relictis; ſupremâ verò imperij per Provinciam poteſtate, *VVe-*

Bellum nihilominùs reſtaurat, & cum majoribus copijs revertitur; Brzetislao inter hæc ſecuritati Moraviæ conſtituendæ intento.

VVelislao Bozkovienſi Dynaſta, inſignium virtutum heroi, ac verè eâ tempeſtate *alteri Moraviæ lumini* concreditâ. *Poloni* tamen habentes in viſceribus Regni, intra urbium munimenta, pertinaciſſimè ſeſe tenentem hoſtem, *præſidia nempe Bohemica*; & *Maslao* quoque (de quo ſuprà) auxilijs *Pruſſorum*, Regi Regnóque toti, ſupra modum inſultante, non potuerunt quicquam negotij faceſſere *Moravis*: excepto quòd *cohortem Moravorum* unam, dum ſupplemento ſuis *Cracoviam* proficiſceretur, inſidijs exceptam profligârint, commeatu, aliiſque pro ſuſtinendo præſidio neceſſarijs, omnibus in ſuam poteſtatem redactis; quod tamen brevì aliâ cautiori viâ reſarcitum fuit.

Poloni Moravos pro firmando Cracoviæ præſidio miſſos, ex itinere profligant.

At Cæſar, cùm præmiſſis exploratoribus fidis, & alijs qui conſtratas ilicibus & quercubus in ſylvis purgarent vias, ſuperâſſet tandem transcendiſſétque limitem, ac neminem videret, qui reſiſteret, ſuſpectiore curâ progrediebatur ulteriùs, inſidias veritus. Proinde cum expeditis velitibus nunc anteſignanus, nunc agminibus cogendis inſiſtens, ne quid lateret abſtruſum, fruteta ſqualida, valléſque & ſaltus ſcrutari juſſit, licentiores militum per longinqua diſcurſus authoritate imperatoriâ prohibendo & minis. Hoſtiles tamen agros, ad incutiendum majorem indigenis metum, unà cum mapalibus & pecorum tectis, flammis dabat: ſícque lento progrediebatur paſſu, per regionem *Plsnenſem ad Album montem usque, urbi Pragenſi vicinum*, ubi ſubſtitit; ac deinde, ut *Bohemis* timorem multitudinis majoris, quàm in re eſſet, eminùs incuteret, laxatis cohortibus, in ea montis latè patentis planicie, jumenta dilatavit & ordines, ut aliquot ſtadijs poſtremi diſpararentur â ſigniferis primis: quod arte ſingulari feciſſe leguntur multi Duces ac Imperatores, *opportunis in locis caſtrametandi, armorúmque ſpeciem diffundendi ex induſtria, vel attenuandi, perquàm ſcientiſſimi, ut ubi veniſſent, plures æſtimarentur, aut pauci.* Brevì poſt venit quoque *Helicardus Saxoniæ Dux*, & copias quas adduxerat cum Cæſareis conjunxit. Prodigio fuit ſimile, quòd *Brzetislaus*, Princeps aliàs impiger, & tam manu, quàm conſilio promptus, non eâ quâ antea ſolebat, & quam exigebat tum vel maximè neceſſitas præſens, celeritate & induſtriâ, Cæſari obviandum duxerit, ita ut *Henricum* hanc ſecundam expeditionem (quam verè ſecundam dixeris) *ſpecialibus Cælitum auſpicijs* ſuſcepiſſe haud negaverim. Aliquid eorum inſinuat Sigebertus Gemblac. Scriptor penè coævus, in ſua Chronographia, dum primò ait ad annum 1040. *Henricus Imp. vadit ad debellandum Odelricum* (Brzetislaum) *Boëmanorum Ducem: ſed Boëmanis viriliter reſiſtentibus, inefficax redijt.* Et mox ad an. 1041. *Henricus Imp. per orationes Sanctorum virorum, auxilio Dei ſibi procurato, ſuperioris anni infortunium ultus, Ducem Bohemiæ ſuperat.*

Cæſar progrediendo per Bohemiam, & obvia quæque vaſtando, tandem in Albo Monte propè Pragam caſtra figit: cujus Expeditionem Dij ipſi ſecundant.

Igitur *Brzetislaus* viſo in gremio Regni tam valido ac potenti hoſte; quanquàm haud mediocriter perturbaretur, ad reſiſtendum impar: non deſpondit tamen animum, ſed delectu ex urbana plebe habito, & ex vicinis caſtellis & oppidis, qui militiæ idonei eſſent, ad arma evocatis, mox ubi etiam *auxilia Hungarica*, quæ jam in itinere eſſe nunciabantur, advenirent, egredi in hoſtem, & fortunam prælio tentare conſtituit: hortatu tamen Optimatum,

Brzetislaus novis delectibus copias auget: animum & vires ad prælium comparat.

ac præſertim *Severi Epiſcopi Prag.* extrema omnia alia priùs, quàm prælium, cujus incerti eſſent eventus, experiri ſvadentis, ad conſilia pacis, ſi quo modo Cæſari reconciliari poſſet, animum convertit. Miſſo itàque *Severo* cum proceribus primi ordinis, gratiæ Cæſaris ſe ſubmiſit, pacémque petijt: à qua primò *Cæſar*, ſimulatâ ad ſpeciem indignatione & irâ, averſiſſimi animi eſſe videbatur, *Brzetiſlaum* pacis publicæ turbatorem identidem appellans, ideóque præcluſam jam illi eſſe omnem pacis aut reconciliationis ſpem, effectúrúmque brevì, ut provinciâ exutus ſolum vertat. Poſtea tamen cùm inſtantium procerum, & Epiſcopi prece, tum etiam haud ignobili parte manubiarum Polonicarum placatus, cum *Brzetiſlao* non tantùm amicè tranſegit, *ſed partem Sileſiæ* inſuper (ùt teſtatur *Æneas Sylvius*, & alij) cum onere tributi, nempe *auri triginta, argenti centum & quinquaginta marcarum* quotannis pendendi, ei, & ſucceſſoribus Bohemiæ Principibus tradidit. Cæterùm Cromerus vult rectiùs id accipi de Moravia, aitque: *conceſsâ tum* (malim ego in poſſeſſione firmatâ) *Brzetiſlao Moraviâ, tributum auxiſſe, ita ut quingentas marcas, ùt vulgò vocant, argenti (quæ ſunt 150. libræ) ac centum viginti boves, Dux Bohemus deinceps Rom. Imperatori quotannis penderet.* Injici hìc ſcrupulus non immeritò poſſet, quonam jure *Cæſar* tantam poteſtatis ſuæ plenitudinem exercere potuerit in Provincias, quas nec in deceſſorum, nec in ſua ditione unquam fuiſſe conſtabat, & in quas *Imperatores Germani* nihilo plus juris, quàm *Daniæ* vel *Galliæ Reges* habebant? ut vix non ex alieno liberalem fuiſſe cenſeamus. Sed ad ordinem.

Mutato poſtmodùm conſilio, pacem à Cæſare petit: *Aventin. lib. 5. fol. 408. & ſeq. Herman. ad an. 1041. Schaffn. an. eod. Mutius lib. 14. de reb. Germ. an. eod. Bappenheim in Chron. Augustenſ. an. eod. Albert. Stadenſ in Chron. an. eod. Hagek. Boregh. Kuthen. an. 1042. Fabric. l. 2. rer. memorab. Sax. an. 1042. Conrad Urſpergenſ. in Chron an. eod. Scotus. Gemblacenſ. Coſmas an. eod.* quam prece & pretio emptam obtinet. *Bonfin. decad. 2. lib. 2. Dubrav. Boregk. Curaus. Cromer. rer. Polon. lib. 4.*

Placatò Imperatore, *Brzetiſlaus* facili negotio placavit & Pontificem, qui reſtitutionem ſupellectilis ſacræ, *Sacrarúmque Reliquiarum* frequentibus nuncijs & literis vehementer urgebat, poſtquàm injunctam ſibi ab eo pœnam obedientiſſimè adimplere promiſiſſet. Hæc erat, *ut loco idoneo Eccleſiam Collegiatam fundaret, cum Præpoſito, Decano, & Canonicis aliiſque miniſtris:* quam ille, bello finito, *Boleslaviæ Veteris, in honorem D. VVenceslai, loco ejusdem Martyris cenotaphio nobili, propè ædem SS. Coſmæ & Damiani, unà cum Collegio Canonicorum*, extruxit, omnibúsque neceſſarijs abundè locupletavit: hanc deinde an. 1046. *Severus Epiſcopus* conſecravit. *Coſmas Decanus Prag.* qui obijt an. 1125. adeóque vicinus illius temporis id ita narrat: *Quibus*, nempe Apoſtolicis mandatis, *Dux velut divinis juſsis obtemperans, ſub honore S. VVenceslai M. in urbe Boleslai, juxta flumen Labe, ubi idem Sanctus olim feliciter conſummavit martyrium, venuſtiſsimum fabricavit Cœnobium, in quo (ſicut & hodie cernitur) Deo ſervit caterva fratrum numeroſa, & habetur Præpoſitura & Baſilica valdè religioſa.*

Pacis conditiones. *Dubrav. l. 7. Hagek Chron. Boleslav. VVeleslav. in Calend. Hiſt. ponit dedication. ejusd. Eccleſiæ ad 18. May an. 1046. Coſmas l. 2. habet diem 29. Decembr. an. eod. Pulkav. ſamenſem Julium. Hagek 10. Maji an. eod.* Erectio Eccleſiæ collegiatæ Vetero-Boleslaviæ; Ejúſque Dedicatio an. 1046.

Porrò in confinijs *Moravicis, & Glacenſibus* limiti Polonico vicinioribus, certatum fuit eo & ſequenti anno perſæpè; juſto quidem prælio nunquam, ſed minoribus duntaxat congreſſibus ſeu velitationibus ultrò citróque objectis: donec interventu Cæſaris, primò ſex menſium induciæ, demum tranſactio pacis, his conditionibus ſequuta fuit: ut *Brzetiſlaus urbes & caſtella, quæ in Sileſia & Polonia occupata pertinaciter tenebat, Cazimiro reſtitueret:*

Tranſactio Brzetiſlai cum Polonis.

tueret: è contra Cazimirus ejúsque Succeſſores, Brzetislao ac Succeſſoribus ejus, tributum in ſingulos annos, auri triginta, argenti quingentas marcas penderent. Ita *Coſmas*, *Dalimil*, *Daubravius*, & plures alij.

Coſmas lib. 3. ad init. Daubr. l. cit. Dalimil. c. 45. Hagek Kuthen. Balbin. in Epit. rer. Bohem. l. 3. c. 8.

His transactis, pax integra *Moraviæ, Bohemiæ & Poloniæ*, non ſine ingenti populorum lætitia, reſtituta eſt, Marte cruento, ac Bellonæ furijs, poſt hæc per annos complures *in Hungaria* ſævientibus. Nam poſt mortem *D. Stephani Regis* ſine prole ſuperſtite defuncti, anno 1038. cùm *Petrus* è ſorore ejus & *Guilhelmo Burgundiæ Duce* genitus (aliqui fratrem *Giſelæ* conjugis D. Stephani volunt) ſolium *Regni Hungarici* conſcendiſſet, & crudeliùs quàm tolerari poſſet, Nobilitati imperaret; nihilq; penitùs pro rege, quem *Boni publici cura* tangeret, ſed pro tyranno omnia ageret, è præcipuis non paucos malis excogitatis artibus, vel leviſſimis de cauſis, ſe præſente & ſpectante, extremis ſupplicijs immaniter trucidari, alios verò clam tolli juberet; & nonnullos etiam ſuâ manu trucidaret: tantâ crudelis animi acerbitate, & ſanguinis Hungarici ſiti, ut tam arcis ipſius triclinia, effuſo cruore, quàm urbis plateæ, occiſorum vel inſontium hominum funeribus complerentur: eruperunt tandem occultata adversùs ipſum totius Gentis odia. Quare initâ conjuratione, *Abam*, qui alteram *D. Stephani* ſororem habuerat uxorem, ſibi in libertatis *Aſſertorem, Vindicem, ac denique Regem* delegerunt. Quo cognito *Petrus*, cùm omnium animos â ſe averſos ſciret, ac non dubijs argumentis reputaret fore, ut ſi in Hungaria maneret, & aliquorum fidei ſeſe committere vellet, ab ijs haud cunctanter *Abæ* tradendus foret; conſilium de fuga ſumpſit, & cum pauciſſimis, quos fideliores habebat, *in Auſtriam, ad Adalbertum Marchionem* ſorôris ſuæ maritum, iter & fugam intendit. Cæſaris *Henrici* opem implorare non audebat, quòd ſciret, ſe in ejus indignationem, *ob miſſa nuper Bohemo auxilia*, meritò incurriſſe: tametſi & ei poſtmodùm, interveniente *Adalberto* & alijs Principibus, fuerit reconciliatus: prona námque eſt Regum in ſui ſimiles miſericordia.

Hungarici motus. Petri Hungariæ Regis ſævitia,

exilium: Cæſar Petrum reſtituit in Regnum: an. 1044. quo capto & exoculato, an. 1046. **Marian. Scot. in Chron. l. 3. Æt. 6 ad an. 1045. & ſequ. Herman. ad an. 1044. & ſequ. Lamb. Schaffn. an. 1044. & ſequ.*

Hæc res ſementem dedit cladium ingentium, quibus per annos decem continuos, *Regnum Hungariæ* miſerè jactatũ, vix non ad ruinã inclinavit. Nam Petro in Regnum Imperatoris auxilio * reſtituto, atque iterum amoto, & excæcato, qui paulò poſt dolore & mœrore, victus contabuit; cùm *Andreas Ladislai Calvi*, qui erat *D. Stephani* patruelis, filius, collata ſibi ſceptra arripuiſſet, & Hungaris inſano quodam paganiſmi reducendi ſtudio flagrantibus, cuncta ad arbitrium agere permiſiſſet; accidit, ut *monaſterijs templisque everſis, Epiſcopis & Sacerdotibus trucidatis, magnáque omnis ætatis & ordinis hominum multitudine, vario mortis genere interfectâ, Chriſtiana Religio in Hungaria ſtirpitùs penè excinderetur.* Quod tam immane & atrox facinus, Cæſar bello caſtigandum decrevit: cui cùm ipſemet præeſſe non poſſet, profectione Italicâ, ac demùm novis motibus, quos excierat *Godefridus Lotharingiæ Moſellanæ Dux*, impeditus, *Brzetislaum Bohemiæ Principem, Adalbertum* vel *Albertum* (utróque enim nomine â Stiptoribus vocatur) *Marchionem Auſtriæ*, qui â rebus feliciter contra Hungaros geſtis, *fulmen terrórque Hungarorum*

Hungari ad idololatriam redeunt, & in Chriſtianos crudeliter ſæviunt. *Thuroc. in Chron. Hungar. Part. 2. cap 39. & 40. Ens rer. Hungar. lib. 2.* Graviſſimo idcirco bello â Moravis, Bohemis & Auſtriacis premuntur.

rum, aliter etiam *Victorioſus*, dici meruit, ſuimet loco ire juſſit. Hi collectis & bifariam diviſis copijs, atque irâ in gentem apoſtatricem, ob idque Dijs & hominibus inviſam ſtimulante, ſpatio temporis brevi, hic *ad Arabonem*, ille *ad Granum* usque penetrârunt victores: ac protritis in itinere obvijs, magnum Regi novo incuſſerunt metum, adeò ut perculſus ille, & ad reſiſtendum hoſtibus duobus in locis impar, aliud remedium, quo amoveri poſſet præſens malum, haud exiſtimaret tutius ullum, quàm implorandæ veniæ & pacis. Neque ſecùs eum ſperare faciebat vetus amicitia *Brzetiſlai*, quam prioribus annis, mutuis obſequijs coluit familiariùs uterque. Miſſis igitur ad eum nuncijs, colloquium petijt; cujus copiâ datâ, cùm rationem factorum ſuorum expoſuiſſet, docuiſsétque nequaquam ſe *à Chriſtiana religione* alienum, ſed quùm eam apertis viribus, nondum firmatis in regno rebus, contra homines feros, magnóque in eam incenſos odio, tueri non poſſit, ad ſimulandum ſe ea omnia, quæ nefariè patrata eſſent, coactum: ſed ceſſarent tantummodò ab inferendis injurijs externi hoſtes, domeſticos motus brevì ſe ſopiturum, aggreſſurúmque Religionis reſtituendæ negotium: movit *Brzetiſlaum*, ut pro privata ſua authoritate, nihil per hoc officiens placito Cæſaris & majeſtati, ſex menſium inducias cum illo paciſceretur. Quod confeſtim etiam ad *Marchionem*, qui ex altera Danubij parte Hungaros premebat, referri juſſit, ut quod tranſactum eſſet, perciperet, & ſi liberet, nec in contrarium quicquam occurreret, ſubſcribere eidem tranſactioni haud gravaretur: qui id quoque ratum habuit. Pace in eum modum datâ, quam demum inducijs ad finem tendentibus, in longius tempus protrahi placuit, utèrque in propria cum milite ſpolijs onuſto revertit.

Brzetiſlai progreſſus in Hungaria,

Hungari pacem petunt, *Bonfin. dec. 2. lib. 2. MS. Annal. ad an. 1047. Alius Anon. an. 1048.*

& impetrant.

Anno poſt hæc ſequenti, cùm *Hungarorum* nonnulli, ut fortaſſe injurias *à Brzetiſlao* illatas ulciſcerentur, *Moraviam infeſtarent excurſionibus crebris*, propè erat, quòd res hæc, temeritate paucorum, in grave iterum prorupiſſet bellum. Nam *Brzetiſlaus* comperto hoc, ſtatim *in Moraviam* cum promptiſſimis feſtinavit, eo fine, ut quàm primùm occaſio rei benè gerendæ affulgeret, irrumpendo in hoſticum par pari referret. Sedit tamen multa priùs cogitanti, mittere aliquos è comitatu ſuo, legationis ſpecie ad *Andream*, qui explorarent, quid moliretur per hæc, & an juſſu ipſius fierent. Quibus digreſſis, ipſe interea convocato ſub ſigna milite, ac propiùs ad confinia Hungariæ movens, id inter potiſſima maturè duxit implendum, *ut limitanea caſtella diligentiori curâ communirentur; in qua, ſi re malè geſtâ recedendum foret, ſeſe reciperet, & è quibus deinceps hoſtium irruptiones arceri poſſent.*

Dubrav. l. 7. Hungarorum per Moraviam latrocinia, novi cauſam belli præbentis.

Hagec. ad an. 1049. MS. Annal. an. eod. quod tamen amicabili Principum tranſactione, in nervum nequaquam erupit.

Inter hæc veniunt nuncij *ab Andrea* docentes, nihil ex mente Regis, aut procerum gentis delictum *in Moravos*, ſed per extimos quosdam latrones, qui â Rege ejecti, latibula montium Moraviæ confinium occupârant, eveniſſe, quicquid hoſtili irruptione actum eſſet; proinde cupere Regem, quatenus *Brzetiſlaus* inducijs pacis firmiter ſtare velit, neque patiatur, ut privato perditiſſimorum hominum motu, publica innoxiæ plebis, poſt tot antea jam perpeſſas clades, turbetur quies. Iniquum aliàs Regi videri, quòd contra ſe

Digitized by Google

arma parentur, jàmque in procinctu ſint, quando ipſe nullo hoſtilitatis facto dictóve, amicitiæ jura violâſſet. Quod ſi deinceps quid hoſtile â latronibus illis inferretur, vim vi repellerent *Moravi*, Regem contentum fore, ſi concidantur ad unum omnes. *Non multò poſt Brzetislai quoque nuncij reverſi ſunt, eadem referentes.* Quare negotio compoſito, & limite præſidijs firmato, *Brzetislaus Brunam rediјt*, ac inde Pragam. Dum adhuc moraretur in Moravia, *Cœnobium Regigradenſe*, quod uno & medio milliari diſtat *Brunâ*, impenſis ſuis nuper fundatum, & fratribus *Ord. S. Benedicti* deſtinatum, ſimul & Eccleſiam honori *SS. Petri & Pauli Apoſtol.* dicatam, ob memoriam, quòd aliquando die feſto illorum, inſignem de Hungaris reportâſſet victoriam, conſecrari juſſit, per *Severum Epiſcopum Prag. VI. Cal. Decembr.* anno videlicet 1048. cui ſolemnitati ipſemet interfuit, *cum filio Spitigneo, Meynbardo Abb. Brzevvnov. Ctiborio Caſtellano Prag. Joanne Judice totius Provinciæ Plsnenſis, Chunone dapifero, Meynbardo Caſtellano Znogmenſi, & alijs quàm plurimis Nobilibus Bohemiæ & Moraviæ.*

Monaſterij Regihradenſis fundatio.

Ctibor Slavata Caſtellan. Prag.

Literâ Fundat. data per manus Hugonis Notarij in caſtro Reygradenſi. an. 1048.

Quamvis autem pro tutela limitis omnia accuratè proſpexiſſet Princeps, bis tamen accidit, ut prædones illi, ducto per occultos montium atque ſylvarum tramites, ubi nemo putâſſet, itinere, *in Moraviam* vaſtabundi penetrarent: ſuo licèt malo. Nam primò dum jam prædarum ſaturi, eâdem viâ quâ venerant, redire maturabant, *VVela de Konicz*, *vir ſtrenuus & manu promptus*, ijs occurrit, tametſi non niſi centum & quinquaginta virorum agmine ſtipatus; *Martéque propitio uſus*, omnes, quotquot obvios habuit, ad internecionem usque delevit, prædâ totâ cum captivis receptâ. Secundò rurſum cùm multò majore numero in ſubjectos *caſtro Svetlovienſi* agros irrupiſſent, indéque penetrâſſent populabundi ad ripas usque *Moravæ*, miſcentes cuncta rapinis, cædibus & incendijs: idem *VVela*, præmiſſo *Slavimiro* Pětidworſky cum aliquot peditum catervis, & in abdita quadam valle, quâ barbaros in reditu tranſituros noverat, ſtare in inſidijs juſſo, ipſemet quibus potuit viribus arcebat hoſtem, ne ubivis graſſaretur impunè. Tandem quùm & *Tobias de Buchlovv*, & *Bobulaus de Hulin*, cum quatuor centurijs equitum, acceſſiſſent *VVelæ* in ſubſidium, Hungari non diutiùs cunctandum rati, pedem referre ceperunt. Sed dum eo ipſo itinere, ubi inſidiæ erant præſtructæ revertebantur, accidit, ut aliqui de agmine *Slavimiri* exilierint citiùs, & â ſtatione ſua longiùs, quàm debebant: hinc irruentibus ſummo cum impetu Hungaris, cùm viribus ad congrediendum non ſufficerent, ſed intra ſepta ceduæ ſylvæ ſeſe recipere feſtinarent, ab ijs ê veſtigio inſequentibus deprehenſi, obvertere frontem & pugnare compellebantur; at pauciores numero oppreſſi fuiſſent, & conciſi ab incondita multitudine, nullo relicto, nî equitum turma, *Tobiâ duce*, â parte una, & ab altera propè divortium itineris, *VVela* cum ſuis, opportunè ſubveniſſent. Exin concurſum longè acriùs, firmatísque animis & pectoribus, hinc inde incumbentes *Moravi*, clauſos obtruncabant hoſtes, adeò ut pauci evadere potuerint. Unus eorum globus in vicinum collem exilijt, ex quo jaculis defendebant ſe obſtinatione extremâ: poſtea

Hungari denuò in Moraviam latrocinantes irrumpunt:

ſed â Moravis ternis vicibus profligantur.

Bohuslaus de Hulin Podſtatskianæ Familiæ heros.

Digitized by Google

ſtea tamen fruſtraneos in tuenda ſalute ſuos conatus videntes, inani pertinaciâ ommiſsâ, projectis gladijs telíſque, manus precibus dederunt, ac genibus nixi conceſſionem delictorum ſibi tribui ſupplicârunt & veniam. Cúmque dediſſent ſe victorum arbitrio, ſpe, ùt illis promiſſum erat, obtinendæ ſalutis, omnes in fruſta conciſi ſunt. Ac *licèt juſtus quidam arbiter rerum, factum ejusmodi incuſabit perfidum & deforme: penſato tamen negotio non feret indignè, manum latronum exitialem, tandem copiâ datâ comptam.* Hoc modo colluvies iſta ad internecionem eſt deleta, ità ut ex mille ducentis, qui vel cladis nuncium referret ad populares ſuos, nemo ſuperfuiſſe facilè credi poſſit.

pœnas latrociniorum pro meritis luunt.

Hagek ad an. 1049.

Bellum contra Hungaros recrudeſcit.

Anno 1051. quùm *Henricus Imp.* conſcripto ingenti exercitu in Germania, bellum inferret Hungaris, ut inducijs finitis, *Petri* necem ulciſceretur, *Brzetiſlaum cum copijs Bohemicis & Moravicis*, Septentrionalia Hungariæ invadere juſſit, unà cum *Gebbardo Ratisbonenſi Epiſcopo, & VVelpho Comite*: ipſe verò cum *Bojis, Svevis & Francis*, per Styriam duxit. Miſerat quidem *Andreas* oratorem ad *Henricum*, prorogari inducias petens, ſed quia conditiones pro ſuo ingenio & commodo dictare potiùs, quàm accipere voluit, rejectus eſt. Tametſi autem magno apparatu bellum hoc decretum ſuſceptúmque fuerit, minore tamen ſucceſſu, & nullâ ferè gloriâ, ab Imperatore præſertim, qui viribus ſuis fretus, indubiè totius *Hungariæ* imperium ſibi animo deſtinabat, geſtum fuit: apparuítque, quàm ſint incerti & infirmi mortalium conatus, quando humanâ vi potiùs, quàm divinâ nituntur. Is demum hujus expeditionis fuit finis, quòd Imperator primò difficultatem itineris paſſus, ob paludes & occurrentes paſſim fluviorum eluviones, quas frequentes ſub id tempus imbres excitârunt, deinde annonæ, ac rerum victui neceſſariarum penuriâ, ipsáque ultimò dirâ fame preſſus, ac tandem in montibus (qui poſtea *à clypeis Cæſarianorum ibi in fuga relictis* nomen acceperunt) cum univerſo exercitu circumventus, non niſi cum magna difficultate, & acceptâ inſigni clade, ſeſe è præſentiſſimo periculo, cum reliquis, in tutiora, nempe in *Marchionis Auſtriæ caſtra* recipere potuerit. Ex altera autem parte, qui ſiniſtram Danubij ripam tenebant, non niſi victorias loquebantur, prædas oſtentabant, & partas manu opes. Nam *Brzetiſlaus* prolatis *ultra Granum ad Ipolam usque* ſignis, fortunáque uſus comite, quæ ei in proſternendis *Hungarorum & Jazygum* turmis, ſemel atque iterum favebat conſtans, non tantùm prædam omnis generis congeſſit ingentem, quâ facilè omnes expleti & ſaciati dici potuerint; verùm etiam *Andream* compulit, ut ſynceriori animo pacem peteret, aut inducias tantiſper, donec de conditionibus pacis utrínque conveniretur. Quibus conceſſis, *Brzetiſlaus* cum victore exercitu, & cum opima præda, *in Moraviam*, ac inde *in Bohemiam* redijt.

Herman. Contract. in Chron. ad an. 1051. Geroldus de S. Rom. Imp. Septemvirat. c. 9. num. 4.

Cæſar ab Hungaris malè mulcatur.

Schildberg.

Brzetiſlaus tamen de Hungaris triumphat.

Sequenti anno, cùm *Andreas Rex Hung.* iterum pacta fidémque exueret, recruduit contra ipſum bellum: quod tamen, interveniente *Pontifice Leone IX. natione Germano*, è nobiliſſimo ſtemmate *Comitum Dagsburgicorum in Alſatia*, vitâ & virtutibus magno, qui tum præſens aderat, & cujus patrocinium, tanquam communis Parentis, *Andreas* interpellaverat, antequàm in

Leo IX. Pontifex Max. natione Germanus.

Digitized by Google

SS. VVolffgangi & Erhardi canonizatio Ratisbonæ.

majus exarſiſſet, ſopitum eſt. Pontifex Ratisbonam reverſus, *Divos VVolffgangum & Erhardum*, in Sanctorum numerum retulit: templum *S. Emerammi* ab incendio reſtauratum conſecravit, ſicut & ſacellum *SS. Simonis & Judæ* in curia.

Dalimil. in Chron. Bolesl. cap. 45. Dubrav. l. 7. Brzetislaus novum bellum Hungaris inferre conſtituit: militem domi & foris conſcribit: exercitum luſtrat: morbo corripitur:

Poſt hæc nova cœperunt gliſcere *Andream* inter & *Brzetislaum* odia, Hungaris perſæpè confinia Moravorum, & his viciſſim illorum, per excurſiones mutuas vaſtantibus: donec exortis in Hungaria domeſticis turbis, *Brzetislaus* eâ occaſione in rem ſuam uſus, Hungaros aperto bello petere decrevit. Quò autem validior contra Hungaros equitatu prævalentes evaderet, ſeptem equeſtres turmas ê *Saxonia & Bavaria* mercede conduxit: tum etiam diem (hæc erat *Calendarum Januarij, anni 1056.*) quâ copiæ ex univerſis Bohemiæ regionibus *ad Chrudimum*, oppidum limiti Moravo vicinum convenirent, indixit: eóq; demum ipſemet ferè inter primos, feſtinando avidè, ducentibus in mortem fatis, ſeſe contulit. Ubi recenſito, qui aderat milite, neque cæteros, qui erant in itinere expectandos duxit, ſed inſtitutam expeditionem, rigente licèt hyeme, maturandam ſuſcepit. Verùm in ipſo jam procinctu, nocte antecedente, febre corripitur; ratúſque itinerario motu alteratæ valetudinis excuti poſſe diſcrimen, profectionem primo diluculo, ſigno per lituos dato, proſequi juſſit. Dúmque egredi conatur, invaleſcente morbi gravitate, etiam invitus detinetur; paulatímque urente calore nimio venas, ut ne tangi quidem corpus ejus potuerit in modum foculi fervens, cùm uſus omnis deficeret medelarum, finem vitæ adeſſe cognovit: mentíſque ſenſu tum etiam integro, filios qui tum duo aderant, & Proceres convocat, déque Republica voluntate poſtremâ diſponit, *Spitihnevo* majore natu filio, in ſucceſſorem ſuæ poteſtatis proceribus commendato. Inter cæteros Moraviam diviſit, *VVratislao Olomucenſem regionem*, *Ottoni Brunenſem*, *Cunrado Znogmenſem attribuit*: *Jaromiro* autem minimo natu, jam tum literarum ſtudijs dedito, ſucceſſionem *Pontificatûs Pragenſis* (ſi ita ſuperis viſum foret) deſtinavit. Quibus ordinatis, animam quoque per *ſacram Confeſſionem, cæteráque Eccleſiaſtica Sacramenta*, quâ decet veneratione percepta, â labe fragilitatis humanæ expiatam, in viam æternitatis communijt: ac tandem cùm morbi vis magìs ac magìs invaleſceret, anhelitu jam pulſatus lethali, conticuit; diúque cum anima jamjam diſceſſura colluctatus, *abijt ê vita, die decimo Januarij anni 1056.* (alij volunt *29. diem Decembris 1055.*) vitæ anno quadrageſimo octavo, imperij decimo octavo, & duobus menſibus. Poſt quæ, Supremis cum gemitu conclamatis, excitatóque luctu, corpus exanime Pragam defertur; ubi in *Templo S. Viti* ſepelitur, miles verò dimittitur: excepto quòd *VVratislaus* cum ſelectioribus peditum equitúmque catervis, mox ab obitu Patris, *in Moraviam*, tutelâ limitis id poſcente, proficiſci cogeretur.

Domui ſuæ diſponit: expiatis more Chriſtiani criminibus, ad extremam horam animum comparat: moritur an. 1056. *Kuthen. an. 1056. Lupac. an. eod. VVeleslabin. in Calend. Hiſt. an. eod. die 10. Januar. Hagek & Stransky.* Pragæ in Eccleſia S. Viti ſepelitur. Huic major natu filius Spitihnevus ſuccedit: inter reliquos natu minores Moravia dividitur.

Porrò *VVratislaus, Otto & Cunradus*, diviſâ inter ſe *Moraviâ*, ſicut diſpoſuerat Pater, quò tutiores ab omni hoſtilitate, in poſſeſſione ditionum ſuarum eſſent, ſolenne cum *Rege Hungarorum Andrea*, & cum *Erneſto* cognomento *Strenuo*, *Marchione Auſtriæ*, Adalberti filio pepigerunt fœdus. Quod

indi-

indignè ferens *Spitibnevus*, tanquàm inſolens, & ſine ſcitu ſuo factum, primò contra muſſitare, deîn ubi etiam adulatorum, qui in aulis Principum in omnem aſſentationem apprimè eruditi eſſe ſolent, incentivum acceſſiſſet, palàm id deteſtari cœpit; poſtremò etiam *parentis acta reſcindere, fratrésque Moraviâ exuere* decrevit. Quò autem citiùs deſtinata perficeret, ſimulatione humanitatis ac benevolentiæ, ea quæ animo concepiſſet irarum pleno, palſianda cenſuit. In *Moraviam* quaſi viſitaturus fratres, iter edicit, præmiſſis *ad Moravos* mandatis, ut ſibi ad *Chrudimum* occurrant: qui nihil adverſi veriti, cùm comparuiſſent præcipui numero ampliſſimo, protinùs omnes capi, armiſque & equis ſpoliari juſſit, ac *per varia Bohemiæ caſtella* diſpergi cuſtodiendos. Quo non ſine labe nominis ſui peracto, in *Moraviam* citatis paſſibus contendit, famam facti prævertere conatus; quæ tamen celerioribus volans pennis, & venientem prodidit, & cur veniret, patefactis omnibus, quæ *Chrudimi* patrâſſet, probè edocuit. Quare *VVratislaus* iram fratris pertimeſcens, quem tetricum & implacabilem noverat, tempeſtivè *Olomucio exceſſit, & in Hungariam fugit. Spitibnevus*, urbe occupatâ, & præſidio ſuo firmatâ, *Brunam* movit: ubi cùm alij duo fratres ſeſe arbitrio ejus tradidiſſent obſequuturi conditionibus impoſitis, Provinciales, qui ſupererant omnes convocavit, & ab ijs ſacramentum fidelitatis exegit. Nec multò poſt fratribus in comitatum aſſumptis, *Pragam* revertit.

Spitihnevi in fratres odiū: In Moraviam expeditionem ſuſcipit: Moravorum primores cuſtodiæ mancipat: Fratres Moraviâ exuit: Moravos novo jurejurendo ſibi ſubijcit.

Hâc acerbitate in fratres, ac Nobilitatem Moravam ex ſiniſtra fœderis Hungarici & Auſtriaci ſuſpicione conceptâ, vix non anſam bello civili *Spitibnevus* præbuit, *Hungaro, VVratislai partes ſuſcipiente*, & jam armorum apparatui, ac brevì ſequuturæ expeditioni, quâ injuriam hanc ulciſceretur, eúmque in avitam ditionem reduceret, ſeriò intento. Accedebat ingens *Principum Germanorum in Spitibnevum odium*, ob id potiſſimùm, quòd is *nationi Germanicæ* præ alijs infenſus, mox initio ſuſcepti regiminis, *Germanos omnes, qui Bohemicè non ſcirent, nec ſcire vellent, publico edicto Bohemiâ proſcripſit.* Sed â Germania, quæ in id tempus tota maximis factionibus æſtuabat, Principibus de adminiſtrando Imperio, *Henrico IV.* qui patri defuncto ſucceſſerat, ad capeſſenda gerendáque Imperij gubernacula, propter ætatem nondum idoneo, inter ſe diſſidentibus, nihil hoſtile adversùs Bohemos erupit. Ab Hungaria pariter, *Andrea* â domeſticis quoque tumultibus per fratrem *Belam* concitatis graviter afflicto, ac tandem iniquâ ſorte, ùt dicetur infra, oppreſſo. Interea *Spitibnevus* hortatu *Severi Epiſcopi Prag.* atque etiam *Divorum Patriæ Tutelarium* monitu, (mirum ſanè) ne in genus ipſe ſuum ſæviret, in bonam frugem reductus, mitiora conſilia amplecti cœpit: & retractâ ab injurijs manu, ſua ipſe acta reſcidit, cum Fratribus in gratiam redijt, ijs *Moraviam* reſtituit, Nobiles ê captivitate dimiſit, ínque pietatis officia totus converſus, ſumma cum æquitate, & concordia deinceps ſemper cum omnibus ſervata, reliquum vitæ curſum tranſegit.

Spitihnevus Germanos omnes ex Bohemia proſcripſit. Cœlitum monitu redit ad bonam frugem: Fratribus Moraviam reſtituit: Proceres Moravos captivos dimittit: *Æn Sylv. c. 19. Daubrav. l. 8. Coſmas, Hagek, Dalimil. Kuthen. Stransky. an. 1061.*

In *Moravia* tamen brevì poſt, novos excitârunt motus *Auſtriaci; qui regionem Znogmenſem excurſionibus infeſtabant crebris*, tantâ plerúmque celeritate,

Auſtriacorum in Moraviam irruptio.

ritate, ut priùs pecorum maximos greges abduxerint, quàm quiſquam eos adventare, vel adeſſe cognoviſſet.

Moravi ad par pari referendum vires inſtruunt.

Cunradus imparem ſe ad reſiſtendum videns, fratrum opem & ſubſidia popoſcit: cui primò omnium utpote vicinior ſuccurrit *Otto;* repreſſóque ſemel atque iterum prædatorio agmine, ſtatuerunt poſtmodùm viribus conjunctis, *Auſtriam* aggredi, & clades illatas ulciſci: ſed cùm in procinctu eſſent, perpendentibus maturiore conſilio cuncta, quæ evenire poſſent, ſiſtere greſſum placuit, ac præſtolari, donec *VVratiſlai & Spitibnevi* advenirent copiæ, quæ ſimul junctæ majus aliquod rei gerendæ momentum adferrent.

Erneſtus Marchio Auſtriæ ad pacis conſilia potiùs propendens,

Inter hæc veniunt nuncij ab *Erneſto Marchione*, indicantes, prædatorium illum globum fuiſſe *Hermanni* ſui cognati, juvenis ſupra quàm dici poſſit, temerarij, & ad nocendum prompti; quem neque ipſe Marchio blanditijs minisve, ab inferendis injurijs, præſertim rapinis, abſtrahere vel deterrere valeat: ideóque hoſtilia ipſius geſta non debere imputari *Erneſto*, qui fœderi pacis perſeveranter ſtet, ſtaréque deinceps cupiat.

cum Marchionibus Moraviæ amicè tranſigit.

Quibus expoſitis advenit *VVratiſlaus*: conſilio itáque ſecretiori habito fratres, paucíſque ſuper reſponſo dando tentatis, invitant tandem *Erneſtum* ad colloquium: qui cùm veniſſent, amicè tranſegerunt controverſiam omnem, datiſque mutuò dextris, fœdus renovatis firmârunt pactis.

Spitihnevi obitus an. 1061. die 28. Januar. cui VVratislaus frater ſuccedit.

Coſm. Pragenſ. in Chron. Bohem. lib. 2. Hagek aliique ad an. 1061.

Jámque *Spitibnevus* cum auxiliaribus copijs, *Polnam* (oppidum eſt Bohemiæ in confinijs Moraviæ) pervenerat: intellecto autem fratres pacificè tranſegiſſe cum Marchione, *Pragam* redijt, & paucos poſt dies obijt, ſexennio tantùm in regimine exacto: Princeps *Pius & Juſtus.*

VVratislaus Moraviam inter fratres novâ partitione dividit.

In ejus locum, concordi omnium Procerum voto, ſucceſſit frater natu proximus *VVratislaus, relicto territorio Olomucenſi*, quod antea ex diſpoſitione paterna poſſederat, *fratri Ottoni: Brunenſi verò ditione Cunrado adjectâ.*

Henricus IV. Imp. Andreæ Regi Hungariæ auxilia mittit, an. 1061.

Hujus imperij anno primo, exarſit atrox belli incendium *in Hungaria*, quod & parietem proximum *Moraviam* haud leviter perſtrinxit. Cùm enim Rex *Andreas* impar eſſet viribus ad reſiſtendum *Belæ fratri*, in cujus partes conceſſerat potior Nobilitatis pars, *Andreæ* ob impotentem ejus dominatum ſummoperè infenſa; *Henrici Imperatoris*, ille, cujus ſororem *Juditbam* paulò ante *Salomoni filio* ſuo deſponſaverat conjugem, & *VVratislai Bohemiæ Ducis* generi ſui, ſollicitavit opem. Curæ id fuit Imperatori, qui mox copias tum per *Bavariam*, tum per *Saxoniam & Thuringiam* conſcribi imperavit, eáſque primo quoque tempore in *Hungariam* contendere juſſit. Et *Saxones* quidem *Thuringique*, peragratâ Bohemiâ, confluxêre primi in Moraviam:

Germanorum Moraviam tranſeuntium inſolentia:

quam etſi juſſu Principis tranſire debuiſſent intactam, *ne, ut ſæpè contingit, per incivilitatem militis occurrentia vaſtantis fœdera frangerentur;* multùm tamen Moravis, vexatis & direptis agricolarum fortunis, extitêre graves, ut idcirco *VVratislaus*, qui ſequi eos cum exercitu debebat, hanc illorum immodeſtiam ægerrimè ferens, non eâ quâ potuiſſet, & quam expeditio præſens poſcebat, celeritate, id feciſſe, ſed ex conſtituto profectionem diſtuliſſe videatur.

Expeditio in Hungariam infelici eventu ſuſcepta.

Interea illi Hungariam ingreſſi, cùm præcipiti impetu immiſiſſent ſeſe in interiora procul nimìs, ad *Tybiſcum* usque; evenit, ut circumventi ab hoſti-

hoſtibus omnes penè vel cæſi, vel capti, unà cum ducibus *VVilhelmo Marchione Thuringiæ*, & *Eppone Epiſcopo Citizenſi*, luerent temeritatis ſuæ pœnas. Quibus profligatis, *Andreæ* quoque exercitus brevì poſt fortunam ſubijt parem; ipſe verò *Andreas* mutatis ſæpè locis, tandem etiam captus pugnæ non diu ſupervixit; incertum an ſuo fato functus, an fratris juſſu occiſus. Aliqui, in prælio equo excuſſum, & pugnantium pedibus conculcatum interijſſe volunt. *Epiſcopus* & *Marchio* capti, pace demum factâ, dimiſſi ſunt.

Schaffnab. ad an. 1061. Langius in Chron. Zitizenſ. ad an. eund.

Sequenti anno qui erat 1062. exortum eſt diſſidium grave *VVratiſlaum inter*, & *Boleslaum II. Poloniæ Regem*, qui *Cazimirò Patri* defuncto ſucceſſerat; idque occaſione *Jaromiri fratris VVratiſlai*, quem cùm vitæ Sacerdodotalis pœniteret, (jam enim *Diaconatûs ordine* initiatus erat) mutatâ ſententiâ & veſte, *in Poloniam* ſe contulit Regi militaturus. Quod peracerbè ferens *VVratiſlaus*, primò nuncijs miſſis fratrem ſibi extradi petijt; & cùm nihil verbis efficere poſſet, armis rem aggredi conſtituit, ac præmiſſo feciali ad denunciandum *Boleslao* offenſi animi, bellique ſuſcepti cauſam, *Sileſiam* tum adhuc nihil tale opinantem invaſit, eâmq; ad *Oderam* usque depopulatus eſt. Ita concitato novo belli motu, fortunæ volucris rota, adverſa proſperis ſemper alternans, *Sileſiam* primò diris affecerat cladibus, ex qua deinde cruentos *in Moraviam* tranſtulit eventus. Quippe *Boleslaus*, ut Bohemo par pari referret, factâ irruptione *in Moraviam*, urénsque obvia quæque ac diripiens, graſſabatur hoſtiliter: *Nec mora*, (inquit Cromerus) *in Moravorum fines divertens, vicos & oppida incendit; multósque mortales nihil ejusmodi metuentes in agris oppreſſit, & magnam prædam abegit & abduxit.* Hoc bellum duravit per annum & medium, multáque innoxiæ plebi illata fuêre utrínque damna, ùt fit, juxta illud: *Quidquid delirant Reges, plectuntur Achivi.* Tandem affinitate initâ, cùm *VVratiſlaus Svatavam Boleslai ſororem* duxiſſet uxorem, ſopitum eſt, & *Jaromirus* in priorem reductus ſtatum. Quo tempore etiam cum *Bela Hungarorum Rege*, *VVratiſlaus* pepigit fœdus, nuptijs inter *Ottonem fratrem ſuum*, & *Euphemiam Belæ filiam* contractis ſancitum ac firmatum.

Simultas gravis VVratiſlaum inter & Boleslaum Regem Polon. an. 1062.

in bellum erumpit

Moraviæ perniicioſum. *Cromer lib. 4. in Boleslao II. Hagek ad an. 1061.*

Affinitate novâ componitur: *Cromer. ibid. Hagek ad an. 1063*

Pace cum finitimis omnibus habitâ, *VVratiſlaus* ad leges quasdam, & conſvetudines, quæ vim legis obtinebant, & quæ non usque adeò laudabiles erant, emendandas, ac deinceps *per Bohemiam* & *Moraviam* ſanctè obſervandas; nec non ad aliqua, pro Chriſtianæ Religionis augmento, & accuratiori deinceps *legum Eccleſiaſticarum* defenſione, ſtatuta decernenda, animum adjecit. Primóque omnium, ut ſuum ſibi *Moravi*, prout antiquis temporibus haberent Epiſcopum, voluit; id quod etiam, permittente *Severo Ep. Prag.* qui poſtea an. 1067. 12. Dec. obijt, *Sſebirzianæ in Bohemia Equeſtris Familiæ decus*; & approbante *Alex. II.* effecit. Quo tam eximio & pio Zelo, tantum authoritatis, gloriæ & exiſtimationis ſibi comparavit in *Curia Romana*; præſertim cùm etiam eidem *Pontifici Alexandro*, omnem ſuam operam, copias, & quidquid poſſet ad *Eccleſiæ Romanæ defenſionem*, per Legatos anno 1068. obtuliſſet, ut idem Pontifex, volens hanc ipſius promptitudinem & merita, inſigni

Daubraw. l. 8. MS. Annales Monaſt. Hradiſt.

Moravi denuò gaudent ſuo proprio Epiſcopo.

 gni

Digitized by Google

Duces Bohemiæ Epiſcopali Mitrâ uſi. *Baron. ad an. 1068. Gregor. VII. lib. 1. Epiſt. 38. Reynaud. Tom. XVII. Balbin. Epit. lib. 3. cap. 8.*

gni aliquâ & non vulgari beneficentiâ compenſare, *uſum Mitræ Epiſcopalis*, Laicis nunquam uſitatum, ei conceſſerit. Narrat id ex *Hildebrandi, poſtea Gregorij VII. qui Alexandro II. an. 1072. defuncto ſucceſſerat*, *literis Baronius.* Quantum, Deus bone, decus hoc (exclamat hîc *Bohuslaus* noſter) quanta gloria! quàm rarum laudationis argumentum! quàm paucis, aut veriùs nullis Regibus conceſſum! Sanctiſſimi Reges quique de Eccleſia meriti, *Eccleſiæ filij*, *Apoſtolici*, *Chriſtianiſſimi*, *Catholici*, *Defenſores fidei*, â S. Sede ſunt appellati: Bohemiæ Regibus ipſa Apoſtolatûs inſignia & Infulæ, *ob ſummum in res Eccleſiæ ſtudium*, ùt loquitur ex Pontificis literis Raynaudus, *quòd non tam Ducis, quàm Epiſcopi munia populo præſtarent, impoſitæ fuerunt!*

Fundatio VViſſehrad. Eccleſiæ, ejúsque prærogativæ.

Eodem anno, ſc. 1068. *VVratislaus*, in caſtro ſuo *VViſſebrad*, *Pragæ*, Eccleſiam in honorem *SS. Petri & Pauli App. & S. Clementis*, cujus nomini dicata jam antea Ædes ſacra pervetus ibi ſteterat, â *Borzivogio Primo extructa, & â S. Cyrillo*, anno præter propter 866. conſecrata, fundavit, & in præſentia Legati Apoſtolici, *Joannis Cardinalis & Epiſcopi Tuſculani*, qui ab *Alex. II.* miſſus fuerat, ut primum lapidem, ritu in Eccleſia conſveto poneret, *ipſemet proprijs humeris*, *duodecim cophinos terræ, è foſſa fundamenti extulit*, Conſtantini Magni pietatem hac in parte imitatus, & *dignus*, ùt ait Pius II. in Hiſt. Boh. *qui primus inter Bohemos regio diademate uteretur.* Quod & poſtea factum. Hanc porrò Alex. II. an. 1070. in Collegiatam erexit, cùm hac ampliſſima prærogativa, ut nullius interpoſitu, ſolis Romanis Pontificibus ſubeſſet: inſuper ſolennioribus per annum diebus, & quoties Dux (non dum erant Reges) Bohemiæ ante ſe Divina officia peragi juberet, ut non Præpoſitus tantùm, ſed & Decanus, Presbyter aſſiſtens, diaconúsque & ſubdiaconus rem Divinam facientes, Mitrâ, Sandalijs, alióque pontificali apparatu liberè uti poſſent. Cum addito: *Chriſma baptizandi*, *conſecrationem Clericorum*, *Epiſcopus loci illius*, *invidiâ diaboli attactus*, *abnegare ſi præſumpſerit*, *noſtri decreti judicio*, *apud quemlibet Epiſcopum inveniat & accipiat: nemine autem præpediente*, *omnem injuriam in Romana Synodo liberè proclamet.* Ita Alex. II. datis *in Palatio Lateranenſi*, *in præſentia Sanctorum Patrum*, nempe Cardinalium, Archi-Ep. & Epiſcoporum, *numero ſeptuaginta duorum*, *VII. Id. Maji*, *anno 1070.* *VVratislaus* autem, ut hiſce prærogativis *plus ultra* adjiceret, Præpoſitum hujus Eccleſiæ, *Principem & Cancellarium Regni Bohemiæ*, in perpetuum eſſe juſſit: quod tametſi plerique ſuſpicentur, odio fratris *Jaromiri Prag. Epiſcopi* factum, ut nimirum hoc modo ei ægrè faceret, & æmulum ante oculos poneret: id tamen ego admittere non poſſum, cùm ex Privilegijs ejuſdem Eccleſiæ, & ipſis etiam literis Apoſtolicis palàm conſtet, *Jaromirum* huic erectioni ſyncerè cooperatum fuiſſe, & de ſuo quoque dotem ipſius auxiſſe, *ducentósque homines*, de bonis ſuis Epiſcopalibus, ei ſingulari liberalitate tranſcripſiſſe: quod vix feciſſet, ſi ſimultatem aliquam cum fratre Duce hac in cauſa habuiſſet.

Bulla Alex. II. apud Coſm. in Chron. lib. 2. ad an. 1070.

Æn. Sylv. c 22. Pulkava c. 45. Daubrav. lib. 9. ad init. Privileg. VViſſebrad.

Præpoſitorum VViſſehrad. dignitas.

Bellum recrudeſcit, atque iterum ſopitur.

In Moraviam redeamus, in qua per ea tempora quieta erant omnia, ad uſq; an. 1071. quo rurſum *Mars*, concitatis in mutuum odium *Bohemorum & Polono-*

Digitized by Google

lonorum animis, erupit *cruentus*: jámque confinia infeſtabantur utrínque excurſibus crebris, deveniſsétque paulò poſt in bellum atrox, nî Imperatoris, conventu Principum Miſnæ indicto, interceſſiſſet authoritas; qui utrúmque ab hoſtilitate deſiſtere juſſit, cum comminatione, ſe ſocium fore ei, qui prior arma poſiturus eſſet, ad oppugnandum compeſcendúmque alterum. Martis tamen non quievit furor, qui ſedato hoc motu, brevì alium ab Hungaria excitavit. Quippe *Hungari*, (ijs tum poſt mortem *Belæ* præfuit *Salomon filius Andreæ*) proritati Moravorum inſolentiâ, qui excurſione factâ in *agrum Trenczinenſem*, complurés vicos diripuerant, magnâ multitudine non tantùm pecudum, ſed & hominum abductâ; ut par pari referrent, contractis celeriter copijs irrupeтunt *in Moraviam*, & obvia cuncta oppreſſerunt, everterunt, obtriverunt penè citiùs, quàm fama eorum prodidiſſet adventum. Ita *M. Johannes à Thurocz Nobilis Hungarus*, rerúmque Hungaricarum Scriptor eximius: *Interim Bohemi* (Moravos intellige) *ſuperbiâ inflati, irruperunt versùs urbem Trenchen, & magnam prædam hominum, & cæterorum animalium rapientes abduxerunt. Rex autem, & Dux pro magna injuria hoc reputantes, cum ſuis exercitibus Bohemiam* (Moraviam) *invaſerunt, & Bohemis ad conflictum venire non audentibus, Hungari ferè totam Bohemiam igne & gladio vaſtaverunt. Ibi Bator Opoſius Martini filius, quendam Bohemum inſtar gigantinæ magnitudinis corpus habentem, in certamine ſingulari viriliter proſtravit: propter quod memorabile factum, ſemper poſtmodùm apud Regem, & omnes Optimates Hungariæ glorioſus emicuit. Rex itaque & Dux injuriam ſuorum Bohemos graviter vindicantes, cum maxima præda captivorum, in Hungariam gaudentes ſunt reverſi.* Interventu deinde *Geyſæ*, quem hic præfatus Author ſub nomine Ducis comprehendit, & qui *Ottonis Principis Olomuc.* affinis erat, *Euphemiæ frater*, pacificè de controverſia omni transactum eſt.

Lambert. Schaffn. ad. an. 1071. Fabric. lib. 1. Annal. urbis Miſn. an eod. Buckoltzer. in Indice Chronol an. eod.

Nova Hungaros inter & Moravos hoſtilitas,

Thuroc. in Chron. Hung. part. 2 cap. 48. Enzven. Hung. lib. 2. MS. Chron. Hung. in XI. Seculo, ad an. 1070.

Moravi Hungariam infeſtant.

Hungari Moraviam vaſtant, an. 1070.

Pax cum Hungaris.

Sed neque tum ſatiari poterat â rapinis & incendijs, *Mars cruentus*: decennio enim poſt, *in novam Moravorum perniciem armavit Auſtriacos*: qui latrocinijs & excurſibus inopinis regionem *Znogmenſem* infeſtabant prælicenter, id potiſſimùm cauſati, quòd idem aliquando *Moravi* ipſis factitâſſent. Et cùm id mali genus *Leopoldus III. Marchio*, qui *Erneſto patri* in bello partium Henrici Imp. adversùs Saxones occiſo, anno 1075. ſucceſſerat, pro ea quâ vi fœderis tenebatur vicinitate & amicitiâ impedire, ſuóſque ab infeſtandis pacatorum terris, ne verbo quidem arcere vellet, alente impunitate adoleſcentem in pejus audaciam, res tandem in apertum prorupit bellum. Nam *VVratiſlaus* cujus opem implorabant fratres, tot ac tantis injurijs *Auſtracorum* laceſſitus, cùm jam neceſſariò vim vi repellendam eſſe videret, ex dolore juſto, & antea diu ſatis preſſo, in iram demum & cupidinem vindictæ excanduit implacabilem, (*uti ſunt in Heroicis naturis iracundiæ tardæ initio ac lentæ, ſed acres & vehementes, dum nimiùm provocatæ vero ſeſe impetu exerunt.*)

Belli Auſtriaci origo, an. 1081.

Summâ igitur celeritate contractis copijs, in *Auſtriam*, nedum adulto vere irrumpendum, eámque pariter ferro & flammâ vaſtandam, conſtituit.

tuit. *Nec celat Marchionem* (verba ſunt Coſmæ, qui tunc vivebat) *Dux adventum ſuum, ſed mittens unum de Satrapis, quaſi per antiphraſin loquens ei mandat, ut ſibi paret grande convivium, ſeque ipſum pollicetur aleam Martis citò venire luſum.*

Coſm. lib. 3. ad an. 1181.
VVratiſlai in Auſtriam expeditio.

Hunc in modum diſpoſitis omnibus, quæ expeditio requirebat præſens, & *Ottone Ratisbonenſi Epiſcopo*, inter quem & *Leopoldum* ſimultates tum erant valdè graves, in ſocietatem armorum adſcito, in *Moraviam*, ac inde cum *Ottone & Cunrado fratribus, in Auſtriam* movit. E contra *Leopoldus* nihil tantâ ingruentis in ſe belli mole territus, ſed rebus ſuis probè intentus, conatibus *Bohemorum* avertendis diligenti curâ proſpiciebat; collectóque exercitu, qui octo millia virorum numerum continebat, tria peditum millia, cum quingentis equitibus, (tot enim non ampliùs erant,) *Bohemis* obviam, duce *Alberto fratre* ſuo miſit, non ut laceſſeret, ſed graſſantem arceret hoſtem. Cum reliquo autem eóque potiore agmine, quod totum peditatu conſtabat, lentiore paſſu proceſſit, ut interea ex progreſſu fratris conſilia, quæ in rem eſſent, capere poſſet. Jam *VVratislaus*, transmiſſo *Teyâ*, ad confluentem *Pulkæ amnis*, interiora petebat *Auſtriæ*; ùt, quod maximum erat audaciæ & fiduciæ ſignum, præoccupatis prior ipſe hoſtium conſilijs, vel in ipſo hoſtilis ſoli medio ſedem belli poneret. Non tulit id *Albertus*, ùt erat præferocis audaciæ juvenis, ſed promotis ulteriùs caſtris, & duorum adhuc millium peditum, â fratre miſſorum acceſſione in ſpem rei benè gerendæ erectus, occurrere Bohemis minimè dubitavit; jam & clamor undique armatorum, & latè auditus clangor tubarum adventantes hinc inde utrósque prodebat. *Auſtriacorum* tamen ductores, *cunctatores cauti*, expectandum Principem aſſiduò ſvadebant, neque præcipiti concurſu fortunæ incertæ ſeſe committere, contra quàm *Alberto* videretur; qui ne fortaſſe victoriæ futuræ (ùt opinabatur) conſors fieret frater, animo pruriente nimis properabat in pugnam. In hoc igitur mutuo partium occurſu, cùm maximè jam putâſſet quiſpiam adeſſe prælij tempus, ecce! ſubito ſilentio quies, ultra quàm ſperari potuiſſet, utrinque ſequuta eſt; & ſigna humi fixa, caſtrìsque loca opportuna dimenſa, non aliter acſi utráque pars metuens incertos pugnæ eventus, mallet controverſiam omnem, ſub ea quiete, tranſigere verbis, quàm armis. *Leopoldo* demum adveniente, prælium decernitur, â quo nec *VVratislaus* abhorruit: qui tamen ut priùs dignoſceret, quàm diſcrimine ultimo tentaret hoſtium vires, levioribus aliquot certaminibus, equitum ſæpiùs, quàm peditum periculo facto, congreſſus præmiſit, ac tandem juſto prælio ſeſe accinxit. Creverant autem non parum *Auſtracorum* animi, quòd ſubinde *Bohemos & Moravos* ludificati eſſent, pauci multos.

Leopoldus Marchio Auſtriæ animum & vires ad reſiſtendum comparat.

VVratislaus in Auſtriam penetrat.

Prælij utrinque ardor.

Auſtriaci ab ardore prælij remittunt.

Marchionis ſuî præſentiâ prælium decernunt.

VVratislaus â conſerendo prælio minimè alienus, ſenſim ſeſe ad illud diſponit.

Ad prælium deinde juſtiore totius exercitûs dimicatione ubi ventum, *Moravi* cum *Bohemis* hoſtium cornua inter ſe partiti, pugnam acriter inierunt: cùm inter hæc etiam *Bavari* ſua agere non tardarent. Ex adverſo *Leopoldus*, qui ſiniſtrum cornu ſibi deſumpſit, dextrum fratre curare juſſo, ſuis, qui veterani omnes, & varijs prælijs exercitati erant, ut ſublato clamore, certa-

Prælium acerrimum conſeritur.

men

men capeſſant, altâ voce pronunciat. Qui nec quicquam cunctati, *Moravos* ſummo aggrediuntur impetu: hinc atrox imprimis & cruentum certamen oritur, prævalentibus utcúnque *Auſtriacis*, ità ut jam aliqui ex *Moravis* fugam proſpectarent: quod eveniſſet etiam, niſi *â VVratislao*, & equitatu, qui in ſubſidiaria acie locatus erat, opportunè adjuti fuiſſent. Recruduit ergò prælium, quo poſt certamen diu anceps, magna in partibus *Auſtriacorum ſtrages* edita eſt; cúmque magis ac magis tum â fronte, tum â lateribus premerentur, fracti tandem, & ſpe victoriæ prorſus dejecti, quotquot reſidui erant, terga vertere, palantéſque & effusè fugientes dilabi cœperunt. Unus reſtabat cuneus, quem neque dimovere poterat loco *VVratislaus*, neque penetrare audebat, ita in eo loco velut munimentum quoddam fecerat hoſtis. *Albertus frater Marchionis* ibi (ùt reſcitum poſtea) cum ſelectiſſimo totius exercitùs robore, inclinatam belli fortunam ſuſtinere ſummâ pertinaciâ contendebat; & quia undique circumdatus capi ab hoſte noluiſſet, deſperatione ultimâ reſiſtebat. Ad extremum tamen & illum perfregerat *Bohemus miles*, nováq; editâ ſtrage, *Albertum* in fugam converſum (*Marchio* jam ante in tutiora diſceſſerat,) latè ſequebatur: ubique ſanguis & cædes, ubique gemitus morientium audiebantur: alij vincula captivis injiciebant, alij deformem truncum relinquentes, gratum Duci munus hoſtile caput ſervabant: diripiebant caſtra alij. Cæſi denique ſunt eo prælio *ex Auſtriacis* circiter 900. ducenti verò quinquaginta capti: è victoribus ceciderunt admodùm pauci, vulneratorũ tamen major fuit numerus: præcipui qui ex parte Bohemorum & Moravorum occubuerunt fuêre: *Stan cum fratre ſuo Radimo, Hron de Borovvna, Dobrobuſt filius Hynkonis de tribus Villis, Miroslaus de Kovvanic, & Mrazek filius VVeitminari de Havvranio.*

Equitum Moravorum agmen primum nutat:

ad fortiter agendum reſtituitur.

Acies Auſtriacorum inclinatur & effusâ fuga dilabitur.

Alberti fratris Leopoldi March. eximia virtus.

Auſtriacorum clades.

Cæſorum numerus.

Partâ victoriâ *VVratislaus* reliquum diei totum, & noctem quietiſſimè in caſtris tranſegit; manè verò, cùm miles victoriâ inflatus in hoſtilium agrorum direptionem mitti petijſſet, cautus Princeps, ac non fidens ſatis neque in proſperis fallaci fortunæ, diſtulit eò usque deſideria ſuorum, donec miſſi exploratores tuta omnia ab inſidijs retuliſſent. Tum liberâ populatione permiſsâ, effuſus miles, obvia quæq; urere ac vaſtare cœpit, nulli parcens rei, quæ auferri vel igne deſtrui poſſet, præterquàm ſexui ac ætati. Præda undique eâ contentione agebatur, ut alter tunc belli tumultus ac pugnantium plena omnia viderentur: non quemquam vulnera tardabant, ſed & illos, qui ſaucij exceſſerant prælio, ea cupiditas traxit. Ita quùm ſatis populationibus ultionique datum eſſet, & per agrum hoſtilem ad Danubium usque ſævitum, *VVratislaus* ſignum receptui dedit, *Znogmámque* triumphanti ſimilis reverſus eſt; ubi dimiſſo *Bavarorum* exercitu, cum reliquis aliquandiu adhuc in Moravia ſubſtitit, ulteriores *Auſtriacorum* conatus operiens. Qui tamen fracti hoc bello, cùm inſuper *Henricum IV. Imp. VVratislai cauſæ patrocinari* haud obſcurè viderent, potiùs ad pacem conſilia ſua converterunt, quam etiam non multò poſt, ipſo Henrico Imp. mediatore uſi, impetrârunt.

Coſmas in Chron Boh. l. 2. Æn Sylv. c. 22. Hagek an. 1082. Dubrav. l. 8. Chron. Boles. lib. cap. 50. VVeleslav. in Calend. ad d. 12 Maji, & 18. Aug. an. 1082. Urſperg. an. eod. Chron. Mansfeld. c. 104. an. eod.

VVratislaus victoriam cautè proſequitur:

Auſtriam ad Danubium usque populatur:

in Moraviam triumphanti ſimilis revertitur.

Nondum tamen *Mars cruentus ab inferendis Moraviæ cladibus quievit:*

Belli civilis principia.

Digitized by Google

ſed ſopitis motibus externis, brevì inteſtinos longéque pernicioſiores, ut plerúmque ſunt *bella civilia*, concitavit, quaſi ex compoſito; cùm antea jam diverſas cladium pertentâſſet vias, irritâſsétque *in Moravorum excidium*, primò *ab Aquilone Polonos*, dein ab *Oriente Hungaros*, poſtea *à Meridie Auſtriacos*, ut tandem etiam, *ab Occidente* excieret calamitatum turbinem, *Bohemos in Moravos* armavit, occaſione tali. Cùm mortuo *Ottone I. Olomucij, die 9. Junij, 1086.* quo *VVratislaus regios titulos primus ex Bohemiæ Principibus ab Henrico IV. ſuſcepit*, filij ejus *Svatoplucus & Otto* cognomento *Niger*, poſſeſſionem ditionis paternæ arripuiſſent, inſalutato *VVratislao* tanquàm ſupremo Domino, quod feciſſe videntur patruorum inſtinctu, *Jaromiri Epiſcopi, & Cunradi ducis:* quorum ille ex veteri ſimultate, ubi poterat, Wratislao adverſabatur; hic verò, neſcio quo motu, abſolutus ditionis ſuæ Dominus, ita ut nullo jure â Bohemiæ Principe vel Rege dependeret, contra quàm diſpoſuiſſet pater, dici & eſſe contendebat. Id igitur iniquè ferens *VVratislaus*; primùm amicè utrúmque moneri juſſit, ut deſiſterent á propoſito, ſuúmque adventum, quo ipſorum expectationi & voto ſatisfacturus eſſet, præſtolarentur. Apud quos dominationis ſupra modum cupidos, cùm admonitionis ſuæ nullum locum ſupereſſe cognoviſſet, armis perſequendos ſtatuit. Interveniente tamen *bello Saxonico*, cujus expeditio, ad tuendam *Luſatiam*, quam non pridem ab Imperatore, in prœmium navatæ varijs bellis operæ, dono acceperat, & quam Saxones ei eripere volebant, neceſſariò ſuſcipienda erat, iram in illos conceptam tantiſper ſuppreſſit; miſſis tamen ſecundò nuncijs hortari non deſtitit, ut honori ſuo utilitatique conſulturi viderent, ne ſe in diſcrimen tale, quod non niſi cum jactura nominis exiſtimationíſque ſuæ, ac omnium fortunarum accidere poſſet, præcipitarent.

VVratislaus ex Duce fit Rex Bohemiæ. Svatopluci & Ottonis fratrum Moraviæ Marchion. temeritas & contumacia,

præbet belli civilis cauſam.

Lambert. Schaffn. an. 1075.

VVratislaus Rex â bello Saxonico redux expeditionem in Moraviam contra patrueles rebelles ſuſcipit.

Terminato deinde felici exitu *Saxonico bello*, profectionem in *Moraviam* ſuſcepit, & ſelectioribus equitum turmis unà aſſumptis, legionéque prætorianâ ac Nobilium præcipuis, reliquas copias *Brzetislao filio*, alio tamen itinere, ob commodiorem in tranſitu commeatuum procurandorum rationem, ducendas attribuit, rectâque *Olomucium* petijt; adeò citatis paſſibus, ut *Svatoplucus & Otto* celeritate ejus, præſentíſque periculi metu conſternati, neque intra mœnia urbis periclitandam conditionis ſuæ fortunam tutam rati, matre *Euphemiâ* aliiſque amicis fidis, ut in eo furore inſtantis belli primo, ſalutis quàm imperij, vel fortunarum curam potiorem ducerent, ſvadentibus, urbe cedere, & in Hungariam cum paucis profugere cogerentur. Cæterùm *VVratislao* urbi jam appropinquanti, civium primores obviam progreſſi, claves obtulerunt portarum, excuſantes ea, quæ per juniores Principes temerè geſta eſſent; orantésqne ne exinde civitati ſuccenſeat, aut aliquid acerbi in plebem hac in parte innocuam ſtatuat. Juſsíque ſunt benè ſperare, neque ambigere de clementia Regis. Urbem deinde cum armatis copijs ingredientem Magiſtratus & tribus cunctæ, ſuo ordine, Clerúſque ſacris in veſtibus excipiunt; populus verò lætis acclamationibus ſummos honores defert; obiter licèt ſuſpenſo id reputaret animo, quo in diſcrimine verſetur, qui tantam

Svatoplucus & Otto non ſatis Olomucij tuti, profugiunt in Hungariam.

Olomucium Regi ſponté deditur,

Rex cum univerſis copijs urbem ingreditur:

tam

tam militum *Bohemorum & Germanorum*, intra mœnia, domeſticóſque Lares acceperit; præſertim cùm tot equitum peditúmque agmina, non pompæ modò ad ſpeciem decorémque oſtentandum, ſpectarentur exornata, ſed inſtructa quoq; bellico more omnibus armis, tanquàm in ipſa urbe foret dimicandum; ita ut omnium mentes eo ſpectaculo facilè terrerentur. Pacatè tamen in omnibus geſſit ſe hoſpes miles; Rege námque ſuſcepto, affectóque omnibus humanis honoribus, ac in Curiam urbis deducto: deſignatis quoque per privatas domos hoſpitijs, duces exercituum, ne quid ſuboriretur tumultûs inſperati, trivia, omniúmque regionum aditus, certis equitum ac peditum præſidijs firmârunt: inſuper unam cohortem peditum, qui ſuis pro more militari horis per vices ſtationem agerent, in foro urbis collocârunt. in Curia urbis hoſpitatur: Cives in fidem recipit,

Sequenti die, Rex civibus in fidem receptis, *Boleslaum filium ſecundò genitum*, qui Reipublicæ gubernacula capeſſeret, ijs *Marchionis titulo ac poteſtate præfecit*; ac demum unum adhuc non ampliùs diem ibi moratus, *Brunam*, ut etiam *Cunradum* in ordinem redigeret, profectus eſt. *Olomutio* egreſſus, paulatímque incendens, *Brunam* ſecundis caſtris venit, ubi colles & agros, ſubjectámq; ad confluentem *Svitavæ & Nygris* planitiem totam caſtris & tentorijs implevit: nulláq; factâ morâ urbem & arcem, in quam ſe receperat *Cunradus*, obſedit, rebus ad oppugnationem neceſſarijs ſeriò intentus. Motus tamen ſuorum precibus, qui haud mediocriter dolebant Principes fratres ſitire mutuum ſanguinem, ac ſævire in genus ſuum; ideóque in id incumbebat fidenter, ſi quo modò inter illos controverſia præſens componi poſſet, haud ignari *Cunradum* tanto bello imparem, venturum brevì ſupplicem in preces; remiſit aliquantùm ab oppugnandi ardore, dedítque haud gravatè Optimatibus liberum, ſi propiùs admiſſi, pacatiore colloquio fratrem, ut ommiſsâ pertinaciâ ſeſe arbitrio Regis, dum adhuc gratiæ locus eſſet, dedere malit, quàm extrema expectare, admonerent. Res denique per octo dies ultro citróque agitata fuit eo usque, ut tandem, cùm etiam *VValpurgis conjunx Cunradi, mulier quâ formâ, quâ eloquentiâ inſignis*, acceſſiſſet Regem mariti locò ſupplex, pacificatio ſequeretur. iisque & Provinciæ toti Boleslaum filium præeſſe jubet: Cunradum fratrem Germanum, veluti ſeditionis authorem, Brunæ obſidet. Fratrum reconciliatio. *Coſmas lib. 2. Daubrav. l. 9. Hagek an. 1090. Chron. Boleſlav. cap. 51.*

Contigit autem eo obſidionis tempore miſerabilis caſus *Zderadij*, ſeu *Deſiderij de Svabenitz*, viri in comitatu Regis præcipui, ducum maximi, & tum Nobilitate, tum virtute præſtantis: de quo placet audire Daubravium narrantem. *Ibi* (in oppugnandæ urbis Brunenſis apparatu) *dum Rex copias per ſtationes dividit, atque ſuum cuique locum attribuit, Deſiderius in aula præcipuus, qui Regem cum Brzetiſlao* (Regis filio) *comitabatur, pro conſveta libertate & familiaritate: memineris, inquit Rex, ut caſtra Brzetiſlai ad ripam fluminis conſtituas, ne ei deſit copia natandi, præſertim in tam fervido calore. Senſit morſum Brzetiſlaus, indigniſſimeque tulit, Patre coram, ſibi exprobratum eſſe veterem in Luſatia natatum:* (Quippe Saxonici belli tempore, cùm *Brzetiſlaus* ipsâ æſtate anni 1087. moleſtiùs tædia æſtûs ferens, *ſole tum per domicilium Cancri* gradiente, ad flumen quoddam in *Luſatia* conſediſſet, armiſque exutis in idem flumen, refrigerandi corporis causâ, deſcendiſſet, Zderadij de Svvabenicz luſus cum Principe intempeſtivus.

propè

propè erat, ut ſupervenientibus repentè hoſtium catervis, opprimeretur cum exercitu toto: ubi præter alios egregios de Nobilitate Bohema viros, virtute militari tum præcipuè florentes, ceciderunt *Branik de Chlum cum fratre Slavata.*) *tacitus tamen dolorem tunc devorabat, poſtquàm viderat parentem dicto Deſiderij arridere.* (Imò cùm videret Regem verbis arridere, non in Deſiderium duntaxat, ſed in Parentem quoque juvenis vehementer exarſit: ita riſu lædimur, & ſubinde acerbiùs, quàm verbo.) *Cæterùm ad ſuos reverſus palàm indignari, maláque multa dicere in caput Deſiderij: atque illo die præ ira, cœnâ abſtinere: ubi paulùm inde per noctem illa reſedit, manè ad Cunradum patruum ex ſuis fidum quendam occultè mittit, qui injuriam ſibi à Deſiderio illatam deploret, conſiliúmque requirat, quid ſit opus facto. Ille ſe eâdem flammâ ardere, quâ aduſtus eſſet Brzetislaus reſpondet, ac niſi illa quamprimùm unà cum flammivomo (quem Deſiderium eſſe volebat, præſentis belli facem) extincta fuerit, VVratislaum ab incendio, quo ambo ipſi tandem comburantur, non ceſſaturum. Maturat hinc Brzetislaus Deſiderium auferre de medio, interficiendi ejus conſilio cum tribus tantùm inito: quorum uni mandat, ut ad ſe Deſiderium accerſat, dicátque ſibi eſſe opus eo convento. Venit ille Derſimiro ſodali ſuo duntaxat comitatus, nihil videlicet ſiniſtri de Regulo ſuſpicans: atque ille non longè ſeductum, verbis ejuſmodi invadit. Quod ego ſcelus tantum in te admiſi, ut me idoneum putares, quem ore tuo mordaci nuper læderes? an tibi aſſentatori impudentiſſim, alia ratio aucupandi gratiam apud Parentem, quàm per contumeliam filij defuit? Quem ego: ſed non es dignus ut gladio meo pereas; chirotecáque in vultum ejus projectâ, quod ſignum erat, ut tum illum percuſſores adorirentur: qui recedere volentem ad Derſimirum multis in via vulneribus confodiunt interficiúntque.* Sic levi, ut apparebat, de cauſa cecidit, vir aliàs â multo rerum uſu, innatáque prudentia in omni conſilio circumſpectus & cautus.

Dambrav. lib. eod. Hagek an. 1087. Chron. Boleslav. c. 50. Chron. Mansfeld. cap. 206. VVeleslavin. in Calend. Hiſtor. ad diem 2. Julij.

quem Princeps Brzetislaus Regis filius ægerrimè fert,

vindictam molitur, &

Zderadium è medio tolli curat.

Cædem ejus graviſſimè tulit *VVratislaus* adeò, ut ad vitæ usque ultimum nequierit ullatenùs reconciliari filio; quin poſtea ſexto ab adepta corona anno, moriens maluit fratrem *Cunradum*, quem idcirco primoribus Bohemiæ diligenter commendavit, habere ſucceſſorem, quàm filium; ſive ut ita puniret filij impium facinus, ſive quòd Regno ab feroci illius ingenio timeret, *Reipublicæ, quàm filij amantior.* Hic propter *Fidelitatem* conſtantiſſimè ſervatam Henrico IV. ſingulariter charus, ab eo *Luſatiam*, ùt ſuprà dixi, anno 1075. & ſequenti etiam *Miſnam urbem* dono accepit: cujus potiſſimùm auxilijs idem Imperator poſtea an. 1080. *Rudolphum Sveviæ Ducem* graviſſimo prælio profligavit. *Ibi Dux Bohemiæ VVratislaus* (verba ſunt Abbatis Urſperg.) *regalem lanceam Rudolphi adeptus eſt* (hanc extorſiſſe illi ex manibus, alij ſcribunt) *qua exinde, permiſſione Regis Henrici, ſemper quemvis illius gentis Ducatu inſignem, in omni feſtiva proceſſione præcedit.* Anno demum 1086. (non 1077. ùt aliqui volunt) idem *Imperator* in comitijs Moguntiæ celebratis, *VVratislao Regis titulos* contulit: & quò id faceret plauſibiliùs, omnium Imperij Principum conſenſu, *extinctum pridem Moravorum Regnum in lucem revo-*

Rex id graviter tulit, Brzetislao filio hanc ob rem usque adeò infenſus, ut illum excluſerit à ſucceſſione Regni.

Urſperg. in Chron. ad an. 1079. fol. 223. Marian. Scotus Chron. lib. 3. an. 1080. Gemblac. an. 1080.

revocavit, & Bohemorum imperio adjecit, unam cum Polonia, vel potiùs Poloniæ parte, quæ eſt Sileſia, atque ita Regem Bohemiæ & Poloniæ appellavit: Engelberto Trevirenſium Archi-Epiſcopo Pragam ire juſſo, qui novum Regem ſolenni ritu, ac prorſus tali coronaret, quali Reges Romanorum coronantur & in unguntur in vertice, pectore, ſcapulis circa humeros & in manibus: quem morem, & totum coronationis ordinem (ùt obſervat Pulkavva) *Rex Bohemiæ, cum Rege Romanorum communem habet in hodiernum usque diem.* Coronatio peracta in Junio, *die feſto S. Viti*, tam *Regis*, quàm *Reginæ Svvatavvæ*, magna cum celebritate, *Clericis & univerſis Satrapis*, (ita refert Coſmas, qui aderat) *ter adclamantibus: VVratislao Regi quàm Bohemico, tam Polonico, magnifico & pacifico, à Deo coronato, Vita, Salus & Victoria!* Ab hoc tempore Reges Bohemiæ, dum Comitijs Imperij interſunt, proximum ab Imperatore locum obtinent, ſicut *& in proceſſionibus*, aliiſque hujusmodi publicis actibus, (uti habetur in Aurea Bulla cap. 22.) *Imperatorem immediatè, nullo interveniente, ſequuntur*, adeò ut ipſam etiam Auguſtam Imperatricem antecedant: *Imperatrix etiam, vel Regina Romanorum* (verba ſunt Bullæ Aureæ) *Auguſtalibus amicta inſignijs, poſt Regem vel Imperatorem Romanorum, & etiam poſt Regem Bohemiæ, qui Imperatorem immediatè ſubſequitur, competentis ſpatij intervallo, ſuis aſſociata proceribus, ſuiſque comitata virginibus, ad locum Seſſionis procedat.*

Coronatio VVratislaſ Regis

ſolenniter peragitur an. 1086.

Coſmas lib. 2. an. 1086.

Regnum Bohemiæ dignitas.

Aurea Bulla c. 22. & 26.

Collocatus in ſolio Bohemo *Cunradus*, *Svatoplucum & Ottonem* ab exilio revocat, iiſque *Olomucenſem ditionem* reſtituit; filijs porrò ſuis, *Uldrico Brunam*, *Leopoldo Znogmam* cum adjacentibus territorijs confert. Sed diuturnum non fuit ejus regimen: octavo námque ab accepta dignitate menſe, de vita abijt. Hic Ducis tantùm titulo Bohemiam gubernavit. Nam etſi *VVratislaus* Regiam dignitatem quoad vixit, non ſine gravitate, magnificentia, ſplendore atque honore tam Imperij, quàm Regni glorioſiſſimè conſervârit: ſucceſſores tamen ejus fratres, atque filij, ſive quòd *illa dignitatis Regiæ collatio fuerit duntaxat perſonalis, cum VVratislao quoque expirans*, ſive ob Regiæ pompæ ſumptus, ſive ut Proceribus Regni, quibus aliquantùm nomen Regis erat grave, indulgerent, eam manutenere, ùt ajunt, aut recuperare neglexerunt, usque ad *VVladislaum II. VVladislai I. filium ſecundogenitum, & Sobieslai fratris primogeniti Succeſſorem*, cui *à Friderico I.* Imp. in Comitijs Ratisbonenſibus, anno 1158. vel, ùt volunt alij, 1159. alij verò 1162. regia dignitas fuit reſtituta: de quo ſuo loco infra.

VVratislao defuncto 1092. (juxta alios 1091. item 1093.) die 14. Januar. Cunradus Marchio Moraviæ ſuccedit: *Hagek ad ann. 1093.* Qui eodem anno, die 6. Septembr. moritur.

Digitized by Google

CAPUT III.

Calamitates & bella, & aliæ quædam res geſtæ in Moravia, usque ad annum 1130.

DEfuncto *Cunrado*, dubitatum *à Bohemis* eſt, quemnã ex *VVratislai filijs* (quatuor enim ſuperſtites reliquerat, *Brzetislaum*, *Borzivogium*, *VVladislaum & Sobeslaum*, Boleslao paulò ante defuncto) in Regnum vocari expediret. *Brzetislaum* enim ob ejus aſperos mores metuebant: jam jámque in *VVladislaum*, qui ob inſignem morum lenitatem amabilis erat cunctis, vota complurium inclinari cœperunt, cùm ex improviſo *Brzetislaus II.* validis cum copijs, â Ladislao Hungarorum Rege impetratis advolat. Vis igitur illius & potentia conſultationem Bohemorum ulteriorem ſuſtulit omnem, eúmque ſuperiorem effecit: mox deſtinati Optimatum primi, qui favoris illius conciliandi causâ prodirent in occurſum ei, â quibus in arcem *VViſſebrad*, ſingulari pompâ, in ſpeciem triumphi deductus eſt. Mira poſtea in illo accidit mutatio; nam præter omnium opinionem, regiam adminiſtrationem ſumma cum modeſtia geſſit, nihil unquam, quò ab omnibus amaretur, ommittens: *ut verè cum ipſa purpura benignitatem induiſſe, morésque ſuos eo in bonore, raro prorſus exemplo, in meliores mutâſſe viſus ſit.* Id quoque de illo memoratur ſpeciali laude dignum; quòd *gubernationem ſuam ſit auſpicatus ab bariolis, incantatoribus, ſagis, veneficis, & cæteris infames id genus artes tractantibus, quos omnes è veſtigio Bohemiâ totâ excedere juſſit, & ut idem facerent patrueles in Moravia, author fuit.*

Surrogatur Brzetislaus VVratislai Regis filius.

Brzetislai encomium.

Daubraſ. l. 9. Hagek an. 1093. Julius Soliman. in Elogijs Princip. ac Reg. Bohem. in Brzetislao II.

Polonorum in Moraviam hoſtilis irruptio.

Hujus regiminis anno ſecundo, *Moravia* magnam cladem *à Polonis* inflictam tulit. Nam Poloni, quibus tum præerat *VVladislaus frater Boleslai Sævi*, titulo ſolùm Ducis gaudens (regio námque titulo Polonis, propter cædem *D. Stanislai Cracovienſ. Epiſcopi* â Boleslao Sævo occiſi, Summi Pontificis interdicto uti non licuit) exacerbati hoſtili irruptione, quam priore anno, dum *VVladislaus bello Pomeranico & Pruſſico* occuparetur, *Brzetislaus* in Sileſiam, debitum duorum annorum tributum repetens fecerat; collecto in minori Polonia valido exercitu, in Moraviam vaſtabundi irruperunt, & Aquilonarem tractum totum hoſtilem in modum rapinis, populatione & incendijs fœdè dillacerârunt, teſte Cromero qui ait: *Hanc injuriam* (irruptionem Brzetislai in Sileſiam) *ulturus VVladislaus, quoniam tunc per anni tempus commodè bellum gerere non poterat, proximè conſequutâ æſtate, qui fuit annus à Chriſto nato 1094.* (malim ego an. 1095.) *exercitum in Moraviam mittit: eique Secechum Palatinum Cracovienſem, præſtantem in re militari virum præficit.* Et paulò poſt. *Vaſtatâ igni ferróque aliquò usque Moraviâ, & paucis hoſtium turmis, quæ ſeſe noſtris tulerant obvias, aliquot prælijs profligatis, (munitionum enim oppugnatione abſtinere VVladislaus juſſerat) reduxit cum Boleslao* (hic filius erat Wladislai) *copias Secechus prædâ onuſtos.*

Daubraſ. lib. cit. Hagek an. 1094.

Cromer. lib. 5. in VVladislao I. Daubraſ. lib. cit.

At

At duplo plus cladis paulò poſt refudit Polonis *Brzetislaus*, ſecundo excurſu: qui ducto per *Glacenſem* provinciam itinere, & in ipſo aditu *Sileſiæ*, perruptâ arce limitaneâ ad ſiniſtram *Niſſæ* fluminis ripam, *Byrdo*, ùt vult Coſmas, dictâ (locus defacto ad *VVartam oppidum* viſitur, quem moderni accolæ *Schlosberg* nominant) effudit ſe licenter per longè latéque patentes campos; omnémque eum tractum, qui *Niſſam & Olam* flumina interjacet, ad usque *Odram*, depopulatus eſt, abactâ pecoris & hominum prædâ ingenti. Caſtrum *Byrdo* poſtea deſtruxit, & aliud inferiùs, ad idem flumen, loco editiori ædificavit, quod *Cameniciam* nominavit. Neque citiùs arma poſuit, donec ſibi ratione tributi & aliorum, quæ belli præſentis auxiſſe cauſam juſtè cenſebantur, *Wladislaus* in integrum feciſſet ſatis. Coſmas id narrat hiſce: *quam* (nempe Poloniam) *ita crebris incurſionibus demolitus eſt, ut ex iſta parte fluminis Odræ, à caſtro Recen, usque ad urbem Glogovv, præter ſolum Nemecz oppidum, nullus habitaret hominum: nec tamen ceſſavit ab ejus vaſtatione, donec Princeps Poloniæ Wladislaus, cum magna ſupplicatione, præteriti & præſentis anni tributum, usque ad unum ſolveret obulum: cujus cenſus hæc ſumma fuit, mille marcæ argenti, & LX. auri.* Et infra: *ipſe autem Dux Wladislaus dat ſacramentum, quòd tributum olim Duce Brzetislao conſtitutum D. marcas argenti, & XXX. auri, annuatim ſibi pro conceſſa pace ſolveret, determinato tempore,* Ita *Coſmas Decanus Prag.* qui, ùt toties dixi, tunc vivebat, & fieri hæc videbat.

Brzetislaus, ut par pari referret, Poloniam longè latéq; vaſtat.

Bohuslaus Balbinus Societ. JESU in Diſſ. VVartenſ. lib. 1. cap. 3. §. 1. & 2.

Coſmas in Chron. lib. 3. ad init. ad an. 1093. 1096.

Cromerus quidem omnia priùs videtur conceſſurus, quàm ut *tributum* â Polona gente liberrima, nulli obnoxia, ſuis juribus & auſpicijs vivente & militante, aliquando exactum fateatur: unde tributum illud, plurimis Hiſtoriæ ſuæ locis, adversùs Sylvium, Hagecium, Daubravium oppugnat, quaſi illi confinxiſſent, cùm in tot Scriptoribus antiquis idem legere potuerit. *Sed alia ſunt nunc tempora, alia fuerunt,* inquit Balbinus noſter, *aliud eſt vota facere, & optata ferre, aliud hiſtoriam condere.* Nam ſi id demum Hiſtoricus credere & ſcribere velit, quod genti ſuæ glorioſum fuerit, quódque ipſe tacitis votis factum optârit, hiſtorici perſonam, quam malè ſuſtinet, exuat oportet. *Hiſtorici primæ leges ſunt: ne quid falſi dicere audeat, deinde ne quid veri non audeat, ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, neque ſimultatis.* Quid, oro, magnopere genti noſtri nocebit, obnoxios alicui ante tot ſecula fuiſſe? nunquam tam propitia ulli genti fortuna fuit, quin aliquando vultum averterit, mutârit, aut ſaltèm contraxerit. *Romani Rerum Domini*, ſuper caput, *Gallos Sabinósque* viderunt: *Regi Porſenæ* obſides numerârunt, ſub jugum miſſi ſunt: *à Brenno* triſte illud: *væ victis* audierunt, cùm argento Patriam redimerent; hoc tamen mandari litteris, hoc tradi memoriæ, *Martialis & à Marte genitus populus* ſuſtinuit. Germanos quoque veteres, non ſolùm Francorum, ùt Helmoldus refert, ſed & Danorum vaſallos fuiſſe, quos ſepties ſub jugum miſſos, majoribus ſuis Daniæ Regibus ſub tributo ſerviiſſe, ſcribit *Ericus Rex.* Nec putabant ſibi indecorum, pacem tributis redimere, ipſi etiam Romanorum Imperatores, *Gallus à Scythis*, *Sigiſmundus*, *Ferd. I. Rudolphus*

Crom. l. 3. Hiſt. Pol. ſt. l. 4. & init. lib. 5. l. 6. & 11.
Decius lib. 1. de Vetuſt. Polon.

De tributo Polonico à Polonis Scriptoribus fruſtra negatur, id quod

Balb. in Epitom. rer. Boh. lib. 3. cap. 8.

Cicero lib. 2. de Orator.

Helmold. Chron. Slav. l. 1. c. 3. Eric. Hiſt. gent. Dan. Zoſim. hiſtor. lib. 1.

phus II. & alios, *à Turcis:* ſic hodiéque eam ab ijsdem Turcis redimere Venetos, Raguſinos, Georgianos, Armenos, nullo αἰτονομίας præjudicio, certum eſt.

Porrò de tributo hoc Polonico, non domeſtici tantùm Scriptores, ſed externi quàm plurimi, quibus in Bohemia nihil ſeritur, nihil metitur, teſtantur; *Nauclerus Præpoſitus Tubing. Bonfinius Italus*, *Otto Ep. Friſing. Abbas Urſperg. Crantzius Decanus Hamburg. Roſieres Archid. Tullenſis*, *Gobelinus*, *Fabricius*, *Reiſnerus*, *Gordonus*, *Buxdorffius*, *Cluten*, *Sylvius*, *Curæus*, *Schikfuſius*, *Henelius*, aliíque novi & veteres: ut meritò tantæ authoritati *Cromerus* ac *Decius*, qui ſeculo priori ſcripſerunt, pares eſſe non poſſint. His accedunt *Originales literæ Henrici IV.* atque iterum *Frid. I. Impp.* Et quod rurſus memorat Coſmas, teſtis oculatus, hiſce: *Eodem anno*, ſc. 1099. *Dux Brecislaus in Nativitate Domini, Boleslaum* (Poloniæ Ducem Wladislai defuncti filium) *per ſororem ſibi propinquum, invitat ad convivium*, *quod erat in urbe Satec diſpoſitum: ubi in ipſo Feſto*, *conſentientibus omnibus Comitibus Bohemiæ*, *factus eſt Boleslaus Enſifer avunculi ſui. Quem poſt Feſtum*, *Dux remittens ad propria*, *dona dat ei & conſtituit*, *quatenùs Enſiferæ dignitatis pro miniſterio*, *ex tributo*, *quod pater ſuus Wladislaus ſolvebat ſemper annuatim*, *C. marcas argenti*, *& X. auri habeat.* Et infra, de ultima Brzetislai, dum jam in extremis eſſet, diſpoſitione referens: *Tributum*, inquit, *quòd fuit de Polonia allatum, & quidquid in ſua invenit Camera, per manus Epiſcopi fecit dare per monaſteria.* Corneam fibrâ habeat, neceſſe ſit, qui tam evidentia negare auſit.

Authoribus quàm plurimis oſtenditur: videantur apud Goldaſt. ſuis locis.

Coſm. lib. 2. an. 1086. lib. 3. ad an. 1099. Item ad an. 1100.

Sub id tempus Europæi Principes, præſertim *Galli*, & *Germani*, pro recuperanda Terra ſancta, *Bellum ſacrum* adornabant, *Crucéque ſignati*, ſicut diverſis ducibus, ita diverſis agminibus ad inſtitutum maturabant. Nonnulli *Gualtero ducè*, atque iterum *Petro Eremitâ*, per *Bohemiam & Moraviam* ducebant iter: quorum tranſeuntium injuriæ expoſiti agreſtes, haud mediocria pabuli & commeatûs omnis generis ſenſêre detrimenta. Rex Hungariæ *Colomanus*, qui *S. Ladislao* ſucceſſerat, prohibere illos tranſitu conabatur: malo tamen ſuo gravi. Nam poſt accepta quàm plurima damna, pacem ultimò ſupplex ab eis petere debuit, quam non niſi magnâ alimentorum copiâ ad exercitum miſſâ impetravit.

Chriſtianorum copiæ, per Bohemiam, Moraviam & Hungariam, proficiſcũtur in Palæſtinam. Rex Hungariæ illas tranſitu prohibet, damno ſuo.

Hagek ad an. 1095. Thuroc. ſupra cit. cap. 60. Ens lib. 2. in Colomano.

Brevì deinde aliud *Moraviam* afflixit malum: gliſcentibus enim inter *Brzetislaum*, & patrueles ejus, *Uldricum & Leopoldum Marchiones*, occultis odijs, res tandem in apertam erupit hoſtilitatem. *Brzetislaus* delectâ ſibi ex omnibus copijs, quas hinc inde in præſidijs habebat diſperſas, quicquid floris ac roboris erat, expeditiore manu, & *Borzivogio fratre* unà aſſumpto, *Moraviam* petijt: ac intellecto *Uldricum & Leopoldum* commorari *Brunæ*, eò juſtis paſſibus, ut opprimeret inopinatos, contendit. At illi de imminenti periculo â ſuis, quos in comitatu Brzetislai habebant fidos, per celeres occultósque nuncios edocti, nequaquam venientem expectârunt, ſed potiùs, ut honori ſuo & ſaluti maturè proſpicerent, urbe egreſſi, *Znogmam* profugerunt, facilè inde, ſi Patruelis inſequeretur, in Auſtriam evaſuri. *Brzetislaus* ſuâ ſpe dece-

Nova inter agnatos Principes, Brzetislaum & filios Cunradi odia, in atrox bellum civile erumpunt. Brzetislaus in Moraviam cum exercitu iter ſuſcipit. Uldricus & Leopoldus Marchiones Brunâ Znogmam; inde verò

Digitized by Google

deceptus, pacato agmine *Brunam* intravit, civibúsque in fidem receptis, non diu ibi cunctandum duxit, ſed præſidio relicto, fugientes inſequi conſtituit. Qui etſi primùm avitâ ditione totâ profugere indecorum rati, tentare fortunam, ac intra muros, ita ut unus urbem, alter arcem in arduo ſitam tuendam ſuſciperet, reſiſtere habuerint in animo; præſertim cùm utrúmq; pro eo tempore annonâ ac rebus neceſſarijs probè communitum eſſet: quia tamen pauciſſimus in præſidio erat miles, & majorem ex vicino agro cogere inſtruere que non patiebatur tempus, ſaniori conſilio tutiora ſequuti, in Auſtriam potiùs conceſſerunt.

premente veſtigia illorum Brzetislao,

in Auſtriam profugiunt.

Ita illis digreſſis, *Brzetislaus* adveniens, negotio facili tam *Znogmam*, quàm caſtella vicina, uti *Bitoviam*, *VVranoviam*, Chraſſtany/ſeu *Corſteinam*, & alia, in ſuam redegit poteſtatem. Quo peracto, *Borzivogio fratri* territorium utrúmq;, *Brunenſe & Znogmenſe* tradidit, ſancitóq; fœdere cum *Colomano Rege Hung.* Pragam ovanti ſimilis reverſus eſt. Chronicon Coſmæ lib. 3. ad an. 1099. hæc adhuc memorat: *Dux Brzetislaus veniens cum exercitu in Moraviam, readificat caſtrum Podivin, & reddit id, ſicut antea fuerat, in poteſtatem Hermanni Epiſcopi* (Pragenſis) *atque ibidem in villa Zluinica Pentecoſten celebravit. Deinde occurrens Pannonico Regi Colomano, in campo qui dicitur Luczko, multa ſunt invicem concionati, placitantes ad placitum utrarúmque partium: ac inter ſe mutuatim datis muneribus, renovant antiqua amicitiæ & pacis fœdera, & ea ſacramentis confirmant.* Chronicon verò *Boleslavienſe*, quod conſcripſerat *Dalimil Moravus Mezrzicenſis*, *Canonicus Vetero-Boleslav.* qui temporibus Joannis Bohemiæ Regis vixit, refert, fuiſſe quoque *Brzetislaum* inter & *Svatoplucum Olomuc.* per id tempus diſſidium grave & bellum. Miſerabilem tunc fuiſſe in *Moravia* rerum ſtatum, credibile eſt, quandó tot tantiſque inteſtinis motibus, ac feralibus odijs, quæ inter fratres agnatóſque duces aſſiduò gliſcebant, & perſæpè erumpebant in concertationes graves ac cruentas, cuncta súſque déque miſcebantur.

Brzetislaus Brunâ in poteſtatem redactâ, Znogmam petit, eámque deditione occupat: Pragam revertitur, Borzivogio fratre Znogmenſi Brunenſique Provinciæ præeſſe juſſo.

in Chron. Boleslav. cap. 53.

Simultates ejusmodi & mutua Principum odia, Moraviæ ſummè pernicioſa.

Cæterùm *Uldricus & Leopoldus fratres*, obtento â *Godefrido Marchione Auſtriæ*, qui erat *Leopoldi IV.* patruus, oppido *Retzio*, quod olim *Radislavia* fuit, frequentibus inde excurſibus vicinam Znogmenſem provinciam infeſtabant; ut plurimùm autem bona & ditiones illorum, quos *Borzivogij* partes tenaciùs præ alijs ſequi haud ignorabant: donec *Uldricus* cùm excurriſſet ſemel incautiùs, â Moravis interciperetur; quem *Brzetislaus* Glacium duci, ibíque in arcis ſqualido ac tetro carcere aſſervari juſſit. *Leopoldus* tamen ab infeſtatione nihil deſiſtebat, neque tum quando *Herburgis Leopoldi Auſtriaci ſoror*, *Borzivogio* deſponſata fuit, ut vel hâc novâ affinitate Principum, aliquid â pertinacia remiſiſſet, vel *Auſtriaco*, qui ſe pro illo deprecatorem apud Brzetislaum fore pollicebatur, morem geſſiſſet: ſed veluti œſtro correptus, excurrendo populandóque graſſabatur immaniter; ſæpéque ſuburbanis *ad Znogmam* vicis tantum terrorem intulit, ut populus (ſicut in ſummo fieri ſolet periculo) ſonitu campani æris ê ſacra turri ad arma concitatus, foras ad arcendam prædatorij globi manum erumpere cogeretur. Sedit tandem *Brzetislao*, *& Bor-*

Uldricus & Leopoldus fratres occupato in Auſtriâ Retzio, hoſtilibus infeſtant Moraviam excurſionibus.

Uldricus capitur.

Leopoldus nihil ab hoſtilitate remittit, ultimò etiam Auſtriacis gravis.

Digitized by Google

Brzetiſlaus & Borzivogius junctis cum Marchione Auſtriæ armis, Leopoldum Retzij obſident; priúsque illum, ut omiſsâ pertinaciâ, veniam potiùs petere malit, admonent.

Cujusdam è propugnatorum numero improbitas,

Chron. Boleſl. Coſmas ad an. 1100. MS. Annal. Trebic.

pœnâ ſuſpendij expiatur.

& Borzivogio, ipſique *Godefrido*, cui tandem etiam gravis erat, neceſſitate publicâ id poſcente, ut oppidum, ex quo infeſtabatur vicinia tota, communibus aggrederentur armis. Contractis itáque copijs, & ad oppidum adductis, *Brzetiſlaus* cum *Godefrido* inſidentes equis diſponebant circa munimentum ordine cuncta, quæ obſidioni neceſſaria exiſtimarent. Priùs tamen quàm cœpiſſet fervere negotium oppugnationis, colloquiotenùs defenſores mœnium, præcipuè verò caput rei *Leopoldum*, pertentandum cenſuerunt. Miſsúſque *Paulus Marquardi filius*, Wladislai filij Brzetislai pædagogus, *vir prudentiæ ſingularis, & tum Brzetislao à conſilijs*, olimque Leopoldo admodùm familiaris, cum nonnullis, ut ſuper deditione, amicabilíque controverſiæ omnis compoſitione monerent *Leopoldum*: qui cùm fidenter operam navaturus tenderet ad mœnia, cum manu deſtinata ſtipatorum, peſſimus aliquis propugnatorum, (nam perditiſſimos quosque, qui non niſi cædibus & latrocinijs vivere aſſveviſſent, collegerat *Leopoldus*) ubi venientem jam telo fortè contiguum advertiſſet, contorto arcu, eum thorace cum pectore perforato ſagittâ perfodit, proceritate & decore corporis æqualibus anteſtantem. Cujus occaſu in fugam dilapſi cæteri, quid accidiſſet, retulêre Principibus ſuis triſtes: quod indignè ferentes illi, poſt deploratam ejus ſortem, decreverunt cæde quoque omnium oppidi defenſorum expiare perempti manes. Ferunt *Leopoldum* ipſum, id facinus veluti indignum, ægrè tuliſſe, ideóque nebulonem illum, qui id patraverat, confeſtim ſuſpendio necari, ſuſpenſúmque de muro, ut obſeſſoribus ſpectaculo eſſet, projici juſſiſſe.

Obſeſſi foras erumpunt, multóque tumultu & clade, caſtra obſidentium complent:

ſed virtute Moravorum repreſſi,

intra oppidum receptui dare compelluntur.

Menſe uno & medio durabat obſidio, oppidanis vim omnem ſtrenuè tolerantibus, qui ſubinde excurſibus repentinis haud mediocri conſternatione afficiebant obſidentium caſtra. Quâdam vice, dum ſecuribus gladiúſque ſuccincti, patefactâ egreſſi eſſent poſticâ, obſervatâ nocte ſqualidâ & interluni, magnam fecerunt ſtragem; quâ ſtationarijs primis interfectis, exteriores caſtrorum vigiles, unà cum vigiliarum præfecto *Tobiâ Lidmiri filio*, oppreſſerunt penè citiùs, quàm de eorum adventu tam audaci quis opinari potuiſſet; adhibitáque celeritate ſummâ, ignem in proxima ſtationum tuguriola injecerunt, quæ ubi ignem concepiſſent, latè relucens flammâ, & fœdam militum in caſtris trepidationem, & fugam, qualem in nocturno metu oriri facile erat, oſtendit. *Moravorum* tum patuit inſignis virtus, qui etſi primùm incendio, & clamore hoſtium ingenti, haud modicè percellerentur: conglobati tamen in unum, ita ut cohortem ducentorum circiter virorum efficerent, ac pro militari diſciplina in ordines diſpoſiti, exceperunt irruentium impetum, tantâ virtute, ut adveniente poſtmodùm *Borzivogio*, qui in eò tumultu, cum prætoriana cohorte accurrerat, hoſtes receptui dare compellerentur: qui cùm ampliùs tam validum agmen, & â parte alios quoq; manipulos confertiùs irruentes ſuſtinere non poſſent, repedantes ſenſim, eâ quâ exierant poſticâ, ſeſe intra munimentum receperunt. Ultimò tandem *Leopoldus*, cùm videret obſtinatos, & eâ clade magìs adhuc proritatos obſidentium animos, neque receſſuros, niſi oppido aut tradito, aut exciſo; ac denique ſentiret ſe jam quoque

rei

rei cibariæ inopiâ premi, communicato cum cæteris conſilio, legatos *ad Borzivogium*, qui locò fratris *Brzetislai* univerſo exercitui præerat, mittere decrevit, qui trium dierum inducias impetrarent, ut interea de legibus deditionis tranſigeretur. Quas cùm impetraſſent, cœpiſsétque jam de deditione agi, *Leopoldus* non ſatis Borzivogio fidens, mutato conſilio, clam noctu oppido exceſſit, & eâ parte, quâ remiſſiùs *à Moravis & Bohemis* obſervabatur, foras incolumis evaſit, rectâque Hungariam petijt. Poſt cujus diſceſſum, oppidani vitæ fortunarúmque incolumitatem pacti, *munimentum Borzivogio tradiderunt.*

Leopoldus inducias petit; quibus non fidens ſatis, relicto oppido in Hungariam abit.

Paucis poſt diebus *Brzetislaus*, dolo & inſidijs *VVrſſovicenſium* (familiæ tum primariæ in Bohemia, ac Principibus fatalis infenſiſſimæque) circumventus obijt: cujus ultima, *poſtquam diſpoſuiſſet omnia*, (verbis Coſmæ tum præſentis refero) *quæ erant diſponenda pro anima*, verba ſunt ſanè memoratu digna: *date*, inquit, *filiolo meo*, (is erat Wladislaus nomine) *lituum meum & jaculum; cætera non eſt meum ſibi dare, quæ Deus poſuit in ſua poteſtate.* Brzetislao II. mortuo, *mittunt illicò Præſul Hermannus, & Comites cum feſtinatione in Moraviam, ad Borzivogium legatum, quò acceleret Bohemiæ accipere Ducatum. Qui feſtinus veniens, in ipſa die Nativitatis Chriſti, omnibus in ſimul faventibus inthronizatur.* Ita Coſmas, ad an. 1100. Hic ſtatim initio gubernationis, in id incubuit totus, ut initâ cum agnatis Principibus pace, motus omnes ſedaret inteſtinos: ideóque *Uldricum*, laxatis vinculis, ê carcere Glacenſi, & *Leopoldum fratrem ejus*, ab exilio revocat, & huic *Znogmam*, illi *Brunam* reſtituit.

Coſmas lib. 3. an. 1100. Hagek an. eod. Dubraſ. l. 9. Brzetislai obitus an. 1100. die 22. Decembr. Ejus ſucceſſor Borzivogius frater, Uldrico & Leodoldo avitas ditiones reſtituit.

Brevi tamen *Uldricus* (uti erat regnandi cupidus, & ambitionis indomitæ) receptâ *Brunâ*, beneficij immemor, de Regno quoque Borzivogio adimendo egit; quem ad id audendum non parum incitabat nonnullorum ê comitatu *Henrici IV. Imp.* Principum favor, quos materno genere tangebat, & qui idcirco dignitatis ejus procurandæ ſtudioſi, operam ſuam & auxilia ei pollicebantur. Ex ijs erant, *Uldricus Epiſcopus Friſ. Fridericus* ſororis ejuſdem Epiſcopi maritus, ac *Sigardus à Sala Comes:* qui collectis proprio ære copijs, ipſimet in perſona expeditionem in Bohemiam ſuſceperunt. Sed ut præcipiti conſilio, ita minùs ſecundo eventu: nam etſi Bohemorum aliqui voluerint videri eſſe animi *in Uldricum* propenſioris, quàm *in Borzivogium*, ut exinde *Uldricus* ſpe potiundæ Bohemiæ ductus, non dubitaret, illatis duntaxat in Bohemiam ſignis, mox omnia deſiderato proceſſura curſu; ſecùs tamen accidit: ſiquidem potior Procerum pars, ipſáque Nobilitas, *militiæ Bohemicæ robur*, legitimo ſuo, uti decebat, Principi, aſtitit fidenter. *Svatoplucus* quoque & *Otto Marchiones, ditionis Olomucenſis Domini, Borzivogij propugnabant partes.* Denique is expeditionis hujus finis erat, ut Germani Principes, audito ſolùm Bohemorum adventu, (quamvis *Moravos, quos Uldricus cum Leopoldo fratre adduxerat*, & in quibus non vana ſpes victoriæ collocari poterat, haberent conjunctos), pudendo tamen perculſi metu, ne quidem tentatâ prælij fortunâ diffugerint, relictis caſtris & impedimentis ſupellectilique penè totâ.

Uldrici ingratitudo.

Uldricus dejicere Borzivogium de ſolio tentat: expeditionem in Bohemiam ſuſcipit.

Bohema Nobilitas Principi ſuo fidelis.

Uldricus malè à Fortuna mulctatus, in Moraviam redit inglorius:

Digitized by Google

totâ. *Magnâ undique coarctati anguſtiâ* (verba ſunt Coſmæ) *per anguſtam viam, & nimis arctam ſemitam, quâ itur trans ſylvam ad Habr, turpem noctu maturaverunt fugam. Ibi Epiſcopus Friſing. amiſit Capellam ſuam: ibi propter difficilem viam, omnis exercitus, cum rebus uſualibus projecit ſarcinas; manè autem facto, advenientes Bohemi, hoſte carentia diripiunt ſpolia.* Poſt hæc *Uldricus* reſipuit, & depoſitis armis, *Borzivogio, mediante Svatopluco, reconciliatus eſt.*

Borzivogio reconciliatur. *Coſm. cit. ad an. 1101. Daubr. l. 10. Hagek ad an. eund.*

Sequenti anno, cùm mortuo *VVladislao Polonorum Duce*, inter filios ejus *Boleslaum III.* aliàs cognomento *Krzivvouſtum*, & *Spigneum* diſſidium exarſiſſet grave, *Borzivogius* à Spigneo, qui erat illegitimo thoro natus, pecuniâ corruptus, Boleslao legitimo Principi, ſuo à ſorore Juditha nepoti, bellum intulit, miſsóque *Jaroſlio Chlumecio*, cum exercitu, Sileſiam populari juſſit. Quod etiam ab altera parte fecit *Svatoplucus Marchio*, qui peragratâ ſpatio temporis brevi ſuperiori *Sileſiâ*, ad oppidum usque *Bitom*, caſtra promovit, in obvia quæque hoſtilem in modum graſſatus. Diſplicuit expeditio hæc Bohemis, dolentibus contrà ac murmurantibus, quòd Dux agnatum Principem, aperto bello, præter fas & æquum exagitandum ſuſcipiat. Quare poſt multos ſermones ultrò citróque habitos, irarum & contumeliâ in Borzivogium plenos, qui jam penè ad tumultum ſpectare videbantur, adegerunt ultimò Ducem, ut copias revocaret. *Svatoplucus* modicùm adhuc in Sileſia ſubſtitit, prædarum cupidine detentus: ideóque Polonis cauſam præbuit, ut paulò poſt ſedatis domeſticis motibus, in illum unum vim omnem converterent, factâque irruptione in *Moraviam* ſemel atque iterum, eam rapinis fœdè popularentur. Audiamus Cromerum: *Boleslaus*, inquit; *incurſione illâ Bohemorum ſuperiori anno factâ, provocatus, primo vere coëgit exercitum, eúmque mox duce Zelislao, miſit in Moraviam. Nam ipſe, nè unà proficiſceretur, magnis precibus à proceribus, & nova nupta* (hæc erat Sbislava Svatopluci, ſive Stopolci Michaëlis Ruſſorum Kovienſium Principis filia) *exoratus eſt. Jámque Zelislaus pervaſtatâ tripartito agmine Moraviâ, ingenti pradâ onuſtum reducebat exercitum, cùm certior fit Sventopelcum Moravorum Ducem, cum magnis copiis à tergo venientem, non longiùs duobus milliariis à ſe abeſſe. Itaque præmiſſis impedimentis atque captivis, ſigna convertit, & inſtructâ acie manus cum hoſte conſerit. Pugnatum æquo Marte aliquandiu, plurimúmque humani ſanguinis utrinque fuſum eſt, Ducibus ubique prælium reſtaurantibus. Ad extremum neutrò inclinante victoriâ, utrique mœſti & pro victis ſe gerentes, illi quidem in Moraviam, noſtri verò cum præda in Poloniam, ſeſe recepêre. In eo prælio Zelislaus, dum ducis pariter atque militis officio fungitur, dextram amiſit: quem Boleslaus Princeps collaudatum pro meritis & virtute, aureâ manu donavit. Nec longâ quiete datâ militibus, iterum eâdem æſtate Boleslaus ipſe, transmiſſis montibus atque ſylvis, quibus Moravia à Polonia & Sileſia, versùs Occidentem disjungitur, incurſionem in Moraviam fecit; exuſtisque, nemine reſiſtente, plurimis vicis atque pagis, aliquantò tamen minorem prædam, quàm Zelislaus revexit: propterea quòd agreſtes*

Bohemorum & Moravorum in Poloniam hoſtilis irruptio.

Bohemis domum redeuntibus, Moravi nihilominùs, in agrorum vaſtatione & cogendis prædis perſiſtunt. *Daubr. lib. citat. Hagek an. 1103.*

Poloni infeſtant Moraviam: *Cromer. lib. 5. in Boleslao. Criſtouſto. an. 1104. Methob. l. 3. c. 7.*

cum Svatopluco Marchione Olomucenſi congrediuntur. Prælium ancipiti victoriâ dirimitur.

Moravia iterum vaſtatur à Boleslao Poloniæ Duce.

Digitized by Google

ſtes à Sbigneo, ùt creditum eſt, de adventu Sobeslai certiores facti: in vaſtas ſylvas cum gregibus & armentis ſeſe occuluerant. Pacificatio deinde, cùm ſat damnorum ſibi invicem intuliſſent, ſequuta eſt, in quam eò proniores erant *Poloni*, quòd ab altera parte *bello Pomeranico* premerentur.

Pax cum Polonis.

Hoc externo motu ſedato, alius non multo poſt exoritur domî, audaciâ & ambitione *Svatopluci Marchionis*; qui cùm relatione certâ didiciſſet, *Borzivogium* non habere ad obſequia fidémque multùm propendentes Bohemorum animos, ob id præſertim, *quòd Germanis familiariùs in obeundis muneribus publicis uteretur*; eâ occaſione viam ſibi *ad Principatum Bohemiæ* quoquo modo parandam conſtituit. Ad quod etiam literis nonnullorum ex Bohemia incitabatur, qui *Borzivogium* poſſe opprimi negotio facili confirmabant, ſi tantùm maturè cum exercitu advolaret Pragam; *Borzivogium* in eo periculo, quod minimè prævideret, non tam citò ullum ſalubre conſilium eſſe capturum. His igitur accenſus *Svatoplucus*, & futura omnia favorabilia ſibi pollicitus, tum quòd haud contemnendas haberet in promptu copias, tum quòd *Borzivogium* pleriſque inviſum eſſe, ob eámque cauſam inchoato bello, mox à militibus ipſíſque Pragenſibus deſertum iri putaret, amicis pulchra dictu, factu tamen ardua, ſvadentibus obtemperavit: luſtratóque exercitu, nullam deinceps moram ſibi interponendam cenſuit, ſed quamprimùm in Bohemiam proficiſci decrevit; præmiſſis idoneis hominibus, qui ſuarum partium ſtudioſos de adventu ſuo certiores redderent, ſimúlque mentes eorum promiſſis ingentibus confirmarent. Ipſemet deinde cum quingentis equitibus celeri greſſu Pragam versùs contendit, cæteris cum peditatu lentiori itinere ſubſequi juſſis. Interea *Borzivogius ab Epiſcopo Pragenſ. Hermanno*, cui primò innotuerat adverſa factio, & quibusdam alijs ex Moravia, de Svatopluci conatibus edoctus, quanquàm haud mediocri perturbatione animi commoveretur, videns nullum eo in præcipiti motu conſilium periculo vacuum, præſertim cùm Pragenſium multitudinem turbari, ad arma concurrere, populariíque petulantiâ cuncta confundi intellexiſſet; non deſpondit tamen animum, ſed confeſtim ex *arce VViſſebradenſi* in urbem deſcendit. Quo cùm veniſſet, mirum dictu, quanta rerum ejus adventu mutatio fuerit ſequuta! ſepoſitis enim odijs, ſingulari omnium ſtudio & affectu eſt ſalutatus, ſedatique omnibus locis tumultus. Erat enim adeò celſo infractóque animo, ac vultu maximè ad promerendam gratiam ſereno, ut pro concione obnixè deprecanti, ne *aliquâ defectione ſe Principem, vel potiùs omnium fratrem, in ipſo patriæ gremio, apud omnium ordinum cives familiariter educatum, hoſti prodere vellent*, certatim omnes fortunas ſuas pro ipſius ſalute obtulerint. Quare confirmatis in fide civibus, & Epiſcopo præfecturâ urbis traditâ, ipſemet *VViſſebradum* tuendum ſuſcepit. Jámque procurſatoriæ *Moravorum turmæ* conſpiciebantur in ſuburbanis, propè vicum *Porzicz*, quas inferentes ſeſe immodicè, ac obices portarum penè pulſantes, cives miſſilibus petiêre telis, adeò, ut perculſus re inopinatâ *Svatoplucus*, ſpéque ſuâ dejectus (putabat enim ſe primo adventu urbe recipiendum) non ferocientis certè more, cùm agen-

Nova inteſtinarum ſeditionum tempeſtas.

Chron. Boleslab. cap. 63. Stransky Reip. Bojem. cap. 8. §. 23.

Svatoplucus Marchio Moraviæ Borzivogium ſolio deturbare contendit:

Exercitum comparat:

in Bohemiam movet.

Borzivogius ſuſpectos Pragenſium animos,

oratione leni in partes ſuas inclinat, & in fide confirmat.

Svatopluci inanes conatus:

agendum appeteret aliquid, ſed ambiguis greſſibus circa mœnia incedebat. Proceſſu igitur temeritatis ſuæ fracto, cùm non modò ab *Urbe Majore*, ſed *Minore* quoque, quam trajecto *Vultavâ* tentare non dubitabat, excluderetur, vique nihil ſe effecturum ſciret, ob mœniorum firmitatem, & civium ac propugnatorum plebem immenſam, retrò *in Moraviam*, non minori quàm venerat celeritate, metuens ne â tergo vel *Roſenſium*, vel *Glacenſium*, *Hradecenſiúmque* circumveniretur copijs, inglorius diſceſſit. Quo facto, motam non neceſſarij belli calamitatem totam poſt ſe in Moraviam traxit. *Borzivogius* quidem, cognito diſceſſu ejus, qui fugæ non abſimilis erat, non niſi a d *Sylvas*, quas vulgò *Nigras* vocamus, tergis fugientium inſtitit, mox Pragam, non fidens tutò omnibus, eſt reverſus. At verò *Hradecenſes cum Chrudimenſibus*, factâ irruptione in *Moraviam*, obvia quæque haud modicis affecerant detrimentis: *Glacenſes* ſimiliter. Tota denique reſidui anni pars, non niſi hoſtilibus utrinque excurſibus Moraviæ ſummè pernicioſis, inſumpta fuit. His accedebat ſimultas gravis, inter *Svatoplucum & Leopoldum Marcb. Znogmenſem, cujus conjunx Lucia, erat Herburgis uxoris Borzivogij ſoror:* quæ brevì erupiſſet in novum bellum civile, nì *Uldricus frater Leopoldi* huic malo in tempore occurriſſet.

Daubrn. l. 10. Hagek ad an. 1105. Boregk an. eod. Coſmas lib. 3. an. eod.

in Moraviam reditus haud abſimilis fugæ.

Bohemorũ in Moraviam excurſiones.

Porrò in Bohemia recruduerunt anno ſequenti in *Borzivogium*, majore cum tumultu odia, ita, ut cùm poſtmodùm etiam *VVladislaus frater*, qui in caſtro *Liſſa propè Boleslaviam* reſidebat, ab eo alienato eſſet animo, erga *Svatoplucum* jam multò propenſior, metu ille imminentis vel exitij, vel carceris perculſus, & conſilij pariter inops, ſalutíſque potiùs quàm imperij curam ducens, arreptâ in *Poloniam* fugâ, Wiſſehrado cum paucis, inter quos erat *Sobieslaus minimus natu frater*, diſceſſit. Poſt ejus diſceſſum defferebatur quidem Regni gubernatio ad *VVladislaum:* ſed cùm is tergiverſaretur, & in agnatum pro ſe votum conferret, renunciatus is eſt, ex *Moravia* paulò ante evocatus, *Borzivogij nempe æmulus*, de quo diximus, *Svatoplucus*. Hic initia regiminis nequaquam potuit habere quieta. Nam â *Cæſare Henrico V. qui Henrico IV. patri ſucceſſerat*, & ad quem *Borzivogius* ſvaſu *Boleslai Poloni* confugit, de vi ſibi illata queſtus, *Goslariam* accerſitus, cùm facti ſui rationem reddere non poſſet, in carcerem conjectus fuit. Brevì tamen datis muneribus ijs, qui Cæſari â conſilijs erant, & Cæſari quoque certâ ſummâ pecuniæ promiſsâ, tantum effecit, ut libertatem pariter & Ducatum recuperaret.

Borzivogius recrudeſcentibus domi turbis impar,

in Poloniam ſeſe recipit.

Daubr. l. citat. Hagek. Boregk. an. 1106. Coſmas an. eod. Stransky citat.

Svatoplucus illi ſuccedit.

Hagek an 1107. Spangenb. in Chron. Saxon. cap. 211. Calviſ. in Chronolog. an. 1107. Coſmas an. eod.

Interea *Borzivogius Polonorum auxilijs* infeſtabat Bohemiæ fines: ac demum intellecto *Ottonem Marcb. Olomuc. fratrem Svatopluci*, morari apud Cæſarem, obſidis locò, usque dum *Svatoplucus* promiſſam exſolveret pecuniam, *Olomucenſem adoritur regionem*, eámque hoſtilem in modum populatus eſt. Malum hoc brevì aliud longè pernicioſius ab Hungaria ſequutum fuit. Quippe Hungari indignè id ferentes, quòd *Svatoplucus*, *Otto & Leopoldus Marchiones*, Henrico Cæſari proximo bello Hungarico auxilia feciſſent, *Nitriáque* oppido (ſine arce tamen) occupato, totum illum cis *Vagum* tractum devaſtaſſent crudeliter, re deinde cum Cæſare pacificè transactâ, cùm paulò

Borzivogius cum Polonis Bohemiam infeſtat,

Append. Chronic. Mariani Scot. an. 1108. Spangenb. an. eod. Fabricius in Saxon. an. eod.

Digitized by Google

paulò poſt eundem *Svatoplucum* novâ expeditione *in Polonos limitem Glacenſis territorij infeſtantes*, occupatum intellexiſſent, accenſi cupidine vindictæ, irruperunt *in Moraviam* agminibus denſis, & *ad flumen usque Morava, ubi Oslavam amnem recipit*, penetrârunt populabundi. *Præcepit Henricus Rex Svatopluco*, ita memorat Coſmas, *ut paratus ſit ſecum in expeditionem contra Hungaros; quia rogatu quorundam Teutonicorum illuc properabat, ultum ire necem peregrinorum Hieroſolymitanorum, quos illa gens ob crudelitatē ſuam alios gladio interemit, alios in ſervitutem redegit.* Et infra. *Factum eſt autem poſtquàm Rex Henricus reverteretur ſolutâ obſidione à civitate Poſſen, Cholomanus Rex Hungariæ, non longo poſt tempore volens ſibi illatas à Svatoplugo Duce ulciſci injurias, intrat Moraviam, & eam hoſtiliter devaſtare cœpit. Nam cum Rex Henricus cingeret obſidione urbem Poſſen, Dux prædictus cum ſuis Bohemis, quidquid erat ex hac parte VVag fluminis, quoadusque prædictus amnis influit Danubium, nihil reliquerat incombuſtum: ſæpè etiam exploratores à Rege Pannoniæ miſſos, comprehenſos naſo privaverat & viſu. Quâdam die plusquam mille viros, ex electis militibus, à prædicto Rege ad hoc directos, quatenùs per inſidias, aut pabulantes caperent, aut ſuper incautos Teutonicos noctu irruerent, Dux Svatopluc præagnoſcens, ubi inter paludes latitabant, repente irruens omnes usque ad unum, velut piſces miſsâ ſagenâ captos, alios interfici juſſit, alios in equuleo ſuſpenſos, paucis verò, acceptâ pecuniâ, vitam conceſsit. Talia ob facta, & alia hujusmodi, quibus Hungaros afflixerat Dux Svatopluc, Cholomanus invaſit Moraviam*, &c. Sed pro clariori, & ut ſciamus, quid tandem ſequutum fuerit, audiamus etiam Daubravium. *Interim*, inquit, *Hungari damnorum memores, quæ nuper Duce Svatopluco à Bojemis & Moravis ſuſtinuerunt, tribus agminibus Moraviam ingreſsi, multò infeſtiùs illam pervaſtant: nam ſuper cætera mala, igne etiam in vicos & pagos deſævierunt. Quæ quidem res ad arma rurſus Svatoplucum excivit: quibus arreptis, ultum ire Moravorum detrimenta, cum ipſis etiam Moravis, quibus Otto frater præfuit, accelerat: propiùs ad ſaltum accedentibus, ultra quem Hungari non longè abeſſe dicebantur, nocte illum tranſire, ut primâ luce improviſi Hungaris ſupervenirent, placuit. Accidit autem in ipſo ſaltu, ut ramus arboris, à præcedente equite abductus, ac repentè laxatus, levum Svatopluci excuteret oculum. Cujus tum damno tum dolore commotus, regredi in apertum coactus fuit, militibusque retrocedentibus: ibi citra ſaltum proximo loco, Ottonem conſidere, eúmque locum caſtris communire, atque omnes in eo copias continere adversùs futuros caſus jubet. Cæterùm ultro hoſtes laceſſere vetat; ipſe Olomucium ad medicum defertur. Una tantùm hoſtium turma ſaltum ſuperare, ac ſe duntaxat oſtendere auſa, mox intra eundem ſaltum ſe recepit, nec ampliùs hoſtium quisquam apparuit. Reverſus tandem & Otto in urbem ſuam Olomucium, nondum plagâ oculi fratris percuratâ, ſed jam dolor moleſtus eſſe deſijt, paulatimque cicatrix obducebatur, ſanitatem vulneris adfore prænuncians. Quâ recuperatâ etiamſi autumnus tunc præcipitaverat, omittere tamen haud potuit, quin inſtauraret adversùs Hungaros hoſtilem profectionem, Ducem illius*

Ultum injurias Hungari in Moraviam excurrunt;

eámque hoſtiliter devaſtant.

Coſmas ad an. 1108. circa init.

Daubrav. l. 10. & ibi Jordan. in Annotat. Hagek ad an. 1108. Coſmas lib. 3. an. eod. Chron. Boleſl. cap. 57.

Svatoplucus ad coërcendos illos, cum ſuis properat.

Svatopluco per Sylvam properanti, ſiniſter oculus ab arboris ramo excutitur: Hinc dilata in Hungariam expeditio.

Svatoplucus valetudine recuperatâ bellum infert Hungaris:

Digitized by Google

quod ſtrenuè proſequitur:

ſeipſum conſtituens, omneſque milites Brodam cognomine Hungaricam tendere jubens. Atque inde finibus Moraviæ transgreſſis, novam civitatem (ſic Hungari vocant) diripit, arcémque illi vicinam, ac deìn alteram quoque diruit, circúmque omnia Ternaviam tenùs evaſtat. Tum ſe vis magna equitum, per multos globos ab Hungaris diſpartita, de longinquo oſtendit, ac mox Bojemis infeſta appropinquavit. Contra illam Svatoplucus aciem clypeis & haſtis denſam, curribúſque circum latera ſeptam oppoſuit. Ingruunt ſæpiùs hoſtes, aciem perrumpere certantes, ſed telis & ſagittis non ſine illorum ſtrage repelluntur. Succeſſit item proſperè una atque altera equeſtris eruptio, quâ pauci Bojemorum equites, ſed benè omnes armati, plurimos Hungarorum inermes equites neci dederunt. Atque ita Hungari magnâ parte amiſſâ ſuorum, partim etiam hyemem non tolerantes, diſſipantur in pagos & vicos. At Bojemi magnâ prædâ potiti, cum Svatopluco ceu victore domum læti revertuntur. Finem deinde mutuis cladibus deprædationibúſque mors Colomani Hungarorum Regis impoſuit. Alij volunt Leopoldum IV. Marchion. Auſtriæ, qui poſtea propter ſanctimoniam vitæ Faſtis Sanctorum adſcriptus eſt, interpoſitione ſuâ id effeciſſe, ut reconciliatis utrinque animis, *Svatoplucus cum Colomano* inierit pacem: quod veriſimilius eſt. Nam *Colomanus* primò an. 1114. III. Nonas Febr. obijt, ante cujus obitum triennio toto, pax *Moravos inter & Hungaros* inconcuſſa ſtetit. Addunt ijdem, tunc quoque *reconciliatum Svatopluco Borzivogium ejusdem Leopoldi IV. affinem*, licèt abſentem, oppido & *ditione Hradecenſi* ei promiſsâ, ſi modò ab concitandis deinceps turbis deſiſtere, & pacem ſeriò colere vellet.

Hungaros profligat:

Victor, & onuſtus prædarum cumulis, in Bohemiam revertitur.

Svatoplucus à ſicario juſſu Comitum VVrſſovienſium occiditur: an 1109. die 21. Septembr.

cui VVladislaus VVratislai Regis filius ſuccedit.

Monachus Pegav. in Vita VViperti apud Stransky Reip. Boj. c. 8. §. 24. Cromer. lib. 5.

Occiſo per inſidias *Svatopluco, ad obſidionem Glogoviæ*, dum è Cæſaris papilione veſperi in ſua rediret caſtra, per *Tiſtam VVrſſovicenſem* anno 1109. undecimo Calend. Octobr. Regnum ad *Wratislai Regis filios* redijt, ſceptróque potitus eſt *VVladislaus*. Alij *Svatoplucum*, inſtinctu *Wiperti Marchionis Luſatiæ*, qui Borzivogio tanquam affini favebat magis; alij *Boleslao Krzivvouſto Poloniæ Principe* percuſſorem ſubornante, occiſum volunt. *Cromerus* occiſorem pernici equo elapſum, *magnisque præmijs à Boleslao affectum* eſſe ſcribit: quaſi ejusmodi fraus & parricidium, Principis non in acie, ſed ex inſidijs, & dolo peſſimo cæſi, egregia virtus, dignáque præmio eſſet; alius profectò cædes proditorias Principum ſine execratione cogitare, ne dum commemorare unquam poſſet. Tametſi autem *Svatopluco* mortuo, ſtatim iſtic in caſtris Cæſar, *Waceko Comite de Oſſyk*, præcipuo tum in Bohemia dynaſtâ, poſtulante, deſignâſſet ſucceſſorem *Ottonem fratrem, Moraviæ Marchionem cognomento Nigrum*: quia tamen Principem, *Waceko* ſoli legere, neque Cæſari pro arbitrio obtrudere, per leges licuiſſe videbant proceres Bohemi; vel, ùt loquar verbis *Coſmæ* tum viventis: *quia id ſine conſenſu Bohemorum & Epiſcopi efficere conabantur*: ideò fruſtratus ſpe eſt *Otto*, & concordibus ſuffragijs in ſolio eſt collocatus Wratislai, ùt dixi, Regis natu quartus filius, *Wladislaus*. Unde ſubortæ ſunt inter *Wladislaum & Ottonem* ſimultates & odia occulta, quæ ſuſpicionibus utrinque diu, ceu in ſinu fota, ac peſſimorum hominum

Coſm. l. 3. ad an. 1109.

Hic Ottonem Marchion. Morav. regnum ambientem aſtu circumvenit, & in carcerem conjecit.

Digitized by Google

minum ſuggeſtionibus aucta, erupiſſent brevì in bellum atrox, nî *Wladislaus* aſtu præveniſſet cognatum; quem ad ſe familiariter vocatum in vincula conjecit, & ad arcem *Krzivoclad* recenter tum erectam cuſtodiendum duci juſſit.

Daubrav. l. 11. Hagek an. 1110. Stransky c. 2. § 13.

Paulò antè etiam *Borzivogius II.* in ſpem Regni erectus, & à Wigberto Poloniſque adiutus, Pragam ex improviſo, *in Vigilia Nativit. Domini*, manè diluculo, nemine reſiſtente, occupavit, Wladislao abſente; qui ſub id tempus *ab Henrico V. Ratisbonam ad Comitia, pro Calend. Januarij anni 1110.* vocatus Pragâ diſceſſerat, & ex itinere *Pilſnæ* tunc ſubſtiterat. Cujus exemplo etiam alij cognati Principes, qui tum facilè viginti numerabantur, juxta illud Coſmæ, *jam ſunt bis deni, niſi fallor ego, domicelli*; & *quibus*, ùt Daubravius affirmat, *ad occupandum Bohemiæ imperium, neque ſpes, neque cupiditas deerat*, res novas moliri cœperunt, quæ omninò in funeſtum civile bellum deſiiſſent brevì, niſi *Henricus Imp.* authoritate ſuâ huic malo in tempore occurriſſet: qui in Bohemiam ad oppidum *Rokicanam*, jam tum Epiſcopalis ditionis, cum exercitu veniens, *à Wladislao* magnis precibus invitatus, controverſiam omnē diremit, dum *Borzivogium unà cum Wigberti filio*, qui ei in auxilium venerat, ſub cuſtodia detinuit, *Wladislaum* verò Pragam ad capeſſenda Reipub. gubernacula remiſit. Quo facto, competitores alij facilè conquieverunt, tametſi ad modicum tempus. Atq; tum id unicè optabat Imperator, ut *Romam, ad capeſſendam Imperij coronam petiturus*, relinqueret priùs Germaniam, vicinâsq; Provincias omnes in tranquillo poſitas, quò demū diutiùs in Italia morari, & vetera Imperij jura vindicare poſſet, quæ alij jam tanquàm ſua uſurpabant. Secùs tamen accidit, *Sobieslao Wladislai natu minimo fratre*, unà cùm *Boleslao Polonorum Duce*, mox poſt diſceſſū Cæſaris, *Aquilonarem Bohemiæ plagam; & Stephano Colomani Regis Hungariæ filio, Moraviam limiti ſuo viciniorem hoſtiliter infeſtantibus*; incommodo licèt utérque ſuo, quàm VVladislai graviore.

Propè rurſus bellum civile: quod tamen per Imperat. componitur.

Coſm cit. ad an 1109 & ſequ. Daubrav. l. 11.

Sobieslaus VVladislai frater cum Polonis Bohemiam, Hungari Moraviam hoſtiliter infeſtant.

Coſm. an. 1111. Hagek an eod. Daubrav. l. 11. Cromer. rer. Polon. lib. 5.

Anno demum ſequenti, hanc inter fratres germanos diſcordiam, mater *Svatava*, partim precibus, partim lachrymis ſopivit, *Wladislaúmque* eo deduxit, quòd *regionem Lucenſem* ſive *Zatecenſem* ceſſerit *Sobieslao*: brevì tamen immani ſcelere *Sobieslai*, qui *VVacekum Comitem VVladislao reconciliatum ſummeq; charum*, per inſidias occidi juſſerat, diſſidiū recruduit, ita ut *Sobieslaus* non ampliùs in Bohemia tutus, rurſum in Poloniam, ad veterem ſuum nidum, profugere cogeretur. Ex quo gens utráque intermiſſos redintegravit hoſtiles excurſus, quibus non ſolùm *Glacenſis regio*, ſed & *Olomucenſis*, cui tum præfuerat *Guilhelmus Comes à Sultzbach*, fundator poſtea Cœnobij VVilimovienſis Ord. S. Bened. in Bohemia, maximis affecta eſt damnis & cladibus.

Moraviæ illata damna.

Bien-nio poſt Matris rurſus precibus, & Boleslao quoq; Polono ſeſe interponente, qui bello Pruſſico intentus, Bohemos priùs Principes, nè à tergo quidquam metuendum ſuſpectúmve haberet, in concordiam reductos cupiebat, pacificatio inter fratres inſtituta eſt, ac feliciter tranſacta. Quoniam verò paulò antè *VVladislaus Lucenſem provinciam* tradiderat *VVladislao juniori Brzetislai II. filio*, ab Imperatore, quòd in expeditione Romana, miſſus à VVladislao Duce *cum trecentis clypeis*, ùt refert Coſmas, vel *trecentis galea-*

VVladislaus cum fratribus Borzivogio & Sobieslao amicè de controverſia omni tranſigit.

tis

Coſmas lib. 3. an. 1112. Pulkava a ſcribit 3000. Equitum fuiſſe miſſos. Æn. Sylv. in Hiſt Boh c. 24.

Ottoni Marchioni Morav. Olomucium reſtituit,

Coſm. an. 1113. Bileg. l. 1. de mutat. Relig. in Boh. Phoſph. Glor. M P. E. Rad. II. p. 16.

Borzivogij prodigioſa è carcere liberatio.

tis equitibus, i, cataphractis, ùt habet Sylvius, iiſque tantùm *Nobilibus Bohemis & Moravis*, inſignia virtutis ac fortitudinis ſuæ edidiſſet ſpecimina plurimùm commendato, illius locò *provinciam Hradecenſem Sobieslao* ceſſit: cùm paulò ante etiam *Ottoni Marchioni Moraviæ ê cuſtodia ſoluto Olomucium*, imò teſte Coſmâ, *dimidium totius Moraviæ* reſtituiſſet. *Borzivogium* quoque non multò poſt prodigiosè liberatum ex carcere, non in gratiam tantùm, ſed etiam in Imperij conſortium ſuſcepit. Atque ita reconciliatis fratribus & agnatis Principibus, pace aliquandiu *Bohemia & Moravia* potiebatur.

Rem miram de Borzivogio refert *Bilegovvsky. Borzivogius*, inquit, *VVladislai fratris inſtinctu, cui Regnum invidebat, Aquisgrani* (malim ego Rokycanæ in Bohemia) *captus, Mediolanum miſſus fœdiſſimo in carcere ſeptennio detinebatur: poſtremò Cæſar in favorem VVladislai, homini in carcere caput amputari juſſit. Nocte, quæ ſupplicium præcedebat, oranti, S. Apollinaris aſpectabilem ſeſe offert, rogàtque, liberne eſſe velit? cùm annuiſſet, pergerètque orare ardentiùs, momento in Bohemia, in colle, qui Saczka dicitur, ſe depoſitum vidit; latùsque poſtea eo in loco, S. Apollinaris honori templum condidit, quod hodièque videmus.* Idem memorat Dalimil Canon. Boleslav. in Chronico rhytmis Bohemicis compoſito. Inter illos autem trecentos, *Nobiles Bohemos & Moravos*, quos ſuprà diximus, fuiſſe juſſu VVladislai Ducis, Henricum Imp. Romam pergentem comitatos, erat etiam *Nicolaus Slavata de Chlum*, juvenis longè omnium virtute, & fortitudine militari florens ac memorabilis: qui deinde *Amadei Sabaudi* caſtra ſequutus, poſt multa ibidem præclarè geſta, domum glorioſiſſimus redijt. Unum præ alijs celebre de eo refert Fabricius Saxo. *Immedus III.* Sabaudiæ Dux *Henrico V. Imp. in regno Arelatenſi militat, in ejùsque comitatu manet, cum coronam argenteam Mediolani, auream Romæ accepturus eſſet cum Auguſti nomine. Certior interea factus, ſuam provinciam infeſtari à Comite Genevano, miſſionem honeſtam impetrat, & cohortes aliquot militum, ad bona ſua tuenda ſecum ab Imp. deducit. Cùm fines patriæ attingeret, arma ſtatim in hoſtem movet; quo cum congreſſus prælio, ſtrenuè dimicat. Erat in ejus exercitu Marcomanus quidam, Nicolaus Slavata Chlumius: cujus gentis adhuc inter Bohemos celebre nomen eſt. Is in Genevanum pugnantem delatus, ſuâ ipſum manu ſternit & occidit: cujus cæde cognitâ, fuga populi ingens efficitur.*

Dalimil. in Chron. c. 59.

Fabric. in Origin. Sax. lib. 4.

Nicolai Slavatæ inſigne facinus.

Uldrici & Leopoldi Marchionum obitus.

Coſmas ad an. 1115 MS. Monaſt. Trebic. Dubrav. l. 11.

Stephanus Rex Hungariæ VVladislaum fœderis ineundi causâ, ad colloquiũ invitat.

Inter hæc obierunt *Uldricus & Leopoldus fratres Marchiones Moraviæ*, hic anno 1112. Idib. Martijs; ille anno 1115. ſexto Calend. Aprilis: utèrque binos reliquit filios; *Leopoldus Cunradum* & *Ottonem: Uldricus VVratislaum & Spitibnevum.* Sepulti in monaſterio Trebicenſi Ord. S. Bened. quod munificentiſſimè fundârunt: porrò pupillorum & provinciarum cura Sobieslao delegata. Obijt ſub id tempus etiam *Colomanus Rex Hung.* cui ſucceſſit filius *Stephanus II.* Hic bello ſibi tam à *Græcis*, quàm à *Polonis* impendente, ſtatuit cum *Bohemis & Moravis* inire fœdus; quod & proceribus Regni, quorum conſilio utebatur, ê Republica viſum fuit. Miſſis itáque ad *VVladislaum* in Bohemiam nuncijs, mentem ſuam aperit, ad colloquium invitat, séque ad limi-

Digitized by Google

limitem Regni ei venturum obviam nunciat: quod fecit ille non invitus. Acceptâ igitur utrinque conditione, diéque ſtato, ad amnem *Oleſnam* (Coſmas, *Olzavam* nominat) conveniunt, cum comitatu utérque valido; placuítque ſeorſum â multitudine inermes colloqui. Erat cum VVladislao nobilis quidam *Hungarus* nomine *Solcbus*, homo vafer ac verſipellis, nec minùs ingeniosè nequam, qui cùm in caſtris utriúſque liberè verſaretur, utrúmque Regem mutuâ ſuſpicione implevit, quaſi per ſimulationem colloquij, alter alterum per inſidias opprimere vellet. Quare utriúſque Principis errore pari, exercitus ad capeſſenda arma concitantur: primóque Hungari Bohemos ſagittis laceſſere cœperunt: contra quos cùm *Bohemi* ordinatâ acie proceſſiſſent ad confligendum parati, *quod eò libentiùs faciunt, quando genus eſt hominum* (verba Bonfinij Scriptoris Hungarici refero) *ultro ad bellum natum*; juſto concurſum eſt prælio, ab initio tanto Hungarorum impetu, ut Bohemi loco moveri, jámque etiam pedem referre inciperent: ſed virtute cujusdam fortiſſimi ſimul ac audaciſſimi militis Bohemi (hic erat *Georgius filius Stankonis de Budova & Daupova*) velut alterius *Horatij Coditis*, qui ſolus vim hoſtium ſuſtinuit, ac velut repagulum quoddam, eos tergis fugientium inſiſtentes cohibuit & repreſſit, ad pugnæ munia reducti, reſtiterunt fortiter. Unde renovato prælio, cùm & *Otto Marchio* cum legione Moravorum accurriſſet Bohemis in auxilium, acrioribus multò quàm antea pugnatum eſt animis; donec Hungari fuſi fugatíque, & ad ſolam deinceps ſtrenui fugam, per diverſos tramites, Rege ipſo præeunte, exceſsêre campo. Errore tamen cognito, Rex cœptum fœdus cum *VVladislao* per legatos abſolvit, & ab illo impoſtore, ultio diro mortis genere exacta eſt: quatuor enim equis, ad ſingulas manus pedéſque alligatis, in quatuor partes diſcerptus interijt.

Ex ſiniſtra partium ſuſpicione colloquium turbatur:

ad arma usq; deventum.

Bonf. dec. 2. l. 1.

Budoveciorum origo, an. 1116.

Bonfin. decad. 2. lib. 1.

Chronicon. Boleslav. c. 68.

Fœdus nihilominùs per legatos abſolvitur.

Dubrav. l. 11.

Coſmas. Hagek. Kuthen. Pulkavva, an. 1116.

Paucis interjectis annis, excitârunt novam diſſidia Principum tempeſtatem, primò in Bohemia: *offenſi námq; iterum, Germanorum in aula Borzivogij multitudine, proceres Bohemi*, Wladislaum eò adduxerunt, ut *Borzivogio* fratri, Magiſtratum, quem non ita pridem ſuâ ſponte ipſi in manus reſignaverat, juſto indignationis motu abrogaret, anno 1120. qui ejectus *in Auſtriam*, ac inde *in Hungariam* cum charitatibus ſuis diſceſſit, ibique in exilio quadriennio poſt extinctus eſt, Pragámque delatus, & in *Baſilica D. Viti* honorificè ſepultus: filio *Jaromiro* inſignis ſpei juvene relicto. Similiter *in Moravia*, ſolutâ inter fratres *VVladislaum & Sobieslaum* (incertum quam ob cauſam) amicitiâ, *VVladislaus* armatâ vi Moraviam petijt, menſe Martio, anni 1123. & *Sobieslaum* Znogmâ, quam tutorio nomine tenebat, ejecit, urbémque cum ditione tota *Cunrado Leopoldi filio* natu majori, ætate quidem juveni, ſed virtutis nobiliſſimæ, ac formâ, celſitudine corporis, maximóque ingenio inſigni, tradidit; cùm paulò antea *Brunam VVratislao & Zpitibnevo Marchionibus, Uldrici defuncti filijs*, reſtituiſſet.

Paprocſký o Stawu Rytijřſ: Kráłowſtwj Czeſſ: *cap. 16.*

Borsivogius Regno reſtituitur an. 1119 ac rurſum an. 1120. pellitur: Ejus obitus an. 1124. die 2. Febr.

VVladislaus Sobeslaum fratrem Moraviâ ejicit:

MS. Monaſt. Trebic.

Mortuo *VVladislao anno 1125.* pridie Idus Apr. arripuit collata ſibi â potiori numero Optimatum ſceptra *Sobieslaus*. Nam etſi vivo adhuc *VVladislao*, ſed graviter decumbenti, (filijs ejus *VVladislao*, *Theobaldo*, & *Henrico* opti-

moritur. Ejus ſucceſſor Sobieslaus frater.

inter ipſa Principatûs rudimenta, ab Ottone Marchione Moraviæ, & Lothario Imperatore, bello exagitandus ſuſcipitur,

Ottonis deteſtanda ambitio.

ptimæ ſpei adoleſcentibus prorſus neglectis,) deſignaretur ſucceſſor â pleriſque *Otto Marchio*, â paucis verò *Sobieslaus: Svatava* tamen reginæ matris prenſationibus adjutus *Sobieslaus*, Ottonem poſt Wladislai obitum excluſit; unde exarſit bellum civile atrox. Nam *Otto* ægrè ferens repulſam, cùm ſibi qui ætate major eſſet, *Sobieslaum* antepoſitum videret, injuriam hanc armis ulciſcendam decrevit; procuratâ in ſocietatem belli etiam bellicoſâ, atque tum Bohemico nomini magnoperè infenſa Saxonum gente, ac ipſo Cæſare Lothario II. qui Henrico V. hoc ipſo anno defuncto ſucceſſerat. Qua de cauſa *ad Cæſarem Comitia Imperij Ratisbonæ agentem, menſe Novembr. perrexit*; primóque omnium ſeſe in amicitiam & familiaritatem illorum, qui Cæſari â conſilijs erant, commodùm inſinuavit; apud quos muneribus excultos placatóſque effecit, ut cauſam ſuam apud Cæſarem tuendam defendendámque ſuſciperent, atque operam & ſtudium omne ſuum pollicerentur. Ad Cæſarem deinde introductus, cùm petitionem ſuam diſertiſſimè & breviſſimè, *linguæ Tevtonicæ probè gnarus*, expoſuiſſet, séque veluti clientem & beneficiarium in tutelam Cæſaris & Imperij ſubmiſiſſet, & quidquid tributi deinceps pendendi imperatum eſſet, id quotannis obedienter perſolvendum promiſiſſet, benè ſperare juſſus eſt. Exinde haud multò poſt Principibus Imperij penè omnibus conſulentibus, *Gebbardoque Comite Cæſaris cognato* potiſſimùm ſatagente, (licèt malo ſuo,) *Otto* in clientelam recipitur, & Imperij beneficiarius appellatur, ac ineunte vere, auxiliares copiæ ei in regnum inducendo decernuntur, ipséque *Cæſar* ſe quamprimùm cum exercitu in Bohemiam, contra Sobieslaum profecturum promittit. Et hic quidem partim *Ottonis* precibus, & magnis promiſſis, atque imprimis oſtentato auro illectus, partim irâ & odio *contra bohemos* flagrans maximo, ob id præcipuè, quòd aliquando *Henrici Imp.* partes ſequuti Miſniam vaſtaſſent, affeciſſéntque magnâ clade, facilè in bellum, quo illata damna ulciſceretur, acturus regiæ fortunæ præludium, conſenſit.

Coſm. citat. Adlzreitt. in Hiſtor. Bavar. part 1 lib. 10. num. 18. Coſm. lib. 3. an. 1123.

Sobieslai in Moraviam expeditio.

Interea *Sobieslaus de Ottonis conatibus*, déque ipſius *Ratisbonam* diſceſſu, tam amicorum literis, quàm fideli exploratorum omnia perſcrutantium relatione edoctus, irâ atque odio in tantùm exarſit, ut ab eo tempore, totus ad ipſum Moraviæ poſſeſſione pellendum exturbandúmque incubuerit. Nec mora, congregato milite, intempeſtâ licèt hyeme, *in Moraviam* citatis paſſibus contendit: tum ut reliquos *cognatos Principes* in fide & obſequio contineret, tum ut perfidiam illorum, quos adhærere *Ottoni* probè nôſſet, caſtigaret, ditionibus illorum expilatis. Unde *regio Olomucenſis*, ab irato Principe, haud modica detrimenta ſenſit. Coſmæ continuator ad an. 1125. id recenſet paucis: *Otto*, inquit, *Dux Moraviæ convenit Luderium in Ratisbona. Sobieslaus vaſtavit Moraviam, partem Ottonis.* Quò autem magis ſibi devinciret *VVratislaum Uldrici filium*, provinciam *Brunenſem*, quam is nuper *â VVladislao* Duce acceperat, ſuâ quoque authoritate ei confirmavit.

Coſm. Contitinuat an. 1125. MS. Chron. Bohem.

Cæſar verò *Bohemici belli* cupidine, quod primo quoque tempore adminiſtrandum decreverat, æſtuans, nullámque ſibi moram interponendam ratus,

ratus, confeſtim ad Calendas Februas anni 1126. legiones ex hybernis evocavit, & unà cum *Ottone* Bohemiam petijt. Jámque ſuperatis *Sudeti montibus*, qui *Miſniam & Luſatiam à bohemia* dirimunt, in planiora deſcendebat. Contrà *Sobieslaus*, tametſi aliquantùm celeritate *Saxonum* præveniretur, ſed contractis pro inſtantis periculi ratione copijs, ſublatiſque ocyùs ſignis, quatuor peditum millia, & quingentos equites ſe ſequi juſſit, ac versùs *boleslaviam Veterem*, à qua haud procul caſtra poſuiſſe hoſtem per exploratores cognoverat, quanto potuit ſilentio proceſſit. Extremum diei erat, quando ſignum proficiſcendi dederat militi, noctiſque non plenè obſcuræ uſus beneficio, *ad Brunduſium* conſedit, lunâ, quæ ad medium excreverat, tum rectè ſeſe â conſpectu ſubducente: ubi cùm didiciſſet, *Boleslaviam* quoque *Veterem* jam teneri Cæſareo præſidio, varia cum ſuis agitare cœpit conſilia. Nàm quùm ſub ipſis penè mœnibus, ùt notabatur ex ignibus, qui à longè ſpectabantur, caſtra metatus eſſet hoſtis, & oppidum ſubjectóſque campos teneret, vix aliqua ſpes rei gerendæ, ſi aggrederetur hoſtem, apparebat ſine multa ſuorum pernicie: tutior illa via viſa, ſi tantùm arcerent, & non laceſſerent hoſtem, donec univerſæ copiæ, quæ â *Zateczenſibus, Plſnenſibus & Roſenſibus* aliiſque expectabantur indiès, convenirent; *Sobieslao* tamen non niſi celeritate uti, & mox duluculo primo, caſtra hoſtium aggredi placuit. Omnibus igitur in eum finem procuratis, imperatóque ſilentio, ac modicùm quiete captâ, cùm jam tenebræ nonnihil minui cœpiſſent, *Brunduſio* movit; flexóque ſiniſtrorſum itinere, Albim eò loci firmâ adhuc glacie opertum tranſijt, rectâque caſtra Cæſaris petijt. Accidit autem peropportunè, quòd ſubitò exorta caligo denſa, ita cœlum texit, ut ſtationarijs, qui ante caſtra vigilabant, ferè omnem ante ſe, ne quidem permiſſo viginti paſſuum intervallo, proſpectum adimeret: unde oppreſſis ijs facilè oppreſſerunt & alios, qui ad portas caſtrorum ſtationem tenebant minùs cauti, interfectiſque nonnullis, & alijs diſperſis maximo impleverunt caſtra tumultu. Et quia veniſſe in majore numero copiæ putabantur *Bohema*, concurrebant primò *Saxones* ad propulſandam vim ſegniùs, partim metu, partim repentino perculſi tumultu: ſed ubi animis in audaciam reſtitutis, recollegiſſent ſeſe, & in ſuos compoſiti ordines magno cum fremitu prodirent in certamen, Bohemi ſuis viribus diffiſi, Brunduſium, eâ quâ venerant viâ, reverterunt. Nec poſtmodùm eo die quicquam â partibus tentatum fuit, cùm ab utriſque, errore tamen diſpari, validior potentia, & alia formidarentur occulta. Die ſequenti cùm inaudijſſet Cæſar, *auctas Sobieslai copias Zatecenſium & Launenſium adventu*, didicisſétque Moravorum agmina, quæ *Ducibus Brzetislao & Sobieslao juniore, filijs defuncti Svatopluci Ducis, veniebant Ottoni patruo in ſubſidium*, impediri â *Chrudimenſibus Czaslavienſibúsque*, caſtra loco movit Orientem versùs, ad amnem uſque *Cidlinam*, propè *Chlumecium* oppidum: miſsíſque aliquot turmis equitum obviam Moravis, eorum adventum præſtolari decrevit, ut tanto validior viribúſque auctior, tutiùs demum cum hoſte confligeret. Qui cùm veniſſent, & *Albertus Urſus Brandeburgi Marchio* cum ſuis quoq; acceſſiſſet, prælio decernere conſtituit.

Lotharij & Ottonis in Bohemiam profectio, an. 1126.

Sobieslaus ijs obviam procedit:

ad Brunduſium caſtra figit:

de rationibus belli gerendi cum ſuis conſultat:

caſtra hoſtium quatro primùm adoriri conſtituit.

illâque derepente adoritur, & tumultu omnia complet:

re utcúnque benè geſtâ, Brunduſium revertitur.

Sobieslai copiæ augentur.

Lotharius caſtra loco movet:

Prælium decernit: Bohemorum paucitatem contemnit.

Igitur diſpoſitis utrinque ad pugnam ordinibus, *Lotharius* cùm exercitûs Bohemici, qui longè minor erat, formam contemplaretur, *pauciores, pauciores*, ſæpiùs id iterando clamabat, deridebâtque ordinem ejus, ad propria funera compoſitè ac tacitè procedentis: cùm interea *Sobieslaus Princeps*, auſus ipſe prior eâ militum ſuorum paucitate, contempto egregiè hoſte, prodire in aciem, nil magis deſiderabat, quàm conflictum; inſultando etiam hoſti, quaſi ambigentem adhuc invitaret ad prælium. Jámque ipſis hoſtium ſtationibus ingenti ſuorum cum clamore appropinquabat: dum *Comes de Lare*, qui cum anteſignanis in fronte exercitûs ſtabat, tumultuario primo agmine, dehinc ipſe quoque *Cæſar*, *Otto & Albertus* totis viribus occurrunt. Conſeritur prælium, magnis utrinque animis, quod aliquandiu in ancipiti ſtetit: donec turbatis Germanorum ordinibus, cùm plerique ex anteſignanis disjecti verâ fugâ, neque ſimulato pavore, recipi ſeſe intra ſtationes properarent, victoria ad Bohemos inclinari cœpit. Id ubi advertit *Otto*, neque ſigna ſuorum, neque militum Germanorum uſquam conſiſtere, quò accenderet audaci exemplo viros, clamabat voce magnâ, ùt qui nobile aliquod facinus pro æternaſ nominis ſui gloria edere vellent, ſe ſequerentur: ac concitato equo, in conferti ſſimum hoſtium agmen, fulguris inſtar, irruit, pertinaci conſilio, *aut victor Bohemiæq; Princeps evaſurus, aut non inultus caſurus*; quem ſequuti ſunt complures ordinum ductores, & turmalium haud ignobilis cohors: reliqui etiam ducum recollecti â fuga, paulatim redibant in certamen. Jámque ordines ubique reſtaurati, ac renovata pugna erat, tantâ *Germanorum ac Moravorum* ferociâ, ut Bohemos paulùm antè victores vix non clade oppreſſerint ſupremâ: cùm inter hæc *Otto*, in Sobieslai cohortem impetu facto acriùs, quàm cautiùs dimicans occiditur; & poſt illum mox *Hartungus Holſatiæ Comes*, unà cum promptiſſimis non paucis. Quorum interitu perculſi cæteri, ſtatim remiſſiùs pugnârunt, fugæ magis, quàm pugnæ intenti: donec *Fridericus de Chauſtnik Bohemus*, qui equitatui præerat, in medios illatus hoſtes, certam Principi ſuo victoriam procuravit: tum effuſi in varias partes *Moravi & Saxones* terga dederunt. *Cæſar* quoq; ex altera parte potiore præſidij, quod pro corporis cuſtodia habebat, parte exutus, tametſi adhuc pudore magis quàm viribus conaretur ſuſtinere hoſtem; ubi tamen ſuorum fugam, & eandem omnium fortunam advertit, citato & ipſe equo fugâ ſibi conſuluit: idem fecerunt *Brzetislaus & Sobieslaus* Fratres. Fugientibus paſſim per agros Bohemus tardiùs primò inſtitit, metuens ne ordinibus laxatis opprimeretur, ut ſæpè fit, â victis, ſi conglobarentur ex fuga; nè tamen ipſis omnimodè liberam faceret fugam, præfatum *de Chauſtnik magiſtrum Equitum*, juſſit Princeps, ut cum ſuis inſtaret agmini fugientium; neminem tamen occideret, niſi reſiſtentem, ſed quotquot poſſet, adduceret captivos. Quia tamen exiguum ſuperaret diei ſpatium, non multum diúque potuit fugientium inſiſtere tergis, ſed interceptis nonnullis, quorum greſſus vinxerat laſſitudo gravis, cùm & abjecta hoſtium ſigna, ac diſperſas paſſim aquilas (militaris id genus eſt ſigni Imperatorum) collegiſſet, ad Principis caſtra reverti maturavit. Ex itinere au-

Conſeritur prælium.

Bohemi prævalent.

Otto Marchio Moraviæ edito ſupremo fortitudinis actu, pugnam inſtaurare fruſtra contendit: acerrimè dimicans occiditur.

Cæſaris & aliorum fuga.

Chron. Boleslav. cap. 64. Trithem. in Chron. Hirſav. an. 1126. Erphesfurdenſ. Monachus in Addition. ad Lamberti Schaff an. eod. Calviſius in Chronol. an. eod. Fabric. lib. 2. rer. memorab. Saxon. an. eod. Hagek an. eod. Boregk an eod. Kuthen. an. 1127. Robert. Abbas de Monte in Append. ad Sigeberti Chron. an. 1127. Daubrav. l. 11. Pontan. in Bohemia Pia l. 1. Coſmæ Continuatio lib. 3. Eber. in Calend. 18. Martij. Lupac. VVeslav. ad d. 18. Febr.

autem cognito, unum fugitivorum agmen, in vicino colle denſiſſimâ ſylvâ obſito, ſubſtitiſſe, ibíque intra arborum concædem latere, citatis paſſibus eò contendit; réque uti erat deprehensâ, locum coronâ cinxit, omnêmq; exitum ita præcluſit, ut effugium nullum hoſti pateret. Quo peracto, & *Chvvaloni de Mſſeno* (aliàs de Ralsko) *Janóque de Hruſſova*, viris induſtrijs, curâ reſidui negotij gerendi commiſsâ, ipſemet ad Principem properavit. Cæterùm *Sobieslaus* totam noctem quietiſſimè transegit, in hoſtium caſtris. Manè deîn læta omnia viſebantur, hoſtes vel cæſi longo ordine jacebant, vel ſervati belli jure exercitui univerſo oſtendebantur: *Marchio* ipſe *Brandeburgi*, unà cum *Ottone Epiſcopo Halberſtad. & tribus Abbatibus*, item *Ludovicus Comes de Lare*, aliíque viri illuſtres captivi, & iniquæ ſuæ fortunæ, & hoſtilis clementiæ confeſſionem faciebant, augebántque ſpectaculum & levabant fortunam cæterorum: quos tamen omnes pro dignitate ſtatûs *Sobieslaus* teneri, & coli juſſit; indignantibus licèt Bohemis, qui arctiùs cuſtodiendos, tractandósque veluti hoſtes exiſtimabant.

Domini Kalſte: à quibus *VVartembergij, VValdſteinij* &c.

Captivorum præcipui,

à Sobieslao benignè habiti,

Interea *à Chvvalone & Hruſſovvio*, qui agmen illud hoſtium in ſylva, veluti clauſam indaginibus feram, obſervabant, totâ nocte ad excitatos circacircum ignes vigilando, agendóque acriter, ne ullus elaberetur; adfertur nuncium, præcipuos quoſdam ê comitatu Cæſaris ibi eſſe, & inter alios *Henricum Marchionem Luſatiæ, VVigberti filium, & Sobieslai cognatum*, qui ſe invitum Cæſari militâſſe dicat, petátque ſub fide publica admitti ad Ducem, atque interim ab omni maleficio abſtineri, donec de conditionibus deditionis cum Duce tranſigatur. Miſsúſque eſt *Fridericus*, qui & Marchionem adduceret, & alia quædam diligenti ſtudio exploraret, ac benè proſpiceret, ne ex obſeſſis ullus foras evadere poſſet: jam enim ſuſpicio haud vana oboriri, famáque ſuſurrotenùs hinc inde ſpargi cœpit, *Cæſarem ibi latere. Henrico* igitur adducto, & admiſſo ad colloquium, cùm tandem pro certo cognoviſſet *Sobieslaus*, *Cæſarem quoque obſeſſum teneri*, ſtetit aliquandiu tacitus, quaſi deliberaret, quidnam faciendum foret; & uti erat naturâ & ingenio mitis & benignus, fortunæ Cæſaris miſertus, quæ ſingulari ſuâ malignitate usque adeò ei illuſiſſet, ſtatuit conſilio utique præclaro, beneficio potiùs demereri ſibi Cæſarem, & reſtitutum priſtinæ libertati habere deinceps amicum, quàm aliquid durius cum eo inſtituere, & poſtea dimiſſum habere perpetuum hoſtem. Quamvìs autem hoc ſummo ſilentio tegi voluiſſet, ne in publicum emanaret, id quod etiam Marchio ſolicitabat imprimis; efficere tamen non potuit, ut prorſus occultum, & nemini ſuorum, niſi quibus vellet, notum eſſet: complures enim ex proceribus & tribunis, id quod fiebat ſubodorati, & præſenti incommodo Cæſaris non parum lætati, ùt qui in extremum diſcrimen vitæ, fortunarum ac exiſtimationis præcipitatum maluiſſent, Ducem adière, vetera Saxonum in Slavorum gentem odia, recentésque injurias refricantes, idque ſvadentes: *ne Cæſarem, ſicut & cæteros illuſtriores captivos, quos in ſua haberet poteſtate, tanquam hoſtes Bohemico nomini infenſiſſimos, qui nullâ habitâ juſtâ causâ, nullâ affecti injuriâ, ſed pro libidine duntaxat ſua, contra fas & æquum, bellum intuliſſent, facilè libertati reſtitueret: ſed tantiſper captivos*

inter quos, etiam Cæſar cum ſuo comitatu:

cum quo Sobieslaus amicè tranſigit, & unà cùm cæteris captivis absque ullo lytro dimittit.

vos teneret, donec & de damnis illatis integrè ſatisfacerent, & obſidibus datis promitterent, ſe deinceps nihil hoſtile unquam contra Bohemiam tentaturos. Nudis promiſſis, etiamſi ſcriptis tabulis confirmentur, acquieſcendum non eſſe, cùm ab exemplis non paucis conſtet, homines multa ſubinde polliceri, jurare, dicta ſcriptis roborare, & tandem fallere. Quæ tamen dehortamenta, *Sobieslaus* tacitus transmiſit, ac perſiſtens in propoſito, Marchionem ſemel adhuc in penitiorem tabernaculi ſui partem ad colloquium vocavit, môxque ad Cæſarem remiſit, Friderico ei adjuncto, quos deinde ipſemet ſequutus eſt. Ubi poſt ſecretiores ſermones cum Cæſare, pacis ac concordiæ componendæ causâ habitos, illo adhuc die, *Cæſari ejúsque comitatui, non tantùm abeundi libertatem conceſſit, ſed etiam unum è tribunis ſuis, qui pro majori ſecuritate abeuntem comitaretur, unà cum ſua legione tota, usque in Luſatiam, ire juſſit.* Nec multo poſt, etiam alios captivos ſine pretio omnes dimiſit, per quod ſanè egregij Principis, ac præſtantiſſimi Ducis nomen apud Saxones ſibi comparavit, ſed & quieti tranquillitatíque publicæ hoc modo valde utiliter proſpexit.

Bohemi in dimittendo Cæſare, & alijs captivis difficiles.

Sobieslai erga hoſtes humanitas.

Cæſa ex hoſtibus, ſcribunt aliqui, fuiſſe ad *tria millia*; & ex illis, præter ſupra nominatos *Ottonem & Comitem Holſatiæ*, etiam *Arnoldum Epiſcopum Mersburg.* (hunc alij inter captivos numerant,) *Gebhardum Comitem de Quernfurt Cæſaris patruelem*, & alios de Nobilitate quingentos & quadraginta: captos verò circiter trecentos. Porrò *Sobieslao* modicâ militum jacturâ ea victoria ſtetit: tres ſiquidem ex Nobilibus Bohemis, & è gregarijs vix centum perierunt; imò ſunt, qui ex toto exercitu Sobieslai tres tantùm cecidiſſe ſcribunt. Nec mirum, cùm ipſorummet *Cœlitum pro Sobieslao præliantium ope*, id bellum confectum credatur. Nam, ùt recenſent Coſmæ Continuator, & Daubravius: cùm Bohemi eſſent dubij, paucitatis ſuæ haud ignari, num prælij fortunam experiri deberent, prodijt in medium *Sobieslai Sacellanus Dobrovit*, cum haſta *Divi VVenceslai* (Hagek refert, haſtæ illi impoſitum fuiſſe *vexillum Slavvnicij patris Divi Adalberti*, repertum á Dobrovito ejusdem Divi in ſomnis monitu, in templo pagi *VVrbczanenſis*, quod continebat ſcutum aureum, & in eo lineas nigras, mediam verò albam, ac in ea tres rubeas roſas) eáque in altum erectâ, ac manu dextrá vibratâ, *Bohemos duces* pariter & milites, ad capeſſendam animis & corporibus pugnam, agendúmque fortiter hortatus eſt, ac certam victoriam pollicitus, præire ipſe ante alios in aciem hoſtium non dubitavit: quem *Bohemi*, velut divinitùs oblatum victoriæ ducem, alacri animo ſequuti, victores evasêre. Addit idem, *Sobieslaum*, memoriam tam inclytæ victoriæ, dedicatâ *Divo VVenceslao* coronâ aureâ, additóque militi donativo, ſolenniter celebrâſſe, palámque aſſeruiſſe, ſe Victorem extitiſſe, non niſi *Dei & Sanctorum ope.*

Cæſorum numerus.

Victoriâ Bohemorum miraculoſa.

Jarosl. in Contin. Coſmæ ad an. 1126.

Cruger. in Sacris mem. Regni Boh. in Febr. ad d. 18.

Lupac. in Ephemerid. eod. die 18. Febr. Hagek. ad an. 1126.

Sed neque *Cæſar* negavit adverſo Numine â ſe pugnatum: quare paulò pòſt amicitiâ & pacem cum Sobieslao nuper initâ denuò confirmavit, ac deinceps ſemper grati animi meritis, officiisq; propenſiſſimum ſeſe erga illum exhibuit: qui viciſſim in partibus ipſius usq; ad extremum vitæ, Regniq; ejus finem, in-

Sobieslaus captivos Germanos Principes, absque lytro, libertati reſtituit.

tegrâ

Digitized by Google

tegrâ conſtantiq; fide permanſit, ac imprimìs contra *Cunradum & Fridericum*, Imperij æmulos, egregiam operam ei præſtitit. Clades hæc contigit die XII. Cal. Martij, ſive 18. Febr. prope *Chlumecium oppidum* ad amnem *Cydlinam* ſitũ, ubi hodiéq; locus oſtenditur vallis quibuſdam circumdatus. Jam *Coſmæ Continuatorem Jaroslaum*, qui tum vivebat, *Pragenſem Canonicum*, poſtea *in Strahovv profeſſum*, de hac Lotharij clade paucis referentem audiamus: *Hic Luderius Rex Saxonum ſeductus ab Ottone Duce Moraviæ, inflatus magnâ ſuperbiâ & avaritiâ pecuniæ, atque malitiâ & iniquitate, cum ſuo exercitu venit contra Bohemos, juxta oppidum nomine Chlumecz: ubi Sobieslaus Dux cum Dei adjutorio, & ſuo comitatu, XII. Cal. Martij proſtravit quingentos primates illorum, exceptis ſcutiferis, inter quos fuit Otto Dux memoratus: & in tanto bello tres tantùm Slavi perierunt. Regi autem Saxonum cum cæteris pepercit, dimiſitque eum in pace. Et ſic Dominus Sobieslaus & Bohemi, cum magno honore & gloriâ illæſi redierunt. Factum eſt autem inenarrabile gaudium, tam Clericis quàm Laicis, per totam familiam S. VVenceslai; quia nec patres noſtri, nec avi, nec attavi habuerunt talem honorem, qualem omnipotens Deus ſuâ gratiâ conceſſit nobis, ſuâque dexterâ & juſto judicio vicit eos. Amen.* Idem memorat Otto Friſing. Epiſcopus, S. Leopoldi Marchionis Auſtriæ filius, ſcriptor quoque coævus; cujus verba ſunt: *Videns hoc Princeps*, nempe cladem ſuorum Lotharius, *ſæviſſimâ mentis amaritudine perculſus, rerum tamen quas ab adoleſcentia geſſerat, ac antiquæ virtutis memoriâ, quaſi cæleſti rore repletus, in collem quendam cum paucis, quos adhuc reſiduos habebat, ſe recepit. Quare præfatus Dux* (Sobieslaus) *ſuis in circuitu poſitis, magnarúmque arborum jactu & clauſurâ reditum negantibus, tanquam clauſum tenuit.* &c. Narrat deinde Jaroslaus de victoria illa miraculosè obtenta, de vexillo S. Adalberti, de haſta S. Wenceslai, & quomodo idem S. Wenceslaus aliquibus de exercitu Bohemorum, ſedens in equo albo, & indutus candidâ veſte, in aëre ſupra cacumen haſtæ, ſeſe exhibuerit ſpectabilem. Bellum hoc, ſiquidem Marchionem Moraviæ infælici caſu ſuſtulit, & haud dubiè etiam de Nobilitate Morava non paucos, meritò hìc inter alia Moraviæ funeſta connumerandum cenſuimus; adeóque nihil ab inſtituto operis alienum nos feciſſe exiſtimamus.

Peractâ Pragæ Paſchali ſolemnitate, ac Superis pro victoria gratias actis, *Sobieslaus in Moraviam*, *Olomucium versùs*, iter ſuſcepit: cui cùm prodijſſet obviam *VVenceslaus Ottonis occiſi filius*, unà cum conjuge, vidua matre, Ottone fratre, & filio decenni *Brzetislao*, in veſte lugubri, veniam paternorum delictorum petens, sèque gratiæ cognati Principis ſubmittens, movit eò usque Principem, ut nihil de præſenti rerum ſtatu mutandum duxerit, ſed ditionem paternam totam ipſi & fratri tradidit. Inde ad confinia Hungariæ profectus eſt, ut diſſidia, quæ tum exoriebantur gravia, inter *Stephanum Regem, & Almum patruum* (hujus námq; filiâ *Adletam Sobieslaus habebat conjugem*) interpoſitione ſuâ componeret; quo tempore etiam fœdus *Stephanum inter & Sobieslaum*, veluti certioris amicitiæ ſymbolum, firmatum eſt.

cum Cæſare fœdus amicitiæ init.

Coſmæ Contin. ad an. 1126. Martin. Cruſius in Annal. Svev. an. 1127. Calviſius in Chronol. an. eod. Buchol. in Indice Hiſtor. an. 1126. die 12. Martij Abraham Surius in Calend. Hiſt. 12. Martij Addition. ad Lambert. Saffnab. an. 1126. Dodechind. in Append. Scoti an. eod. Otto Friſing. de geſt. Frid. I. l. 1. c. 20. & ſequ. ubi ait, magnam ſtragem Saxonum, & præcipuè Nobilium & Illuſtrium virorum ibi factam eſſe. Fabric l. 2. rer. memorabil. Saxon. an. eod. Trithem. in Chron. Hirſaug. Cuthenus an. 1127. qui Cæſarem quoque fuiſſe captum ſcribit. quod & MS Jaroslaus Canon. Prag. ſcriptor coævus confirmat.

VVenceslao Ottonis in prælio occiſi filio, ditionem paternam poſſidendam tradit: Sobieslaus in Moraviam proficiſcitur: cum Rege Hung. novo fœdere amicitiam firmat.

Digitized by Google

VVratiſlaum Uldrici Marchionis filium Brunæ comprehenſum carceri addicit:

Redux *Sobieslaus*, Brunæ ſubſtitit, â *VVratislao Marchione* honorificè exceptus: quem tamen ob animum ejus, ſibi ex eo, quòd *Brzetislaum & Sobieslaum juniorem* fratres, haud obſcurè fovere videretur, dubium & ſuſpectum, die ſequenti, finitis epulis comprehendi, traditúmque rectori militum ad arcem *Doninam* duci juſſit: intervenientibus tamen proceribus *Bohemis & Moravis*, ipsóque *Boleslao Krzivouſto Poloniæ Duce*, brevì liberum dimiſit, paternæque ditioni reſtituit. *Brzetislaus & Sobieslaus* metuentes iram Principis, in Auſtriam ſeceſsêre. Anno 1128. *Luderius Rex* (verba ſunt Jaroslai) *in die Paſcha, levavit de fonte baptismatis filium Ducis Sobieslai* (Wladislaum) *factique ſunt intimi amici: cui parvulo poſt confirmationem, filius VVigberti* (Henricus) *poſt exitum vitæ ſuæ, promiſit totum Feudum ſuum* (Luſatiam infer. & ditiones aliquas in Saxonia) *adſtantibus ibidem primatibus Saxonum.*

brevì tamen dimittit: Daubraſ. l. 11. Hageh an. 1126. Glaciograph. lib. 2. cap. 2.

Jarosl. in MS. Chron. continuat. Coſmæ ad an. 1128. Daubr. lib. cit.

Quamvìs autem *VVratislaus* ditioni ſuæ reſtitutus, Sobieslaóq; reconciliatus eſſet, non tamen in integrum deflagrârunt æmulationis ac invidentiæ incitamento nata odia, quæ demum ſubſequente anno, velut tempore aucta, in novum eruperunt diſſidium. Quippe *VVratislaus* ægrè ferens, captum antea *Brzetislaum juniorem Svatopluci ducis filium*, (*Sobieslaus* alter Svatopluci filius, fratre cautior, ad *Lotharium* qui ſub id tempus *Norinbergam* obſidione premebat, conceſſerat,) & primò in arce *Donin*, deinde in *Jaromir* carceri incluſum teneri: nunc verò rurſus *Brzetislaum ſeniorem* (hunc aliqui *Conradi I. Bohemiæ Ducis*, alij *Ottonis I. Marchionis Moraviæ filium* eſſe putant) unà cum *Conrado Leopoldi filio*, abripi in vincula, & illum *in caſtellum Dieczin, hunc in Luſatiam ad Henricum filium VVigberti* ſub acerrima cuſtodia abduci videns; primò contra muſſitare, dictáque omnia & facta Sobieslai coram familiaribus, gravi obtrectatione ſuggillare, ac demum palàm deteſtari cœpit. Quo cognito, *Sobieslaus* ad dignitatem ſui nominis, & ſecuritatem provinciarum id pertinere ratus, ſi ejusmodi elatos ſpiritus *VVratislai*, antequàm in nervum erumperent, iri oppreſſum maturaret, aſſumptis trecentis equitibus, in Moraviam quàm citiſſimè perrexit, ut famâ de ſe nullâ præveniente, *VVratislaum* nil tale opinantem eò faciliùs opprimeret; quem cùm apprehendiſſet, in exilium miſit. Hæc inter agnatos Duces odia, non poterant eſſe, niſi ſubditis populis luctuoſa perniciosáque, præſertim viris illuſtrioribus: nam ſi quis eorum etiam rumoretenùs inſimulatus eſſet, foviſſe partes adverſas, mox injecto onere catenarum, quaſi jam crimine læſæ Majeſtatis reus trahebatur; & delatore urgente, vel nullo, quaſi ſufficiente hoc ſolo, quod nominatus eſſet, aut delatus, aut poſtulatus, capite, vel mulctatione bonorum damnabatur. Inter quos *Myroslaus*, præcipuus in Bohemia dynaſta, unà cum fratre *Strezymiro*, pulſatæ Majeſtatis reus, delati, manibus & pedibus periêre abſciſſis; & *VVicemilus* nobilis adoleſcens, aliíque ejusdem *Myroslai* propinqui, diro mortis genere oppetiverunt, *Sobieslao Principe*, omne quidquid etiam dubium deferebatur, aut falſum, pro liquido accipiente & comperto. Et quia præ alijs, *Brzetislaum ſeniorem* habebat de affectato Principatu ſuſpectum, ut ei cupidinem hujusmodi omnem præſcinderet, viſu miſerum

quem magis poſtmodùm inſoleſcentem,

Jarosl. cit. MS. Chron. Boh. ad an. 1129.

Jarosl. ad an. 1129. denuò comprehendi, & in cuſtodiam tradi curat.

Sobieslaus in conjuratos auſterè nimis inquirit:

è præcipuis non paucos de medio tollit: Jarosl. cit. an. 1130. 2. Cal. Junij.

ſerum privavit. Jámque tunc manifeſtè apparuit, Sobieslaum in ea cataſtrophe rerum, *multùm* fuiſſe *mutatum ab illo*, & ab ingenio miti & placabili, degenerâſſe in turbidum, ſuſpicioſum, crudele & ſanguinarium.

Jaroſl. cit. an. 1130. 2. Cal. Junij.

Cùm deinde ſat eſſet funerum, ſat ſupérque irarum, ceſſantibus malignarum ſuſpicionum fomentis, Sobieslaus ad mitiora reverſus, *Brzetislaum*, fratrémque ipſius *Sobieslaum juniorem* tum ab Imperatore reverſum ſacramento priùs fidelitatis adſtrictos, in gratiam recepit, iiſque *ditionem Litomiſslenſem*, oppido & vicis circumjacentibus permultis opulentam, tradidit. Nec multò poſt, quòd militiæ rebus præ alijs tenerentur, illum unà cum ipſius fratre juniori Wenceslao, Svatopluci Ducis minimo natu filio, ſibi ſemper fideli, Regi Hungarorum *Stephano II.* cùm *Emanuele Græcorum Imp. anno 1129.* bellum gerenti; hunc Cæſari *Spiram* tunc rebellem obſidenti, cum ſelectiſſimo robore militum, in ſubſidium miſit. *Wratislaum* quoque & *Cunradum* carcere miſſos fecit; & ut deinceps cum cæteris quoque agnatis haberet firmiorem amicitiam & pacem, *Jaromiro* etiam *Borzivogij fratris defuncti filio*, *Gemnicium* urbem eâ tempeſtate valde celebrem, cum vicino territorio contulit: quem deinde anno 1132. cum *trecentis Equitibus* egregiè inſtructis, ac potiſſimùm *Nobilibus Bohemis & Moravis*, *Lotharium*, *Romam pro capeſſenda Imperij Corona, aliiſque de cauſis proficiſcentem comitari juſſit.*

ad mitiora tandem converſus, cum agnatis Principibus amicè de omnibus tranſigit:

Bonfin. Rer. Hungar. dec. 2. lib. 6. an. 1128. & ſequ. Addition. apud Lambert. Schaffnab. Dodechin. in Append. ad Marian Scot. Adlzreitt. in Annal. Bojor. part. 1. lib. 20. §. 15. & ſequ.

ditiones paternas, & alias ijs poſſidendas attribuit.

Cæterùm *Brzetislaus*, pace Stephanum inter & Imperatorem Græcorum factâ, deſiderio viſendæ *Terræ ſanctæ* tactus, fratrem cum copijs ſibi concreditis *Sobieslao* in Bohemiam remiſit; ipſe verò *caſtra Græcorum ſequutus*, *Conſtantinopolim*, ac inde *in Palæſtinam cum familiarioribus ſe contulit.* *Wenceslaus* verò juvenis, paulo poſt, *quartanâ febri excoctus*, verba ſunt Jaroslai, *pridie Cal. Martij an. 1130. expiravit.* Redux è peregrinatione Hieroſolymitana *Brzetislaus*, templum & *cœnobium Litomiſslij, in honorem Divæ Virginis*, in editiore ſupra oppidum loco, propè Ædem ſuam ſumptuoſiſſimo opere erexit, cenſúque ampliſſimo locupletavit: quod ex ſimilitudine ſitûs, *Montem Oliveti* dici voluit, ínque illud *Canonicos Regulares Ordinis Præmonſtrat.* vivente adhuc *Sancto Patre Norberto ejuſdem Ordin. Fundatore* induxit: quod ſvaſu *Sobieslai fratris* feciſſe, qui eidem *Fundatori Spiræ*, *dum in Archi-Epiſcopum Magdeburg. à Cæſare inaugurare tur*, anno 1127. innotuerat, déque ejus ſacro inſtituto didicerat, probabile eſt.

MS. Trebic. MS. Continuat. Coſmæ Canonicus Prag. Scriptor coæv. in Chron. Prag. ad an. 1132.

Brzetislaus Svatopluci filius in Palæſtinam proficiſcitur: Redux in Bohemiam, templum & Monaſterium Litomiſslij extruit, quod Montem Oliveti indigitat, an. 1132, *ex MS.*

Brevibus porrò hìc mihi id attingere liceat: non ignorare me, aliter hæc â rerũ Bohemicarum Scriptoribus, de fundatione prætacti cœnobij referri: quorum tamen fidem, literæ Ducum & Regum, jura ejuſdem cœnobij, privilegia, donationes, libertates & his ſimilia confirmantes, ê quibus nonnullæ mihi authenticæ, & ùt vulgò dicimus, in originali, ſigillis penſilibus adhuc integris, præ manibus ſunt, planè elevant. Nam in his, ac imprimìs à *Wladislao Rege*, Pragæ, per manum *Gervaſij Cancellarij*, *& Præpoſiti Wiſſebradenſ.* 13. Cal. Febr. anno 1167. datis, *Brzetislaus* (de quo hìc agimus) *cœnobij illius Fundator*, *& Sobieslaus dux* (ſive is ſit *Brzetislai frater*, ſive *Bohemiæ Dux atque Interrex* tunc imperans) *Amplificator* expreſsè nominantur: *Henricus* verò *Zdyk Epiſco-*

Aliorum Scriptorum circa fundationem ejusdem Cœnobij ſententia refellitur. *ex Archiepiſcopat. Litomiſsl.* cujus pars *ſervatur in Curia Switawiæ, in Moravia: & major adhuc, ùt audio*, Litovelij.

Balbin. in l. 3. in Not. cap. 9. ad init. Epitom. rer. Boh.

Epiſcopus Olomuc. ortus quoque ipſe ex Przemyslæo genere, quem aliàs Bohemici ſcriptores Fundatorem perperàm aſſerunt, quos & ego *Prodromo Moravograph.* ſum ſequutus, uti id ipſum in me notat Balbinus, non niſi *Benefactoris*, titulo inſignitur: eò quod, cùm defuncto *Brzetislao, & Sobieslao in ſecunda Lotharij Imp. expeditione Italica anno 1136.* maligna febri extincto, *ditionem Litomiſſl. à Sobieslao Duce VVladislai Regis anteceſſore* dono accepiſſet, aliqua eidem cœnobio in villa *Lozie* tranſcripſit. Sed ad viam.

CAPUT IV.

Continuatio bellorum & calamitatum in Moravia, usque ad annum 1150.

VVenceslaus Marchio Moraviæ Fundator Cathedralis Eccleſiæ S VVenceslai Olomucij moritur, an. 1130. 1. Maji. Brzetislaus ejus filius.

ANno 1130. *VVenceslaus Marchio Olomuc.* moritur. Hic paulò ante obitum, *arcem ſuam Olomucij* ſacris uſibus deſtinavit, *fundatâ Eccleſiâ Cathedrali in honorem S. VVenceslai Martyris;* ad quam, Sedem Epiſcopalem, quæ antea in præurbio, ad ædem SS. *Petri & Pauli* humilem & anguſtam fixa erat, tranſtulit, ipſéque cum *Henrico Præſule Olomuc.* cognato ſuo, angularem pro fundamento Templi lapidem poſuit. Et quanquàm abſolvere tantum opus, interveniente morte, non potuerit, *filio tamen Brzetislao, quem Henrici Præſulis tutelæ commiſit*, pecuniam ad perficiendum ædificium abundè ſufficientem reliquit. Sequutus ipſum, mox anno proximo quoque eſt, longi morbi pertinaciâ abſumptus, *Stephanus II. Rex Hung.* poſt quem, cùm *Bela cæcus Almi defuncti filius* regnare cœpiſſet, & in eos qui *Colomano & Stephano* ſcelerum omnium auctores erant, & quorum conſilijs ipſe excæcatus eſſet, ſæviri inſtinctu conjugis juſſiſſet; (è quibus deprehenſi, *alij membris omnibus truncati, alij ſtrangulati, alij quoad viverent, ad carceres damnati, reliqui in exilium ejecti ſunt*) occaſionem magnæ ſeditioni præbuit, quæ & *Moraviam* haud mediocri turbine concuſſit. Nam exulum & aliorum, qui metuentes vitæ, Patriam deſerebant ſpontè præcipui, *in Poloniam & Ruſſiam* delati, in id totis incubuêre animis, ut earum partium gentes *contra Belam* concitarent. Erat tum in Ruſſia, *Borich ex Colomani altera uxore, Ruthenâ genere natus;* quam tamen idem in adulterio deprehenſam, ipsóque *Borichο* gravidam, repudiaverat. Hunc igitur conatibus ſuis idoneum ducem arbitrati, & quòd cognatione regium genus attingeret, *Boleslao* primùm *Poloniæ duci*, *Borichi avunculo*, deinde etiam *Ruſſis* perſvaſerunt, *Hungaros cæci Regis pertæſos Borichum tanquàm legitimum hæredem* magno deſiderio expectare, nec quidquam ad ſeditionem populo, quàm ducem deeſſe. Eorum itáque hortatu & precibus motus *Boleslaus*, magnum conflavit exercitum, & aſſumptis *Ruſſorum auxilijs*, in Hungariam contendit.

Motus civiles Hungarici,

Moraviam quoque concutiunt.

Borich, qui ſe pro filio defuncti Colomani Regis gerebat, Polonorum & Ruſſorum innixus auxilijs, Belam II. Regem ſolio deturbandum ſuſcipit.

Belæ partes Auſtriaci, Bohemi & Moravi tuentur.

Pro parte *Belæ Regis*, ſtabant *Leopoldus Marchio Auſtriæ, & Sobieslaus Bohemiæ Princeps.* Ille ſtatim ad primum imminentis belli nuncium, *Albertum*

Digitized by Google

tum filium, qui ſororem *Belæ natu minorem* habebat uxorem, cum copijs inſtructiſſimis ad Hungariæ & Poloniæ confinia ire juſſit: hic verò *VVratiſlaum & Cunradum Marchiones Moraviæ* miſit, ipſemet Sileſiam ad diſtrahendos Polonos armis infeſtis petiturus. Jam *Poloni* regionem *Scepuſienſem* ingreſſi, caſtra inter *Tarciam & Hervatum flumina* poſuêre. *Hungari* verò *Regi Belæ* fideles, duce *Mykſâ*, *Tornæ* mœnibus adeò in propinquo conſederant, ut exercitus è foro oppidi, neceſſarijs rebus comparandis uteretur; auctique auxiliaribus copijs, quas *Albertus* adduxerat, haud dubiam victoriam, ſi modò pugnæ copia daretur, ſibi pollicebantur. Ergò ſequenti die, Sole oriente, copias omnes caſtris eduxerunt, eo conſilio, ut patenti in campo, cum *Boleslao & Boricho* collatis ſignis confligerent.

Borichi & Boleslai Poloniæ Ducis in Hungariam adventus: quibus Hungari obviam progreſſi, fortunam prælij tentare conſtituunt.

Quamvis autem *Albertus*, intellectâ hoſtilis exercitûs magnitudine, ſvaſiſſet prolixis verbis, non priùs in aciem producendas copias, rémque ferro decernendam, quàm *Moravorum*, & aliorum auxilia adeſſent: *Hungaris* tamen perſvadere nequaquam potuit, ut dilato aliquantiſper prælij caſu, vel tantillum moræ admitterent; quippe univerſi inani quâdam & fatali certaminis aviditate correpti videbantur, adeò ut etiam quidam feroculi dicere non dubitarent, perſtringendo per hoc obiter Auſtriacos: ſi qui tantoperè cuti ſuæ timerent, eos optimè facturos, ſi quamprimùm eo quo venerant itinere recederent, vel ſe *Tornæ* propinquis mœnibus egregiè tuerentur. Quod dictum utique amarum, *Albertus* primò indignè tulit; poſtea tamen motis leviter humeris ſubriſit, & quaſi futuri mali præſcius, temeraria hæc atque ancipitis pugnæ conſilia fatali obſtinatione animis Hungarorum infixa, certiſſimâ clade fore expianda palàm aſſeveravit. Et ne â prælio abhorrere videretur, ſuos cohortatus eſt, ut ſicuti prioribus bellis in Germania pro *Lothario Imp.* geſtis, egregiè feciſſent, ita audendo, atque ſtrenuè agendo, virili expeditóque animo hoſtes adoriri, & qualemcúnque fortuna belli finem dederit, experiri conarentur. Ex adverſo *Boleslaus* validâ ad cuſtodiam caſtrorum manu militum relictâ, dextrum cornu cum *Polonis & Hungaris exulibus* ſibi deſumit; in ſiniſtro *Borichum & Ruſſos* curare jubet; ac utrúmque cornu nonnullis peditum agminibus firmat. Tum equitibus levioris armaturæ, qui veterani omnes & varijs prælijs exercitati erant, ut ſublato clamore procurrant, hoſtésque laceſſendo initium pugnæ faciant, altâ voce pronunciat. Nec *Hungari* quicquam cunctati, irruentium impetum ſtrenuè excipiunt: unde atrox imprimìs, & cruentum certamen oritur, ſuccendentibúsque è veſtigio *Auſtriacis*, fortiſſimè utrinque concurritur, ita ut utrisque pertinaci animo pugnã miſcentibus, ad Meridiem usque conflictus protraheretur, pendente victoriæ eventu. Ultimò quùm *Boleslaus* ſagittariorum aliquot cohortes, quas ad ſubſidia caſtrorum reliquerat, acciri, & omni genere telorum *Hungaros & Germanos aſtu, labore ac vulneribus feſſos*, petere juſſiſſet, tum omni victoriæ ſucceſſu deſperato, Hungari terga vertere, palantésque & effusè fugientes dilabi cœperunt. *Albertus* nonnihil diutiùs reſtitit, ſed cùm Polonorum im-

Albertus Leopoldi Marchionis Auſtriæ filius, prælij aleam tentandam negat; antequàm Moravorum copiæ conjungantur.

Sed Hungari ſtolidè feroces, vel invito Alberto, pugnam decernunt.

Albertus tametſi futuræ clădis præſcius, ſuos nihilominùs ad fortiter agendum hortatur.

Boleslaus aciem inſtruit

Concurritur;

Nutante diu victoriâ,

Hungari tandem profligantur;

Digitized by Google

petum tolerare ampliùs non poſſet, ipſe quoque *Tornam* versùs ſe recepit, quò incolumis, ac inde *Filekum* pervenit.

Boleslaus victoriam tardiùs, quàm par erat, proſequutus,

Hungaris reſtaurandis copijs ſpatium præbet.

Inter hæc cognitâ Bohemorum in Sileſiam irruptione, eò cum ſuis citatis paſſibus contendit.

Eâ partâ victoriâ poterat *Boleslaus* negotio facili, protuliſſe ſigna, *ad Danubium usque*, ſi poſthabitâ omni morâ curſui victoriæ inſtitiſſet: ſed illo & ſequenti die militum quieti indulgens, victis ſpatium dedit recolligendi diſperſas vires; qui inſuper recentibus Hungarorum, *duce Gaabo & Bathorio*, copijs opportunè aucti, & *de Moravorum auxilijs* propediem adfuturis edocti, novo inſultare victoribus auſu non dubitârunt. Minutioribus tamen utrinque prælijs res deinceps agebatur: donec *Boleslaus*, cognito *Sob eslaum Bohemum* excurſionem feciſſe *in Sileſiam, & VVratislavienſem tractum igni ac ferro vaſtare licenter*, defendenda potiùs propria, quàm vindicanda aliena cenſuit; relictóque *Ruſſorum exercitu cum Borichbo*, ipſemet per aſpera *Carpathi juga*, magnis ac difficillimis itineribus, adversùs *Sobieslaum* contendit. Verùm *Sobieslaus* de adventu *Boleslai* tempeſtivè certior factus, ſatisque ſibi gloriæ & lucri eâ expeditione factum ducens, quod *Polonum* ab infeſtanda Hungaria deſiſtere coëgiſſet, *Glacium* ſe cum præda recepit. Jaroslaus hoc, ùt ſolet, comprehendit paucis: *Anno 1132. Dux Sobieslaus, Dei miſericordiâ, precibúsque S. VVenceslai munitus, Poloniam cum exercitu ſuo XV. Cal. Novembr. intravit, totámque partem illius regionis, quæ Slansko vocatur, penitus igne conſumpſit. Multos etiam captivos cum innumera pecunia, nec non indomitarum equarum greges non paucos inde ſecum adduxit: & ita Dei gratiâ favente, cum ingenti triumpho atque tripudio repatriavit.*

Polonorum conatus irriti.

Conabantur poſtmodùm *Poloni* injuriam hanc ulciſci, fixiſque ad confluentem *Niſſæ & Biela* caſtris, excurrere in *Bohemiam* vel *Moraviam* moliebantur; ſed ſuperveniente nimboſo ultra ſolitum autumno, ac frequentibus imbribus prohibiti, remeârunt ad ſua. *Borich quoque poſt diſceſſum Boleslai, nil ampliùs tentare auſus, in Ruſſiam redijt.*

Cromer. rer. Polon. lib. 5. Daubraš. l. 11. Hagek. Boregk. an. 1132. Jarosl. an. cit. & ſequ.

Borich in Ruſſiam redit.

Boleslaus tentato fruſtra ad pacem Sobieslao Bohemorum duce,

Sequenti anno, qui erat 1133. (verba ſunt Jaroslai) *XVII. Cal. Febr. acer Dux Sobieslaus, ſecundò Poloniam invaſit, eámque inſigni trophæo devaſtavit, multos inde captivos abduxit, villas ferè trecentas ſuccendit: tandem cum victoria, Deo præſtante, ad propria remeavit.* Qua de cauſa, acrioribus multò, quàm antea partium animis, recruduit bellum. Nam etſi *Boleslaus*, miſſis ad *Sobieslaum* legatis, eum monuerit veteris amicitiæ, & beneficij ſibi quondam, exilij tempore, in *Polonia* præſtiti, exindéque ad pacem, ſi modò *Sobieslao* non diſpliceret, inclinari videretur: interea tamen per omnes provincias ſuas delectum continuavit, totámque hyemem in apparatu bellico traduxit: ac demum *cùm Sobieslaus, non niſi Belâ Rege quoque comprehenſo, pacem vellet*, quod nequaquam probabat ille, qui *Belam excluſum* cuperet; copias univerſas trifariam diviſit, partémque *in Sileſia* pro tutela limitis reliquit, partem *in Moraviam* excurrere juſſit, cum reliquis ipſe *in Hungariam* contendit. Cúmque ex itinere *Borich*, novo exercitu, qui potiſſimùm ex *Ruſſis* conſtabat, magnóque *Hungarorum exulum* numero ſtipatus, ſe ei adjunxiſſet, quaſi jam de victoria certus, proſpera & facilia cuncta ſibi inani jactan-

partéque exercitûs pro præſidio Sileſiæ relictâ, bellum Hungaricum redintegrat; cum Borichbo & Ruſſis in Hungariam movet.

Digitized by Google

jactantia promittebat, id palàm & crebrò ingeminans: adeſſe jam occaſionem *Hungarorum gentem, vel perpetuo obligare beneficio volentem, vel tributariam facere recuſantem.*

Interea dum jam tertijs caſtris in Hungaria pedem figit, ac rei gerendæ cupidus, *Krasnaborcæ* oppido appropinquat, nuncijs edocetur certis, *Bohemos magnâ iterumcum potentiâ Sileſiam ingreſſos*, impunè per omnia graſſari, milite pro præſidio Provinciæ relicto, partim cæſo, partim disjecto, neq; ampliùs ad ſuſtinendum hoſtium robur ſufficiente. Ab ijs verò, quos contra Moravos ire juſſerat, præter ſpem omnia remiſſiùs agi. Tunc fremens ac frendens, iráque & odio exardens, ignaviam ſuorum cum ſumma verborum acerbitate deteſtabatur: duces, quos exercitibus illis præfeciſſet, *perfidos, imbelles ac ſceleratos identidem appellans.* Incuſatáque fortunâ, quæ in præſens improba & fallax conatus ſuos eluſiſſet, deſiſtendum â bello Hungarico, rebúsque ſuis maturè proſpiciendum neceſſe duxit: fruſtra obteſtante *Boricho*, ne rebus hactenus proſperè felicitérque fluentibus, inſtituta proſequendi belli Hungarici conſilia intermitteret, & poſthabitâ pulcherrimâ pronâque rei benè gerendæ occaſione, domum redire vellet. Tranſmiſſis itáq; celeri curſu *Grano & Vago fluminibus*, poſtquàm arduos *montes, qui Moraviam ab Hungaria diſterminant*, ducentibus per notos calles montium accolis, ſuperâſſet, *in Moraviam* ab ea parte, quâ minimè timebatur, ex improviſo irrupit, atque irâ vindictáque cupidine flagrans, quacunque tranſibat, cuncta fœdè populatus eſt; ac longè adhuc fœdiùs licentiúsque, dum *VVratiſlaum & Brzetiſlaum Marchiones*, qui pro cuſtodia limitis Aquilonaris, ubi aliàs majus ingruebat periculum, ſtationem tenebant, nec opinatò adortus, prælio fudit: tum enim obvia quæque, ut par pari referret, flammâ ac ferro vaſtando populandóque, totum illum *Olomucenſis territorij Borealem tractum* liberè percurrit, totósque tres dies impunè graſſatus, tantam prædam congeſſit, nemine prohibente, ut ei aſportandæ vix currus & jumenta ſufficerent. Cujus rei ſucceſſu ferox, ultra adhuc progredi, trajectóque Moravâ, *Olomucij mœnibus*, quòd Brzetiſlao cum ſelectiſſimo juventutis robore abſente, urbem rebus neceſſarijs non ſatis munitam, imò præſidio penè nudatam exploratione certâ didiciſſet, terrorem incutere voluit: alijs tamen ducibus, id nequaquam probantibus, cùm & nuncijs afferretur certis, *Cunradum Marchionem Znogmenſem, cum Alberto Marchione Auſtriæ*, ex Hungaria adventare, nec abeſſe jam procul; antequàm prælio novam periclitaretur fortunam, pedem referre maluit, & convaſatis prædarum cumulis in *Poloniam* continuatâ profectione revertit.

Borich verò etſi primùm *Boleslai diſceſſu haud mediocriter perturbaretur*, ita ut etiam de maturo in tutiora receptu agitare cum ſuis conſilia inciperet; hortatu tamen eorum, quos vel Belæ odium ei conciliabat, vel ſpes prædæ retinebat, fortunam, quam, cùm *Auſtriacos & Moravos, Belam deſeruiſſe* percepiſſet, haud difficilem ſibi vanâ ſpe pollicebatur, experiri conſtituit. At *Bela*, ùt causâ, ità belli aleâ ſuperior evaſit: *Borichum* prælio fudit, qui amiſſo exercitu, vix fugâ evaſit.

verùm ex itinere, nuncijs de nova Bohemorum in Sileſiam irruptione referentibus, revocatus,

â ſuſcepta præſenti expeditione deſiſtere cogitur;

Summáque celeritate uſus, iter per Hungariam, Moraviam versùs, arripit:
in Moraviam ex improviſo irrumpit;

igni & ferro in obvia quæque ſævit:
prædas undique agit:
Olomucio vim inferre molitur.
Tandem Moravis ad arma concurrentibus.
in Poloniam cum ingenti præda ſe recipit.
Cromer. cit. Curæus in Annal. Sileſ par. 1. Dubr. Hagek.

Borichi in Hungaria clades.
Thuroc. in Chron. Hung. part. 2. cap. 64. Ens rer. Hungar. l. 2. de R... Centuria II. rer. Hungar. MS. Chron. Hung. an. 1133.

 Poſt

Moravi Polonos domum cum præda feſtinantes inſequuntur:

magno ulciſcendi ardore in Poloniam penetrant;

Poſt hæc, quiete Hungaris in eum modum conceſsâ, *Mars cruentus* in ſocios partium, ictò jam antea odij & maleficij ſemine, tranſtulit ferales motus. Nam *Moravi* illata â Polonis damna ultum ire cupientes, mox ubi *Cunradus & Albertus* veniſſent, conjunctis viribus premenda hoſtium veſtigia ſuſceperunt. Ex itinere in Polonos quoſdam hinc inde palantes, & adhuc cogendis prædis intentos inciderunt, captóſque *ad Cunradum* perduxerunt: â quibus *Boleslaum* uno antè die, *Osventzino*, cum potiore parte prædarum, rectà *Cracoviam*, ſecundo Viſtulâ trajeciſſe cognitum eſt; adhuc tamen ſupereſſe in citeriori *VViſtulæ* ripa, magnam carrorum & impedimentorum multitudinem, cum captivis, & maximâ omnis generis præda, ad quorum cuſtodiam vix mille equitum eſſe relictum, qui non dum tranſijſſent. Mox igitur promota caſtra *Pleſſam* verſus. Nec mora, *Cunradus* aſſumptis ſelectioribus equitum turmis, unà cum aliquot expeditioribus peditum manipulis, in hoſtes tranſitu prohibendos ducit; quos ſubitaneo impetu adortus, in fugam conijcit; aliquos capit, cæteros usque ad *Osventzinum* propellit: prædâ gravioris ſupellectilis receptâ totâ, unà cum captivorum numero haud contemnendo. Eodem tempore, etiam *Sobieslaus*, Odrâ trajecto, ad *Bitomam* usque populabundus pervenit; & niſi interceſſiſſent ſolito frequentiores imbres, quorum tanta ſeſe ſuperinfudit copia, ut intumeſcentibus ſub illa inundatione etiam exiguis rivulis, ager omnis & campi aquis innatarent, & itineribus profundo impeditis cœno, miles ultra proficiſci nequaquam poſſet: (quod vel ipſis etiam Polonis, iter cum prædarum cumulis maturare in tutiora conantibus, non parum difficultatis & moleſtiæ faceſſebat:) parum abfuit, quin *ad ipſam Cracoviam* infeſta protuliſſent ſigna: ſed ne magis cum aqua & aëris cœlique injurijs, quàm cum hoſte luctari cogerentur, ad propria receſsêre.

Polonos profligant: prædarum partem haud mediocrem recipiunt.

Daubrab. l. cit. Hagek. Dalimil. MS. Annal. Trebic. Boleslaus in bellum Bohemicum vires majores comparat;

Bohemiam vaſtabundus adoritur.

brevi tamen, in ſe convertenda Bohemorum tela non vanè auguratus, retrò in Sileſiam ſe proripuit: à Bohemis funditur. Bohemi Sileſiam devaſtant:

Ergò *Boleslaus* videns bellum præſens eò usque exarſiſſe, ut ſummis viribus illud proſequi neceſſe eſſet, ni hoſtibus prædæ eſſe vellet, copias quàm potuit maximas per hyemem collegit: & priusquàm *Bohemus* augeretur novo milite, qui uti fama ferebat, in *Bavaria & Luſatia* conſcribebatur, *Bohemiam* primo quoque tempore invadere ſtatuit; partéque exercitûs pro tutela Sileſiæ ſuperioris relictâ, *ad reprimendos Moravorum excurſus*, cum reliquis ſtatim primo vere, ducto per *Sambienſem tractum* itinere, ac *montibus, qui Bohemiam â Sileſia diſterminant, celeriter transmiſſis*, plagam eam Bohemiæ, quâ *Trutnovium, Nachodium, Bidzovium, Jaromerium* aliáque oppida continentur, ingreſſus, eam rapinis, cædibus & incendijs crudeliter defœdavit. Non diu tamen in hoſtico morari auſus, paucos poſt dies, eâ quâ venerat viâ, *in Sileſiam* ſe recepit, veritus id quod erat, ne *â Glacenſibus, & Moravis Glacenſi territorio viciniorıbus*; aut *à Luſatijs, qui Bohemis opitulatum* magno numero adventare dicebantur, reditus ſibi præcluderetur. Quo facto, belli totius molem *in Sileſiam* traxit; quam ſuſtinere minimè valens, & non multo poſt gravi prælio cæſus, & in fugam actus, liberum permiſit Victori, populationibus & incendijs, *cis & ultra Oderam* graſſari prælicenter, *toto illo Sileſiæ ac Poloniæ tractu*, in tantam vaſtitatem adducto, ut ex omnibus

bus pagis, & oppidis, ne unum quidem integrum ſuperfuiſſe memoretur. Jaroslaum audiamus: *Anno 1134. Polonia malè fortunata, ſæpiùs à Bohemis & Moravis depopulata, rurſus ab utrisque aditur, atque hoſtili manu diripitur. Sed de Bohemis, præter Gradicenſes, Chrudimenſes, Boleslav. Czaslavv. & Gladcenſes, plures non fuerunt.* Et iterum. *Interea Bohemi quieti ſubjacere neſcij, IV. Cal. Martij, & fortè Quinquageſima Feriâ II. evenerat, Poloniam ingreſſi, licèt ſine Duce Sobieslao, prædam tamen tantam inde reduxerunt, quæ omnium Bohemiæ Ducum prædas, quas in Polonia fecerunt, exſuperat.*

Jarosl. cit. an. 1134.

Inter hæc *Boleslaus* nequaquam animo dejectus, id potiſſimùm, ut ſuos poſt improſperæ pugnæ ſtragem, fuga hinc inde dilapſos colligeret, ſummo ſtudio egit: auctúsque *copijs per filios, VVladislaum & Boleslaum, ex Culmenſi, Maſovienſi & Lublinenſi regionibus adductis*, excurrentium impetum nonnihil repreſſit; ac non multò poſt, accurrentibus etiam *Caſſubiorum Pomeranorúmque auxilijs*, congreſsúque feliciter inito, retrò Odram depulit. Intervenientibus poſtea utriúsque gentis proceribus, cùm plerique dolerent populos cognatos, ita ferociter ruere in mutuam perniciem, induciæ ad unum annum pactæ ſunt: quæ demum opera *Lotharij Imp.* qui hoc ipſo anno, *Plſnam Bohemiæ urbem venerat, Sobieslai amiciſſimi Principis inviſendi gratia*, ad triennium prorogatæ, ac tandem familiari colloquio *Glacij, in feſto Pentecoſtes, anni 1137.* præſentibus cunctis Principibus cognatis, celebrato, tranſactione perpetuæ pacis firmatæ, optatam tranquillitatem publicam, non tantùm *Bohemiæ & Moraviæ*, ſed vicinis quoque Provincijs reſtituerunt.

Sed à Boleslao recentibus copijs aucto reprimuntur.
Bohemorum cum Polonis induciæ, *Jarosl. an. cit. Daubraſ. l. 11. Pulkawa ad an 1134. Anon. MS. Chron. Bohem. an. eod.*
& Pax *Cromer. lib. 5. Daubraſ. l. 11. Miechoſ. lib. 3. cap. 15. Hagek. Boregk. Curæus Spangenb. in Chron. Saxon. c. 218.*
Sobieslaus Dux Bohemiæ obit an. 1140 die 13. Febr. Fundator Monaſterij Siloenſis Ordin. Præmonſtr. in Bohemia.

Abhinc quieta permanſêre omnia ad annûm 1142. quo rurſum excitatum eſt *bellum civile atrox*. Nam *Cunradus Marchio Znogmenſis*, Princeps quantum bello optimus, tantum pace peſſimus, immodicus gloriæ, inſatiabilis ac ſemper inquietus, ægrè ferens *poſt obitum Sobieslai anno 1140. defuncti, VVladislaum VVladislai Ducis filium*, ſe ætate longè inferiorem, arripuiſſe Bohemiæ ſceptra, *Cunradi III. Imp. qui Lothario ſucceſſerat* commendatione magìs, quàm Bohemorum procerum favore aut gratiâ; in id incubuit totus, ut ipſum ſolio deijceret, ſibique Regnum vindicaret. Quia tamen *VVladislaus*, mox initia regiminis firmaverat ſibi *per affinitatem Cæſaris, ſorore ejus Gertrude Divi Leopoldi Marchionis Auſtriæ filia, quam de Agnete, matre ejusdem Imp. & filia Henrici IV. Imp. genuerat*, ductâ in conjugem; difficile fuit ea proſequi, quæ altiùs, quàm viribus poſſet, ſemet extollens, vaſto turbulentóque animo concepiſſet. Proinde ſolicitè cuncta reputans, formandis in rem ſuam conſilijs, multum impendebat laboris: donec hortatu quorundam Bohemorum, qui novarum rerum cupidi, ad movendum loco *VVladislaum* occaſionem quærebant, exſtimulatus, & ſvaſu quoque *Ottonis III. qui erat Ottonis II. cognomento Nigri, ad Chlumecium occiſi minor natu filius, & cui VVladislaus anno 1141. provinciæ Olomuc. partem, ad Henrici Ep. interceſſionem, & Brzetislao patruele favente, tenendam fruendámque conceſſerat*, multùm concitatus & erectus, in apertam hoſtilitatem erupit. Igitur collecto *in Znogmenſi Provincia* milite, & à *Geyſa II.* novo Hungarorum Re-

Et in Principatu ſuccedit VVladislaus VVladislai Ducis filius; quem Cunradus Marchio Znogmenſ. ſolio deturbare fruſtra contendit.
VVladislaus gener D. Leopoldi Auſtriæ Marchionis, & Cunradi Cæſ. affinis.
Cunradus à quibusdam ſeditioſis Bohemis inductus, & ſuopte etiam ingenio inquies ac turbulentus,

 ge,

VVladislao bellum infert:

ge, cujus amitam defuncti *Alberti Marchionis Auſtriæ viduam* habebat uxorem, aliquot equitum turmis, ſicuti etiam *ab Ottone*, una peditum legione inſtructus, iter in Bohemiam ſuſcepit, perruptóque limite, ipſum Regni caput petijt *Pragam*.

Pragam cum exercitu petit:

Non latuerunt hæc *VVladislaum*, qui coacto quoque exercitu (tametſi aliquantùm tardiùs, quàm exigebat neceſſitas imminens) *Cunrado* obviam proceſſit, acie ad prælium ordinatâ. Jam eo ventum erat, ut non niſi ad teli jactum diſtarent ab invicem; ſigno igitur per lituos ad pugnandum dato, magnis utrinque concurſum eſt viribus, pares enim quodammodo coivêre cum paribus: unde cædes ex utráque parte fiebat ingens, victoriâ per tres horas & ultra nutante, & jam huc, jam illuc inclinante. Sed tanta fuit pertinacia *Moravorum*, ut tandem victoriâ de *Bohemis* potirentur; qui fuſi atque profligati, intra urbis mœnia compulſi ſunt. Erant tum cum Wladislao, *Theobaldus* & *Henricus* fratres, qui ab Hungaris circumventi ægrè ſeſe explicuêre. Ex primarijs verò, ſeu, ùt loquar Jaroslai verbis, ex *majoribus belli ductoribus*, qui perierunt eo prælio, fuerunt: *Naczerad* vir in omni vita, belli paciſque artibus clariſſimus, magnæque apud omnes, uti memorat idem Jarosl. & Hagecius, authoritatis: *Smil* cognomento *Gvviezda*, i, *Stella*, unus ê Magnatibus *ſtelliferis*, poſtea & nunc dictis â *Sternberg*; & *Beneda*, viri ſummo loco nati, ducéſque ſtrenui. Hoc luctuoſæ Bohemorum cladis eventu *Cunradus* lætus, ſucceſsúſque ulteriores operiens ſimiles, modicâ datâ ſuis quiete, copias univerſas bipartitò diviſit. Cum ſelectiori parte ipſemet oppugnationem *Majoris urbis Pragenſis*, quæ nunc *Vetus* dicitur, aggreſſus eſt: cum reliquis *Ottonem Comitem Kaunicenſem* ſpectatæ prudentiæ & fortitudinis virum, caſtrum *VViſſebrad*, quod *Theobaldus* defendendum ſuſceperat, obſidere juſſit. Sed utrúmque irrito conatu; prohibitoribus acriter ad reſiſtendum intentis, tum in arce, loco propemodùm inacceſſo, tum in Urbe, copiâ propugnatorum validè firmata: inſuper auxilia tum *ab Imperatore*, tum *â Luſatijs* propediem ventura nunciabantur.

VVladislaum profligat,

Theobaldus & Henricus fratres VVladislai.

Jarosl. ad an. 1141. MS. Chron. Boh Anonymi an. eod. Hagek an. eod.

Cunradus VViſſehradum, & Pragam obſidione premit.

Nam Imperator, ubi de periculo Wladislai cognoviſſet, *Francofurti ad Mœnum tum temporis Conventum agens*, confeſtim legiones evocavit, coactóque milite, expeditionem in Bohemiam ſuſcepit. Ei *Bambergâ jam moventi VVladislaus occurrit*, deploratam rem ſuam in Bohemia indicans, nî ſuccurratur citò: quare citatiori greſſu profectio inſtituta. Jam *Cunradus*, fruſtra tentato *VViſſebrado*, *Urbéque Majore*, ad oppugnandam Arcem alteram *Baſilicâ Sancti Viti* celebrem, & *urbem minorem* in adverſa fluminis ripa, vires omnes convertit; ſed paulò poſt inaudiens *Cæſarem ad Plſnam appuliſſe cum exercitu*, *jámque procurſatorias. Germanorum turmas circa Beraunam viſas*, obſidionem ſolvit; priùs tamen, ut furori ſatisfaceret ſuo, *Arcem & Urbem* ſagittis igneis peti incendique juſſit; quo miſerabili incendio, etiam *D. Viti* templum, *inſigne Spitibnevi opus*, turríſque campanaria præaltæ ac elegantis ſtructuræ faſtigio conflagravit. Vicinum verò *D. Georgij*, quod *Virgines Veſtales Ord. S. Bened.* tenent, nimiâ atrocitate ignis penitùs corruit.

VVladislaus ad Cunradi III Imp. opem confugit. Cunradus Marchio, edicto VViſſehrado & urbe Majori, Minorem cum Arce S. VVenceslai oppugnat: Sed audito Cæſaris in Bohemiam adventu obſidionem ſolvit: Arcem, urbem & templa ſuccendit:

Faci-

Facinore ejuſmodi peracto, ad dextram rurſus fluminis ripam, ſub vico *Porziczi* tumultuariè caſtra tranſtulit: neque enim tantùm animi habuit, ut Germanos expectandos duceret, quin ultimò, dum etiam *Henricum cum copijs in Luſatia conſcriptis adventare* didiciſſet, rebus ſuis penitùs diffiſus, trepidantique & attonito ſimilis, Bohemiâ excedendum, ac ſibi omninò tutiori conſilio in Moraviam maturè redeundum exiſtimavit. Quippe nec poſtea tutum iter, nec pacatum quicquam, ſi vel parvam adhuc moram traheret, ſe habiturum prævidebat; quandoquidem â tergo etiam habebat, quos timeret: nempe *VVitkovecios*, ſeu *Roſenſes, in Auſtrali Bohemia, quâ Moraviæ obvertitur, plaga*, tum ditionibus, cum clientelis & militibus, quorum haud contemnendum numerum ex ſuo alebant, præ alijs Bohemiæ dynaſtis, eâ tempeſtate potentes. Re igitur ad conſilium delatâ, cùm & præfecti omnes tantulis copijs, ſine juſto peditatu, cum ijs hoſtibus, qui & apparatu utriúsque armaturæ, & numero militum longè ſuperiores eſſent, prælio decertare ſummæ temeritatis eſſe arbitrarentur, collectâ pretioſiore prædâ, *Pragam reliquit, perque regionem Kurzimenſem, citatis paſſibus in Moraviam properavit.*

Germanorúmque copias VVladiſlao auxiliatum undique accurrentes, expectare minimè auſus,

In Moraviam itinere, quo venerat, abit.

At *VVladislaus, cui*, ùt ſtatim *Plſnam* redierat, ſingulis propè horis, *â Pragenſibus*, de ſtatu conatibúsque hoſtium, ac demum etiam de abceſſu, literæ pernicibus nuncijs afferebantur, cùm jam *ad Beraunam* eſſet, Pragam cum expeditiori equitum manu advolat, Cæſare & reliquis lentiori paſſu ſubſequentibus.

Otto Friſing. Epiſc. Auſtriæ Marchio, qui tum temporis vixit, l. 7. Chronicor. cap. 26. Matthæus Poppenheim in Chron. Elvagenſ. an. 1141. Martin. Cruſius part. 2. Annal. Svev. l. 10. cap. 5. an. eod. Hagek. Boregk. & Pulkawa an. 1142. Daubrav. l. 11.

Porrò quâ die *Cæſar Pragam venerat*, eâ ipsâ *Henricus* quoque cum duobus millibus armatorum venit. Cæterùm *VVladislaus* iniquo ferens animo, *Cunradum evaſiſſe impunem*, inſiſtere ejuſdem veſtigijs cum equeſtribus copijs conſtituit; quod & Cæſar probavit. Itáque peditibus Pragæ relictis, cum equitatu univerſo *Henricus* mittitur: qui abeuntem citatiſſimo curſu ſecutus, & extremum agmen in ſaltuoſa quadam valle, *ad Stok oppidum*, propè Moraviæ limitem deprehendens, illud ſine mora invaſit & diſſipavit. *Cunradus*, qui nòn procul inde, in valle alia humilibus arbuſtis obſita, caſtra poſuerat, tametſi milites ob laſſitudinem, atque æſtum torrentis Solis, viribus enervatos intelligeret: nihilominùs quùm non iniquo in loco, & cum ſolis equitibus ſibi rem futuram videret, converſo agmine, ac conſtitutis pro natura loci & temporis exiguitate ſuorum ordinibus, Germanorum impetum fortiter excepit, invectósque equites, prælongis haſtis ſagittisque ſubmovit; apparebátque pedites Moravos phalange factâ, (modicâ licèt) nec ceſſuros loco, niſi *Henricus* trecentos ſagittarios equites induxiſſet, qui per vices, alij alijs turmatim miro ordine ſuccedentes, ingentem telorum imbrem, in conſertiſſimum eorum agmen ſpargerent: quâ procellâ, cùm magnus numerus ſterneretur, neceſſe fuit phalangem ſolvi. Inde *haſtati equites Germani*, quâ diſſipatis cæsíſque peditibus *Moravis*, acies laxabatur, vehementiore illati impetu, cædendo ſternendóque, primum agmen penè totum deleverunt. Exin fit promiſcua paſſim omnium cædes. *Cunradus* in media ſuorum confuſio-

Cæſar Pragam venit.

Henricus frater VVladislai Cunradum abeuntem inſequitur: vi ſummâ adoritur:

profligat, & in fugam vertit:

fuſione ubique conſpicuus, reparare aciem voce & manu conabatur quidem, ſed fruſtra: tanta námque fuit Germanorum velocitas, tanta irrumpendi vis, ut tempus ſpatiúmve, quo ſuos in novum ordinem reduceret, nequaquam habere poſſet. Ergo pronunciari juſſit, ut pedites conglobati in manipulos, ac reſiſtendo quantum poſſent, in vicinos montes ſeſe pedetentim reciperent, eo conſilio, quòd Germanus eques naturæ loci diffiſus, urgendi inſequendique finem eſſet facturus.

ac rei benè geſtæ ferox,

ſuos ad proſequendam victoriam hortatur:

At *Henricus* eo prælij ſucceſſu ferox, actiori magis ac magis impetu tergis fugientium inſtitit, ſuóſque cohortatus, *ne ſpatium evadendi in ardua fugientibus relinquerent, ſed premendo urgendóque inſtarent, ac breviſſimi laboris operam, quâ bellum, vel uno eo prælio finiretur, ſibi ac VVladislao præſtarent;* ipſemet cum ſelectiſſimo globo equitum, per ſtrata Moravorum cadavera, veſtigia fugientium preſſit. Cúmque in eo fervore in ſylvam adeò opacam veniſſet, ut ob denſitatem arborum, ac rupium ardua præcipitia, tranſire ulteriùs equiti tutò non liceret, ut cæteros accenderet, ac ſibi non deeſſe virilem animum, inſigni virtutis facinore edito, teſtaretur, ex equo deſilijt, pedeſtrémque pugnam cum extremo fugientium agmine inijt. Quod cùm audacter nimis faceret, eodémque ardore, hoſtem in profunda ſylvarum perſequeretur, in diſcrimen haud leve ſe & ſuos præcipitavit; adeò, ut partim loci iniquitate, partim Moravis, qui ſalutis ratâ deſperatione extrema arripiebant, inſtantibus, receptui non ſine dedecoris labe dare cogerentur. Et tunc fortuna prælij commutari viſa eſt: ſiquidem *Germani*, qui alio in loco, pulſis disjectiſque Hungarorum turmis, acerrimè præliabantur, *Henrici fugâ* perterriti, extemplò etiam remiſſiùs agere, ſenſim cedere, ac demum converſis equis pugnæ loco cedere cœperunt. Ex adverſo *Cunradus & Moravi*, qui jam plus ſpei in loci munitione ac ſylvis, quàm in armis aut viribus poſuerant, auctis novâ ſpe animis, ex ſylva procurrere, trucique ululatu Germanos ad novum prælium provocare. Itá fortiſſimi equites iniquitate loci, nec non pugnæ itineriſque labore confecti, inſignem certámque victoriam, quam Dux ipſe virtute partam, nimiâ poſtea audaciâ corruperat, Moravis reliquerunt.

ſed dum per opaca ſylvarum fugientium tergis præproperè inſiſtit,

diſcrimini magno ſe committit,

victoriam, quam præſentem habebat, amittit.

Porrò *Cunradus* tametſi à *Kaunicio*, ut victoriâ uti vellet, moneretur, orbatus tamen ſuorum promptiſſimis, & Hungaris equitibus diſperſis, nil ampliùs tentare voluit, ſed datâ modicùm ſuis intra ſylvarum ſepta quiete, beneficio ſequentis noctis tunc lunari ſplendore nitentis, *Iglaviam*, quæ urbs *Spitibnevi Marchionis* fuerat, ſe recepit: quem Germani, poſtquàm diluxiſſet, ſequuti ſunt, quaſi civitatem obſeſſuri. Nihil tamen eorum, quæ obſidium exigebat, in promptu habentes, cùm inſuper murorum ambitum foſſarum ſpatijs immenſis circumdatum, & inacceſſas urbis portas, propugnatorúmque plebem conſiderarent copioſam, ac præterea *Marchionum præſentiam*, digreſſi ſunt exinde per regionem vicinam, quam rapinis & incendijs defœdarunt crudeliter: ſicque ulti magis injurias Wladislao illatas, quàm plenam adepti victoriam, in Bohemiam, ac inde domum quiſque ſuam redierunt.

Cunradus nocte ſequenti Iglaviam ſe recipit. Germani equites regionem Iglavienſem longè latéque vaſtant: in Bohemiam prædis Moravicis abundè ſatiati revertuntur. *MS. Chron. Monaſt. Treb. ad an. 1142. MS. Chron. Iglav. part. 2. an. eod.*

Nec multò poſt *VVladislaus*, cùm benevolentiâ ac humanitate conciliaſſet

liâſſet ſibi, univerſorum Bohemiæ procerum animos, adeò ut impoſterum nemo eſſet, qui non libenter ei obtemperaret, *ad domandam caſtigandámque Cunradi contumaciam*, animum intendit. Habito itáque per hyemem delectu militum, & ex Luſatia iterum evocatâ inſigni equitum manu, tantâ celeritate atque diligentiâ comparavit exercitum, ut ad prima Veris initia aliquantò maturiùs, quàm tempus & viæ â diſſolutis nivibus exundantes ac lubricæ paterentur, vel *Cunradus* fieri poſſe exiſtimâſſet, in Moravorum fines adduxerit: primóque omnium *Iglaviam*, ne quidquam ſuſpecti â tergo relinqueretur, obſidione premendam ſuſcepit: ſub cujus muro conſtitit penè citiùs, quàm ab incolis ſentiretur; & tum ea, quæ poſcebat obſidio, diſponi juſſit. Priùs tamen colloquio pertentandos civium animos judicavit: qui *abſente Spitibnevo*, omníque ſpe auxiliorum in tanta temporis exiguitate deſtituti, & quòd ſupremo Principi refragari nollent, deditionem fecerunt. Exîn Wladislaus, primitijs hujuſcemodi animatus, eò lætior *in interiora Moraviæ* contendit; dextrorsúmque iter flectens, tertijs caſtris *ad Znogmam* venit, exuſtis in itinere compluribus caſtellis & pagis, ê ditionibus eorum, *quos Cunradi partes ſequi non ignorabat*. Ante cujus adventum, *Cunradus* non fidens ſatis mœnibus, in *Auſtriam*, ac inde in *Hungariam* profugit; *Otto* verò temeritatem ſuam, & auxilia Cunrado data ſerò deteſtatus, *ad Henricum Epiſcopum, Principem cognatum*, quo mediatore Wladislao reconciliari poſſet, confugit.

VVladislaus pacatis domî rebus, pœnas â ſeditioſo patruele Cunrado ſumere conſtituit: in Moraviam cum exercitu movet, anno 1143. Iglaviam deditione occupat: Znogmam versùs progreditur. Cunradus diffiſus mœnibus urbe excedit.

Znogma tamen primò reſiſtere Principi auſa fuit, cúmque nec promiſſis ullis flecti vellet, nec minis, prurientibus ad arma civium animis, *VVladislaus* oppugnandi ſuſcepit exordium; parúmque abfuit, quin mox primo impetu ceſſiſſet furori militum, nî cives mutato opportunè conſilio, & ad preces converſi, *ſigno etiam ê turri dato*, copiam popoſciſſent ſermonis cum Principe conferendi. Cúmque juſſu Principis, qui ab avertendo urbis excidio nequaquam erat alienus, miles jam pinnas murorum ſcandens revocaretur, circumfuſi cives per mœnia & turres, vitam cum venia panſis manibus poſtulabant. Hoc impetrato *Prætor urbis, cui Cunradus ſummam rei commiſerat*, patefactâ egreſſus eſt poſticâ, deductúsque ad Wladislaum, poſtquàm impetrâſſet pro ſe & civibus veniam, redire eſt permiſſus. Tum plebs omnis & magiſtratus, apertis portis obviam Wladislao proceſſit: quem unà cum prætoriana cohorte, in urbem honorificentiſſimè ſuſcepit, *ſalutarem Genium affulſiſſe ſibi clamitans, Principem magnum & lenem*. Sicque reconciliati Principi, & milite alimentorum copiâ pacato, largéque habito, ac demum præſidio Wladislai ſuſcepto, diram, quæ jam præ foribus erat, pro tunc evitârunt cladem: quam tamen paulò poſt, ùt dicetur infrà, cùm in eundem rurſus impegiſſent lapidem, *Majeſtatus ac perduellionis rei*, tulêre extremam.

VVladislaus urbi deditionem detrectanti vim admovet: Cives tolerandæ obſidioni impares, deditionem faciunt.

Redactâ ad obſequium *Znogmâ*, Wladislaus cum univerſo exercitu *Brunam* movit, ùt *VVladislai Spitibnevique fratrum* pertentaret animos; quos aliàs ſuſpectæ in ſe fidei habebat ex eo, quòd *partes Cunradi foviſſe* palàm dicerentur. Quò priusquàm veniſſet, *Theobaldum* cum paucis præcedere juſſit, qui illos hortaretur, ne ſuo adventu terrerentur, aut quicquam hoſtile ab

VVladislaus Brunam versùs caſtra promovet:

Digitized by Google

eo, ſibi timendum putarent. Cæterùm illi primo metu obruti, etſi ambigerent, an præſtolari ejus adventum deberent, cùm neque ſibi inermibus cum armato, de *cauſa Cunradi* diſceptandum exiſtimarent, neque ſaluti ſuæ libertatique ſatis id tutum arbitrarentur: ſpe tamen ducti, quòd eum lenire poſſent, ùt cognatum, poſtpoſuêre conſilia fugæ, ac domî ſeſe continuerunt. Appropinquanti demum *VVladislao*, abſtergendæ ſuſpicionis causâ, obviam progreſſi ſunt, dextriſque mutuo datis, & colloquio, tum in itinere, tum poſtmodùm in urbe familiariùs habito, cùm fratres diluiſſent omnia, quæ de ipſis *VVladislaus* ſuſpicari potuiſſet, & quæ ab alijs delata, ùt dubia, aut prorſus falſa, pro liquidis tamen accipiebat ſubinde & compertis, amicè tranſegerunt de omnibus. Sub id tempus venit etiam *Henricus Ep. Olomuc. pro Ottone*; & paulò poſt *Jaromirus defuncti Borzivogij II. Ducis filius, nuncùque Geyſæ II. Hungariæ Regis, pro Cunrado* veniam orantes; & illi quidem facilè conceſſa eſt, ubi ſupplicem ſe Wladislao ſtitiſſet, veniam delicti petens & gratiam; huic verò non aliâ lege, niſi poſtquàm fidem arctiori ſacramento ſe daturum ſervaturúmque promiſiſſet, ídque etiam actu præſtitiſſet.

VVratislaum & Spitihnevum Uldrici Marchionis filios, & Cunradi I. Bohemiæ Ducis nepotes, ſibi obvios, *MS. Trebic. ad an. 1143. Pulkawa an. eod. Jarosl. àn. eod. Chron. Boh. Anonymi an. eod.* Ottonem quoque, in gratiam recipit.

Habebat tum *Wladislaus* â ſecretioribus conſilijs, quendam ex Proceribus Bohemis, & Nobilitate generis, & rerum uſu ac ſapientiâ præſtantem, nomine *Wratislavv*: (Familia iſta hodiéque in Bohemia eſt percelebris & fœcunda, *Wratislaviana de Mitrovvicz*) cujus prudentiſſimis auſcultando obtemperandóque conſilijs, facilè æmulorum inſidioſas artes eluſit, cæterorum autem animos, per indulgentiæ, clementiæ liberalitatíſque exempla, ita ſibi devicit, ut feliciſſimè deinceps regnârit; ultimò etiam *â Friderico I. Imp.* ob fidelem operam, adversùs Mediolanenſes rebelles, præſtitam, *Rex* creatus: de quo infra. Adeò *Conſiliarios bonos & fideles habere, multum eſt.*

Familiæ VVratislavv. decus.

MS. Chron. Boh. in VVladislao II. Balbin. in Epit. rer. Boh. lib. 2. cap. 10.

Dixeram *Cunradum Marchionem, â Wladislao in gratiam receptum*, fide & ſacramento ſeſe obſtrinxiſſe, quòd deinceps, uti pacis ſtudioſum Principem deceat, quietè vivere, nec ampliùs quidquàm hoſtile contra Wladislaum attentare vellet, id tamen ſyncerâ mente non præſtitit; ſed occupatâ per aſtum *Znogmâ* (uti erat vafro vir ingenio, & ad fallendum egregiè compoſito) novis iterum tumultibus occaſionem præbuit. Exinde enim res Moravicæ, quæ ſub id tempus, tranquillo in ſtatu eſſe videbantur, puncto temporis, *violatâ â Cunrado pace*, in apertum bellum exarſerunt, & VVladislaum quanquàm â bello civili prorſus ab horrentem, inexpectatæ tamen injuriæ dolore non parum exacerbatum, ad iracundiam & vindictæ cupiditatem exacuerunt. Auxit porrò indignationem, patratum in *Henricum Epiſcop. Olom. atrox Cunradi facinus*; quod ipſum tandem omnibus exoſum reddidit, ita ut vix non etiam ſupremo exitio ei fuerit. Daubravium id referentem audiamus. *In procinctu erat Henricus Epiſcopus, ut abiret Romam, cùm eum quidam â Cunrado ſubmiſſi adeunt, multis orantes verbis, ne ſe in tam longinquam peregrinationem daret, priusquàm disjunctos improbitate hominum Wladislaum, & ipſum Cunradum, fœdere rurſum priſtinæ benevolentiæ conjungat: neminem enim hominum exiſtere, qui id commodiùs præſtare perficerêque valeat, quando*

Cunradus Znogmam aſtu recuperat.

Hinc nova diſſenſionum causa.

Daubrav. l. 12.

Cunradus fallax,

do aliàs nullus tantâ gratiâ & authoritate apud VVladiſlaum polleat. Henricus ſyncerè iſta dici exiſtimans, candidè etiam reſpondet: cur hoc, inquiens, quod petitur, Cunrado non gratificer, etiamſi longiùs de via mihi deflectendum videam? Pergenti in Bohemiam ad VVladiſlaum, aſſequitur eum ipſemet Cunradus haud procul à Lythomiſſlio ad villam, quæ de menſa, ditionéque Epiſcopi erat. Vocat hoſpitem ad cœnam Henricus, neſcius lupum veniſſe, qui ſe agnum vellere aureo ſpoliaret, quod pro viaticulo corraſum fuit. Nam manè tandem inſidiæ patuerunt, quas viator quidam obvius, agnito Epiſcopo, indicavit dicens; ſaltum proximum ab equitibus eſſe obſeſſum, alicui omnino inſidiantibus; ſe circiter duodecim illorum vidiſſe intentos ad incurſandum. Jubet protinus Henricus retrocedere ſuos. At Cunradus ſubitò exiliens à tergo inſtat, & quemcunque deprehendit, ſternit. Conſiſtunt cæteri, & ſe ad defendendum convertunt. Ibi Henricus ſpatium elabendi nactus, ſe intra ſylvam abſcondit ſolus ſine ullo comite, ipſo etiam equo à ſe extruſo, delituítque eodem loco totum illum diem ac noctem inſequentem. Poſtero die à colono Radoſta lignatum profecto repertus, plauſtróque ruſtico impoſitus, Lythomiſſlium eſt devectus, paucis ex ſuis incolumibus inventis: cæterùm pecunijs rebúsque ſuis omnibus amiſſis. Actum & de vita erat, ſi poteſtas aſſequendi ejus Cunrado data fuiſſet, tam is agreſti odio adversùs Præſulem & agnatum ſuum laborabat, nullâ causâ aliâ, niſi quòd VVladiſlai principis ſui partes conſtanter fovebat. Celeriter hujus tam acerbæ injuriæ nuncius ad VVladiſlaum perlatus eſt, atque is ſine ulla mora ex aula ſua equites mittit, qui ad ſe Pragam Henricum deducant, ut communem hanc ſibi cum ipſo injuriam, communi conſilio ulciſcendam capiat. Sed Henricus remiſſâ in præſens omni ultione, novo rurſus viatico, noviſque comitibus ſe inſtruit, ac captum Romam iter, ad Eugenium Romanum Pontificem continuat: cui ſeſe *Otto Marchio Olom.* comitem peregrinationis adjunxit. Addit idem; Cunradum etiam diris Pontificijs fuiſſe proſciſſum: quod cùm nihil penſi haberet ille, & Wladiſlao aliiſque non ceſſaret eſſe gravis, communi omnium, *cùm VVladiſlai, tum aliorum Principum agnatorum conſenſu*, vi & armis compeſcendus, & *Znogma*, quam is manu forti tenebat, primo quoque tempore invadenda, decernitur.

Henricum Epiſcopum Olomuc. cognatum ſuum, ſimulatâ amicitiâ fraudulenter circumvenit:

& vix non è medio tollit. Voluiſſe ſat eſt.

Pulkawa in MS. Chron. Boh. an. 1148.

Cunradus Dijs hominibúsq; inviſus: cujus contumaciam VVladiſlaus denuò armis caſtigandam ſuſcipit;

Nec mora, *VVladiſlaus* bellum adversùs *Cunradum* promulgat, & comparatis omnibus ad illud gerendum, imprimis verò ad oppugnationem urbis inſtituendam neceſſarijs, rectâ Znogmam petit, præmiſſo *Theobaldo* cum copiarum parte, qui exploraret, num adhuc *Cunradus* ibidem ſeſe teneret; tum ut cives commonefaceret: *viderent, quo in diſcrimine in præſentiarum verſarentur, ideóque docti periculo nupero, ita ſaperent, ne error poſtremus eſſet ipſis pejor priore. Id proinde ipſis conſultiſſimum, ne pernicioſis Cunradi conſilijs ſeſe implicent; ſed potiùs, ut ille ommiſſâ pertinaciâ, gratiam Principis, dum adhuc ſpes eſt veniæ, requirat, authores ei eſſe velint; aut ſi id facere detrectet, ipſi rebus ſuis maturè proſpiciant, ſeſéque Principis arbitrio dedere malint: ne ſi ſecùs faciant, certiſſimum ipſis vitæ & fortunarum omnium diſcrimen ſubeundum ſit, nec ullum deinceps gratiæ aut miſericordiæ genus ab irato Prin-*

Znogmam versùs movet, præmiſſo Theobaldo, qui civibus deditionem perſvadeat: memor illius, *Deut. 20. v. 10. Si quando acceſſeris ad expugnandam civitatem, offeres ei primùm pacem.*

Principe expectandum. Nam quod tum eſſent cum ſpe gratiæ obtinendæq́; ſalutis facturi, fore ut paulò poſt neceſſariò ſibi eſſe agendum intelligerent, neque ulla cum ſpe veniæ.

ſed ſurdis inſtar verba facit.

Verùm opinione ſuâ duriores reperit: cúmque portis obequitaret, comitantibúsque cæteris aliquantùm propiùs accederet, non procul â periculo fuit, ſagittis ê pinnaculis murorum petitus; ſed maturè celeríque greſſu, parte jam indumenti teli ictu diſciſsâ, retroceſſit. Hinc quaſi in ſacrilegos iratus *VVladislaus*, qui ſub id tempus cum reliqua parte exercitûs advenerat, temeratúmque *jus gentium* clamans, urbis oppugnandæ initia confeſtim ſumere voluit.

Monentur ſecundò, ut omiſsâ pertinaciâ ſeſe dedere malint, quàm extrema expectare: ſed fruſtra.

Orantibus tamen *Theobaldo fratre, & VVratislao Jaromiróque Marchionibus* tum præſentibus, ne profuſus in iram, â ſolitâ deſciſceret clementiâ, leniſſimâ eorum petitione placatus, poſtridie iterum ſuper deditione moneri permiſit defenſores. Ideóque cùm prima lux advenillet, *Jaromirus* operam navaturus fidenter, tendebat ad mœnia cum manu ſelectiſſima ſtipatorum; quem ubi agnoviſſent oppidani, abſtinuêre quidem â maleficio, ſed monenti ſalutariáque ſvadenti, non tantùm parere detrectârunt, ſed fatali quadam obſtinatione extremam urgente eorum perniciem, id quoque loquebantur aſperiùs arrogantiúsque:

Fatalis perſiſtendi obſtinatè in propoſito ardor.

fixam omnibus deſtinatúmque eſſe, ſi aliter non poſſent, laceratione corporum, urbisque ruinâ, infelicem fidem ſuo Principi teſtatam relinquere. Nec aliter accidit, quàm ſibimet ipſis prædixiſſent.

VVladislaus negotium oppugnationis adoritur: militibus urbem diripiendam promittit.

Igitur *VVladislaus* nihil ampliùs cunctandum ratus, omnia oppugnationi neceſſaria ſummo ſtudio inſtrui paraŕique juſſit; & quò alacriorem ad ſubeunda pericula & labores redderet militem, urbem ipſis, ſi vi capta foret, in prædam conceſſit.

Hinc inflammati illi, lucri cupiditate, animiſque frementes, magnâ vi muros involant: â defenſoribus non ſine clade repelluntur.

Statâ itáque impreſſionis faciendæ die, denſis ordinibus, tubarum ſonitu incitante, latera munimenti aſſultui opportuna adoritur miles; & quibusdam vehentibus ſcalas, aliiſque jacientibus tela, alijs item componentibus machinas, cæteri objectu vinearum pluteorúmque tecti, tutóque paulatim progredientes, modum ad fundamenta murorum quærebant ſubvertenda. Contra hæc defenſores animo præſtantes & viribus, cilicijs per propugnacula undíque laxiùs panſis, quæ telorum impetus cohiberent, objectíque ſcutis, vimine firmiſſimo textis, & crudorum tergorum denſitate veſtitis, validiſſimè reſiſtebat; ſicque die primo tribus continuis horis, adusque noctis initium, & ſequenti ultra meridiem, vario telorum genere certabatur.

TertiòConradum deditionis faciendæ fruſtra admonent: oppugnationem redintegrant:

Tertia porrò quieti utrísque data eſt: quâ cùm rurſus *Jaromirus Conradi animum colloquio tentare vellet*, propinquantem ille probris inceſſabat atq; convicijs; ultimò etiam, niſi ocyùs inde ſe reciperet, baliſtâ ſe eum petiturum minabatur. Ità die potiori parte conſumptâ, ſilentio poſtmodùm tenebrarum primo, multiformes admotæ ſunt ad mœnia urbis machinæ, quibus ab ea parte, quà planities erat, altitudo complanaretur foſſarũ; ab altera, enim, ob arduas abſciſsáſque rupes, acceſſus dari non potuit.

neceſſaria omnia ad impreſſionem faciendam ſummo ſtudio comparant:

Tum juſſu Wladislai ad repetendam oppugnationem, hinc alti ſuggeſtus, quorum faſtigijs baliſtæ locatæ ſingulis propellerent â propugnaculis defenſores, erigebantur opere vaſto; inde foſſarum altitudines complanabantur; alibi verò terrarum latibula concava oblongis tramitibus ſtruebantur, locantibus etiam nonnullis arie-

Digitized by Google

arietes, certa tormenta muralia, in funeſtos ſonitus proruptura. Quo apparatu excindendæ urbis labore multiplici conſummato, cùm aliud nihil, quàm inſultus flagitaretur, *Theobaldus* inter hæc ab Hungariæ finibus, quò paulò ante miſſus fuerat, ut itinera ab ea parte exploraret, revertitur; *nihil eorum, quæ de Hungarorum auxilijs Cunrado opitulatum venientibus, fama vulgi ferebat, offendiſſe nuncians.* Crevit exinde fiducia militi, qui majori elatus gaudio, & ad agendum fortiter magìs erectus, ſignum duntaxat ad procurrendum expectabat armatus. Non ceſſabant interim Bohemi quicquam in verberandis mœnibus, usque adeò, ut pars magna muri usque ad ima fundamenta ſolotenùs procideret, & turris quóque præalta ſupra portam magnâ ſtrage dirueretur. Jámque clangore Martio ſonantibus tubis, parabatur inſultus: primíque Bohemi pedites (*avida tum periculorum gens*) magno curſu in mœnia provolàrunt; qui cùm ad conjectum veniſſent telorum, eſtô cum clade haud modica â propugnatoribus è muris exciperentur, ijs qui primo ordine mœnia ſubijſſent majori ex parte conciſis, ſic, ut cæteri qui eos ſequi debebant, laxare aciem, pedémque referre cogerentur: *oppidani ſiquidem nihil eâ murorum ac turris ruinâ permoti, quantum facere nitique poterant, fruſtrari oppugnantium impetus conabantur:* ubi tamen â parte alia, alij pedites vimineas crates præ ſe ferentes, ita mœnia perurgerent, ut promptiores aliqui jam in vallum evaderent, propè erat, ut tum ſtatim civitas in manus oppugnatorum incideret: perculſi námque eo ſubito caſu defenſores, ſegniùs multò pugnare, & aliqui jamjam fugam circumſpectare cœperunt. Mox tamen alij concurrerunt ad propulſationem tanti periculi, ſaxáque volventes ê muris ingentia, Bohemos conſcendere conatos, magnâ vi detrudebant. Pugna hæc diu cruenta ancépsque ſtetit: donec *æſtus in meridiem creſcens, efferveſcente vaporatiùs Sole*, certamini finem fecit.

tantúmque mœniorum diruunt, ut mox impetum in murorum ruinas facere non dubitarent.

Verùm oppidanis inſigni virtute ſeſe defendentibus,

longior iudiès & difficilior oppugnatio reddebatur.

Hunc in modum dum *VVladislaus* redigendæ in poteſtatem urbis, impensè pertinacitérque vacat, nec tamen voto deſiderióque potitur, opportunè inter hæc *admoto ariete, qui paulò ante Brunâ advectus erat*, ſternitur reſiduis omnibus altior turris, latere coctili firmiſſimè ſtructa; cujus ruina, muri contiguum latus ſecum immani fragore traxit. Hinc novâ rurſum varietate caſuum, obſidentium labor, obſeſſorum verò induſtria, facinoribus ſpecioſis inclaruêre. *Nihil enim aſperum, ira & dolore ſuccenſo militi Bohemo videbatur: nihil è contra obſeſſis erat pro ſalute certantibus metuendum, aut dirum.* Hæc dum luce agerentur ac palàm, nunciatur iterum *VVladislao*, milites, quos in Germania conduxerat, & quibus cuniculorum cura commiſſa erat, egeſtâ humo, & cavatis tramitibus ſubterraneis, ſublicíſque ſuſpenſis, ima penetrâſſe fundamentorum, jam ſi ipſe mandet & diſponat, evaſuros. Quare ordinatis ſummâ diligentiâ cunctis, quæ in rem præſentem faciebant, & omnibus turmarum cohortiúmque præfectis accuratè edoctis: *quem quisque locum tenere, ubi & quo ordine in muros involare, qui occupandis portis praſtò eſſe deberent*, ſtatim poſtea die ſequenti manè, ſignum invaſionis datum. Conſultò autem ê duabus partibus invaduntur mœnia, ut dum propulſatur pericula cives,

VVladislaus expugnandæ urbis cupidiſſimus,

nihil intentatum reliquit.

Cuniculis tandem rem aggreditur, votóque potitur.

Bohemi ſupremam capiendæ urbis fortunam tentant:

Digitized by Google

dúmque bipartito agmine in muros provolant, alij è ſubterraneis ſcrobibus improviſi erumpunt, forúmque occupant: portas urbis effringunt, & reliquos intromittunt.

ves, ultrò citróque diſcurrerent, proxima fodientis ferri ſonitum non audirent; vel ut etiam nemine intrinſecùs obſiſtente, cunicularioru̅m ſubita manus eò tutiùs erumpere poſſet. Ergô occupatis, & duplici hoſtium aggreſſione diſtentis civibus, exiliunt è patefactis latebris Germani, quos alij ſequuti *forum occupant, pavore & tumultu urbem complent, noménque Principis magnis vocibus ingeminant.* Nec mora, cùm præ nimia conſternatione oppidanorum, non eſſet qui reſiſteret, (*cives enim conſpectis in urbe hoſtibus, illicò animis concidere, arma abÿcere, mœnia deſerere, deſperatâque ſalute latebras quærere*) effractis ſummo impetu portis, univerſam Bohemorum & Germanorum multitudinem, & quidquid de lixis & calonibus, *hominum genere rapiendi avido*, foris erat, in urbem immittunt; cùm etiam jam antea non pauci ſuperatis muris, & disjectis qui reſiſtebant, liberè irrupiſſent.

Miſerabilis urbis captæ facies.

Hunc in modum reſeratis aditibus, *lapſura invaditur civitas, & ſine ſexûs diſcrimine vel ætatis, quidquid impetus primus reperit, poteſtas iratorum abſumpſit:* alij qui exitij imminentis timore, cùm undique mucrones urgerent, ultimum flentes, aut in poteſtatem Victorum venire metuentes, è rupe ſponte ſuâ ſeſe præcipitârunt. Inter hæc W*ladiſlaus urbem ingreſſus, prohibuit ulteriùs in quemquam ſævire ferro, ſed ſervituti mancipare reliquos;* quorum numerati ſunt utriúsque ſexûs, præter parvulos, *quingenti ſupra mille;* ij verò, quos ferrum conſumpſerat, aut qui præcipitio perierant, deſiderabantur aliquanto *plures trecentis.*

Cunradus ad vicinam S. Hippolyti arcem incolumis evadit:

Cunradus cum paucis ad arcem ex adverſo, ubi nunc *Cœnobium Peltembergenſe* viſitur, in arduo ſitam, incertum quo medio, evaſit: quo in loco, utpote naturâ & neceſſarijs abundè munito, quamvìs novam tentare fortunam potuiſſet, & VVladiſlaum obſidionalibus ærumnis longè magis exagitare: diffiſus tamen præſidiario militi, quem miſerando urbis caſu perterritum, ac degeneri animo cuncta metu & pavore attollentem, clancularia de arce dedenda inter ſe conſilia miſcere, non ignorabat, habito cum ſuis, quibus fidebat, conſilio, nocte ſequenti inde diſceſſit.

nulſique amplius fidere auſus, clàm & inde in Hungariam ſe ſubducit.

Znogma funditùs excifa, an. 1145. *Hagek ad an 1149. ſed debet eſſe an 1146. Paproczsky in Speculo Moravia. Pulkawa in Chron. Boh. an. 1146. Balbin. in Hiſt. Boleſl. l. 3. c. 10. habet eund.*

Præſidiarij verò pacti vitæ ac fortunarum incolumitatem, arcem *Jaromiro* tradidêre: quàm quidem *VVladiſlaus* veritus, ne ſi â Cunrado aſtu aliquo reciperetur, novos concitaret belli motus, ſolo æquandam exiſtimabat, *ad preces tamen Jaromiri, & quòd ad reprimendos, ſi quando ab Auſtria, vel Hungaria ingruerent hoſtiles excurſus, idonea eſſet opportunáque*, integram reliquit: *Znogmam* porrò, ædibus duntaxat ſacris ſervatis, funditùs everti juſſit, captivâ plebe in Bohemiam abductâ. *Hoc modo civitas ampla & populoſa, Ducis ac civium temeritate exciſa, in pulverem concidit & ruinam.*

Vagus & errabundus Cunradus tandem ſapit: Sacræ militiæ nomen dat: Cæſare Cunrado III. interveniente VVladiſlao reconciliatur.

Cunradus patriâ extorris, ac ſerò nimìs temeritatem ſuam deteſtatus, *apud Gyezam Regem in Hungaria*, aliquandiu delituit: poſtea intellecto, *Cæſarem cum Ludovico VII. Francorum Rege aliiſque Regibus & Principibus Chriſtianis, hortatu Eugenij III. Summi Pontificis, ac Divi Bernardi, parare ſacram expeditionem in Siriam, ad vindicanda è manibus infidelium loca Sancta*, ad aulam ipſius ſe contulit, *Crucéque ſuſceptâ*, nomen eidem militiæ dedit. In qua, quòd egregiam in multis occaſionibus operam impendiſſet, Cæſar poſtea illum VVladiſlao reconciliavit, ita ut in priſtinam gratiam receptus, paternæ ditioni reſtitueretur. In

Digitized by Google

In hac communi *expeditione Chriſtianorum Principum*, erat etiam *VVladiſlaus cum fratre Henrico, & Spitibnevo Marchione*, commiſsâ Regni curâ *Theobaldo*. Tametſi autem in itinere (ùt id brevibus attingam) ob *Græcorum perfidiam*, magna paſſi fuerint detrimenta, exercitu vehementer acciſo; idque magìs fame, veneno ac fraude *Manuelis Byzantini Imp.* quàm ferro: poſtea tamen ad *Meandrum fluvium*, aperto Marte, cum *Turcarum copijs* congreſſi, tantam edidêre hoſtium ſtragem, ut cruor flumen tinxerit, & ripas longè latéque cadavera cæſorum compleverint. Quâ victoriâ conſternatis & procul fugatis barbaris, reliquo toto itinere, citra impedimentum, tutò *ad Urbem usque Hieroſolymam*, quæ tum erat in Chriſtianorum poteſtate, acceſſerunt. Sed cùm exercitus laboribus itineris, cœlíque injurijs partim conſumptus defeciſſet, partim affectus langueret; nullâ re præterea memorabili geſtâ, anno tertio in Germaniam redierunt. *Crugerius in ſuis Ephemerid.* dicit *Henricum in ea expeditione obiiſſe, & VVladiſla[i] fratrem oſſa ipſius in patriam tranſportâſſe.* Ego tamen in *privilegio VVladiſlai Regis*, quo confirmat *Fundationem Monaſterij Litomiſsl. ſeu Montis Oliveti Ord. Præmonſtrat. factam à Brzetiſlao & Sobieſlao*, & auctam ab *Henrico Zdik Olomuc. Epiſcopo*, ùt jam dixi ſuprà, invenio vixiſſe adhuc an. 1167. Sic námque in Confirmatione illa, data hoc ipſo anno M.C.LXVII. XIII. Calend. Febr. *Hujus verò Confirmationis noſtræ, teſtes ſunt fratres mei, Theobaldus & Henricus, filij quoque mei Fridericus & Svatopluc, Daniel Epiſcopus Prag. Joannes Ep. Moravienſis.* &c. Reliquit *Henricus* tres filios ex *Agnete, quæ erat Carinthiæ Principis Marquardi filia, Henrici IV. Imp. neptis*, & *Cunradi II. cognomento Saliqui abneptis, Henricum II. Cunradum* & *Brzetiſlaum* cognomento Gindřiſſek / ſeu, *Henricum juniorem.* A primo, quòd *Czerninij* originem ſuam deducant, alibi oſtendi: ſecundus factus *Marchio Moraviæ*, ac tandem *Bohemiæ Interrex*: tertius *Epiſcopus Prag.* atque etiam, quod mireris, *Interrex*; de quo infra.

Solennis Expeditio Chriſtianorum Principum, in Terram Sanctam, Anno 1147. cujus magna pars VVladiſlaus Dux Bohemiæ cum Henrico fratre, & Spitihnevo Marchione Moraviæ: quo eventu ſuſcepta?

Dodecbin. cit. ad an. 1149. Trithemius an. eod. Robert. in append. Sigeberti Peucer. Naucler. Urſperg. Cruger. in Septembr. ad diem V.

Familiæ Czerminianæ origo præſtanſtantiſſima. *Phoſph. Eccl. Prag. Rad. V. & VII. MS. Geneal. Czern.*

Inter hæc, Olomucij moritur *Brzetiſlaus Marchio*, anno 1148. die 10. Januarij, pòſt cujus obitum *Sobieslaus, filius Sobieslai, VVladiſlai Principis anteceſſoris*, Olomucium, & alias ejus tractûs urbes, caſtelláque, partim vi & minis, partim promiſſis & pactis, partim proditione & aſtu, illo & ſequenti anno occupavit: eáque temeritate, vix non novo civili bello Moraviam implicuit. Ad *Theobaldum* cùm primùm hæc allata eſſent, eum pro officio ſuo ſeriò admonuit, ut à cœptis deſiſteret, vellétque expectare Principis reditum, à quo negotio facili, ob memoriam Parentis defuncti, ea quæ tanto deſideraret conatu, obtenturus eſſet; quod etiam *VVratiſlaus Marchio Brunenſis* ſvadebat: ſed fruſtra. Vim igitur contra adhibendam, quâ compeſceret pertinaciam hominis conſtituit. Jámque primo vere anni 1149. ſub ſignis erat miles, proximè luſtrandus & ducendus *in Moraviam*, cùm inter hæc nuncijs affertur certis, *VVladislaum redire ab expeditione Sacra incolumem*: quare Theobaldus adventum ejus præſtolari maluit. Qui emenſo per Hungariam itinere, cùm de Sobieslai perduellione cognoviſſet, cuncta o[rd]ine referente

Brzetiſlao VVenceslai qui erat Fundator Cathedr. Eccl. Olomuc. filio mortuo, Sobieslaus junior Olomucium contra fas occupat. Hinc belli civilis materies.

VVladiſlaus ab Expeditione Hieroſolym domum per Hungariam redux, an. 1149.

Olomucium improviſus venit:

rente *Ottone ſibi obvio*, illicò cum ſuis omnibus (*Cunrado* ſolùm excepto, qui æger redibat, & *Spitihnevo*, qui paulò ante domum præceſſerat) Olomucium contendit, tanta cum feſtinatione, ut portas urbis citiùs penè pulſaret, quàm adeſſe illum quis credere potuiſſet. Unde ſubitâ animorum conſternatione perculſi cives, ex *præſentiâ Principis*, veritiq; ne ſi reſiſtant, partéſque Sobieslai, vel in minimo fovendas ſuſcipiant, ſe ſuáſque fortunas in diſcrimen aliquod grave præcipitent, monuerunt *Sobieslaum*, ut ſibi pro inſtantis periculi ratione conſuleret, viderétque, ſi quo modo propitium ſibi redderet Principem; *ipſis hic & nunc non licere Poteſtati ſupremæ obluctari.*

à civibus promptis animis ſuſcipitur.

Tum deditionem urbis facere unanimiter omnes decernunt, militibúſque Sobieslai, quos ſuo ſtipendio conduxerat, è pinnis murorum digredi juſſis, *claves obtulêre portarum, pateſactiſque aditibus, Principem cum toto exercitu in urbem ſuſceperunt.* Veſper erat, dum VV*ladislaus* domum, quæ ad eum hoſpitio excipiendum parata erat cum comitatu ſuo ingreſſus eſt, adeò ut poſtrema agmina, multâ jam nocte luminibus accenſis, ad ſua deſtinata loca pervenerint.

Sobieslaus in anguſtia:

Et cùm eo ſtatim veſpere *Sobieslaus*, Principem accedere vellet, tum ut facti ſui rationem redderet, tum ut ei de felici gratularetur reditu, ſequenti die manè comparere juſſus eſt; injunctúmque uni manipulo peditum, qui eum ſedulò obſervaret, ne beneficio præſentis noctis elaberetur foras.

VVladislaus nec alloquio ipſum dignatur.

Manè cùm veniſſet, nec colloquio eum dignatus eſt VV*ladislaus*, ſed miſſo ad illum VV*rabo* (is erat *Zerotiniæ gentis*) cubili tunc præpoſito, & *Jaroſlio notario*, interrogari juſſit, quâ authoritate jus ſibi in urbem, ditionémque Olomucenſem vendicaret? Ad quæ *Adraſteo pallore* perfuſus ille, & quòd denegaretur ſibi præſentia Principis, magìs idcirco conturbatus, cœpit aliqua in excuſationis ſpeciem profari:

Sed cuſtodiæ traditum in carcerem duci jubet.

ſed inter hæc juſſus, ut atrio excederet, â cohorte peditum excipitur, tribunóque militum cuſtodiendus, & *in Bohemiam ad caſtrum Przinda*, abducendus traditur: ex quo tamen haud multò poſt, occiſo Præfecto caſtri, evaſit.

Pœnæ de Sobieslai complicibus Moravis ſumptæ.

Capti fuêre tum temporis etiam aliqui *Nobiles & cives, qui Sobieslai partes ſequebantur*, injectíſque manicis ad carceres rapti: nonnulli temeritatis ſuæ, cervicibus abſciſſis, luerunt pœnas; horúmque omnium bona, pecuniæ & facultates, quæ haud contemnendæ ſummæ, pretiique eſſe ferebantur, publicatæ ſunt.

Annal. Trebic. part. 2. ad an. 1149.

Otto III. Marchio Morav. Olom.

Olomucium verò cum adjacenti territorio ampliſſimo toto, VVladislaus *Ottoni* tradidit: qui deinde an. 1151. ejectis *ex Hradiſtenſi ad Olomucium Cœnobio* (unius ob noxam, ſi vera ſunt, quæ narrantur,) *Benedictinis, Præmonſtratenſes* ipſorum locò induxit. *Pulkavva & ex illo Hagecius* ſcribunt, *Sobieslaum â Theobaldo fuiſſe prælio victum & captum, non in Moravia, ſed Bohemia; & adusque* VV*ratislai reditum, Przindæ ſub acri cuſtodia detentum.* At mihi plus fidei facit, *Annalium Trebicenſis Monaſterij continuator*, qui tum vivebat, & qui *Sobieslaum â* VV*ladislao Olomucij captum* memorat.

VVladislaus Brunam veniens, Spitihnevum in vincula conjicit, ac brevi iterum ſolvit.

His peractis Brunam divertit: ubi *Spitihnevum*, poſtqàm VV*ratislao fratri ipſius*, prolixè recenſuiſſet, illum in ea *Expeditione Sacra* nunquã dicto obtemperantẽ fuiſſe, imò ſæpe verba ſua & facta, impudenti obtrectatione ſuggilâſſe; non

Digitized by Google

non ſemel etiam multa probra, illoto ore, in ſe conjeciſſe, ideôque meritis pœnis attineri; accipi, & *Glacium* ſub cuſtodia duci juſſit. Brevì tamen, interveniente Cæſare, liberum dimiſit. Anno ſequenti, qui erat 1150. *Cunradus II. Marchio Moraviæ* morbo, quem in Aſiatica expeditione contraxerat abſumptus, Znogmæ moritur, Idibus Decembris. Quem anno 1151. VII. Calend. Aprilis ſequutus eſt *Spitibnevus: utérque in Eccleſia monaſterij Trebicenſis* â genitoribus ipſorum fundati, ùt ſuprà docuimus, ſepulti ſunt. Quia verò *Cunradus* nullam perfectioris ſexûs prolem reliquerat, *VVladislaus* Henrico fratri ſuo, Znogmenſem provinciam ceſſit.

Cunradus II. Marchio Morav. moritur an. 1150. *Annal. Trebic. ad an. 1150. & ſequ.*

CAPUT V.

Bella, & res diverſæ per Moraviam actæ recenſentur ſuccinctè, ad annum usque 1240.

TRanquilla deinceps erant in Moravia cuncta, per annos circiter decem. Inter hæc, *Fridericum I. Imp.* â rufa barba cognomento *Barbaroſſam*, proficiſcentem anno 1154. menſe Septembri Romam, pro inauguratione ſolenni, *Cunradus III.* Henrici Marchionis filius, magnarum jam tum virtutum adoleſcens, cum centum ſelectiſſimis *Equitibus Moravis* comitatus eſt. Similiter *Fridericus VVladislai Bohemiæ Principis filius, cum trecentis cataphractis:* VVladislao interea, quem Cæſar Vicarium Imperij conſtituerat, Reipublicæ domi proſpiciente. In eo itinere cùm *Veronenſes* in armis eſſent, & Imperatorem non tantùm ingreſſu urbis prohiberent, ſuperbè ac contumaciter id cauſati, *quòd ante renunciationem à Summo Pontifice factam, obedientiâ nullâ Cæſari tenerentur;* ſed tranſitum quoque *per Falerni clauſtra* negarent: (*ſunt qui non hâc vice, ſed in reditu Cæſaris, id accidiſſe ſcribunt:*) Imperator vim adhiberi juſſit. Quâ occaſione, præ cæteris Principibus, *Otto VVitelsbachius Comes*, Imperatoris cognatus, ac poſtea *Bavariæ dux*, â quo moderni duces Bavariæ & Palatini ad Rhenum ſtirpem ferunt; & *Cunradus Marchio*, uti erat tentandæ fortunæ avidus, juventáque fervidus, illuſtria virtutis ac fortitudinis ſuæ edidêre ſpecimina, ſtrage hoſtium facta haud modicâ, in quos, tranſcenſis magno ſilentio, nec minore celeritate, montibus, â latere dextro nec opinatò irruerunt. In eo tamen tumultu fortunâ, ùt amat fieri, variante, parum abfuit, quin *Otto* caperetur aut occideretur, quùm gladiũ, quo aliàs rem ſtrenuè geſſerat, in duas diſſilientem partes amiſiſſet: niſi extremè laboranti *Cunradus*, qui propè aderat, opem laturus opportunè cum ſuis adcurriſſet, qui ſubmotis hoſtibus eum præſentaneo periculo exemit. Ob id *Cunradus* amabiliorem ſeſe omnibus, ſummis & imis reddidit: ipſe etiam *Otto* ut gratiam liberatori ſuo referret, *filiam ſuam primogenitam Mariam*, ei in conjugem deſponſavit.

MS. Trebicenſ. Dodechin. in Append in Marian. Scot. an. 1154. Conradus Henrici March. Znogm. filius. & Fridericus VVladislai filius, Cæſarem in Italiam comitantur. *Daubraw. l. 12. Hagek. Boregk. Reuſner in Baſilic. Genealog. Princip. & Reg. Bohem. fol. 140. Otto Friſing. de Frid. I. lib. 2. c. 22. Naucler. Urſperg.* Cunradus VVitelsbachium Comitem periculo vitæ eripit. qui idcirco filiam ſuam ei deſponſat conjugem. *Reuſner. ſupra cit. MS. Trebicenſ. Pulkawa.*

Hanc (ùt id paucis attingã) aliqui filiam *Henrici VI. Imp.* fuiſſe putant, ſicut &

pag. 74. lineâ primâ.

Cunradi II. March. uxor *Maria* non Henrici Imp. ſed Ottonis Comitis Palat. & Bavariæ Ducis filia.

ego opinione illorum in errorem inductus, ſupra: alij, uti Paprocius, *Henrici vel III. vel IV.* filiam. At neutrum ſuſtineri poteſt: non illud, quia *Henricus VI.* primò ſub anno 1186. vivente adhuc patre *Frider. I. Imp.* uxorem duxit *Conſtantiam Rogerij Siciliæ Regis* filiam, virginem jam tunc provectæ ætatis, ê Monaſterio eductam, hæredem nempe unicam *Regni Siciliæ:* ex qua demum anno 1193. primam prolem ſuſcepit, VII. Cal. Januarij, *Fridericum filium*, Panormî in ſacello publico, quod ut ſpectari poſſet partus, & ne exiſtimaretur eſſe ſuppoſititius, extrui Henricus curaverat. Quomodo autem *Cunradus Marchio*, filiam ipſius habere conjugem poterat, qui in expeditione ejusdem *Henrici VI.* pro recuperando *Apuliæ Siciliæq; Regno* ſuſcepta an. 1190. in *obſidione Neapoleos*, anno ſequenti, peſte extinctus obierat? Minùs *Henrici III.* qui anno 1056. deceſſerat; ſed neque *Henrici IV.* anno 1106. defuncti, ùt prudens quiſque, vel ex illo tam longo intervallo annorum dignoſcere poteſt.

Agnes neptis Henrici IV. mater *Cunradi* March. *Henrici* item â quo *Czerninij*, & *Brzetiſlai Henr.* Epiſc. Prag. & Interreg.

Accedit, *Henricum IV.* duas tantùm filias reliquiſſe, *Agnetem & Bertham:* nuptas, hanc *Marquardo ſeniori Duci Carinthiæ*, & *Marchioni Styriæ*, ex quâ nata *Agnes mater Cunradi March.* de quo nobis ſermo: illam primò, *Friderico Sveviæ Duci*, cui genuit *Cunradum Imp. III.* deinde eo mortuo, *D. Leopoldo March. Auſtriæ*, ex quo nata *Gertrudis*, ſucceſſu temporis conjunx *Wladislai I. Regis*. *Henrici verò V.* qui an. 1125. imperare deſijt, filia eſſe non potuit; quia ille abſque prole obijt. Manet proinde *uxorem Cunradi March. Mariam*, non ullius *ex Henricis Impp.* ſed, ùt dixi, *Ottonis Witelſpachij Comitis Palatini*, ac inde *Bavariæ Ducis* fuiſſe filiam. Confirmat id *Pulkavva*, & alij vetuſtiſſimi Scriptores noſtri, qui, ùt paulo poſt audiemus, eundem *Ottonem*, paſſim *ſocerum Cunradi* nominant. Confirmant etiam Scriptores Bavarici, qui *Cunradum Archi-Ep. Mogunt. & Fridericum, Ottonis fratres, Cunradi March. affines*; & *Ottonem filium Cunradi March. Ludovici filij Ottonis Witelſp. ſororium* vocant.

VVelesl in Calend. Hiſt d. 13. Jan.
Radevicius Friſing. Canon author. coævus lib. 1. de geſt. Friderici I. cap. 13. ad an. 1158.
Tritbem. Calviſ. Naucler. an. eod.
Henric. Stero in Chron. Auguſtenſ. an. 1156.
Hagek. Kuthen. an. eod. Daubrav. l. 12

Anno 1156. *Wladuslaus* cum ducentis Equitibus Bohemis, & *Cunradus* cum centum Moravorum nobiliſſimis, unà cum *Daniele Epiſcopo Prag.* ac *Gervaſio Præpoſito Wiſſebrad.* ad nuptias *Friderici Imp.* invitati Herbipolim proficiſcuntur, menſe Majo. Eodem anno, menſe Septembr. Comitia Imperij Ratisbonæ celebrantur, in quibus *Imperator*, *Auſtriam à jurisdictione Ducis Bavariæ* (verba ſunt Henrici Steronis) *exemit*, & quæ antea titulo Marchionatûs gaudebat, in Ducatum convertit, Marchionémque *Henricum Ducem* appellavit.

Anno 1158. Imperator, *Wladislaum* ob multa & præclara in Imperium merita, ſtatuit publicis in Comitijs Ratisbonæ celebratis, *creare Regem*, & *Bohemiam*, *Regnum in perpetuum appellare*. Incertum autem, cur deinde propoſitum ſuum mutavit, eidémque VVladislao, ſolùm Circuli aurei in certis Feſtivitatibus geſtandi, poteſtatem conceſſit. *Noverit igitur omnium* (verba ſunt Privilegij) *Chriſti Imperiique noſtri Fidelium tam præſens, quàm ſucceſſura poſteritas, qualiter nos VVladislao, Illuſtri & Strenuiſſimo Duci Bohemiæ, ob inſignia ſervitij & devotionis, tam ejus, quàm omnium Bohemorum*

merita,

Digitized by Google

merita, honoris inſigne, quo avus & cæteri ejus progenitores Duces Bohemiæ, beneficio Imperialis Excellentiæ, cæteris Ducibus præeminebant, Circulum videlicet geſtandum conceſſimus, & per eum omnibus Succeſſoribus ſuis in perpetuum decernimus. Itáque irrefragabili edicto ſtatuimus, ut liceat præfato Duci Bohemiæ VVladislao, illis temporibus, quibus nos Coronam & Diadema gloriæ portamus: in Nativitate Domini videlicet, & in Paſcha, & in Pentecoſte, Circulum portare, & ampliùs in Feſtivitatis S. VVenceslai glorioſi M. & S. Adalberti, eo quòd illas Solennitates, propter Patronos ſuos, majori reverentiâ & celebritate veneretur. Sicut itáque celebratio & impoſitio Coronæ noſtræ, non debent fieri, niſi per manus Archi-Epiſcoporum, & Epiſcoporum: ita præfato Duci Bohemiæ à nullo hominum Circulus imponatur, niſi à dilecto noſtro Daniele venerabili Pragenſi Epiſcopo, & Joanne Olomuc. Epiſcopo, eorúmque Succeſſoribus. Quod ſi fortè Olomucenſis defuerit, nihilominùs Pragenſis pro Sede & dignitate excellentiori, vices compleat amborum: ſimiliter Olomucenſis, ſi fortaſſe Pragenſis defuerit. Ad hæc prædicto Duci & Succeſſoribus ejus addimus, & concedimus cenſum de terra Poloniæ, quem anteceſſores ejus Duces Bohemiæ à Polonis retroactis temporibus accipere ſolebant. Ut autem hæc noſtra donatio & conſtitutio, ſupra nominato Duci VVladislao chariſſimo noſtro, ejúsque Succeſſoribus, omni tempore rata & inconvulſa permaneat, præſentem inde paginam conſcribi, & ſigillo noſtro inſigniri juſſimus, adhibitis idoneis teſtibus, quorum nomina hæc ſunt: Eberhardus Saltzburg. Archi-Ep. Voëmannus Magdeb. Archi-Ep. Henricus Ratisbon. Eberhardus Bamberg. Conradus Patavienſ. Otto Friſing. Daniel Pragenſis Epiſcopi: Henricus Dux Auſtriæ, Fridericus Dux Svevorum, Ludovicus Landgravius Thuring. Adalbertus Marchio Miſnenſ. Otto & Fridericus Comites Palatini. Signum Domini Friderici Romanorum Imp. invictiſſimi. Datum Ratisbonæ XV. Cal. Febr. Indict. V. an. 1158. Regni noſtri anno ſexto, Imperij tertio.

Privilegium Frider. I. Imp. datum VVladislao ſuper corona regia minori, publicè geſtanda.

Epiſcopus Olomuc. Capellæ Regiæ Comes.

Errant, *Hagecius*, *Daubravius*, *Kutbenus*, *VVeleslavinus*, & alij, qui *aureum Circulum* pro *Corona aurea* accipiunt, & VVladislaum tum *Coronam* ac *nomen Regium* conſequutum fuiſſe ſcribunt. Omnium autem maximè Hagecij interpres Sandelius, qui illa verba Friderici: *Circulus imponatur à Pragenſi Epiſcopo & Olom.* reddidit: *inungatur ab Epiſcopis*: aliud námque eſt *Circulus aureus*, aliud *Corona*, nec Duces ſolent inungi, ſed Reges. *Corona* Regum propria eſt; *Circulus aureus* maximis tantùm Ducibus, qui aut pares Regibus, aut non multo inferiores eſſent, concedi ſolitus; quem illi inter Sacra *Ducalis Mitræ* locò deferebant, quémque ijs, majoribus per annum Solennitatibus Epiſcopi imponebant: ſicut jam in diplomate Cæſaris audivimus. Maneat igitur VVladislaum anno 1158. vel ſequ. coronatum non eſſe, ſed primùm bello Mediolanenſi confecto, an. 1162. eum honorem ac titulum, in præmium navatæ militaris operæ retuliſſe; uti teſtatur, præter alios complures, Otto de S. Blaſio eorum temporum Scriptor, qui inſuper id Dolæ in Burgundia peractum, *in curia Tholenſi juxta Biſontium*, expreſsè tradit.

Error aliorum circa coronam refellitur.

Otto à S. Blaſ. in Append. ad Otton. Friſing. cap. 28. Grbold. de S. R. I. Septemv. cap 9. Vigner in Chron. Burg. an. 1162. Balbin. in Hiſt. Boleſl. lib. 3. an. 1162.

Ijsdem in *Comitijs Ratisbonenſ.* indicta fuit ſolennis illa Imperialis expeditio

ditio adverſùs *Mediolanenſes rebelles*; ex qua *VVladislaus*, ob præſtantiſſima ſua, ſuorúmque geſta, retulit in Regnum, præter Regiam dignitatem, paulo poſt, ùt jam dixi, ſibi collatam, etiam fortitudinis ſuæ inſigne monumentum,

unde pro Aquila Leonem in inſignibus geſtandum accipit.

purpureo in clypeo *Leonem album*, non unâ tantùm, ſed caudis duabus in altum porrectis conſpicuum: quo inſigni, *nigrâ Aquilâ abrasâ*, hodiéque gloriatur Bohemia. Aderat etiam *Cunradus* Marchio, cum inſtructiſſima legione Moravorum, Theobaldus Ducis frater, & *Uldricus* Sobieslai I. filius, cui

Cunradi & Moravorum res ad Mediolanum præclarè geſtæ. *Radevic. cit. lib. 3. cap. 29. Dreſſerus Mill. 6.*

VVladislaus arcem *Hradek ſupra Sazavvam*, cum amplis latifundijs redditibúsque fruendam dederat: qui quòd egregiam in tranſeundo *Abdua* flumine, fugandísque hoſtibus operam præſtitiſſent, magno in honore â Cæſare habiti, poſtea non ſine muneribus domum reverſi ſunt. Chronicon vetuſtiſſimum MS. Monaſterij Trebicenſis in Moravia quondam celeberrimi ac opulentiſſimi, cujus fragmentum penes me ſervo, & ad quod ſubinde me revoco

MS. Chron. Trebic. an. 1158.

(habet enim ſpecialia quædam, quæ ab alijs Scriptoribus noſtris prorſus tacentur) repertum inter alia ejuſdem Monaſteria ſcripta, in Archivo Familiæ Pernſteinianæ Litomiſslij, recenſet multos heroas, viros fortes, tam Bohemici, quàm Moravici nominis, qui in ea expeditione fuerunt, â Cæſare poſtea ob ſua

Heroes tam Bohemici,

præclara geſta aurati Equites creati: inter quos, præter Bohemos, *Roſenſes, Melnicenſes ſeu Guttenſteinios, Kolovvrataos, Ralskios* ſeu *VVartembergios VValdſteiniósque, Oſtrvvecios* ſeu *Berkas, Chyſſenſes* ſeu *Petipeskios, Kotauczios* ſeu *Malovecios & Chanovios, Hodiegovvios.* &c. etiam non paucos *Moravos* enumerat: nominatim *Branikum Slavatam, VVilhelmum Comitem*

quàm Moravici: qui intererant obſidioni Mediolan.

(Kaunicium) Smilum Trnavvkam, Zdislaum VVrab aliter *Zierotinium, Janum Pryſan* (fortè Pernſteinium) *VVelenium Bozek* ſeu de *Bozkovvicz, Smilum Daubravicium, Janum de Kravvarz, Miculam Lomnicium, Beneſſium de Hulin (Podſtatskium) Sſarovvecium, Janum Litenczicium, (de Zaſtrizl) VVaczkonem de Lazan, Brzenkonem de Kokor, Janum de Horka, Putam de Strazek cum filio VViczek, Milotam Kunovicium, Stachonem, Kobilkam, Taſſum, Kunatam, Pruſinam, Hronum, Sudkum, Kainum, Chibam, Kogatam, Budiſſium,* & alios *milites fortes in armis.*

Reconciliati tum erant *Mediolanenſes* Cæſari, per interpoſitionem *VVladislai & Henrici Auſtrij*; quibus conciliatoribus, civitas in gratiam recepta dedit manus, die 8. Septembr. Sed cùm fidei immemor & juramenti, rebellâſſet

Mediolanum ſecundò rebellat: & evertitur.

denuò, rurſum obſeſſa, captáque eſt anno 1162. & everſa penitùs. Huic ſecundæ expeditioni non interfuit *VVladislaus*, ſed locò ſui *Fridericum* filium, & *Theobaldum* fratrem miſit: quorum glorioſa ibidem geſta, videantur apud *Daubravium, Pulkavam & Hagecium. Cunradus Marchio* propter res domi per Sobieslaum jun. turbatas, (de quo paulò poſt) intereſſe non potuit.

VVratislai Brunæ,

Hæc dum forìs aguntur eventu vario, in Moravia *VVratislaus Marchio Brunenſis* diem obit extremum, anno 1156. XVII. Calend. Septemb. relicto filio unico *Ottone*, juvene tum 18. annorum, qui â rufis crinibus cognominatus eſt *Rufus*, & filiâ *Judithâ*, quam paulò ante obitum dederat *Stephano filio Geyſæ II. Regis Hungariæ*, uxorem. Quem eâdem univerſæ carnis viâ ſunt ſequu-

Digitized by Google

ſequuti anno 1157. V. Id. Januarij *Spitibnevus Borzivogij filius, poſt longa exilia,* ùt ait Pulkavva, *in Bohemiam revocatus:* & ad finem anni 1160. *Otto III. Marchio Olomucenſis*, filijs duobus *Brzetislao & VVladimiro* relictis. Ac non multò poſt, an. ſc. 1161. circa finem Novembr. *Jaromirus alter Borzivogij II. filius*, Gemnicij ſepultus, *Princeps nationis ſuæ amantiſſimus*. Hic reliquit filium *Henricum* nomine: qui ſexennio poſt, nullâ relictâ prole, Patrem ſequutus fuit.

Anno 1162. *Sobieslaus*, quem ſuprà diximus è carcere Przindenſi evaſiſſe, ope *Mιecyslai Poloniæ Ducis*, cujus filiam acceperat uxorem, fretus, *Olomucium* rurſus tentandum duxit; quod adjuvantibus nonnullis civibus, per mediatores cautos, promiſſis ingentibus corruptis, nocturno tempore occupavit, *Brzetislao & VVladimiro* ad cœnobium Hradisſtenſe, ægrè elapſis. Quæ ejus inſana dominandi libido, novam rurſus cauſavit Moravis calamitatem. Ipſemet imprimìs *Sobieslaus* ſævijt in cives immaniter, in eos præſertim, quos nuperæ defectionis authores fuiſſe meminiſſet; & *aliquos diro ſupplicio ſuſtulit, alios ſquallori carcerum addixit, alios verberibus ac tormentis afflictos urbe ejecit, pœnaque exulari damnavit.* Sed accidebat nonnunquam, ut opulentiores pulſantes præſidia potiorum, qui in aula totum poterant, ijsdémque tanquam hederæ celſis arboribus adhærentes, abſolutionem precijs mercarentur immenſis; tenuiores autem, quibus exiguæ res domî erant ad tuendam ſalutem, aut nullæ, damnabantur abruptè: ideóque & *veritas mendacijs velabatur, & valuêre pro veris aliquoties falſa.* Hæc in urbe agebantur: foris verò â Polonorum turmis vaſtabantur agri prælicenter, eorum vel maximè, qui Sobieslai detrectabant partes ſequi: plurimùm verò detrimenti *ditio cœnobij Hradisſtenſis* tulit, idcirco fortaſſe, quòd juniores Marchiones hoſpitio excepiſſet. Hinc poſtmodùm *Sobieslaus*, cùm Regni Bohemici tenuiſſet ſceptra, damnorum, quæ ſuâ causâ accidiſſent, reſtitutione tactus, eidem cœnobio in recompenſationem, villam propè Kygoviam, *Bukovvany* dictam, contulit.

Adventu deinde Regis cum exercitu, *Sobieslaus* cum ſuis in diverſa ſcindi, ac confeſtim ab ira & maleficio remittere, mitiúsque cum civibus agere. Ubi verò *Polonos*, quorum virtuti plurimùm tribuebat, mox primo congreſſu cæſos, & fugatos didiciſſet: tum infeſtæ fortunæ fruſtra indignari, ſeſe ſuis conſilijs dejectum fremere, graviſſimis & inopinatis rerum caſibus objectum caput ſuum conqueri. Atque ita inſtante periculo turbatus, ancépsque totus, quid capeſſeret ambigebat; diu multúmque hærens, ùtrum reſiſtendo periclitari fortunam & ſalutem, an potiùs ſubmittere ſe ſupplicem arbitrio Regis deberet. Quæ ſollicitè reputans, utrúmque & Regem, & urbem formidabat, mentémque ejus anxiam ſuſpendebant: hìc *ſuſpecta civium fides*, quorum animos, ob inſignem crudelitatem, â ſe averſos probè ſciret; ibi verò nefariè patrata *præfecti Przindenſis cædes*, cujus ultionem metueret.

Sedit tandem conſilia alia poſt alia diſcutienti, tentare gratiam Regis: invitatis igitur ad colloquium *Cunrado III. & Ottone IV. Ruſo Marchionibus*, qui

Pulkawa ad an. 1157.
MS. Trebicenſ.
Ottonis III. Olomucij. & *MS. Monaſt. Hradiſt. par. 1.*
MS. Trebic.

Jaromiri Marchionis, qui erat filius Borzivogij II. Gemnicij obitus.

Jarosl. in Cont. Coſmæ ad an. 1157.
MS. Anon. 1152.

Sobieslaus junior elapſus è carcere, Olomucium denuò per fraudem occupat: Brzetislao & VVladimiro, Ottonis III. filijs in cœnobium Hradisſt. ſeſe recipientibus.

Sobieslai in cives crudelitas.

Poloni Sobieslai auxiliares, agros circa Olomucium vaſtant.

MS. Monaſt. Hradiſt. part. 1.
VVladislaus Rex cum instructo exercitu in Moraviam movet:

Polonos cædit:

Sobieslaum in arctum cogit:

qui Regi reconciliari petit.

mediantibus Ottone & Cunrado March.

qui caſtra Regis ſequebantur, ſe facti pœnitentiâ duci fatebatur; ac proinde ſummis precibus ab ipſis contendere, ut quod ad reconciliandum ſibi Regem opportunum judicarent, agerent, ſe quicquid conſtitutum fuerit, haud gravatè comprobaturum. Id tamen orare, *ùt ſibi aliqua ditio in Bohemia concedatur, quæ vagum tutò recipiat, ac rerum egentem ſuſtentet.* Quod cùm Regi expoſuiſſent fidenter, eíque denuò retuliſſent, modò traderet urbem, ſe coram ſiſteret, ac deprecaretur culpam, curaturum Regem, ut quamprimum in Bohemiam rediret, pro dignitate ſua accommodaretur; urbe cum ſuis exceſſit, & â proceribus nonnullis, qui eum honoris gratiâ comitabantur, ad Regem deductus eſt.

Urbe egreſſus, & ad Regem perductus,

Ut autem *nativo more ſunt homines in adverſis humiles, at diſpares in ſecundis*, primò curvatus, deinde humi ſuppliciter fuſus, veniam delictorum petijt; immenſum quantum ab eo differens, qui occupatâ paulò ante *matre urbium Olomucio*, & reliquis inſultans, multa minabatur & ſæva: bonóque animo eſſe, eſt juſſus.

veniam factorum petit.

Rex filijs Ottonis III. Olomucenſem Provinciam reſtituit: *lib. 1. cap. 6. ad init.*

Pragam cum Sobieslao revertitur: quem verbis primò conceptum,

Quibus ita proſpero utcúnque eventu terminatis, & *Olomucenſi territorio*, in eum modum, ùt primo libro memoravimus, inter fratres diviſo, *Rex aſſumpto in comitatum Sobieslao, Pragam reverſus eſt.* Ubi cùm poſt triduum hilariter transactum, *Sobieslaus Regem commonefeciſſet promiſſi*, hæſitantem illum, & quaſi in deliberando, quidnam reſponſi daret, nutantem animadvertit. Erupit poſtmodum Rex paucis in hæc verba: *ſe graviſſimas & multiplices Sobieslai contumelias, de quibus bello perſequendis, & caſtigandis etiam, cum alijs Principibus agnatis contuliſſet, nec voluiſſe, nec pro ſua dignitate & provinciarum quiete, ferrè ampliùs tantâ patientiâ potuiſſe. Nunc verò cùm dignitati ſuæ, publicæq; tranquillitati abunde proſpectum ſit, nihil ſupereſſe aliud, quàm ut ille enormium factorum ſuorum pœnas luat, & in carcerem, quo ſeſe aliquando, immani ſcelere patrato, promeruiſſet, revertatur.* Quo dicto, in penitiorem cubiculi partem ſeceſſit: moxque uti conſtitutum erat, â *Getrzichone de Chauſtnik* prætorianorum militum, atque arcis VViſſehrad. præfecto comprehenditur, ínque carcerem turris majoris detruditur. Inde poſtmodùm *Przindam* ductus eſt, ibíque *per annos octo continuos*, ſub longè arctiori, quàm antea cuſtodia habitus, nec niſi interveniente Cæſare, libertati reſtitutus.

deinde in carcerem arcis Przindenſ. abduci juſſit.

Daubasv. l. 12. in fin. Hagek. Boregk. ad an. 1162.

Eodem anno 1162. repetita expeditio adversùs Mediolanenſes, ùt ſuprà dixi: urbs expugnata & diruta, præter paucas Baſilicas: incolæ aliò migrare juſſi, & ne ſpes ulla inſtaurandæ urbis ſupereſſet, areæ per quatuor mundi plagas, aratro ſulcatæ, & ſale reſperſæ. *Fridericus & Theobaldus* cum gloria domum reverſi. Anno poſtea 1167. cùm iterum *Theobaldus, & Daniel Ep. Prag.* Cæſarem in Italiam comitarentur, utérque ibi peſte interijt.

Pulkawa an. 1167. Hagek an. eod.

VVladislaus Rex moritur an. 1174. die 18 Januar. Sobieslai junior. mirâ fortunâ: è carcere ſolium conſcendit Bohemum.

Cæterùm per Moraviam quieta erant omnia, ad an. usque 1176. quo *Sobieslaus II.* qui carcere Przindenſi nuper liberatus, collata ſibi ſceptra, eo ipſo quo deceſſerat Rex VVladislaus anno, nempe 1174. mirabili fortunâ arripuerat, *cedente ſpontè fratre Uldrico, quem aliàs Cæſar, ob inſignia in Aula ſua merita, dominari in Bohemia maluiſſet*, publicam pacem turbavit. Nulli enim hoſtilitatis causâ laceſſitus, ſed belli gerendi ſupra modum cupidus,

(homo

(homo naturâ ſuâ inquietus) junctis cum *Cunrado Marchione* armis, *Auſtriam* invaſit; pace fœderatâ tum maximè ſecuram, nullo ſecundùm jura gentium feciali præmiſſo ad denunciandam offenſi, ſi quis erat, animi, bellique ſuſcepti cauſam: eàque temeritate denuò exitiales ac cruentos reduxit in Moraviam caſus. Erat tum *Auſtriæ Dux Henricus, D. Leopoldi filius, quem Fridericus Imp. primum, è Marchione in Ducem Auſtriæ, anno 1156. ùt jam dixi, evexerat.* Hic collectis, ùt potuit, in eo repentino hoſtium incurſu copijs, primò ſatis habuit, ſi ſolummodò arceret prædatorios globos, ne liberâ populatione graſſarentur ubivìs impunè. Accidit verò, ut quosdam palantes per varia confidentiùs, ex improviſo adortus, non modò prædâ omni exuit, ſed majori ex parte concidit, agmine uno, quod in valle quadam corporibus curandis intentum, ac nihil tale veritum, ſubitâ irruptione oppreſſerat, planè ad internecionem deleto: ita ut ex quinquaginta præter propter viris, vix unus, qui vel cladis nuncium ad ſuos referret, ſuperfuiſſe credatur. Nec multò poſt auctior viribus, & rei benè geſtæ ferox, ut par pari referret, *in Moraviam* vaſtabundus irrupit; cæsíſque qui aliquandiu reſiſtebant, in interiora regionis quaquaversùm ſeſe effudit, diripiens oppida, ac ſub id tempus opulentiſſimas pecore & frugibus villas: neque pedem retulit citiùs, quàm ſuos quoque copiosâ prædâ cumulaſſet. Cùm deinde accurriſſent ad *Cunradum*, opis ferendæ causâ, *Otto, Brzetiſlaus & VVladimirus Marchiones* (Sobieslao in Bohemiam reverſo) frequentibus utrinque congreſſibus, circa limitem præliatum fuit, jam his, jam illis prævalentibus. Hinc *totus ille Znogmenſis terræ circa Teyam tractus*, ingentia, ad extremum usque penuriæ, non tantùm ab hoſte, ſed â domeſtico quoque milite, detrimenta tulit. Qui mutui procurſus, cùm utrobique partium animi, non niſi cædibus & incendijs inferendis, intenti eſſent, durabant in altam usque hyemem: imò poſt frequentes imbres autumnales, quibus exundante Teyâ, nonnihil ab excurſibus prohibebantur, *ſuperveniente demum hyeme, fluminibúsq; glacie firmâ, ceu pavimento ſtratis*, eò liberiùs erumpebant: ipſo etiam *Januario menſe*, dum vel maximè rigidum hyemis ſydus inhorreſcere ſolet, cuneatim egreſſi, prout ſors cuíq; obtigerat, licentiùs vagabantur.

Auſtriam nulla habita juſti causâ bello exagitandam ſuſcipit:

Caſpinian. in Auſtria Andr. Presbyter. Ratisbonenſ. in Chron. Bavar. Lehman. lib. 5. Chronic. Spirenſ. cap. 63. Urſpergenſ. ad an. 1156. Conſtitut. Imper. Tomo I. f. 282. & 302.

Auſtriaci ad reſiſtendam animos viréſque comparant:

in Moraviam irrumpunt: prædas agunt.

Leviores utrinque pugnæ.

Diſtrictûs Znogmenſis calamitas.

Aſſiduæ, etiā hyemis tempore, hoſtiles utrinque excurſiones.

Æquinoctio poſtmodùm verno transacto, quùm nihil remitterent ab hoſtilitate partes, bellum cum longè infenſioribus animis utriúsque gentis recruduit. *Moravi* etenim junctis rurſùm cum *Bohemis* armis, in id totis incubuêre viribus, ut priusquàm *Auſtriacis* accederet ſubſidiarius miles, quem ex *Styria & Bavaria* venturum brevì fama ferebat, *Auſtriam* invaderent, illatáque damna ulciſcerentur. Magno itáque numero peditum contracto, primò omnium *Retzium* petunt: nactíque diem densâ caligine nubilum, ita ut omnis è ſpeculis proſpectus oppidanis eriperetur, tribus ex improviſo prælijs ad murum factis, occisóque præſidiarij militis præfecto, oppidum expugnant, diripiunt & incendunt: eóque ſucceſſu elati excurrendo populandóque per regionem vicinam, quam *Pulka amnis* interfluit, ingentem pecoris atque hominum prædam egerunt; imò in interiora usque evecti, totum illum *Borealis Auſtriæ tractum*, qui nunc *inferior Manhartzberg* nuncupatur, maximo

Anno 1176. recrudeſcit bellum.

Moravi cum Bohemis Retzium ex improviſo adoriuntur,

capiunt, diripiunt, incendunt:

longè latéque populabundi per Auſtriam excurrunt.

Digitized by Google

mo impleverunt pavore & tumultu. Opportunè autem per id tempus venit Auſtriacis ſubſidio, *Marquardus Odomeri Marchionis Styriæ*, ùt vocant, *Marſchalcus*, vir fortis & diſciplinæ militaris ſcientiâ clarus; adduxítque gravis & levis armaturæ delectos equites centū, & pedites veteranos ſpectatæ virtutis ſexcentos. Cujus adventu *Henricus* mox prælio hoſtem adoriri conſtituit, non expectato, donec *auxilia Bavarica* venirent. Nec mora, itum in hoſtem, commiſsúmque prælium atrox: *Auſtriaci* equites prodigere vitam pro patria, & pro victoria contendentes, acerrimè inibant pugnam, velut quodam furoris impetu oppoſita omnia deleturi: ſed ùt præcipiti conſilio, ita minùs proſpero eventu. Nam cùm illorum impetum *Wilhelm Comes à Drebolcz, Ottonis* (de quo ſuprà) *filius, Familiæ Kaunicianæ heros inclytus*, denſatâ primi agminis fronte fortiter excepiſſet, ita ut non pauci adverſis induti haſtis, repulsíque ex equis præcipitarentur; reliqui nutantes, ac præſenti ſuorum ſtrage perculſi, fugam haud obſcurè circumſpiciebant; cúmque premerentur acriùs, neque ampliùs *Moravorum* impetum ſuſtinere poſſent, ac plurimi ex eis, telis hoſtium obruti occumberent, ceſsêre tandem loco, & quo quísque potuit, diffugêre. In ea præcipiti fuga (quod *majorem Auſtriacis cladem attulit*) in ſuos pedites inciderunt, totámq; eorum aciem perturbatam, à dextro latere, in *Marquardi* alam propulerunt; ita ut fluctuantibus prementibúsque equitibus, peditum ordines non modò impulſi, verùm etiam proſtrati ſolverentur. Eodem temporis momento, *Styrij* quoque pedites, *Bohemos* ſuperare conati, ſucceſſu omni fruſtrati ſunt: nam cùm alij ſcutati intentis haſtilibus gladios ſtringerent, alij aurita venabula, lanceas, rhomphæásque adunco ancipitique ferro lato præfixas ferrent; ad ipſum tamen corpus phalangis, *longiores haſtas ericij modo prætendentis*, pervenire ob paucitatem virium minimè potuerunt. Tantáque demum ſequuta eſt animorum commutatio, ut qui paulò ante ſingulari ferociâ, ſummáque alacritate ad dimicandum procurrerant, modò in effuſam fugam converſi, poſthabito ducum imperio, & initio ab equitibus facto, terga darent. *Henricus* visâ acie ſuorum dejectâ, cum paucis fugam arripuit: dúmque ad arcem vicinam, per pontem malè concinnatum citatis paſſibus properaret, fracto illo, equo decidit, crúsque fregit; â cujus vulnere, cùm in ea rerum confuſione non adeſſet, opportunè qui mederetur, tertiâ die obijt, ùt teſtatur *Daubravius*. Alij ſunt, qui non *Henricum*, ſed filium ejus *Leopoldum VI.* cognomento Virtuoſum, crus fregiſſe perhibent: non tamen ob id ſtatim mortuum, ſed Religionem ingreſſum, duobus filijs *Friderico & Leopoldo VII.* relictis, in eáque poſt ſanctè transactam vitam, anno 1192. defunctum. Porrò *Marquardus*, dum communiverſæ fœdiſſimam fugam darent, & *Moravi equites* tergis eorum inſiſterent, fortiter aliquandiu Victorum impetum â noviſſimo agmine ſuſtinuit, egregiéque tum adhuc dimicavit: poſtea tamen â pluribus ſimul circumventus, multisque clavarum ictibus contuſus, eò usque periculi devenit, ut ægre ſe ê manibus hoſtium eripere potuerit.

Henricus Auſtriæ Dux acceſſione copiarum Styriacarum viribus auctus, prælium decernit.

Concurritur.

Paproc in Speculo Moraſ. Hic dextrum Moravorum cornu curabat.

Equites Auſtriaci funduntur, fugantur.

Pedites Styrij nihilominùs pugnam ſuſtentant:

Sed irrito conatu.

Auſtriacorum fuga. Henricus Dux dum fugit, crus frangit, moritur.

Daubraf. l. 13. Hagek ad an. 1176.

Naucler. in Chronograph. Volum. 2. part. 1. generat. 43 Bohemorum & Moravorum Victoria: quâ tamen uti neſciunt,

Sed *Moravi*, ſicuti præcipiti hoſtium audaciâ victores evaſerant, imlemo-

pleniore uti Victoriâ, fatali errore neſcierunt: delendorum enim peditum prætermisêre occaſionem, cùm vix ad mille paſſus dilapſos palantéſque inſequuti eſſent; ſivè quòd ob paucitatem equitum ulteriùs proferre ſigna non auderent, ne fortaſſe *Auſtriaci*, aut ducum aſtu, aut ſuo pudore concitati regrederentur, ùt ſæpè accidit, ad prælium; cùm tamen omnes, quà viam inveniebant, profugiebant: ſeu quòd dirripiendis hoſtium caſtris, ut â vero propinquius videtur, magìs intenti eſſent. Signo itáque per lituos receptui dato, ad ſpolianda cadavera, colligendáſque hoſtium manubias, redierunt feſtinantes. Quibus abeuntibus, *equitatus Auſtriacus* paulatim ſeſe recollegit; pedites quoque ſylvarum beneficio ſervati, & qui varijs fugæ caſibus cladem evaſerant, recollegerunt ſeſe, ita ut paucos intra dies, ſpeciem juſti exercitûs efficere cenſerentur. Sed nihil in victores tentare auſi, an quòd *auxilia Bavarica* præſtolari conſultiùs ducerent, caſtris in tuto fixis ſeſe continuêre ſpectabundi, quonam deinceps *Moravorum* conſilia tenderent, quidve molirentur.

manubijs hoſtium colligendis potiùs intenti.

Auſtriaci copias recolligunt.

Inter hæc *Fridericus Ottonis Witlſpachij germanus frater*, adeóque *Cunrado Marchioni Moraviæ* affinitate conjunctus, in *Auſtriam* venit, miſſus *ab Imperatore*, qui tum temporis in *Longobardia* agebat, bello graviſſimo implicitus; ſi quo modo interpoſitione ſuâ, *Auſtriacos inter & Moravos*, pacem reſtituere poſſet. Et quoniam *Moravos*, *inſtinctu Bohemorum*, *ſementem exitioſi bujusmodi belli jeciſſe*, *delatione certâ didicerat Imperator*, *ſub interminatione banni*, *ſeu proſcriptionis Imperialis*, *Sobieslaum & Cunradum ab infeſtanda deinceps Auſtria deſiſtere juſſit*. Quæ cùm expoſuiſſet *Fridericus*, juſta utique & digna, ceſſatum eſt ab armis, pactíſque inducijs ſemeſtribus, *Sobieslaus in Bohemiam*, *Cunradus cæterique Marchiones in Moraviam* redierunt. *Fridericus* tamen non priùs abſceſſit, quàm affini ſuo, *Auſtriacos* in integrum reddidiſſet placatos, pace non ad ſemeſtre tantùm, ſed in perpetuum fœderatâ.

Fridericum Ottonis VVitelſp. qui erat Cunradi ſocer, in Auſtriam mittit,

qui pacem procuraret.

Induciæ ſex menſium.

Cunradus Marchio pacem cum Auſtriacis init;

Ægrè id tulit *Sobieslaus*, & factum ſine ſcitu ſuo pro inſolenti reputans, ideóque *Cunradum* ſuſpectum habens, armis illum petere decrevit. Nec mora eâdem æſtate, cùm non dum ab *expeditione Auſtriaca* quieviſſet miles, recollecto exercitu, in *Provinciam Znogmenſem* vaſtabundus irrupit; oppreſsiſque finitimis incurſione repentinâ, obvios multos cæpit, reſiſtentes profligavit, pagos & oppida incendit; coactáque omnis generis hominum & pecoris prædâ, quaſi jam furori ſuo feciſſet ſatìs, domum revertit. At *Cunradus*, quem primò ſubitus adventantis Sobieslai rumor, mox villarum incendia, & majoris etiam cladis metus, ad arma exciverant, contractâ celeriter, cùm domî, tum in Auſtria *ſexcentorum equitum alâ*, hoſtium veſtigijs inſiſtendum duxit: diſceſſu illorum magìs in audaciam ſtimulatus; deprehenſóque in itinere, uno ſub ſarcinis gravi cuneo, primùm clamore, deîn telorum multitudine, ac tandem tumultuario omnium procurſu, totum fudit ac diſſipavit, magnáque cæde editâ, *reliquos fuga dilapſos in Bohemiam usque perſecutus eſt*; unde abactis quoque armentis, & concrematis pluribus pagis, *domum ferens de hoſte fallaci vindictam*, ovanti ſimilis reverſus eſt.

quod Sobieslaus iniquo ferrens animo,

Znogmenſem Provinciam infeſtat hoſtiliter.

revertentem cum præda Cunradus,

perſequitur in Bohemiam usque;

& par pari referens, prædas agit.

Ss Exorto

Sobieslaus publico odio laborat:

Exorto in hunc modum civili bello, res brevì in extremas deſijſſet clades, nì Bohemi proceres *Sobieslaum*, qui dominationis impotentis ſpeciem præ ſe ferre haud obſurè videbatur, deteſtati, deſciviſſent ab eo præcipui omnes. Acceſſit *apud Cæſarem odium* in illum grave, tum *propter bellum Duci Auſtriæ* præter fas & æquum nuper illatum, tum quòd *Emericum* ſeu *Arpadum, furori fratris ſui belæ III. Regis Hung. cedentem, & Cæſarem appellantem, apud ſe hoſpitem, ſupplicem ac innocentem, humani divinique juris oblitus, in vincula conjecit, & belæ, cujus amicitiam eo ſcelere ambiebat, vin[ctum] remiſit.* Ergò arreptâ eâ occaſione Bohemi, ſceptra Regni ei abrogant, & *Fridericum Wladislai Regis filium* in Regnum vocant. Hinc atrox *Friderico inter & Sobieslaum* bellum exarſit. Primò ad *beronam oppidum*, in Bohemia, atque iterum *ad Horzelicium* pagum, pugnatum fuit, ubi *Fridericus* (etsi Cæſareis copijs adjutus) fuſus fugatúsque iniquam ſortem tulit, ... multi, nec pauciores capti. Inter alios *cataphractus Tribunus ex Germ[ania]* erat: quem equo itidem cataphracto inſidentem, *victor Sobieslaus*, â fuſtibus & lapidibus obrui juſſit, in victoriæ præſentis monimentum. Tumulus ... geſtæ rei teſtis, *ad pagum Duſſnik, in fundo Capituli Metropol. Prag.* hodieque â viatoribus digito oſtenditur, ædiculâ ſacrâ honori *SS. Adalberti & Georgii MM.* dicatâ nobilitatus. Poſtea tamen *Fridericus*, Moravorum copijs, quas *Cunradus & Otto Marchiones* adduxerant, in ſpem melioris fortunæ obtinendæ erectus, dum ſecundò ad Pragæ mœnia conflixiſſet, *Victoriam faventibus Superis obtinuit*, hôſtéque proſtrato, *ſuis ipſemet manibus Sobieslao vulnus inflixit*; qui ſemivivus pugnæ ſubtractus, non ita multò poſt in exilio perijt, relicto filio parvulo *Cunrado, ab albis crinibus cognomento Albo.*

Regno pellitur, an. 1179. Æn. Sylv. in Hiſt Boh c 25. Dubrav. l 13 ad fin Hagek. Pulkawa. Kuth. ad an 1179. Krantzius in VVandal. l. 6. cap 6. moritur an. 1180 relicto filio Cunrado cognom. Albo. VVeleslavin. in Geneal Ducum & Reg. Boh. habet. an. 1180. Hagek ad an. 1207. Cunradi Albi mentionem facit. MS. Trebic.

His peractis feliciter, & *Sobieslao*, ceu fomite turbinum amoto, Moravia videns *Marchiones cum Friderico agere concordiſsimè*, ac ſyncere colere amicitiam & pacem, exiſtimabat ſe diuturnis fruituram pacis bonis: eveniſsétque haud dubiè, niſi fortuna futuræ ejus quieti nimiùm invidiſſet; quæ *ortis in Bohemia adversùs Fridericum turbis; cùm & Cunradum contagio illarum infeciſſet, funeſtam rurſus tranſtulit in Moraviam calamitatum cöethem.* Quippe *Bohemi* id ægerrimè ferentes, quòd *Fridericus præfectos ærario homines Germanos, qui in exigendis vectigalibus plebi erant multum graves*; & magis adhuc proritati, quòd *publicum quoddam præcipui ordinis munus, Germano Nobili, bohemis præteritis demandâſſet*; primò contra ... ſitare, ac demum palàm fremere, cum indignatione ſummâ id deteſtari, Principémque monere, ne in cooptandis magiſtratibus novam rationem inſtituere vellet, quæ hactenus nunquam fuiſſet, ùt quæ patrijs legibus ſeriò prohiberetur. Quanto autem minùs ille ejusmodi querelis permovebatur, tanto magis Bohemi æſtuabant; donec tandem *ſolio deturbandum conſtituunt, in que locum ejus Cunradum Marchionem invitant.*

Fridericus VVladislai Regis filius Regimen ejus excipit: Sed dum Germanis plus nimio indulget. Bohemorum animos in ſe concitat: qui Cunradum March in ſolium vocant.

Cunradus quanquã primò nuncijs ad ſe miſſis, talẽ ſe vultûs ſermoníſq; habitũ præbuerit, ut neq; approbare quæ dicebantur, neq; repudiare videretur, idq; cogitabundus ſecũ tantæ rei conſcientiâ, mœſtior aliquantulũ appar[ebat], qua...

ejus in hoſpitem Regis Hungariæ fratrem inhumanitas:

quia tamen oblivíſci omnium præ gloriæ & imperij cupiditate conſvevimus, *dulcéque eſt omni, primo ſtare loco*, dedit paulò poſt ſvadentibus manus; ac certior factus de abſentia Friderici, qui cum *Theobaldo II. Klatovienſi Principe*, (hunc narrat Pulkavva, *quartam partem Bohemiæ tunc tenuiſſe*,) Ratisbonam ad Comitia diſceſſerat, *in Bohemiam ex improviſo irrumpit, VViſſebradum occupat, atque ipſam Pragam, poſt toleratam unius & medij menſis obſidionem, ad deditionem cogit.* Hunc in modum nova rurſum exorta cauſa civilis belli: quod tum quidem ſopitum putabatur, quando Cæſar in Fridericum propenſior, *Bavarum Palatinum, prædicti Cunradi*, verba ſunt Pulkavvæ, *ſocerum*, (Ottonem Witlſpachium, cui idem Cæſar anno 1180. Bavariam, *Henrico Leoni læſæ Majeſtatis reo* ablatam dederat,) *Pragam miſit*, ùt partes componeret; Cunradúsque ſolio vi occupato ceſſit: reverà tamen ſopitum non fuit, intermiſſum duntaxat, quod non multo poſt acrioribus magisque exulceratis animis, *Moraviæ ut plurimum ferale ac cruentum*, recruduit. Nam inſidentibus altiùs odijs, iisque plùs indiès gliſcentibus, dum *Cunradus* novos in *Fridericum* concitat hoſtes, *Uldricum* nempè & *VVenceslaum Sobieslai II. fratres*, quos ad vindicandam fratris injuriam incitabat, néve illam inultam paterentur, aſſiduò hortabatur: cæſis poſtmodùm illis, infelici ad Pragam prælio, molem totius belli in ſe convertit. Daubravium audiamus: *Et quanquàm exigua portio autumni ſuperfuerat* (poſt cæſos fugatósque Uldricum & Wenceslaum) *ne illam quidem ſine ultione tranſire voluit Fridericus: Przemyslaum fratrem juniorem turmis & cobortibus inſtruens, adversùs Cunradum, ad quem ſe VVenceslaus ex fuga receperat miſit, eidem mandans, ut in regionem Znogmenſem profectus, totam Cunradi ditionem pervaſtaret. Vadit ille in Moraviam, populabundúsque ad arcem usque Bitovam, quæ non longè à Znogma eminet, pervenit. Hujus capiendæ animo inflammatus, magno illam impetu adoritur, quem tamen præfectus, tum munitionibus arcis, tum forti præſidio fretus, facilè retundebat. Interibi Przemyslo nunciatur, Cunradum ſubſidio arci longum militum agmen adducere, & ad eum ex via multos armatos aggregari, qui doleant in conſpectu ſuo, Moraviam à Bohemis fœdè vaſtari; proin certum imminère certamen: ad quod ineundum, quando non ſatis ſe inſtructum videret Przemyslaus, tempori cedendum, quàm temerè reſiſtendum conducibiliùs duxit, ad fratrémque ſalvis copijs & ſpolijs Pragam redijt.* Acceſſit porrò major odij fomes in Cunradum, quòd diceretur palàm id moliri, *ut Moravia*, (ità habet Pulkavva) *abſtraheretur à Bohemia, eámque ille & ſucceſſores Marchiones, non beneficio Ducum aut Regum Boh. Sed Cæſarum poſſiderent:* quod utique erat deteſtandum, & in Patriam impium, ſi tamen verum.

Cunradus in Bohemiam movet; Pragam occupat. Cæſaris juſſu Fridericus Regno reſtituitur. *Pulkawa ad an. 1181.* Cunradus expeditionem in Bohemiam repetit: cum clade revertitur, *Daubrav. l. 14. pag. 128. Pulkawa ad an. 1184. Continuat. Coſmæ an. eod.* Fridericus fratrem Przemyslum, in Moraviam cum exercitu mittit, anno 1184. qui arcem Bitovv fruſtra tentat obſidione: à Cunrado repellitur. *Pulkawa an. cit.*

Hyemis tempore *Fridericus* cognito Cunradum, novum inſtruere armorum apparatum, & quò validior evaderet, *conduxiſſe in Hungaria octo equitum centurias*, præveniendos ejusmodi conatus maturè exiſtimavit. Evocato itáque ex hybernis milite, jámque æquinoctio verno appropinquante, *Fratrem in Moraviam citatis itineribus proficiſci juſſit*, cum mandato, ut

Bellum civile recrudeſcit longè atrociùs.

 Cun-

Digitized by Google

Nova & inſtructior Przemyslai in Moraviam expeditio, an. 1185.

Daubrav. cit. Hagek. Kuthen. ad an. 1185. Pulkawa in Hiſt. Bohem. an. 1184.

Cunradum quocúnque tandem modo, aut inſidijs circumvenire & capere, aut ſi id non ſuccederet, ubicúnq; reperiretur, obſidione quantocyùs premere contenderet: vel ſi pugnæ copiam præberet, ferro rem decerneret. Totum id, & quid ſequutum fuerit, deſcribit idem Author paulò prolixiùs hiſce: *Ac primo Vere, cum ſex millibus peditum, & quingentis equitibus profectionem in Moraviam repetit, Cunrado omnibus rebus, externo etiam auxilio, ad occurrendum & confligendum parato. Erat ex familia VVerſovicenſium, quæ ſolum invita verterat, ſedesque ſibi in Polonia delegerat, Ratiborius quidam, pollens viribus, manúque promptus, & ob ea Polonis imprimis charus. Is cùm tam longi exilij ſine ſua culpa contracti, finem aliquem videre optaret, multa ſuper hoc in animo ſuo ſæpiùs volvebat; præſente tandem fortunâ tumultûs Moravici ei oblatâ (quam quidem fortunam, aut nullam deìn aliam ſibi Principem Bohemiæ conciliaturam ſperabat, ſi videlicet cum aliquo emolumento coram illo appareret) ſic illi inſtitit, quoscúnque ex militari nobilitate vel cognatione, vel amicitia & benevolentia, aut familiaritate erga ſe affectos cognovit, alios precibus in ſocietatem militiæ, alios ſpe conſequendorum in Moravia ſpoliorum invitabat, donec benè multam equitum Polonorum manum conglobaret, valdéque in tempore cum illa in Moraviam penetraret. Vix enim tribus millibus paſſuum à ſe diſtabant Przemyslaus & Cunradus, utérque ad præliandum compoſitus, cùm exploratores Przemyslao indicant, turmas equitum adventare, & quantum ex habitu & armis cognoſci potuit, videri ſibi Polonos equites eſſe. Terruerat hæc res Przemyslaum exiſtimantem auxilia illa Cunrado in cumulum accedere, ſed iſtum terrorem, ſimul atque errorem Ratiborius caſtris Bohemorum appropinquans Przemyslao ademit, per internuncium ei ſignificans, ſe auxilio exercitui ejus ſuâ ſponte advenire, nullo prorſus alio præmio invitatum, niſi ut per eum gratiam apud Fridericum recuperet, deinde apud ipſum quoque: quam certè gratiam, nullo ſuo vitio, aut nullâ malâ ſuſpicione, ſed Familiæ ſuæ peccato agnoſcat eſſe amiſſam. Cæterùm quàm æquum ſit, majorem delicti pœnas luere poſteros innocentes, ipſe dijudicaverit. Juſſus bonum habere animum, cunctáque ex victoria ſecunda ſperare, ſi illa eventum ſecundum habuerit, caſtra cum ſuis lætus ingreditur. Ubi paucis conſilia de pugna in commune conferentes, ad pagum inde Ludomirum, ad quem Cunradus caſtra poſuit, inſtructâ acie eunt, nullam moram pugnæ Cunrado interponente. Pariter itáque clamorem tollunt, paritérque ferrum & tela expediunt, ac pari conditione dimicant, tantâ conſtantiâ, ut nec eques ab equite, nec à pedite pedes, de loco ſe pelli ſuſtinuerit, ſed quem quìsque eorum dimicans ſemel ceperat, eundem locum moriens obtinuit. Segregat deinde ſuos ab alijs Ratiborius, & transverſam Cunradi aciem in qua VVenceslaus erat, quanto maximè poteſt impetu invadit perrumpitque; nec ſic tamen ibi fuga alicujus viſa, ſed cædes potius utriùsque partis aderat, niſi quòd jam adeò perturbati hoſtium ordines viſebantur, ut nullam ampliùs pugnam redintegrare poſſent. Datum inde à Przemyslao receptui ſignum, probibitúsque miles reliquias perſequi, excepto Ratiborio, qui Hungaros equites cum ſuis inſeque-*

Ratiborius Comes VVrſſovicenſis in Polonia exul, ut reditum in Patriam lucretur,

cum aliquot equitum turmis in Moraviam venit,

& Przemyslo ſe adjungit.

Cruenta dimicatio ad Ludomirium, an. 1185.

Przemysli victoria.

ſequebatur. Quatuor hominum millia, pari propè utrinque clade, in acie cæſa feruntur; inter quos tantus nobilium numerus, ut tædio humandi ſeorſum ſingulos, multi ſimul in unum ſepulchrum conderentur. Hoc quoque adijcitur: tubarum ſonitum, & clamorem pugnantium, fremitúmque equorum, & armorum ſtrepitum, in arce Caunicenſi auditum fuiſſe, quæ plus uno miliari noſtrate à Ludomiro diſtat.

Chron. Boleslavienſ. cujus Author Dalimil. Canon. Boleſl. cap. 73. anno 1184. MS Trebicenſ.

Chronicon Boleslavienſe refert, *complures Nobiles Moravos eo prælio cecidiſſe*, (nam *VVladimirus* etiam ac *Brzetislaus fratres ſtabant pro parte Cunradi*, cui haud aſſpernenda ſubmisêre auxilia; malo licèt ſuo, ùt teſtatur *Tiburtius monaſterij Trebic. Abbas*, qui tum vivebat, in fragmento Annal. ejusdem monaſterij; nec niſi exilio poſtmodùm expiando.) Inter alias præcipui nominis Familias perijſſe ſtirpitùs duas: quarum *una pro inſigni geſtabat albam manum, tenentem tubam, ſeu lituum aureum in viridi campo; altera virginem, exporrigentem ſagittam in aureo campo.*

E Nobilitate Morava multi præcipui nominis eo prælio cæſi. VVladimirus & Brzetislaus Cunradi partes ſequuti, ditionibus ſuis privantur.

Hic clade *Cunradus*, fractas ſuas vires conſpicatus, ſaniora deinceps conſilia circumſpicere cœpit, obtemperans tandem ſalutaribus monitis *Friderici VVitelspachij* affinis ſui, qui eum frequentioribus nuncijs & litteris hortari non deſinebat, ut ommiſſa inani pertinaciâ, traditáque Principis arbitrio totius belli controverſiâ, ſe, caput & fortunas ſuas omnes, gratiæ & clementiæ ejus committere vellet. Quamobrem cùm poſt aliquot temporis ſpatium, *Fridericus Dux Olomucium veniſſet*, ut eam urbem cum territorio adjacente *Przemyslo fratri, ejecto jam antea VVladimiro*, traderet; indéque redux, *Bitoviam quoque, ubi Cunradus morabatur*, divertere vellet, *Cunradus ſimulato tabellarij habitu*, ei in itinere occurrit, ſuppléxque factus, veniam delicti petijt; quam & obtinuit. Lubet hac de re iterum audire Daubravium commemorantem: *Ab hac victoria*, inquit, *quæ cruenta potiùs, quàm læta dici debuit, ſtimuli non deerant, quibus Fridericus adversùs Cunradum exſtimulabatur, ut eum funditùs everteret, alioqui nullam inter æmulos pacem futuram; adduci tamen is haud potuit, ut novâ calamitate Cunradum, ſine nova ab eo injuria accepta, vellet afficere. Itáque in Moraviam iturus, ut Przemyslaum fratrem de ſe benè meritum, in poſſeſſionem Olomucenſis regionis induceret, non ſolùm inermi, ſed exiguo etiam comitatu, ad arcem Caunicenſem venit; quanquàm ſic quoque moleſtus, tunc Cunrado ſcrupulus eſt injectus, & nonnulla dubitatio, quidnam ille de via propiùs Znogmam deflexus protenderet. Nec diù ſe curâ illâ torquens, mutatur in formam tabellarij, à Palatino Principe ex Germania cum tabellis ad Fridericum miſſi, & ſecretis præterea mandatis. Ad quem perductus, arbitris omnibus ſemotis, tabellarij perſonam protinùs deponit, & Cunradi ſupplicis accipit, in poteſtatem ſe patruelis tradentis cum ſuis fortunis omnibus. Hinc tandem offenſionum omnium, ſimultatúmque inter illos factus finis: Cunrado ad officia exhibenda parato, & Friderico ad referendam gratiam, ultróque benevolentiam oſtentantandam prompto.*

Fridericus fratri Przemyslo Olomucium tradit.

Daubr. lib. cit.

Fridericus in Moraviam venit.

Cunradus ſimulato tabellarij habitu culpam deprecatur: veniámque obtinet injuriarum.

Bellum ſacrum denuò ſuſcipitur.

Anno Chriſti 1189. à Clemente III. ſacrum bellum pro recuperanda Hieroſo-

Daubraw. lib. ſupra cit. Hagek ad an. 1189. Author Appendicis ad Hiſtoriam Radevici Canonici Friſing. oculatus rei teſtis, vocat eundem Cunradum, Ducem de Mair.

Fridericus moritur, an. 1190. cui Cunradus Marchio Hieroſolymis redux ſuccedit: *Stransky in Rep. Boh. c. 8. §. 29. Paproczky libro, o Stawu Rěſſlkym w Czechách pag. 226..227.*

roſolyma, ſesqui anno antè â Saracenis occupata, indictum eſt: cúmque prima orbis Chriſtiani capita, utpote, *Fridericus Imp. Philippus Rex Galliæ, Richardus Rex Angliæ*, aliíque Principes Europæi, cùm Eccleſiaſtici tum Politici ſtatûs, in Syriam transmitterent, *Cunradus Marchio, cum Moravicis & Bohemicis copijs* numero ſexcentis, ijs ſeſe adjunxit: indéq; reverſus anno ſequenti, quo *Fridericus* obierat, unanimi omnium conſenſu, maximè autem *Theobaldo II. patruele* fideliter cooperante, ſolium Bohemici Regni conſcendit, Znogmenſem verò Provinciam *Ottoni* filio reliquit. Perrexat *cum Cunrado in Terram Sanctam, etiam Theobaldus Friderici Ducis minor natu frater*; qui ibidem ex incommodis itinerum & militiæ, aliiſque malis obijt: *quem etiam multi Nobiles Bohemicæ terræ Primates* (verba ſunt Anonymi, Coſmæ & Jaroslai continuatoris,) *ſequuti, inopinatâ morte ſunt præventi.* Quod idcirco hìc refero, ne *Theobaldum iſtum confundat aliquis cum Theobaldo II. Theobaldi Magni filio*, qui longè poſteriùs deceſſit.

(Henricus Bohemiæ Dux & Epiſcopus, Cunradi germanus frater.)

ad Neapolim, unà cum Ottone IV. Marchione peſte extinquitur. *Daubraw. l. 14. Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. c. 15. Pontan. in Bohemia Pia l. 3. Goldaſt. in Comment. de Regni Boh. Privileg. lib. 6. cap. 4. num 26. habet annum 1192.*

Ad *Cunradum* redeo, cujus imperium Bohemicum non fuit diuturnum: nam ſub ipſa initi magiſtratûs auſpicia, rogatus *ab Henrico VI. Cæſare, Friderici Imp. in expeditione Hieroſolymitana defuncti filio*, in bellum pro recuperando *Apuliæ Siciliæq; Regno* proficiſcente, ut ſibi auxilio adeſſe vellet, etſi primò dubitaret, irétne ipſemet, an per alium copias transmitteret: ultimò tamen vicit novi Cæſaris demerendi cupido. Commiſsâ igitur Regni curâ *Brzetislao Henrico Epiſcopo Pragenſi fratri ſuo*, [ita *Henricus* ipſe fratrem ſuum nominat *Cunradum*, in litteris donationis, quibus monaſterio Lucenſi Ord. Præmonſtrat. in Moravia confert *Lukam & Bohumilice* pagos, ſub tenore iſto: *Ego Henricus Dux Bohemorum & Epiſcopus, nec non Marchio Moraviæ, pro remedio animæ meæ, & fratris mei Ducis Cunradi, ac pro univerſis prædeceſſoribus meis, villam quæ dicitur Luka, adjacentem ejusdem nominis monaſterio, cum telonio & villa Bohumilicz, cum molendino & flumine, & ſylva quæ Palice nuncupatur. &c. Datum per manum VVitkonis Archidiaconi Zatecenſ. in caſtro Bitovv. 7. Idus Junij anno 1195.*] profectionem in Campaniam cum Cæſare ſuſcepit; quem *Marchio Otto ejus nominis IV. Dux Brunenſis*, cum turma Moravorum armis & alio apparatu egregiè inſtructâ, comitatus eſt. Accidit verò, ut in obſidione *Neapoleos*, exortâ in caſtris lue, utérque extinqueretur. Ille reliquit filium unicum *Ottonem V. Marchionem Znogmenſem, Otto verò IV. filios duos: Uldricum & VVladislavekum, & filiam Margaretam*; quam poſtea, anno 1205. *Rex Daniæ VValdemarus* duxit uxorem; eam Dani ob eximiam pulchritudinem, *Daghmar* appellabant.

Filium reliquit ſuperſtitem Ottonem V. Otto Marchio, duos, Uldricum & VVladislavek. *Ericus Daniæ Rex. in Hiſtoria Gentis Danor. in VValdemaro II. ad an 1205. & 1213.*

Dubia per annum ferè & fluctuans Reipublicæ Bohemæ gubernatio.

Annis porrò ſequentibus, denuò recruduerunt de obtinenda Reipub. Bohemæ gubernatione, inter agnatos Principes, concertationes graves: *nam primò arripuit regimen VVenceslaus II. Sobieslai ſenioris minimus natu filius, quem ſolio ejecit Przemyslus VVladislai Regis filius, vique Principatum ſuum fecit: ac rurſum ejecto Przemyslo, cùm Henricus Epiſcopus Pragenſis Proceribus Bohemis comitia indixiſſet, in iisque Spitihnevum VVenceslai II. in Luſatia ab Alberto Marchione, qui Przemysli partes ſequebatur, intercepti ac ſublati*

lati filium, inſignium virtutum adoleſcentem, evehere in Ducem niteretur, ipſemet à Bohemis Dux eſt acclamatus: cui tertio regiminis anno defuncto, VVladislaus VVladislai Regis alter filius, atque mox rurſum frater Przemyslaus ſucceſſit. In Moravia tamen pacata fuêre cuncta, *VVladimiro & Brzetislao* paternas in ditiones reductis, & ea quæ conſervandæ tranquillitati publicæ ſervirent, diligenter procurantibus: excepto, quòd inſolentiores aliqui, Przemysli partes ſequuti, ob idque *Henrici Principis* dicto minùs audientes, utpote quorum animos, ſpes Przemyslianæ dominationis, & conſequendorum inde honorum, ad res novas incitabat; novâ rurſum tempeſtate Reip. tranquillitatem perturbarent: quæ tamen brevì interveniente *Ottone V.* ſopita fuit. Daubravius id commemorat talibus: *Inſtruebat tunc Emericus Hungarorum Rex, Belæ filius, ingenti apparatu nuptias, eásque cum Conſtantia Aragoniæ Regis filia Strigonij adornabat: ad quas Henricum quoque Bohemiæ Principem invitaverat: quod quia percommodè accidit, ita videlicet ſicuti Henricus cupiebat, jam pridem appetens, avidúsque fœderis cum Rege Pannoniæ ineundi, tam tempeſtivâ occaſione, ad id conficiendum ſibi oblatâ non mediocriter lætabatur: venitque Strigonium ad diem nuptijs dictum. Quibus peractis, iſtoque cum Rege pacis fœdere, dum Pragam remeat, in itinere accipit, inſidias ſibi in Moravia eſſe paratas, quas ut devitaret, longiore diverticulo uſus eſt; in Auſtriam usque deflectens à via, omnésque fruſtrans inſidias. Pragam reverſum Proceres, & frequens Nobilitas, quæ ipſum Henricum in via ſequebatur, unâ omnes voce flagitant, ne inultam ſinat Moravorum perfidiam. Tum Henricus, longè à me, inquit, tam impia mens faceſſat, ut propter delictum paucorum in omnes deſævire velim, quando & illi pauci ſuo tempore, cujus Deus optimus eſt arbiter, debitas ſceleribus pœnas luituri ſint. Nimis religioſa hæc cunctatio, nimisque Nobilitati odioſa viſa, dicenti, Principem decere, ut in puniendis propulſandisque injurijs ſegnis non appareat, alioquì malitiam dilatâ animadverſione longiùs proceſſuram. Aut igitur delectui eſſe ei adnuendum, aut ſpectandum, dum ipſi ſuo ſumptu, vel invito Principe, copias contrahant in Moraviam ducendas. Ita volens nolens expeditioni Moravicæ adnuit, edicto priùs propoſito, capitis pœnâ ſancito, ſi quis Præfecto copiarum non paruerit, aut loca ſacra quovis modo violaverit. Præfectus Moraviam ingreſſus,* (hunc alibi *Zdislaum* nominari invenio, & puto eſſe, vel *à Stellis*, vel *de Lippa* unum) *nullum in conſpectu hoſtem armatum videt. Mox edoctus ab exploratoribus, ad primum Bohemorum adventum perculſos, inſidiarum conſcios, arcibus etiam atque vicis ſuis deſertis, ex Moravia ad Przemyslaum confugiſſe, arces illorum cum ipſis hominibus in deditionem recepit, ac ſolam pecorum armentorúmque prædam militibus dilargitur.*

quam dum Henricus Epiſcopus Prag. Spitihnevo pupillo procurare nititur.
ipſe à Bohemis Princeps declaratur.
Hag:k. an. 1193.
Boregk Straut- ky. Kutben.
Dalimil. Pontan.
Przemysli complices in Moravia novas res meditantur.
Daubrav. l. 14.
Henricus à Rege Hungariæ ad nuptias invitatur: Strigonium venit.
Inde redux per Moraviam, inſidias ſibi perſtructas vix evadit:
incitatur ad vindictam:
quam ſvadentibus ægrè aſſentit.
MS. Anon. in Cathal. Epiſc. Prag.

Anno 1196. *Henricus Dux Boh. & Epiſcopus*, dum Egræ valetudinis curandæ gratiâ moratur, moritur, & in Doxanenſi Parthenone penes matrem ſuam *Agnetem* ſepelitur. Erat *Agnes*, *Gertrudis* Reginæ Boh. fundatricis ejusdem cœnobij conſobrina; utráque enim habebat matrem Henrici IV. Imp. filiam; illa *Bertham* Marquardi Carinthiæ Ducis uxorem; hæc *Agnetem* Divi Leo-

Henrici Ducis Boh. & Epiſcopi obitus,

Digitized by Google

Leopoldi Marchionis Auſtriæ conjugem. Calendarium vetus Doxanenſis Cœnobij, de Henrico Duce & Ep. hæc habet: *14. Junij, obijt beatæ recordationis Henricus Prag. Ep. & noſtræ Congregationis Protector pijſſimus, omniumque Spiritualium optimus Defenſator: qui contulit noſtræ Eccleſiæ circuitum Kolowecz, & de Tentorio ſuo ornamenta Altarium aurô texta.* &c. Idem Henrici fratris ſui pridem defuncti, & Merklinæ ſepulti filios, *Henricum III.* cognomento *Czerninum*, ſive ùt vetuſtiſſima manuſcripta referunt, *Czyrninum*, *Brzetislaum*, *Drslaum*, *Boleslaum* & *Chriſtanum*, quos jam tum non ampliùs Principis vel Ducis, ſed Comitis duntaxat titulo fuiſſe uſos invenio magnis ditavit opibus, ampliſſimíſque Bonis terreſtribus, ad invidiam usque cæterorum: quos deinde circa annum 1212. Przemyslus, incertum quâ de causâ, Bonis omnibus exuit, ac inſuper Regno expulit.

In literis Regus Monaſter Brzewnow. Kladrub. & Plaſſerſ.

Continuator Coſmæ & Jaroslai ad an. 1211. & ſequ.

Henrico defuncto an. 1196. 1197. die 14. Junij ſuccedit VVladislaus VVladislai Regis filius: qui tamen fratri Przemyslo regimen ſponte cedit.

Henrico mortuo, ſurrogatus eſt in dignitate Principis, ſeu *Interregis* omnium conſenſu, *Wladislaus Wladislai Regis minor natu filius:* qui tamen non multo poſt, ſpontè & laudabili modeſtiæ exemplo, advocatâ tam procerum, quàm populi Bohemi concione frequenti, ſceptra poſuit, déque universorum aſſenſu, ſeniori fratri *Przemylo* ea in manus tradidit. Quo facto *Przemysl*, primò omnium in *Spitibnevum*, quem aliàs *Henricus* ante obitum ſuum, præ cæteris Principibus cognatis Regni primoribus commendarat, iram & indignationem ſuam convertit, arreptáque causâ, quòd denuò res novas moliretur, ipſum ſine mora comprehendi, ínque vincula conijci juſſit, ne deinceps ad principale faſtigium aſpirare poſſet, *oculorum viſu privavit.* Quam diram ſortem ſubijſſet quoque *Wladimirus*, tametſi (uti ferebatur) innocuus, ſed iniquâ delatione temeratæ fidei inſimulatus, nî tempeſtivè in tutiora ſeſe ſubduxiſſet. Porrò *Przemyslus*, Olomucium cum adjacente Provincia fratri ſuo *VVladislao* tradidit.

Przemyslus Spitihnevum viſu privat: VVladislaum fratrem Olomucio, cum adjacenti territorio, donat.

Aliquot Marchionum Moraviæ obitus.

MS. Annal: Trebic. fragment. ſub Abbate Vitali.

Sub id tempus *moritur brunæ Uldricus Marchio, filius Ottonis IV.* cum paulò ante præceſſiſſet eum germanus frater *VVladislavek.* Eorum ditionem *Przemyslus* dedit *Svatopluco* fratri, vel (ùt alij malint) *Svatopluco Svatopluci fratris, Salisburgij apud Albertum fratrem Archi-Epiſc. Salisburg. defuncti filio.* Non multò poſt Brzedislaviæ moritur *Brzetislaus*, tabe lenta, quam phtyſim dicimus, conſumptus, nullâ prole relictâ: cúmque inter hæc *Przemyslus VVladimirum* ab exilio revocâſſet, *provinciam Brzedslaviensem* ei contulit: qui tamen paucos poſt menſes obijt, relictis duobus filijs, *Leopoldo* adultioris jam ætatis, & *Ottone:* qui poſtea defecerunt absq; ſobole ſuperſtite.

Przemyslus ab Ottone IV. Imp Ottacari cognomen, à Philippo Ottonis æmulo dignitatem regiam accipit, an. 1199. die 8. Febr. Alij volunt an. 1198. die 6. Junij.

Trithem. in Chron. Hirſſ. ad an. 1199.

Calſiſ. in Chronol. an. eod.

Strnsky in Reip. Boh. c. 8. an. eod.

Daubrav. l. 15

Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. c. 26.

Interea *Henrico VI.* defuncto *Philippus* frater ſuccedit. Is ut propenſiorem haberet *Przemyslum*, ad opem ferendam, contra *Ottonem Saxonem Imperij æmulum*, (cui tamen poſtea, Philippo ab Eccleſiæ communione per Summum Pontificem amoto, idem *Przemyslus* pertinaciſſimè adhæſit, ob idq; *Ottacari* cognomen tulit) Moguntiæ publicis in Comitijs, Regiâ decoravit coronâ: adnexo eo ſolenni Privilegio, ut *qui poſthac in Bohemia Rempublicam capeſſere, & gerere deberent, ſuffragijs populi liberis legerentur pro more omnes, eſſéntque Reges.* Ex quo tempore *Majeſtas Regia* in familia &

gene-

gente Bohemica, huc usque ſine ulla Ducum, aut Interregum interruptione continuò perſeverat. Sed profeſſio vocat, ut in Moraviam revertamur.

Hæc toto penè *Przemysli regnantis* tempore, ſi modò poſtremum regiminis illius annum excipias, pace fruebatur. Et quamvis anno 1202. *Regem inter & Theobaldum II. Ducem*, cœperint ſuboriri ſimultates graves, quæ jam-jam erupturæ in nervum videbantur, cùm *Philippus Cæſar* malè in Regem animatus, Regno eum privare, illúdque *Theobaldi filio cognomini*, qui tum Magdeburgi ſtudiorum gratiâ morabatur, conferre ſtatuiſſet: Ludovici tamen Bavari induſtriâ id impeditum fuit; quin poſtremò ipſemet Cæſar, favore potiùs demulcendum, quàm injurijs *Przemyslum* exagitandum ratus, eò usque ſe ſubmiſit, ut *Egram* (oppidum eſt in extremis Bohemiæ finibus ſitum) venturum ſe ultro ad illum offerret. Ibi non ſolùm ſimultas, quæcúnque interceſſerat depoſita, ſed nova præterea affinitas contracta fuit; dum *Philippus* filiam ſuam *Kunigundem*, *filio Przemysli VVenceslao*, interpoſitis ſolemnibus pactis deſpondit, eámque paulò poſt cum Sponſo nutriendam Pragam miſit. Et tunc etiam *Theobaldus junior*, Theobaldo II. parente ſub id tempus defuncto, in gratiam redijt: *cui Przemyslus Adelheidem ſororem Henrici Barbati Ducis Sileſiæ* (alij filiam ejusdem Henrici, Sanctâ Hedvige genitam volunt) *deſponſavit*, ac deinde *Svatopluco Marchione Brunenſe ad* plures commigrante, anno 1211. ſicut & filio ipſius unico *Henrico*, absque maſcula prole defuncto, an. 1216. *Brunam* ceſſit; *Sobieslao fratri ejus*, (à quo *Sſvvibovvskij*, primæ & Regiæ Nobilitatis apud Bohemos Familia, hodiéque ſuperſtes,) ditione *Klatovienſi* relictâ. Pulkavva ad an. 1206. de utróque, *Theobaldo & Sobieslao*, hæc refert: *Filij Theobaldi junioris*, *ſcilicet*, *Theobaldus & Sobieslaus in Bohemiam revocantur.*

Ut porrò cum cæteris quoque Principibus agnatis, firmiorem haberet amicitiam & pacem, *Cunrado Albo*, *Sobieslai II. filio Provinciam Brzedslavienſem tradidit*, *Leopoldo & Ottone filijs VVladimiri* defunctis; *Ottoni* verò *filio Cunradi III. ad Neapolim peſte exſtincti filio*, *Znogmenſem* confirmavit. Eorum utérque poſtmodùm in expeditione ſacra obijt, hic an. 1218. in prælio ſtrenuè adversùs *Saracenos & Turcas* pugnans; ille anno 1227. dum in *Apulia* (quo præceſſerat cum *Ludovico Landgravio Haſſiæ*, *marito S. Eliſabethæ*, qui tum quoque obierat) *Friderici II. Imp. cujus ſororem Henrici VI. Imp. filiam duxerat conjugem nomine Mariam*, operiebatur adventum, febre correptus: ſepultúsque eſt juſſu Imperatoris, *Panormi* in templo ſummo, penes oſſa ſoceri ſui *Henrici VI.* Quorum deceſſu, cùm præter *Theobaldum III. Marchionem*, ejúsque poſtea filios, *Henricum*, *Borzivogium*, *Boleslaum & Brunnonem* (alij *Theobaldum* nominant) inſignis ſpei adoleſcentes; & *Sobieslaum*, (qui *Brzetislaus* ſubinde vocatur) *Theobaldi III. fratrem*, ac *Henrici Theobaldi I. fratris* poſteros, nulli exſtarent Principes agnati; *VVladislao VVladislai fratris filio* ſub id tempus etiam Olomucij defuncto: Rex Moraviam inter filios diviſit, & *VVenceslao primogenito Olomucenſem Provinciam*, *Przemyslo Znogmenſem*, *Conſtantiæ verò conjugi ſuæ*, *dotis nomine*, *Brzedslavienſem* contulit.

Pax diuturna in Moravia,

Diffidium inter Philippum Imp. & Præmyslum, *Daubrav. lib. ſupra cit. Godefrid. Colonienſ. an. 1202. Krantzius, & alij. apud Goldaſt. de Privil. Boh lib. 4. c. 9. §. 12.*

pace & affinitate componitur.

Aliquot Marchionum Moraviæ obitus. *Curæus in Annal. Sileſiæ pars. 1. fol. 58. & 64. Balbin in Hiſt. Bol. Cromer. rer. Polon. L. 8. in Boleslao. Pudico. Daubrav. cit.*

Nauclor. generat. 41. Trithem. in Chron. Hirſaug. Reuſner. in Genealog. in ſtirpe Slav. VVenceslav. in Genealog. Ducum & Reg. Boh. Peucer. lib. 4. Chronicor. in Henrico VI.

Theobaldi III. Marchionis Moraviæ reſidentis Brunæ filij.

Sſvvihovvskianæ & Czernianæ Familiæ origo à Principibus Bohemiæ.

Paprocꝫky o Stawu Panſkym a Rytirſkym w Kralowſtwi Czeſkém.

Auguſt. in Cathal. Epiſcopor. Olom.

Præpoſitura Olomuc. erigitur, *Privilegia Eccl. Olomuc.*

& officio Cancellariatûs decoratur.

Anno 1205. *Robertus Epiſcopus Olom.* Prior ante Monaſterij Nepomuc. Ord. Ciſterc. in Bohemia, vir excellenti literaturâ præditus, magnâque prudentiâ, ac morum gravitate inſignis, *Præpoſituram in Eccleſia Olomuc.* primus inſtituit: quam deinde an. 1207. Przemyslus Rex eâ prærogativâ & dignitate decoravit, ut ſicuti *Præpoſiti VViſſebradenſes* in Bohemia, ita *Præpoſiti Olomucenſes* in Moravia, *Supremi Cancellarij* titulum & officium obtinerent. Literæ Regiæ ſic habent: *Contigit etiam, quòd ab antiquis temporibus Eccleſia illa Præpoſito carebat: unde viſum fuit Patri noſtro Roberto Epiſcopo, in ea Præpoſitum ordinare, qui Canonicis illius Eccleſiæ debito modo provideret, & eorum neceſſitati reſponderet. Sed cùm deceat Regiam manum ubique pluere beneficia, Præpoſituræ illi Cancellariam noſtram, cum Villa, quæ vocatur Ubercz, ad quam decimus denarius, cum decima Aratorum noſtrorum ſpectat, & omnium rerum ad utilitatem noſtram pertinentium, ex integro contulimus, interdicentes, ut nullus audeat hæc immutare; præcipuè cùm hoc noſtræ liberalitatis donum, ſtatuerimus in Eccleſia Olomuc. eſſe noſtrum, & omnium Principum perpetuum memoriale.* &c. Confirmârunt hæc, *Ottacarus III.* an. 1256. Oppaviæ XVII. Cal. Aug. *Urbanus VI.* Viterbij; *Innocentius III.* anno IV. Pontificatûs, & *Carolus IV.* dum adhuc Marchio Moraviæ eſſet. anno 1342. Olomucij, Feriâ III. Paſchæ. *Volentes,* ait, *ipſum Præpoſitum titulo Cancellarij, in Marchionatu noſtro Moraviæ prædicto, perpetuis inſigniri temporibus.* &c.

Decanatus in Eccl. Olom. quia prior tempore, prior etiam eſt ordine & Dignitate: unde, quæ vulgò narrantur de Præpoſit. fabuloſa ſunt.

Anno 1212. Fridericus II. Imp. memor fideliſſimi obſequij hactenus â Przemyslo Rege ſibi in multis, præſertim ad imperium armis conſequendum, præſtiti, peculiaribus quibusdam gratijs & prærogativis, tam ipſum ſucceſſoréſque ejus, quàm Regnum univerſum exornavit. Placet quædam ex diplomate Cæſareo hìc commemorare. *Inde eſt, quòd Nos attendentes præclara devotionis obſequia, quæ Bohemorum univerſa Gens, ab antiquo tempore, Romano exhibuit Imperio, tam fideliter quàm devotè: & quòd Illuſtris Rex eorum Ottocarus, â primo inter alios Principes, ſpecialiter præ cæteris in Imperatorem nos elegit, & noſtræ Electionis perſeverantiæ diligenter & utiliter adſtitit: ſicut dilectus Patruus noſter, piæ memoriæ, Rex Philippus, omnium Principum conſilio habito, per ſuum privilegium inſtituit ipſum Regem, conſtituimus & confirmamus, & tam ſanctam & dignam conſtitutionem approbamus, Regnúmque Bohemiæ liberaliter, & abſque omni pecuniæ exactione, ſibi ſuiſque Succeſſoribus in perpetuum concedimus, volentes ut quicúnque ab ipſis in Regem electus fuerit, ad nos vel Succeſſores noſtros accedat, Regalia* (nempe quoad Electoratum Imperij,) *debito modo accepturus.* &c. *Jus quoque & authoritatem inveſtiendi Epiſcopos Regni ſui, integraliter ſibi, & hæredibus ſuis concedimus: ita tamen, quòd ipſi* (nempe Epiſcopi Pragenſis & Olomucenſis) *eâ gaudeant libertate & ſecuritate* (videlicet Sac. Rom. Imp. Principum titulo & dignitate, jure ſeſſionis ac ſententiæ in Comitijs Imperij dicendæ) *quam â noſtris Prædeceſſoribus habere conſveverunt. De noſtra autem Imperialis liberalitatis munificentia ſtatuimus, quòd Illuſtris Rex prædictus, vel hæredes ſui, ad nullam Curiam noſtram venire teneantur, niſi quam nos apud Bamberg,*

Privilegia â Frid. II. Imp. data Bohemiæ Regibus,

Exemptio Epiſcoporum Prag. & Olomuc.

vel

vel Nürnberg celebrandam indixerimus, vel ſi apud Merſenburg Curiam celebrare decreverimus. &c. *Dat in Nobili civitate Baſilea; an. 1212. VI. Cal. Octobr.*

Præter hæc, plura adhuc alia, idem Imperator contulit Regi Bohemiæ, totique Regno beneficia: quin & *Marchioni Moraviæ Henrico*, Svatoplici, ùt ſupra diximus, filio. Extat in Archivo Regio, Bulla Aurea ejusd. Imperatoris, data eodem die & anno, prout ſuperior: in qua *laudata priùs Henrici Marcb. fide, & circa univerſa Imperatoris negotia promovenda devotione, de liberali ſua munificentia, eidem Marchioni & hæredibus ſuis, concedit & confirmat Mocram & Mokny, cum omni jure & pertinentijs ſuis, ſalvo ſervitio, quod Curiæ noſtræ debetur.* &c

& Marchioni Moraviæ.

Anno 1218. *Theobaldus III. Marchio*, cum filio ſuo *Henrico*, juvene excellenti, & *Laurentio Epiſcopo VVratiſl.* collecto exercitu, & *Cruce*, more eorum temporum aſſumptâ, adversùs Prutenos, tum adhuc idolorum cultores, duxerunt, & magnam partem terræ illorum, tum armis, tum prædicatione Fidei Chriſtianæ ſubdiderunt. Anno 1222. vocatus â Friderico II. Rex Przemyslus ad Comitia, Argentinam eligendi novi Romanorum Regis causâ indicta, cùm ipſemet ire non poſſet, domeſticis in Bohemia turbis impeditus, *Brzetislaum*, (vel malim, *Sobieslaum*) *fratrem Theobaldi, cum ducentis Equitibus galeatis*, eò miſit; cujus conſenſu & ſuffragatione, electus eſt *Henricus Imperatoris filius.* Eodem anno, *Znogma civitas*, quæ ab annis 76. in ruderibus jacuit, inſtaurari cœpit. Anno 1223. menſe Aprili, *Theobaldus Marchio* obijt, Brunæ in templo S. Petri ſepultus, *magnus*, ùt de illo manuſcripta loquuntur, *Eccleſiaſticorum fautor, prout Przemyslus Rex impugnator:* qui tamen paulo poſt, *ſuos mores mutavit in meliores.*

Theobaldi March. contra Prutenos expeditio.

Pulkawa ad an. 1218.
MS. Anon. Canon. Prag. in continuat.
Coſmæ an. eod.
Sobieslaus, à quo Sſvvihovvshij, frater Theob. March.
Znogmæ inſtauratio.
Theob. III. mors & elogium.

Per hos itáque, *Przemyslo Ottacaro I. regnante*, annos, pax in Moravia fuit, usque ad annum 1229. quo nonnulli inquietiores *Auſtriaci*, iteratis excurſibus vaſtando confines *Znogmenſis terræ tractus*, *Leopoldo VII. Duce Auſtriæ* tum temporis Cæſarem, poſt recuperatam Hieroſolymam, in Apuliam comitante, occaſionem dederunt cruenti, ac multum *Moraviæ* & *Auſtriæ* pernicioſi belli. Nam cùm *Fridericus dux junior*, cui *Leopoldus* pater adminiſtrandæ Provinciæ curam demandârat, ejusmodi latronum manipulos, ab infeſtandis amicorum terris coërcere nollet, séque ſpecietenùs tantùm excuſaret, nihil ſuâ voluntate fieri, homines agreſtes latrocinijs aſſvetos, proprio conſilio atque audaciâ, prædatum excurrere; illos tamen pœnas daturos, poſtquàm hujus maleficij authores reperirentur; interim ipſemet ubi poſſet, infeſtas prædantium manus in Moraviam immitteret: Rex contumeliam hanc armis vindicandam conſtituit. Nec mora, comparato exercitu, *filium VVenceslaum contra Auſtriacos*, motûs adventantis jam præſcios ire juſſit: qui, poſt leviora certamina, *Fridericum* juſto prælio congredi auſum, clade haud mediocri affecit: vidénsque reliquum in celeritate eſſe poſitum, turbatos ordines ſine intermiſſione premendo, brevì aciem totam in effuſam fugam conjecit: quo in fervore vaſtabundus penetravit *ad Danubij usque margines:*

MS. Annal. Trebic.
MS. Cathal. Epiſcop. Prag.
Pax Moraviæ turbatur, hoſtili Auſtriacorum in Provinciam excurſione.

VVenceslaus Præmysli filius profligatis Auſtriacis, & in fugam a[illegible],
Pulkawa ad an. 1229.
Daubraw. l. 15.
Hagek. an. 1229.

 Krem-

ad Danubium usque populabundus penetrat.
Friderici Auſtriaci irriti conatus.

Kremſium, *Stokeraviam*, *Korneuburgum*, *Marbeckum*, armatâ manu occupavit & expilavit; neque priùs, niſi prædarum cumulis abundè ſatur, in Moraviam revertit. Recollectis deinde â fuga copijs *Fridericus*, ut illatam ulciſceretur cladem, denuò Moraviam infeſtandam ſuſcepit, eòque feſtinatò duxit; ſed cognito in itinere, â Moravis firmis teneri limitem præſidijs, *Tejam* quoque â frequentioribus tùm imbribus tumentem tranſiri commodè non poſſe, propè *Retzium* ſubſtitit, ut ſaltèm *Moravos* â populatione, objectis ſuis copijs prohiberet.

Levioribus pugnis crebrò utrinque certatur.
Przemyslùs Rex moritur an. 1230. die 15. Januar. Hic ob multiplices victorias meruit dici *Victorioſus*.
Ei ſucceſſit filius VVenceslaus, jam ante, ipſo vivo, deſignatus & Coronatus Rex.

Per hyemem deinde crebrò fiebant prælia, & hinc atque inde ex occaſione & per inſidias, ut quiſque ſuum hoſtem opprimeret, virtute ac dolis certabatur. Inter hæc *Ottacarus* longâ morbi pertinaciâ abſumptus obijt, an. 1230. menſe Januario: quem eodem ſequutus eſt anno, *Leopoldus Auſtrius*, in Italia. Quare languentibus partium animis, quos fatum utriúſque Principis non parum conturbavit, & inducijs ſemeſtribus datis, adſenſu communi, ab armis ceſſatum eſt.

Henricus Marchio Moraviæ nimiâ cum Friderico Auſtriaco familiaritate in diſcrimen grave,
& odium VVenceslai Regis capitale ſe præcipitat.

Hoc induciarum tempore, cùm *Henricus Marchio Theobaldi III. major natu filius*, qui *Kunegundem* (*Agnetem* alij nominant,) filiam *Henrici Ducis Auſtriæ*, aliàs dicti *â Medling*, *patrui Friderici* duxerat in tori conſortem, ſolito frequentiùs *Fridericum* conveniret, (diſſvadente aliàs matre *Adelbeide*, lectiſſimâ ac prudentiſſimâ fœminâ; quæ id quod eventus poſtea comprobavit, verebatur, nè filius ex contagione familiaritatis hujusmodi, ſi non nimiæ, certè intempeſtivæ, redderetur ſuſpectus *Regi VVenceslao*, qui patri Przemyslo ſucceſſerat,) in talem ſe præcipitavit caſum, qui illum, & fratres paternâ ditione exuit totâ. Nam Rex, uti erat facilè ſuſpicax, tam *frequentes Henrici cum Auſtriaco conventus ſiniſtrè interpretatus*, & omnia quæ dubia deferebantur aut falſa, pro liquido accipiens & comperto, approbantibus id ipſum nonnullis, qui ſerviendo regijs affectibus, erant in adſentationem apprimè eruditi; ut vel idcircò Rex nimiæ crudelitatis â pluribus argueretur: abjectis negotiorum aliorum curis, in id incubuit totus, ut illum, tanquàm *novum regiminis ſui principijs obſiſtentem*, citò convellere poſſet. Et nihil tale contra Regem habuiſſe *Henricum*, ſed ſceptra Regni ei faviſſe, vel exinde patet: quòd nuper fuerit, uti ex literis Friderici II. Imp. oſtendit *Pulkavva*, & *Hagecius* quoque id expreſsè narrat, potiſſimus author, *ut VVenceslaus, vivente adhuc patre, in Regem, conſentientibus Procerum Bohemorum votis, eligeretur*.

Pulkawa ad an. 1226.
Hagek. an. eod.
Rex de capiendo Marchione cum ſuis conſultat:

Igitur deliberanti Regi cum proximis, ſecretioribus colloquijs, quâ vi, quibúsve medijs opprimi poſſet *Henricus*? acciri mollioribus ſcriptis, per ſimulationem tractatûs publici, minis abjectis, eundem placuerat, ut nihil hoſtile metuens, ſine ullo caperetur obſtaculo. At alijs effuſioribus ad nocendum conſultiùs videbatur, ut Rex militem *in Moraviam* quantocyùs tranſmitteret, qui illum *nil tale opinantem ex improviſo aggrederetur*: nè ſi literis vocetur, ſubodorato periculo, ſeſe adverſis rebus tempeſtivè eximat, & profugus *in Auſtriam vel Sileſiam*, novos concitet belli motus. Ijsdem accedebat *frater Regis Przemyslus*, qui altioribus de cauſis virum innocentem tollere cupiebat, *ſuboleſcere illum imperio*, *ejúsque fratres*, *muſſitans*, *decore corpo-*

rum

rum morúmque favorabiles, ac ætate juventæ. Cùm igitur hæc taliáque ſollicitas Regis aures everberarent, conſilio tandem ſumpto, id factu elegit, quòd coactâ ſelectiſſimi militus manu, ipſemet profectionem in Moraviam feſtinatis itineribus ſuſcepit.

in Moraviam armatus citatis paſſibus contendit:

Eveniſſet profectò eo primo Regis furore inexpiabile ſcelus, numerandum inter probroſa agnatorum Principum parricidia: (audita námque fuit paulò ante procinctum in ſecretiori concilio vox: *Regem, ſalvo Henrico, quieta Regni poſſeſſione minimè potiturum; quaſi innueret, ſublato illo, res in tranquillo futuras:*) niſi *Henricus*, à proceribus Bohemis, quibus erat Curiæ & Palatij cura commiſſa propior, nuncijs edoctus de periculo occultis, unà cum conjuge & *fratre minimo natu Theobaldo*, Brunâ diſceſſu effugiſſet veloci; *fratribus reliquis Borzivogio & Boleslao, cum matre in caſtro Spilmberg relictis.* Inſimulabat autem delationis iſtius occultæ ſuſpicio, ut plurimùm *Zdislaum de VValdeko Camerarium*, utpote Henrici materno genere cognatum: item *Guilhelmum Notarium, & Zaviſſium de Chauſtnik* itidem cognatum, qui tunc conſilijs ſuis, veluti dextris geſtantes Rempub. colebantur. *Henricus* itáque ſuſcepto pro inſtantium rerum ratione conſilio, ut furori Regis, quem noverat ſævum & implacabilem, cederet, *in Sileſiam, ad avunculum* Henricum, ſparſo rumore, quòd ab eo vocaretur, ſeceſſit.

Henricus de periculo admonitus,

Regis furori cedit, & in Sileſiam ſe recipit.

Rex ubi veniſſet *Brunam*, nactus portas patentes, ultra quàm fore exiſtimabat, urbem ingreſſus eſt cum comitatu toto; exceptúsque tum â civibus, tum *ab Adelheide ac Borzivogio Boleslaóque*, honorificè: Cúmque ſciſcitanti *de Henrici diſceſſu*, ejúsque cauſa, reſpondiſſent fratres, vocatum in negotio urgenti *ab avunculo* monente, petentéque per frequentes nuncios, ut venire acceleraret, rem *Boleslai, Leſci Albi Principis Cracovienſis filij*, cuius nondum pro adminiſtrando principatu idonei, *Henricus Dux* tutelam ſuſceperat, conſilijs juvaturus, adverſùs *Cunradum Mazoviæ Ducem*, quem ſummâ vi *Principatui minoris Poloniæ* inhiare fama ferebat: (& fuiſſe aliquid horum, ex *Cromero* conſtat:) irâ vehementi excandeſcens ille, & inter exordia reſpondendi tumidior, increpare cœpit eos, ùt beneficiorum immemores & ingratos, limísque oculis ac truci vultu eos ad usque indignationem contuens, egredi â conſpectu juſſit, nihil poſt hæc percontatus, vel audire perpeſſus. Paulatímque lenitus, & ad molliora propenſior, civium primores vocavit, exactóque ab ijs fidei juramento, *urbem & caſtrum* præſidio ſuo firmavit, commiſsâ utriusque ſupremâ curâ *Sezymæ de Kolovvrat*. Tum datâ *Adelheidi* copiâ diſcedendi *in Sileſiam*, cum ſupellectili mundóque ſuo muliebri, *Borzivogium & Boleslaum* comprehenſos, rectori militum arctè cuſtodiendos apud ſigna commiſit, reverténsque *in Bohemiam* unà duci juſſit: quos tamen brevì poſt fratri *in Sileſiam* remiſit. Hæc anno 1230. agebantur. Alij, uno anno citius, & non *à VVenceslao*, ſed *à Przemyslo* ejectos ex Moravia volunt. Anno demum 1237. *Borzivogius* in majori Polonia, quam *ab Henrico avunculo* regendam ſuſceperat, in *arce Sremenſi* inſidijs circumventus: *Boleslaus* verò

Rex Brunam veniens, ubi Henricus eſſet, inquirit: *Cromer rer. Polon lib 8. in Boleslao Pudico ad init.*

Henrici fratres verbis excipit acerbis; â Civibus fidem exigit: Henrici matrem in Sileſiam abire permittit: Fratres in Bohemiam duci, paulò poſt tamen dimitti juſſit.

MS. Monaſt. Trebicenſ.

MS Cont. Coſmæ & Jaroslai.

Curæus in Annal Sileſ part. 1. fol. 64.

Cruger. in Sacr. Memor. ad d. 1. April. & 26 Julij, ubi ait Ottogaros Reges nimiùm perſequutos fuiſſe has duas lineas; *Theobalditicos nempe*, & *Henricos*, ſeu *Czerninos*.

an. 1241. *à Tartaris*, ùt infrà dicetur, in pugna cæſus, perierunt. *Theobaldus* natu minimus, *Canonicus Magdeburgi* factus.

Inducias ultra prorogatas.

Porrò inducias ſemeſtres cum Auſtriacis pactas, *Henricus filius Friderici II. Imp. electus & coronatus Rex Rom.* & tum temporis in abſentia patris, *Imperij Vicarius*, qui ſororem *Friderici Auſtrij Margaretham* habebat conjugem, per ſpeciale mandatum, Ulmæ datum, ad reditum usque patris in Germaniam, prorogari juſſit. Quibus dum maximè fidebat Rex, *Fridericus ſtatim* primo vere anni ſequ. nempe 1231. *Teyam* ex improviſo transgreſſus, cùm nihil in Moravia expectaretur hoſtile, occupatam circa ſementem agreſtem adortus eſt plebem, majoréque parte diſpersâ, quicquid deprehendi potuit, domum cum multitudine varij pecoris abduxit. Quod iterum atque tertiò, ſummâ uſus celeritate fecit, latiúsque ſe expandens, ad usque oppidum *Slavvonice*, quod confinijs Bohemiæ proximum eſt, prædas non tantùm pecorum, ſed & hominum utriúsque ſexûs agebat licenter: *Przemyslo Regis fratre & Marchione Olom.* qui tum Brunam venerat, otioſè hæc omnia ſpectante, & quaſi ad illum nihil pertinerent, per ſummam negligentiam diſſimulante, ita ut occultâ perfidiâ laborare haud obſcurè videretur. Quæ dum fiunt, *præfectus territorij Znogmenſis*, *agens tunc in caſtro Bitovv*, *Spitata de Moravvczin*, nullis bellorum terroribus aſſvetus, & rerum tum improviſarum tumultu conturbatus, hærebat diu, quid capeſſeret ambigens; & cùm paratis velocibus equis, noctem proximam deſtinâſſet in fugam, monitus tutiori conſilio manſit immobilis. Didicerat enim omnes alios ſequuturos confeſtim, qui caſtri ambitu claudebantur, tegendos latebris magis opportunis: quod ſi contigiſſet, impropugnata arx, naturâ aliàs loci ardui, & manu probè munita, veniſſet negotio levi in hoſtium poteſtatem. Proinde parumper lenito pavore, ad capeſſenda arma, reſiſtendúmque hoſti, quem certò aggreſſurum arcem prævia ferebat fama, ſeſe accinxit; miſſis *ad Sezymam* primò, tanquam vicinum, & auxilio ferendo proximum; deinde *ad Przemyslum* (putans benè eſſe) Olomucium, & *ad Regem* in Bohemiam nuncijs, qui illos de rerum ſtatu, & de præſenti periculo edocerent. Huic ſpectato conſilio ſalutare addidit aliud; quòd juventutem Znogmâ, ubi intra recenter exſtructa munimenta, ægrè vim hoſtium ſuſtinere potuiſſent, omnem accivit.

Fridericus nefarie violat;

excurſionem in Moraviam iteratò facit:

prædas undiq; agit:

Daubraw. l. 15. Hagek ad an. 1231. MS. Trebic. Annal. an. eod.

caſtrum Bitovv obſidet:

Nec multò poſt, *Fridericus* negotium obſidendæ arcis aggreſſus eſt; auctúsque auxiliaribus copijs, quas adduxerat *Bertholdus Patriarcha Aquileienſis*, *Egbertus Epiſcopus Bambergenſis*, *Henricus Dux Meraniæ Coméſque Tyrolis*, *& Otto Iſtriæ Marchio, Divæ Hedvigis Sileſiæ Ducis fratres germani*, haud dubiè, ut injuriam *Henrici March. Moraviæ*, ac cæterorum fratrum ulciſcerentur; magnis viribus eam per biduum oppugnare cæpit: irrito tamen conatu. Facilè námque locus ipſe naturâ arduus, & erectus pellebat aggreſſores, qui leviſſimo quoque ictu deturbabantur ab obſeſſis; multique ſuo ipſi onere ruebant, & cum ſcalis ipſis devolvebantur humi, quæ pondere frangebantur aſcendentium. Laxatis deinde ad diem unum atque alterum animis, quartâ luce Germani rurſum elatis paſſim clamoribus aſcenſum undiq; tentabant;

Curæus in Annal. Sileſ. part. 1. pag. 73. anno 1231.

oppugnatiónes ſummis viribus,

bant; neque deerat obſequium militum, ex admonitione ducum, probè intelligentium, quàm præclara quæque prœmia, & ampliſſimæ fortunæ, præter muralis coronæ donum, parata eſſent ijs, qui primi murum aſcendiſſent. Sed irritas, & ducum adhortationes, & contentionem militum, fecit propugnatorum virtus; qui ſubeuntes omni genere telorum inceſſabant, obruebántque dolijs deſuper cadentibus, ſaxis, lapidibus, & ingentibus columnarum fragmentis, ita ut illi, ſemel atque iterum magno accepto detrimento, ac ſubmoti tandem pedem referre cogerentur. Sexto poſtea die, cùm jam ſpes obſidentium inferior cuncta mœrore & indignatione compleret, ac intereà etiam obtinendæ arcis ſtudio conſtanter inſiſtere, perutiles ac neceſſariæ rationes urgerent; ob id potiſſimùm, quòd munimentum, utpote limitaneum, pro excurſibus in *Moraviam & Bohemiam* faciendis, & viciſſim *ab Auſtria* arcendis, eſſet perquàm opportunum; *Friderico* in varia ſeſe conſilia diducenti, placuit concito extremo oppugnandi ardore, tentare adhuc animos viréſque obſeſſorum. Itáq; dato die illo quieti ac curationi corporum, oppugnatio rurſus in ſequentem diem decernitur: cùm interim veſperi propè confinia lucis, advolat in caſtra exploratorum globus referens, *Sezymam* & *Bozekum* (hic erat unus è proceribus Moravis, à quo *Bozkovicij*) quos antea *Bruna* delectum militum habuiſſe non ignorabant, haud procul abeſſe cum copijs; jámque procurſatorias turmas propè *Znoymam* viſas. Nec multò poſt accurrunt alij, *Regem Bohemiæ* valido cum exercitu iter maturare, jámque *Gemnicium* attigiſſe nunciantes. Quæ res, præſertim *Bohemorum adventus*, totum deſtinatæ oppugnationis conſilium interrupit. Proinde extemplò ſolvere obſidionem conſtituit *Fridericus*, non ſine pudore irriti conatûs, quòd ultra quàm putâſſet, fortuna, vel juſta, vel immodica ejus vota fefelliſſet. Convocatis igitur belli ſocijs, conſilióque habito, placuit cunctis, poſtquàm *Bohemorum & Moravorum adventu*, omni ſpe potiundæ arcis manifeſtè deciderant, univerſas vires ſimul conferre, transferréque ultra flumen; ne diſtinctis caſtris & intercedente flumine, ſi cum duplici hoſte contendendum foret, aliquod inſigne detrimentum acciperent.

iterum atque iterum urget: cum clade repellitur. Supremam tandem expugnandæ arcis fortunam tentare conſtituit: Sed cognito Bohemiæ Regis adventu, obſidionem ſolvit.

Bambergenſis imprimìs, quod Bohemis objectior eſſet, adeóque periculo proximus, *collectis vaſis ſuis, flumen trajecit, & ad Aquileienſis caſtra ſe contulit:* quod fecêre & alij intempeſtâ nocte, aliquantùm tamen interluni: cujus beneficio uſi quoque *Bohemi*, ut Auſtriacos à tergo circumvenirent, flexo dextrorſum itinere, *ad VVranoviam, alteram arcem limitaneam, in arduo quoque ſupra Teyam ſitam, Bitoviæ vicinam*, tacitis agminibus pervenerunt; ibique modicâ captâ quiete, *Teyam*, non dum exoriente lucifero, tranſmiſerunt, caſtra hoſtium ex improviſo aggreſſuri. Quod idem ab altera parte debebant ex conſtituto facere *Sezyma & Bozek:* ſecùs tamen, ac eventurum ſperabant Bohemi, accidit. Nam *procurſatores Auſtriaci*, qui ad explorandum Bohemorum iter emiſſi erant, audientes eminùs equorum & hominum fremitum, ſine ulla cunctatione redierunt ad ſuos, excitatíſque cuſtodibus & ducibus caſtrorum, confuderunt omnia ac repleverunt tumultu. Magno in diſcri-

Rex Fridericum improviſo impetu opprimere fruſtra contendit.

diſcrimine erat tunc *Fridericus;* & in majori fuiſſet, ſi eodem tempore etiam Moravi accurriſſent, ſed illis tardiùs progredientibus, Bohemi ſentientes Auſtriacos ad reſiſtendum paratos, etiam de concæpto ardore nonnihil remiſerunt: qui vel ſoli, in ea nocturna trepidatione, caſtra hoſtium haud magno labore opprimere potuiſſent, ſi celeritate, in qua talium conatuum conſiſtunt quandòque maxima momenta, uſi fuiſſent.

Fridericus relictis potiori ex parte caſtris, in tutiora ocyùs evadit.

Interea *Fridericus* ulteriorem præſentis periculi eventum nequaquam expectandum ratus, maturè in tutiora ſeſe recipere conſtituit, & relictis, qui ad fallendos hoſtes loco & caſtris ſeſe tantiſper tenerent, impedimentis verò quæ commodè auferri non poterant, corruptis, *iter fugæ haud diſſimile in Auſtriam arripit. Bohemi* audito caſtrorum tumultuantium ſtrepitu, & id quod erat ſubodorati, ad arma conclamant ocyùs, séque *ad perſequendos Auſtriacos* ſine mora accingunt: verùm Rex expectandam lucem, & certiùs cognoſcenda hoſtium conſilia ſtatuens, ſuos, ut imperium ſuum expectarent, admonuit. Primò inalbeſcente jam die,

Bohemi caſtra Auſtriacorum diripiunt:

Bohemi in caſtra impetum fecerunt: cùm verò & illi, qui initio reſiſtebant, diffugiſſent, negotio facili ijs potiti ſunt; quorum direptione detenti, *ſpatium præbuerunt Friderico, ut Retzium perveniret cum ſuis incolumis.*

Moravis juncti Auſtriam populantur.

Advenientibus deinde in ipſa direptione caſtrorum Moravis, *Rex* collato cum alijs ducibus conſilio, ac fortunâ utendum ratus, *copias univerſas in Auſtriam duxit;* fixiſque *ad Retzium* caſtris, ipſum quidem oppidum, cùm oppugnationis deeſſent inſtrumenta, nec adire nec tentare voluit, ſed agros vicinos circacircum populatus eſt: eámque ſequutus ſententiam, quam utilem, tum ipſe, tum alij exiſtimabant, itineribus lentis, miſcens cuncta rapinis,

cum opimis prædis revertuntur.

Daubraſ. l. 15. ad fin. Chron. Boleslaſ. c. 80. 81.

nullo renitente, *ad confluentem usque Moravæ & Danubij*, per regionem nobiliſſimam, ac potiore ex parte planam, vaſtabundus penetravit. Bellum hoc deſcribit fusè, tametſi paulò aliter, Daubravlus; *Non expectabat*, (inquit) *Fridericus Leopoldi filius, dum Cæſar ex Italia reverteretur, ſed domî ſuorum delectum inſtituit, & præterea oratum partim ad affines, partim ad vicinos miſit, qui ſubſidio ſibi quàm primùm venirent: nec enim injurias â Bohemis acceptas, ſe diutiùs inultas tolerare poſſe dicebat.*

Auſtriacorum conatus magni;

Conveniunt ad tempus in Auſtriam ſubſidia, quorum duces illuſtriores erant, Patriarcha Aquileiæ, Pontifex Bambergæ, Marchio Vardæ, Comes Tyrolis, ſpargúntque in vulgus rumorem, quaſi in Italiam ad Cæſarem proficiſci vellent; ut ita improviſi Bohemis inexpectatíque ſupervenirent. Sed dum auctore Friderico, arcem in Moravia Bitoviam opportuno loco ſitam oppugnant, (finibus námque Auſtriæ, Moraviæq; & Bohemiæ adjacet, facilemque prædonibus in omnes has regiones excurſum præbet)

ſed inanes, & irriti.

VVenceslaus Przemyslai filius, ſpatium armandi Bohemos nactus, coactâ brevi magnâ vi militum, conatus illorum celeritate antevertit, ipſe potiùs hoſtibus de improviſo interveniens, nemoribus, qui juxta arcem ſunt, ſilentio noctis ſuperatis, jugiſque collium milite occupatis, ne elabendi facultas hoſtibus daretur. Itaque mandavit, ut taciti, ſine quovis ſtrepitu, usque ad auroram in ſtationibus durarent, quoniam videre priùs hoſtem, quàm aggredi placuit. Sed hanc ejus rationem Boczek â Kunſtat, qui colles obſidebat,*

** Bozek debet eſſe: quia Boczkones â Kunſtat, nondum fuerunt.*

bat, turbavit, multâ adhuc nocte, cornua, tympana, tubas perſonare, tumultum â militibus per ſtationes fieri, & clamorem quantum poſſent maximè ciere, ad deterrendos hoſtes jubens. Id verò quonam animo fecerit, dubium quidam reddunt, Boczkonem inſimulantes, quaſi Friderico in hoc gratificantem, ut ſigno ille per tumultum & ſtrepitum maturè accepto, fugam quoque maturaret, antequàm inſidijs circumveniretur. Id quod factum fuit, ut Fridericus cum cæteris, non dum Bohemis propter tenebras conſpectis, ſtatim diſſiparetur, moleſtè Wenceslao ferente, adeptam ſibi fuiſſe dimicandi facultatem, quâ datâ victorem ſe futurum ſperabat. Nec tamen fugientem Fridericum perſequi omiſit, quem ut ad arcem Rhetiam aſſequutus eſt, obſidione cingendum duxit, quâ aliquandiu perdurante, nunciat Wenceslao Fridericus: ſi vir haberi velit, ut relictâ obſidione, ſingulare ſecum certamen cras ineat. Accipit Wenceslaus conditionem, ſuique copiam Friderico die poſtero facit. At ille ſubortam repentè ægritudinem aſſimulans, nullus apparuit: inde Wenceslaus ad populandam Auſtriam converſus. Nec citiùs tranſigi potuit controverſia hæc inter partes, niſi interventu *Friderici II. Imp.* qui ex Italia redux, utrúmq; ab ulteriore hoſtilitate inferenda deſiſtere juſſit, ſub interminatione, *ſe hoſtem futurum ei, qui denuò arma inferret alteri.*

Auſtriacorum fuga.

Bohemi & Auſtriaci juſſu Cæſaris arma deponunt.

Breve tamen ab hoc interceſſerat ſpatium, dum rurſus *Fridericus varijs excurſibus, publicis & furtivis Moravos infeſtare cœpit.* Propter quod, & alia multa enormia, dictúque fœda facinora, quibus idem Dux famâ publicâ laborabat, cùm ab Imperatore ad dicendam cauſam vocatus, venire non tantùm abnuiſſet, ſed contemptâ ejus authoritate, eum inſuper probris inceſſiſſet, ideóque *lege Juliâ majeſtatis crimine* teneri cenſeretur, bello ex conſenſu omnium Imperij Principum petitus eſt, & *Archiducali* (ùt nonnullis placet) dignitate, quâ præterito anno ornatus erat, ab eodem Friderico II. exauctoratus, anno 1236. Eo in bello, *Rex Bohemiæ*, qui cum *Ottone Bavariæ* Duce, & alijs compluribus utriúſque Ordinis Principibus, Imperator in Auſtriam præcedere juſſerat, *trajecto Danubio, ac Mutarâ, Tolnâ, Wiennâ aliiſque Urbibus occupatis*, Fridericum in eas usque adegit anguſtias, ut is *Neoſtadij*, quod ſolum retinebat, hærens, & conſilij viriúmque inops, ac ſortis ultimæ infortunia metuens, ſupervenienti poſtea Imperatori ſupplex factus, arbitrio ejus ſeſe dedere compelleretur. Et quia pro ſe habebat complurium ſuffragia Principum, facilè obtinuit veniam delictorum & pacem. *Rex Bohemiæ* tamen *Viennam, non niſi viginti aureorum millibus redemptam, ei reſtituit*; quam pecuniæ ſummam bellicâ virtute partam, congiarij locò, militibus diſtribuit, additâ Rege digniſſimâ voce: *liberalibus liberaliter omnia affluere.* In veteri quodam Bohemorum Chronicor. MS. codice, temporibus Joan. Bohemiæ Regis ab Authore incerti nominis conſcripto, ad an. 1235. iſta legimus. *Fridericus Imp. in Apuliam redijt: ſed Rex Bohemiæ cognato ſuo Friderico Auſtriæ Duci, Wiennam & alias Civitates reſtituit; & in Clauſtro Lub* (aliàs *Komarovv*, quod Abbati & Conventui Monaſterij Trebicenſ. ſubjectum erat, & Præpoſito regebatur) *ante Brunam ſito, Ord. S. Bened. firmaverunt perpetuam amicitiam juramentis.*

Dubraſ. l. 16. Bruner. p. 3. lib. 14. Chron. Auguſtan. Stero. Naucler. gen. 42. Bappenheim in Chron. Auſtr. Hagek. ad an 1235.

Fridericus inſolens malè, ad infamiam usque, audit: Crimine læſæ Maieſtatis reus bello petitur.

Petrus de Vineis Epiſt. apud Naucler. generat. 42. prope fin. Jordan. in Notis ad lib. 16. Dubraſ. lib. C.

Bohemorum expeditio in Auſtriam, rebúsq; geſtæ. *Stero an. 1237.*

Fridericus veniam petit & impetrat.

Dubraſ. l. 16. Julius Soliman.

Vu Erat

Erat in expeditionem hanc vocatus etiam *Marchio Moraviæ Przemyſlus*, qui tamen venire noluit, unde occaſionem præbuit *Regi fratri*, ſiniſtra multa de ſe ſuſpicandi; résque tum ſtatim, *revertente ex Auſtria Rege, ad arma, bellúmque civile ſpectabat, ni matris Conſtantiæ interpoſitione* præventum fuiſſet. Niholiminùs dilata ſolùm, non ſublata erant inter fratres odia, quæ paulò poſt exulceratis utrinque animis recruduerunt, *Moravis*, præſertim *Urbis Olomucenſis* accolis perniciosa. Cùm enim *Przemyslus* quotiescúnque de Rege meminiſſet, dicta omnia & facta ejus perpetuâ obtrectationè ſuggillaret, multisque convitijs vituperanter proſcinderet; inſuper cum *Friderico Auſtriaco*, qui occulto flagrabat in Regem odio, clancularia frequentaret conſilia, & ùt conſtabat, palam jam fratri inſultaret, séque ab ejus poteſtate quoquo modo eximere niteretur: Rex tot tantísque contumelijs exagitatus, bello tanquam perduellem aggredi, ejúsque contumaciam armis compeſcere decrevit.

Simultas inter VVenceslaum Regem, & fratrem ejus Przemyslum Moraviæ Marchionem, in civile bellum tandem erupit.

Convocato igitur ſub ſigna milite, iter *in Moraviam, Olomucium verſùs*, ubi tum morabatur *Przemyslus*, ſuſcepit; dúmque appropinquaret limiti Moravo, *Gotbardum de Tadovicz Notarium ſuum*, cum literis ad fratrem præcedere juſſit, nihil hoſtile ſe aſſerens ſuſcepiſſe, ſed ut (ſi ſaluti ſuæ proximorúmque conſulit) ſuperbâ mente depoſitâ, reſipiſcere, & opportuna reconciliationis impetrandæ conſilia amplecti maturè vellet, eum admonens. Quo nuncio perculſus ille, ac bello impar, diſtrahebatur in curas multiplices: diúque ambigens utrum ſecedere in tutiora deberet, an intra urbem periclitari fortunam; ſedit tandem conſilium, quod tutum ſpes futuræ per matrem reconciliationis fraternæ faciebat, ſeſe continere in urbe, ſecretò tamen; famâ interim vulgò ſparsâ, acſi in Hungariam abiviſſet. Pro majori autem ſuimet ſecuritate, præter matris ſuffragia, quibus plurimùm fidebat, jam antea ad *Belam IV. Hung. patruelem* confugiendum, rebúsq; ſuis extremo hoc in diſcrimine verſantibus opem implorandam duxit. Qui precibus ejus adductus, *ſibi quidem militares copias ſubſidio contra Regem mittere minimè licere, reſpondit, ne fœdifragij reus arguatur; ſed hoc quod in poteſtate foret, ei minimè denegaturum, nempe ut legatos ad demulcendum Regem quàm primùm amandet, quem tanquàm fratrem mitem ac benignum, citóque exorabilem exiſtimaret.* Quod & fecit paucos poſt dies. Priùs tamen dum Rex ante urbem moraretur, præſtruerétque oppugnationi neceſſaria, vicinus ager totus injuriæ Bohemorum expoſitus, pabuli & commeatûs detrimenta maxima ſenſit. Innuunt id ipſum Annales monaſterij Hradiſſt. propè Olomucium hiſce: *Eadem tempore*, (nempe anno 1237.) *Wenceslaus primus Rex Bohemiæ IV. ut compeſceret rebellionem fratris ſui Przemyslai Marchionis Moraviæ reſidentis Olomucij, movit bellum contra illum, venitq; in Moraviam cum valida Bohemorum manu, eámque longè latéque vaſtavit igni ac ferro: caſtra deinde metatus eſt ad Olomucium, monaſterium Hradiſtenſe invaſit: Bohemi curias & prædia monaſterij per circuitum vaſtârunt ac deprædati ſunt, fratribus cum Abbate ægrè poſtmodùm ſe ſuſtentantibus.* Subditque: *tandem ceſſante bello, Dux*

Rex in Moraviam armatus iter ſuſcipit: cujus adventu perculſus Przemyslus. Fratri reconciliari petit: Belæ Regis Hung. opem implorat.

MS. Monaſt. Hradiſtienſ. part. 1. in Gerlaco Abbat. Agrum Olomucenſem Bohemi vaſtant.

Dux Przemyſlaus Marchio Moraviæ in refuſionem damni ſuſcepti, Gerlaco Abbati & Fratribus contulit villam Polom. Inſtrumento donationis eam in rem dato, anno ſequenti, videlicet 1238. cujus copiam vidiſſe me memini.

Interventu igitur *Conſtantiæ matris*, ac *Regis Belæ*, & ſvadente hoc ipſum etiam *Bobuslao* comite Bilinenſi, (filius hic erat *Slavvkonis fundatoris monaſterij Oſſecenſis anno 1207.* frater *Boreſſij de Oſſek & Rizmburg*; qui raſtrum hortenſe, quale poſtea *Koſtca Poſtupicij*, ùt alicubi jam dixi, pro inſigni geſtabant.) *qui unus & ſolus*, ùt habet Scriptor illius temporis, *omnia apud Wenceslaum pòterat*, & *quo inconſulto*, ita ſcribit iterum alius, *nihil unquam magnæ rei agere Rex ſolebat*; fratres depoſitis mutuis ſimultatibus & odijs, tranſegerunt controverſiã omnem, eum in modum: ut *Przemyslus veniam à Rege precatus, Provinciam Olomucenſem cum Oppavienſi, quam Rex à Miecyslao Ratiborienſi Oppolienſique Duce emerat*, retineret, Regémque imposterum ſemper, exemplo anteceſſorum, pro ſupremo Domino agnoſceret, neque ullum cum quopiam ſine ſcitu Regis paciſceretur fœdus. Haud multò poſt *Przemyslus*, hecticâ febri conſumptus obijt: quem ſequenti anno, nempe 1240. ſequuta eſt *mater Conſtantia*, duorum Cœnobiorum Virginum Veſtalium Ord. Ciſtercienſ. in Moravia, *Tiſſnovienſis* nempe & *Oslovanenſis*, fundatrix: Tiſſnoviæ ſepulta. Quorum deceſſu Rex *Olomucium* & *Oppaviam* ſub ſuam poteſtatem recepit: *Brzetislavienſem* verò *Provinciam*, quam *Conſtantia* dotis titulo habebat, *Ulrico II. Ulrici I. Carinthiæ Ducis filio, Bozislavâ ſorore ſuâ genito*, fiduciæ nomine tradidit. Quin & *Brunam*, cum toto ad eam pertinente Moraviæ tractu, *Henrico Theobaldi III. filio*, quem ſuperiùs actum in exilium memoravimus, *ad inſtantes Divæ Hedvigis preces, filiique ejus Henrici Probi, Sileſiæ & majoris Poloniæ Ducis, qui alteram Regis ſororem Annam habebat uxorem*, reſtituit.

Diſſidium Fratrum componitur.

MS. Contin. Coſmæ & Jaroslai an. 1238 Pulkawa an. eod. Annal. Trebit. Paproc. o Stawu Panſk. Czeſt. pag. 388 nominat Bohuslaum filium Slavconis. Brun l. 14. n. 2. Boleslaum Zlabconis filium.

Przemysli Marchionis obitus: & Matris ejus Conſtantiæ, an. 1240. die 4. Novembr. alij volunt, 19. Novembr. alij 13. Decembr.

VVenceslaus Rex Provinciam Brzedslavienſ. Ulderico ſuo à ſorore nepoti tradit: *Annal. Monaſt. Hradiſt.* Henrico Marchioni in Sileſia exuli Brunam reſtituit. *MS. Monaſt. Trebic.*

CAPUT VI.

De Tartarorum in Moraviam irruptione; & de bello, cum Auſtriacis, binis diverſis vicibus geſto, ſub Wenceslao Ottacaro Rege.

RESpiravit aliquantùm *Moravia*, moderatione & prudentiâ *Wenceslai Regis*, cùm domeſticis, tum externis malis explicata, & in tranquillum locata: cùm paulò poſt *Martius furor, concitatis ex interiore Scythia Tartaris*, gente dirâ, & belluis per omnia quàm hominibus ſimiliore, novas præteritis longè pernicioſiores ei inflixit calamitates & clades. Sed priusquàm hanc exitialem barbaræ gentis irruptionem explicemus, non abs re fortaſſe erit, de ejusdem gentis origine & moribus, cùm & poſtmodùm in recenſendis ulterioribus cladibus futura ſit frequens illius mentio, aliquid delibare.

Tartarum in Europam irruptio:

Eorum origo & mores:

TArtari, gens monumentis veteribus leviter nota, (niſi quis apud *Plinium & Strabonem*, ſub nomine *Tocharorum*, ſive *Thacarorum* eos intelligi velit) à *Tartare fluvio*, qui eam partem irrigat, quæ ab accolis *Mongul*, à noſtris *Magog* nuncupatur, dicti ſunt, aliàs etiam *Mangali* appellati; tametſi alij à montibus *Tapuris*, alij à multitudine, vocem profectam autument: aut potiùs à *tartaro*, (id eſt inferno) unde ad pernicem univerſi humani generis, emiſſi non immeritò videri poſſint. Sed ut minutias relinquamus, prima eorum ſedes fuit, ultra *Caſpium mare*, intra *Imaum montem*: unde egreſſi *regionem primò extra Imaum*, *usque ad Oceanum Indicum*, occupârunt, excuſſóque *Indorum* dominatu, ac gentibus vicinis omnibus edomitis & ſubjugatis, ampliſſimum illud *Cathaya Regnum*, *Magnæ Tartariæ nomine celebre* condiderunt. Aliqui poſtmodùm ſuperato *Tanai flumine*, *Sarmatiæ Europeæ partem* inſederunt, finibus ultra *Mæotidem* prolatis.

Deformitas vultûs:

Natio omnis profana eſt & barbara, omnem modum feritatis excedens: compactis omnes firmisque membris, truci aſpectu, facie oblongâ, cranio turbinato, & circum tempora capite preſſo, oculis craſſis & prominentibus, palpebris oblongis, barbâ rarâ, ſpadonibus ſimiles: denique opimis cervicibus prodigioſè deformes, adeò ut bipedes exiſtimes beſtias; vel, *quales in commarginandis pontibus*, *effigiati ſtipites dolantur incomptè, in hominum figuras.*

vilis victus,

Victus illis lac, caſeus, carnes omnis generis, ſed equina imprimis: panis ignotus, niſi quòd è panico placentas quasdam conficiunt, quas ſemitoſtas in delicijs habent; & aliqui neque igni, neque ſaporatis indigent cibis, ſed radicibus herbarum agreſtrium, & ſemicrudâ cujusvis pecoris veſcuntur carne, quam inter femora ſua, & equorum terga ſubſertam fotu calefacunt brevi.

ſanguis equinus, potus:

Ubi verò alius potus deeſt, *ſanguinem equinum venis extractum avidè hauriunt*. Nemo apud eos arat, nec ſtivam attingit.

nulla habitatio ſtabilis:

Olim omnes ſine ſedibus fixis, absque Lare, vel lege, aut ritu ſtabili diſpalabantur, ac fugientium ſimiles cum carpentis, in quibus habitabant, de loco in locum proficiſcebantur. Sed & defactò, plerique nullis unquam teguntur ædificijs, pro domibus plauſtra habent, ſive carros centonibus coriisque contectos; ubi conjuges ex villis veſtimenta contexerunt, & coëunt cum maritis & pariunt; & ad usque pubertatem nutriunt pueros.

alibi concipiuntur, alibi naſcuntur, alibi educantur:

Hinc non omnis apud eos interrogatus reſpondere unde oritur, poteſt; *alibi conceptus, natus procul, & longiùs educatus.*

veſtitus tenuis:

Indumentis operiuntur linteis, vel laneis, vel etiam ex pellibus ſylveſtrium murium conſarcinatis; nec alia illis domeſtica veſtis eſt, alia forenſis, ſed ſemel obſoleti coloris tunica collo inſerta, non ante deponitur aut mutatur, quàm diuturnâ carie in pannulos defluxit defruſtata; niſi inter hæc ſecundo prædæ eventu, veſte aliquâ gaudere eis contigiſſet.

vox aſpera,

Vox illis aſpera eſt, *clamoſa*, *ſermo incultus*, *luporum ululatus imitans*: inter loquendum caput, ceu lymphatici hinc inde jactant.

mira agilitas corporum,

Mirâ ſunt totius corporis agilitate, cruribus præ reliquorum membrorum proportione brevioribus: quâ causâ ad pedeſtres parùm accommodati ſunt conflictus, ſed equites ad ſubitarias pugnas, ac populandos agros, inquietandáque & laceſſenda hoſtium caſtra, quàm aptiſſimi habentur. Equis utuntur contemnendæ ſtaturæ degeneribus & ſtrigoſis, eisque ut plurimùm caſtratis, in quibus muliebriter nonnunquam funguntur muneribus conſvetis: ſtapedas, quibus pedes equum aſcenſuri induunt, fagineos; fræna è funibus canabinis, cæterúmque apparatum omnem abjectiſſimum habent, paucis, qui ditiores ſunt exceptis: jacula & ſagittas adverſi æquè ac averſi, & fugientes, arcubus corneis peritiſſimè contorquent.

& docilitas equorum,

Mira quoque eſt equorum in hac natione docilitas & pernicitas: quos tam ſcitè regunt, ut etiam in medio curſu, vel lanceæ cuſpide, vel manu rem humi jacentem tollant. Prælia ineunt cuneatim, varijs vocibus ſonantibus torvum; útque ad pernicitatem ſunt leves & repentini, ita ſubitò de induſtria diſperſi rareſcunt, ac reparatâ acie cum cæde vaſta diſcurrunt.

Homines infidi faciléque mobiles:

Per inducias infidi, inconſtantes, ad omnem auram incidentes, ſpei novæ perquàm mobiles, totum furori incitatiſſimo tribuentes, beſtiarúmque more, quid boneſtum inboneſtúmve ſit,

Digitized by Google

ſu, penitus ignorantes: flexiloqui & obſcuri; jus ipſis in armis, lex in robore & viribus. Unum Deum credunt rerum omnium conditorem, quem ritu legis Mahometanæ colunt; *Principem totius gentis Magnum Chanem nominant*, quæ vox illis patriâ linguâ *Imperatorem* ſignificat: *Hordarum* verò nomine *cœtus*, *ſive communitates plebis*, quibus ſingulis ſui præſunt principes, intelligunt.

religione Machometani: Chan apud illos vocatur Princeps: Hordæ, communitates.

Hoc igitur hominum genus, prædandi aviditate flagrans immanì, per rapinas finitimorum, nempe *Moſcorum, Ruſſorum & Polonorum* graſſatum, & cædes, *adusque Sileſiam & Moraviam* pervenit. Oppreſſis nàmque *Circaſſis & Polovucijs*, qui â veteribus Gothis reliqui, totam illam planitiem ſuprà *Mæotidem*, usque ad *Tauricam Cherſoneſum*, *& Dromon Achillis* tenuerunt, ſub peculiaribus regibus, quos in *Taurica* tandem oppreſſerunt *Turcæ*. His ergò domitis, circa annum 1228. *Battus*, qui erat *Hocotij filius*, *Changij Magni Chani nepos*, agmine bipartito, progreſſus eſt contra vicinos *Ruſſos & Jazygas*; atq; ijsdem per aſſiduas, maximéq; infeſtas irruptiones contuſis & attritis, ſucceſſu temporis, partem unam copiarum ipſemet duxit *Iſtrum* verſus: alteram duce *Petâ, peritiſſimo rerum bellicarum milite*, miſit *in Poloniam*, inteſtinis motibus atque civilibus bellis tunc graviter agitatam. *Battus* ultra Iſtrum ex parte una, *Cadano duce Bulgariam*, *Raſciam*, *Serviam*: ex altera proprijs auſpicijs *Hungariam* toto triennio populatus eſt; cæſisque aliquot *Hungarorum* exercitibus, & ultimò omnium graviſſimo, quo *Bela IV.* caſtris totis exutus, anno 1241. vix ſervi habitu cladem effugit, usque *ad Auſtriæ limites* penetravit. Emicuit tunc ſingularis *Forgatiorum* virtus, *Andreæ* & *Ladislai* fratrum, qui cum ſelectiſſima manu equitum, tam diu ſuſtinuerunt hoſtium impetum, donec Rex eo modo, ùt dixi, in tutiora evaſit. Occubuêre duo Arhi-Epiſcopi, *Matthias Strigonienſ. & Ugolinus Colocenſ.* Epiſcopi tres, *Jaurienſis, Tranſſilv. & Nitrienſis*. Occupatæ omnes civitates, omnia caſtra, præter *Budam*, *VViſſebradum*, *arcem Strigon. Albam Regalem*, *& S. Martini caſtrum*. Rex patriâ extorris, & neque in Illyrico ſatis tutus, *in vicinas Adriatici littoris inſulas*, ad *Frangepanos*, *Torquatos & Urſinos Romani ſanguinis proceres*, quos vulgò *Slunios*, *Carlovicios*, *& Blagajos* vocabant, confugit. Ac demum eorum opibus armisque Regno reſtitutus, ut accepti beneficij gratiam referret, ampliſſimas opes, latifundia, arcésque & civitates atque inſulas, ipſis liberaliter contulit; lege latâ perpetuæ immunitatis, *ut neque ij, neq; eorum poſteri, ad tribunalia quorumcùnque Magiſtratuum ad dicendam cauſam cogerentur, ſed privato ſolius Regis judicio & cognitioni reſervati manerent*.

Tartari bipartito agmine Europæ Provincias aggrediuntur.

Battus Bulgariam & Hungariam vaſtat, an. 1240. & ſeqq.

MS. Joan. Thuroc. in Chron. Hung. part. 2. c. 74. Bonfin. rer. Hung. decad. 2. lib. 8. MS. Chronolog. Hung Doct. Eliæ Berger. ad an. 1241.

Peta verò, poſt repulſos ac diſſipatos aliquot ſecundis prælijs *Polonorum exercitus*, anno 1240. liberè per univerſum Regnum ſeſe effudit, rapinis, ſanguine & incendijs cuncta defœdans. *Boleslaus Pudicus Dux Poloniæ*, primò in *Pienina arce* haud longè â *Sandetia*, aliquandiu commoratus eſt: ſed cùm etiam illa loca infeſtarent hoſtes, *in Moraviam ad VVelebradenſe monaſterium* ſe cum charitatibus ſuis contulit. Expilatâ & flammis delatâ *Cracoviâ*, præter *Divi Andreæ templum* duabus turribus munitum, in quod pauperes quidam ſeſe receperunt, & interfectis non paucis barbaris, ingenti pariter ac

Peta Tartarorum dux alter, Ruſſiam & Poloniam atrociſſimis populationibus exagitandas ſuſcipit; an 1240.

Cromer. de reb. Polon. l. 8. Curæus in Annal. Sileſ. ad an. 1241. Pulkawa in Chron. Boh. ad an. eund. Dubrav. l. 16.

 felici

in Sileſiam uſque penetrat, an. 1241.

felici reſtiterunt auſu, *Tartari, ad limites Sileſiæ excurrerunt* itineribus citatis, ſuperatóque ratibus, propè *Ratiboriam, flumine Oderâ, ad gentis Metropolim VVratislaviam* contendebant feſtinantes, quam tamen incenſam reperêrunt. Nam præſidiarius urbis miles, & ipſi cives, cognito barbarorum adventu, & defenſione deſperatâ, rebúſque omnibus in arcem comportatis, urbem, ne hoſtibus receptaculo eſſet, incenderunt. Quamobrem indignati barbari arcem obſêderunt; ſed in vanum: conſumptis námque fruſtra diebus aliquot cùm obſeſſi ad longiorem etiam obſidionem perferendam non imparati eſſe viderentur, frementes ac frendentes inde, ſimiles fugientibus diſceſſerunt. Apparuit etiam tum manifeſta præſentia Dei protegentis obſeſſos: *columna enim ignea cælitùs viſa fuit, quæ ſtativa hoſtium ingenti atque horribili fulgore colluſtrabat;* & ùt memorant, *flammæ in modum fulguris de cælo cadebant, latéque inter ordines ipſorum diſcurſabant:* quo perterriti illi, obſidionem ſolverunt. Creditur precibus piorum, *Cieslai* præſertim, *qui Divi Dominici diſcipulus, Conventui VVratislavienſi ad S. Adalbertum præerat,* & in eo tumultu cum Sodalibus ſuis in arcem quoque confugerat, id factum; & barbaros ab arce, ſicut olim *Attilam, ab urbe Aurelia in Gallia*, fulguribus & tonitru, eſſe rejectos.

Caſtrum VVratislavienſe fruſtra obſidione tentat.

B. Cieslaus Polono Sileſius è Ducatu Opolienſi.

Henricus Pius, D. Hedvigis filius, Princeps Lignicenſis, Henrici Marchion. Moraviæ affinis, comparato exercitu Tartaris ſe opponit; cum ijs confligit.

Tartarorum ſtratagema:

Lygnitium deinde petierunt: ubi *Henricum Ducem* cum militaribus copijs & auxilijs conſiſtere ad confligendum paratum cognoverunt. Comparaverat is *exercitum triginta millium*, quem oppoſuit penè innumerabili hoſtium multitudini, pugnáque initâ, diu ſatìs ancipiti Marte pugnatum erat: tandem verò vel multitudine hoſtium ſuperati *Sileſij*, ac fatiſcentes continuitate ac pertinaciâ prælij, vel (ùt ferunt) ſtratagemate eluſi, ceſſerunt. Audita enim fuit vox equitis ignoti latera exercitûs obeuntis, & *Polonicè*, ut fugerent, clamantis; quâ velut pannico terrore perculſus *Miecyslaus Dux Oppolienſis*, & amicam eſſe credens, primus omnium rapto ſecum agmine fugit. Quanquàm alij ab amicis clamatum fuiſſe perhibent: **Zabihegte Tatarum / Zabihegte /** id eſt, *cingite ac prævenite Tartaros, occurrite eis:* Miecyslaum verò intellexiſſe, **Běhegte Běhegte /** id eſt fugite: & hoc terrore aciem deſeruiſſe. Ajunt etiam jactatum eſſe â Tartaris in vexillo, quod *notam Græcæ linguæ X.* affinem præferebat, *depictum caput hominis monſtroſi, fumos & halitus cum fœtore teterrimo eructantis*, quibus aſpectus omnis Chriſtianis eripiebatur; interim ſagittis Tartarorum locum fuiſſe. Cecidit hoc funeſtiſſimo prælio *Henricus Dux*, cujus deinde cadaver inter cæſorum corpora repertum fuit, ex ſexto pedis digito agnitum; caput verò â cervice avulſum, barbari haſtæ infixerunt ad oſtentationem. Dimicatum eſt V. Idus Aprilis, anno 1241. ad locum *uno milliari Lignitio* diſſitum, qui prælij memoriam *VValſtad* nomine huc usque retinet. *Tartari*, ut de numero cæſorum gloriari poſſent, cadaveribus auriculas abſciderunt; tótque collegiſſe traduntur, ut ſaccos novem grandes impleverint. Præter *Henricum*, perierunt etiam multi alij illuſtres viri: *Pompo Crucigerorum Pruſſenſium Magiſter, Boleslaus Henrici Marchionis Moraviæ germanus frater*, quem Poloni *Szepiolkam* vocabant: ***Stephanus***

artéſque magicæ.

Henricus pro patria occumbit.

VValſtad locus infelicis prælij.

Cæſi è præcipuis.

Digitized by Google

nus Comes de Wrbna cum Andrea filio, Clemens Palatinus Glogovienſis, Sulislaus frater Wlodomiri Palatini Kracovv. Conradus Kunrathovvicz, Thomas Piotrkovvicz, Petrus Kuſza, aliique complures.

Cromer. rer. Polon. lib. 8. Miechov. l. 11. in Sarm. lib 1. c. 3 in Chron. lib 3. cap. 39. Dubrav. l. 16. Curæus in Annal. Sileſ part. Luſatia Manlij. Peucer. l. 5. Chron. VVeſlav. in Calend. Hiſtor. die 9. April.

Magno tamen ſanguine etiam Tartaris hæc victoria ſtetit, ut non ſine cauſa, dum circa *Ottmochovium* ſtativa tenerent, quindecim dierum ſpatio curandis corporibus & vulneribus intenti, in varias conſiliorum vias ducerentur; quorſum tenderent, *an in Bohemiam, vel Moraviam* ambigentes: diffiſique viribus fractis & attenuatis, *Bohemiam, quam ſylvis & montibus præaltis, aſpectu ipſo horridis munitam eminùs videbant*, & per exploratores etiam, aditus omnes densâ concæde arborum eſſe præſeptos, cognoverant, ingredi non fuerunt auſi; ſed eam ſequuti ſententiam, quam tutiorem exiſtimabant, *Moraviam*, ut inde ſuis, qui per *Hungariam* graſſabantur, propinquiores eſſent, pètere ſtatuerunt: quò itineribus lentis, miſcentes more ſuo cuncta populationibus & incendijs, nullo renitente, pergebant. Inter hæc *Wenceslaus Rex*, per Bohemiam univerſam, delectui militum ſummâ celeritate inſtitit: juſſitque nominatim urbes & oppida, tot peditum, tot equitum numerum impendere, qui ad *confinia Sileſiæ*, quâ maximè poſſent feſtinatione properarent. Invaſerat rumor terrórque pariter vicinos populos, præſertim *Luſatios, Saxones & Miſnenſes*, ignaros, quò tantæ colluviei moles ex Sileſia eruptura eſſet: occulta námque barbarorum conſilia, vix ullus poterat explorare; hinc ſubinde accidebat, *quòd ſub muris civitatum viderentur priùs, quàm audirentur*. Sed & illâ inſigniori fallaciâ, perdita gens uti ſolebat, ut *aliò plerúmque mendacem belli famam, & inanem tumultum præmiſerit, aliò autem veros expoſuerit impetus, quò faciliùs perniciosâ credulitate fretos & incautos opprimerent*. Quare omnia ingenti tumultu undique miſcebantur. Hinc *Moravi* metuentes propinqui immanitatem hoſtis, ad arma concurrebant, ex inſtituto generis veteri, *viritim omnes*: inde *Bohemia* quoque & *Luſatia*, pro aris & focis pugnaturæ, ſummâ quâ poterant celeritate, exercitus parabant.

Tartarorum cruenta victoria. Moraviam petunt, & obvia quæque longè latéque populantur. In Bohemia viciniſque Provincijs, metu & formidine replentur omnia.

Moravi ad arma conclamant. Rex Bohemiæ exercitum ſummâ ſtudio comparat:

Primò omnium *Rex Bohemiæ, Guilhelmum de Skala, filium Brzetislai Theobaldici* agnati ſui, cum ſelectiſſimo duorum millium peditatu, & trecentis equitibus, *Glacium*, ad tuendum ab ea parte Regni limitem miſit: ac demum intellecto *Moravorum periculo*, cùm ipſemet ſe in partem protrudere longè dimotam & periculi plenam, è Republica eſſe non duceret, *Jaroslaum à Sternberg, inſignium virtutum heroem, multiſque militiæ experimentis clarum*, cui idcirco multùm tribuere erat ſolitus, cum quinque circiter millibus peditum, & aliquot equitum turmis, quibus præerat *Wenceslaus Berka*, vir, tum Nobilitate generis, tum magnitudine animi, reíque militaris peritiâ inſignis, *in Moraviam* citatis paſſibus, ut imminentis periculi magnitudo poſtulabat, proficiſci juſſit; cum hac cautela, nè acie cum hoſtibus nimiâ multitudine prævalentibus confligeret, ſed *mœnia Olomucij* vel *Brunæ* tutaretur; idque eò faciliùs illum præſtare poſſe, quòd barbari ad expugnandas urbes minùs idonei cenſerentur. Hic cùm itinere accelerato *Iglaviam* veniſſet, pauliſper

partémque ejus Glacium verſùs pro præſidio limitis ire jubet: reliquum duce Jaroslao à Sternberg Moravis in auxilium mittit.

Jaroslaus Iglaviam venit:

** Caſtrum Chlum, inter Czaslaviam & Svetlam, cum adjacenti ampliſſimo territorio, erat quondam ex primis una florentiſſima ditio Slawatarum, unà cum caſtro Orlyk: hinc invenio ſubinde nominari Slavatas z Chlumu a Orlyka. NB. Orlyk wijz Gums polce.*

Olomucium dum venit,

liſper iſthic ſubſtitit, tum ut fatigato conſuleret militi, tum ut copias illas, quas vicini Proceres, uti *Roſenſes, Slavatæ Chlumenſes* Bercæ Lichtenburgici, Ronovienſesque*, & alij, tum etiam *Iglavienſes* collegerant, luſtraret, & meliores ſuis adjungeret. Inde Brunam vix venerat, nuncij accurrerunt trepidi, clamore inſveto deploratam jam *Oppavienſem Provinciam* indicantes, barbaris ad internecionem vaſtantibus univerſa: quare diſpoſitis ad continuandam profectionem omnibus, & de provinciali milite, quem *Henricus Marchio gravi tum decumbens infirmitate*, colligi juſſerat, & quos etiam *Proceres Moravi* adduxerant, mille tantùm viris acceptis, reliquis pro tutela urbis & caſtri, *Brunæ* manere juſſis; ipſo adhuc veſpere, iter *Olomucium* versùs, citato greſſu ſuſcepit: captáque modicùm ex itinere *Dedicij*, oppido tum celebri, quiete, mox rurſum primo diluculo inde movit; ac metuens ne in locis patentibus repentino hoſtium obrueretur aſſultu, agminibus procedebat quadratis. Excurſatores quidem trecentos ſenſim præire juſſit, qui cautiùs gradientes ex utróque latere, itidémque à fronte, ne quis repentinus irrueret, ſedulò proſpectabant: ipſe verò pedites regens, quod erat totius roboris firmamentum, lentiore paſſu ſequebatur. Emenſo hoc modo itinere, *Olomucium* feliciter pervenit, quem ingredientem, optatum quidem ac deſideratum, gratiſſimè ſuſceperunt de Nobilitate quotquot aderant; omnis denique ætas concurrebat & dignitas, procúlque viſum cives, & plebs univerſa, *Ducem ac Servatorem* appellabant, haud dubiam ſpem ſalutis in ejus collocantes adventu.

Jam hoſtiles copiæ ſub mœnibus obequitantes apparuerunt.

Arctiſſima urbis obſidio.

Propugnatorum urbis numerus.

** Slavata Monwici, cognati Bohemorum de Chlum.*

Tartari ad expugnandas urbes minùs idonei,

Dum hæc fiunt, & ille munimenta, arma & alia oppugnationi ſuſtinendæ neceſſaria luſtrat, jam procurſatoriæ hoſtium turmæ, ſub mœnibus conſpiciebantur: quas *Peta* præmiſit, ut ad ſuburbana prædia uſque, excurrendo obequitandóque, & in obvia quæq; armis & igne ſæviendo, terrorem circumferrent, donec ipſe cum reliqua copiarum mole ſubſequeretur. Noctu deinde *licebat ex vallo, uno & eodem contuitu, quindecim atque etiam viginti incendia in ſubjecta regione proſpectare*, à barbaris in majorem noſtrorum metum excitata. Die verò ſequenti magis ac magis augebantur hoſtium copiæ; ac tandem adventu ipſiusmet *Petæ*, die tertia, univerſa quæ videri poterant, barbarorum plena erant: quorum ingens ac penè innumerabilis equitatus vicinos campos omnes opplevit & colles, factóque progreſſu circa urbem, in coronæ ſpeciem conſedit, tantâ denſitate, ut nemo prorſus ingredi, vel pedem efferre abſq; manifeſto periculo poſſe videretur. Erant tum in urbe militum, præter octo millia, quæ *Jaroslaus* adduxerat, alia quatuor, quæ jam antea proceres Moravi, *Bludo de Kravvarz Caſtellanus Olomuc. Slavata Camerarius* Jaroslaus à Schumberg, Fabeſs ab Horka, Sudko Skrben*, aliique ex agris vicinis properatione tumultuariâ collegerant. Cives quoque omni genere armorum, quæ ad propulſandum â mœnibus hoſtem, uſui eſſent, tum etiam robore animorum, præcipuè in tanta periculi magnitudine, erant probè inſtructi: in idque animati, *ut ſi tot circumſtantibus malis, non poſſet obtineri ſalus, glorioſos ſaltèm conſequerentur vitæ exitus.* Tentare tamen aſſultu urbem barbari non fuêre auſi, cùm murorum ambitum præaltum, vallóque

que

Digitized by Google

que profundo circumdatum, & â parte una, ſub qua hiabant rupes abſciſſæ, prorſus inacceſſibilem, propugnatorúmque plebem ad reſiſtendum paratam conſiderarent; ſed tela in muros mirâ dexteritate emittebant, ita ut *nulla ſagitta videretur in caſſum evolâſſe:* unde cùm quis in mœnibus vel obiter apparuiſſet, ê veſtigio ſpiculis compluribus conficiebatur, non ſine obſeſſorum admiratione: qui ejusmodi barbaræ dexteritatis facturi periculum, datâ operâ, *ſtatuas larvatas pro mœnibus oſtendebant, quæ illicò ſagittis plurimis Tartari traÿciebant.* Quin ad terrorem oppidanorum nonnunquam telorum multitudine innumerâ, *urbem totam, quaſi nube emiſſâ obumbrabant:* ex quo ſæpenumerò in aëre concurrebant invicem, collidebantúrque, ad ſtuporem & horrorem ſpectantium, jacula & ſagittæ.

rem ſagittis mirâ dexteritate agunt:

Conabantur barbari quoquo modo elicere obſeſſos ad conſerendas manus: quod cùm minimè ſuccederet, rabiem converterunt in ſuburbana prædia, eáque circacircum incenderunt: ac demum monaſterium Hradisſtenſe, quod præſidio utique valido tenebatur, aggreſſi, cùm vi nihil efficere poſſent, igne ſævierunt, *telisque depromptis, quæ flammam incluſam alunt, eámque arcu excuſſa vibratáque, ubi tectis ligneis adhæſerint, evomunt*, illud ſuccenderunt. Quamvis autem propugnatores ſemel atque iterum flammas feliciter extinxerint, tertiò tamen, *juvante inſuper Coro, qui tum vehementiùs perflare cœperat*, ignis ſparſim conceptus, & furente impetu, obvia quæque lambens ac depaſcens, adeò ſævijt, ut creſcenti ſenſim incendio, robora & trabes, quibus nitebantur tecta, ejus violentiâ corriperentur. Cùm ergò impotentes ac immodicæ flammæ dicto citiùs invaleſcerent; & illi, qui cupis ligneis, aut hydrijs ê corio bubulo compactis, ignem ſiſtere volebant, deſtinatis jaculorum ictibus ab hoſtibus ſternerentur, omnis ſuſceptus labor in irritum prorsùs recidebat, furentibúsque miſerabili vaſtitate incendijs, *Tartari* ut metum terrorémque augerent, aſſiduis telorum procellis munimentum petebant. Interea audaciſſimi quidam ex barbaris, ſecuribus ſuccincti & gladijs, ingenti edito ululatu, in portam primam clauſtri celerrimè proruperunt: ſed â præſidiarijs fortiſſimè rejecti, magnáque cum ſtrage repulſi pedem retulerunt. Nec mora, bis repetito pertinaciſſimis animis & viribus certamine, bis pari propugnatorum virtute & conſtantiâ, non ſine cruentiſſima cæde, victi retroceſſêre. Flammâ tandem per omnia graſſante, præſidiarij qui ſupererant, *antequàm manendo pertinaciùs intra munimentum, cum irata fortuna diutiùs ignibus uſtulandi colluctarentur, patefactâ potiùs portâ, ac ſpretâ vivendi cupiditate, ſtudióque fortiter moriendi flagrantes, per medios hoſtes erumpere decreverunt:* quod & fecerunt: ibique in orbem pugnando, & ab innumerabilibus barbaris ſagittas ac tela omnis generis, inſtar grandinis, in eos ſpargentibus facilè ſuperati, pulcherrimo certamini finem, *honeſtiſſimâ morte*, impoſuerunt ad unum omnes. Quorum capita â cervicibus abſciſſa, barbari caudis equorum contemptim alligârunt, eáque ad terrorem civium, ſub ipſas propè urbis portas adequitantes, oſtentabant, non ſine dolore ac pudore obſeſſorum; qui eam barbarorum crudelitatem contuentes, rationa-

igne in ſuburbanos vicos pagósque vicinos crudeliter ſæviunt.

Cœnobium Hradisſtenſe ignibus injectis,

miſerandum in modum conflagrat.

Præſidiariorũ qui in Cœnobio erant, eximia virtus:

Fatali námque incendij neceſſitate ducti,

Foras erumpunt, inque media hoſtiũ arma ruunt:

& pugnantes fortiſſimè unâ omnes, morte pulcherrimâ occumbunt.

Xx bili

bili quidem, ſed tum adhuc intempeſtivo motu, excurſionis faciendæ copiam ſibi dari, portáſque pandi propè ad ſeditionem, flagitabant: præſertim *legiones Bohemæ virorum fortium*, magisque ad planarios conflictus, quàm ad eas belli artes, quibus ſtringebantur, exercitatorum; qui prohibentibus tribunis, & obſeratis portis, egredi nequeuntes, frendebant immania: útque detentæ in caveis feræ, tetro pedore acerbiùs efferatæ, evadendi ſpe repagula feriunt; ita illi gladijs portas obſeratas cædebant, admodùm anxij, ne urbe exciſâ, ipſi quoque ſine ullo ſpecioſo facinore deleantur; aut exutâ periculis, nihil egiſſe operæ pretium, *pro magnanimitate Bohemica* memorentur. At *Jaroslaus*, ùt qui omnia bellorum momenta probè nôſſet, erat hac in re providus & cunctator; *quod præcipuum bonum, in magnis ductoribus opem ferre ſolet exercitibus & ſalutem;* cunctáque adversùs Tartaros profutura, priùs pectore profundo agitans, accenſæ illi multitudini, tantiſper ut quieſceret, perſvaſit: deîn verò edicit ſeveriſſimè, capitali propoſito animadverſionis metu, ne quis injuſſu ſuo, non modò â ſtatione aſſignata recederet, ſed neque etiam egrediendi ullam mentionem facere præſumeret.

Bohemorum faciendi excurſionem in caſtra hoſtium ardor,

Jaroslaus in concedendis forâs excurſibus admodùm cautus.

Interea *Tartari ſucceſſu expugnati monaſterij erecti, urbem pari auſu tentant*, igneíſque ſagittis petunt: eventu tamen diſpari: oppidani ſiquidem diligentiâ ſingulari, ignem, quò minùs in tecta ſævire poſſet, arcebant, tectis partim disjectis, partim pellibus & madefactis ſtragulis opertis: ac viciſſim telorum vim ingentem retorquebant in barbaros ê muris; útque opinari dabatur, nulla fruſtra mittebantur, inter tantam hominum cadentia denſitatem. Tandem cùm neque telis, neque igne, neque ullo conatu, *Peta* obſeſſos in apertum elicere poſſet, contemnere illos tanquàm ignavos & ſocordes cœpit: multúmque & ipſe de cura vigiliarum ſtationúmque remiſit, ac militarem inter ſuos diſciplinam laxavit penitùs, permittendo quemvis diſcedere pro libitu, graſſari etiam per remotiſſima regionis. Atque tunc barbarorum turmæ prædarum cupidine accenſæ, *per Moraviam pandebantur impunè, ad usque Bohemiæ confinia, â parte una: ab altera verò, cis & ultra flumen Moravæ, ad confluentem usque Teyæ*, rapinis & cædibus, ſanguinéque & incendijs omnia fœdiſſimè permiſcentes.

Tartari urbem incendere fruſtra tentant.

Civium in extinguendis ignibus induſtria.

Tartari ab obſidionis cura multum remittunt, cogendis potiùs prædis intenti:

Hoc animadvertens *Jaroslaus* (qui id ipſum fore prævideraт, & verò etiam ut ſic fieret, cunctatione ſuâ procuraverat) *convocatis die XXIV. menſis Junij, qui erat Natali Divi Joan. Baptiſtæ ſacer*, tribunis, centurionibus, decurionibúsque militum: *En*, inquit, *commilitones mei, advenit jam tandem opportunum excurrendi in caſtra hoſtium tempus, tot votis exoptatum, quod antehac aliqui veſtrûm conſilio non ſatis ſecuro expoſcebant: adeſt diu ſperata expectatáque occaſio, compellens nos, omni cunctatione ulteriori ſemotâ, patriæ, genti ac profeſſioni Chriſtianæ reddere proprium decus. Hi ſunt barbari, quos noſtrî contemptus, & nimia ſecuritas, ad perniciem rerum ſuarum invitat, occurrere noſtris viribus opprimendos: videtis enim alios per agros palantes graſſantésque diſcurrere, alios equos paſcentes longiùs hinc diſtare, ibidémque â Duce ſuo ſenſim pernoctare: ſed & ipſe Dux tardioris obſidionis tædio torpere,*

Jaroslaus ad excurſionem tandem faciendam in caſtra hoſtium ſuos animat.

Digitized by Google

torpere, atque ita ſtertere videtur, ut egeat ad ſe excitandum ſtimulo. Cras igitur ante lucem, uno impetu, in præſidenter ſecuros, nihilque tale opinantes barbaros irruemus. Nec debet vos terrere multitudo hoſtium, non enim in numero hominum, ſed in robore ac dextris militum victoria ſita eſt. Deus quoque Ter Opt. Max. pro juſta cauſa, pro ſacroſancta Religionis, & Reipubl. Chriſtianæ defenſione, próque libertate pugnaturis, aderit præſenti ſuâ ope, & de barbaris hoſtibus, aut veriùs, Orbis Chriſtiani latronibus, tantâ ſævitiâ in obvia quæq; graſſantibus, per veſtras vindices dexteras, condigna ſupplicia & pœnas ſumet, nobisque Victoriam dabit. Vos ſolùm agite partes veſtras gnaviter, ſeque viros fortes eſſe mementote. Quos cùm traxiſſet in ſuam ſententiam, placuit unanimi omnium conſenſu, vocare in concionem etiam plebem: quæ cùm conveniſſet, ne finiri perpeſſa, quæ dicebantur, ſtridore dentium infrendens, ardorémque pugnandi haſtis illidendo ſcuta monſtrans, in hoſtem ſe duci clamoſis vocibus exorabat, Dei favore, fiduciáque ſui, & providi rectoris expertæ prudentiæ & dexteritati freta: atque ùt exitus docuit, *ſalutaris quidam Genius præſens*, omnes ad erumpendum in caſtra hoſtium, occultâ vi incitare videbatur. Acceſſit huic alacritati plebis, etiam Optimatum, *Bludonis, Slavatæ*, & aliorum aſſenſus. — & per ſuadet omnibus.

His expeditis, ac ſupplicationibus votiſque multifariam pro victoria nuncupatis, quartam circiter noctis vigiliam, obſervatá tum nocte ſqualidâ & interluni, patefactâ egrediuntur poſticâ, *Jaroslao* præeunte, orantes cœleſte præſidium, ut propitium adeſſet & libens. Cúmque propè veniſſent, ſtationarijs primarijs interfectis, exteriores quoque caſtrorum vigiles, ùt in nullo tali metu ſomno ſopitos, facilè oppreſſerunt: atque ita nullo reſiſtente in caſtra irruperunt. *Peta* excuſſo ſomno, auditóque ruentium ſonitu, arma ſeminudus corripuit, conſcensóque equo, excitatis multis, & *ad arma, ad arma*, quolibet pro ſe clamitante, animo ingenti irruentibus noſtris, & obvia cuncta ſternentibus ſeſe objecit. Tametſi autem ſummá animi perturbatione arma cepiſſet, tantâ tamen pertinaciâ & contentione reſtitit, ut non paucos ex Chriſtianis, enſe ſuo falcato, quem geſtabat acutiſſimum, obtruncaret. Jámque collecta in unum aliquot barbarorum agmina, ex interioribus caſtris, ad eam ignominiam propulſandam accelerabant, quorum impetum noſtri pedites, qui in ſiniſtra parte pugnabant, ſingulari virtute & fortitudine exceperunt, ita ut ſatis diu, pari fere & æquato virium ſucceſſu certaretur. In eo prælio dum factâ comminùs pugnâ, *gladij gladijs, haſtæ haſtis concrepuêre, Jaroslaus in Petam, dubiâ adhuc luce, vix cognitum incidit*; unde in mutuam utérque accenſi necem, infeſtis concurrerunt haſtis, ac demum gladijs: cùm verò ille manu eſſet promptior, divinâ etiam ſuccurrente ope, toto virium niſu *in Tartarum* irruit, adeò, ut dexteram ejus in ictum frameæ libratam uno impetu amputârit, ſicque brachio mutilum in fugam egit, qui non multò poſt ab eo vulnere interijt. Alij haſtâ confoſſum tum ſtatim interijſſe volunt. Quo facto barbari, ubi ſtratum viderunt Ducem, confeſtim accurrentes, tractum pedibus cadaver ab ignominia tutari conabantur, ſed inter-

Inſtructis ordinibus nocte urbe egrediuntur:

Tartaros ſomno ſopitos adoritur:

Caſtra hoſtium tumultu implet.

Tartari nihilominùs, correptis properè armis, fortiter reſiſtunt.

Jaroslaus cum Tartarorum duce forte fortunâ concurrit:

cúmque brachio mutilum fugat.

Ducis Tartarorum interitus.

Digitized by Google

Barbari remiſſiùs pugnant: *rurſus tamen prælium inſtaurant.* *Bohemorum fortitudo.* *Confluentibus tandem ad pugnam majoribus hoſtium copijs, Jaroslaus cum ſuis in urbem ſeſe recipit. Tartarorum luctus; immanis in Chriſtianorum cadavera, & in captivos crudelitas: Ex Moravia diſceſſus. Jaroslaus præſentis victoriæ monumentum Olomucij ponit: à Rege Bohemiæ donatur.* *Dubraŭ. l. 16. Chron. Boleslaŭ. cap. 82. Paproczky in Speculo Morab. lib. 1. cap. 27. Pontan. in Bohemia Pia Kuthen. ad an. 1241. Schicfuſ. in Annal. Sileſ. lib. 2. cap. 4. Balbin. in Diſſ. VVart. Joan. Tanner in Veſtigijs Virtut. & Nobilitat. Sternberg. MS. Annal. monaſt. Trebic. MS. monaſt. Hraduſt. MS. Annal. monaſt Zabrd.* *Novæ belli calamitates.*

ventu noſtrorum disjecti & diſſipati ſunt: denuò tamen conglobati, ac veluti in rabiem verſi, pugnam inierunt; quos tamen Bohemi pedites ſtrenuè exceperunt, *Jaroslao* voce & manu, exemplóque cohortante, ùt *pro Chriſti nominis, próque dulciſſima Patria à barbarorum ſervitute vindicanda gloria, quàm fortiſſimè rem gererent.* Hoc modo recruduit certamen: noſtris tamen diu pugnandi facultas permiſſa non fuit. Cùm enim jam ex omni parte fredentium catervæ hoſtium accurrerent, latéque extenſâ, *in Luna creſcentis formam*, ſuâ acie, noſtros â fronte & lateribus acerrimè impeterent, *Jaroslaus* metuens, ne ab incondita barbarorum turba undíque circumfuſus, poſtea iniquiori fortunâ pugnare cogeretur, loco potiùs cedendum, receptuſque dandum in tempore duxit: ſenſim itàque eundo, & continuò pugnando carpebat iter, donec portam urbis, *orto jam Sole*, introiret, minuto quidem numero, trecentis & aliquot eâ nocte deſideratis, at memorabili â felici rei ſucceſſu exemplo: utpotè, qui manu tam exiguâ, tantos Tartarorum cumulos (*ſinguli enim ipſorum, viginti & ultrà Tartaris opponendi erant*) aggredi auſi eſſent.

Retectis ſequenti luce funeribus, cùm inter cæſorum cadavera, præter *Ducis Petæ*, alij etiam invenirentur optimates barbarorum & ſatrapæ, clamores diſſoni, fortunam aliam hìc, aliam alibi cum lachrymis & ululatu indicabant, luctus ubique & indignatio hoſtium lugubre ſtridentium audiebatur. Quotquot autem inter ſuorum acervos corpora noſtrorum invenerunt, licèt frigida tactu, & liventes ex morte oculi conſpicerentur, immani tamen, ſed inani, ultionis ſtudio, publica ſimul & privata odia in exangues truncos, & ſurda nec ampliùs quicquam ſentientia cadavera exercuerunt. Captivos etiam cujusvis ſexûs, quotquot habebant, omnes fœdum in modum trucidârunt; acri vociferatione, & inconditis paſſim vocibus acclamantes, *ita occiſi Ducis manibus parentandum eſſe.* Tertiâ pòſt die, tali ac tanta obſeſſorum audaciâ haud mediocriter perculſi, ommiſſâ cunctatione omni, obſidionem ſolverunt; ſeptimiſque ab Olomucio caſtris, *ad Batti exercitum per Hungariam tum adhuc graſſantem ſeſe receperunt.* Hæc accidêre anno 1241. ùt penè omnes illius temporis Scriptores teſtantur; ideóque non eſt ferendus *VVeleslavini* error, qui annum ponit 1254. neque *Hagecij*, qui anno 1253. *Tartaros Moraviam ingreſſos ſcribit.* Cæterùm *Jaroslaus*, ut vota pro victoria nuncupata Altiſſimo redderet, *ædem Divæ Virginis Mariæ*, quam ætate noſtra *Patres Societatis JESU* poſſident, *Olomucij* poſuit. Ut porrò & ipſius virtus remuneraretur aliquo memorando apud poſteros exemplo, *VVenceslaus Rex partem terræ Olomucio vicinam* ipſi, ejúſque poſteris poſſidendam dedit; ubi ille arcem â ſuo nomine *Sternbergam* dictam extrui curavit. Inſuper idem Rex, *Provinciæ totius Capitaneum*, ſive *ProMarchionem* illum fecit, & quod miror in Rege illo, *Ducali mitrâ* uti conceſſit.

Hâc funeſtiſſimâ clade Moraviæ ab immaniſſima gente illatâ, ac tot cædibus, tótque incendijs fumantium latè oppidorum atque villarum, non dum ſatiari potuit *Mars cruentus*; ſed viſâ parte meridionali ab ea calamitate intactâ, quam tamen paulò ante *Auſtriacorum* crebris excurſibus attigerat pla-

Digitized by Google

ga magna ſatis, in illam denuò, concitatis ad arma *iiſdem Auſtriacis*, mœſtos pernicioſóſque intulit eventus. Quippe *Fridericus Auſtriacus*, princeps inquies, & animi immodicus, ſive eum cupiditas vindictæ, & aliquod in *Regem VVenceslaum odium*, ſive ocij impatientia, quæ per omnem vitam ei adhærebat, ad rumpendum fœdus impulit, mox anno ſequenti, obſervatâ rei gerendæ occaſione, dum *Jaroslaus propter novam Tartarorum in Poloniam irruptionem, limiti Moraviæ, Polonicis finibus viciniori cuſtodiendo invigilabat*, ſuos rurſum *Znogmenſem provinciam* hoſtiliter infeſtare juſſit: qui populationibus & rapinis per obvia quàque graſſati, ſpatio temporis brevi ad usque *Iglaviam* penetrârunt. Hoc cognito Rex, ſolatio quidem illo utcúnque ſuſtentabatur, quòd perfidiam *Friderici* toties repetitam hactenus ſemper egregiè caſtigâſſet: novâ tamen illâ *Tartarorum in Poloniam irruptione*, magnam difficultatem ad capeſſendum conſilium adferente, (nam paucis ante diebus, *Przemyslum filium* cum ſelectiſſimo robore militum, *Guilhelmo* in auxilium, pro firmiori tutela limitis, *Glacium* proficiſci juſſit) illud interea deligendum cenſuit, ut vicinos Moraviæ, *Roſenſes, Slavatas*, *Lichtemburgenſes, & Pabienicios Lipnicenſes*, eorúmque populos, quos periculi magnitudo vicinitate loci proximè tangebat, ad arma concitaret, hoſti quantocyùs occurſuros. Quod & factum: *Jaroſlius* námque *de Chauſtnik*, & *VVitko de Nova domo*, habito quàm primum per oppida & vicos ſibi ſubjectos delectu, haud contemnendam collegerunt militum manum; & conſilio per celeres nuncios communicato cum *Slavatis & Lichtemburgenſibus*, qui ſuos conatus & ſtudia, ope maturè illatâ juvarent, ipſi ad præcludendum hoſti reditum, *Gemnicium*, ac inde *Bitoviam*, continuato dies ac noctes itinere, profecti ſunt: ubi trajecto flumine, longiùs adhuc progreſſi, propè confluentem *Teya & Pulkba amnis*, quà Auſtriacos tranſituros noverant, conſederunt, exploratoribus *in Moraviam* quaquaverſùm emiſſis, qui graſſatorum conatus obſervarent. Erant autem univerſim, non niſi *mille quingenti pedites, equites vix centum:* cùm tamen *Auſtriacorum quinque millia* numerarentur.

Auſtriaci infeſtant Moraviam, an. 1142. *Pulkawa ad an. 1142. MS. Anon. Coſmæ & Jaroslai cont. an. eod.*

Bohemi Proceres Roſenſes, Slavatæ & Lichtemburgenſes, Moraviis auxiliatum ocyùs accurrunt:

Inter hæc *Slavata* cum Lichtemburgenſibus operæ navandæ cupidi, & ex itinere *Iglavienſium*, quorum ſumma centum & triginta faciebat armatos, acceſſione, viribus & animis aucti, *Namiesſtium* verſùs, quòd in illo tractu graſſari hoſtem intellexiſſent, citatis paſſibus contenderunt. Addebat fiduciam viris, equeſtrium turmarum, quos *Przemyslus Glacio miſerat*, adventantium fama. Poſterâ die, quàm *Iglaviâ* exiiſſent, deprehendunt in villa quadam graſſatorum manipulum; quo disjecto & in fugam acto, cùm ulteriùs progrederentur, incidunt in aliud longè fortius, & ad dimicandum paratum agmen. Prælio itáque inito, concurſum eſt ſummâ Bohemorum alacritate; maximè verò, ubi *Joannes de Lichtemburg* in alterum hoſtium cornu, & *VVok Slavata* (Dominus arcis *VVorlyk* in præalto monte ſitæ, propè Humpolecium) *cum Iglavienſibus*, in alterum fortiter irrupiſſent, pugnatum fuit acerrimè per horam & ampliùs. Prævalentibus tamen numero *Auſtriacis*, & aliis ac aliis in prælium ſuccedentibus, *Bohemi* receptui dare pedémque

cum Auſtriacis congrediuntur: *MS. Cont. Jarosl. MS. Nicol. Artemiſſi de Famil. Slavat. ſcriptum ſub Ferd. I.*

fortunâ primùm iniquâ, que referre paulò poſt cogebantur; cùm inter hæc ſubitò aſpiravit eis fugæ jam intentis auram ſalutis recentem, *manus illa equitum Glacio ſperata*, opportunè tum adveniens. Quare reſtitutis in pugnam animis, & *Smilone Lichtemburgo Joannis fratre*, *beneſſioque VVartembergo*, qui equites â *Przemyslo* miſſos adduxerat, fortiſſimè rem gerentibus, prælium recruduit: diúque paribus certatum eſt momentis, donec inſtante validiùs *Bohemico* deinde meliori pugnant: *Hagek. Pulkawa ad an. 1243. MS. Annal. Trebic. MS. Anon. Iglavienſ.* *equitatu*, hoſtes retrocedere cœperunt. Initium fugæ ab equitibus datum, â quibus pedites deſtituti, cùm ampliùs reſiſtere non poſſent, in vicinam ſylvam ſeſe recipientes, victoriam Bohemis reliquerunt. Quorum veſtigijs inſtitit aliquandiu victor miles: quia tamen jam inclinabat dies, & equitibus ſylvam ſqualore tenebrarum horridam, ingredi non ſatìs tutum erat, prohibuit Auſtriacos fugant: fugientes inſequi â Ducibus prohibentur. *Smilo & Beneſſius* clamore objurgatorio, ne quiſquam hoſtem avidiùs ſequens, ſe opacis committeret inſidijs. Nox ergò prælij finem fecit, cujus beneficio Auſtriaci utendum rati, (neque enim ignorabant, quantum ſibi virium ex adverſo certamine deceſſiſſet) maximo cum ſilentio ſaltu egreſſi, ulteriùs cum collectis prædarum cumulis properârunt.

Die nihilominùs ſequenti fugientium tergis inſiſtunt, Interea nondum albeſcente cœlo, exploratores *Bohemi* ingreſſi ſaltum, cùm tacita omnia, & non niſi paucos ſemianimes inveniſſent, ab iiſque de diſceſſu cæterorum edocti eſſent, renunciâverunt id citò ducibus; qui ſigno ad profectionem dato, ſine mora, cum equitatu univerſo, per nota itinerum compendia, fugientes inſequuti ſunt; deprehensóſque ſtare, atque iterum prælij fortunam ſubire compulerunt. Accidit verò, *iratis haud dubiè Superis*, quos novâ clade, & majori quidem afficiunt: *qui ruptores fœderum maximè deteſtantur*, ut Auſtriaci â fortuna penitùs deſerti, ultimâ profligarentur clade, quâ, non tantùm ſpolijs, ſed vitâ etiam plerique ſunt exuti. Cùm enim ſeſe præſenti periculo expedire vellent, & aliqui intra carrorum ordines, qui eorum latera protegerent, receptui darent, ſequentibus mox â tergo victoribus, tumultu maximo & confuſione miſcebantur: pars itaque cæſa, pars capta; *probibuerunt námque ultimò duces Bohemi, quenquam occidi.* Sed & reliqui, qui celeritate jumentorum evaſerant exitium, séque jam propè confinia patriæ omnino tutos arbitrabantur, incidentes *in præſtructas ſibi â Roſenſibus, pluribus in locis, cis & ultra Teyam, inſidias*, haud diſſimili clade ſunt excepti adeò, ùt ex omni illo prædatorum & ad internecionem penè profligant. numero, vix ſexta pars domum redierit ſalva: quos verò intra ſylvas, latebroſáſque montium convalles, exemit prima fuga morti, ij demum ab agreſtibus deprehenſi, fœdo mortis genere interiêre omnes.

Adveniente *Jaroslao cum copijs Moravicis* (jam enim tunc remittebat â *Tartaris* periculum) unanimi omnium Ducum conſenſu, juſtáque ultionis Moravi & Bohemi Auſtriam plenis agminibus invadunt, par pari referentes. causâ id efflagitante, omnes ſimul Auſtriam petierunt; ac deinde per partes in diverſa emiſſi, neminéque reſiſtente, *ad Danubium* usque penetrârunt, par pari referentes. Neque aliàs poterat de pace tranſigi; donec interveniente *Ulrico Carinthiæ Duce*, *Fridericus Gertrudem filiam* ſuam (alij volunt *filiam Henrici Medlingenſis*, *qui erat patruus Friderici*) *VVladislao VVenceslai*

ſecun-

Digitized by Google

ſecundo natu filio, deſpondit conjugem, cum ſpe ſucceſſionis in Auſtria Ducatum, ſi Fridericus abſque prole maſcula, ùt poſtea contigit, *decederet.*

interveniente affinitate, bello finis imponitur.

Haud multò poſt, *Fridericus* ex vulnere in pugna cum Hungaris commiſſa, accepto, (alij plures, *ab Auſtriacis ipſius domeſticis, & quidem in venatione, nefariè occiſum fuiſſe ſcribunt,*) obijt anno 1246. 17. Cal. Julij, *Auſtriæ Ducum, ex Bambergenſi ſtirpe ultimus.* Quapropter ejus deceſſu *VVladislaus, cui paulò ante Rex VVenceslaus, Znogmenſem Provinciam titulo Marchionis regendam tradiderat*, Auſtriæ gubernacula, procerum gratiâ, ac populi totius applauſu, ſuſcepit. Perbreve tamen fuit ipſius dominium: octavo námq; menſe, miſerabili fato extinctus eſt. Nam cùm ipſâ *Feriarum die, quam ſolenniter celebrantes menſe Januario Chriſtiani Epiphaniam vocamus*, aſſidens menſæ, multa in ſacros Eccleſiæ Catholicæ ritus, illoto ore, ac effreni verborum petulantiâ diceret, articulos fidei cachinnis exploderet, & cæremonias varij generis probris, ſcommatibus & dicterijs proſcinderet, ad ſtuporem & horrorem audientium; *muſca ex improviſo, divinâ ſic diſponente vindictâ, involavit ipſi in os, ac viſceribus penetratis, rurſus alvo foras erupit:* quam mox ſequutum eſt ſanguinis profluvium, tantâ copiâ, ut medicorum curâ licèt diligenti adhibitâ, ſiſti nequaquam potuerit, ſed accedente inteſtinorum dolore ingenti, decimo, â quo tam malè haberi cœpit, die, miſerabilis Princeps, in torminibus maximis efflavit ſpiritum.

Hagek ad an. 1241 & ſequ. Bzovius in Annal. Eccl. ad an. 1245. n. 12.

Friderico Ducum Auſtriæ ultimo, VVladislaus Regis Bohemiæ filius ſuccedit:

Siffrid. Presb. in Epit. lib. 2. an 1246. Brunner. l. 14. Adlzreit. p. 1. lib. 24. Naucler. gen. 43. Gerard. de Rom. in Hiſt. Auſtr. lib. 1. Dubrav. l. 16. Pulkawa an. 1247. MS. Anon. cit. an. eod.

cujus tamen minimè diuturnum fuit in Auſtria regimen: moritur, an. 1247. III. Non. Januar.

Poſt cujus obitum, excitatæ ſunt, vicinos inter Principes, *de Ducatu Auſtriæ* obtinendo, concertationes graves, quæ & *Moravos* haud mediocri implicuerunt clade. Eligebatur enim in Ducem â parte populi Auſtriaci majore, *Hermannus Marchio Badenſis*, eâ lege, ſi vel *Gertrudem VVladislai viduam*, vel *Margaretham Friderici ſororem*, etiam tum viduam poſt Henricum juniorem Friderici II. Imp. filium relictâ, vellet ducere uxorem: â reliquis verò *Ulricus II. Dux Carinthiæ, & Provinciæ Brzedlav. in Moravia Dominus, qui Agnetem, unam quoque de ſtirpe Auſtriaca habebat conjugem.* Variantibus ſic in deliberatione, & in ſuſpenſo hærentibus ſuffragantium ſententijs, ſupervenit *Badenſis* cum magna militum manu, auxilijs inſuper *Bavarorum* comitatus; effecítque, ne, qui priores partes in ſuffragijs tulerat, poſteriores in acquirendo Ducatu ferret. Conſequutus itáque ſummam apud Auſtriacos dignitatem, ut omnium ſibi animos conciliaret, *viduam VVenceslai* duxit; ex qua genuit *Fridericum*, qui deinde pubertatis annos vix egreſſus, *Neapoli, cum Cunradino Apuliæ & Siciliæ Rege*, per ſummum *Caroli Andegavenſis*, qui Regna illius vi occupârat, ſcelus, capite plexus erat, anno 1269.

Hagek. ad an. 1247. VVeleslav. in Genealog. Ducum & Reg. Boh. MS. Trebicenſ.

Auſtria velut pomum Paridis multis procis objicitur: ab Hermanno Badenſi obtinetur:

Ulricus porrò *Brzedlaviæ in Moravia tum æſtatem agens*, cùm oblatum ſibi *Ducatum*, lubricâ paucorum (ùt ipſe ajebat) procerum fide, *â Badenſi præoccupatum* didiciſſet, armis injuriam vindicare decrevit: nullámque ſibi moram interponendam ratus, *legiones è Moravis & Bohemis* conſcribit, *equites è Carinthia* vocat, ac ſumma cum celeritate *Auſtriam* ingreſſus, oppida nonnulla, & arces Moraviæ viciniores capit, præſidióque firmat. Quamvìs autem *Dux novus*, primùm per legatos, ultrò citróque commeantes, deinde

cui idcirco Ulricus Carinthiæ Dux, & Marchio Moraviæ, Brzedslaviæ Dominus, bellum infert;

mutuo

mutuo habito ad Danubij ripam colloquio, certis oblatis conditionibus, cum *Ulrico* convenerit: quia tamen *Badenſis* in adimplendis promiſſis tardior erat quàm res exigebat, *Ulricus* jus ſuum bello proſequi conſtituit. Invenio in certis, ac fide dignis annotamentis, *Styriæ partem, & aliquot Auſtriæ oppida, Brzedslavienſi Provinciæ viciniora*, ei fuiſſe promiſſa, ſi bello abſtineret, neque tamen ad condictum diem tradita: eámque fuiſſe cauſam renovati belli. Ut ut ſit, effectu patuit, *Badenſem eo colloquio cum Ulrico habito, tempori ſervijſſe*, & datâ operâ ei multa magnificis ac ſpecioſis verbis, quæ demum factis minimè eſſent reſponſura, promiſiſſe, ùt tantùm averteret eum â bello, quod tum temporis, *non dum benè firmatis in Auſtria & Styria rebus*, ægrè ſuſtinuiſſet, præſertim ſi ê duabus partibus, *Moraviâ & Carinthiâ*, hoſtilibus peteretur armis: tempori igitur cedendum putabat, donec ſtabilito domî imperio, bellum illud commodiùs ferre gereréque poſſet. Unde etiam totam penè æſtatem in apparatu bellico traduxit, occultè initâ *cum Henrico Bavaro* armorum ſocietate; famâ verò ſpecietenùs ſparsâ, quaſi contra *Hungaros* bellum movere, mortémque *Friderici Ducis* ulciſci vellet.

Badenſis cum Ulrico paciſcitur; pactorum tamen leges non ſervat. Hinc bellum recrudeſcit.

Mox igitur, ubi etiam *Ulricum* reſumere arma, & jam in procinctu eſſe cognoviſſet, *Ottonem VVolkendarſium cum mille & ducentis Auſtriacis & Bavaris*, ei occurrere juſſit, diligentérque curare, ne quid detrimenti finibus Auſtriæ â Moravis inferretur. Jam *Ulricus* Auſtriam ingreſſus, *ad amnem Czeyam, propè Myslibochum* poſuerat caſtra, cum tribus tantùm armatorum millibus: ubi dum reſiduas expectat copias, quas *Beneſſius de Kaunicz*, Olomucij & Brunæ conſcriptas adducebat, *Otto* nocte intempeſtâ, præmiſſo uno fortiſſimo agmine, quod terga hoſtium clauderet, ipſemet cum reliquis ab ea parte, quà exiguas ſtationes haberi, per ſpeculatores ſuos didicerat, caſtra ex improviſo adortus eſt; cæſiſque qui tumultuariè arreptis armis reſiſtere conabantur, ad prætorianum usque tabernaculum facilè penetravit, *Ulricum*, & alios præcipui nominis ductores, qui diſcuſſo ſomno properè, ſed tardè, capeſſebant ferrum, vivos cepit: cæteros in tenebris, ignaros â quibus cæderentur, niſi quòd *faſciâ albâ collum Auſtriaci induerint*, ut â ſe invicem internoſcerentur, partim cecidit, partim diſſipavit. Qui verò iſtorum manus evaſerant, conglobati in unum, conabantur quidem reſtaurare prælium, ſed ſine duce, ſine ordine, ab altero rurſum agmine, quod â tergo præcluſerat eis fugæ copiam, vel capti, vel trucidati ſunt. Illud tamen ſævi nimiúmque crudelis erat exempli, *in victore Auſtriaco*, præſertim in *milite Bavaro*, quòd captivos pleróſque, ad majus Moravæ gentis dedecus, partim nare, partem auribus, & aliquot etiam dextrâ mutilârunt, atque ita fœdiſſimè notatos domum remiſerunt. Quod tam crudele & indignum facinus exacerbaverat, & *Moravorum*, & *Bohemorum animos*, adeò ut *Rex Bohemiæ*, juſto ultionis deſiderio flagrans, novo idcirco bello, contumeliam hanc vindicare decreverit: qui miſſo filio *Przemyslo in Bavariam*, unà cum *VVilhelmo Theobaldicio*, & *Plsnenſium Klatovienſiúmque* legionibus, regionem totam ad Danubium usque, maximis affecit detrimentis. Sollicitus tamen de Ulrici ſalute, (hunc enim diligebat

Ulricus expeditionem in Auſtriam Marte improſpero ſuſcipit; ab Auſtriacis noctu in opinatò invaditur, capitur: reliqui ab iiſdem vel etiam capti, vel cæſi. Auſtriacorum & Bavarorum in captivos crudelitas: quam Rex Bohemiæ ulciſcitur, facto in Bavariam improviſo hoſtili excurſu. *Dubrav. l. 16. prope fin. MS. Klatov.*

gebat

Digitized by Google

gebat plùs ferè filio, quem propter nimiam dominandi cupidinem, ac præferoces ſpiritus, torvis non rarò intuebatur oculis,) animum ad pacem, ſi quomodo cum Auſtriacis componi poſſet, applicuit; eóque propenſiùs, quòd id proceribus quoque ſuis, militiǽque ducibus, & omnibus quorum conſilio utebatur, haud diplicere intelligeret. Cœptâ igitur tractatione, diu multúmque, toto penè hyemis tempore, de pace, & ejus conditionibus diſceptatum fuit. Aliqui dividendas Provincias, *&* *Styriam Ulrico*, *Auſtriam Hermanno* aſſignandam ſvadebant; id quod etiam Rex vehementer contendebat; alij verò, præſertim *Auſtriaci*, diviſionem hanc, ſuis de cauſis, admittere nullâ ratione volebant. Poſtremò *Ulricus* videns ſe in poteſtate partis adverſæ conſtitutum, non aliter libertati poſſe reſtitui, niſi de jure ſuo plus remitteret, concedendum aliquid neceſſitati judicavit: quapropter in illas, quas *Auſtriaci*, poſt multa in utrámque partem agitata, propoſuêre conditiones deſcendit, & in hanc ferè ſententiam conſenſit: ùt *Badenſis donec ſuperſtes eſſet*, *Auſtriâ &* *Styriâ potiretur*, *poſt ejus obitum*, *ſi absque prole maſcula decederet*, *utriúsque Principatûs poſſeſſio ad Ulricum & filium ejus*, *quem habebat tum parvulum*, *rediret*. *Porrò ſi Badenſis maſculum hæredem relinqueret*, *Auſtria ejus ditionis foret*, *Ulrici verò ejusque hæredis*, *Styria*. Huic tranſactioni ambo Principes ſolenni ritu ſubſcripsêre: ſicque *Ulricus* libertati reſtitutus eſt, ad finem anni 1248.

De pace agitur.

atque his conditionibus tranſigitur, anno 1248.

& Ulricus dimittitur.

Eodem anno antequàm pax ſtabiliretur, durante adhuc hyeme, *Auſtriaci* conabantur limitaneas arces nonnullas, quas *Moravi* præſidio ſuo validè firmatas tenebant, occupare multiplici modo, vi, minis & aſtu. Contigit autem, ut duos vicinarum arcium præfectos, *Cyrekum*, ſive *Cyrillum filium* W*ogtiechi de Namiro*, qui *Madberga*, & *Nebradum filium* W*eleni*, *qui Roſenſteina praerat*, præſtructis inſidijs, inter venandum comprehenderent, unà cum toto eorum comitatu, viris pleriſque illuſtribus: inter quos *Paprocius*, ex M. Petri Codicilli Calendario hiſtorico, nominat *Borzkonem Dobalsky*, *Kalenice*, W*anczuram de Rzebnicz* Equites Bohemos. His captis, arbitrati præſidiarios legem deditionis utriúsque arcis confeſtim ſubituros, propiùs ad munimenta acceſſerunt, oſtentantes mœſtum captivorum agmen; ſecùs tamen accidit. Nam præſidiarij, tametſi infelici ducum ſuorum caſu conſternarentur adeò, ut intuentibus circumfuſisq; per mœnia, etiam lachrymas excuteret tam fœdum ſpectaculum: haud ignari tamen, eos fide virtutéque inſignes, præſentem ſortem ſuam, & acerba omnia, æquiore animo laturos, quàm ut libertatis ac vitæ ſervandæ deſiderio ſvaderent deditionem, reſponderunt: *ſe quidem iniqua præfectorum ſuorum fortuna compati*; *non eſſe tamen ita levi momento fidem ſuam fundatam*, *ut ſe potiùs ex eo recenti ac inſperato illorum caſu*, *quàm ex veteri ſui animorum habitu metiantur*: *ideòque deditionis mentionem eâ occaſione fruſtra fieri*. Cùm igitur referrent tale pro inanibus poſtulatis reſponſum, captivos tentârunt duces, extrema minitantes, ni deditionem arcium ſuis perſvadeant: at illi ſimiliter, *deſtinatum ſibi eſſe omnino fidem Principi ſuo datam*, *non tantùm qualibuscunque cruciatuum tor-*

Auſtriaci captis præſidiorum quorundam præfectis, Moravis & Bohemis,

Paproc. in Equitib Bohem. cap. 32. Balbin. in Epit. rer. Boh. lib. 2. cap. 11.

deditionem eorundem ſollicitant:

ſed fruſtra.

Digitized by Google

tormentis, ſed ipſâ quoque acerbiſſimâ morte, teſtatam relinquere: deſinerent proinde inanibus ejuſcemodi minis aures territare. Inſtante verò eorũ ferociâ & crudelitate, maluit primus illorum oculũ permittere ſibi erui, & alter nudipes in glacie ſtare, rigidiſſimæ hyemis tempore, quàm urgere, aut ſvadere quæſitam ab hoſtibus deditionem. Audiamus Daubravium: *Quàm autem fortes* (inquit) *quàmque conſtantes viros arcibus præpoſuerit* (Ulricus) *indicant duo præfecti, ambo Moravi; quorum uterque cùm ſub arce ſibi credita, ab inſidiatoribus inter venandum comprehenſus eſſet, horùmque alteri conditio propoſita fuerit, ut vel arcem integer traderet, vel oculum dextrum amitteret, oculum ſibi erui, quàm de arce cedere praelegit: ſicut alter in altis nivibus diſcalceatus tantiſper ſtare, dum pes ei uterque frigore obriguerit.* Addit poſtea: *Ambobus honor, cùm ab Ulrico, tam à Wenceslao Rege habitus, gratiáque cum amplo præmio utrique relata.* Ego in quibusdam manuſcriptis invenio, fuiſſe tum *Cyrillo* datum præmij loco caſtrum *Cymburg:* unde denominationem tulit ipſe & poſteri ejus, *familia Baronum in Moravia quondam clariſſima, & de Patria optimè merita:* (quod tamen minimè concordat ſcriptis Codicilli, qui dicit fuiſſe hunc *Cyrillum, Mieczan Baronem Bohemum,* familiæ à Cymburgica longè diverſæ.) Alteri caſtrum *Orlovv:* quod ille poſtea *Templarijs equitibus*, inter quos habebat filium *Helmboldum*, adſcripſit. Inter hæc *Marchio Moraviæ Henricus, Theobaldi III. filius moritur Brunæ*, anno 1245. Pridie Calend. Aprilis, relictâ ſobole, unicâ tantùm filiâ *Eliſabethâ*, jam antea deſponſatâ *Przemyslo majoris Poloniæ Duci,* ex qua genitus *Przemyslus* cognomento *Poſthumus Rex Poloniæ*: ſepultus in templo *Parochiali S. Petri*, in eodem quo *Theobaldus III.* pater tumulo.

Auſtriacorum in captivos Moravos, & quidem Perſonas Illuſtres inhumanitas: *Daubrav. l. cit. Hagek ad an. 1248. Kuthen. an. eod.* è contra, captivorum virtus,

MS. Ctiborij Tovacz ovij de Cimburg Capitanei Morav. an. 1482. à Rege poſtmodùm dignè præmiata.

Henricus Marchio Moraviæ moritur: *MS. Trebic. Cromer. de reb. Polon. l. 9. & 11. Pulkaw. in Hiſtor. Bohem. MS. ex Archiv. Colleg. Eccl. S. Petri Brunæ.*

Fœderatâ cum Auſtriacis pace, *Moravi Przemyslum ſibi in Principem à Rege tradi* ſummis votis flagitabant, cujus præſentiâ tutiorem impoſterum rerum ſtatum ſibi fidenter pollicebantur. Quibus, etſi diu multúmque reniteretur *Wenceslaus*, variâ ad ſpeciem cauſatus, filij interea metuens inſolentiam, cujus loco, *Ulrico* potiùs adminiſtrationem Provinciæ concredere voluiſſet: importunis tamen eorum precibus, & *inſtante quoque Reginâ*, quæ pro innata ſua prudentia conſulens in commune, oratione admodùm leni, ſvadebât alijs cunctis *anteponi debere filium hæredem unicum,* in eorum poſtulata inclinari cœpit. Poſt multa igitur per deliberationes adhuc ambiguas agitata, *Przemyslum Marchionem Moraviæ* declaravit, paratiſque univerſis, quæ neceſſitas proficiſcendi poſcebat, ſplendido cum comitatu *in Moraviam* miſit. Hic initio regiminis, ita placido liberalique ingenio erga omnes ſeſe oſtentabat, ut ex ſubjecto populo quilibet ei lubens & hilaris obtemperaret. Rex etiam ipſe, hoc audito, ſpéque meliori de eo conceptâ, *in ſocietatem Regni* eum adſciſcere, ac non multò poſt, Reginâ defunctâ, regiam dignitatem ei cedere penitùs conſtituit: diſſvadentibus tamen nonnullis, quorum conſilijs familiariùs utebatur, cùm & filium paulò poſt ad genium redire, ac præpoſterâ nimìs dominandi libidine agitari, ideóque ſibi & ſubditis populis gravem futurum animadverteret, ſententiam mutavit.

cui Przemyslus Regis Bohemiæ filius, in Moravia ſuccedit, anno 1249.

Prze-

Digitized by Google

Przemyslus interea, ex objecta ſibi regnandi ſpe, majores ſpiritus gerens, cùm *Marchionis dignitate nollet eſſe contentus*, unâ maximè liberalitate, aſtu, comitate, bonis maliſque artibus ad imperium contendebat. Neque paternum Regnum affectanti, ſtudia aliquorum ex Aulicis deerant, eorum præſertim, qui miſcere cuncta bellico tumultu malebant: unde honores atque divitiæ, certa laboris atque audaciæ præmia peterentur; quàm ſub æquo Principe, qui eſſet pacis amans, ocium perferre. Sed & aliorum virorum illuſtrium accedebat in Regem haud mediocre odium, eò quòd plerúmque *Krzivocladæ* (*arx eſt quinto à Praga lapide in ſylvis, ad Mizam fluvium ſita*) deliteſcendo, quietem & deſidiam, ac venandi ſtudium, cæteráque remiſſioris vitæ oblectamenta ſequeretur, eáque Regni curæ præferret, usque adeò, ut cum ſubinde cum amicis & conſiliarijs de rebus ſerijs, vel modicum colloqui imprimìs tæderet. His itáque animatus â Bohemis *Przemyslus*, copias per Moraviam conſcribi juſſit, & ſimulando aliud, quo ſuum conſilium tegeretur, quo & faciliùs Regem opprimeret incautum, *expeditionem in Hungaros Auſtriam & Styriam hoſtiliter tum infeſtantes*, *quaſi à Duce Auſtriæ in auxilium vocaretur*, *ſe ſuſcepturum edicit*, datis etiam hac de re ad patrem in Bohemiam literis. At Rex filij audaciam miratus, quòd privato conſilio, contractis domî copijs, adversùs *pugnaciſſimam Hungarorum gentem* bellum inſtrueret, *Guilbelmum Theobaldicium* ad eum mittit, qui doceat, non licere fœdera cum Hungaris pacta, alienæ ſalutis procurandæ causâ violari: proindeà bello abſtineat, ſi honori ſuo, ſi & præſenti tranquillitati publicæ conſulere velit; ne moto non neceſſario prorſus bello, innoxiam plebem diris calamitatibus & ærumnis, cum ſua quoque pernicie, involvat. Quem ille ambiguo magìs reſponſo, atque incertâ ſpe ſuſpenſum ad patrem remiſit, quàm ut ex prioribus conſilijs ſuis quicquam remiſiſſet.

qui deinde ipſum etiam Bohemiæ Regnum ambiens.

& conſpiratione cum Proceribus quibusdam Bohemis factâ, Patri bellum inferre conſtituit.

militem conſcribit, ſimulatâ adversùs Hungaros expeditione.

Monetur â Patre, ut â bello Hungarico deſiſtat;

quod ille inſuper habet:

Interea occulti ex Bohemia nuncij, non ceſſabant hortari, ut approperaret, atque omnem ſpem in celeritate poneret: quod & ipſe, videns nihil jam convenire conatibus ſuis, quàm celeritatem, neceſſarium judicabat. Cunctis igitur, ùt poſcebat negotij magnitudo, præſtructis, defeciſſe ſe â patre palàm profeſſus eſt; ac celeri itinere in Bohemiam arrepto, temerè ſe fortunæ commiſit ambiguæ. Nam etſi repentino ſuo in Bohemiam adventu, & fideli operá *Ctiborij à Stocbovv*, (is tum temporis erat unus ex haud poſtremis Regni Miniſtris, vir ingenij quidẽ præſtantis, ſed inquieti, & factioſi, qui *Wenceslaum* tanquàm nimis diu regnantem faſtidiens, oderat etiam, propter privatas offenſiones ex collegarum æmulatione conceptas; *Przemyslum* verò non nomine tantùm ac genere, ſed formâ etiam, ingenio, magnanimitate avum referentem, tanquàm imperio digniorẽ, occultâ propenſione animi proſequebatur:) *arcem VViſſebradenſem*, deinde *Launam*, *Zatecium*, aliáque oppida & caſtella ſub ſuam redegerit poteſtatem: brevì tamen fortunâ temeritatem ejus deteſtante, cùm Rex, & qui partes ejus ſequebantur, nominatim *Guilbelmus Theobaldicius*, *Boreſſius de Oſſek*, *Hermannus Svambergius*, *Wenceslaus Lambergius*, aliíque contracto exercitu vim vi oppoſuiſſent, nutare negotium illius cœpit; donec ſuperveniente adhuc Ulrico cum equeſtribus copijs, avunculo

in Bohemiam cum exercitu movet:

VViſſehradum & aliquot Civitates occupat: â Bohemis in fide Regis perſiſtentibus, & Ulrico Duce Carinthiæ, memorabili prælio funditur.

Regi opitulatum, ad oppidum *Moſtam*, quod *pontem* ſonat, caſtris totis exutus, ac fœdè profligatus, fugâ ſalutem quærere compulſus fuit. Hoc modo civile bellum, quod brevi fortaſſe tranſijſſet in parricidiale, opinione citiùs deſijt.

Patri fit ſupplex.

Nec multò poſt *Przemyslus* pœnitentiâ factorum ductus, id ſollicitè egit, ſi quo modo patri reconciliari poſſet; datâque per mediatores fidos ſibi ſpe veniæ, Pragam venit, ubi patri ſupplex factus, temeritatis ſuæ veniam poſtulavit. Quem præter ſpem truci vultu Rex excepit, & indignabundus nunc ingratum, nunc ſceleratum appellans, & indignum, quem terra ferat: *venenum*, inquit, *jam diu ſervatum evomuiſti, nequam perfide, idem facturus jam pridem, ſi furori tuo atque ſcelerato conſilio, tuaq; effreni libidini modus adfuiſſet: tempus captâſti, quo tutior nefandi voti compos exiſteres: ſed Superis ipſis ſcelus tuum deteſtantibus, in laqueum, quem patri tetendiſti, ipſemet incidiſti: proinde meritas delicti pœnas ſtatim lues.* Móxque illum, fruſtra paternam Clementiam, ſpémque veniæ ſibi oblatam invocantem abripi, in vincula conjici, & in arcem *Teyrzovv*, ac inde arctioris cuſtodiæ causâ, *Przindam* duci juſſit. Pacato tamen poſt aliquot dierum ſpatium Regis animo, & pro paterno in filium & hæredem unicum affectu, ad mitiora reverſus, cùm etiam *Ulrici Ducis*, ac procerum acceſiſſent preces, ê cuſtodia miſſum fecit, & vocatum Pragam in gratiam recepit, hac cum alloquutione: *errata*, inquit, *tua fili, etſi facto fuerint graviſſima, minora tamen reputo, vel ex eo, quòd celerem pœnitentiam invenerint; proinde veniam tibi do, gratiam, libertatem, & omnia quæ poſſediſti reſtituo: ita tamen, ut in poſterum agere & eniti velis, ac oſtendere, te filium eſſe patris pro debito obſervantiorem.* Quo dicto, ſolutus in lachrymas, paterno amplexu eum excepit, ac per dies complures benignè habitum, in Moraviam remiſit. Metuebat tunc *Moravia*, ne eo civili motu afflaretur novâ aliquâ malorum contage: quippe *potior Nobilitatis Moravæ pars factionem Przemysli ſequuta*, arma adversùs Regem corripuit: unde juſtus ſuboriebatur metus, nè Rex translato in Moraviam bello, ad caſtigandam armis hanc temeritatem perduellium, innocentes pariter ac nocentes dirâ implicaret calamitate & clade. Eveniſsétque certò, quod timebatur, niſi *Przemyslus* Patri reconciliatus cuncta in tranquillum repoſuiſſet. Paulum aliter de his, Patrem inter & filium diſcordijs, refert Anonymus, Eccleſiæ tamen Pragenſis, quod conſtat, Canonicus, tempori illi coævus, vel proximus, in ſupplemento Chronici â Coſma Decano Prag. conſcripti, & â Jaroslao Strahovienſi aliquandiu continuati; quod cùm non detur in impreſſis, & lectu ſcitúque dignum ſit, apponere hìc voluimus.

à quo cuſtodiæ traditur.

ſed brevì dimittitur,

& in integrum reſtituitur.

Daubraſ. l. 16. Hagek. ad an. 1249. Chron. Boleslaſ. cap 85. an. 1248. Kuthen. an. eod. Balbin. in Hiſt. Boleſl. l 3. c. 11.

Przemyslus March. conſpirat contra Patrem, Bohemiam ingreſſus VViſſchradum,

ANno *Dominicæ Incarnat. M. CC. XL. IX. Regni autem Wenc. Regis XX. II. Calend. Aug. &c. &c. &c. Nobiles Terræ Bohemiæ*, & natu majores, filium ejusdem Regis VVenceslai, nomine *Przemysl*, ſibi in Ducem, vel in Regem acceperunt, & ſibi fidelitatem in *clauſtro Pragenſis Eccleſiæ* jurârunt, Patre penitùs ignorante. Quod dum Pater audivit, ægrè tulit; ſed ſibi innatâ diſcretione diſſimulavit. Anno verò Regis VVenceslai Regni ſui. 21. prædictus *Przemysl cum copioſo exercitu Bohemorum, & Auſtralium, & Ungarorum Bohemiam intravit*, & in *Wiſſebrad caſtro*, cum ſuo exercitu reſe-

reſedit, Idus Februarij. Octavo autem die inde receſſit, & flumen VVltavam, ſub *villa Buben*, cum omni exercitu ſecurè tranſvadavit, & veniens in *clauſtrum montis Syon*, aliquot diebus ibi manſit, exercitu ſuo circa & ultra montem, & in *clauſtro Brzewnow* commorante. Unde ſexto die profectus, ad *civitatem Zatecz* acceſſit, & eam ſuo dominio, ſine Marte ſubjugavit; alias autem plures villas vaſtavit, prædavit, incendit, circa finem anni prædicti, & in initio jam ſequentis; in hyeme tamen multa facta ſunt incendia in Regno Bohemiæ.

Strahovienſe monaſt. & Zatecium occupat.

Compoſitâ deinde pace cum illis, quos Rex miſerat ad filium, ac confectis ſuper hoc inſtrumentis, Rex viam tenuit versùs Litomierzicz, mandans univerſis *Eccleſiæ Pragenſis Diœceſis Prælatis & Canonicis*, ut intra octo dies ſibi occurrant, ac pro viribus ſuis ſibi aſſiſtere non obmittant. Dato ſuper eodem negotio à *Domino Papa Innocentio IV.* exequutore, *Domino Miſnenſi Epiſcopo;* quod ſi *Prælati Eccleſiarum Bohemiæ & Canonici*, non curâſſent Regi occurrere, & eidem pro viribus ſuis aſſiſtere, excommunicatione plecterentur, & ſuis beneficijs tandem privarentur. Super eodem etiam negotio, littera *novi Regis Alemanorum*, ſimilem pœnam continens, fuit oblata, & Canonicis, aliiſque Clericis *in Eccleſia Pragenſi* publicè recitata. Filius autem Regis, credens illam pacem eſſe veram & non ſimulatam, veniens cum ſuis, Pragæ habitavit, arci & civitati firmiſſimam adhibens cuſtodiam, ac deinde ad alia, quæ ſibi in ſortem evenerant, tranſivit oppida & caſtella. Interea Rex moram faciendo *in Litomierzicz*, intra aliquot ſeptimanas copioſum congregavit exercitum; ubi plures *Prælati Eccleſiarum, & quidam Canonici* eidem occurrerunt, ac ſuas eidem perſonas & xenia rerum varia, cum ſervitio fideli præſentaverunt. Rege iterum ſuam cum ſuis fidelibus curiam in eadem civitate celebrante, mittitur edictum, & per omnia fora vicina proclamatur, ſub obtentu gratiæ Regalis, ac pœna ſententiæ capitalis evitanda, quatenus omnes injuriarum moleſtiæ, ſpolia villarum, & rapinæ ceſſare debeant, & omnes tàm Nobiles, quàm pauperes pace tranquillâ gaudeant. Celebrata igitur curia, & conſilio valde ſecreto habito, Rex cum ſuo exercitu iter arripuit, procedens versùs *Saczska:* in qua proceſſione plures peregit noctes, quibus plurima gravamina pauperibus ſunt illata, & plures villæ omnibus rebus ſpoliatæ, ac varia & inaudita commiſſa ſunt facinora. Tandem perveniens *Saczskam*, in ſua pauſavit munitione, dicens ſe proceſſurum versùs *Moraviam*, deinde versùs *Ungariam*, ſed aliter rei probavit eventus.

Prælati & Canonici jubentur eſſe Regi fideles, à Pontifice, ſub pœna excom.

Rex VVenceslaus Litomerzicij exercitum comparat.

Comitia celebrat,

Saczkam versùs movet,

Imminente ſiquidem *Feſto Aſſumptionis Glorioſæ Virginis*, Filio Regis interea in Caſtro Pragæ commorante, Rex miſſis militibus ſuis, Nonas Auguſti civitatem cepit, ùt creditur, quibusdam civibus eandem tradentibus, & eodem die poſt Meridiem eandem cum ſuis intravit. Cui *Epiſcopus Nicolaus cum Fratribus Minoribus* ſollemmniter occurrit, eúmque cum proceſſione, & magna utriúsque ſexùs turba, ſignis per omnes Eccleſias civitatis ſonantibus, honorificè ſuſcepit, & in *Eccleſiam S. Franciſci*, cum magno populi gaudio deduxit. Filius autem Regis, qui tunc manebat in Caſtro, intelligens placitum Patris ſui penitùs violatum, & civitatem videns eſſe captam, contra ſuam voluntatem; Caſtro Pragenſibus fidelibus ſuis ad cuſtodiendum commiſſo, ſe ad loca tranſtulit tutiora. Quidam verò de fidelioribus ſuis, quibus *Epiſcopalis Curia* defenſio erat commendata, videntes vires ſuas ad ejus tutelam non poſſe ſufficere, omnibus in ea rebus noctu ſublatis, eandem etiam noctu incenderunt, & onuſti varijs rebus ad Caſtrum confugerunt. Sequenti verò die, Rex miſſis militibus ſuis, turrim quæ ſita eſt circa pedem pontis, & *Curiam Epiſcopalem* adhuc fumantem cepit, nullo reſiſtente. Inde cum ſuis conſilio habito, & placito ſuo jam ſecundariò violato, quòd filio ſuo, & Nobilibus terræ, bonâ fide promiſerat, ordinavit exercitum ad expugnandum Caſtrum Pragenſe, diſponens viros bellicoſos, versùs Orientem, versùs Occidentem & versùs Aquilonem, qui prædictum Caſtrum oppugnarent, ac neminem urbem intrare, vel exire permitterent. Viros etiam impios *de Gblaw* duxit, & machinas plures contra Caſtrum erexit; *Dominas etiam de clauſtro exire mandavit,* Nobi-

Pragam occupat.

Przemyslus ex arce Prag. in tutiora profugit.

Przemysliani domum Epiſcopi Prag. in Minori urbe, propè pontem, ſuccendunt.

Rex arcem obſidione undequaque premit: cui

Digitized by Google

obſeſſi fortiter reſiſtunt.

Nobilis autem quidam cum ſuis miniſterialibus, qui ad cuſtodiam Caſtri prædictæ fuerant relicti, modis omnibus reſiſtebant, & muros viriliter defendebant arcubus & baliſtis.

armiſtitium in Feſto Aſſumpt. Beatiſſimæ Virg.

Superveniente autem *Glorioſæ Virginis Aſſumptione*, Rex militibus ſuis, & Caſtri defenſoribus treugas impoſuit, ut nullus de ſuis vel adverſarijs, tam ſollemni die aliquid moleſtiæ, vel alicujus dolorem læſionis pateretur: nemini tamen propugnatoribus Caſtri, ad civitatem veniendi licentiam indulſit. Fuit itaque nimia aquæ penuria hominibus in Caſtro obſeſſis, & pabuli defectus equis & pecoribus, in tantum, ut ſi in plures dies obſeſſio Caſtri protraheretur, homines & pecora præ nimia aquæ carentia, ac pabuli defectu, mori cogerentur.

cujus Solemnitate peractâ, alia ſubſequitur apud S. Franc. ubi modò ſunt Virgines S. Claræ, vulgò, naſtrantijſtu.

Transactâ igitur *Solemnitate Beatæ Virginis*, ſecurè & pacificè Rex ſequenti die ſuam feſtivitatem celebravit, & magnificum ſervis, principibus, Clericis ac laycis præparari fecit convivium; quoniam ipſo die omnibus indutus ornamentis Regalibus, *ad Eccleſiam S. Franciſci* venit, & *Coronam Regalem, per manus Epiſcoporum Pragenſis & Olomuc.* capiti ſuo impoſitam ſuſcepit; & ſic chlamide Regali indutus, ac pomum & ſceptrum in manibus geſtando, ſacra Miſſarum ſollemnia Eccleſiam intravit auditurus, & audivit devotus. Quam Miſſam *Olomucenſis Epiſcopus* celebravit, & ad ejus officium plurimos cereos, pro gratia vel favore Regis procuravit.

Convivium Regis ſolenne, ſub quo projecta mentio pacis.

Quibus finitis, ventum eſt ad convivium, quod erat ſecundum magnificentiam Regiam præparatum; cui *Epiſcopi ſupradicti, & aliarum Eccleſiarum Prælati* interfuerunt; Nobiles verò Bohemiæ ſecundùm ſuorum officia beneficiorum, diverſo genere & apparatu ornati, decenter ad illud miniſtrârunt. Miſſum eſt etiam â Rege pro filio ſuo, & Baronibus ſibi adhærentibus, ut ad ejus Provinciam quantocyùs venirent, ac de reformatione pacis, & ſtatu terræ meliori, ſecum tractarent.

Filius patri ſupplex,

Filius denique ad Patrem veniens, ſe per omnia Patri ſubdidit, & pro omnibus Nobilibus, qui ſe offenderant, ſupplicavit. Ad cujus precum humilitatem, *filium & Nobiles in plenitudinem ſuæ gratiæ ſuſcepit*, ac ipſo die, omnibus cum lachrimis oſcula pacis porrexit. Interea Filius ex admonitione ſuorum, vel ut meliùs dicam, neceſſitate, Caſtrum Pragenſe, & alia Caſtra in manus Patris reſignavit, & ſe penitus ſubdendo Patri, cum ſuis omnibus ſuæ gratiæ commendavit, dicens ſe libentiſſimè fore contentum, quibus largitas ipſius ipſum eſſe contentum vellet.

CaſtrumPrag. & alia tradit Regi: cui viciſſim Rex Moraviam reſtituit.

Super quo Rex multo tractatu habito, *Marchiam Moraviæ* cum omnibus attinentijs filio concedit; *mediâ duntaxat monetâ Giglaviæ ſolum retentâ*: & ſic eum â ſe recedere gratuitâ licentiâ permiſit.

Rex arcem Prag. ſolenniter ingreditur: â Clero & populo honorificè excipitur:

Poſtea Rex cum ſuis fidelibus, ſalubri inito conſilio, horâ ſextâ circa crepuſculum, quæ tunc occurrebat 13. Cal. Septemb. *Caſtrum Pragæ* pedeſter intravit; ejectis tamen priùs omnibus, qui fuerant ejusdem Caſtri Cuſtodes; ubi in porta caſtri *â Prælatis & Clero Eccleſiæ cum proceſſione receptus eſt*, & honorificè ad Eccleſiam deductus, cum hymnis & laudibus, ſignis majoribus Eccleſiæ reſonantibus, ac populo & Nobilibus Terræ, qui tunc aderant: Hoſpodine pomiluj ny: acclamantibus.

Eccleſiam & Capitulum novis privilegijs exornat:

Rege tunc temporis intra Caſtrum commorante, privilegium de omni libertate, quam petierant, *Domino Epiſcopo & Canonicis majoris Eccleſiæ conceditur*, & ſcriptum ſigillis Regalibus confirmatum, in manus Epiſcopi donatur duplicatum. Rex autem tribus diebus in caſtro commoratus, & ad ſuæ beneplacita voluntatis rebus ordinatis, quarto die, qui tunc occurrebat 9. Calend. Septembris, primo manè Caſtrum eſt egreſſus, & ad caſtella ſua viam arripuit, in quibus priùs ſolitus fuerat habitare.

Teyrzovium diſcedit; ubi filium & Nobiles quosdam ad ſe vocatos captivat, & in diverſos carceres conjicit.

Poſt evolutionem verò quatuor ſeptimanarum, Rege in quodam caſtello *Tyrow* nominato commorante, filius ejus cum quibusdam Nobilibus ad eum acceſſit, petiturus ſibi & fidelibus ſuis gratiam ampliorem, quam per plures nuncios eidem filio & Nobilibus promiſerat, ſi ad ejus in præfato caſtello venirent præſentiam. Tunc Rex nactâ oportunitate, quam animo ſuo diu conceperat, filium ſuum & quosdam Nobiles in eodem caſtello detinuit, ac penitùs immemor ſuæ promiſſionis, filium in quandam munitionem firmiſſimam transmiſit cuſtodiendum. Nobiles autem terræ remiſit ad Caſtrum Pragæ, diſtri-

Digitized by Google

diſtrictiſſimè præcipiens, eos binos & binos, in ſingulis carceribus detrudi catenatos. Eodem anno *Wiſſebradenſis Eccleſia* combuſta. Huc usque ille.

Badenſis in Auſtria obit.

In id tempus, aut non multò poſt, *Hermannus Badenſis*, quem ſuperiùs Auſtriæ gubernationem adiiſſe diximus, diem obijt extremum, relicto filio *Friderico.* Cujus deceſſu *Gertrudis vidua*, cum *Margaretha* amita ſua, gubernacula Provinciarum aliquandiu retinuit; ſed ingruente *in Auſtriam* maximâ bellorum procellâ, nam *ab una parte Hungari, ab altera Bavari Auſtriam invadebant*, proceres Auſtriaci, quò validiores ad reſiſtendum tot diverſis hoſtibus evaderent, *Regi Bohemorum VVenceslao* ſeſe ſubdiderunt; *miſſusque eſt à patre Przemyslus*, ùt narrat vetus Chronicon, *ad poſſeſſionem Auſtriæ capiendam, quem Status Auſtriaci Viennæ congregati honorificentiſſimè ſuſceperunt*; ac deinde, ut præter Electionem, etiam alio de jure titulum haberet traditæ ſibi Provinciæ, *Margaretham Friderici ultimi Auſtriæ Ducis ſororem*, (fœminam neque ſibi, neque Reipublicæ felicis uteri), ei tradiderunt uxorem. Anonymus noſter de eo ſic refert: *Anno M. CC. LII. Przemysl filius Regis W. celebravit nuptias in Henburk III. Idus Febr. ducens in matrimonium Dominam Margaretham viduam, filiam Leopoldi Ducis Auſtriæ jam dudum defuncti.* Brevì deinde etiam *Ulricus*, cùm inter hæc filium immaturâ morte præreptum amiſiſſet, ſpémque novæ prolis deinceps haberet nullam, *jus ſuum quod in Auſtriam & Styriam habere ſe profitebatur, Przemyslo ceſſit*: uti referemus paulo poſt. *Gertrudis* verò fruſtra perfidiam procerum deteſtata, omni ſuâ conquiſitâ ſupellectili, *in Sueviam* ad mariti ſui defuncti fratrem abijt, unà cum filiolo, ibique biennio poſt fatis conceſſit.

Przemyslus Marchio Moraviæ fit Dux Auſtriæ & Styriæ.

Chronic. Auſtrale & Auguſtan. Stransky Reſp. Boh. c. 8. § 36. Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. c. 27.

Bela Rex Hungariæ jus in Auſtriam & Styriam armis ſibi vindicandam ſuſcipit:

Quoniam verò *Bela IV. Rex Hung. in Auſtriam & Styriam* meliore, quàm *Przemyslus* jure ſe niti putans, utrámque ſibi vendicabat, bellum idcirco atrox exortum eſt, quod potiſſimùm Moraviæ calamitoſum accidit. Rem hoc ordine narrat Daubravius. *Quod ubi Bela de alienata Auſtria, quam pro ſua jure belli ducebat, interempto in illa Friderico, qui ultimus Auſtriæ hæres erat, factum comperit, advocato ſuorum conſilio in campum Peſthenſem, & adhibitis Cumanis paulò tunc moribus à Tartaris diſtantibus, rem integram ad omnes refert. Quibus tumultuosè, ritu Scythico, frementibus, ac ferociſſimè cenſentibus, injuriam acceptam protinùs bello eſſe perſequendam, initio à Moravia ſumpto, in qua multa furoris, multa crudelitatis & ſævitiæ fœda exempla ediderunt, priusquàm ſuccurrere laborantibus, aut VVenceslaus, aut Othogarus poſſet. Antevertit autem filius Patrem in ſuccurrendo, ſatis tunc milite etiam Bojemo inſtructus, quem adversùs Styriam jugum detrectantem comparaverat. At Hungaris animus quidem, ùt olim ferox, duraverat, ſed vires per Tartaros plurimùm attritas habebant; nihilominùs Belam Regem ſuum perpulère, ut fortunam prælio experiri vellet; quo inito cum ingenti ſtrage ſternuntur, ipſéque Bela in eum metum eſt compulſus, ut ultro ad conditiones pacis, amiſsâ etiam finium aliquâ parte, deſcenderet.* Anonymus ſic habet: *Eodem tempore*, an. ſc. 1252. *multitudo Comanorum de finibus Hungariæ prorumpens, multa millia Chriſtianor. in Moravia peremit, nulli penitus ætati*

Daubrav. l. cit. Chron. Boleslav. cap. 88. Hagek ad an. 1253. MS. Trebic. an. 1252. MS. Anonymi in ſupplement. Chron. Coſmæ an. 1252. quod ſervatur in Archivo S. Metrop. Eccl. Prag. Authorem verò hunc fuiſſe Canonicum Prag. Eccleſiæ, & ſcriptis ejus liquidò conſtat.

ſed prælio fuſus, pacatam utriusq; Provinciæ poſſeſſionem Przemyslo relinquit.

ætati, vel ſexui parcens: inter quos multi clericorum perierunt. Et infra: *Eodem Anno*, nempe 1253. *Civitas Pragenſ. murata eſt, versùs Aquilonem & Occidentem; & Curia Epiſcopalis ad pedem pontis poſita, ab Epiſcopo Nicolao munita vallis & propugnaculis. Eccleſia quoque S. Mariæ Cruciferor. munita eſt. Timor ſiquidem magnus Chomanorum & aliorum extraneorum irruit ſuper Bohemos: quorum impetum Rex Wenceſl. præcavens, collegit expenſas in frumento, vino, melle, cerevisia, ſale & caſeis, ab omnibus Religioſis Pragenſ. Diœceſis, & Villicis ſuis, & à quibusdam Civitatib. Et repoſuit easdem in Eccleſia S. Georgij in Caſtro Prag. cujus Eccleſiæ Sanctimoniales coactæ ſunt exire de clauſtro, & in Civitate commorari. Quod factum eſt XVI. Calend. Julij. Chomani etiam erumpentes de Hungaria, ſeu alij latrunculi, cum ijsdem, VII. Cal. Jul. multa millia Chriſtianorum occiderunt in Moravia circa Olomucz, infinitique ſunt ſubmerſi fugientes à facie eorum. Rex etiam Hungaror. eodem tempore ſuperveniens cum infinita multitudine ſuorum, & aliarum nationum, multa damna intulit Moraviæ: quosdam occidens gladio, quosdam captivans miſit in exilium, nulli ſexui vel ætati parcens, ferè totam Moraviam rapinis & incendijs vaſtavit. Munitiones etiam pleráſque, quas obtinere potuerunt, vaſtaverunt & incenderunt. Campanas Eccleſiarum, & reliquias de Altaribus fractis rapuerunt, & ſecum aſportaverunt, Eccleſijs in favillam redactis. Sacramenta Eccleſiæ prophanaverunt. Homines plures crucifixerunt in obprobrium Crucifixi. Interea Legatus Domini Papæ ſuperveniens ad Regem Hungar. compeſcuit eum, & ad propria redire coëgit.*

Irruptio Hungar. & Cumanorum in Moraviam, valde perniciosa & cruenta.

Cæterùm *Przemyslus* bello hoc cum Hungaris compoſito, ad domandos *Styrios* cum victore exercitu profectus eſt; paucisque eorum caſtigatis, cæteros ad officium compulit. Inter hæc *Wenceslaus Rex* morbo ex venatione, quam intempeſtiviùs inſtituerat, contracto, obijt: quare pacato *in Styria* provincialium ſtatu, *Przemyslus* à præcipuis ex *Auſtria, Styria & Moraviæ* comitatus, Pragam venit, Regníque poſſeſſionem inijt.

VVenc. Rex moritur. *an. 1253. IX. Cal. Oct.*

Memoratu dignum exiſtimo, quod *VVenceslao Rege* in villa *Paczapel propè Beraunam* defuncto, præſtiterunt, qui aderant morienti, interioris ſecretiorísque miniſterij Aulici: cujus mortem ita callidè texerunt, ut per aliquot dies nemo extinctum illum ſcire potuerit. Ita omnes jurejurando inter ſeſe facto, promisêre ſilentium; ac primò omnium miſſo properè in Moraviam nuncio, filium de Patris morte fecerunt certiorem; tum ad eos Proceres, quibus Rex Pater arces & ditiones regias, obligârat pignori, literas regias annulo regio ſignatas mittunt: *rem magnam eſſe, ad diem Pragam adeſſent.* Ipſi interim Regis cadaver (quaſi Rex valetudinem curaturus adveniret) curru regio vectum, cum honore & ſolitis cærimonijs Pragam apportari jubent. Si qui ad Regem admitti poſtulabant, arcebantur: & modò Regis ſomnus, modò curæ graviores obtendebantur. Adſunt tandem evocati Proceres, præſertim quibus Arces Regiæ erant obnoxiæ: ſinguli ad Regem admittuntur, ùt in locum obſcurum ante cubile; ubi regiæ nomine, Arx, caſtrum, aut Regis aliqua ditio repetebatur: qui reddere ſe dicerent, ijs agebantur gratiæ, & Regij

Aſtus memorabilis in celanda morte Regis.

ſatel-

ſatellites confeſtim expediti, arcem ut reciperent abibant: ſi qui cunctabantur, dabantur in cuſtodiam diverſi, donec & iſti ſubſcriberent timore victi, & malis admonitis. Ita brevi tempore *Przemyslus* (ad cujus gratiam obtinendam hæc ab Aulicis fiebant) *Pragam ex Moravia paulo poſt adveniens,* arces omnes, caſtra, urbes ac ditiones, quas ſine difficili & diuturno bello recuperare non potuiſſet, ſimul recepit, & *Aulæ miniſtros,* quibus antè non parum offenſus videbatur ob Patrem, admiſit in gratiam. Tum denique cùm jam nihil prodeſſet ſilentium, patefacta mors Regis eſt, & corpus ad *Cœnobium S. Jacobi*, quod fundârat, quantâ licuit funeris pompâ, devectum ad tumulum.

Dubrav. l. 16. ad fin. VVeleslab. in Calend. Hiſt. ad d. 23. Septembr.

De eodem Rege ferunt: dum quâdam vice *ex auri fodina Gilovienſi, Slogirz dicta, puri auri maſſa X. marcarum pondo*, ei oblata eſſet, miniſtri qui Regi à cubiculis erant, in lectum regium, Rege inſcio, ipſam depoſuerunt. Accidit autem ut poſtea Rex, *tres noctes duxerit inſomnes*, neque cauſam ſcire potuerit: tandem veneficium aliquod latere ſuſpicatus, juſſit lectum excuti; & tum aurum apparuit. Igitur Rex: *ecce*, inquit, *ſomni latro, & prædo peſſimus! auferte quantocyùs, & inter vos dividite:* quod haud gravatè miniſtri fecerunt.

Balb. in Epit. rer. Boh. lib. 2. cap. 14.

Et iſta res dictu mira.

Franc. Canon. Prag. l. 2. c. 6.

CAPUT VII.

Ulterior Narratio de bellis & calamitatibus, quas Moravia pertulit, ſub Przemyslo-Ottacaro II. & filio ejus Wenceslao II. Rege ſexto.

W*Enceslao Rege* vitâ functo, *Przemyslus Ottacarus filius ejus*, ùt jam diximus, Regni Bohemici, ſimul & Provinciarum eidem annexarum ſceptra adeptus eſt: qui *Duces Regésque omnes, qui antehac Bohemis præfuerunt, gloriâ, virtute, opibúsque ſuperavit;* ab hoſpitalitate *Hoſtimil* vocatus. Hic anno regiminis ſui ſecundo, hortatu *Rom. Pontificis Alex. IV.* expeditionem adversùs Prutenos, in vicinos Chriſtianæ religionis populos immaniter ſævientes, ſuſcepit *Signo Crucis*, verba ſunt Anonymi, *accinctus, quem multa turba Nobilium Bohemiæ, Moraviæ & Auſtriæ ſequuta eſt. Veniens ergo Wratislaviam, Nativitatem Domini celebravit, cum magno honore à Ducibus Poloniæ & Nobilibus, ac Epiſcopo Wratislav. decenter ſuſceptus, & per aliquot dies cum omni exercitu ſuo decentiſſimè procuratus. Eo in Wratislavia commorante, acceſſit ad eum Marchio Bramburg. cum exercitu ſuo: & ambo pariter profecti ſunt in Pruſſiam,* & unà cum ipſis *Bruno Epiſcopus* Olom. *vir togâ & ſago clariſſimus*, Moravicas ducens copias; quem Rex non tantùm in præſentis belli ſocium, ſed quod præcipuum erat, in conſiliorum ſuorum moderatorem & ſupremum arbitrum acceperat. De Nobilitate Bohemorum, qui comitabantur Regem fuere: *Budivog Roſenſis, Ulricus & Henricus de Nova Domo, Bene-*

Przemyslus Prutenos bello petit, ad finem an. 1254.

Bruno Epiſcopus Olomuc Moravicarum copiarum dux.

Beneſſius de Ralsko, aliàs de Wartmberg, Boreſs de Oſſek, Hynko de Waldſtein cum 24. filijs & nepotibus, Gallus de Lemberg, Joannes de Michalovicz, Smilo de Ronovv, Wilhelmus de Seberg, Hynko de Duba & Fridland, Bavor II. de Strakonicz & Klingenberg, Zdislaus à Sternberg, Jaroslaus de Kolovvrat, Leskovvecz, Salava, Pietipesky, Joannes de VVraabi, Licek, VVanko de Kraſikovv (Malovecz) *Bobuſſe de Nemyſsle, VVanczura, Przedenecz, Kalenicze, Suda, Hrzivvecz, Oſtrzedek, Mladota, Koſorz, Bez de Bezna, Radkovvecz*, & alij quàm plurimi.

Proceres Bohemi expeditionis ſocij.

MS. Cont. Coſmæ ad an. 1254.

In *Pruſſiam* ubi ventum eſt, barbari tot tantóſque bellatorum exercitus jugulis ſuis imminere cernentes, & nec reſiſtere auſi, ſemet omnes effuderunt in fugam; párſque remotiores intra paludes ſeceſſus, pars cum ducibus ſuis oppidum quoddam mœnibus cinctum, *VValdovv* nomine petierunt. Et his poſtea ad deditionem coactis, cæteri quoq; qui *Samienſem regionem* incolebant, Regi victori ſeſe tradiderunt, religionémque Chriſtianam amplexi ſunt. Ne verò deinceps tam facilè, deſiderio fortaſſe reducendæ veteris ſuperſtitionis ethnicæ depravati, ad arma conſurgere poſſent, Rex munimentum, quo veluti frœno continerentur, ad *Preglam fluvium ſinúmque maris Balthei* condidit, quod â regio nomine, patriâ linguâ **Kralowec** / Germanicâ *Königſpergam*, id eſt, *Regium montem* appellavit. Cujus exemplo etiam *Bruno Epiſcopus* civitatem novam erexit, quam ſimiliter ex nomine ſuo *Brunſpergam*, id eſt, *Brunonis montem*, dici voluit. Idem fecerunt Barones quidam Bohemi; uti *Roſenſes, Riſinburgici* ſeu *Oſſecenſes, Wartmbergici*, eorúmque cognati *Lembergij & Michalovicij; Ronovij, Sebergij, Bercæ de Fridland, Klingenbergij*: â quibus, (ſed minoris gentium) *Roſenberga, Riſinburgum, VVartmberga, Lemberga, Michalovia, Seburga, Klingeburga, Fridlandia.* Ex Moravis, quinam nominatim fuerint in ea expeditione, quidvé geſſerint, non conſtat; ſolius tantùm *Brunonis Ep.* facit mentionem Author Annal. monaſt. Trebic. & Marquardi *Brtniczka*, aliàs *de Rukſtein*, (VValdſteinianæ ſtirpis) ex occaſione tali, quòd *monaſterij fuerit fautor eximius, & domum tunc redux, multùm cera donaverit.* His ſecundo tranſactis eventu, Rex triumphanti ſimilis, ducto per *Opaviam* itinere, *in Moraviam*, ac inde *in Auſtriam* reverſus eſt.

geſta in Pruſſia, an. 1255.

Przemyslus victor redit: *Daubrav. l. 17. ad init. Cromer. rer. Polon. lib. 9. ad init. Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. c. 27. Chron. Boleslav. cap. 89. Bzovius in Annal. Eccl. Tomo XIII. an. 1255. Neugeb. in Hiſt. Polon. lib. 3. fol. 150. Spangenb. in Chron. Schavenburg. lib. 1. cap. 26. MS. Anonym. ſupra cit. ad an. 1255.*

Contigit autem, ut quùm *Bruno* comitaretur Regem, citatiori præ alijs itinere (incertum quam ob cauſam) properantem *Viennam*, inſolentiores aliqui ex Moravis, & ducis abſentiâ audaciores, ducto per agrum *Opolienſem Ratibórienſémque* lentiori itinere, ac non eâ quâ decebat, civilitate & modeſtiâ in amicorum terris hoſpitati, incolis præſertim verò agreſtibus fuerint haud mediocriter graves; ita ut reconditas cellis penuarijs fruges, & quidquid eſſet ejus generis obſonij, ab ijs vi extorquere, deſectas verò tempore meſſis, & in horrea compoſitas, in ſuos & equorum uſus exponere non vererentur; ac denique freti nimiâ impunitate, ſi qui facultatum ſuarum rapinis prohibendis paulò contentiùs reſtitiſſent, ijs violentas manus inferrent. Quapropter *VVladislaus Dux Ratibor.* ut injuriam hanc ulciſceretur, gentem ſibi ſubjectam ad arma concitavit univerſam: ac intempeſtâ adhuc hyeme, cùm milites

Moravi è Pruſſia reduces Sileſijs damna inferunt: quæ Dux Ratibor. dum ulciſcenda ſuſcipit,

Digitized by Google

tes Moravi quiete hybernorum vix frui cœpiſſent, facto *in Oppavienſem provinciam* inopinato excurſu, pagos complures depopulatus eſt. Graviter id tulit *Ottacarus*, qui cum *VVladislao*, pro illatis ejusmodi damnis, amicâ conventione tranſigere voluiſſet: ideóque fremens ac frendens iráque exardens *Brunoni* in mandatis dat, ut captatâ occaſione, primo quoque tempore par pari referat. Hic non dum plenè æquinoctio temporis verni transacto, copias ex hybernis revocavit omnes, & in ditiones *VVladislai* duxit; vaſtatóque *ad Ratiboriam* circacircum agro, noviſſimè oppidum ipſum armatâ manu aggreſſus, vi cepit, dirripuit, & exuſſit, *VVladislao ex arce, in quàm ſe receperat, nec prodire auſo:* qui ne ad extremum, iniquiſſimam fortunæ conditionem ſubire cogeretur, ad pacem faciendam reconciliandámque concordiam animum convertit: quam tamen non niſi *tribus marcarum millibus Epiſcopo datis*, impetrare potuit.

Michov. lib. 3. cap. 44.

Moravos ad inferendum majora provocat:

in arcto conſtitutus pacem petit,

& presio impetrat

Hoc motu ſedato, tranquillo in ſtatu res erant *per Moraviam*, ad annum 1260. quo *Bela IV. Rex* Hung. augendi regni cupiditate ſupra modum flagrans, ac ferarum gentium, utpote *VValachorum, Jazygum, Cumanorum, Raſcianorum*, aliorúmque adjumentis fretus, rupto pacis fœdere, *bellum immane Ottacaro, Pannoniæ quondam ſuperioris, nempe Auſtriæ & Styriæ recuperandæ causâ*, inferre conſtituit. *Ottacarus*, cùm ab exploratoribus certis, quos magnis impendijs apud Hungaros alebat, didiciſſet, *Belam* magnos per Hungariam, & finitimas provincias belli apparatus facere; inſuper vicinas gentes in ſocietatem belli invitare, ſuísque copiarum præfectis, ut parati & rebus omnibus inſtructi ſint, in mandatis dare, ſe ad prima æſtatis initia in caſtra diſceſſurium, ac more majorum expeditionem contra hoſtes ſuſcepturum: famam autem conſtantem ſpargi, eum *Moravis & Auſtriacis* infeſta arma illaturum; tanto imminente periculo permotus, ad comparandas quoque res bello neceſſarias animum applicat, prætoriano militi quem habebat in promptu ſemper, ut armis equísque ſeſe inſtruant, edicit; per Regnum verò & provincias ſibi ſubjectas delectum juventutis inſtituit, nihil penitùs eorum, quæ ad propulſandam tam immanem hoſtium vim facerent, prætermittens. *Sileſios* quoque & *Polonos*, nec non *viciniores Germanici nominis populos* literis, & nuncijs frequentioribus hortatur & urget, ut cùm non *Moraviæ & Bohemiæ* ſolùm, ſed etiam ipſis diſcrimen impendat, de ferendis adversùs barbaras gentes auxilijs, & ad diem & locum conſtitutum expediendis, curam & diligentiam adhibeant. Diem quoque *S. Joanni Baptiſtæ in Eccleſia celebrem*, ad quem omnes *ad Znogmam Moraviæ urbem* conveniant, decernit.

Cromer. l. cit. in fine.

Miechov. lib. 3. cap. 50.

Bela Rex Hungariæ Przemyslo bellum infert.

Przemysli ad reſiſtendum magni apparatus.

Jam *Bela* collectis ducentis millibus armatorum, & *Moraviâ flumine ad Marbekum oppidum* ſuperato, in collimitijs *Auſtriæ & Moraviæ ſub arce Falkenſteyna* conſedit, omnem illum terræ ambitum ſubjectum, quem horyzontem appellare ſolemus, agminibus opplens innumeris. Quem juxta lævus incendebat *Alpra Cumanorum Dux*, cum gente ſua; dextrâ *filius Stephanus, cum Jazygum & VValachorum exercitibus:* (aliqui ſcribunt, adfuiſſe etiam *Boleslaum Ducem Krakov. cum Leſcone juvene & Polonis; Danielem*

Bela in Auſtriam adventus,

cum Cumanis, Jazygibus & VValachis;

quoque *Ducem Ruſſiæ, & filios ejus, cum Ruſſis & Tartaris:*) Hos ordinum omnium multitudo ſequebatur, ex vicinarum gentium roboribus lecta, magis tamen ad cogendas prædas, quàm ad conferendas manus anhelans. Magno in periculo, & præſentiſſimo in diſcrimine erat tunc *Moravia*; nec in minori metu ac formidine *Bohemia & Germania* univerſa: metuendum quippe erat, ne tantæ potentiæ hoſtes, ſi Regem opprimant, victricia arma ulteriùs proferant, & exemplo Majorum ſuorum (*Hunnorum*) non *Bohemiam* tantùm, ſed & *vicinas Provincias* omnes, ſuis exercitibus inundent. Ideóque belli hujus eventum anxij & ſolliciti omnes expectabant, & pro bono Regis Ottacari ſucceſſu, *minimi maximique*, uti habet Scriptor tum vivens, *à Bohemia usque ad Coloniam Rhenenſem, publicè in Eccleſijs Deum exorabant.*

Contin. Coſmæ ad an. 1260.

cui Ottacarus cum Bohemis & Moravis obviam progreditur:

Cæterùm *Ottacarus* collecto *ex Bohemis & Moravis* exercitu, id imprimis agendum duxit, ut hoſtium in progrediendo celeritatem, priusquàm ſeſe in *Moraviam* quaquaverſùm effunderent, antevertere poſſet: quare nec expectatis omnium auxilijs, in *Moraviam* citatis paſſibus contendit. Impar tamen numero & viribus, & ſalutem provinciarum in conſervatione exercitûs videns, dubiæ prælij fortunæ ſummam rei committere noluit, arcendos ſolùm hoſtes, ne ipſis, quod vellent, licere ubique poſſet, ſuſcepit; ut idcirco, cùm poſtea vel eo nec opinante, ad prælium ventum eſſet, non tam virtute ſuâ, quæ modica fuit, quàm *manifeſtâ Dei cœlitúmque ope*, ſolemnem illam, omníque ævo memorandam, de hoſtibus victoriam obtinuiſſe credatur; id quod etiam ipſemet epiſtolâ ad *Alexandrum IV.* datâ, profiteri non dubitavit, victoriam illam *ſoli Deo Optimo Maximo* referens.

Ejus victoria portentoſa.

Hagek. ad an. 1260.

Daubrav. l. 17. Chron. Boleslav. cap. 91. Pontan. in Bohem. Pic. Thuroc. in Chron. Hungar. part. 2. cap. 36. Anonym. Canon. Prag. an. eod. Bonfin. dec. 2. lib. 8.

Totum belli hujus decurſum, inter alios rerum Bohemicarum ſcriptores, Daubravius Ep. Olom. exactiſſimè refert: *Hungaricum* (inquit) *bellum ſubitò illum* (nempe Ottacarum) *excepit, ipſo Belâ fœdera rumpente, ac Styriam non ſolùm incurſante, ſed arcem præterea in illa cum oppido primario, cui Petovia vocabulum, oppugnante: hoc propoſito, ut cunctam Styriam regno ſuo adijceret. Cujus voti maximè compos, ab Ottacaro videlicet inde expulſus & fugatus, ad vaſtandam rurſus Moraviam, & verò etiam Auſtriam convertit animum, coactis novis viribus ex gentibus vicinis, quas nunc appellant VValachos, Ruthenos, Raſcianos, Boſnenſes, Bulgaros, & alios Chriſtianis inimicos.*

Belæ exercitus ex varijs gentibus collectus.

Atque has omnes copias bifariam diviſas (nec enim unus tantam multitudinem regere poterat) partim ſibi, partim Stephano ſuo filio regendas commiſit. Mox utraſque ad fluvium Teyam ab Auſtriacis dictum, quâ Moraviam ab Auſtria dirimit, adduxit. Eodem Ottacarus vires ſuas omnes contulit, caſtris ſuis ex adverſa ripa poſitis, haud procul ab hoſtibus. Qui ubi majus in conſpectu bellum vidit, quàm quantum de illo rumori crediderat, caduceatorem ad Belam miſit, qui Regi diceret: non ſanctè illum adversùs fœdera agere, quibus Deo teſte, pax inter ipſos Reges hac conditione fuit conciliata: ut ſi quid in illa ab utravis parte turbatum eſſet, id ipſum judicio æquabili diſcerneretur; ſe in præſentiarum quoque pacis quàm belli cupidiorem eſſe, optaréque, ut inducijs aliquot dierum datis, arbitrio amicorum potiùs, quàm ferro diſcordia finem acci-

Przemyslus pacis cupidus.

Digitized by Google

accipiat. Bela quanquàm ex timore iſta dici putaret, attamen quia Hungari non dum omnes convenerant, inducias dierum decem Ottacaro concedit, intra quos agi de controverſia liceret, ultro citróque liberè commeantibus arbitris: ſed qui ab Hungaris veniebant, fiducia virium ſolam fruſtrationem quærebant. Retrò aliquantum Bela cum ſuis à flumine ceſſerat: Ottacarus verò usque ad oppidum Auſtriæ Lavam conceſſerat, ut ibi adventum Ottonis Brandeburgenſis expectaret; Bruno autem cum Moravis, qui ab ejus vexillo non diſcedebant, ſtativa ad vicum Moraviæ, quem incolæ Poborzelice vocant, modico à Lava intervallo diſſitum habuit. Ibidem etiã ex Sileſia, Henricus Wratislavienſium, & Wladislaus Opolienſium duces. Inter hæc Stephanus Belæ filius, vado in Teya flumine reperto, atque per ſuos exploratores comperto, Brunonem cum debiliore copiarum parte, ſeorſum à Rege caſtra tenere, deductori mandat, ut ſe rectà Poborzelium ad Brunonem perducat. Nox erat ex pluvioſo cœlo tantis tenebris obſcura, ut ductor etiamſi locorum ſatis gnarus, à via tamen aberraret, Stephanũmque non ad Brunonis, ſed ad Regis caſtra adduceret. Inter excubitores illius noctis fuerunt Otto & Cunradus Comites ab Hardeko (alij Comites Pleynios, alij Ottonem Hardekium, Cunradum Pleynium volunt) *nobilitate illuſtres; ÿ ſonore audito, quem ſtrepitu pedum multi equi concitabant, adequitant propiùs explorandæ rei gratiâ, incidúntque in Hungarorum antecurſores, ambóque cum illis fortiter dimicantes occiduntur. Qui clientulorum ſuperfuerunt, caſtra tumultu implent, hoſtes adeſſe vociferantes. Hoc clamore excitus Ottacarus arma celeriter expediri, armatóſque milites pro ſtationibus ſuis tantiſper ſtare jubet, dum qui hoſtes, quantúſque illorum numerus eſſet, certiùs cognoſceretur. Nam & Stephanus ad tam ſibi propinqua adverſariorum caſtra ſubſtiterat, non auſus per tenebras ultra progredi, cùm non dum videret caſtrorum ſitum. Aurora deinde aperuit Ottacaro hoſtem, Stephano errorem perductoris. Cùm igitur ſubterfugiendi tempus nullum, ſed utriſque pugnandi neceſſitas inſtaret, concurrunt hinc & hinc animo flagrantiſſimo, ſed non perinde pertinaci. Quippe Stephanus, ubi ſibi haud ſucceſſit, ut primo impetu ordines Bojemorum conturbaret, quod ſe multitudine abundante effecturum ſperabat, diffiſus turbæ ad fugam ſe dare incipit. Quem protinus Ottacarus cum Ottone Brandeburgo à tergo inſequitur, deprehenſos per viam concidens, atque ita reliquos primò ad Teyam, dein ad Moravam fluvium urgens, ut præ feſtinatione ac trepidatione vadorum immemores, turmatim cum equis ab utróque flumine ex pluvia adaucto haurirentur. Ibidem Regem Bruno cum Moravis & Sileſitis aſſecutus eſt, auſúmque per corpora ſubmerſorum, velut per pontem, in alteram ripam contra Belam tranſire, audacem ſe ei comitem præbuit. Quis crederet Belam cum tot gentium, tantiſquè copijs, ſubito metu adeò obtorpuiſſe, ut neque mens, neque manus ſuum ſatisfacerent officium, ſed totam potiùs ſpem ſalutis in pedibus equorum fugacibus repoſitam habuerit? ſedecim tum millia hoſtium interfecta eſſe narrantur, paulò videlicet major numerus, quàm univerſus Ottacari exercitus fuit. Huic tam inſperatæ, támque inſigni victoriæ, pro argumento miraculum adijci-*

Belæ ſimulatio.

Bruno Epiſcop. Olomuc. Moravici exercitus ductor: quem Stephanus Belæ filius opprimere fruſtra contendit.

Stephani error,

Ioan. Adlzreitter in Annal. Bojor. part. 1. lib. 13. §. 25. Bruner. Annal. Bojor. l. 14. §. 7. Anon. Canon. Prag. illos dicit, uterinos fratres, Ottonem & Cunradum Comites de Hardek & Playn. Adlzreitt. modò cit. dicit fuiſſe fratres Comites Playnios, ſtirpis iſtius ultimos.

prælium, fuga.

Hungarorum clades.

Bohemor. & Moravor. victoria,

Digitized by Google

adjicitur, tunc cùm acerrimè præliaretur, viſam Aquilam nive candidiorem, quæ ſupra vexillum Divo Wenceslao conſecratum, in cujus nomine lætum pæana bojemi cecinerunt (quale ad hoc tempus ante pugnam canere aſſolent) placidè volitabat, ſenſimque per incrementa alas extendebat, donec totum Bojemorum exercitum amplecteretur, quaſi illum protegens, ne ei ab hoſtibus malè Chriſtianis noceri poſſet.

Hoſpodine pomilug ny / ꝛc.

triumphus. Lupac. ad d. 6. July. Vreleslaw. ad d. 13. July.

Lichtenavius apud Lupacium ſcribit, *Pannoniorum ſupra quatuordecim millia in Morava flumine, dum fugerent, ſubmerſa*, præter illos, qui alio mortis genere interiêre. Quod & ipſemet *Ottacarus* innuere videtur in epiſtola, ad *Alex. IV.* ubi inter cætera ait, *tantam multitudinem hoſtium fugientium in Morava flumine periiſſe, ut per cadavera illorum, quaſi per factos pontes, tranſiri potuerit. Chronicon Auguſtanum S. Udalrici & S. Afræ vetuſtiſſimum*, quod Freherus vulgavit, non unius tantùm, ſed duplicis Victoriæ mentionem facit; fortaſſe primò illius, quam noſtri obtinuerunt, *infra Octavam SS. Petri & Pauli*, de qua memorat etiam Anonymus noſter; & alterius, quæ acciderat paulo poſt, die *S. Margaritæ*, ad flumen Moravam.

Victoriæ hujus fructus, Moraviæ & Auſtriæ ſalus:

Ut ut ſit, ſive una, ſive duplex Victoria fuerit, multum ſanè momenti *Moraviæ & Auſtriæ* attulit: nam conſiderare quiſque poteſt, quàm miſeranda fuiſſet rerum facies in eo terrarum tractu, ſi proſtrato *Ottacari exercitu*, Hungaris, tantáque barbarorum multitudini in omne crudelitatis genus accenſæ, triumphare licuiſſet! Tota omnino *Moravia*, unà cum *cis Danubiana Auſtria*, furori eorum ceſſiſſet, ad usque extremum vaſtitatis: ſed & *Bohemia cum Sileſia*, in tanta periculi vicinitate, tantáque ferociſſimarum gentium multitudine victoriâ inſolente, quid tuti ſperare potuiſſet? Hinc meritò *dies victoriæ hujus, qui erat 3. Idus Julij, Divæ Margarethæ in Bohemia ſacer ac celebris, celebrior deinceps haberi cœpit.*

Bohemiæ verò & Sileſiæ procurata ſecuritas.

Belæ theſaurus in caſtris repertus locuples:

Addit Daubravius, *Ottacarum in caſtris Belæ tantùm auri nactum eſſe, ut aureum poſthac pro argenteo abacum ſibi ad menſam inſtruxerit, aureósque calices ad aras, & aurea thuribula facienda curârit: tantùm præterea manubiorum, ut præter donativum militibus affluenter diſpertitum, tam larga adhuc ſupereſſet de reliquo pecunia, ut inde nobile atque opulentum in Bohemia cœnobium, quod Regiam Coronam (poſtea Spinea Corona dictum) vocari voluit, condere potuerit.* Chronicon verò Boleslavienſe, & ex eo Hagek refert, *digitum quoque S. Joannis Baptiſtæ*, quo Chriſtum indicaverat, dicendo: *Ecce Agnus Dei:* inter alios Belæ theſauros, repertum auro incluſum; quem *Rex Ottacarus rediens in Bohemiam, in cœnobio Oſſecenſi Ord. Ciſter.* honorificè depoſuit, ac pretioſiſſimi theſauri inſtar, diligenti curâ ſervari juſſit.

inter alia, etiam digitus S. Joan. Baptiſtæ.

Chronicon. Boleslaw. c. 91. verſ. 20. 21. 22. Phœnix incinerat. Monaſterior. Ord. Ciſtercienſ. in Bohemia.

Bela pacem petit,

Adhuc *victor exercitus* in diripiendis hoſtium caſtris occupabatur, cùm *Bela* ſuſcepto pro inſtantium rerum ratione, conſilio, Optimates ſuos *ad Ottacarum* mittit, veniam rupti fœderis petens & pacem. Metuebat enim, nè, ſi ille curſui victoriæ inſiſtens molem totius belli in Hungariam transferat, ſúsque déque omnia confundat; Regnúmque univerſum vix dum â Tartarorum plaga ſanatum, extremâ clade afficiat. Et *Ottacarus* quidem victoriâ ferox,

Digitized by Google

ab ineunda pace alienus totus, non niſi Martem & vindictam ſpirare videbatur: poſtea tamen, cùm inducias ſaltèm tribui, ſvaderent alij, præſertim Epiſcopi, *Joannes Prag. Bruno Olomuc. Philippus Exarchiep. Salisburg. Ulrici Carinthiæ Ducis agnatus;* tum ipſe *Ulricus*, qui tum aderant: ſe quoq; in id flecti paſſus eſt; pactisque cum *Bela* ad unius anni ſpatium inducijs, & *octo de Nobilitate præcipuis* obſidum loco ab eo acceptis, *Viennam* profectus eſt: ac inde *Pragam* revertit; datis priùs ad ſummum Pontificem, ùt dixi, literis, quibus hæc omnia, quomodo accidiſſent, fusè deſcribit, & inter alia addit: *Quamvis igitur poſt triumphum divinitùs nobis datum, quemadmodum communiter videbatur, Regnum Hungariæ, noſtræ ditioni potuerimus ſubjugare, & idem in perpetuam premere ſervitutem: advertentes tamen, quòd melius ſit, bonum vicinum habere concordem, quàm ſuperare & exterminare rebellem; penſantes etiam, quoniam, ùt ait Imp. Conſtantinus, crebrò ſvaviores ſunt amicitiæ poſt inimicitias reſtitutæ; cum participibus alti ſanguinis noſtri, & Chriſtianis, dictis Hungariæ Regibus, ſecundùm oblatam nobis à magno Comite Rolando de Poſonio formam, maluimus pacis fœdera reformare, quàm vaſtando & debilitando magnum Hungariæ Regnum, ad idem, & noſtri Terras dominij Tartaris aditum.* In hac expeditione Ottacari, (alij volunt in poſteriori, quæ fuit anno 1271.) fertur militâſſe etiam *Rudolphus Comes Habſpurgi, officio Marſchalci apud Regem functus*, non multò poſt *Romanorum Imperator* creatus.

ſed tantùm unius anni inducias impetrat. *Pulkawa ad an. 1260. Cont. Coſmæ Hagek. an. eod.*

Rudolph. Comes ad Habſpurg, Regis Bohem. quondam Marſchalcus: poſtea Cæſar.

Eâ victoriâ tantùm authoritatis, potentiæ & gloriæ ſibi comparavit *Ottacarus*, ut *Italiæ populi, Veronenſes, Feltrenſes, Tarviſani*, ac totum penè *Forum Julij*, ultrò ſeſe ejus tutelæ ac fidei ſubmiſerint: cùm haud multo poſt etiam *Carinthiam, Carniolam, Marchiam Slavonicam, & Portum Naonis, ab Ulrico II.* hæreditatis titulo accepiſſet. Æneas Sylvius, & cum illo plures ſcribunt, *Regem Provincias illas ab Ulrico pecuniâ emiſſe.* Sed extant literæ, quibus *Ulricus*, in eventum ſi absque prole decederet, Regem Bohemiæ, tanquàm cognatum, omnium Provinciarum ſuarum hæredem conſtituit. Juvat referre ipſius in literis ſuper hoc datis verba: *Nos Ulricus Dei Gratiâ Dux Carinthiæ, Dominus Carniolæ & Brzedslaviæ, &c. cùm ex Divina diſpoſitione hæredibus careamus, Dominum Ottacarum, Sereniſſ. Regem Bohemorum, Ducem Auſtriæ & Styriæ, ac March. Morav. &c. præſertim cùm ſit nobis conſanguinitatis vinculo alligatus, multáque amicitiæ beneficia, ac indefeſſæ dilectionis argumenta percepimus ab eodem: hæredem noſtrum conſtituimus, ita quòd poſt mortem noſtram, ſi ſine filijs & filiabus deceſſerimus, per nos legitimè generatis, Terras noſtras, proprietates ac fevda, ſeu alia Bona noſtra, quæcùnque nunc poſſidemus, poſſidere debeat, liberè & quietè &c. In cujus rei teſtimonium, ipſi dedimus præſentes literas, ſigilli noſtri munimine roboratas. Teſtes autem ſunt: Albericus Comes Goriciæ & Tyrolis, Magiſter Petrus Præpoſitus VViſſebrad. Regni Boh. Cancellarius, Ulricus Comes de Hornenberg, Henricus Comes de Hardek, Ulricus de Roſenberg, Jaroslaus frater Galli* (hic erat de Lemberg, aliàs de Wartmberg.) *Smilo de Brumovv, Harchleb Camerarius Morav. Cunradus Præpoſitus Brunenſis, & alij plures fide digni. Datum in Podiebrad, anno Dom. 1267. Prid. Non. Dec. Indict. XI.* Inte-

Przemyslus potentiâ creſcit.

Æn. in Hiſt. Boh. cap. 27. Daubrav. l. 17. Rev. in Hiſt. Auſtr. lib. 1. Archiv. Capit. Metrop. ubi extant literæ integræ cum ſigillo Ulrici, in cujus clypeo ſpectatur Draco. Pulkawa ad an. 1267.

Jus Przemysli Ottac. in Carinthiam &c. ex quo patet, quam injuriosè paulo poſt, illâ ſpoliatus ſit. Sed Væ *qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?*

Digitized by Google

& ſuperbia. Æn. Sylv. c. 27. Daubraſ. l. 17. Romani Imperij faſces ſibi oblatos imprudens negligit:

Interea, *quantum aucta Ottacari potentia eſt*, inquit Sylvius, *tantum etiam inſolentia crevit. Vocatus per Principes Electores ad imperium, contempſit: palàm inter ſuos jactitans, pluris Bohemiæ Regem, quàm Rom. Imperatorem eſſe.* Quod demum funeſtiſſimi belli, ac ingentium calamitatum, quibus *Moravia & Bohemia* oppreſſæ, vix non interierunt cum gentibus ſuis totæ; quin & ipſiusmet Regis ruinæ & exitij, cauſam præbuit nunquam ſine lachrymis memorandam. Uxorem quoque *Margaretam*, quòd ad generandàm prolem impotens eſſet, & quod *Treviris*, *Parthenonem ſacrum Prædicatorij Ord. poſt Henrici prioris mariti mortem ingreſſa, cælibem vitam profeſſa diu fuiſſet*, quod poſtea cognitum eſt, dimiſit: nam ſe ipſum procreandis liberis idoneum, in nobili quadam puella Auſtriaca, è gynecæo uxoris oſtendit, *permittente eâdem uxore Margaretâ*, ùt ſcribit *Franciſcus Canonicus* noſter, vicinus illorum temporum, cujus verba ſunt: *Et quia prædicta Margareta ſterilis fuit, obprobrium ſterilitatis Regi adſcripſit, aſſeverans ipſum propter hoc ſterilem, quòd natus in die S. Petri fuiſſet: (credebant enim ſuperſtitioſæ quædam mulieres, eo die natos, genus non propagare.) Rex verò ait: da mihi unam de virginibus tuis, & infra annum ex ea puerum generabo. Cui Regina præbuit aſſenſum: Rex verò inter cæteras Virgines familiares elegit unam, quæ habebat tonſuram virilem, & ideo Palczerzik vocabatur; & generavit ex ea primo anno filium nomine Nicolaum, & poſtea filias plures*, â ſummo Pontifice legitimatas: quæ poſtea nupſerant, una *Nicolao de Strakonicz*, altera N. *de VVartmberg & Drnholcz*, tertia W*ockoni de Kravarz*, quarta W*ikardo de Polna*. Itáque dimiſsâ illâ, & obtento ab *Alexandro IV.* de ſacroſanctæ auctoritatis ejus poteſtate indulto, (priùs tamen *Archi-Epiſcopo Moguntino* cauſam cognoſcente) ut â præteriti matrimonij jure abſolutus, aliam quam vellet ducere poſſet, *Kunegundem Hoſtislai Bulgariæ Regis filiam, Belæ Regis neptem*, duxit. Quâ affinitate cum Rege Hungaro initâ firmam poſtea ac perpetuam pacem cum illo pepigit, eóque modo pacata & tuta per Moraviam cuncta reſtituit.

Margaretam conjugem repudiat: Pulkawa ad an. 1267.

Franc. Canon. Prag. in Chron. Prag. Tract. 1. cap. 1.

Brov. in Annal. Eccleſ. Tom. XIII. ad an. 1260. §. 6.

& aliam ducit. Hagek. ad an. 1261. Kuthen. an. eod.

MS. Anon. Canon. Prag. Coſmæ Continuat. an. eod. Anon. Canon. Prag. in contin. Coſmæ & Jaroslai ad an. 1261. & ſequ.

Audiamus etiam alterum Canonicum noſtrum, ſed Anonymum, illius tamen temporis coævum, hæc & alia quædam commemorantem; *Anno 1261. facta eſt concordia & pax, inter Regem Hungariæ, & Principem Bohemiæ, & validata pœnâ pecuniariâ, videlicet XI. millibus marcarum argenti. Regina Margareta exivit de Bohemia, versùs Auſtriam XV. Cal. Novemb. quas ob cauſas, Deus novit. Eodem an. VIII. Cal. Novembr. Princeps Regni Bohemorum duxit in uxorem Cunegundem filiam Hoſtislai ducis Bulgarorum, in caſtello Ungariæ Poſſen, quam venientem Pragam cum ſolemni Proceſſione recepimus in Eccleſia Prag. X. Calend. Januar. In die Nativit. Domini Princeps Bohemorum Przemysl conſecratus eſt in Regem, cum eadē Cunegunde in Eccleſia Pragenſi.* &c. Idem refert (memoremus hæc paucis) *Hoc anno*, ſc. M.CC.LXII. *incendia multa fuerunt in Civitatib. & villis, in Moravia Bohemia & Auſtria. Anno ſequ. maxima fuit cariſtia frumenti, fœni & pabuli in Bohemia & Moravia. An. 1265. facta eſt magna diſſenſio inter Regem Bohem. & Ducem. Bavar.*

Caritas annonæ per Boh. & Moraviam.

var. quâ neceſſitate compulſus Rex, miſit Nobiles ad metas Bohem. cuſtodiendas; qui tranſeundo multa damna intulerunt villis Epiſcopi Prag. & Canonicorum. Moravi etiam tranſierunt ad metas Bohemiæ defendendas, & plurima damna intulerunt in Bohemia, & extra metas in Bavaria. Anno 1266. Iterum tranſeuntes & Bohemi, & Moravi, circa Purificat. S. Mariæ, & in Quadrageſima rurſum, plurima damna intulerunt villis Epiſcopi. VI. Idus Auguſt. Rex proceſſit versùs Bavariam cum multitudine copioſa Bohemor. Moravor. Auſtral. Carinthian. Polonor. &c. Bavariam ad Ratisbonam usque crudeliter devaſtantes. In hac expeditione Rex edictum tulit, die 7. Auguſti, *ut qui ſacras ædes cremâſſet, vivus cremaretur.* Cúmque anno ſuperiori accepiſſet copiarum ſuarum Ducem, quosdam pauperes ruſticos à milite vexatos, & opem implorantes non audiviſſe, Ducem illum, & bonis & capite multavit. Pace demum, anno ſequenti, *Regem inter & Henricum Bavarum* factâ, *Clemens IV.* Regem ad inferendum *Litvanis & Gotlandis*, aliisque finitimis populis barbaris & paganis bellum, frequentibus litteris incitabat, concedens ei, ut ſi *Litvaniam* ê poteſtate barbarorum eriperet, cùm ibidem priùs *Mendocus* quidam titulum Regis ſibi arrogârit, *Regem Litvaniæ* quem vellet, conſtitueret; atque, ùt Spondanus memorat, *aliquem ibi in ſolium eveheret.* Initium literarum ſic habet: *In tui magnificentia culminis, Mater Eccleſia quàm plurimùm delectatur. &c. Is porrò Ottacarus erat* (ait Raynaldus) *magnis virtutibus decoratus Princeps, quem Clemens aliis literis ſæpiùs extuliſſe reperitur, cui ſubjugandas Infidelium terras donat; & aliis literis, Brunoni Epiſcopo Olomuc. in rebus ſacris, omnes eas terras ſubjicit.* Quæ omnia magnam ſanè continent exiſtimationem & dignitatem.

Tranſitus militum plerúmque incolis damnoſi.

Joan. Campan. in theſib. Hiſt. Boh.

Spond. in Annal. Eccl. an. 1267. N. 11.

Reynald. in Annal. Eccl. an. 1268.

Mortuo *Belâ*, an. 1270. Mars inquies funeſtos rurſum ab Hungaria, in Moravorum perniciem tranſtulit motus. Nam *Stephanus Belæ filius*, trux moribus, ac inſuper fluxæ fidei Princeps, quaſi cum patre defuncto fœdus etiã Bohemicum unà expirâſſet, vaſtatorios aliquot globos, intempeſtâ hyeme *in Moraviam*, & alios *in Auſtriam* ad populandum emiſit, qui proxima quæque loca urendo, atque vaſtando percurrerent. Illi ad flumen usque Moravæ progreſſi, nemine prohibente, in obvia quæque hoſtilem in modum ſævierunt; nec niſi abactâ tam hominum, quàm pecudum ingenti prædâ, domum reverſi ſunt. Quapropter exaſperatis partium animis, recruduit bellum; quod *Ottacarus* propitiâ utcúnque fortunâ geſſit: *Poſonio* námque occupato, *Ovaro* item, *Muſonio*, & ex altera parte etiam *Trnaviâ*, *protulit arma victricia in Hungariam, à ſiniſtra Danubii ripa ad Granum, à dextra verò ad Arabonem usque. Henricum Steronem*, virum religioſum, in Cœnobio Altahæ inferioris profeſſum, qui tum vivebat, de hac Ottacari expeditione, rebúsque proſperè geſtis referentem audiamus. *Anno 1270. Stephanus Rex Hungariæ, in hyeme Auſtriam cum exercitu vaſtat, occiſis & in ſervitutem abductis plusquàm ſeptemdecim hominum millibus. Rex Ottacarus ſubitò collecto exercitu, anno 1271. infra Octavam Paſchæ invaſit Hungariam, & munitiſſimis caſtris, Presburgo, (in quo omnem regiam gazam invenit, & Pragam advexit)*

Bellum Hungaricum recrudeſcit:

quod Ottacarus egregiè ſuſtinet:

Hungariam vaſtat.

Digitized by Google

vexit) Altenburgo, Trnaviâ, Caſtro S. Georgij, & plurimis alijs munitionibus captis & devictis, circa feſtum Pentecoſtes, propter conſumptionem victualium, reverti cogitur in Bohemiam, exercitu relaxato.

Stero in Annal.

Hæc *Stero*, cui tum viventi, ùt jam dixi, & hæc videnti plus fidei habendum exiſtimo, quàm *Bonfinio*, qui neſcio quam victoriam de Ottacaro, & ipſius exercitu ab Hungaris obtentam ſomniat. Idem, quod *Stero*, memorat & confirmat *Pulkavva* vicinus temporis illius.

Pulkawa in Hiſt. Boh. Bonfin. dec. 2. lib. 1.

Bello deinde *Bulgarico*, quod imminebat *Stephano* utique formidandum, anno ſequenti exorto, finis contentioni datus eſt, amicéque tranſegerunt Reges inter ſe. Ex quo rurſum ſequuta per *Moraviam* quies, modica licèt; quandoquidem non multo poſt *Mars cruentus* denuò ferale, ac non dum penè â præteritis cladibus abſterſum, in viſcera Moraviæ ſtrinxit ferrum, excitato bello funeſtiſſimo: quod adventare præſagiorum fides haud obſcurè monebat & portentorum. Poſt multa enim, quæ pij ac Deo devoti vates prædixêre *de Ottacaro* veridicè, ipſa quoque amita ejus *Agnes*, *Veſtalis innocentiſſima vita Virgo*; reſultabant canes, ululantibus lupis ad ſtuporem hominum, & querulum quoddam nocturnæ volucres gemebant & flebile. Super his (ùt refert Siffridus Presbyter Miſnenſis: *quidam Clericus vidit in ſomno fluvium ingentem, ac turbidum glacie mixtum, pleno impetu ferri ab Occidente contra Bohemiam, vocémque audivit lamentabilem in hæc verba: dies tribulationis, dies miſeriæ! Quidam etiam miles nomine Reinbotho, vidit per ſomnium quindecim Lunas in aëre pugnantes, quarum duæ cæteris erant majores, & ex his una habebat foramina multa, in quam reliquæ impingentes penitùs conſumebantur. Cúmque admiraretur dictus miles, vidit Regem Bohemiæ propè ſtantem, & ore multa evomentem. Denique & ipſe Rex vidit in viſu noctis, quod plurima haberet cornua in capite, quæ omnia præter unum ſibi radicitùs ſunt evulſa.* Anonymus verò noſter hæc habet: *Viſa eſt hoc anno*, nempe 1276. *luparum maxima multitudo, ante valvas Caſtri Prag. ex utráque parte, clamore multo ululantium: per quem, ſiniſtrum eventum Genti Bohemorum augurati ſunt.* Cauſam porrò & ordinem atrociſſimæ, quæ ſequuta demum fuit, calamitatis, & *quâ nulla â trecentis plus minùs annis gravior, pernicioſiorque Bohemis & Moravis memoratur*, paulò altiùs referre neceſſe eſt.

aliud longè pernicioſius exoritur.

Žiwot S. Aneẑky Dcery Přemyſla Ottagara I. wydaný w Praze w Ympreſ: Akadem: Léta 1643.

Hagek. ad an. 1269. & 1276.

Præſagia funeſtiſſimi belli.

Siffrid. in Epitom. lib. 2. ad an. 1276. Hic tum temporis vixit.

Supra innuimus ex Ænea Sylvio, *Przemyslum Ottacarum Bohemiæ Regem, Auſtriæ, Carinthiæ, &c. Ducem, Moraviæ Marchionem*, &c. vocatum ab Electoribus ad capeſſenda *Rom. Imperij gubernacula*, id fortis ac fortunæ imprudenti conſilio contempſiſſe. Anonymum noſtrum rei geſtæ coævum audiamus. *Anno Domin. Incarnat. M. CC. LXXI. menſe Auguſto, miſſus eſt Colonienſis Archi-Ep. Conradus, & alij cum eo plures Nobiles ad Regem Ottacarum, rogantes ipſum ex parte Electorum, qui habebant poteſtatem & jus eligendi Imperatorem; quatenus dignaretur aſſumere apices Imperatoriæ dignitatis. Quos Ottacarus Rex Sereniſſimus benignè & gratioſè recipiens, honeſtiſſimè tractat, intra aliquot dierum ſpatia. Et convocatos Nobiliores milites Bohemor. & maturiores ætate, quid opus ſit facto, in hujuſmodi negotio ſtudioſiùs*

Legati Principum ad Ottacarum.

inqui-

Digitized by Google

inquirit. Congreſſis itaque in unum locum Magnatibus, juxta mandatum regium, & conſilio habito, unus ex ipſis eminentior dignitate, qui eo tempore erat Camerarius Regni, & facundior, Andreas nomine, (familiâ de Rzitzan) talibus dicitur uſus fuiſſe ſermonibus. O Rex Invictiſſime & Excellentiſſime! quis mortalium tuæ poteſt in terris æquiparari potentiæ? Deus in Cœlis regnat, tu in terris, ex permiſſione ejus, & Ducibus & Principibus terrarum dominaris: & non eſt, qui reſiſtat tuæ voluntati. Incognitæ enim tibi ſunt, ad quas invitaris, diverſarum gentium nationes; & rerum dubius eventus. Sede in ſôlio Patrum tuorum; tuum Regnum & potentia per climata mundi famoſiùs dilatatur; & ad mare nomen tuum inſonuit; jam & nutibus tuis cuncti terrarum Principes famulantur. Ipſe etiam, ſi neceſſe fuerit, Imperator tuis parebit mandatis, ſcuto & clypeo in auxilium tuæ neceſſitatis. Rex auditis his ſermonibus, conſideránſque potentiam ſuam extolli & magnificari, acquievit ſermonibus: & recuſans ad tantæ dignitatis faſces aſſurgere, remunerat nuncios muneribus magnificis, in auro & argento, gemmis pretioſis, annulis, dexterijs, palefridis, & diverſis ac varijs clenodijs veſtiens ipſos, & totam Curiam eorum, remiſit ad Electores, cum uberiori gratiarum actione. Venerunt & pluries nuncij, ſimilia deferentes: quos Rex benignè ſuſcipiens, petitionibus ipſorum nullo modo acquievit; ſed muneribus ornatos ad Electores remiſit, gratiarum actiones referens, pro evocatione ad faſtigium tantæ dignitatis.

Ottacarus vocatur ad Imperium:

Conſiliarij diſſvadent:

Rex ſuorum conſilijs fretus, renuit acceptare illud:

Cujus tamen conſilij brevì illum pœnituit: nam audito, Principes Imperij congregari *Francofurti ad Mœnum*, *eligendi novi Imperatoris causâ*, ſplendidam adornavit eo, quâ Elector, legationem: miſsóque *Bernardo Epiſcopo Sekovienſi*, & *Magiſtro Ordinis Teutonici*, cum duobus Regni Baronibus, varijs artibus Electorum animos pretio imprimis, deìn prece, ac tandem minis pertentari, circa Electionem juſſit: haud obſcurè *Imperium* ambitioſo pariter ac minaci conatu affectans, quod paulò ante ſpontè ſibi delatum, per imprudentiam neglexiſſet. *Otto* quidem *Brandeburgicus* inclinabat ad ipſius partes, haud dubiè neceſſitudinis gratiâ, tanquàm cognatus. Alij tamen præſertim *Eccleſiaſtici*, & unà cum illis *Ludovicus Palatinus*, & *Mainhardus Comes Tyrolis*, (non quidem Electores, ſed viri eâ tempeſtate magni inter Principes nominis) deſpectum antea & contemptum *ab Ottacaro Imperium* ægerrimè ferentes, ab eo avertebantur prorſus toti; imò ad majorem ipſius deſpectum, ultimò poſtpoſitâ omni in ulteriori deliberatione morâ, Cæſarem elegerunt *Rudolphum Comitem Habſpurgi*, antea ipſius *Marſchalcum*, fremente licèt ac reluctante *Ottacaro*: qui omnem penè movebat lapidem, ut Electionem hanc redderet irritam. Quod cùm efficere non poſſet, fœdere inito cum *Henrico Bavaro Electore, Ludovici Palatini fratre*, item cum *Marchione Badenſi*, & *Comite Wirtembergenſi Eberhardo*, aliiſque, authoritatem novi Cæſaris pari contumaciâ detrectantibus, palàm *Rudolpho* inſultare cœpit. Hinc *Ilias malorum*: hinc exarsêre graviſſimæ *Rudolphum inter & Ottacarum* ſimultates. Ille *Ottacari faſtum & potentiam conabatur infringere*, *hic Rudolphi authoritatem eludere*: ita quos aliquando infra nos habuimus, etiam muta-

poſtea, ſed ſero nimis; ſapit:

Imperium, quod antea neglexerat, jam, ſed fruſtra ambit.

Rudolphus Comes Habſpurg. Imperator eligitur an. 1273.

Przemysl. Ottacarus Rex Boh. Rudolpho adverſatur.

Digitized by Google

mutatâ fortunâ elevatos contemnimus. Quare novus Cæſar futuros præſentiens adverſùm ſe motus, ac tenuitatis virium ſuarum probè conſcius, amicitiâ & affinitatibus imperium ſibi firmari, atque tantum præſidij comparari decrevit, quantum ad eludendos hoſtiles conatus ſufficere exiſtimaret. Tres ergò filias ſuas, antequàm *Aquisgrano* ab inauguratione ſolemni diſceſſum eſſet, tribus Imperij Septemviris, Moguntino ut plurimùm adnitente, deſponſavit: *Machtildim Ludovico Palatino*, *Agnetem Alberto Saxoni*, *& Hedvigem Ottoni Brandeburgico.* Quin & alios Principes, uti *Henricum Marchionem Miſnenſem*, *& Fridericum Comitem Zolleranum*, ſorore ſuâ progenitum, (â quo moderni *Marchiones Brandeburgici*,) novis beneficijs ſibi devinxit; dum illum *Thuringiâ*, hunc verò *Burgraviatu Norimbergenſi* gaudere juſſit. Quorum conjunctione & auxilijs fretus, & quòd ſciret, ſe legitimè ad Imperium vocatum, læto animo faſces Imperij apprehendit, *Comitijs publicis primò Norinbergam, deinde poſt tres menſes, Herbipolim indictis:* ubi omnes alij Germaniæ Principes, ad præſtandum novo Imperatori obſequium comparuêre, *præter Bavarum* & paucos quosdam. *Rex Bohemiæ* ſe non teneri dicebat, ut qui *nullo jure ſeſe obnoxium Impp. Germanicis* eſſe, probè meminiſſet. Eodem anno, nempe 1274. Lugduni celebratum eſt Concilium Patrum, præſente *Papâ Gregorio X.* ubi convenerunt quingenti Epiſcopi, & alij minores Prælati: Canonici, Doctores mille ſexaginta. Aderat etiam *Joan. Ep. Prag. Bruno Olom. & duo Barones Regni*, *Hron de Nachod*, & *Gallus de Lemberg aliàs* Jabſonſký / hi duo poſtremi â Rege miſſi. In eo conventu Papa, *rejectis Alphonſi Hiſpani*, *& Ottacari Regum legatis*, contra Rudolphum agentibus, *electionem Rudolphi confirmavit;* cui ut gratum, & accepti beneficij memorem ſeſe oſtenderet Cæſar, *Bononiam Eccleſiæ Romanæ donavit.*

Rudolph. Imp. novis affinitatib. Imperium ſibi firmat.

Comitia celebrat Norinbergæ & VVirczburgi.

Gemrd. de Roo Hiſt. Auſtr. lib. 1. Naucler. in Chronogr. an. 1274. Stumphius in Chron Helvet. an eod. Caſpiſius an. eod. Albert. Argentin. in Chron. an eod. Hagek ad an. 1273. MS. Anon. an. 1274.

Anno ſequ. Cæſar, tertiò conventum *Auguſtam Vindel.* in proximam æſtatem edicit, eóque tam *Ottacarum*, quàm *Henricum*, aliósque ſub comminatione *læſæ Majeſtatis ac perduellionis*, per expreſſum mandatum vocat. Non dum tamen comparent illi, ſed legatos mittunt: neque adhuc obſequij causâ, ſed ut proteſtarentur, *Rudolphum vitio creatum Cæſarem, adeóque pro legitimo, qui Comitia generalia imperare, aut de rebus Imperij diſponere poſſit, nō agnoſcendum;* quod vel maximè legatus Ottacari, *Epiſcopus Sekovienſis* obtrudebat, dialecticis quibusdam rationibus, quorum eo tempore gnarus præ cæteris habebatur, *Rudolphi Electionem improbans*, adeò ut exaſperatis Principum animis parum abfuerit, quin fides publica in eo violaretur, nî Cæſar interceſſiſſet.

Regem Bohem in jus vocat, an. 1275.

qui Legatum mittit.

Adfuêre ijs in Comitijs, etiam *Auſtriæ, vicinarúmque Provinciarum legati*, multa adversùs *impotentem Ottacari dominatum* queſti, & â jugo ipſius, non ampliùs ferendo, liberari ſummis precibus flagitantes. Adfuit etiam *Fridericus Archi-Ep. Saliſb.* de recenti ejus injuria prolixè queſtus; quòd immiſſo in ditiones ſuas *Milotâ Roſenſi*, equitum præfecto, multa ferro atque igni fœdâſſet, tantis illatis damnis, quæ infimo calculo, *argenti pondo quadraginta milli-*

Auſtriacorum in Regis Boh. regimen querelæ.

Digitized by Google

millibus æſtimarentur. His itaque ſecretis & apertis conſiliorum rationibus, diu ac ſeriò penſatis, Cæſar tandem, ne jus Majeſtatis ſuæ remiſſiùs tueri videretur, frequentiore Senatu convocato, publico in concilio, quid faciendum è Republica foret, ſingulatim exquiſivit. Erant inter Principes, prout, quiſque affectus erat, diverſa ſtudia: pars enim amicum potiùs quàm hoſtem habere *Ottacarum* cupiebat, ob idque non irritandum, ſed præferocem ejus animum, *oblatâ Confirmatione inveſtituræ, quàm à Richardo electo Romanorum Imp. ſuper Ducatum Auſtriæ & Marchionatum Styriæ, caeteráſque Provincias, acceperat*, leniendum. Contrà alij, id nequaquàm ex dignitate Imperij eſſe cenſebant, ut *Cæſar & Principes, unius Regis* placitis ſeſe accommodent, & ab eo debitam obedientiam precariò quaſi exigant; armis potiùs contundendos ipſius ſuperbos ſpiritus, víque recipienda, quæ vi, ac præter fas & æquum poſſideret. Addebant *inveſtituram Richardi, uti illegitimè electi, & nunquam ad gubernacula Imperij admiſſi*, eſſe nullam.

de Roo loc. citat.

Diverſæ ſententiæ Principum circa Regem Boh.

Melch. Goldaſt. in Append. Commentar. de Regn. Boh. Privileg. refert Inſtrumentum Inveſtituræ datum Aquisgrani an. 1262. die 11. Auguſt.

Porrò Cæſar, diu adhuc in incerto habuit, quidnam potiſſimùm conſilij deberet amplecti: ac ne vim priùs, quàm alia moderata ac tuta conſilia experiretur, ad *Ottacarum* legatos mitti decrevit. Miſſi *Henricus Ep. Baſil.* & Fridericus Burggr. Normb. qui cùm juſſa Cæſaris Regi expoſuiſſent, *Auſtriam & Styriam*, cæteráſque Provincias, Imperij nomine, ab eo repetentes, útque intra juris ſui fines ſeſe contineret velit, ſeriò admonentes; excanduit ille ſuper hæc, nilque ſe *Rudolpho* debere, *famulo nuper ſuo, neque digno, cui Reges obſequantur* *, reſpondit. *Auſtriam ſe, & Styriam dotalem, Carinthiam cum cæteris hæreditate acceptam priùs, armis denique & jure belli aſſerta, ac ingenti ſumptu, nec ſine diſcrimine, adversùs Hungarorum & Tartarorum inſultus defenſa tenere, neque illas cuiquam ceſſurum; quin ſi quietè ſuis uti fruique non permittatur, ſe curaturum, ut cujuſque libidini & ambitioni obviam eatur, & Rudolphus ipſe in ea mala, quæ alteri inferre cogitat, ſe præcipitatum experiatur.* Quamvìs autem legati contrà: *neque Auſtriam à fœmina ad alienos transferri, neque cæteras regiones, quæ meræ eſſent Imperij clientelares, abſque Imperij aſſenſu tranſcribi, minùs ab eo, qui ſe negaret eſſe Imperij clientem, uſurpari potuiſſe*, aſſeverarent; nihil tamen præter contumacia verba, & acerba in Rudolphum convicia, à *Rege irarum pleno* referebant. Poſt hanc legationem nullo impetrato remiſſam (neque enim exarcerbatæ Regis ferociæ reſponderi ampliùs quicquam potuit) brevì unanimi omnium conſenſu, ijsdem in Comitijs Auguſtæ celebratis, decretum, quo *Ottacarus Rex Bohemiæ hoſtis Imperij denunciabatur*, publicatum fuit. Ipſe Cæſar cùm lenitate nihil proficeret, ex dolore juſto diúque diſſimulato ac preſſo (quippe elevati non libenter eos premimus, quibus aliquando inferiores ſtetimus) in indignationem tandem efferbuit, & arma adversùs contumacem arripuit. Primóque *Sueviam & Alſatiam* ingreſſus, infeſta adverſáque omnia opininione citiùs oppreſſit, & tum W*irtembergenſem*, tum *Badenſem*, alióſque confœderatos, caſtigatos reſipiſcere coëgit: qui relictis ad arbitrium Cæſaris ditionibus cunctis, quas *Interregni tempore*, per fas & nefas occupâſſent, ſupplices petiêre pacem.

Cæſar Auſtriam, aliáſque Provincias ab Ottacaro per Legatos repetit.

quod Rex Bohem. negat.

* *Gerard. de Roo in Hiſt. Auſtr. lib. 1. ad. an. 1275.*

Æn. Sylv. in Hiſt. Bohem. cap. 27.

Bellum contra Ottacarum decernitur.

Cæſaris in Auſtriam cum exercitu profectio, an. 1276. juxta alios, an. 1277.

pacem. Inde *in Auſtriam bellum contra Ottacarum tranſtulit*, & in itinere etiam *Henrico Bavaro* ad obſequium redacto, interiora Provinciæ rectà petijt, eò fidentiùs, quòd plerique procerum cupidine mutationis, ac tædio præſentium ducti, fidem opémque ſuam gnaviter impendendam promitterent; cúmque aſſiduis penè nuncijs hortarentur, ut quàm fieri poſſit ocyſſimè, in Provinciam venire maturaret.

Auſtriaci ab Ottacaro deficiunt.

Primò omnium *Baro de Sumerzicz* à Rege deſciſcens, *Anaſoburgum* inſignem ad confluentem *Anaſi & Danubij* urbem, (*Laureacum* quondam) non expectatâ obſidione, Cæſari tradidit; cujus deditionem reſidua *ſuperior Auſtria*, & in inferiore, urbes quoque præcipuæ: ùt *Ibiſſa*, *Mutara*, *Neoburgum*, *Tulna* aliáque, facili negotio ſequutæ ſunt. Oderant enim ſummoperè Regem provinciales penè omnes & civitates: tum quia poſterioribus annis, & aſper & immitis evaſerat, tum quia in vindicandis injurijs, ulciſcendáque perfidia, ſupra modum ſeverus & inexorabilis erat: utpote qui *timeri maluit, quàm humanitatis atque clementiæ nomine laudari.* Ingruente autem bello, pecunias adeò inclementer imperârat, ut privatim ac publicè multæ civitates, contracto magno ære alieno, ab immodicis fæneratoribus cœperint ferè abſumi; adeóque pauci erant, qui linguam moderarentur, ut tandem ultimò alienati populi fremitus, etiam ad regiorum præfectorum aures penetraret. Hoc igitur modo *ſuperior Auſtria, & ejus exemplo inferior, quæ dextro Danubij littori adhæret, vix octo dierum ſpatio, defecit ab Ottacaro tota*, duri ipſius pertæſa imperij, ſéque fidei ac tutelæ Cæſaris ſubmiſit; exceptâ *Viennâ*, & aliquot caſtellis in arduo ſitis, quæ aliquandiu perſtitêre in fide Regis, *Brunone* Ep. Olom. præfecturam urbis obtinente. Nihilominùs, cùm deinde Cæſar caſtris ad urbem propiùs admotis, civibus, niſi deditionem fecerint, *agros ſe vaſtaturum & vineas, unde maximus erat eorum proventus*, exciſurum minaretur, populus per ſe mobilis, & rerum novarum cupidus, ad fortunæ Regis ſui commutationem, ſtatim & ipſe ad defectionem palam inclinavit. Quare præcipui de plebe præfectum urbis, & *Conſulem Rudigerum Baltramenum, qui præ cæteris Ottacaro ſtuduit*, adeunt, deditionémque urgent, adjectis etiam minis, niſi finem obſidioni faciant, aliter ſe ſuis rebus conſulturos. Quo illi repentino civium tumultu perculſi, vario aſtu eorum animos fluctuantes, & ad defectionem inclinantes ſedare, & ad propulſandam præſentem Cæſareorum vim, erigere nitebantur: ubi verò nec verbis, nec promiſſis, ſed neque minis quidpiam proficerent, inito inter ſe conſilio, inducias aliquot dierum paciſcuntur, intra quas, niſi auxilia à Rege mitterentur, deditio fieret: ac confeſtim ad Regem miſerunt petentes, ut poſtpoſitâ omni morâ, ſubſidio perditis penè rebus venire maturaret, aut validam pugnatorum manum in auxilium ſibi quantocyùs mitteret: *multitudinem enim civium ad obſidionem conſternatam eſſe, popularique petulantiâ cuncta confundi, jámque etiam edicta Præfecti ac Magiſtratûs ſperni*: opus itáque eſſe majore milite ad ſedandos tumultus, firmandúmque nutantis civitatis ſtatum.

Defectionis ejuſmodi cauſæ, & irritamenta.

Bruno Epiſcop. Olomuc. præeſt VViennæ.

Cives VVien. tumultuantur.

His cognotis *Ottacarus*, qui è regione *Viennæ, in ſiniſtra Danubij*

ripa

Digitized by Google

ripa cum exercitu conſederat, quanquàm nonnihil perturbaretur, quòd pontibus ſolutis flumen traijcere, ſuíſque opem ferre nequiret: animo tamen non deficiebat, ſed remiſſo nuncio, *Epiſcopo & Conſuli* ſignificari jubet, ut urbem, donec ipſe ratibus & navigijs paratis flumen ſuperet, egregiè tueantur atque defendant: & ſi non aliter cives in officio continere poſſint, eos quos ad deditionem inclinatiores advertunt, de medio tollant. Interea *tempus elabitur induciarum*; cùm verò nondum ulla comparerent auxilia ob navigiorum defectum, & inter cives magis ac magis gliſceret tumultus: inſuper certa ferebatur famâ, Hungaros adventare Cæſari in auxilium; urbs tempeſtivè ſaluti ac libertati ſuæ providens, pactâ jurium ſuorum conſervatione, deditionem fecit. Quo facto, *Bruno Epiſcopus* ſcaphâ tranſvectus ad caſtra Regis venit, tum ut rationem traditæ urbis, quam ob inſolentiam plebis tueri ampliùs non poſſet, redderet, tum ut Regem quocúnque tandem modo, ad pacis conſilia inclinaret; *quem tamen Rex eo & ſequenti die, nec aſpectu ſuo dignari voluit:* donec tandem ex interventu Optimatum, qui Regi â conſilijs erant, in prætorium admiſſus, ſuáque promere juſſus eſt. Jámque Rex â conſveta ferocia nonnihil remittere, & in pacem, ſi modò Cæſar, æquas conditiones, quæ ex ſua, quà Regis dignitate eſſent, admittere vellet, inclinari cœpit: *videbat enim ſua per Auſtriam, cœteráſque Provinciás ruere in pejus cuncta.* Quare habito cum ſuis ſecretiori conſilio, *Brunonem* cum ampliſſimis de pace mandatis ad Cæſarem remittit; cúmque diebus aliquot de conditionibus pacis, dubijs incertíſque animis, diſceptatum eſſet, noviſſimè in has devenêre leges: *Ottacarus Rex Auſtriâ, Styriâ, Carinthiâ, aliiſque locis vicinis privatâ poteſtate occupatis cedet, cognitionem de illis Cæſari, & Principum Senatui permittet: obſides reddet, electionem Rudolphi approbabit, inque ejus verba,* (quà Elector,) *jurabit: Hungaris ablata reddet; capti utrinque ſuis reſtituentur: inſuper filiam Agnetem Rudolpho filio Cæſaris, & è contra filiam Cæſaris Gutham, filio ſuo VVenceslao deſponſari permittet.* In quas eò pronior deſcendebat Rex, quòd illâ ſpe oneraretur, reſignationem hanc Provinciarum ſibi fraudi non futuram, ſiquidem filiæ, Regis filio â Cæſare deſponſæ, dotales Provinciæ iſtæ futuræ eſſent. Ultimò id vel maximè urgebat Rex, quatenùs in præſtando juramento, honoris ſui haberetur ratio, licerétque id intra tentorium coram paucis exequi. Accipitur conditio, ínque inſula Danubij, *Camberga* dicta, inſtruitur tentorium, & tribunal apparatu magnifico: ubi cùm Rex, Cæſari diademate & Imperialibus inſignijs conſpicuo, conſidentibus Electoribus Imperij, ac cæteris Baronibus circumſtantibus, genu poſito fidem conceptis verbis præſtaret, ecce derepentè tentorium, quod ex compoſito ita erat concinnatum, ut quando opus eſſet, decideret, â ſummo uſque deorſum, in quatuor proſciſſum partes, decidit, Regémque, ùt erat in alto loco ad Imperatoris genua ſupplex, videndum cunctis præbuit, *acclamantibus & applaudentibus Germanis, Bohemis verò torvum frementibus, ac fraudem tacitè & palàm execrantibus.* Obriguit ſuper hæc *Ottacarus*, & quamvis dolo magis, quàm caſu cecidiſſe tentorium haud ignoraret, ſubticendum tamen in

Cives Vienn. fruſtra renitente Epiſcopo & Conſule, deditionem Cæſari faciunt.

Rex ad conſilia pacis animum inclinat.

Conditiones pacis.

Spes inanis.

Fraus non ſatis laudabilis.
Æn. Sylv. Hiſt. Boh. cap. 37. Matthæus Marſchalc. de Rappenheim. in Hiſt. Auſtral. part. 1. an. 1276. Pulkaw. an. eod. Brunn. lib. 15. an. eod. Reo lib. 1. an. 1277. Adlzreit. p. 1. l. 25 § 4. & 5. an. 1277 Hagek. an. eod. Daubrav. l. 17.

Ottacarus domum inglorius revertitur,

in præſens cenſuit, & â Cæſare veniâ obiter acceptâ, *plenus irarum in Moraviam abijt:* ubi modicùm divertens, & *Brunam* aliáque ex itinere loca interviſens, *Pragam* tandem venit.

non multùm idcirco gratus ſuis.

Advenientem peracerbè excepit uxor *Kunegundis*, Megæra quædam mortalis, & mariti antea naturâ ſuâ ſævientis dira inflammatrix, imperij avida, & ſupra fœminam ferox; indignum aſſerens Regno, & tot virorum imperio, qui nullâ regiæ dignitatis, nullá rerum antegeſtarum ratione habitâ, ſe clienti, & ſervo quondam ſuo, ſubjecerit; tótque *Provincias pulcherrimas & ditiſſimas*, quibus, vel aliquot prælijs victus cedere non debuiſſet, nè tentatâ quidem prælij fortunâ, amiſerit. Non piget verba ipſius, cùm idcirco Rege, uxoris ſuæ incitationibus auſcultante, & mox fidem obſequiúmque Cæſari renunciante, *farago malorum, Moravia ut plurimùm perniciosórum* redundârit, ex Ænea Sylvio ſyllabatim referre.

Æn. Sylv. ſupra cit. *Daubrav. cit.* *Brunner. lib. 15. §. 1.*

Kunegundis ad Ottacarum conjugem oratio acris.

quâ illum deteſtatur,

Haccine, inquit, nobis ſpolia, has belli adoreas domum refers? Dediti omnes hodie tuâ operâ, veluti mancipia, veluti pecudes ſumus, Regina Provinciarum Bohemia, tributaria facta. Quùm te olim ſuperâſſe Tartaros, exuiſſe caſtris Hungaros, Styriam armis adeptam eſſe, Italiam cum exercitu penetrâſſe audiveram: felicem me, quæ tali nupſiſſem viro; patrem, qui me regi magnanimo tradidiſſet, ſapientem exiſtimabam, neque reginam eſſe ullam orbe toto, cui me cedere oporteret. Nunc falſa omnia experior; nam quæ mulier me infelicior? quis te virorum omnium ignavior? Auſtriam Provinciarum nobiliſſimam, tot urbibus, tot proceribus inſignem, nullâ neceſſitate coactus, è manibus tradidiſti: Styriam, Carinthiam, & quas poſſidebas in Italia civitates, turpi metu reliquiſti, cum Comite Habſpurgenſi, infimi generis, affinitatem contraxiſti. Poſtremò ei, qui ſatelles quondam tuus fuerat, jurejurando exhibito te ſubmiſiſti, & ſervus ſervi factus; tuam ſimul ac majorum tuorum gloriam offuſcaſti. En virum, qui magnitudine animi tenuiſſe imperium videri vult! laudarem, ſi te illi non ſubjeciſſes. Age, ſi tibi animus virilis deeſt, neque gladios exertos intueri potes; ſine me regem eſſe, experiar profectò, Bohemis an Teutonibus regnum debeatur? ſunt Poloni, ſunt Saxones ac Francones, qui noſtra ſigna ſequuntur: ſunt Sileſitæ Moravique, & verebimur belli tentare fortunam? Utinam aut tibi meus animus eſſet, aut mihi obedientia, quam te habere animadverto, ſentiret profectò Rudolphus, neque vires adversùs dominos valere, neque dolos.

quòd tot Provincias, nullo fortunæ viriúmq; facto periculo, tradiderit,

ſeséque tam turpiter ſubjecerit.

ad ultionem parandam hortatur,

& perſvadet.

His & alijs id genus verbis, mulier ſuperbiſſima, virum antea jam ſuopte ingenio ad ulciſcendam fraudem intentum ac procliveem, adeò commovit, ut omnia acta pacis reſcindere, & Provincias dolo (ùt dicebat) ſibi ereptas, ármis repetere conſtituerit. Primam indignationis ſuæ, & animi exulcerati bilem effudit in proceres, tum illos, quorum conſilio oblata Imperij ſceptra antè rejecerat; tum alios, qui ut in verba Cæſaris juraret, authores fuerant. *Ergo Rziczano*, ità Daubravius, *magiſtratum inſignem, quem gerebat, VVilhelmo arcem Podiebradam, VVartmbergo Glacenſem adimit;* & alijs alia, præſertim *VVitkovecijs*, ſeu *Roſenſibus*, qui tum temporis cum *VVartmbergicis* potentiſſimi erant; ut non mirer, *illos hoc ipſo anno*, nempe 1276. prout habent Hagecius, Pulka-

Daubrav. l. 17. Pulkawa, Hagek. ad an. 1276.

Digitized by Google

Pulkavva, & quidam manuſcripti codices, *à Rege defeciſſe*; quod ultimò ipſi ruinæ fuit; ùt fit, dum Principes modum poteſtatis ſuæ excedunt, & timeri magis, quàm amari â ſubditis volunt. *Malus quippe eſt cuſtos diuturni obſequij, metus*; & *multos metuat oportet, quem metuunt multi.* Error hic fuit Ottacari graviſſimus, Principis aliàs cauti ac circumſpecti, ſed tunc, incertum, quomodo â ſe alieni: quòd in eo rerum ſtatu, injurijs affecerit illos, quos potiùs beneficijs ſibi devincire debuiſſet. *Neſcit amare aut obſequi offenſus, odiſſe didicit*: odium verò ferrum acuit, etiam in ſervis & mancipijs, quò magis in ingenuis & liberis. Unde non mirum, *Ottacarum poſtea in prælio â ſuis deſertum* periiſſe. Ottacari error gravis: ex quo tandem deſertus â ſuis perijt.

Auxerat indignationem *Ottacari* adversùs Cæſarem, quando â nonnullis, qui in aula Cæſaris ſecretiora penetrabant conſiliorum, pro certo didicit, Cæſarem filio ſuo majori natu *Alberto*, deſtinaſſe *Auſtriam*, *Styriam*, *Carniolam & VVindorum Marchiam*; *Carinthiam* verò, & regiones vicinas *Meynhardo Comiti Tyrolenſi.* Ergò palàm jam Cæſari amicitiam renunciat, *pacta reſcindit*, *Auſtriam aliàsque provincias fraude* (ità enim ſentiebat) *ereptas repetit*, *niſi reddantur*, *bellum indicit.* Tum mox delectus per *Bohemiam & Moraviam* inſtituit: accitisque in ſubſidium ex *Bavaria & Thuringia* copijs, proprio ære conductis, tantâ celeritate atque diligentiâ cuncta ad expeditionem ſuſcipiendam diſpoſuit, ut duorum â Ferijs Paſchalibus menſium ſpatio, anno 1278. ampliorem, quàm antea unquam exercitum, aliquanto citiùs, quàm hoſtes fieri poſſe exiſtimâſſent, in Auſtriacorum fines adduxerit. Popoſcit inſuper & obtinuit auxilia ab *Henrico VVratislavienſi, & Wladislao Opolienſi Ducibus*, quæ non multò poſt advenerunt ſolidè inſtructa. Nec defuit rebus ſuis *Cæſar Viennæ tum agens*, ſed delectu quoque *per Auſtriam*, *Styriam*, *Carinthiam*, & vicina loca habito, filios *Albertum & Rudolphum*, aliòsque cognatos, & affines ex Svevia vocavit, qui cum ſuis cohortibus haud cunctanter acceleravêre: & unà cum illis *Salisburg. Archi-Ep. Baſilienſis Epiſcop. Burgravius Norimberg.* & *Hennebergici*, *Fúrſtenbergicique Comites*, cognati Cæſaris; quisque eorum cum ſelectiſſimis legionibus & turmis. His acceſsêre *Albertus Goricienſis*, *Meynardus Tyrolenſis*, *Fridericus & Albertus Ortemburgici Comites*: item *Ulricus Heinburgicus Carnus*, & *Henricus Phonenbergenſis Styrus*, cum ſuis cohortibus. Mille etiam *Styros* communi provinciæ nomine conſcriptos, adduxerunt *Fridericus â Petovia*, *Otto Lichtenſteinius*. & *Colo â Seldenhoven.* Cumanorum præterea, qui non dum Chriſtianâ Religione imbuti erant, advenêre ex Hungaria, 20. millia, *Ladislao Regis Stephani IV. filio duce*; quem ut arctiori quodam vinculo ſibi conjungeret Cæſar, in filium adoptavit. Ottacarus arma reſumit. exercitum comparat. Cæſaris magnus apparatus, auxilia.

Prælio deinde ferocibus utrinque animis inito, in patenti quodam Auſtriæ campo, *Marchfeld* dicto, fortuna primùm Regi favere viſa eſt: *Bohemi* námque, qui dextrum cornu tenebant, cum ipſo Rege adeò acri impetu irruerunt *in Styros & Carinthios*, quòd in medio eorum Cæſarem adeſſe ex aquila Imperiali advertiſſent, ut cæſis anteſignanorum promptiſſimis, & Stra- *Gerard. de Roo Hiſt. Auſtr l. 1. ad an. 1278. Eberhard Archid. Ratisb. in Annal. ſui temp.* Prælium committitur.

to *Phannenbergio*, reliquam aciem penè totam in fugam converterint. Jam ad ipſa vexilla Imperatoria*, quæ in medio erant, rapidiſſimi torrentis inſtar penetrabant: parúmque abfuit; quin in eo primo tumultu *Cæſar ipſe*, *equo ſuffoſſo dejectus*, *à nobili quodam Moravo*, *ex ditione Opavienſi*, nomine *Herburto Fulſteinio*, ingentis ſtaturæ & roboris viro, & alijs circumventus interijſſet, ni à ſuis ſubitò accurrentibus defenſus, & equo alio, à *Bertholdo Capella* opportunè commodato, in tutiora reductus fuiſſet. Atque ita exigua ſpes jam Cæſareanis erat conſiſtendi, perterritis ſemel pulsíſque primis agminibus. Quia tamen *Milota præfectus Moraviæ*, qui cum duodecim Moravorum millibus ſiniſtrum tenebat cornu, remiſſiùs quàm debebat, & præſens rei benè gerendæ occaſio poſcebat, egit; imò dum prælium vel maximè fervere cœpit, in ſpeciem tantùm fortis audacíſque animi, *Svevos & Auſtriacos*, qui Cæſari à dextris erant, acri impetu adortus eſt, mox veluti circumvenire eorum aciem vellet, in terga, ac tandem ad partem circuitu longo ac celeri deflexit, ut ità fortis & proditor, decori ſimul atque perfidiæ ſatisfacere videretur: Cæſareani ſpatium ſeſe recolligendi nacti, novum præterito longè acrius redintegrârunt prælium, cornúque *Bohemorum* in duas partes diſciſſo, quùm ex obliquo ad pedites, & terga regij equitatûs pervaſiſſent, cuncta propè in media acie cædibus terroréque compleverunt. Et quoniam eo in curſu hoſtium Rex ferè abſciſſus erat à peditatu, in quo ſummam ſpem reponebat, *Milotam* cum ſuis legionibus, quem defeciſſe non dum cognoverat, ſibi opitulatum advocari jubet: cùm interim à fronte & latere, & à tergo circumventus in orbem pugnare, maxima cum ſuorum ſtrage cogeretur. Cognito autem defeciſſe *Milotam*, & longè ad partem cum copijs ſuis ſtantem, agere ſpectatorem, & unà cum illo *Zaviſſium Roſenſem*, & Nobiles quosdam non paucos, ingemuiſſe fertur & dixiſſe: *quid mihi jam magis optandum*, *quàm ſi proditione meorum cadam potiùs*, *quàm per ignaviam aut trepidationem fugiam!* Cúmque inter hæc regium quoque vexillum, cadente *Sezyma de Kolòvvrat ſignifero*, ſtratum vidiſſet, & equites pulſos atque disjectos, nullam ampliùs reſtituendæ pugnæ rationem invenire poſſe; nihil jam dubitans, quin è veſtigio moriendum eſſet, ut ab imminentibus probris & contumelijs animum vindicaret, in confertiſſimos hoſtes procurrit, ibique ſtrenuè pugnans, ac tandem feſſus capitur, ex equo dejicitur, & *contra commune gentium fas*, *quod captos Reges in bello*, *etiam eorum injuſto*, *occidendos vetat*, multis vulneribus confoditur. Nec longè ab eo, pari pertinaciâ atque virtute contendentes, interficiuntur proceres, aliíque equeſtri dignitate, honoribúsque militiæ illuſtres multi: inter quos præcipui erant, *Smilo de Lichtemburg*, *Hynko de Skall*, *aliàs de VValdſtein*, *Henricus de Ronovv.* (Berkianæ Familiæ,) *Cunradus de VVeitmile*, *Zdislaus SubMarſchalcus* (hic putatur eſſe *de Sternberg*) *Otto de Donina*, *Smilo Czernin*, *Zdenko VVratislavv*, *Henricus Sſtos*, *Bobuslaus de Chiſs*, *Joan. VVanczura*, *Stanko de, Pabenicz*, & alij. Denique univerſim cæſa perhibentur octo, juxta nonnullos quatuordecim millia: omnia verò ſigna militaria cum impedimentis capta.

Ita

Cæſaris periculum.
* *Auſtriacum vexillum tunc habuit Cunradus ab Haſelau; à quo Holzlaurij in Moravia & Bohemia.*
Milotæ Roſenſis Moraviæ præfecti perfidia.

acies Bohemorum nutat.

Rex Bohem. fortiter pugnans,

capitur,

multisque vulneribus confoſſus occiditur.
Mornæus Pleſſiacus in Myſter. iniquitat. Pandulph. Collenutius in Hiſtor. Neapolit. l. 4. in fin.
Cicero apud Goldaſtum in Comment. Regn. Bohem. lib. 2. c. 9. in Notis ſub n. 22.
Cædes Bohemor. Procerum.
arx modò deſerta Ronovv, *propè Przibislabiam.*

Ita occubuit *Rex Bohemiæ inclytus Ottacarus*, hoſtium ne dum Bohemorum lachrymis lugendus: idque ſcelere & proditione *Milotæ*, qui ſive vindictæ cupiditate impulſus, ſive ſpe adductus præmiorum, aut fortunarum ſuarum ſecuritate, quòd labantibus Regis rebus, novas ac certiores amicitias ſibi parandas arbitraretur, ad Cæſarem defecit. Noſtrorum quidem Bohemorum hiſtoriæ, â *Cæſare donis corruptum Milotam paſſim affirmant*: alij verò ſunt, qui eum ob fratris filiam àb Ottacaro vitiatam, ipſúmque fratrem de hac injuria paulo acerbiùs conqueſtum, in turri quadam incendio ſublatum, id feciſſe dicant: Utut ſit, id ex MS. Hiſtoria Roſenſi conſtat, *Milotam fuiſſe familiâ Roſenſem*, *filium Henrici I. de Roſenberg*, *fratrem Budvogij*, qui famoſi illius Zaviſſij erat pater: porrò *inter Regem & Roſenſes*, ùt refert vetus *Chronicon Boleslavienſe*, *Anonymus* quoque noſter, ad an. 1276. & ex illis *Hagek*, erant tum ſimultates & inimicitiæ graves, haud dubiè ob cauſam prætactam, videlicet, *ob fratrem Milotæ* (an is *Budvog* erat, vel alius, certò non liquet) tam fœdo mortis genere ſublatum: ac proinde mirum non eſt, ſi *Milota* occaſionem ulciſcendi ejusmodi crudelitatem Regis nactus, unà cum *Zaviſſio* nepote, quem duobus equitum millibus armatum, prælij ejusdem tempore ſpectatorem ſolùm egiſſe, *Roſenſia & Vetero-Boleslaviana* referunt monumenta, fecerit id ex compoſito & lubens: reclamantibus licèt alijs *Moravorum ducibus & tribunis*, qui nihil gerere auſi, niſi quod ille imperâſſet, (id autem ipſum imperârat, ne quid gererent, néve ſe quiſpiam loco moveret, mortem minatus, nî parerent) aciem ſociorum inclinatam, ipſúmque Regem extremè periclitantem ſpectare cogebantur.

Pulkawa ad an. 1278. Chron. Boleſl. an. eod. MS. Anon. an. eod. MS. Franc. Can. an. eod.

Milota cur Regi ſuæ perfidus?

Dubraw l. 17. propeſin Chronic. Aulæ Reg. part. 1. cap. 8. Rvo lib. 2. ad an 1278. Cuſpinian. Lazius. MS. Genealogia Roſenberg.

Chron. Boleslav. cap. 92. Thomas Ebendorff in Annal. Auſtr. ad an. 1278. MS. Compendium Hiſtoriæ Roſenſ. cap. 11.

Potuiſſent tum *Moravi*, Regi ac Domino ſuo, multùm momenti ad victoriam adferre, & hoſtium copias nonmodò prælij initio, ſine ullo diſcrimine opprimere, ſed & poſtmodùm, cùm jam *labare cœpiſſet Bohemorum res*, eam recentibus ſuis viribus denuò reſtituere; verumtamen maluerunt eorum primores, *fortunæ, gloriæ, victoriæq́; ac Regi ipſi, imò etiam Patriæ*, quàm *Milotæ* deeſſe; exhorreſcentes fortaſſe *Manliana viri imperia*, nolentéſque capite ſuo periclitari, plúsne illi ad exequendum, quàm ſibi ad impediendum ſcelus animi eſſet: quod tamen malo ſuo luerunt paulò poſt. Nam *Cumani*, gens efferа, & ad prædandum proclivis, victoriâ obtentâ, longè latéque ſeſe non tantùm per *vicinos Auſtriæ campos*, ſed & per *Moraviam* effuderunt agminibus denſis, & vaſtabundi per latitudines *Provinciæ Brzedslavienſis ac Znogmenſis* pandebantur impunè, ab ipſis tractibus, quos prætermeat *Teya* exorſi, ad usque *Brunam* & ultra, cuncta rapinis, cædibus, ſanguine & incendijs crudelem in modum permiſcentes. Tunc in illo paulò ante *florentiſſimo Moraviæ tractu*, nihil videre erat, niſi facta dictu viſúque prædira, deſertum quoddam horribile totius regionis, & fumantia latè incendia oppidorum atque villarum: incolas verò partim cæſos, partim in ſervitutem abductos; fruſtra *Brunone Ep.* & ipſo *Milotâ*, eam crudelitatem in amicos patratam apud Cæſarem & Ladislaum deteſtantibus. Et niſi tandem idem *Milota*, aſſumpto unà *Zaviſſio*, iviſſet obviam barbaris hinc inde palantibus, & ad internecionem vaſtantibus

cujus tamen perfidiam Moravi,

malo ſuo luunt.

Hagek. ad an. 1278. MS. Annal. Rebic

Moraviæ calamitas.

Cumani Moraviam populantur:

bus

à Milota repelluntur.

bus univerſa, haud dubiè altiùs ſerpſiſſet malum, nemine primùm in ea conſternatione confuſionéque rerum renitente: ſed profligatis aliquot eorum globis, reliqui eo citiùs, ut prædas integras ſervarent, Provinciâ exceſſerunt. Et hoc fortaſſe eſt, quod innuit Cæſareus Hiſtoriographus *Gerardus de Roo*, qui poſt victoriam, inter Germanos & Hungaros diſcordiam ortam fuiſſe aſſerit.

Totius rei ſeries ab Authore coævo deſcribitur. Bappenb. in Hiſt. Auſtral. p. 2. an. 1278. Siffrid. in Epitom. lib. 2 an. eod. Ottacarus in Auſtriam cum exercitu vadit. Rudolphus ſeſe ad reſiſtendum comparat.

Ex omnibus autem tam patrijs, quàm exteris Scriptoribus, exactiſſimè hanc Ottacari cladem deſcribit *Matthæus Bappenheim*, Baro, vir Religioſus, & tum temporis vivens, qui ita narrat: *Rex Bohemiæ iteratò collecto exercitu forti & magno, cum machinis & diverſis inſtrumentis, & armis bellicis, manu validâ Auſtriam ingreditur, prius Pragæ à ſuis licentiatus, & ab omni clero & populo univerſo cum multis gemitibus proceſſionaliter de Civitate eductus. &c. Et tunc etiam Rudolphus Romanorum Rex, qui ſic ab eo fraudulenter circumventus fuerat, cum Auſtralibus & Styrienſibus peroptimè expeditis, & paucis Svevis, præſente Rege Hungariæ cum ſuis, quùm tamen vix unum pugnantem adhuc, contra duos adverſarios & non niſi CCL. dextrarios faleratos, contra MC. parte ex adverſa haberet, ſæpè dicto Regi Bohemiæ viriliter cum ſuis paucis, in Deo ponens ſpem ſuam, (quia Domini eſt ſalus,) VII. Kalend. Septembr. quæ fuit Feria VI. proxima poſt Bartholomæi, in campo, qui vulgariter dicitur, Idanſpergenſis, circa Marchiam, ex utráque parte ad prælium convenerunt. Ordinatisque hinc inde agminibus, Rex Romanorum tam Cumanis, quàm Chriſtianis, pro ſigno nomen Chriſti præcepit invocare, ut ubicunque eſſent, die illâ, in bello pariter vel diſperſi, hoc nomen Chriſti à quolibet acclamaretur. Itaque nomen Dei glorioſum & benedictum Chriſti, quod exercitui Regis Romanorum in ſignum datum fuerat, quod ſemper antea, ab incredulis Cumanis, & ſemi Chriſtianis Ungaris blaſphematum fuerat, & pro nihilo fuerat reputatum, hâc die communiter tam à Cumanis, quàm à Chriſtianis, invocando ſæpiſſimè repetitis vocibus, CHRISTUS, CHRISTUS, altâ voce ab omnibus proclamatur. Rex verò Bohemiæ ſuis exercitibus pro ſigno dederat clamare: PRAGA, PRAGA; & cuilibet album peplum circa collum ante & retro, uſque ad cingulum, in modum ſtolæ Diaconi; ſicque bellum commiſſum eſt ab utriſq; in quo primo conflictu Romanorum Rex, occiſo à quodam ſub eo dextrario, proſtratus in terram proſilijt, & à ſuis fidelibus ſublevatus iterum ad pugnam progreditur. Et ecce mirum in modum totus exercitus Bohemorum ſuperatus, terga in fugam verterunt, relicto Rege ſuo ſolo. Pars autem adverſa eos inſequentes, ſine defenſione eos trucidabant: alia verò pars in fuga flumen tranſire cupiens ſubmergebatur, deſcenderúntque in profundum gurgitem, quaſi lapis, in modum quondam Ægyptiorum in mari rubro. Jam enim equorum ſpuma elemento mixta colorem ſuum mutaverat, eo loco, & ſanguis occiſorum & vulneratorum, ac ſubmerſorum ſuper nudos gurgites fluebat. Plures etiam ex eis à Cumanis capti, vinculati, vulnerati, miſerabiliter deducebantur, raptis & ſpoliatis theſauris Regis Bohemiæ, in curribus*

Regio ad confluentem Moravæ & Danubij, vulgò Marchfeld.

ante prælium,

Imperator dederat ſuis teſſeram, Chriſtus; Rex Bohem. ſuis Praga.

Clades Bohemorum,

Digitized by Google

bus & tentorijs ſuis, & ſuorum inventis. Quidam etiam alij, venientes Regi Bohemiæ in adjutorium cum copioſa multitudine, antequàm pervenerint ad exercitum, videntes & audientes fugam Bohemorum, revertentes fugiebant & ipſi abſq; perſecutore. Miſerum vidiſſes ſpectaculum in campo jacentium, inæſtimabilia corpora hominum occiſorum, cadavera equorum innumerabilium in ſuo cruore volutantium, viſcera herorum à canibus & avibus circa trahentium, & non erat, qui ſepeliret. Ipſe autem Rex Bohemiæ inclytus ab hoſtibus capitur, trahitur, percutitur, ab equo eijcitur, à Bertholdo Dapifero de Emretbvverch, ac alijs multis Nobilibus nimiùm feſſus ad terram deijcitur, & per cervical lanceâ perforatur, ac alijs plagis affectus, ultimò gladio transfixus, in eodem loco mortuus eſt. Et pauculis interjectis concludit: *Rex autem Bohemiæ, illâ die, quâ occiſus eſt, nudus, & ùt egreſſus de utero matris ſuæ fuerat, per prædictum Bertholdum plauſtro ſuperponitur, & in Marbekam ducitur. O mira Dei diſpoſitio, & tremendum ejus judicium, quòd tantus Rex, & Princeps ſublimis diverſarum Provinciarum, mundanarum divitiarum opulentiſſimus, qui dominabatur à mari usque ad mare, qui alijs magnificè dona donaverat, non habet ubi caput ſuum reclinet, vel unde ſua tegat verenda. Herì multis Nobilibus imperabat, hodie unus imperat ei: herì cum ſuo exercitu terram tegebat, hodie tegitur à terra: herì alijs purpuram dabat, hodie non habet unum linteamen. De Marbeka verò ducitur in Viennam, ibique lamentabiliter ſuſcipitur, & ad Scotos ponitur; manè de domo Scotorum, cum toto Clero & Religioſis, ſub ſilentio, nullo cantu præmiſſo, nullis campanis pulſatis, ad domum Fratrum Minorum deportatur, ibique nudâ facie omnibus oſtenditur. Poſtea ejectis interioribus, corpus ſpeciebus conditur, linteis mundis, & purpurâ à Regina Romanorum datis involvitur, & in Capitulo Fratrum Minorum intumulatus, nullis fidelium pro eo exequijs celebratis, nec campanis pulſatis, nec Miſſis dictis, ferè triginta hebdomadibus in pheretro conſervatur. Deinde venientes ſui Bohemi, receperunt eum, & aſſignaverunt eum Fratribus Minoritis in Znogma, ibiq; jacet intumulatus usque in hodiernum diem.* Anno deinde 1296. filius ejus *VVenceslaus*, corpus inde transferri, & in *Baſilica S. Viti Pragæ* ſepeliri curavit. Hæc clades incidit in VII. Calend. Septembris: exhinc dies illa apud *Bohemos* atra atque infauſta habita; quæ opinio poſtea confirmata eſt *cæde Joannis Regis*, eâdem quoque die, *in prælio Britannico* interfecti. Verùm de hac luctuoſa Regis clade, & ab ea ſequuta *Moravorum & Bohemorum* ingenti calamitate, audiamus adhuc Anonymum noſtrum, qui ſic habet.

& Regis miſeranda cædes, | Deploratio fortunæ Regis! | Corpus Regis primò Viennæ, ſepelitur, deinde Znogmam ac tandem Pragam transfertur.

ANno Domini 1278. 5. Calend. Julij Rex Ottacarus profectus eſt ad expeditionem contra R. electum, versùs Moraviam, reſeditque in Bruna, expectando Duces Poloniæ, & militiam ipſorum: Nobiles etiam Bohemiæ atque Moraviæ, quorum auxilio ſperabat ſe victoriam obtinere, & terras ſibi ablatas iterum dominio ſuo ſubjugare. Nec attendebat intra ſe dubium eſſe eventum bellorum; varius eſt enim eventus in prælio, & nunc iſti, nunc illi prævalent bello. Et quem premunt ſua fata, hunc continuò nolentem ducunt, volentem trahunt. Collectis itaque exercitibus, proceſſerunt ad Lavam, ibique immorati ſunt,

Expeditio Ottacari in Auſtriam deſcribitur:

ſunt, quamdiu poterant pabulum pro equis, & victualia per ſpoliationes pauperum habere. Deinde venientes applicuerunt munitioni, quæ dicitur Drozndorf, & ibi metati ſunt caſtra, & vallârunt prædictam munitionem, & locaverunt machinas, & alia varia inſtrumenta ad expugnandum. Videns hæc quæ fiebant, Meſſou (fortè *Meislavius* Auſtriæ Mareſchalcus) *miles ſtrenuus, qui praerat eidem munitioni, quòd reſiſtere nequiret, ſubdidit Civitatem, ſe etiam ipſum, & omnia quæ poſſidebat dominio Regis. Cùmque hæc innoteſcerent electo Rudolpho, jam enim dudum collegerat multitudinem copioſam Ungarorum Comanorum, Svevorum, Saxonum, Auſtralium, Stirienſium, Colonienſium, Rhenenſium & aliarum diverſarum nationum, & transfretato Danubio, venit in occurſum ejus. Rex autem Ottacarus jam erat circa eum locum, qui dicitur vulgariter* v Sadworaſowa Lowiſſtie/ *& eſt mons nemoroſus, circa flumen Moravam. Interea electus Rudolphus, ùt vir providus & prudens, in rerum diſcrimine, ſciens arcum ſuum tendere, & relaxare tempore oportuno, comperiens per exploratores ſuos, quòd Rex cum exercitibus ſuis, nullam ſpem haberet de adventu inimicorum, & eſſent diſperſi huc atque illuc, ſicut conſvetudo Bohemorum eſt, causâ prædæ rapiendæ, & Rege cum paucis commorante, repentè irruit cum exercitibus ſuis, ſuper inproviſos & inermes: & in modum ſemicirculi, per ordinatas acies circumcingens eos multitudine innumeroſâ, conterruit tentoria ipſorum, & exercitum eorum, & cecidit ſuper militiam Regis Ottacari formido & pavor, in magnitudine brachij electi Romanorum, ut perterriti ac nimiùm ſtupefacti, non valentes reſiſtere potentiæ ipſorum fugerent; sicque fieri ſolet, ut quando homines præ timore fugiunt, etiam motum auræ pavent, & ipſe pavor timorem eis auget. Rudolphi ergò exercitus fugientes inſequuntur forti & armatâ militiâ, & quosdam interfecerunt, quosdam vulneraverunt. Nobiles verò multi Bohemiæ, Moraviæ & Poloniæ capiuntur ab eis circumdati ex omni parte, & velut ſues in ſtabulo concluſi, eliguntur potiores, ditiores & meliores, & deducuntur ad oppida & munitiones, & recluſi in carceribus, in manicis ferreis & compedibus graviſſimis, cruciatibus & pœnis varijs torquebantur, ut darent pecuniam non modicam argenti & auri detentoribus ſuis. Captivi verò videntes ſe undique anguſtijs & tribulationibus ac cruciatibus magis magisq́ affici, nec aliquo remedio vel auxilio evadere manus perſecutorum, quibus pecunia depoſita deerat, vendentes bona progenitorum ſuorum, redemerunt ſeipſos, cupientes vitam conſervare. Et quid eſt, quod non daret homo imminente cervicibus gladio? Quis in anguſtia conſtitutus, non libenter daret pro ſe, quidquid haberet? Nonnulli etiam fugientium, ſperantes ſe præſidio fugæ evadere hoſtium perſecutionem, ſe ipſos præcipitârunt in flumen Moravam, quia circa ipſum fluvium conflictus pugnæ gerebatur, & mox ſuffocati ſunt. De interitu autem Regis Ottacari nihil certi dicere poſſumus, quia diverſi diverſa dicunt, & ſic multis haſitantibus, vulgò proclamatur, quòd infra exercitum delituit, & ampliùs non comparuit. Capta eſt autem præda innumerabilis à parte Rudolphi, in curribus partis adverſæ, in auro & argento, ciſtis, ſcutellis argenteis, Balkinis, & alijs clenodijs, & diverſis rebus, ornatu Capellæ Regiæ, armis Nobilium, dextrarijs & alijs equis majoris & minoris valoris; cujus damni & jacturæ rerum, ratio humana æſtimationem computare non valet.*

cui Rudolphus Cæſar obviam progreditur, ipsúmque inopinatò adoritur, profligat, & cædit. Spolia ingentia, magnique pretij.

Factus eſt autem timor magnus, & turbatio per univerſam Bohemiam & Moraviam, qualis non fuit ex eo, ex quo Regnum Bohemiæ ſumpſit initium. Nam ſpolia multa, & infinitæ excuſſiones Eccleſiarum perpetratæ ſunt, in monaſterijs Monachorum, Cruciferorum, Sanctimonialium; in domibus Fratrum Minorum, & aliarum diverſarum religionum Collegijs. Theutonici expulſis & ejectis, atque per colla extruſis de Inſula monachis, commorati ſunt in Clauſtro ſex ſeptimanis, & omnia victualia, quæ comparata fuerunt ad uſus monachorum, qui ibidem Deo ſedulum exhibebant officium, & orationes ſuas inceſſanter pro benefactoribus, & ſalute vivôrum Deo non deſinebant fundere, atque defunctorum, expenderunt. Villas 24. eidem monaſterio ſpoliârunt, in mobilibus & in immobilibus, ita ut nec pilus, nec granum poſſit inveniri. Quid dicam de alijs Religioſorum domibus? In Corona, quæ erat nova ædificatio domûs, nec ſigna poſſunt, ubi domus monaſterij conſtructa erat, inveniri. Quid dicemus de Griſeis, in Oſſieck, in Brzewnow

Miſerabilis, per Bohemiam & Moraviam, rerum, ac imprimis Monaſteriorum,

Ord.

Digitized by Google

Ord. S. Benedicti, De Dominabus in Teplicz, & in Switecz? Omnes in dolore & in amaritudine paribus cruciatibus, & ſimilibus doloribus afflicti ſunt. De remotioribus monaſterijs à civitate Pragenſi, quòd ſimilia perpeſſi ſunt, loqui non audeo, quia multo graviora. Ex quibus Wylemow potiſſimùm læſum eſt: quia circa ipſum, Rex Rudolphus cum omni potentia ſua, bis ſtetit; & Brandenburgenſis Marchio, & Duces Poloniæ convenerunt. Incendia etiam innumera per totam Bohemiam facta ſunt, per villas & urbes pauperum ſpoliationes, in pecoribus, jumentis, & cæteris animalibus, ac altilibus diverſi generis, in veſtibus, inſtrumento & pabulo quadrupedum. Facta eſt autem diſtractio Regni Bohemiæ, & diviſio juxta placitum & voluntatem Regis Rudolphi electi Romanor: Brandenburgenſis Marchio obtinuit Pragenſe caſtrum, cum majori parte Bohemiæ: Dux Poloniæ Kladſko *provinciam: Regina partem cum filio Wenceslao; & impletur illud Evangelium: Omne Regnum diviſum deſolabitur. Adhuc Bohemis pejora in futurum vana mentis præſagia augurantur. Moravia etiam in plures partes fertur eſſe diſtracta. Proh dolor! quantâ anxietate, quantâque commotione Bohemia & Moravia agitata ſunt, nec ego, nec pluralitas facundiorum hominum valet explicare.* Ita ille. Addit porrò de Ottacari virtutibus iſta. — deinde etiam urbium, oppidorum, pagorum, totius deniq; Regni Status.

Hic Ottacarus ab ipſo ætatis ſuæ tyrocinio, omnem ſpem ponens in ſolius Dei patrocinio, virili animoſitate ſui regni rexit dominium. Erat enim Princeps ſpectabilis, Rex inexpugnabilis, Dux in caſtris acceptabilis: hic quotiescùnque contra quemlibet Regum, vel Ducum aciem belli movit, ſemper cum magno triumpho lætus ad propria remeavit. Erat etiam in ſui Principatûs regimine Zelo pietatis ſuccenſus nimio, culpas ſuas recognoſcentibus pius indultor, viduarum non ſurdus auditor, orphanorum non tardus adjutor. Tempore Quadrageſimali nocturno, ſolo ſervo contentus, latenter Eccleſiam ingreſſus, & ſuper pavimentum humi proſtratus, tam diu perſeverabat in precibus, quo ad usque largo imbre lachrymarum madida fuit, cui incubuit humus; inde ſurgens ad agapem faciendum ante ortum ſolis, vocat Officialem, cui commiſerat curam pauperum, & requirit, an parata habeat omnia pro pauperibus enutriendis. Erat enim mos ejus omni Quadrageſimali tempore, quingentos pauperes paſcere, & in Paraſceve eosdem veſtire; lavabat etiam pedes pauperum in Cœna Domini, juxta numerum duodecim Apoſtolorum, dividens illis cuilibet ſolidam denarium. Veniens etiam ad Eccleſiam Pragenſem, tempore Quadrageſimali, perſonaliter accedebat Sacerdotes, inducens eos petitionibus ſuis, ut Miſſas cantent pro ſalute Vivorum, alias pro animabus Fidelium defunctorum, nec non & Miſſas Votivas de Sancta Trinitate, de Sancto Spiritu, de Domina, de Patronis, de Sancto Nicolao, & alias quàm plurimas, dum tantummodò potuerint tot inveniri Sacerdotes. Ad manum autem cujuslibet Sacerdotis Miſſam dicentis offerrebat duos aureos, vel duodecim argenteos denarios. Hæc vidimus, & teſtimonium perhibemus. — Ottacari virtutes — misericordia, — pietas,

Iſte Princeps quàm tum fuerit largus, mens humana apprehendere, nec enarrare poteſt. Quàm innumera dona dedit extraneis Ducibus, Principibus in auro, in argento, equis, annulis, veſtibus, exprimere non valeo. Qualis comitatus ſequebatur eum quotidie militum, Principum, baliſtariorum, dinumerari non poterat. Nobiles terræ in amaritudine cordis flete Regem veſtrum, qui veſtiebat vos coccino in delicijs, & præbebat ornamenta aurea cultui veſtro; accincti eratis velamine ornamentorum pretioſiſſimorum, quibus etiam fucatis oſtro fimbrijs radiantia fila pendebant, quibus ſæculi arridebat pompa, & altitudo mundana tumeſcebat. Ornatus Capellæ Regiæ nonne de pretioſiſſimis balkinis, purpura & biſſo contextus erat, in caſulis, dalmaticis, cappis & alijs ornatibus? Calices quidam aurei, argentei, & alia vaſa, quæ ad officium Divinum deſtinata ſunt, usque ad pelues, omnia in auro confecta ſunt. Scutella etiam menſæ ejus ex auro puro, & argento, ſubtili opere fabricata, ad omnia fercula, licèt infinita menſæ ejus deferebantur. Quid plura? à Solis ortu usque ad occaſum, inter Reges eo tempore, non inveniebatur, qui tantâ largitate & poteſtate, atque morum fulgeret honeſtate. Quàm largus fuit & prodigus in ſuis donativis muneribus, ſtylum ſubmoveo, ne videar adulationis notam incurrere, veritatem pre- — liberalitas, — & magnificentia, in apparatu ſacro & prophano.

Digitized by Google

MS. Franc. Can. p. 2 Chron. l. 1. c. 2.

proſequendo. Ejus facta meliùs & veriùs explananda poſteris relinquo; largitionum enim ejus immenſitas fuit ſine menſura. Quâdam vice, ſcribit iterum alius, *de telonio quod habebat in Danubio, allati ſunt multi panni nobiles & diverſi: quos ille ad proprios uſus nolens convertere, ijs totum Clerum in Regno decentiſſimè veſtivit.* Dignus ſanè diuturniori imperio, & feliciori exitu.

Cæſar victoriâ uſus poſteritati ſuæ providet.

Sublato per hunc modum Rege, dum Moravia & Bohemia hoſtium furori paterent expoſitæ, & inſolens Victor, ſuperbum illud *Væ victis*, ferro & igne repeteret, ſatisque diu per obvia quæque, ſacra & prophana, graſſaretur immaniter: intervenientibus tandem utriúsque partis proceribus, *Cæſar Wenceslao Regis occiſi filio tum octenni, veniam dedit & pacem*; pactis tamen prioribus, præſertim connubialibus inter *Wenceslaum & Guttam* Cæſaris filiam; *Rudolphum item & Agnetem*, cum certa ſucceſſionis ſpe (ſi *Wenceslaus ſine prole melioris ſexûs decederet*) debitè confirmatis. Interea *Otto Longus Brandeb.* tanquam Regis occiſi ex ſorore nepos, tutelæ Wenceslai, ſimúlque Regno gubernando, quoad puer adoleſceret, præficitur: *Milota verò*, ùt inquit Daubravius, *ſummus in Moravia Magiſtratûs, additis benè multis poſſeſſionibus, ad arbitrium voluntatémque prorogatur.* Nec multò poſt Rudolphus Cæſaris filius, nuptias cum Agnete Iglaviæ celebrat.

Daubrav. l. 17. in fin.

Per Bohemiam & Moviam fames, peſtes. Chron. Boleslav. cap. 94. Daubrav. l. 18. Siffrid. in Epitom. lib. 2. Hagek. ad an. 1281. & ſequ. Strnsky Reip. cap. 8. num. 36.

Pace factâ, reſpiravit quidem â bellicis calamitatibus *Moravia & Bohemia*, ſed mox annis ſubſequentibus fame rerúmque inopiâ, ac demum peſte, quæ plerúmque famem ſequi ſolet, conflictari cogebatur extremâ. Ita præter domeſticos Scriptores, narrat etiam Miſnenſis Presbyter Siffridus: *Mortuo*, inquit, *rege Ottacaro, ſtatim maxima clades totius Regni ejus ſequuta eſt, ita ut per triennium quotidie gens Bohemorum, de terra ſua, fame compellente & inopiâ, relictis habitaculis transmigrarent, venientésque in Miſniam, Thuringiam, & alias partes Teutoniæ, miſerabili inediâ per plateas civitatum mortui corruerent.* Ita ille, qui tum vivebat, & hæc videbat. Ex quo apparet, quàm miſerabilis fuerit tum *per Bohemiam*, & haud dubiè etiam *per Moraviam*, rerum ſtatus! apparet quoque, quàm hoſpitales fuerint vicini Teutones, erga noſtros homines, peregrinos & miſeros pauperes, ut apud illos fame mori cogerentur! *Quis unquam in Bohemia vel Moravia peregrinum fame mortuum vidit, vel audivit?* His malis accedebat crudeliſſima *Ottonis Brandeb.* hominis avariſſimi in Bohemia dominatio, cum inſigni tyrannide conjuncta, qui aſſiduis penè exactionibus Regnum gravabat, & lacerum jam antea magis adhuc lacerabat, expilabat, diripiebat, tyranno quàm tutori, aut gubernatori ſimilior. *Nec Bonis Eccleſiaſticis, Deóque dicatis pepercit: Pragenſem Eccleſiam omni theſauro ſpoliavit*, & quæ inibi Proceres, & alij ſecuritatis causâ depoſuerant, (facilè ad ducenta aureorum millia) per ſatellites rapuit, ipſúm Regem parvulum *Wenceslaum*, velut captum in *arce Bezdiezy* cum matre clauſit, poſtea planè in Marchiam abduxit: nec priùs reſtituere voluit, *velut ſi hoſtis non amicus foret*, niſi poſtquàm Proceres ei ſexagies mille aureorum numeráſſent. Explicari certè non poteſt ſatis fœda hominis avaritia, quâ ille *Bohemiam per ſexennium afflixit*, & tantùm non perdidit. In veteri Chronico,

Germanorum in Bohemos pauperes & peregrinos inhumanitas.

Ottonis Brandeb. Bohemiã gubernantis tyrannis.

Digitized by Google

nico, quod *Canonicus noſter*, *horum omnium teſtis oculatus* conſcripſerat fideliter, talia ac tanta inveniuntur, ut ſine commiſeratione & lacrymis legi non poſſint. Et vide adhuc magìs malignitatem hominis, odiúmque ipſius in Gentem noſtram capitale prorsùs & immane. Habebat ille in animo abolere & extirpare nationem Bohemorum univerſam, ſumpto tanti auſûs, tantíque facinoris principio â Nobilitate, quam primò omnium deſtruere voluiſſet. *Id verò conſilium ſuum ita ordinabat*, (verbis alienis refero) *ut totâ Nobilitate Bohemâ ad Comitia evocatâ, de Rudolphi Cæſ. injurijs primùm quereretur, tum Bohemos in Rudolphum concitaret, tandem ad arma vocaret, quaſi ipſe etiam Otto, Ottacarum avunculum ſuum* (nam ex Ottacari ſorore Beatrice natus erat) *ulturus. Id cùm effeciſſet, promittebat Rudolpho, ſe illi totum Bohemorum exercitum, commodo tempore, (quod facile eſt Duci & proditori) adducturum ad victimam, & per proditionem daturum in manus, ut ſe quantùm vellet, Bohemorum cæde ſatiaret. O ſceleratam mentem! At Rudolphus Cæſar juſtiſſimus, idemque moderatiſſimus, tam impium & nefarium conſilium damnavit, averſatúsque eſt.* Hujus Ottonis ſtirps exaruit tota quanta, in nepote ipſius Waldemaro: ita *perierunt, quaſi qui non fuerint, & filij ipſorum cum ipſis*, juſto Dei judicio: nam *viri ſanguinum & doloſi, non dimidiabunt dies ſuos.*

& capitale in Gentem Bohemam odiū.

Balbin in Epit. rer. Boh. in Not. ad lib. 3. cap 15. Pulkawa. MS. Anon.

Familiæ ipſius interitus.

Eccl. cap. 44. Pſal. 54. 6. ult.

Poſt hæc aſſurgebant *per Bohemiam & Moraviam* latrocinia crebra: multi enim etiam de nobiliori ſtatu, aſſveti antehac vivere rapto, occupatis nonnullis arcibus, in quas ſeſe tutò recipere poſſent, non tantùm itinera viáſque publicas, ſed & opulentiores vicos infeſtabant licenter, alentéque progreſſam in pejus eorum audaciam impunitate, magìs indiès provincialium & viatorum opibus paſcebantur. Inter alios *Gerhardus de Obrzan* in Moravia, (familiæ *Cunſtadeæ*) homo inſolens & protervus, neque unquam ſuperiori ulli obtemperare aſſvetus, vicinos Nobiles, quos privatim oderat, multis incommodis & malis continuò penè afficiebat. Qui tamen deinde, cùm *Wenceslaus Rex*, ex Marchia reductus, communi omnium aſſenſu, Regni gubernacula ſuſcepiſſet, an. 1283. & tam contra illum, quàm alios turbatores pacis publicæ bellum indixiſſet, rebus hoc modo ſuis extremo in diſcrimine verſantibus, reſipuit, & anno 1286. pridie Calend. Martij, Regi ſe ſubjecit, *factoque in ligno Crucis Dominicæ juramento* (ùt literæ in Archivo Regni teſtantur) *futurum ſe in poteſtate Regis promiſit. Acta ſunt hæc in Caſtro Brunenſi, coram his teſtibus, videlicet: D. Nicolao Duce Opaviæ, D Zaviſsio de Falckenſtein, D. Beneda de Tribl Burggravio in Fraunberg, D. Bohuslao de Bor Camerario Pilſnenſi, Smirzicio, D. Hartmanno de Hohenſtein Camerario Brunenſi, Cunone de Kunſtat Patruo meo, Milota de Dedicz, Habrziſſio de Bobrovva,* Witko*ne de Uppa, Matthæo de Czerna Hora Camerario Buczovienſi, Henrico de Brandeis, Stephano de Medlovv, Stephano Ungaro de Zadek, Czerhone de Crazavvicz, & pluribus alijs Bohemis Nobilibus & Moravis.*

crebra latrocinia.

etiam à quibusdam Nobilibus in Moravia exercita.

MS. Privil. Reg. fol 367.

Nihilominùs fæx illa latronum extirpari ex toto citiùs non potuit, donec ipſemet *VVenceslaus*, contractis undique militaribus copijs, & *Zaviſsio Roſenſi* vitrico ſuo (is námque Reginam viduam duxerat conjugem) præire

VVenceslaus Przemysli Ottacari filius.

Digitized by Google

In Moraviam proficiſcitur, ut latrocinijs ſublatis, quietem Provinciæ reſtituat.

juſſo, *in Moraviam* expeditionem anno 1287. ſuſcepit: expugnatáq; vi *Treboviâ*, & vicinâ arce *Hohſteinâ*, ubi præcipui hærebant latronum cumuli, prædatum inde *in Bohemiam* usque excurrentium, quotquot ejusmodi farinæ homines deprehendit, ad unum omnes ſuſpendio necari juſſit; atque ita tractum illum totum, â perditiſſimorum hominum injurijs vindicavit. Idem fecit *Zaviſſius*, expugnato Reyhradenſi clauſtro, quod prædones aſtu occupârunt, trucidatis religioſis. Ultimò arx ſola *Helfenſteina* ſupererat, firmiſſimum utique, & tam arte quàm naturâ munitum latronum receptaculum: quam tamen virtute ſuorum, octavo oppugnationis die cepit. Quo peracto, Moraviam â latrocinijs expurgatam in tranquillum repoſuit.

Zaviſſius Roſeoſis Regi VVenceslao contumax,

Cùm deinde *Zaviſſius*, mortuâ Kunegunde, ſororem *Ladislai III. Hung. Regis* duxiſſet, & Dominus exiſtens *Provinciæ Brzedslavienſis*, quam cum priore conjuge dotis titulo poſſidendam acceperat, gravia quædam in caput Regis moliri auderet, inani quâdam ſtoliditate, *Marchionis Moraviæ titulum* ſibi arrogans; *Moravia* rurſum novis concuti cœpit motibus. Hi tamen conquievêre brevì, poſtquàm *Zaviſſius* cæcâ regnandi libidine in transverſum actus, laqueo, quem innocentiſſimo tetenderat Regi, ipſemet captus eſt. Nam conjectus in carcerem (quod nunquam fieri poſſe crediderat) cùm animos nihil demitteret, ictûsque ſemel á fortuna ſapere nollet, Pragâ ad arcem *Hlubokam* devectus, in præſidij conſpectu, uſitato illis ſeculis ſupplicio, aſſere acuto præciſo capite, vitam amiſit; an. 1290. 24. Aug. ùt lapis ſepulchralis ingentis magnitudinis, *in Cœnobio Altovadenſi* hodiéque teſtatur. Sublato Zaviſſio, *Rex Provinciam Brzedslavienſem*, *Agneti ſorori ſuæ*, *Rudolpho Cæſaris filio*, ùt ſupra dictum, nuptæ tradidit: qui *Rudolphus* non multo poſt, nempè an. 1292. in Vigilia Aſcenſ. Dom. (ùt habent *Franciſcus & Beneſſius*) Pragæ obijt, in Eccleſia D. Viti ſepultus, relicto filio *Joanne*, qui deinde *Albertum Cæſ. patruum ſuum* occidit, ùt dicemus infrà.

Chron. Boleslav. c. 94. & 95. ſuo malo, atque interitu. *Daubrav. l. 18. Rea in Hiſt. Auſtral. Franc. an. eod. Chron. Roſ. an. eod. Hagek. an. eod. & 1291.*

Regi VVenceslao, Germani Imperium præſentant.

Abhinc Moravia fruebatur pace per annos aliquot, cùm interea Principes Germaniæ, mortuo *Rudolpho Cæſare* anno 1291. Idibus Julij, Imperij coronâ *VVenceslao* ultro deferebant. Quod tamen ille non eodem, quo Pater faſtu, ſed per ſummam animi moderationem, quâ ſe intra fines curásque Regni ſui continere maluit, ſuſcipere gravabatur; venerari potiùs, quàm tractare cupiens Imperij ſceptra. Miſſis itáque Francofurtum ad Electionem locò ſui legatis, (hi erant, *Bernardus Præpoſitus Miſnenſis*, *Hermannus de Lippa* Supremus Camerarius Regni Boh. *Albertus de Zeberk* Burggravius in Kadana, & *Tobias de Bechina* Burggravius in Hluboka, Barones Regni) *Adolphum Naſſaviæ Comitem, Imperatorem nominavit*: indignante licèt ſorore ſuâ *Agnete*; quæ uti erat cordata mulier, cùm inaudiiſſet, *Bredslaviæ in Moravia tunc agens*, fratrem recuſâſſe delatum ſibi Imperium, dicere auſa eſt: *at ego, ſi Regis locò eſſem, & gleba adhuc ſolùm una mihi deeſſet, aut quod reliquum eſſet ſubijcerem, aut cætera perderem.* Hæc tametſi ingentis animi fæmina, & regnandi perquàm cupida; poſt mortem mariti tamen multùm mutata ab illa, *Pragam, in S. Franciſci Ord. S. Claræ Parthenonem* conceſſit, ubi religioſam

Æn. Sylv. Hiſt. Boh. cap. 28.

vitam,

Digitized by Google

vitam, prout aliquando â Parentibus deſtinata erat, amplexa, ſanctè ad finem uſque vixit: *Joannem* verò filium ejus, *Albertus* patruus cum ſuis liberis educandum ſuſcepit. Ad *Wenceſlaum* redeo, cui *Hungari* etiam & *Poloni* Regnum ſpontè detulerunt: & *Poloniam* quidem haud gravatè regendam ſuſcepit, primúſque in Regnum illud argenteam monetam induxit: cui locò ſui primò *Tobiam Ep. Prag.* deinde poſt peractam coronationem ſolennem, an. 1300. *Hynkonem Berkam*, ſpectatæ prudentiæ virum, præeſſe juſſit. *Hungaris verò filium cognominem, Regem dedit:* quem tamen paulo poſt, cùm videret proceres Hungariæ in factiones ſcindi, & pleróſque ad *Carolum Robertum* Regni æmulum inclinari, in Bohemiam reduxit, aſportatâ quoque regiâ coronâ; quam poſtea *Ottoni Bavariæ Duci*, vocato in Hungariam contra *Carolum*, cum omni jure, quod filius haberet, reſignavit.

Hungaris & Poloni Regnum ſpontè deferunt. qui Polonos in fidem accipit; Hungaris filium Regem dat.

Dubrav. l. cit. Ens rer. Hung. l. 1. ad fin.

Author Chronolog. Regni Hung. ad an. 1302. id hiſce commemorat: *Wenceſlaus Pater, Rex Bohem. cum exercitu veniens, ad Budam caſtris fixis, nunciat Filio, ut cum Corona ſacra veniat ad ipſum. Illo adveniente, Pater Coronam, velut poſtero die diligentiùs contemplaturus, reſervat; nec mora, eandem cum filio, veritus perfidiam & diſcordiam Hungarorum, in Bohemiam & Pragam, velut habito de Hungaria triumpho, aſportat.* Et infra ad an. 1304. *â Germanica factione Otto Dux Bavar. obtentâ â Bohemo ſine prece, ſine pretio Sacrâ Coronâ, & Albæ ſolicitis & ſtupentibus Hungaris monſtratâ, Rex eligitur, & coronatur.*

Albertus Imp. VVenceſlao ingratus bellum infert.

MS. Chronol. Hung. Elia Perger.

Cur autem potiùs *Adolphum Comitem*, quàm *Albertum* affinem ſuum, ad ſupremos Imperij Romani faſces promotum voluerit *Wenceſlaus*, cauſa fuit, quòd idem *Albertus*, illam *Auſtriæ partem, quæ â Danubio uſque in Moraviam & Bohemiam porrigitur*, & quam *Rudolphus Imp.* jam pridem, cùm *Guttam filiam Wenceſlao deſponſaret*, dotis loco eidem genero ſuo attribuerat, nullo modo cedere voluerit, ſed ſibi retinuit, & egregio inſuper dolo *Wenceſlaum* hac in cauſa circumvenit. Franciſcum Canonicum, viciniſſimum illius temporis, & coævum penè, de hoc narrantem audiamus: *In illo quoque tempore, quo Rudolphus Romanorum Rex, Guttam filiam ſuam Regi tradidit pro Conſorte, ipſe Ducatum Auſtriæ â Moraviæ metis, uſque ad margines Danubij eidem dotalitij nomine aſſignavit. Albertus verò ejuſdem Rudolphi filius, quem pater in Auſtria locaverat pro Capitaneo & tutore, ipſam partem Auſtriæ ſuis uſibus potenter applicavit. Quapropter controverſiæ occaſio oritur inter ipſos: Regina verò Gutta cùm eſſet circumſpecta, maritum vivæ vocis oraculo, fratrem verò ſcriptis & nuncijs, ad concordiam cum ſumma diligentia invitavit. Ipſâ quippe intercedente, dies placitandi de partium ſtatuitur voluntate, quò ad Znogmam in metis terrarum unuſquiſque veniat, & XX. perſonas tantùm ſecum adducat ad locum. Dux verò dum ad campos venire debuit cum paucis, immemor promiſſorum innumeram multitudinem armatorum ſecum duxit; & ſic terruit Regem, ipſúmque univerſis ſuis beneplacitis annuere verborum importunitate compulit, & coëgit. Rex verò de ignominia ſibi illata doluit vehementer, & ex illa hora Albertum, ubi potuit, impedi-*

Cauſa, cur VVenceſl. Rex in Electione Imp. Alberto Archiduci votum ſuum non dederit.

 vit.

vit. Nam defuncto Patre ipſius, licèt Electores propter ejus inſtantiam, vota ſua in ipſum direxiſſent, & aſſignato Electionis tempore, an. 1292. in menſe Majo Frankenvvyrde convenerint, Rex tamen, quia unus de Electoribus fuit, & perſonaliter adeſſe non potuit, per Legatos ſuos eum impedivit, & ſic Comitem de Naſſau nomine Adolphum, pro Rege Romanorum elegerunt. Quo facto, Dux Auſtriæ ſpe ſuâ fruſtratus, ad ſuam terram revertitur.

Adolphus Comes de Naſſau eligitur Imperator. *Beneſſ. in Chron. Eccl. Prag. lib. 1. ad an. 1292.*

Idem quoque, ſed paucioribus verbis, memorat Beneſſius Krabice â VVeitmille, Canonicus Prag. & Archidiaconus Zatecenſis, dum ait: *Eodem anno, nempe 1292. Electores Romani Imperij, Comitem de Naſſau Adolphum in Regem Romanorum elegerunt, de conſilio & auxilio VVenceslai Principis Bohem.* (Principem vocat, quia nondum erat Rex coronatus) *Et hoc factum eſt propter Albertum Ducem Auſtriæ ſororium Principis præfati: quia terram datam in Auſtria pro dotalitio Guttæ Reginæ, Albertus ipſe violenter & indebitè occupabat.* Hæc igitur cauſa fuit, propter quam *Wenceslaus* ab amicitia Auſtriaci receſſit; primáque vindicta, *Albertum*, qui tum Romani Imperatoris titulum affectabat, eúmque jam ab Electoribus promiſſum, propè in manibus habere ſe credebat, deſtituere.

Albertus exoſus Auſtriacis: qui ad capeſſendum Provinciam, VVenceslaum invitant: ſed ille acceptare renuit.

Et potuiſſet reverà adhuc magis obfuiſſe Alberto, ſi voluiſſet. Offenſi námque Svevorum in aula Alberti multitudine Proceres Auſtriaci, quorum coryphæus tunc erat *Fridericus Stubenbergius*, ad movendum loco Albertum quocúnque tandem modo occaſionem quærebant: jámque irritatis usque adeò animis, *Wenceslaum* ſibi in Dominum & Ducem nominabant, miſsíſque nuncijs illum ad capeſſenda Provinciæ gubernacula invitabant, exercitum modò Auſtriæ oſtenderet, *Auſtriam* univerſam, & vicinas quoque terras habiturum in poteſtate. Franciſcus ſupra memoratus id recenſet hiſce: *Albertus Dux Auſtriæ cœpit gentem Svevicam fovere & multiplicare, indigenas verò opprimere, ſuámque gentem exaltare. Hoc tolerare nequiverunt Auſtriaci, & occaſionem evadendi ducem & gentem ejus diligenter quæſiverunt: unde nuncios ad Regem Wenceslaum dirigunt, ipſum pro Domino eligentes; & ſi potenter ad eos venerit, totam Auſtriam, & ſe ſuæ ditioni ſubditos fore promittunt. Rex autem annuit, & conſenſit eorum Legationi, & ſe venturum in Auſtriam in brevi cum exercitu promittit. Regina anxia fuit pro ſui fratris deſtitutione: unde nuncios ad eum mittit, ut ſe culpabilem profitendo fiducialiter committeret gratiæ Regali. Qui cum paucis veniens, Regisque pedibus ſe proſternens, veniam ab ipſo poſtulavit, ſubdens ſe ſuæ gratiæ, & ſuum Ducatum. Rex autem ipſe non diſtulit miſereri, ſed humi proſtratum benignè elevans, omnia petenti condonavit, ac inſuper ſubditos omnes tam Auſtriacos, quàm Styrios ei reconciliavit.* Idem confirmat Beneſſius: & quæ de Svevis, déque Alberti periculo memorant, eadem habet Scriptor quoque inſignis, & nobilitate, ſcientiâ religionéque magnus, *Marſchalcus Bappenheimius* in Chronico Auſtrali, â Frehero edito, ad an. 1292. *Miniſteriales quidam Styriæ*, inquit, *oppoſuerunt ſe, & rebellârunt, & conſpirârunt contra Ducem Auſtriæ Albertum.* Et ad an. 1295. *Miniſteriales tam Auſtriæ, quàm Styriæ reſiſtentes Alberto, ſimul convenerunt,*

Franc. in Chron. Prag. tract. 1. cap. 9. Beneſſ. cit. ad an. 1293.

Albertus reconciliatur VVenceslao, & per ipſum Auſtriacis.

nerunt, ut niſi conſilio eorum annueret, & Suevos quos nimiùm dilexit, de terra rejiceret, eum pro Domino habere nollent &c.

Anno 1297. in die Sanctiſſimo Pentecoſtes, quæ tunc fuit IV. Non. Julij, *VVenceslaus* ab Archi-Epiſcopo Moguntino Gerardo, Pragæ in Eccleſia D. Viti coronatur tantâ gloriâ, ut nihil illuſtrius ad eam diem Praga viderit. Adfuêre, *Burchardus Archi-Epiſcopus Magdeburg. Gregorius Prag. Theodoricus Olomuc. Joannes Krakovvienſ. Albertus Miſnenſ. Petrus Baſilienſ. Henricus Conſtantienſ. Friſingenſis & Lubecenſis Epiſcopi. Albertus Dux Auſtriæ, Ducésque Sileſiæ, Glogoviæ, Opoliæ, Hermannus & Otto Marchiones Brandeb. Fridericus Miſnenſis*, aliique Imperij Principes & Comites. Innumera vis hominum Pragam confluxit: ultra ducenta millia equitum numerata tradunt Veteres, qui omnes paſcebantur in Regia: ſparſa in coronatione ex Palatij feneſtris in populum, non decem tantùm aureorum millia (quod perpetuâ conſvetudine jam inde â Principum Bohemiæ inaugurationibus ſolenne fuit) verùm longè plura populo donata. Deſcribit hanc coronationem idem qui ſuprà, Franciſcus; ſicuti & *Palatium pro hoſpitibus, inter montem Petrinum & ripam VVultavæ extructum mirâ arte, gradus, menſas, ambitus, ſedilia & alia omnia, quæ pertinebant ad convivium.* Palatium ipſum, & ambitus tectos *pretioſiſſimis pannis diverſi generis & coloris, interpolatis multiformitate auri & argenti, gemmarúmque decore.* Civitatem Prag. quantacúnque ſit, hoſpitum multitudinem capere non potuiſſe: plateas totius urbis, & domos pleráſq;, byſſo & purpurâ luxiſſe. *Notarius pabuli*, ait inter alia, *pro certo retulit, qui pro ſolis hoſpitibus & advenis, pabulum de curte Regis dabat pro equis, quòd equorum fuerit numerus centum millia, & nonaginta millia, inſuper & equi mille: & ad hoc non computabatur pabulum, quod dabatur pluribus indigenis, & his qui inter quotidianam Familiam ſervantur computati, quorum numerus non eſt parvus. In novo quoque Foro, per occultum meatum ſubterraneum, fontes facti fuerant, de quibus vinum more fluminis, qui voluit, hauriebat. Et Notarius coquinæ retulit, quòd pro ſolis ovis pullorum expenſa fuerant marcæ gravis ponderis octingentæ &c. Ducenti quadraginta Barones, & Nobiles Regni Boh. baltheo militari ſunt incincti. &c.*

VVenceslai Coronatio in Regem Bohem.

Slavata in Apolog. MS. tom. I. quintern. 140. maxima cum ſolennitate inſtituta & peracta.

Anno 1298. *Albertus Archid.* cognito, Principes Electores habere in animo *Adolphum* exauctorandi, propter ipſius mores improbos, ut devinciret ſibi potiſſimùm *Bohemiæ Regem, & Archi-Epiſcopum Mogunt.* quos tum omnia poſſe haud ignorabat, nihil intentatum reliquit. Extant literæ ipſius ad VVenceslaum datæ Viennæ eod. an. II. Id. Febr. *quibus promittit, ſi Rex Rom. fuerit, quòd velit VVenceslao Regi & ſuis ſucceſſoribus, obligare pro 50000. marcar. argenti puri, Prag. ponderis, Egrenſem & Pliſnenſem, i, VVoytland. terras, unà cum caſtris & oppidis, Flos, Barkſtein, VVeiden* &c. Aliæ item, II. Id. Martij ibidem datæ: *quòd velit Regem Bohemiæ affinem ſuum, & tanquam fratrem chariſſimum, ſucceſſoréſque ejus Bohemiæ Reges, ab omni penitùs onere ſervitiorum, quæ aliàs ratione feudorum, quæ per Imperium tenent, præſtare Imperatoribus debent, abſolvere: præſertim ne deinceps ad expeditionem*

Franc. cit. c. 11. Beneſſius cit. lib. I.

Albertus Archid. ad Coronam Imp. denuò aſpirat, &c

MS. Liber Privilegior. Regni, f. 19. & ſeqq. in Biblioth. Capit. Prag.

Digitized by Google

Rom. nec ad convocat. ſeu Curiam, per ſe venire, vel nuncios mittere teneantur. Riſit hæc omnia *VVenceslaus*, & nec quidquam eorum acceptare voluit: bono tamen animo *Albertum* eſſe juſſit, quem non fefellit; nam occiſo deinde *Adolpho* eodem anno in prælio VI. Non. Julij, Albertus ſtatim menſe ſequ. ei in Imperio ſucceſſit. Hic inter cætera Privilegia Regibus & Regno Boh. etiam iſtud contulit: *Quòd licèt Illuſtres Reges Boh. dum per Reges vel Imperatores Rom. eos ad ſolennitatem eorum in Curiam venire contingit, prædictis, Rege vel Imperatore Coronam Regalem geſtantibus, cum eisdem, & eis præſentibus, Coronâ Regiâ uti poſſint: non tamen in Corona Regia teneantur miniſtrare in officio Pincernatûs.* Ubi addit: *Quòd autem Magnificus W. Rex Boh. Princeps & Frater noſter chariſſimus, nobis apud Norinbergam, in ſolenni Curia noſtra, proximo die poſt feſtum S. Martini ſedentibus in Corona, Coronatus ad preces noſtras miniſtrârit in officio Pincernatûs: boc non de jure, ſed de mera dilectione, quam ad noſtram gerit perſonam, eum feciſſe dicimus: & deinceps ad miniſtrandum in eodem officio ſub Corona Regia, nobis vel ſucceſſoribus noſtris, ipſum & ſucceſſores ejus Reges Boh. non teneri teſtamur, & volumus boc decreto. &c. Dat. Norimb. an. 1298. XV. Cal. Dec.* Sed ab hujusmodi jucundis & ſpecioſis, ad Martis cruenti prælia, quod propriè hìc noſtri eſt inſtituti, redeamus.

VVenceslao favente obtinet.

Regis Bohemiæ præeminentia & dignitas.

Hoc privilegium hic idcirco poſitum; quia alibi rarò legitur.

Anno 1304. exorto inter eundem *Albertum & Wenceslaum* bello, propter decimas, quas ex argentifodinis novus Cæſar, novo auſu, contra majorum morem, â Rege, quaſi is pari jure cum cæteris Imperij Principibus & Vaſallis teneretur, exigebat, *Moravia* ingentem paſſa eſt calamitatem. Nam cùm idem *Cæſar*, conſcripto in Svevia exercitu, expeditionem in Bohemiam ſuſcepiſſet, & primò *ad Budvicium*, deinde ad *Cuttnam* caſtra poſuiſſet, licèt re nullâ memorabili geſtâ; *Rudolphus* quoq; filius ejus, non ita pridem in Comitijs Norimbergæ celebratis, *Archidux Auſtriæ* confirmatus, copijs per Auſtriam contractis, & adhuc aliquot *Hungarorum Cumanorúmque* turmis unà aſſumptis, *in Moraviam*, fulguris inſtar, irrupit, eámque more plusquàm hoſtili populatus eſt: adeò, ut penetrans in interiora usque, cuncta incendijs & cæde compleret immani: *Hungaris & Cumanis* ut plurimùm igni, ferróque ſævientibus: quorum in miſeram plebem ſexûs omnis, tanta immanitas fuit, ut *mulierum infantúmque capita haſtis per ludibrium affixa, aut ſedilibus in equis alligata, cum jubilo geſtare* non erubeſcerent. Mitiorem paulò poſt Archiducem effecerunt *Joannis Epiſcopi Olomucen. gente Rukſteinij ſeu VValdſteinij*, & *Tobiæ Bozkovicij de Czerna Hora Capitanei Moraviæ*, aliorúmque preces. Juſſi igitùr omnes, ut â cædibus & incendijs abſtinerent: cúmque id *Cumani* intelligere nollent, ſed more ſuo, per obvia quæque, etiam per *Provinciam Bredslavienſem*, quam aliàs *Rudolphus*, tanquam amicam, ſervari intactam decreverat, graſſarentur immaniter, Archidux ſelectiore exercitûs parte contra illos miſsâ, vi Provinciâ exegit. Siffridum tunc viventem audiamus: *Deſcendens* (Albertus Cæſar) *per Bavariam, aſſumpto filio ſuo Rudolpho Duce Auſtriæ, valde ſtrenuò in armis, aciem duxit* (bipartito agmine) *contra*

Albert. Imp. VVenceslao ingratus, bellum infert.

Moraviæ calamitas. *MS. Chronic. Eccle. Prag. Beneſiy de VVeitmile Canonic. Prag ad an. 1303. MS. Chronic. Franciſci Canon. ac demum Præpoſ. ad an. 1303. Daubrav Leit. Reuſner. in Iſagog. Hiſtor. an. 1034. fol. 455. Krantz. in VVandal. lib. 7. cap. 43.*

Hungarorum & Cumanorum per Moraviam graſſantium crudelitas.

Siffrid. in Epitom. lib. 2. an. 1304.

contra confinia Moraviæ & Bohemorum; (ipſe in Bohemiam rectà, filius verò in Moraviam.) *Tunc occurrerunt ei in auxilium, ab eodem Auguſto vocati, Ungari & Cumani. Sed cùm eædem gentes Moraviam, & confinia ejus inauditâ veſaniâ devaſtarent, ita ut virorum & mulierum manibus perforatis, & funibus innexis, ipſos ſic deducerent, infantèsque ad ſellas equorum connecterent, virgines quoque in conſpectu omnium conſtuprarent; Rex ubi iſta audivit, expavit, ipſósque abegit, & ad ſua redire juſſit. Quo comperto, dicti Ungari & Cumani populum turmatim de terra tanquàm greges abigebant, dicentes, ſe nequaquam debita ſtipendia accepiſſe. Quo audito, Auguſtus fortiſſimum exercitum poſt eos deſtinavit, qui ipſos inſequentes, & ultra mille ex eis proſternentes, captivos quos abduxerant, reduxerunt. Multi tamen abducti ſunt, quorum quidam per ſe poſtmodùm redierunt.* Ex quo patet, quàm luctuoſus ac miſerabilis fuerit tunc in Moravia rerum ſtatus. *Franciſcus* & *Beneſſius de* W*eytmile Canonici Prag.* in continuatione *Chronicorum Coſmæ ejusdem Eccleſiæ Decani*; & ex illis alij ſcribunt: ultra quatuor millia utriúsque ſexûs hominum, fuiſſe tunc in Moravia â barbaris vel trucidata, vel in ſervitutem abducta. Fragmentum verò *Chronici Trebicenſ.* aſſerit, circiter ſex millia; & villas ſeu pagos, in ſola ditione ejusdem monaſterij, viginti ſeptem exuſtas. Revocatâ deinde amicitiâ & pace, Cæſarem inter & Regem, pax quoque Moraviæ reſtituta eſt.

Moraviæ calamitas ingens.

Hagek. ad an. 1304. Franc. & Beneſſ. ſupra cit. MS. Monaſt. Trebicenſ. Ord. S. Bened. Krantz. in VV*andal. ſupra cit.*

Haud multo poſt Rex W*enceslaus* phtyſi conſumptus obijt, anno 1305. undecimo Calend. Julij. Hic pietate vitǽque integritate, quam præ ferebat ſemper, meruit, ut *Pius & Sanctus* cognominaretur: quæ opinio ſanctitatis, poſtmodùm etiam miraculis, ùt refert Æneas Sylvius, Pius II. Pontifex Maxim. inclaruit. Ante obitum ſuum, *mox in ipſo debilitatis initio* (Franciſci verbis id refero) *ornatum omnem Regium, totúmque apparatum ad uſum Hoſpitalis Prag. diſtribuit infirmis & egenis, ipſos etiam capillos de capite ſuo radi juſſit. Tunicam de panno vili griſeo cum amplis manicis induit, & ſtratum ſuum eodem panno ſuper induxit: & dixit ſuis familiaribus, quòd ſi convaleſceret, ſe valedicturum Regno, reſignaturúmque illud filio, & in Aula Regia, vulgò Zbraslavv, Cœnobio fundationis ſuæ, inter Ciſtercienſes ſuos habitaturum.* Eadem recenſet quoque Beneſſius. Sed illud præ cæteris memorabile eſt: cùm Joannes Brixienſis Epiſcopus, Regis defuncti Cancellarius, mortem Regis jugiter defleret, & ſe continuis lamentis affligeret, nocte concubiâ Rex ei viſendum ſe præbuit, *facie ſerenâ*, (ita narrat Beneſſius, cum quo convenit etiam Franciſcus) *& veſte præfulgidâ, dicens: Joannes quid quereris? cur ploras? cui Epiſcopus inquit: tuum, mi Domine Rex, obitum, & Gentis tuæ poſt te deploro excidium. Cui Rex: ô miſer, nunquam legiſti verba hæc: cùm te conſumptum putaveris, orieris ùt Lucifer, & habebis fiduciam, propoſitâ tibi ſpe, & defoſſus ſecurus dormies, & requieſces, & non erit, qui te exterreat, & deprecabuntur faciem tuam plurimi. Et evigilans Epiſcopus invenit hoc ſcriptum in XI. cap. libri Job*, magnóque ſolatio perfuſus, flere deſijt. Meminit hujus viſionis, etiam Pius II. in Hiſt. Boh. cap. 28.

Fabric. l.2. rer. memorab. Sax. an. 1305. Conſtitut. Imperial. Tom 1. an. eod. f. 317.

Regis VVenceslai cognomento Pÿ & Sancti obitus, cui filius cognominis ſuccedit.

Æn. Sylv. Hiſt. Boh. cap. 28. ad fin. Bonfin. rer. Hung. decad. lib. 9. Stransky Reip. Boj. cap. 8 Pontan. in Bohemia Pia. Franc. cit. ad an. 1305. Beneſſ. cit. an eod. Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. c. 28.

VVen-

VVenceslao Rege optimo extincto, & in *Eccleſia Zbraslavv. Ord. Ciſterc. propè Pragam*, non ſine maximo omnium luctu ſepulto, ſucceſſit in Regno *Wenceslaus filius unicus*, eodem quidem nomine inſignitus, moribus tamen diſpar: qui dum conſcripto exercitu in Poloniam, Regnum auſpicaturus vel recuperaturus potiùs contenderet, & *Olomucij* ex itinere in *domo Decani, ubi nunc viſitur Aula Epiſcopalis*, veſte exutâ meridionaretur, in cubiculo ſolus manens trucidatus eſt, anno 1306. ætatis duodevigeſimo, pridie Non. Auguſt. incertum, an â ſuis, ùt nonnulli voluerunt, vel ab alio, ùt aliqui ſcripſerunt, ſubornato percuſſore. Id certum eſt, *Cunradum quendam natione Thuringum* regio cubiculo egreſſum, cum pugione cruento viſum eſſe: ſed is primo in tumultu, ab aulicis ante diſcerptus eſt, quàm ut vel agnoſcere ſcelus, vel prodere authores conſcióſque cædis poſſet.

qui Olomucij ſicarij manu occiditur an. 1306.

Siffrid. in Epitom. lib. 2. an. 1306. Cromer. rer. Polon. lib. 11 Chron. Boleslav. cap. 98. Calviſ. in Chronol. an. 1306. Stransky ſupra cit.

Ita miſerabili fato perijt *Wenceslaus* Rex, ultima Regum Bohemiæ de ſtirpe virili ſoboles: in eo námque deſierunt, qui genus & originem ſuam â *Familia Przemyslo-Lybuſſæa* ducebant, & apud Bohemos ab anno 722. & juxta alios ab an. 500. ad 1306. continuâ ſucceſſione ſummæ rei præficiebantur, *Duces ac Reges*. Id quod futurum, tanquàm vates, idem *Przemyslus* ſub illa verborum ambage prædixerat: fore, inquiens, *ut tum genus Regum Bohemiæ* (quâ Regum tum ſcilicet: *Slavata* ſiquidem, *Sſvibovij* & *Czerninij*, vera ac genuina ejusdem inclytæ Familiæ progenies, huc usque Deo propitio, manent ſuperſtites) *deficeret, cùm nepos avi ſui cædem ulciſceretur.* Quod brevì poſt accidit, dum *Joannes*, qui ex Agnete filia Ottacari â Rudolpho in prælio occiſi, nepos erat, viciſſim *Albertum Rudolphi Cæſaris filium* interficiens, avum maternum ultus fuit.

Regum Bohemiæ de Przemyslo Lybuſſæa Familia virilis ſexûs ultimus.

Æn. Sylv. c. 29. Reo Hiſt. Auſtr. lib. 2. Chron. Aulæ Regiæ part. 1. cap. 84. Mechow. lib. 4. cap. 3. Dubrav. l. 19. Pulkawa in Chron. Boh. cap. 88.

Regis necem, quia ſine prole, & tam ſubitò, ac per ſummum ſcelus vivere deſijt, etiam ij deplorârunt, qui diffluentem ejus adoleſcentiam potiùs accuſare, quàm ex indole meliora ſperare volebant. *Ita æquiores in mortuos ſumus, quàm in viventes: quos præſentes faſtidio quodam negligimus, ſæpè ereptos cum luctu deſideramus.* Corpus Regis interim *in Eccleſia Olom.* depoſitum fuit; quod poſt viginti annos *Regina Eliſabeth* ſoror defuncti inde transtulit, & *in Eccleſia monaſterij Zbraslavv.* penes corpus patris, regio funere ſepelivit.

Jul. Solim. Societ. JESU Presb. in Elogiis Duc. & Reg. Boh. in VVenceslao V. Juniore ad fin.

MAR-

Digitized by Google

MARTIS MORAVICI Liber IV.

PLagarum Moraviæ â Marte hoſtili & domeſtico inflictarum, continuatur Series, â tempore Rudolphi ex inclyta Domo Auſtriaca primi Bohemiæ Regis, usque ad obitum Ziſſcæ, hominis ſanguinarij, ac verè Attilæ Bohemici: ſpatio annorum centum, ſupra duodeviginti.

CAPUT I.

Bella & res geſtæ, ſub Rudolpho I. Auſtriaco, & Joanne Luxemburgico, Regibus & Marchionibus.

PErempto in hunc modum Rege, *Mars cruentus* novas, ût in *Interregno* fieri ſolet, per Bohemiam & Moraviam concitavit turbas. Prole enim Regiâ virilis ſexûs nullâ exſtante, cùm Proceres Bohemi conveniſſent Pragam frequentes, Regis creandi causâ, & alij *Henricum Carinthiæ Ducem occiſi Regis ſororium*, qui tum Pragæ degebat, poſcerent: alij verò fœderum cum Auſtriacis pactorum memores, *Regnum ad Rudolphum Alberti Imp. filium*, urgentibus votis translatum vellent, res eò devenit, ut variantes ſic in deliberatione, nec ſine tumultu con-

Comitia Pragæ, de Rege creando,

turbulenta &

contendentes ſuffragantium ſententiæ, aliter componi nequierint, niſi tandem armis coactæ. Quippe *Albertus Imp.* ut jus, quod in Regnum habere ſe exiſtimabat, impigrè proſequeretur, & filium *Rudolphum* in Bohemo collocaret ſolio, mox ubi de cæde *Wenceslai Regis*, ac poſtmodùm de Regno in factiones diviſo, quarum potentior *in Henricum* inclinaret, cognoviſſet; nullam moram ſibi interponendam ratus, copias militares ex tota penè Germania evocat, ductóque per Miſniam itinere, Bohemiam armatus, nemine reſiſtente intrat. Idem *Rudolphus* fecit, qui Moraviam ingreſſus, ſpatio temporis brevì, civitates præcipui nominis, præſertim, quæ limiti Auſtriæ viciniores erant; uti *Znogma*, *Gemnicium*, *Slavenicium*, *Telczium*, in ſuam poteſtatem redegit. Noviſſimè occupatâ *Iglaviâ*, cùm certis nuncijs didiciſſet *Imperatorem Bohemiam intrâſſe*, *Launam oppidum occupâſſe*, *ac inde rectà tendere Pragam*, movit in Bohemiam & ipſe; exinque itinere dierum quatuor peracto, *ad Pragam* venit, caſtráque ſub *monte Witkonis*, in ipſo urbis conſpectu metatus eſt. Bohemi igitur viſâ Auſtriacorum potentiâ, (quippe & Imperator occupato ex altera parte, monaſterio Brzeunovienſi, Pragam premebat) ſaniora conſilia amplexi, etiam *Henrici*, *qui clam Pragâ diſceſſerat*, fautores, *Rudolphum* honorificè ſuſceperunt, ac privilegiorum ſuorum integritatem pacti, *in Regem Bohemiæ*, præſente Imperatore, renunciârunt. Ejus tamen regimen noluerunt fata eſſe diuturnum: nam ſequenti anno, cùm in obſidione *Horazdiegovicij*, ex immoderato fructuum eſu, in dyſſenteriam incidiſſet, nec tamen quicquam ab obſidionis cura remittere vellet, *Henrico Roſenſi*, & medicis fruſtra, ut *Pragam* curationis causâ ſecederet, ſvadentibus, intra tempus breve in caſtris obijt, V. Non. Julij.

Eo *in Eccleſia Cathedrali Pragæ* funerato, turbulenta iterum exorta ſunt de Rege creando Comitia, alijs ſolicitè ac conſtanter *Henricum Carinthium* expetentibus, alijs *Fridericum Auſtrium*, *Rudolphi defuncti fratrem*. In ijs, in domo Joannis Epiſcopi Prag. habitis, *Tobias Bechinius*, qui pro Friderico ſtabat, ab *Ulrico Kruſſina de Lichtemburg* (Ronovienſis ſtirpis, agnatæ Bercis & Lippæis) occiſus eſt. Pulkavva addit; *nepotem quoque Tobiæ*, *ab Heimanno Kruſſina*, *nepote Ulrici caſum eſſe.* Vicit ergò ſuffragiorum vi & numero, & ad Reipub. gubernacula eſt admotus, *Henricus*: quod denuò gravi *Bohemiam & Moraviam* concuſſit turbine. Nam *Fridericus* cognitâ fratris morte, ſtatim militem, quem per *Auſtriam & Styriam* conſcriptum, & hinc inde diſtributum habebat, convenire juſſit, & *in Bohemiam* duxit: priùs tamen miſſis idoneis hominibus, Proceres cùm *Moravos*, tum *Bohemos*, de profectione ſua, certiores reddidit, ſtudia eorum & mentes pollicitis ingentibus ſibi conciliare ſtudens. Et *Moravi* quidem vicinitate periculi, & *potentiâ Auſtriacorum* moti, haud gravatè ſeſe ſubmiſerunt, pauculis exceptis, qui contra muſſitare, palàm tamen refragari, jacturam fortunarum ſuarum veriti, nequaquam auſi ſunt. At verò *Bohemia pro Henrico*, *quem ex Carinthia revocaverat*, *ſtabat penè tota.* Unde irritus fuit, omnis Friderici in obtinendo Regno labor: quem tametſi *Albertus Imp.* cum valido exercitu, ê *Suevis & Vindelicis* comparato,

cruenta.

Albertus Imp. in Bohemiam,

Rudolphus ejus filius in Moraviam cum exercitu movent.

Rudolphus rerum potitur:

Roo Hiſt. Auſtr. lib. 2. an. 1306. Ebendorff. in Annal. Auſtr. an. eod. Siffrid in Epitom. lib. 2. Krantz. lib. 7. VVandal. c. 31. Naucler. in Chronogr. Volum. 2. generat. 44. Hagek. Kuthen. ad an. 1306. Chronic. Salisburg. an. eod. Chronic. Vetero Bolesl. c. 99. Daubraw in hiſt. Boh. l. 19.

moritur.

Hagek. an. 1307. Chronic. Aulæ Regiæ part. 1. cap. 85. Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. c. 30. Stransky Reip. Bojem. cap. 8. §. 39.

Henricus Carinthiæ Dux in Regem Bohem. eligitur, reluctante fruſtra Alberto Imp.

Pulkawa in Hiſt. Boh. an. 1307. MS. Franc. in Chron. tract. 2. c. 20. an. eod.

qui alterum filium Fridericum Bohemis obtrudebat.

paratò, adveniens, ſummis viribus obtrudere niteretur, nihil tamen apud obſtinatos efficere potuit: ad extremum cùm diu fruſtra in oppugnatione, primò *Kuttnenſium montium*, deìn *urbis Colinæ* deſudâſſet, hyems quoque rigida appropinquaret, affectus inſigni clade, aliiſque multis & magnis incommodis, recedere coactus fuit. *Contemnebant Svevi* (ità Dreſſerus memorat) *Bohemicas copiolas, & eorum quisque decem Bohemos in prælio ſe occiſurum ſpondebat; tamen cùm ad pugnam ventum eſt, ad tria millia Svevorum occubuerunt, reliqui dilapſi ſunt.* Inter alios præſtantiſſimos Bohemicarum copiarum duces, leguntur fuiſſe præcipui, *Henricus de Lippa, Joannes de VVartemberg, Plichta de Zerotin, Jaroslaus de Kolovvrat, & quidam nomine VVratislavv.* Igitur Cæſar indictâ profectione, iter ſuum *Crudimium* versùs arripuit; ubi aliquandiu ſubſtitit. Et quia *Eliſabetha Rudolphi defuncti, & antea poſt* Wenceslaum *ſeniorem relicta vidua*, ſe ipſam & oppida dotalia, quæ erant: *Chrudimium, Hradecium, Bidzovum, Mauta & Policzka*, tradiderat ei, tanquàm ſocero in tutelam, partem copiarum in ea deduci juſſit; & quæ futura uſui in proximum annum exiſtimabat, ordinatis, cum reliquo exercitu *in Moraviam*, ut illam in officio contineret, profectus eſt. Ubi cùm animos procerum, qui magnâ frequentiâ, *à Friderico* partim ſpe præmiorum inducti, partim minis & extremorum quorúmque denunciatione territi, adnitentibus etiam omni ſtudio, *Tobiâ Czerno-Horenſi Provinciæ Capitaneo, & VVokone de Kravvarz*, præcipuæ tum in Moravia auctoritatis dynaſtâ, *Brunam* convenerant; â ſuis partibus nequaquàm alienos animadverteret, neque eſſet, quod de eorum fide dubitaret, relictis iterum *aliquot cohortibus Svevorum in Moravia*, & per urbes in hyberna diſtributis, ipſe cum reſiduis *in Auſtriam*, ac inde *in Sveviam* revertit. Hyemem deinde totam in apparatu bellico conſumpſit, legiones ex tota Germania evocans, ut primâ æſtate Bohemos bello peteret: ſed in ipſo procinctu â Joanne fratris filio, Ottacari Regis, ex Agnete filia, ut jam diximus, nepote interficitur, ipſis Calendis Maij, anno 1308.

Sed fruſtra.

Dreſſer. in Henr. Carinth. MS. Franciſci Can. & alii Auth.

Chron. Boleſlav. cap. 100. Hagek. & Dubrav. cit. Loc. lib. 2. an. 1307.

Moravi partes Auſtriacorum ſequuntur.

Alberti Imp. interitus.

Ita obitus Cæſaris, *Regnum Bohemiæ Henrico Carinthiæ* ſtabilivit: cujus tamen poſſeſſio diuturna eſſe non potuit. Offenſi námque avaro ac impotenti ejus dominatui *Proceres Bohemi*; (neque enim Regis, ſed *violenti mercatoris*, ne dicam prædonis, perſonam agebat, auro, argento pecuniáque omni *in Carinthiam* ſuam exportandis, potiùs quàm Regno pacando, ejúsque *bono publico* procurando intentus;) in publico Conventu denuò apud *Joannem Ep.* habito, imperium ei abrogant: & miſſis *ad Henricum VII. Cæſarem* legatis, numero XII. *Joanni filio ejus*, eâ tamen lege, ſi *Eliſabetham VVenceslai Regis filiam*, de tribus natu minimam, uxorem ducere velit, Regnum præſentant. Legationis hujus erant principes, tres Abbates (*ùt tunc erat Statûs Eccleſiaſtici in Bohemia & Moravia dignitas*) Ord. Ciſterc. & unà cum illis *Joan. à VVartemberg*, atque alij è ſecularibus octo: qui cùm ſua expoſuiſſent, acceptavit conditionem Cæſar & filius, Sponsáque adductâ, & nuptijs Spiræ celebratis, *Joannes in Regem* declaratur, & cum valido Germanorum exercitu

Ebendorff. in Annal. Auſtr. an. 1308. Cuſpinian. in Alberto I. Rom. Naucler. Urſperg. Chron. Boleſlav. c. ibid.

Bohemi Henrico Regnum abrogant,

& Joannem filium Henrici VII. Imp. Regem eligunt.

Joannis Regis in Bohemiam adventus & coronatio.

Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. c. 31. Daubrav. l. 19. Reo l. 2. Chron. Boleslav. cap. ult. Chron. Aula Regiæ part. 1. an. 1311. Hagek. Boregk. Kuthen. an. eod. Krantz. in VVandal. l. 7. cap. 46. Rebdorffenſ. in Annal. an. 1311. Calviſius in Chronol. an. eod. Trithem. in Chron. Hirſch. an. 1310. Balduin. in Vita & reb. geſtis Henrici VII.

Bohemiam ingreſſus, â *Pragenſibus in urbem intromittitur*, déque omnium Ordinum conſenſu, *præſtito priùs de obſervandis tuendisque Regni legibus & privilegijs ſacramento*, *coronatur*, an. 1311. die 5. Febr. nullis prætermiſſis lætitiæ hilaritatíſque ſignis, quæ in ejusmodi pompis & celebritatibus fieri conſvevêre. Trithemius *huic Coronationi, trecenta hoſpitum millia, qui omnes alebantur â Rege*, *interfuiſſe ſcribit*; additque, *Regem Archi-Epiſcopo Moguntino Petro, qui coronârat, inter alia munuſcula dediſſe ſedem unam auro gemmisque ornatam*, *quæ Eccleſiæ Moguntinæ illata*, *poſtea vulgò Sedes S. Martini appellari conſvevit.* *Henricus* convaſatis theſauris, quos ingentes collegiſſe ferebatur, *in Carinthiam* ſe recepit: Regis tamen titulum, quoad vixit, uſurpare non deſtitit.

Joan. Rex Moravos in fidem accipit: *Hagek. ad an. 1311.*

Eodem anno, menſe Majo, *Rex Joannes*, ut *Moravos* quoque in fidem reciperet, *Olomucium* venit, regio apparatu, & exquiſitis honoribus â civibus exceptus, ac per continuos duodecim dies lautè habitus: ubi aderat quoque *Boleslaus Princeps VVratislavv. Brig. & Lignicenſis*, affinis Regis, qui *Oppavienſem Ducatum*, quem jure dotis *Margarethæ* conjugis (hæc erat *Eliſabethæ Reginæ* ſoror) tenebat, & quem Proceres Bohemi & Moravi, â *Corona Regni* avulſum ægrè ferebant, Regi reſtituit, *octo millibus marcarum argenti* locò dotis contentus. Interea Rex *Comitia Brunam* indicit, quæ illicò, miſſis ad omnes partes literis & nuncijs, *ad Calendas Julias* promulgantur: cúmque conveniſſent Provinciales magnâ frequentiâ, ſacramentum ab univerſis Ordinibus exegit: priùs tamen & ipſemet de ratihabendis, ſervandis tuendísque eorum vetuſtis legibus, privilegijs & conſvetudinibus, cautione datâ & juramento, ſeſe obſtrinxit. Receptis in fidem Moravis, *Præfectum* ſive *Capitaneum*, qui regio nomine Rempublicam curaret, *VValterum de Hradek* virum multo rerum uſu prudentiáque inſignem præfecit. Id porrò unicum pro ſtabiliendis, ínque tuto firmandis per Moraviam rebus ſupererat, ut *Archidux Auſtriæ Fridericus*, *Znogmâ*, *Gemnicio*, *Czornſteynâ & Bitovio* præſidia, prout â Cæſare juſſus fuerat, educeret: (*Auſtriaci* námque, offenſi *Friderico*, quòd *Svevos ſuos* in capiundis de Rep. conſilijs, domeſticâ Nobilitate præteritâ adhiberet, illiſque potiora *in Auſtria* munia ac dignitates conferret, ejus loco *expetabant Dominum ipſum Cæſarem;* qui tamen id ſuſcipere recuſavit, ſed reliquit & confirmavit Friderico poſſeſſionem Auſtriæ, eâ ſolùm conditione, *ut juri*, *quod in Regnum Bohemiæ*, *haberet*, *vigore pactorum*, (de quibus ſupra) *ſuo & agnatorum nomine renunciaret*, *& præſidia ex Moravia quamprimùm educeret:*) quo facto, licèt non ex integro, Rex in Bohemiam reverſus eſt. A cujus diſceſſu, creverunt aliquibus licentioris vitæ, in tantùm animi, ut furtis & latrocinijs non modò vias publicas, ſed pagos etiam, ac domos ditiorum hominum & oppida infeſtarent; brevíque ſtante impunitate, devenit eo usque licentia, ut etiam aliqui de nobilitate latrociniorum ſocietatem inire, prædas agere, vias more latronum obſidere, rapinis & cædibus in obvios quósque graſſari non dubitarent: cujusmodi dedecore maximè notabatur *Janus Bozkovicius*, vir ingenij turbidi, vafri ac rapacis, & *Fridericus â*

VVeleslav. in Calend. Hiſtor. ad 14. Calend. Julij. MS. Franciſc. Chron. cit. ad an. 1311.

cum Auſtriacis amicè tranſigit.

Peucer. lib. 5. Chronicor. in Henrico VII. Pulkawa in Hiſt. Boh.

Latrocinia per Moraviam.

Deblin:

Deblin: quorum ille ſelectiſſimorum latronum globum in arce ſua *Ungerſperga propè Trebicium*, fovebat palàm, prædarum fortaſſe, quas afferebant, particeps; hic verò cum peſſimis quibúsque latrocinia ipſo actu exercebat. Quod Regi cauſam præbuit maturandi quantocyùs in Moraviam reditum: qui expugnatâ *arce Ungerſpergâ*, aliísque â latronum receptu infamibus caſtellis, partim vi, partim fame, ad deditionem compulſis ac dirutis, latrocinia ſuſtulit, atque ita ſecuritatem Provinciæ, anno 1312. *quo ipſum Henricus VII. Imp. parens, in Italiam pro coronatione Longobardica & Romana profecturus, Vicarium Imperij in Germania conſtituit.*

Rex tollenda ſuſcipit.

Daubraſ. l. 20. Hagek. ad an. 1312. Gewold. de S.R.I. Septemvir. cap. 11. Cocbl. lib. 1. Hiſt. Huſſit. fol. 6. MS. Franc. Beneſſij ad an. 1312. Daubr. cit.

Hâc plagâ domî curatâ, non multò pòſt aliam Moravia ab Hungaris inflictam tulit. Quippe *Matthæus Trenczinij Comes*, Regnique Hungarici, ùt vocant, *Palatinus*, vir nobilitate generis & opibus clarus, ſed inquies ac perſæpè Regi quoque ſuo contumax, collectis totâ ſuâ ditione copijs, nondum plenè æquinoctio verno anni 1315. transacto, cum duobus armatorum millibus acerrimam *in eam regionem, quæ ab Hungariæ limite ad Moravam flumen usque protenditur, irruptionem fecit;* ac circumlato paſſim terrore, *præurbia Brodæ* ſuccendit, oppido quòd illinc eminùs ſagittis, & omni telorum genere peteretur, intacto. *Kunovicium* verò impetu primo cepit & diripuit, & captis ibidem quàmplurimis & abductis, injecto igne concremavit. Inde ſiniſtrorsùm deflectens circuitu feſtino, W*eſelium*, in inſula Moravæ oppidum occupavit: ibíque præſidio relicto, per adjacentes vicos & pagos populabundus excurrit, ingentem prædam agens, majorem ex adverſa etiam fluminis ripa acturus, nî flumen ex liquefactis nivibus inflatum, & exundans, ulterioribus ejus conatibus reſtitiſſet. Hæc ubi latiùs fama vulgâſſet, miſsíque curſores ex Moravia, ea Regi nunciâſſent, ſine mora *Henricus â Lippa*, heros animi magnitudine ac robore, artéque & uſu belli, præſtans, cum *legione Bohemorum* inſtructiſſima, *in Moraviam* præcedere juſſus eſt: quem poſtea ipſe Rex cum equeſtribus copijs ſequebatur, ad eximendam periculo Provinciam ſtudio properans ingenti. Quo cognito, abſceſsêre *Hungari*, nullâ re ampliùs memorabili geſtâ; ê quibus cuneum unum in reditu feſtinantem, *Boczek â Smilheim* arcis limitaneæ *Brumovienſis* præfectus, inſidijs quadam in valle præſtructis, ad internecionem penè oppreſſit, prædâ omni cum captivis receptâ.

Hungarorum in Moraviam hoſtilis excurſio.

Moravi cum Bohemis ad arma conclamant.

Adveniente Rege, primò omnium oppidum W*eſeli*, ne quidquam hoſtile, quod vicina loca infeſta faceret, relinqueretur, oppugnari cœptum eſt; eóque recuperato, in *Provinciam Trenczinenſem*, ad par pari referendum, communi omnium conſenſu itum: cúmque *Matthæus* recollectis copijs occurrere haud abnueret, res ad prælium venit. Concurſum eſt magno utrinque ſublato clamore, Hungaris præſettim ululantibus ferùm: & *Bohemi* quidem equites primâ fronte rejecti, retrò jam ſeſe recipiebant, ſed *ab Henrico de Lippa* ſubſidio accurrente adjuti, pugnam reſtaurârunt; diúque anceps fuit certamen, donec *Henrico* cum ſua phalange, aſſiduâ impreſſione hoſtem urgente, Regijs quoque equitibus in aciem reductis, ac ſtrenuè rem gerentibus,

Joannes in Hungariam armatus contendit:

cum Hungaris confligit:

 Hun-

Digitized by Google

Victoriam obtinet.

Hungari loco moveri cœperunt, ac tandem arreptâ fugâ terga verterunt: quos nec *Matthæus*, neque alij præfecti, aut minis aut verbis, neque verberibus retinere potuerunt, quin ſolutis ordinibus, effuſa fugâ, pars ad montana per notos ſibi tramites, pars pontem versùs, curſu penetrare celeri contenderet, pars verò in *Vagum* flumen inſiliret, ut quocúnque poſſet modo, ſaluti ſuæ conſuleret. Proinde in ea rerum perturbatione ipſe quoque cum cæteris ducibus fugam capeſſere coactus, pontem petijt, quem ubi ſuperâſſet, ne hoſti uſui eſſet, diſijci juſſit, pro ſe quidem, & qui jam tranſijſſent, tuto, ſed pro alijs qui tardiùs ſequebantur, laſſitudine fracti & debilitati, pernicioſo conſilio: multi ſiquidem dum fugientes & tumultuantes petunt pontem, viſo illo interrupto, & victoribus â tergo ſummâ vi inſtantibus, unà cum equis in flumen præcipitabantur, & aliqui ſubitò abſorbebantur aquis. *Periêre hoſtium centum quinquaginta quinque, capti centum triginta duo*, cùm tamen *ex Bohemis & Moravis*, ultra viginti numero non deſiderarentur. Cæterùm Rex, quia jam cedebat veſpero dies, prohibuit, ne ſuorum quiſpiam hoſtem avidiùs inſequens, committeret ſe gurgitibus verticoſis; ſed quiete per noctem, & diem ſequentem medium, militibus conceſſâ, pontem interea reparari, ac novis ſublicis conſterni juſſit: quo facto, exercitum in alteram partem tranſmiſit, omnémque ſub *Trenczinio* agrum hoſtilem in modum populatus eſt.

Hungaros, fuga.

Victorum de illatis Moraviæ damnis vindicta.

At *Matthæus*, tum clade propriâ & præſenti periculo, tum miſerorum incolarum calamitate, quam patiebantur ab hoſte omnia diripiente, & quæ auferri non poterant, flammis dante, permotus, tantóque bello impar, ad Regem ſuum (is *Carolo-Robertus* erat) confugiendum, rebúsque ſuis extremo in diſcrimine verſantibus opem implorandam duxit. Qui tametſi ambitioni & ſuperbiæ æmuli atque obtrectatoris ſui, non parum eâ re deceſſiſſe in arcano lætaretur; tamen uti erat placido liberalique ingenio, precibus ejus adductus, *ſibi quidem militares copias ſubſidio contra Bohemiæ Regem, cum quo amicitiæ fœdus pactum haberet, mittere, minimè licere* reſpondit, *ne fœdifragij reus ageretur: nihilominùs hoc unum, quod in poteſtate foret, ſe facturum, ut legatos ad demulcendum ac deprecandum Regem quamprimùm amandaret, quem hac in parte exorabilem non dubitaret.* Nec mora, legati ad *Joannem* mittuntur, qui quatuor dierum inducias *Matthæo* impetrarent, ut interea de controverſia omni tranſigi utrinque poſſet. Quo conceſſo, alij potiores miſſi; qui tamen non niſi unius anni inducias potuerunt paciſci; ſed quæ poſtmodùm, adnitente *Carolo-Roberto*, & *Joanne* ad æquiores conditiones adducto, in perpetuam coaluêre amicitiam & pacem.

Daubrab. l. 10. Hagek. an. 1315. MS. Franc. Beneſſy & Annal. Treb. an. eod.

Rege Hungariæ interveniente.

hoſtilitati finis imponitur.

Daubrab. & Hagek. cit. Chron. Aulæ Regiæ part. 1. cap. 125.

Regem inter & Optimates Bohemos, ſimultates graves exoriuntur.

Vix hi Hungarici (an *Trenczinenſes* rectiùs) fuère compoſiti motus, alij rurſum domi exarſerunt inteſtini, plurimùm quoque exitioſi & triſtes. *Bohemi* námque *proceres offenſi Germanorum in aula Regis multitudine*, idque potiſſimùm deteſtati, quòd *Rex Germanos non tantùm in ſecretioribus conſultationibus adhiberet, ſed ijs quoque præcipua munera publica demandaret, Bohemis præteritis*, primò contrà muſſitare, deinde palam in factiones abire cœperunt. His adjunxerunt ſeſe aliqui etiam rerum novarum cupidiores *Mora-*

vi,

Digitized by Google

vi, præeunte *Jano à VVartemberg Domino in Drnbolcz*, quem paulò antè, *Valtero* defunćto, Rex conſtituerat ſupremum *Moraviæ Præfectum*: qui quòd inſuper clandeſtinos agitarent conventus, cum *Friderico Archiduce Auſtriæ*, Regi Bohemiæ per id tempus, ob negatum ſibi in Electione Imperatoria ſuffragium, haud obſcurè infenſo, [nam poſt *Henrici VII. Imp.* mortem, Septemviri Principes inter ſe diſcordes, duos ſimul elegerunt Cæſares: *Moguntinus*, *Trevirenſis*, *Rex Bohemiæ*, & *Marchio Brandeburgi*, *Ludovicum V. bavarum*, quem Aquisgrani coronârunt: *Colonienſis* verò, *Saxo* & *Palatinus Rheni*, *Fridericum Auſtrium*, eúmque Bonnæ conſecrârunt, adeóque *Ludovicus Fridericum ſuffragio Bohemiæ Regis ſuperabat*; & hinc cauſa odij] metuendum ſanè erat, nè Rex ad obviandum maturè ejusmodi conatibus ſeditioſorum, vim belli omnem in *Moraviam* transferret, & pro innata ferocia exaſperatus, obvia cuncta maximis cladibus ac detrimentis compleret: quod factu videbatur haud difficilè, cùm jam in Bohemia, *Henrico de Lippa* capto, & in vincula conjecto, factionem ſibi adverſam potiori ex parte oppreſſiſſet. Jámque regij milites, occupatâ *Mautâ* & *Policzkâ*, oppidis Eliſabethæ Reginæ, quæ Henrico â Lippa impensè favebat, dotalibus, & alijs in eo tractu non paucis; uti *Koſtelecio ad Aquilæ flumen*, *Landskronâ* & *Litomyſlio*, *Landſpergâ* item & *Chocznâ caſtris*; crebros inde *in Moraviam* usque faciebant excurſus, difficillimo etiam hyemis tempore, igne & ferro vaſtantes obvia quæque, tantâ animorum audaciâ, ùt quâdam vice *ad ipſa Brunæ ſuburbia* progreſſi, complures villas dirripuerint ſuccenderíntque; urbe eo repentino hoſtium impetu, & latè pandentium incendiorum aſpectu, haud parum conſternatâ. Et hæc ſolùm initia fuêre dolorum, occiſo inter hæc factionis coryphæo, nempe *Wartembergo*. Hic enim dum *regias turmas Moraviâ ejectas*, *in Bohemiam Koſtelecium usque perſequitur*, & oppidum in colle ſitum oppugnandum incautiùs adoritur, ab uno propugnatorum telo emiſſo, vulnus grave ac fœdum in faciem accepit, â quo mox ſequenti die, qui erat Epiphaniæ ſacer, obijt. Cujus deceſſu, reliquorum in Moravia factioſorum conſilia deſervuiſſe quidem, ſed nequaquam deſijſſe viſa ſunt: utpote quæ brevì recrudueruint in longè majus malum; ùt fit, dum ſemel in exulceratis animis altiùs odia inſederunt.

Daubrav. l. cit. MS Beneſſ. an. 13·6

quæ odio alieno quoque augentur,

Gerard de Roo Hiſt. Auſtr. l. 2. Rebdorff in Annal. an. in die B. Lucæ Fr. Decret. Electiõ ſub anno Fr. n. koſorti 10 Cal. Nat. an 1314. ubi nominatur Joannes Bohemiæ & Polon. Rex.

ac tandem in bellum civile erumpunt.

nonnihil ſopiuntur;

Chron. Aula Regia part. 1. c. 127 an 1316. Hagek. an eod. Daubrav. l. 20. VVelsl. in Calen. Hiſtor. ad diem 5. Januarij.

Enimverò *Henricus â Lippa*, ſexto captivitatis ſuæ menſe, carcere dimiſſus, quanquàm arces ſex, totidémque viros nobiles, ſpondens Regi ſe impoſterum obedientem futurum & fidum, dederat obſides: factionis tamen præteritæ ſtudia, quæ nonnihil conticuiſſe videbantur, majore penè, quàm antea virium contentione, ad ſummam obtrectationem & contemptionem partium Regiarum, ad Reipublicæ verò haud mediocrem perniciem, refricanda ſuſcepit. Tametſi verò boni publici causâ, tuendǽque libertatis patriæ, ſe laborare, videri voluerit: re tamen verâ eo contendebat, ut offenſam ſuam privatam, quocúnque tandem mŏdo, in Rege, quem etiam ſolio Regni deturbatum voluiſſet, ulciſci poſſet. Cui rei perficiendæ eò audentior inſtitit, quòd multis non ſuis duntaxat, ſed etiam *Roſenſium* clientelis, ac popularis factio-

MS Franciſci Canon. Prag. Part. 2. lib. 1.

ſed iterum recrudeſcunt: Henrico â Lippa, utpote ſeditionis principe, claſſicum canente.

factionis affeclis, ſtipatus eſſet, ultimò etiam â *Friderico Auſtriaco* in clientelam, unà cum complicibus ſuis, ſuſceptus & adjutus. Erant quippe complures hujus conſilij participes: ſed inter primos *Wilhelmus de Landſtein*, & cum illo agnati *Roſenſes*, *Zdislaus* item â *Sternberg*, *Putha de Fridland aliàs Berka*, *Jaroslaus de Kolovvrat*, *Hinko de Hauska*, & quidam alij: quibus Rex, tum ob *Luxemburgi* patriæ ſuæ, & *Germanorum* hominum (ùt paulò ſuperiùs dixi) amorem, quàm *terræ Bohemæ Bohemorúmque* majorem, tum ob aſperitatem morum, ac imprimìs *ob pecuniarum emunctiones populo multùm graves*, omnino intolerabilis videbatur. Hi igitur omnes in clientelam *Friderici*, ſpreto Rege, ſeſe tradiderunt.

MS Franc. part. 1. l. 2. c. 3. MS. Chron. Anon. ad an. 1317. & ſequ. Seditioſi in clientelam Friderici Auſtriaci ſeſe tradunt. Rex Brunæ agens, an. 1318.

Erat per id tempus *Rex cum Eliſabetha conjuge Brunæ*; qui auditâ *Henrici* novâ conſpiratione, & hominis ambitioſi inconſtantiam tantam ſummoperè deteſtatus, ſuos quos in comitatu habebat, in ſecretius conclave primo diluculo vocavit, ab iisque, quid faciendum cenſerent, inſtrui petijt: dúmque multùm diei deliberando proceſſiſſet, nuncijs affertur improviſis, *Henricum veniſſe* cum numeroſa turma equitum, ſtaréque ante urbis portam, *ac petere intromitti*, (obtentâ priùs fide publicâ intrandi exeundíque tutò) *audirique â Rege, Reginâ præſente*. Admiſſus cum paucis, & ad Regem adductus, ambage nullâ præmiſsâ, inconſideratè & leviter multa in Regem, dictáque ejus & facta, in medium protulit: poſtea tamen videns faciem Regis irâ ſuccendi, & circumſtantes ê comitatu regio ſuper his fremere ac indignari, molliùs loquutus eſt: petens communi omnium, qui deſiderio procurandi boni publici tenerentur nomine, *vetera jura & privilegia Regni*, *ad quæ obſervanda tuendáque Rex juramento ſe obſtrinxiſſet*, *tenore illibato ſervari*; cum addito, id ſi non impetretur, tum ſe, alósque proceres, alia conſilia ſequuturos, & quod ſui officij eſſet, patriæ rebus conſulturos. Ad quæ Rex, ſuppreſsâ tantiſper irâ, reſpondit: *feciſſe ſe in ipſius aliorúmque gratiam jam multa, & facturum adhuc, quidquid commodè & ex Republica fieri poſſet: nolle tamen minis eorum aliquid de ſuo jure concedere. Exponeret demum Henricus, in quo jura Regni violarentur, quævé ſervari meliùs deberent?* Tum ille: *ne Rex, inconſulto Regni Senatu, tributa ulla decernat, ne pecuniam Luxemburgum, alióve extra Regnum mittat, exteros neque in conſilio habeat, neque munijs publicis præficiat.* Sciebat porrò antea Rex, Germanos ſibi magnæ invidiæ eſſe, nolebat tamen turbulentis factioſorum vocibus aurem præbere, ne & alia impoſterum, ſimili cum pervicaçia poſtulandi licentiæ frœna laxaret, exemplo non bono.

Henricum â Lippa audit patienter.

Tentaverat poſtmodùm *Henricum*, promiſsâ ei *ſuprema omnium regiarum in Bohemia civitatum Præfecturâ*, delinire: ſed vir contrariarum partium ſtudijs inveteratus, & in cupiditate vindictæ planè obſtinatus, nullis benignitatis obſequijs placari potuit. Ad ſpeciem tantùm, ſe deſiderio pacis & concordiæ omnino teneri, ideóque daturum operam, ut delinitis partium animis ea ſtabiliretur, teſtatus fuit: quòd fortaſſe ſibi jam metueret, ſciens *Regem impotentis eſſe ſpiritûs*, ne poſthabitâ fide publicâ, fortunam priori æqualem, carceri

eúmque ad ſaniora conſilia reducere ſatagit: ſed fruſtra.

Digitized by Google

carceri addictus, ſubire cogeretur. Vim tamen in præſentiarum adhibere minimè conducebat: tum ne fides data in eo violaretur, tum quòd metuendum eſſet, ne in urbe, in qua complures conſiliorum ſuorum habebat ille participes, ſeditio talis concitaretur, quam neque Rex pauco tunc ſtipatus milite, neque proceres, qui regias partes utcúnque defendendas ſuſceperant, ſedare potuiſſent: dimiſſus itàque eſt ſalvis, uti venerat, rebus ſuis. Nec multò pòſt advenêre nuncij, copias *per Auſtriam* mirâ celeritate contrahi, & jam aliquos equitum manipulos *circa Znogmam* procurſare indicantes. Rex igitur audito hoc, non ultra *Brunæ* commorandum tutò cenſuit, ſed urbis tuendæ, ac totius Provinciæ regendæ curâ, *Cunrado Epiſcopo Olom.* & *Guilhelmo de Lomnicz* commiſsâ, cum conjuge, paucis armatis comitantibus (expedito priùs Aulæ agmine) *Litomyſſlium*, ac inde *Pragam* conceſſit: quem biduo pòſt aſſequutus eſt nuncius alius & triſtis, *Znogmam ab Auſtriacis per proditionem occupatam* referens.

Rex non ſatis jam Brunæ tutus, in Bohemiam redit.

Franciſcus Canon. noſter, qui tunc vixit, paulum aliter de eo refert: *Porrò Rege exiſtente in Moravia, fama fallax volare incipit, quòd omnes Bohemos intendat Rex excludere de terra. Hujuscemodi ſermonem quidam nugigeruli finxerunt, volentes Regem univerſitati reddere exoſum: binc inter Barones fit conſpiratio, & ab univerſo populo adversùs Regem ſit maledictio. Barones omnes Regi contradicunt, & ajunt; meliùs eſt, ut occidamur, quàm à nativitatis ſolo viliter expellamur: Unde inimicitiæ, quas inter ſe quidam Nobiles habuerunt, ſedantur, ut conglobati fortiùs Regi adverſentur. Henricus quoque de Lippa, Petrus de Roſenberg, & alij plures Nobiles, acceptis trevgis, ſub prætextu concordiæ, validâ manu intrant Brunam, dicentes ſe non aliud quærere, niſi gratiam & pacem. Porrò Rex quia Regni commodum deſiderat & pacem, injurias illatas ſibi relaxat omnibus, qui crimine obnoxij fuerunt laſæ Majeſtatis, dat & affert regium favorem. Sed ſtatim dolus fit publicus, qui fuerat occultatus: qui enim pacem poſtulant, pacem recuſant. Domine, inquiunt, Rex ſcire vos cupimus, quòd nullam vobiscum concordiam volumus inire, nec valemus, niſi pari modo Fridericum Auſtriæ, quem legitimum aſſerimus Regem Romanor. huic concordiæ inſeramus: taliter cum ipſo conſtringimur, quòd ipſum non deſeremus. His auditis Rex, graviter provocatur. &c. Videns itàque Rex, quòd Henricus de Lippa cum ſuis, non ageret ſecum ſincerè, & quòd exercitum haberet fortiorem, cupiens periculum evitare, Pragam cum Regina III. Calend. Martij eſt reverſus.*

Chron. Aulæ Regiæ part. 2. cap. 2.
Hagek. ad an. 1318.
Daubraſ. l. 20.
MS. Monaſt. Trebic.
MS. Franc. Can. Prag.
Chronic. Prag. part. 2. l. 2. c. 2. an. 1318.

Ex ſiniſtro rumore creſcit ſeditio.

Rex fruſtra pacem offert.

Pragam redit.

Cæterùm in Moravia tametſi primò magnæ ad *Auſtriacas* animorum inclinationes fierent, captâ *Znogmâ*, multíque paſſim Provinciales, ij præſertim, qui in eo tractu ditiones habebant opimas, & quibus cum fortuna fides ſtetit, â *Bohemo & Fridericum* deficerent: brevì tamen per *Auſtriacorum*, non ſecùs ac hoſtium excurſiones crebras exuti fortunis omnibus, promeritas intempeſtivæ defectionis retulerunt pœnas. Inter hæc *Epiſcopus Olomuc.* & *Guilhelmus*, adnitentibus alijs quoque Moraviæ proceribus, præſertim *Kunſtatæ, Bozkovicia, & Sovinecia gentis*, contractâ celeriter trecentorum equi-

Auſtriaci Znogmam occupant:

Aliqui Moravorum à fide Regis deficiunt:
Alij in fide permanent, & Seditioſis ſeſe opponunt:

equitum alâ, & duobus circiter millibus peditum, hoſti occurrendum ſtatuerunt. Nec mora, *Janum Bozkovicium*, cum ea militum manu, *Znogmam* versùs miſerunt, id potiſſimùm obſervare juſſum, ut vitatâ oppugnatione *Znogmæ*, quam valido hoſtium præſidio teneri haud ignorabant, arceret interim prædatorios globos, ne per vicinos agros graſſarentur impunè; ac demum, ſi rei benè gerendæ affulgeret occaſio, excurſionem quoque in hoſticum faceret, par pari referens. Quod ita diſpoſitum, eſt eventu utcúnque ſecundo completum: ejectis námque toto campo hoſtibus, pars illicò ad vaſtandas *Auſtriæ regiones*, quæ erant in propinquo, turbinis inſtar ſeſe effudit; & in obvia quæque non modò rapinis, ſed & igni ac ferro ſæviendo, magnam undíque formidinem incuſſit, ita ut etiam viciniores Danubio accolæ, non parum ſibi rebúsque ſuis metuere cogerentur. Donec *Otto Archidux, Friderici germanus frater*, raptis properè, quæ ad manum erant ê fuga collectæ, copijs, *Moravos*, ne per omnia tam liberè graſſari poſſent, arcendos ſuſcepit: quos tandem repreſſit, ausóſque congredi, & aliquâ eorum parte mulctatos, in Moraviam rejecit. Tum auctus animis, progredi ulteriùs *Znogmam* versùs non dubitavit, ubi poſtmodùm ad *Teyam* caſtra poſuit, eáque vallo & foſſâ probè communijt: quod & *Bozkovicius* haud procul inde fecit, utérque in id intentus, ne quid plùs alter in alterum poſſet, *viciſſe ſe ratus, ſi ne vinceretur, providiſſet*. Ita major æſtatis pars extracta, â latis illatíſque cladibus anceps; cùm inter hæc proceres Bohemi, Regi ſuo Joanni reconciliantur, *Ludovico Bavaro Cæſare* mediante, qui ea de cauſa in Bohemiam, *Tuſtam* usque venerat, & qui pace & concordiâ Regem inter & proceres ſtabilitâ, æmulum ſuum *Fridericum Auſtrium, â Bohemis & Moravis*, tanto fortiùs poſt hac bello premendum cupiebat. Nec fefellit ipſum ſpes: Rex enim, prout erat injuriæ impatiens, ac belli gerendi avidus, pace domî conſtitutâ, brevì poſt *Plichtam Zierotinium*, virum Nobilitate generis ac diſciplinæ militaris ſcientiâ præſtantem, cum quatuor armatorum millibus, inter quos erant ſexcenti haſtati equites, *in Moraviam properare juſſit*, cum mandato, ut quamprimùm poſſet, junctis cum *Bozkovicio* viribus, cum *Auſtriacis* confligeret. Ex cujus *in Moraviam* adventu, proſperiora confeſtim omnia Moravis affulgere viſa ſunt. Auſtriaci námque, famâ duntaxat adventantium *Bohemorum* perculſi, &(*Ottone*, qui *VViennam*, ut majores contraheret copias, diſceſſerat, abſente) â pugnando reſiſtendóque ad convaſandum potiùs, ac tempeſtivè in tutiora retrocedendum converſi, ſtatim ac *Bohemos* accelerare cognoviſſent, ſublatis raptim vaſis ac tentorijs, in montes vicinos ſeſe recipere feſtinabant, locorum ingenio tantiſper, dum currus aliáque impedimenta in tutum præmitterent, ſe tutaturi. Quorum tergis inhærebant *Moravi Bohemis juncti*, ita ut nihil antecapti montes, niſi ad fugam tutiùs proſequendam profuerint Auſtriacis, haud modicam interim curruum partem ex itinere relinquere coactis: propéque erat, ùt in ipſa fuga palantes, nec tantam in hoſte celeritatem prævidentes, penitùs delerentur, nî fugientes & laſſitudine nimiâ jam penè fractos, copiæ *Ottonis* obviæ ac recentes excepiſſent. Tum enim victores viſo auctio-

In Auſtriam vaſtabundi excurrunt.

Leviores pugnæ utrinque,

& clades.

Rex Joan. compoſitis in Bohemia turbis, vim omnem contra Auſtriacos vertit.

Chron. Aulæ Reg. part. 2. c. 3. an. 1318.

Franciſc. in Chron. part. 2. lib. 2. c. 5. an. eod.

Beneſſ. l. 2. an. eod.

MS. Amos Comen. de orig. & geſt. Familiæ Zierotin.

Auſtriacorum fuga.

& in tutiora receſſus.

Digitized by Google

auctiore hoſtium exercitu, juſſu ducum, & ſigno per lituos dato ſubſtitêre, veriti ne curſui victoriæ præproperè inſiſtentes, clade, ùt ſæpiùs accidere ſolet, afficerentur novâ. Imber quoque admodùm repentinus cœlo effuſus, & nox appropinquans, adeò opportunè fugientes protexit, *ut aſtra ipſa pro Auſtriacis tunc ſtare, ac bellum gerere* viderentur.

Bohemi & Moravi poſt prælium quieſcunt,

Sequenti die, coeuntes circa *Zierotinium* alij duces, quid facto opus eſſet, conſultabant in commune; & quamvìs heſternâ in perſequendis hoſtibus feſtinatione, ac ipſius demum pluviæ incommodis vehementer fatigati eſſent, ſtatuerunt tamen unanimi conſenſu, protinus ire in hoſtem, & tentare prælij fortunam. Poſtmodùm tamen mutato conſilio, quietem potiùs feſſis equis, feſſis & militibus dare, quàm pugnæ copiam quærere maluerunt, præſenti victoriâ, contenti; quæ profectò ultra expectationem major apparuit, ex eo potiſſimùm, quòd ſolâ adventûs ſui famâ, hoſtem in fugam convertiſſent. *Otto* quoque ſubſidijs, quæ ex *Styria* veniebant, fruſtra expectatis, quòd miles fugæ quoque & pluviæ incommodis affectus pugnam detrectaret, caſtris ſeſe continuit. Porrò *Zierotinius* cæterique duces, bidui quiete militibus conceſsâ, redeundum in Moraviam, *Znogmámque* recuperandam decreverunt. Erant nihilominùs iterum aliqui hujus conſilij, ùt hoſtem fugâ debilitatum ac timore conſternatum priùs invaderent; ſed potioribus, ac imprimìs *Zierotinio* in priori ſententia perſiſtenti firmiter, id conſultum, & ex re, minimè fuit viſum, aſſerente, hoſtem in præſenti adoriri, non eſſe aliud, quàm feras exagitare, atque ipſas ultimo ſalutis diſcrimine efferatas proritare: *ultima ſiquidem neceſſitas quandoque in rabiem vertit*, & eos plerúmque qui deſperare incipiunt, ex timidis longè fortiſſimos facit. His accedebat fama, appropinquare Styriaca auxilia indicans. Quare *Zierotinius*, ut meliùs falleret hoſtem, noctu quàm plurimos excitari juſſit ignes, nullóque tubarum ſigno, ſed per occultam teſſeram profectione deſtinatâ, tertiam circiter vigiliam, Lunæ modicùm ſplendentis beneficio uſus, caſtris agmina eduxit; rectáque *Znogmam* iter intendit, tanto cum ſilentio, tantáque celeritate, ut priùs tria millia paſſuum *ad Teyam* usque emenſus fuerit, quàm fortaſſe ab Auſtriacis repentina ejus profectio ſentiretur: quem ponè *Bozkovicius* cum ſuis ſequutus eſt.

Idem faciunt recollecti è fuga Auſtriaci.

Bohemorum de proſequendi belli rationibus conſultatio.

Zierotinius victoriâ cautè utendum cenſet.

MS. Franc. part. 2. lib. 2.

Znogmam recuperandam ſuſcipit.

Sed neque Archidux inſtitit cedentium tergis; ſive quòd inſidias metueret, ſive quòd vires nondum ſatis validas habere ſe non ignoraret: quin ut ſubditis ſuis, præſertim agreſtibus limiti Moravo vicinioribus, qui eâ belli tempeſtate ad incitas penè redacti erant, conſuleret, ad pacis conſilia animum convertit. Miſſo igitur ſtatim illâ die caduceatore *ad Moravos* (nam & illos belli pertæſos eſſe ſciebat) inducias bimeſtres poſtulavit. Progrediente hunc in modum Bohemorum exercitu, ac *Zierotinio* nihil magìs, quàm ut *Znogmâ* potiretur, ſolicito, nunciatur ex improviſo, Auſtriacos pacem petere, & ab ea Moravos non videri alienos: jámque *Bozkovicium*, & alios *Moravorum duces*, qui poſtremo in agmine incedebant, commutatâ voluntate, *ab obſidione Znogmæ* animum avertiſſe, & ad vicum *Taſſovicze* cum ſuis ſubſtitiſſe,

Auſtriaci inducias petunt:

 Eadem

Digitized by Google

quas cùm etiam Moravi bello fatigati, ad pacem inclinarent,

Eadem quippe ratio ſvadebat Moravis pacem, quæ Auſtriacis: nimirum ut avertendis ſubditorum miſerijs, quas diræ diuturnioris belli calamitates invexiſſent, ſalubri hâc viâ tempeſtivè conſuleretur. Penſato itáque diu negotio, licèt *Bohemi* reclamarent, & Moravos, ne rebus hactenus proſperè feliciterque fluentibus, *inſtituta oppugnandæ Znogmæ conſilia* intermitterent, multis verbis obteſtarentur; cùm tamen pacem, quæ æquis & honeſtis conditionibus peteretur, oporteret tribui, eámque in præſenti rerum ſtatu utilem ac neceſſariam fore, etiam *ſupremi in Provincia Magiſtratûs authoritas* approbâſſet, induciæ non bimeſtres tantùm, ſed biennales partium conſenſu pactæ ſunt: quas demum & *Fridericus*, & *Rex Bohemiæ*, aliorum bellorum diſtenti curis (hic, ut *jus in Regnum Poloniæ* ſibi debitum vindicaret, aut *Sileſiam* ſaltèm, in qua partium ſuarum habebat Principes complures, in poteſtatem redigèret: ille, ut *cum Imperij æmulo Ludovico*, de ſumma rei armis tandem decerneret) habuêre ratas ſolenniter.

facilè obtinent.
MS. Chron. Anon. ad an. 1318.
MS. Annal. Trebic. an. eund.
Comen. ſupra cit. an. 1319.
Quibus finitis bellum reviviſcit: atque iterum,
Chron. Aulæ Reg. part. 2. cap. 11. ad an. 1322.
Roo in Hiſt. Auſtr. l. 2. an. eod.
cæſis Auſtriacis componitur.
Roo lib. cit.
Peucer. in Ludovico IV.
Chron. Aulæ Reg. part. 2. cap. 12.
Thom. Ebendorff. Canonic. & Profeſſor VViennenſ. in Chron. Auſtr. lib. 3. an. 1324.
Doctor ab Eyſen, in deduct. Bohem. n. 28.
MS. Franc. Chron. Prag. part. 2. l. 2. c. 11.
Hagek. ad an. 1319.
Kuthen. Pulkawa. an. eod.
Lupac. in Ephemer. ad d. 17. Novemb.
VVeleslav. ad d. eand.
Stransky Reip. Boh. c. 16. §. 4.
Henrici Auſtriæ Ducis in Bohemia captivitas:

Ijs ad finem tendentibus, recruduerunt longè majoribus odijs, *Moravos inter & Auſtriacos* diſſidia, cum maxima utriúſque partis clade: quibus citiùs non poterat imponi finis, donec *Fridericus à Ludovico in campis Amphingenſibus, propè Muldorfium oppidum in Bavaria* prælio victus, captúſque eſt; tum enim *Henricus Friderici frater captus etiam, in Regis Bohemiæ poteſtatem venit:* qui non niſi reſtitutione *Znogmæ*, & aliquot arcium in Moravia, quas eo bello *Auſtriaci Bohemis* ademerant; *ejuratis præterea novâ transactione juribus, quæ Archiduces habere ſe in Regnum Bohemiæ tum adhuc conſtanter aſſeverabant*, libertati reſtitutus eſt. Franciſcus noſter id hiſce refert: *Anno 1323. in die Nativitatis Chriſti, Henricus Dux Auſtriæ Burgelino ſive Krzivoclado, ubi captivus detinebatur, Pragam fuit adductus; & intervenientibus pactis & tractatibus diverſis, alterâ die procedens, Fratres ſuos viſitavit in Auſtria: qui cùm conditionibus & pactis, ab ipſo Duce capto factis, nollent acquieſcere, præfatus Dux priſtinæ ſe captivitati cœpit ultroneus mancipare. In Feſto autem B. Bartholomæi, an. ſequ. Hungariæ & Bohemiæ Reges inter alios amicabiles tractatus, etiam egerunt, ut idem Dux Auſtriæ, Regi IX. millia Marcarum argenti daret, & quædam ardua Privilegia reſignaret: unum erat, in quo majores Barones Bohemiæ, temporibus Alberti Rom. Regis, Ducum Auſtriæ genitoris, plura incautè fecerunt juramenta & promiſſa; Et hæc omnia cum Privilegijs Henrici Ducis Carinth. quæ habuit ſuper Regnum Bohemiæ, reſignare Duces Auſtriæ promiſerunt: & quædam Civitates cum munitionibus Regi obligantur: & Civitas Znogma cum caſtro, quæ priùs à Regno fuerunt abſtracta, Regi & Regno iterum adunantur.*

Sed imprimìs memorabile eſt, quod *Beneſſius à Weitmile Canonicus noſter*, teſtis oculatus, de eodem *Duce Auſtriæ Henrico* captivo, & ad arcem *Krzivvoklad* in cuſtodiam abducto narrat, hiſce: *Prævaluit exercitus Ludovici Imp. & capti ſunt Fridericus Rex Roman. & Henricus frater ſuus Dux Auſtriæ, & multi Principes atque Comites cum eisdem, & facta eſt ſtrages magna in populo, ita quòd occiſorum non fuerit numerus. In ipſo bello, quod Rex Joan-*

Joannes cum gente ſua incboaverat, præcinctus eſt ipſe Rex baltheo militari. Alterâ autem die, cùm bellum bujusmodi conſummatum eſſet, Ludovicus inito conſilio, ſibi Regem Fridericum retinuit captivum, Henricum autem fratrem ejus Ducem Auſtriæ, tradidit in manus Joannis Regis Boh. quem Rex ſuſcipiens ſecum in Bohemiam captivum abduxit, & in Krzivvoklad, aliàs Burglynum, cuſtodiendum deſtinavit. Cúmque Henricus captivus palatium caſtri ejusdem ingrederetur, Clenodium, quod erat ibi depictum multùm ſumptuosè, & in ſummitatibus teſtudinum Clypei terrarum, quibus olim Rex Ottacarus præfuit, poſiti erant de opere ſculpto & ſumptuoſo; ecce in ipſo ingreſſus ſui momento, Clypeus terræ Auſtriæ, cunctis videntibus, ante pedes Principis captivi cecidit in terram, & in caſu conteritur in partes minutas: verumtamen in ſummitate teſtudinis ejusdem clypei, pars parva in ſignum tanti miraculi remanſit, quæ hæret ibi usque in bodiernum diem. Hæc videns Princeps captivus, cùm arma illa ſua eſſent hæreditaria, valde turbatus eſt. Idem quoque narrat: *victoriam hanc in feſto S. Wenceslai accidiſſe, nullúmque dubium eſſe, quin idem Sanctus ſuis in prælio adfuerit, & auxilium præſtiterit glorioſum.* Addit inſuper, *in loco prælij, Eccleſiam in honorem S. Wenceslai ædificatam eſſe.* Et infra. *Eodem anno*, nempe 1324. *Joannes Rex Boh. cum Rege Hungariæ convenientes, inter alios amicabiles tractatus, ordinârunt Duces Auſtriæ, ut debeant dare pro redemptione captivi fratris ſui Henrici, IX. millia marcarum arg. Item, civitatem Znogmam eis obligatam: reſtituere etiam quædam privilegia, in quibus, & per quæ Barones Regni Boh. ſeſe incautè obligaverunt Alberto Regi Rom. quòd nullum debeant ſibi in Regem aſſumere, niſi unum ex Principibus & de Domo Ducum Auſtriæ. His tractatibus conſummatis, Henricus Dux Auſtriæ à captivitate liberatur.*

Res mira circa illum accidit.

Victoria portentoſa.

Henrici Auſtriaci liberatio.

Erant in ea Expeditione, pro Ludovico Imp. ſuſcepta cum Rege, multi ex Bohemiâ & Moravia, viri Illuſtres, reiq; militaris periti: quorum duo præſtantiſſimi *Plichta à Zierotin*, & *Wilhelmus de Waldek & Hazmburg* in prælio pugnantes ſtrenuè ceciderunt; reliqui poſtea à Ludovico, *Aurati Equites* creati ſunt, digni ſanè, ùt hìc etiam nominentur, pro honore Familiarum, quarum nonnullæ adhuc ſuperſunt. *Hagecius* illos recenſet hoc ordine: *Zdislavo de Duba, Jaroſs de Lippa, Bohuslaus de Wartmberg, Joan. de Waldek, Jaroslaus de Kolovvrat, Henricus de Rziczan, Henricus Letovvecz de Bozkovicz, Marzik* z Krawj Hory / *Wilhelmus de Landſtein, Smilo de Namieſſti, Joannes de Lichtmburg, Bozek de Kolovvrat, Ulricus de Ludanicz, Mauricius de Kunſtat, Georgius* z Sſeſmi Hory / *Przemysl de Waldek, Joannes Trnka de Bozkovicz, Henricus Pinuvvek de Sovinecz, Burjan de Richnovv, Stephanus de Templſtein, Henricus & Puta fratres Theobaldicij de Rizmburg, Petrus de Kravvkovv, Joannes de Martinicz, Wenceslaus Holaubek de Dubi, Bohuſſe Krabicze de Weitmile, Przemysl de Hradek, Georgius de Hrochovv, Nicolaus Welribecz de Hodkovv, Burjan Kaplirz de Sulewicz, Hynko & Joannes* z Dlauhé Wſy / *Nicolaus de Tiſſovva, Vitus de Hobinicz, Georgius de Bukovina, Georgius de Svvabenicz, Nicolaus de Olbramo-*

Beneſſ. in MS. Chron. Eccl. Prag. lib. 2. ad an. 1323. & ſequ.

Nomina Virorum Illuſtrium tam Bohemorum, quàm Moravorum, qui interea. huic prælio.

Hagek ad an. 1319. ſed debet eſſe an. 1323.

Digitized by Google

bramovicz, *Nicolaus de VViczkovv*, *Joan. de VVichrovv*, *Bozek de Taſſovv*, *Tobias de Biſtricz*, *Joan. Heralt de Kaunicz*, *VVacek de Namieſti*, *Georgius Starodubsky de Honbicz*, *Burjan Schmubarz de Hrochovv*, *Joan. Cibelka de Rorovv*. *VVenc. de Skomolna*, *Joan. Duſsik de Chraſtina*, *Petrus de Straziek*, *VVitoslavv de Kameniczka*, *Zdislavv de Kunovicz*, *Jan Hroſſek de Skomelna*, *Jaroſek de Kornicz*, *Tobias de Makovvan*, *Georgius & Theobaldus de Humniſſt*, & plures alij. Redeamus, unde digreſſi ſumus.

Pax in Moravia, ab Auſtriacis turbatur.

Rebus omnibus cum Auſtriacis ex æquo bonóque compoſitis, *revocata eſt in Moraviam pax*, ſopitus armorum furor, cultus agris redijt, tuta denique omnia ac ſecura fuêre ad annum usque 1328. quo, ſub menſe Julio, exortis inter *Henricum de Lippa*, *Krumlovia in Moravia* tunc poſt *Kravaræos Dominum*, & Auſtriacum quendã Baronem dictum *de Ruenſtein*, privatarum ſimultatum causâ, controverſijs; cùm ſæpè inter eos armis certatum fuiſſet hoſtiliter, ultimò *Fridericus Auſtriacus* Vaſalli ſui partes tuendas ſuſcepit, cui idcirco haud contemnenda auxilia miſit: ê contra *Henricus* â Moravis quoque & Bohemis adjutus, vim Auſtriacorum omnem egregiè ſuſtinuit: cùmque ſub id tempus, ipſimet *Auſtriæ Duces fratres* inter ſe diſſidere cœpiſſent, *Otto junior* adversùs ſeniores *Fridericum & Albertum*, ita ut *Fridericus* copias ſuas revocare cogeretur, facilè ſuperior evaſit; præſertim dum etiam *Joannes Rex* opportunè tum ê Luxemburgenſi Comitatu in Bohemiam advolans, ei cum exercitu auxiliatum accurrit. Franciſcum audiamus: *Eodem tempore*, *Otto Dux Auſtriæ videns â ſuis fratribus ſe contemni*, *ac volens par cum illis habere imperium in Auſtria*, *bellum ipſis intulit*, *habens pro parte ſua aliquos Nobiles*, *& Carolum Regem Hung. qui LXXX. millia armatorum in Auſtriam adduxit. Bellum hoc inteſtinum fuit Auſtriæ valde pernicioſum. Advolat eò etiam Joannes Rex cum exercitu*, *lætus quòd occaſionem habeat præliandi*, (*nam bellare & pugnare ſuam profeſſionem eſſe putabat*) *ubi devaſtatâ Auſtriâ ad Danubium usque*, *munitiones circiter 40. obtinuit: inter quas erant*, *Drozdovvice*, *Egenburg*, *Rob*, *Feldſpurgun. Idem fecit Rex Hung. ex altera parte*, *Friderico ſeſe intra mœnia urbis Viennæ tenente*, *nec foras prodire auſo: qui tandem neceſſitate compulſus*, *pacem petijt*, *quam etiam obtinuit*, *initâ cum fratre concordiâ*, *magno cum labore.* Addit: in exercitu Joannis tum fuiſſe etiam *decem millia Virorum*, â ſolis Pragenſibus intra triduum collecta, armis & curribus inſtructa, & Regi in ſubſidium miſſa. Quod narrat etiam *Petrus Abbas Aulæ Regiæ* (monaſterij ſic dicti Ord. Ciſterc. vulgò Zbraſlaw) qui tum vivebat, & Regem in ea expeditione in Moraviam usque comitabatur, *Brunam* poſtea divertens; cujus verba ſunt: *Ante præfatam concordiam*, *edictum Regis Joannis pro ferendo ſibi auxilio venit Pragam. Pragenſes cives hujusmodi mandatum Regis læti ſuſcipiunt*, *& intra triduum*, *circiter decem millia virorum pugnantium*, *tam in curribus*, *quàm equis*, *Regi ſuo in adjutorium transmiſerunt. Erat autem curruum numerus*, *ſeptingenti quadraginta*, *qui alimenta ducebant & arma. Iſti cùm propè Znogmam veniſſent*, *concordiámque Principum audiviſſent*, *jubente Rege*, *Pragam ſunt reverſi*, *qui in*

Bellum exoritur, Auſtriæ pernicioſum.

Franc. lib. cit. cap. 17. Chron. Aulæ Reg. part. 2. cap. 20. an. 1328.

potentia quondam Urbis Pragenſis.

cam-

campis apparuerunt glorioſi. Ex quo datur intelligi, quanta tum fuerit potentia urbis Pragenſis. *Hagecium*, *Kutbenum*, *Lupacium*, *VVeleslavinum*, accuratos aliàs Scriptores miror, quòd tantæ rei, *Pragenſibus tam glorioſæ*, nullam penitùs mentionem faciant. Trahi autem in dubium, quòd iſti de ea tacent, non debet, nec poteſt; cùm alij Scriptores coævi, qui hæc oculis ſpectabant, iique Sacerdotes & Religioſi, in dignitate conſtituti, (hic Abbas, ille Canonicus) fide utique digni, id ſatis prolixè commemorent. Addit Petrus: *Eodem anno, in die B. Dominici, in Bruna exiſtens, ibidem horâ primâ diei, magnum terræ motum ſenſi, & hoc fuit tempore pluviali.*

Terræ motus in Moravia.

Cæterùm *Rex victoriâ potitus*, ùt idem narrat Petrus, & *Pragam XV. Cal. Decembr. reverſus, congregatâ magnâ parte pecuniæ, per collationem generalem Terræ, & diverſas exactionum ſpecies, rurſum die VI. Decembr. Pragâ exiens versùs Pruſsiam procedit, contra Litvanos paganos, pro Chriſti nomine pugnaturus.* Anno ſequenti, *in feſto S. Urbani*, inde redijt triumphanti ſimilis: & poſt quindecim dies iterum *in Germaniam, ad Archi-Epiſcopum Trevir.* patruum ſuum abijt, *Henrico juniori de Lippa*, Regni curâ commiſsâ. Moraviam tunc gubernavit abſoluta cum poteſtate *Henricus ſenior de Lippa*: qui eodem anno, die S. Rufi M. Brunæ obijt, *vir ſtrenuus*, ùt ait Petrus, *& opulentiâ, potentiâ, gloriâ ſeculari plurimùm præ cæteris Baronibus ſublimatus*, in Eccleſia monaſterij Reginæ, Virginum Ciſterc. ſepultus.

Regis Boh. contra paganos expeditio glorioſa.

Chron. Aul. Reg. cap. 21. Hagec. an. 1329. Lupac. VVeleslav.

Henrici Sen. de Lippa mors.

Anno 1331. dum *Rex Bohemiæ*, aſſentiente primùm *Ludovico Imp.* ſed poſtea invidente, Italiam pernicioſis tunc *Gibellinorum ac Gvelforum factionibus* turbatam, quà conſilio, quà ferro, pacare ſtudet: jámque *Brixiâ*, *Pergamo*, *Cremonâ*, *Placentiâ*, *Cumis*, *Parmâ*, *Rhegio*, *Modenâ*, *Lucâ*; *Mediolano* item *Novariâ*, *Papiâ*, aliiſque urbibus cum ſuis territorijs, in clientelam ſuſceptis, cuncta reliqua in tranquillum reſtituere, & contumaces populos ad officium vi reducere contendit: *Otto Arcbidux*, qui fratribus *Friderico* & *Leopoldo* defunctis, ditionum Auſtriacarum gubernacula, unà cum fratre *Alberto*, *nomine & re Contracto* ſuſceperat, ut nuperas fortaſſe â Bohemis illatas ulciſceretur clades, inito cum *Carolo Rege Hung.* & *Wladislao Rege Poloniæ*, contra *Joannem* fœdere, ex improviſo in *Moraviam* vaſtabundus irrupit; ac nullo reſiſtente, impunè per omnia graſſatus eſt, occupatâ *Brzedslaviâ*, & alijs ignobilioribus cis & ultra *Teyam* oppidis, & vicis miſerè expilatis. Cùm deinde *Moravi* concurriſſent ad arma, primúſque *Joannes â Liebtemburg*, coactâ militum manu, & tentare aliquid egregij auſus, prodijſſet in campum, & unum vaſtatorium globum hoſtium, in vico *Hruſſovany* dicto, ſubitò deprehenſum, totum quantum concidiſſet, & alterum non procul inde diſſipâſſet, ceſſare ab ulterioribus excurſibus ſuos juſſit, relictóque *Brzedslaviæ* præſidio, in Auſtriam conceſſit. Certatum poſtea utrinque fuit minoribus prælijs frequenter.

Regis Bohemiæ per Italiam progreſſus.

Franc. Beneſ. Chron. Aulæ Reg. part. 2. c. 27. an. 1331.

Novi belli principia, ab Auſtriacis Moraviam infeſtantibus data.

Joannes ex Italia redux,

Quibus cognitis Rex, qui paulo ante, compoſitis in Italia rebus, ac filio ſuo *Carolo*, qui interea præmemoratis Urbibus præeſſet, unà cum *Ludovico Sabaudiæ Comite*, ibidem relicto, *Ratisbonam* ad Ludovicum, ac inde *Domazli-*

& Carolo ibidem relicto,

Domazlicium, i, Tuſta. *mazlicium* (urbs eſt regia in Bohemia, ad Bavariæ confinia) die 14. Auguſt. venerat, perrecturus inde quamprimùm in Galliam; mutato conſilio, & itinere Gallico poſthabito, quantocyùs (celeritatem negotijs ſuis aliquoties profuiſſe expertus) Pragam properavit, alacri gradu ſequentibus quos duxerat cunctis: utpote ad tuendū ſua potiùs domî, quàm aliena forìs propenſis. Jam quoque in *Bohemia* collectus erat â Provincialibus inſignis utriusque armaturæ miles, Regis ſolùm expectabatur adventus: qui cùm adeſſet, illicò expeditio in Moraviam ſuſcepta, rectáque iter ductum *Brzedslaviam* versùs. Ad *Podivinum*, *Nicolaus II. Dux Oppav.* cui nuper Rex *Ducatum Oppavienſem* in fevdum contulit, cum ſuis, regio exercitui ſeſe adjunxit; cùm jam ante etiam Moravicæ copiæ, ductore *Joanne Bozkovicio* tum Provinciæ Capitaneo, acceſſiſſent. Porrò *Brzedslavia*, quòd non eſſet usque adeò rebus ad defendendum neceſſarijs proviſa, ſubito Regis adventu deprehenſa, haud ſanè difficili labore recepta eſt. Progreſſus deinde Rex *Lavam* versùs, exploratores aliquos miſit, ut numerum hoſtium, qui non procul inde conſediſſe ferebantur, conſiliáque explorarent. Ex ijs duo haud multò poſt retulêre, *Hungaros* non procul inde, cum valida manu, occaſionem Regis intercipiendi, aut ſtragis repentinæ in exercitu ejus faciendæ captare. Igitur Rex habito ex omni multitudine delectu, cum quatuor millibus *Beneſſium VVartembergum* miſit, qui per ſilentium noctis hoſtes inſidiantes præveniret, ac nil tale metuentes ex improviſo opprimeret. Qui non diu cunctandum ratus, poſtquàm *Hungaros* haud procul ſubſtitiſſe, capiendæ tantiſper quietis causâ, certâ relatione comperiſſet, & dies obnubila eſſet, ad eum quo illi conſederant locum, ſummâ celeritate & curſu provolat, primúsque ad arma conclamat; ac profligatis, qui pro vigilijs ſtabant, in reliquos imparatos & inopinato caſu trepidos, tùncque primò equos frenantes, acrem impetum facit. Tum *fuga potiùs, quàm pugna Hungarorum* fuit. Multi ê veſtigio cæſi, multi capti: ſed longè major eorum pars in proximas ſylvas, relictis equis profugêre. *Drugetbi Janoſſ Hungarorum dux*, & pauci alij, qui ei obſonanti aderant, nullâ factâ morâ, aut pugnâ, arreptis ſubitò & conſcenſis equis, ſylvarum, & intervenientis nebulæ beneficio protecti, in tutum evasêre. Cum *Polonis*, *qui Hungaros ex conſtituto ſeqvuti fuerant, & ad pugnantium fugientiumq; diſſonas voces opportunè adcurrerant*, leve & minutum prælium fuit: in quo cadentibus primis, alij per varia, quæ cuíq; tutiora videbantur compendia palantes diffugerunt: ê quibus nonnulli, qui eo quo venerant itinere ad ſocios redierant, tanto impleverunt caſtra tumultu, ut reliqui omnes non niſi de remedijs fugæ cogitarent. *Otto Archidux* quamvìs paulo antè in immenſum elatus, ſolâ multitudinis copiarum ſuarum famâ, *Regem* retroceſſurum, neque facilè prælij copiam daturum exiſtimâſſet, (*quippe viginti millia Auſtriacorum, Hungarorum verò & Polonorum quinquaginta millia habuiſſe in exercitu dicebatur; cùm Regis copiæ viginti duo millia armatorum non excederent*) auditâ tamen ſociorum repentinâ ſtrage, & ipſe *Neoburgum* versùs receptui dedit.

Expeditionem contra Auſtriacos ſuſcipit.

Hungari Auſtriacorum ſocij,

Bohemos per inſidias opprimere volunt: ſed

â Moravis & Bohemis inſigni clade excipiuntur:

quibus disiectis, Auſtriaci in tutiora recedunt.

Contusâ per hunc modum, tumultuario & fortuito prælij genere hoſtium

ſtium

Digitized by Google

ſtium ferociâ, rariores deinde & cautiores excurſiones ſuſcipiebantur ab ipſis, nihil ampliùs heroicum aut memoratu dignum tentare auſis. Ultimò cùm in ipſorum caſtris, incertum quo errore, falſus increbruiſſet rumor, *de auxilijs ex Bohemia, Luſatia, Regi opitulatum, magno numero accelerantibus*, in tutiora, *Hungari & Poloni ultra Moravam*, *Otto cum Auſtriacis trans Danubium* ſeſe receperunt, *Auſtriâ cis-Danubianâ* ad usque confluentem Moravæ totâ, Bohemis & Moravis in prædam relictâ. Rex tamen veritus, ne ſe inſidijs, aut alicui gravi diſcrimini committeret præcipitem, ad *Lavam* parumper ſubſtitit, donec certiora cognoſceret. Brevi poſt, procurſatoribus certis omnem eam hoſtium multitudinem diffugiſſe affirmantibus, *in interiora Auſtriæ* toto cum exercitu ſeſe effudit; & cùm nemo eſſet, qui reſiſteret, obvia quæque negotio facili in poteſtatem ſuam redegit: igni tamen ac ferro ſævire in tecta, & in agreſtem plebem, prohibuit. Ex oppidis & caſtellis nonnulla quæ ceperat, & quæ munitiora erant, præſidio firmavit, iisque *Beneſſium Wartembergum, Henricum & Joannem* fratres de Lippa, & alios de Nobilitate, probatæ fidei viros præpoſuit: reliqua diripuit, ac militi iu prædam conceſſit. Juvat hìc apponere Epiſtolam Notarij Regis, ad Petrum monaſterij Aulæ Regiæ Abbatem, ex caſtris regijs datam, cùm non pauca ſcitu digna contineat; quæ ſic habet: *Inclyti domini Joannis Regis Boëmiæ Notarius, ad ſervitium ſeſe totum. Magna magnus Dominus, contra opinionem multorum hominum, dignatus eſt oſtendere miracula, & opera magnifica circa dominum meum Regem, ab illa hora, quâ à me vobis mea fuit ultimò Epiſtola deſtinata. Quoniam quàm diu conceptum iniquitas parturivit conſilium, evidentibus indicijs prodijt nunc ad lucem. Veſtra novit Paternitas, & vobis ad memoriam revoco, quòd hoc anno, quùm eſſemus in Bavaria, ſimul ambo audivimus & vidimus manifeſtè, quòd iſte Ludovicus Bavarus, qui ſibi Imperij uſurpat titulum, coram pluribus, quos convocaverat, Principibus propoſuit querulosè, quòd Johannes Rex Boëmiæ in præjudicium ſuum, & Imperij intraverit terminos Lombardiæ, ibique ſibi attrahat plurima loca & jura, quæ non ad ſe dignoſcuntur, ſed ad Imperium pertinere; & ſuper hoc Principum, & aliorum nobilium conſilium requiſivit. De illa plurimi taliter conſulebant. Ex quo (inquiunt) Regem Boëmiæ delectat ſibi uſurpare, quæ veſtra ſunt indebitè ultrà montes, hic citra quæ ſua ſunt, vobis ſubijcere modo conſimili poteritis pleno jure. Propter iſta idem Ludovicus cùm Ottone Duce Auſtriæ, qui etiam prædicto concilio in Nurinberch interfuit, taliter ordinavit, quòd ipſe Karolum Regem Ungariæ, & Locktekonem Regem Cracoviæ ad hoc deberet inducere, ut ipſi unà ſecum deberent Joannem Regem Boëmiæ potenter & hoſtiliter infeſtare. Et ut hæc omnia Otto Dux Auſtriæ ardentiùs procuraret, ipſum Vicarium Imperij Ludovicus fieri ordinavit: licèt hoc poſtea negotium per Regem Boëmiæ fuerit impeditum. Præfatus itaque Otto Dux Auſtriæ, concitavit Reges, Ungariæ ſcilicet & Cracoviæ, adversùs Regem Boëmiæ, ita quòd cum maxima multitudine tam ex Auſtralibus, quàm Ungaris, quàm etiam alijs nationibus congregata contra*

Rex victoriâ uſus, Auſtriam ad Danubium usquè populatur.

Hagek. ad an. 1331. Dubrav. l. 21. Æn. Syl. in Hiſt. Boh. c 31. MS. Franc. & Beneſſ. in Chron. ad an. 1331. Chronic. Aulæ Reg. part. 2. cap. 28.

Ludovicus Bavar. ExImp. Regi Joanni ingratus,

Auſtriacos, &

Hungaros Polonósque contra ipſum concitat.

Regnum Boëmiæ facere quærit mala. Fama omnium iſtud famat, quòd Ungaris ſint quinquaginta millia pugnatorum, de quibus tria millia cum quingentis habent capita galeis cooperta: Auſtralium verò mille cum octingentis galeas habent in capitibus; viginti verò millia inſtrumentis bellicis diverſimodè ad prælium ſunt parata. Hunc magnum adunavit exercitum tempus longum: Dominus verò noſter, Rex Boëmiæ, brevi hoc ſub tempore, mille quingentos congregavit viros galeatos, cum viginti millibus ad pugnandum optimè præparatis; cum quibus jam jacebimus, & jam per duas ſeptimanas jacuimus ante civitatem Lavva, in campeſtribus, congreſſum cum hoſtibus quotidie expectantes. Et ſcire vos cupio, quòd Barones Regni Boëmiæ aſſiſtunt fideliter in omnibus Regi noſtro: quidam etiam Nobiles de Auſtria nobiſcum ſunt in turba. Sed ecce, quùm aliqui de noſtris à tam copioſa adverſariorum multitudine perterriti Regi dicerent, ut retrocederet; & munitionibus ſe aptarent, eò quòd tantæ multitudini, paucitas hæc reſiſtere non valeret, & Rex quid ageret, ignoraret; miſit Deus terrorem ſuum ſuper adverſarios noſtros, & diſſipavit eos; ſic quòd cum tumultu, & diſſenſionis ſtrepitu ſunt ab invicem ſeparati, Ungari Ungariam, Auſtrales Auſtriam repetentes. Quamvis autem maxima (ùt dictum eſt) multitudo hoſtium fuerit; nunquam tamen pernoctare duabus noctibus in noſtris terminis auſa fuit. Ideò majora ſibi ipſis, quàm noſtris hi hoſtes gravamina intulerunt. Videns autem Dominus noſter Rex hoſtium fugam, & manifeſtam Dei virtutem; plus eſt animo confortatus. Contra Auſtrales aliquos per Ducem Ottonem ex hac parte Danubij, causâ exercendi prælij relictos, Nobiles Boëmiæ ordinat, & Moravos qui pugnent quotidie contra illos. Igitur Dominus Rex nunc in Brunam revertitur, & in Boëmiam (ùt puto) breviter revertetur. Iſta quæ vidi, Domine, vobis ſcripſi: & quum venero, plura vobis referam vivâ voce. Valete in Domino. Dabam in Lavva, in craſtino B. Catharinæ, videlicet ſtatim poſt receſſum Auſtralium & Ungarorum.

qui numero & viribus longe ſuperiores, non tamen virtute & fortunâ, nullâ re egregiè geſtâ, diffugerunt.

Rex Bohemiæ victoriâ potitus ſine pugnâ.

Joan. Regis ad Joan. Epiſcopum Prag. Epiſtola.

Apponere hìc lubet etiam Regis ipſius Epiſtolam, ad Joan. IV. Epiſcopum Prag. ſed tribus hebdomadis citiùs datam, quæ ſic habet: *Johan. Dei Gratiâ Bohemiæ & Polon. Rex ac Luxemburgenſ. Comes. Venerabili in Chriſto Patri Domino Johan. Pragenſi Epiſcopo, Principi, noſtro dilecto. Salutem cum plenitudine omnis Boni. Illuſtri Principi Ottoni Duci Auſtriæ, qui jam Danubio tranſito, cum ſuo exercitu, propè Neoburgum ad invadendum Regni noſtri terminos ſe hoſtiliter collocavit, nos de protectione Dei Altiſſimi, & noſtræ juſtitiæ meritis confiſi, noſtri Regni pro defenſione, armatâ manu occurrere cupientes: Vos requirimus ſeriosè, & monemus, preces noſtras denuò repetentes, quatenùs cum veſtris omnibus amicis, ſervitoribus aliisque hominibus armatis, non habitâ conſideratione ad Equorum valorem, dummodò ipſi homines armati ſint, quoſcunque habere poteritis, ipſis congregatis, nobis in ſubſidium venire non tardetis; ita ut ſitis apud nos juxta Lavvam civitatem, die Sabbathi nunc inſtante, ad ſtandum in campis, ad quos nos ipſo die conferemus. In hoc nobis veſtram fidem, ùt confidimus, oſtenſuri. Dat. in Koſtel. in Vigil. Omn. SS.*

Statim igitur Vener. Pater & Rom. Joh. Prag. Ep. annuens regijs precibus (ità refert

refert Franciſcus) *cum valido exercitu, ad locum præfixum pervenit. Unde Rex cum omnib. ſuis Principib. Baronib. & Nobilib. & cum magno gaudio ipſum ſuſcepit.*

Franc. cit. l. 2. cap. 22.

Caſtigatis in hunc modum *Auſtriacis*, Rex, cùm & rigidum hyemis inſoleſcere cœpiſſet ſydus, hyberno appropinquante ſolſtitio, *Brunam* venit: ubi diſpoſitis cunctis, quæ pro tutela Moraviæ exigebat tum præſens rerum ſtatus, & *Beneſſio Wartembergo*, *Janóque Bozkovicio*, curâ reſidui belli commiſsâ, ipſemet cùm ſuo comitatu equeſtri *Pragam* redijt; ac confeſtim eâ adhuc intempeſtâ hyeme, in *Galliam*, atque iterum principio veris *in Italiam* ad ſedandum novas turbas, eximendúmque ingruentibus periculis filium profectus eſt. Narrat *Beneſſius*, ipſum tantâ celeritate iter conficere ſolitum fuiſſe, *ut non equitare, ſed volare videretur. Habebat enim in more idem Rex, cum ſuis pauciſſimis velociſſimè equitare, & de duabus dietis communibus* (iter hìc intellige duorum dierum) *facere unam ſatis magnam.* Idem Petrus Abbas: *Miratur*, inquit, *omnis ætas, quòd tam longas ſoleat facere Rex dietas: in via cernitur, non ùt equitans, ſed potiùs quaſi volans.*

Rex ordinatis in Moravia rebus Pragam redit:

inde *Galliam*, atque iterum *Italiam* petit.

Beneſſ. ad an. 1331. Chron. Aulæ Reg. part. 2. cap. 29. an. eod. Franc. loco cit. an. eod.

Interea *per Auſtriæ & Moraviæ confinia*, agebantur ex præſidijs partium quotidiani penè excurſus, jam his jam illis prævalentibus: ultimò tandem *Moravi* incautiùs egreſſi, ingentem pariter ac fœdam retulerunt cladem. Nam etſi numero quo poterant maximo, ac præcipui munimentorũ præfecti, junctis in unum viribus in hosticũ excurrerint, nullóq; reſiſtente, cuncta tumultu repentino compleverint: quia tamẽ nimiâ contempti hoſtis licentiâ, auſi erant graſſari ſecurè nimis, per varia diſperſi: *Auſtriaci* hujusmodi temeritatem in occaſionem ſumendæ ultionis ſuſceperunt, probè gnari, *neminem celeriùs opprimi, quàm qui nihil timeret.* Conglobati igitur nocte quâdam ex vicinis caſtellis, & teſſerâ per celeres nuncios ſibi invicem datâ, primò inſidias, quâ *Bohemos* equites in reditu tranſituros noverant, præſtruunt, ac demum ſequenti luce in campum progreſſi, ſeſe uni vaſtatorio globo, qui ex *Moravis* conſtabat, videndos præbent; ac veluti ad congrediendum eſſent impares, receptum ſimulant: quorum tergis *Moravi* aliquandiu inſtiterunt quidem, ſed paulo poſt revocati â ducibus, ne hoſtem avidiùs inſequentes ſeſe committerent periculo, prohibentibus, ſub ſigna redierunt. Neque eo die ventum eſt ad ullum certamen, quòd inter hæc ſub ejus diei veſperum, totámque noctem ſequentem, inſolita aëris perturbatio, ac pluviæ cum nivibus mixtæ tempeſtas, non ſine valido ventorum turbine, repentè coorta eſſet.

Moravi incautiùs excurrentes,

in diſcrimen haud leve incidunt.

Sub ejus procelloſæ tempeſtatis ſtridore, tumultus in caſtris, preſertim inter *Moravos pedites* ad arma ſubitò conclamantes, & ex illo haud modicus, quamvis inanis, terror ac conſternatio oborta fuit, adeò ut aliqui jam etiam de fuga cogitarent; niſi Tribuni, ac ipſe *Bozkovicius, cum Lippæis fratribus* occurrentes, tumultum compeſcuiſſent: qui terror præſagium fuiſſe videtur paulò poſt ſecuturæ cladis. Summo manè cùm jam mitior eſſet cœli temperies, *Auſtriaci* turmam equeſtrem miſerunt exploratum, ut caſtra vímque hoſtium quantum poſſet, ſpecularetur obſervarétque, & certamen leve ſereret: pugnæ

tumultus nocturnus, licèt inanis, futuræ cladis prænuncius.

tamen caſum vitaret, ſed cedendo potiùs, hoſtem ad locum inſidiarum pertraheret. *VVartembergus*, qui tum rectè circuibat ſtationem, viſis hoſtium antecurſoribus, ſine mora *Janum* filium, cum una turma equitum excurrere juſſit, & videre quid molirentur hoſtes; quos cum *Auſtriaci* conſpexiſſent, ſimulato metu, ſe in fugam conjecerunt, ut prout inſtructi erant, *Moravos ad inſidias, quas in valle ſaltuoſâ arci Greiczenſteinæ proxima tetenderant*, perducerent: hinc ita ſe fugæ dabant, ut nequaquàm diſſipatis, ſed confertis ordinibus pedem referrent: quo viſo, *Bohemi equites*, præſertim cùm plures à *Wartembergo* miſſi acceſſiſſent, ſublato majori clamore, cedentes eò avidiùs inſequi, eorúmque veſtigijs contento curſu inſtare cœperunt. Tum verò *Auſtriaci repentè ex inſidijs provolantes, Bohemos ſummâ vi adoriuntur*, ita ut multi ex ipſis velut indagine clauſi, primò in orbem pugnare, deîn in effuſam fugam animos & equos convertere compellerentur, nec pauci etiam partim telis, partim gladijs & haſtis cæſi occumberent: *VVartembergo* tamen & *Bozkovicio* cùm reliquis copijs properè ſubſequentibus, accidit, ut cùm jam præmiſſi equites ab Auſtriacis disjecti ac diſſipati eſſent, prælium reſtauraretur, tantâ *Bohemorum Moravorúmque* virtute ac fortitudine, ut *equites Auſtriaci* pari ſorte, disjectis ordinibus, funderentur. Quos cùm vidiſſet *Ulricus Polbemimius Auſtriacæ militiæ dux*, nihil præter fugæ circumſpicientes præſidia, concitato equo, eos velut repagulum quoddam continuit, & hinc inde obequitans, & vociferans ad redintegrandam aciem reduxit. Opportunè autem in ipſo renovati prælij ardore, accurrit *Auſtriacis* in auxilium agmen recens, quod alio in loco pro inſidijs ſtabat., & cui *Otto VValdſeius* præerat. Recruduit itáque pugna atrox valdè, ac diu anceps, ultráque meridiem protrahitur; ad extremum *Moravi*, creſcente hoſtium numero, vacillare aliquantùm, ac loco pelli cœpêre: denique *inſtantibus pertinaciter Auſtriacis, effuſa fuga ſequuta eſt.* Nec multum abfuit, quin ad internecionē omnes cæderentur, erumpentibus ab omni ferè parte præparatis inſidijs, niſi *ab Hynkone de Rukſtein & Henrico Bozkovicio, novâ Moravorum auxilia* (ſagittarij pedites erant) accepiſſent: quorum ſubſidio cœlo veluti delapſo *Auſtriaci repreſſi*, & inſigni quoque clade excepti pedem retulêre. Ceciderunt eâ ſtrage ex Moravis & Bohemis præcipui, *Beneſſius Wartembergus, Jaroſſius de Wlaſſim, Geſſko de Policzan, Zbynko de Daubravicio, Daniel Kluſak de Koſtelecio* & alij: quorum corpora *Kornaburgi* (non *Kremſſij*, ùt quidam ſcripſerunt) tumulata ſunt. *Capti verò Henricus & Joannes fratres Lipæi, Marquardus de Wlaſſim Jaroſſij frater, Smilo de Przibislavia*, aliàs *de Ronovv, Hynko de Mitrov, Otto de Rotſtein, & alij complures, quos Polheimius Wiennam abduci juſſit.* Neque ejuſcemodi excurſionibus modus aut finis erat, partibus ſeſe mutuò irritantibus, donec *Joannes Rex ab Italia redux*, controverſiam cum *Archiduce*, ut tam ſaluti ac libertati captivorum, quàm tranquillitati publicæ conſuleret, tranſegit omnem, *Annâ filiâ* ipſi in conjugem, & Znogmâ urbe, Brzedslavienſique Provinciâ in dotem datâ.

Inſidijs excipiuntur.

rem nihilominùs fortiter gerunt,

&

ultimò ſuccumbunt, &

Auſtriaci victoriâ potiuntur.

Cæſi & capti ex Bohemis & Moravis.

Chron. Aulæ Reg. part. 2. cap. 30. Roo Hiſt. Auſtriac lib. 3. Hagek. ad an. 1332. MS. Franc. cit. cap. 23.

Pax cum Auſtriacis.

CA-

CAPUT II.

Bella & res geſtæ, ſub Carolo Marchione, poſtea Imperatore ejus nominis Quarto, & Joanne fratre ejus itidem Marchione Moraviæ.

ANno 1334. *Joannes Rex, Carolo filio* ab expeditione Italica reduci *Moraviam* tradidit; ex quo ille primùm *titulo Marchionis* uti cœpit, magnarum jam tunc virtutum Princeps, & proximè *in Italia aliquot prælijs victor: in quorum uno, è duobus equis ab hoſte dejectus, conſcenſo tertio feliciter de rebellibus triumphavit.* Initia regiminis habuit nonnihil domî turbulenta: acciſis námque & hinc inde diſtractis, qui *pro Marchionum menſa*, ejúſque aulico miniſterio omni, pro dignitate antiquitùs deſtinati erant, reditibus: cùm *Marchionalia* quædam *caſtra* à procerum potentioribus, titulo non ſatìs æquo, poſſeſſa repeteret, illíque ſpecietenùs varia cauſati, ea reſtituere nollent, vim adhibere, ac conſcripto milite, jus ſuum armis proſequi neceſſe habuit. Fortunáque propitiâ uſus, & tum Nobilitatis, quæ ad eum admirabili conſenſu certatim confluxerat viribus, tum auctoritate propriâ, cauſæque æquitate ſuperior, ſpatio temporis brevi omnia recuperavit: inter quæ præcipua erant, caſtrum *Spilberg ad Brunam, Lukovv, Braumovv, VVevverzi, Auſovv cum Litovvle, Evvanczicium, Gemnicium, Telczium*, & quædam alia.

Rex Moraviam Carolo filio primogenito tradit:

Franc. & Beneſſ. & Hagek. ad an. 1333. alij MS. Auth. habent an. 1332. Chron. Aulæ Reg. part. 2. c. 32. an. 1332.

Vita Caroli IV. ab ipſomet conſcripta, c. 8. qui firmatis per Moraviam rebus, in Sileſiam expeditionem ſuſcipit.

His ad votum domî compoſitis, expeditionem in Sileſiam contra *Boleſlaum Ducem Munſterb.* juſſu Patris ſuſcepit. Antea jam cæteri *Sileſiæ Duces* in ditionem *Regis Regnique Bohemiæ*, aliqui ſub *Przemyſlo-Ottacaro II.* aliqui ſub *Wenceslao ejus filio*, & quidam nuper, partim ultro ex pacto, partim metu urgente, partim venditione, conceſſerunt, excepto *Boleslao*; igitur & hunc *Carolus* victor juſſa facere coëgit. Hunc in modum *Sileſia à Polonicis ſceptris avulſa, in Regum Regnique Bohemiæ clientelam tranſijt.* Quamvìs autem *Poloni* tam nobilem terrarum tractum Regno detrahi, ac Bohemiæ adjungi ægerrimè ferrent, bello tamen per id tempus à *Crucigeris Pruſſiæ* graviter preſſi, id in præſens diſſimulabant. Interveniente demum *Carolo Hungarorum Rege, Cazymirus Poloniæ Rex* in transactionem deſcendit, & *pro ſe ſuiſque in Regno ſucceſſoribus juri omni, quod in Sileſiam prætendere poſſet*, primò *Trenczinij* (deinde *Wiſſebradi in Hungaria*) anno 1335. ubi omnes tres Reges erant præſentes, & cum illis *Carolus Marchio*; tandem etiam *Cracoviæ* in aula ſua Regia, ſcriptis documentis, aſſentientibus quoque Regni Proceribus, renunciavit. Viciſſim *Bohemiæ Rex, jus omne quod in Poloniam habebat, & tributum omne*, quod Poloni Ducibus primò, deinde etiam Regibus Boh. pendebant, unà cum *titulo Regis Poloniæ*, quo hactenus *Bohemiæ Reges* utebantur, in perpetuum remiſit. Franciſcus id quoque addit: *Caſimirum Poloniæ Regem, ex Hungaria Pragam cum Joanne Rege veniſſe, in die S. Nicolai,*

Sileſia Regno Bohemiæ adjicitur, Rege Polon. Cazymiro, juri omni, quod in illam prætendere poſſet, renunciante.

Vita Caroli IV. cap. cit. Dubrav. l. 21. Ritius de Reg. Hung. lib. 2. Miechov. lib. 4. cap. 27. Æn. Sylv. Hiſt. Boh. cap. 32. Hagek. ad an. 1335. MS. Franc. ad an. 1335. Beneſſ. an. eod.

magnóque honore ſuſceptum, per dies IX. Pragæ manſiſſe. Hic ad ſua rediens, inquit, *jus & titulum egni Poloniæ hilariter reportavit: deinceps verò Rex Bohemiæ, Regem Poloniæ ceſſavit ſe nominare.* Idem refert *Beneſſius*, & exteri Scriptores, *Dreſſerus*, *Curæus*, *Henelius*, *Reynaldus*, *Bonfinius*, *Schickfuſius*, pluréſque alij: licèt Poloni de his audire nolint. Cùm tamen & *Acta publica*, *Regúmque literæ*, quæ in ſanctiore Regni Bohemiæ Archivo ſervantur hodiéque illæſæ, id manifeſtum oſtendant.

Lubiensky in Oper. poſthum de Sileſia.

Archiv. Carlſt. Reg. MS. Codex Privil. Regni ex originalib. deſcript. à fol. 34. & 341. Videat. & Epitome rer. Bohem. Balbini lib. 3. cap. 18.

Novum cum Auſtriacis bellum. Ejus cauſa.

Recruduit poſtea bellum inter Bohemos & Auſtriacos, *Carinthiæ causâ*, quod etiam Moraviam involvit. Nam mortuo *Henrico Carinthiæ Duce*, nulláque prole melioris ſexûs relictâ, niſi filiâ unica *Margarethâ*, Ludovicus Imp. Provinciam unà cum *Carniola*, & adjunctis regionibus, *Ottoni Auſtriæ* in feudum Imperj contulit: excluſò *Joanne-Henrico*, *Joannis Bohemiæ Regis filio ſecundogenito*, qui *Margaretham*, vivente adhuc Henrico patre, duxerat uxorem. Hinc ad arma ventum, quorum furorem imprimìs ſenſerunt confinia Auſtriæ & Moraviæ, *Ottone* cognationis neceſſitudinem (nam, ùt dixi, *Annam Regis filiam* habebat conjugem) ob prævalentem proferendi Imperij cupiditatem, nihil penſi habente. Tantâ igitur affectus injuriâ *Bohemorum Rex*, & nequaquam ferendam exiſtimans, exercitum ſine mora comparare, & inſolentias *Ottonis*, generoſo ſuſcepto conſilio, armis & bello vindicandas eſſe decrevit. Nec multò poſt, contractis in *Bohemia*, *Moravia*, *Sileſia*, & *Miſnia* haud contemnendis copijs, & ex *Bavaria* auxilijs, quæ ei *Henricus dux & gener* miſerat, unà aſſumptis, acerrimam irruptionem *in Auſtriam*, *quâ Moraviæ contermina eſt*, circa finem Aprilis menſis, an. 1336. fecit, & nihil intermiſsâ celeritate, ad Danubium usque progreſſus, obvia quæque hoſtilem in modum eſt populatus; *Polheimio*, cui *Otto*, rebus ſuis *in Carinthia* firmandis intentus, curam Provinciæ demandârat, cum ſuis, quos ex finitimis locis coâctos habebat, quòd ad reſiſtendum impar eſſet, congreſſum omnem vitante, & *neque in conſpectum Bohemorum prodire auſo.* Quamvìs autem interventu Procerum, quibus bellum hoc civile inter cognatos & affines nequaquam cordi erat, (conventu *Lincij* primùm, deinde *Novoſtadij* habito,) compoſita fuerit controverſia præſens, in eum modum, ut *Otto Znogmâ urbe*, & *provinciâ Brzedslavienſi*, quas dotis titulo cum *Anna Regis Joan. filia*, ùt jam diximus, acceperat, *Regi Bohemiæ redditis*, *Carinthiam*; *Joannes Henricus* verò *Comitatum Tyrolenſem*, *Atheſinámque regionem*, cum nonnullis arcibus & ditionibus *ad Dravum* ſitis, quæ aliàs *ad Carinthiæ Ducatum* ſpectabant, retinerent: nihilominùs haud multò poſt res in deterius vertit, dum *Margaretha* mulier admodùm procax & libidinoſa, pertæſa viri, ac veluti ad conjugium minimè idoneus eſſet ille, mentita, eum repudiavit, & exuto pudore omni, *Ludovicum Marchionem Brandeburgi*, *Imperatoris filium*, *anno 1342. thalami & Comitatûs conſortem fecit*, ùt narrabimus paulo poſt.

Moravorum & Bohemorum in Auſtriam hoſtilis irruptio.

Gerard. de Roo Hiſt. Auſtr. l. 3. Hagek. Franc. Beneſſ. ad an. 1336.

Pax.

Litteræ publ. in Archivo Regni datæ an. 1336.

Bellum recrudeſcit occaſione mulieris perfidæ:

Graviter idcirco hoc ſenſit *Bohemiæ Rex*, & contra pacificationis *Novoſtadianæ* ſanctiones, id â *Ludovico Imp.* fieri, palàm queſtus eſt: verùm Imperator & filius ad conſervandũ, quæ ipſis acceſſiſſent magis, quàm ad excuſandũ intenti,

occa-

Digitized by Google

occaſionem fide potiorem habuerunt, illius axiomatis probè gnari, *in ſumma fortuna æquius eſſe, quod validius ſit, & fortunæ melioris rationem non reddi.* Hinc accenſis infenſiùs odijs, bellum recruduit. Quia tamen *Albertus Archidux*, (hic *Ottone fratre*, & poſtea etiam filijs ipſius *Friderico III.* & *Leopoldo II.* immaturâ morte defunctis, ſolus ex Auſtriacis Principibus ſupererat, â quo rurſum *inclyta hæc Familia* propagata eſt,) causâ hac vitabat intricari, miſſis cùm ad Imperatorem, tum ad Bohemiæ Regem legatis, *ut ſibi neutri belligerantium parti addicto eſſe liceret;* Moravia nullo, quem aliàs ab Auſtria timebat, concuſſa eſt turbine, ſed mœſtos omnes ac cruentos, *Bellona ferox*, in Bavariam & Tyrolim transtulit eventus. *at denuò componitur.*

Inter hæc anno 1337. naſcitur *Joanni Regi*, ex *Beatrice Borbonia Regina* filius, vel potiùs ex utero materno, absque ullo matris incommodo, raro ſanè fælicitatis exemplo, exſcinditur, *VVenceslaus* nomine. Hic creatus poſtea *Dux Luxemburgenſis*, ductâque *Joannâ Joannis III. Brabantiæ Ducis filiâ*, etiam *Dux Brabantiæ*. Eodem anno, *Carolus Marchio* profectus in *Lombardiam*, ad defendendas urbes, quas nuper in fidem patris nomine ſuſceperat, ductóque per *Hungariam* & *Croatiam* ad mare usque itinere, (*Otto* námque affinis tum adhuc vivens, tranſitum per *Auſtriam* ei rotundè negavit) cùm in ditionem *Venetorum* appuliſſet, inſidias ipſorum egregiè eluſit: ubi poſtmodùm non *Parmam* tantùm, quæ ipſi ſemper fideliſſima fuit, conſervavit, verùm etiam aliàs civitates, utì *Feltrium*, *Belunam*, arcêmque *Primiam* ab obſidione hoſtium, inter quos idem Carolus nominat *Venetos*, *Florentinos*, *Mediolanenſes*, *Ferrarienſes*, *Mantuanos*, & quendam *Comitem* Colaldo, Prætorem tunc Marchiæ Tarviſanæ, liberavit. Pace deinde cum *Venetis* initâ, & alijs facilè compoſitis, (excepto *Cane Veronenſi Domino*) *Venetias*, *â duce Bartholomæo*, nomine totius Reipublicæ, invitatus venit: ubi, utì ipſemet fatetur, exquiſitis honoribus exceptus fuit; paulóque poſt commiſsâ curâ armorum *Joanni de Lippa*, qui tamen brevì correptus febri obijt, per *Tyrolim & Auſtriam*, jam tum magìs amicam, in *Moraviam* ſequenti anno, circa initium Quadrageſimæ redijt.

Vita Caroli IV. cap. 14. Dubrav. l. 21. VVenceslaus Joannis Regis filius ex utero materno exciſus. *Barland in Chron. Brabant. Reynaud. § 9. tom. 14. ita de ſcit. Cæſar.*

CaroliMarch. egregia per Italiam geſta.

Vita Caroli IV. cap. 10.

Anno 1338. tanta vis locuſtarum pervagata eſt, primò *Hungariam*, *Auſtriam*, deinde *Moraviam*, *Bohemiam & Poloniam*, ut volantes Solis aſpectum hominibus adimerent: quocúnque decidebant, non modò prata & ſegetes, verùm etiam arborum frondes, & obvia quæque *præter vineas*, (quod mirum,) depaſcebantur. *Carolus Marchio* pergens tunc *Viennâ* in Moraviam, non niſi tertiâ die Znogmam venire potuit, equo licèt vectus præſtanti: ità oppletæ erant ijs viæ, præſertim circa *Pulkavam*, ut tranſitus vix ferè permeabilis fuerit. In Bohemia, potiſſimùm regio circa *Podiebradium & Saczkam*, circacircum ad duo milliaria, detrimenta ab ijs illata ſenſit. *Quidam ut malum averterent*, ait illius temporis Scriptor, *foſſas moliri, & terram effodere inſtiterunt, eóque impulſas, terrâ obruere conabantur; cùm res non ſuccederet, curribus ſtramine oneratis, eas paulatim impellebant in foſſas, & urebant: neque hoc conſilium magnoperè profuit. Tandem ſupplicationes omnium*

Locuſtarum multitudo.

Bonfin. dec. 2. lib. 9.

multis regionibus pernicioſa; *Franc. in MS Chron. an. 1338. Beneſſius Hagek. an. eod. Carolus IV. in Vita c. 10. ad fin.*

Digitized by Google

omnium Sacerdotum Praga decreta ſunt, & Deo nos reſpiciente, maxima ci-coniarum copia advolavit, qua ſeſe largiter ijs ingurgitando omnes abſum-ſperunt.

a Ciconijs tandem conſumpta.

Pragam veniens *Carolus*, & intelligens *Nicolaum Ziampachium de Pot-tenſtein*, in regione Mautenſi res novas moliri, viciniæque toti eſſe ſupra modum gravem, primò (uti erat pio & miti ingenio Princeps,) ipſum verbis tentandum, admonendúmque officij exiſtimavit, ſi hâc viâ, *citra cædem & ſanguinem*, ad meliora reduci poſſet. Cúmque id non ſufficeret, armis compeſcendum decrevit, ac poſt habitâ cunctatione omni, comparato exercitu, contra illum, uti prorsùs rebellem, profectus eſt; primóque omnium caſtrum *Choczen*, quod ſitum erat ſupra montem, *fluvio Aquila & oppido* imminentem, (cujus hodiéque veſtigia extant) invadendum, acríque obſidione premendum ſuſcepit. Octo diebus continuis illud oppugnavit; cúmque nec dies nec ferè noctes ceſſaret, eóque modo obſeſſos multo labore fatigaret, rerum deſperatione tandem coacti illi, deditionem fecerunt: ubi quidquid de commeatu, & ſupellectili diverſi generis inventum fuit, *Carolus* inter milites, ut eos ad fortiter agendum etiam deinceps animaret, liberaliter diſtribuit, caſtrum verò dirui juſſit. Itum deinde ad alterum: unâ fortaſsè leucâ inde diſſitum *Ctislavva*, vulgò (ſed corruptè,) *Czuclavva* dictum; quo etiam, ſicut & pluribus alijs vicinis arcibus & caſtellis, dedentibus ſeſe præſidiarijs, in poteſtatem redactis, reſtabat caſtrum *Pottenſtein* in arduo monte ſitum, naturáque loci ſimul & arte probè munitum. Cùm inter hæc *Ziampachius*, *Pottenſteinatum agens*, ac videns ſe tanto bello imparem, ſaniora conſilia circumſpicere, & ut in tempore adhuc, dum gratiæ locus eſſet, *Carolo* reconciliari poſſet, per idoneos ac ſibi fidos homines (primarios ex illis nominari invenio, *Paulum Hrzan*, & quendam nomine *Sudliczkam*) agere cœpit: quod â benigno & placabili Principe, facilè impetravit, qui illum tot ditionibus exutum, ſatìs jam pœnarum dediſſe videns, ad ſe, fide publicâ interpoſitâ, vocavit, & in gratiam recepit.

Expiditio Caroli contra rebelles, an. 1338.

quos ad obſequium reducit.

Nihilominùs ſequenti anno redijt ille ad genium, non ſine gravi inconſtantiæ ſimul ac perfidiæ notâ, fovendo in ſua arce *Pottenſteinenſi* audaciſſimos & flagitioſiſſimos quóſque, qui latrocinijs exercendis dediti, crebris excurſibus & rapinis tam *Bohemiam*, quàm *Moraviam* infeſtam reddebant: non enim niſi tribus milliaribus â *confinijs Moraviæ* diſtat arx iſta. Quare *Carolus*, tum ut levitatem *Ziampachij* perfidiæ proximam caſtigaret, tum ut tranquillitati publicæ conſuleret, & vicinos populos ab hoc maleficentiſſimo latronum genere liberaret, non juſto ſolùm, & honeſto, ſed propemodùm neceſſatio conſilio, ad arcem hanc quàm primùm in poteſtatem redigendam animum, viréſque omnes convertit. Nec mora, (redux tunc Brunâ Pragam) *Wenceslaum de Wartmberg*, & *Jaroslaum de Sternberg*, cum parte copiarum eò ocyùs properare juſſit: quos deinde cum reſiduis ſequutus eſt, datis etiam in Moraviam ad *Czenkonem de Lippa* Provinciæ Capitaneum mandatis, ut duas peditum cohortes, ex ijs quas nuper ê præſidijs Auſtriæ eduxerat,

Vita Caroli IV. c. 14. ad init. MS. Anon. Chron. Bohem. ad an. 1338.

Alia Caroli expeditio adversùs turbatores pacis publicæ, & latrones an. 1339.

Digitized by Google

rat, ſibi in caſtra mitteret: quas non multò poſt *Bertholdus frater Czenkonis* adduxit, cùm ex itinere etiam patruelis ipſius *Joannes de Lippa*, *Trebovia Moravicæ Dominus*, cujus ſubditi multa â latronibus illius fuerant paſſi, ſeſe ei cum valida manu conjunxiſſet. Duravit obſidio per duos menſes & ampliùs, cum inter hæc *Carolus*, binis vicibus, ſemel *Brunam*, ſecundò *Olomucium* ſuis de cauſis excurriſſet: donec tandem regijs, cæptæ oppugnationi acriùs inſiſtentibus, & *Carolo* eos animante, iiſque ſpolia omnia diripienda promittente, obſeſſi vim illorum non ampliùs ſuſtinere valentes, de deditione agere cœperunt. Quos tamen oppugnatores audire noluerunt, ſed habitâ jam in poteſtate areâ inferiore, acerrimo impetu in ſuperiorem quóque illati, portâque effractâ, & cœſis, qui ad reſiſtendum concurrerant, arcem totam occupârunt, *magnóque victoriam clamore* ingeminando, ad eam diripiendam ſeſe converterunt. Multi ex obſeſſis in eo primo furore obtruncati, cæteri capti, ac poſtea in furcas acti; pauci de rupe fluvium versùs, per notos ſibi tramites, ſeſe demittentes, ſylvarum, & quas ſors obtulerat, latebrarum beneficio evaſerunt incolumes. Reperta eſt in arce ingens rerum omnium præda, ac imprimìs auri atque argenti, veſtimentorum, commeatûs, mercium & armorum copia magna, quæ omnia militibus ceſſerunt. Arx demum, utì infame latronum receptaculum, juſſu *Caroli*, diruta, ac penè ſolo, ùt ipſemet ſcribit, æquata: quæ ità in ruderibus jacuit ad annum usque 1534. quo illam denuò *Joannes â Pernſtein, ditiſſimus ſui temporis ê Bohemis & Moravis dynaſta*, inſtaurandam magnis impenſis ſuſcepit, & longè fortiùs, quàm unquam fuiſſet, communivit. Ziampachius porrò non ſatis in *Bohemia*, nêque in *Moravia* tutus, in *Poloniam* profugit; ubi aliquamdiu hæſit, donec amici & cognati, qui apud *Carolum* multùm poterant, ei gratiam & reditum impetrârunt.

Arcem *Portenſtein* obſidet, oppugnat,

occupat & diruit;

In Vita ſupra cap. 14.

quam denuò Pernſteinij inſtaurant.

MS. Chron. ſupr. cit. ad an. 1339.

Idem annus in felix fuiſſet in Moravia, etiam *Duci Oppavienſi Nicolao II.* adversùs quem *Joannes Rex*, ob graviſſimas querelas, quæ ad eum de varijs & multis ipſius exceſſibus, præſertim de crudeli, avara & impotenti dominatione, â ſubditis delatæ erant, tam immane odium conceperat, ut Principatu ac bonis omnibus eum exuere, & in vincula conijcere, néque dimittere, donec in ijs expiraret, omninò ſtatuerit; jámque eâ de causâ, ſuſcepto in Moraviam itinere, Olomucium venit. Sed interveniente *Carolo*, & quia etiam ipſemet *Dux*, humilis & ſupplex Regi occurrerat, & tam ſuo, quàm filiorum ſuorum nomine, meliora deinceps promittebat, mitigatus utcúnque eſt Regis animus, relictúsque in poſſeſſione quieta bonorum ſuorum *Nicolaus*; ubi tamen priùs, præter pecuniæ ſignatæ vim magnam, etiam caſtra quædam; nominatim *Fulnek*, *Witkovv*, *Rudam*, & *Bruntal*, Moraviæ contermina, Regi tradidiſſet, & ſe impoſterùm ſuis dominaturum mitiùs, non ùt *tyrannum*, ſed ùt *patrem*, jurejurando promiſiſſet: quod factum Olomucij 8. Julij, an. 1339.

Nicolaus Dux Oppav. propter malam adminiſt vix non privatur Ducatu:

Carol. in Vita cap. citat.

Per Carolum March. liberatur â periculo amotionis.

Poſt hæc Joannes, ſumpto *per Sileſiam & Luſatiam* itinere, *Galliam* petijt, *Regi Philippo* adversùs *Angliæ Regem Edvardum* in auxilium; quem circa

Joannis Regis, & Caroli profectio in Galliam;

Digitized by Google

finem menſis Aug. *Carolus* ſequutus fuit, *curâ ſupremâ Moraviæ Czenkoni de Lippa tanquàm Capitaneo, Regni verò Petro de Roſenberg concreditâ.* Re nullâ memorabili tunc contra Anglos geſtâ, *Carolus* anno ſequ. nempè 1340. ad ferendas *Petro Hiſpaniæ Regi contra Mauros* ſuppetias, animum adjecit, *pulchrum reputans pro Chriſtiana religione pugnare, vel etiam mori*, diſpoſitis jam ad iter cunctis: ſed â patre prohibitus, & cum illo potiùs *ad Papam Benedic. XII.* ire juſſus, Avenionem, ubi ſub id tempus reſidebat Summus Pontifex, venit. Actum ibi, ut id breviter attingam, de *nummo S. Petri*, Wratislavienſi Diœceſi remittendo: penſio quædam erat unius oboli, vel trium, ùt volunt alij, *â Benedicto VIII.* Polonis, *ob Cazimirum Monachum & Diaconum*, profeſſionis & ſacramenti religione ſolutum, & permiſſum ut Regnum majorum ſuorum, cujus ſolus & unicus eſſet hæres, adiret, uxorem duceret, & liberos procrearet, impoſita: & ab unaquâque familia, *in lucernam perpetuò in Æde ſacra D. Petri Romæ arſuram*, quotannìs ſolvenda. Rex igitur nolens, ut ampliùs quidquam *Sileſij* habeant commune cum *Polonis*, remitti illam, vel in aliud quid commutari petijt: quod tamen primò *Carolus*, poſt aliquot annos, Imperator jam exiſtens impetravit. Ibi etiam *Petrus Rogerij Cardinalis*, poſtea factus Pontifex *Clemens VI.* Carolo, quem ex amore ſpeciali jam dudum concepto, hoſpitio ſuo exceperat, in familiari quodam colloquio, prædixit, ipſum *Romanorum Imperatorem fore;* cui viciſſim *Carolus: tu eris antè Papa.* Quod utrúmque vaticinium, eventus poſtea comprobavit. Inde *Carolus* â patre miſſus in Bavariam, ut *Margaritæ* ſorori ſuæ, tum poſt *Henricum Bavariæ infer. Ducem*, anno præterito defunctum viduæ, eſſet conſilio & auxilio, adversùs *Ludovicum Eximp.* vim ipſi intentantem: ſed antequàm eò perveniſſet, jam illa cum Ludovico transegit controverſiam omnem. Itâque in *Tyrolim* flexit iter, ad fratrem *Joannem;* ubi non diu cunctatus, ſed citò rebus omnibus, quæ ad ſecuritatem provinciæ ſpectarent, ordinatis, curâque totius *Tyrolis*, *Tridentino Epiſcopo Nicolao, natione Moravo Brunenſi*, ſuo nuper Cancellario, ſpectatæ fidei & prudentiæ viro commiſsâ, *Bohemiam* unà cum fratre petijt: in Poloniam deinde ſimul profecti ad *Cazimirum Regem*, novi fœderis ineundi causâ; quo inito, & novà affinitate firmato, per *Margaritam viduam Cazimiro deſponſatam*, quæ tamen ante tempus nuptiarum obijt, Pragam redierunt, *in Vigilia Nativit. Domini.*

& Avenionem, ad Papam Bened. XII. ubi actum de nummo S. Petri, VVratislavienſibus Diœceſanis remittendo.

Caroli vaticinium. *Carol. in Vita ſua cap. 14. MS. Franc. Beneß. ad an. 1340.*

NicolausBrunenſis, Epiſcopus Trident. & Gubernator Tyrolis.

Pragæ die 10. Julij an. 1341. ita Beneß. Hagek. VVeleslavin.

Initio Februarij menſis, poſt peractam Pragæ ſolemnitatem *Purific. Beatiſſimæ Virginis Mariæ* anno 1341. abierunt iterum *in Moraviam*, ac indè *in Hungariam*, ad *Carolum Regem*, Poſonij tum commorantem, ut etiam cum illo initum nuper fœdus, novis pactorum legibus magìs ſtabilirent. *Brunam* reduces exceperunt nuncij *ab Epiſcopo* Tridentino miſſi, *Margaritam Joannis conjugem* res novas moliri, & cum *Ludovico Eximp.* crebra per internuncios miſcere conſilia, referentes. Quare ad obviandum malo in tempore, priusquàm invaleſceret, *Joannes* ſine mora in *Tyrolim* contendit; quem è veſtigio *Carolus* cum trecentis equitibus, & mille quingentis peditibus ſequutus eſt. Ubi ſeditionis authoribus, qui *Margaritæ* erant â conſilijs, partim captis, &

Margarita Tyrolenſis, Joannem maritum ſuum, fratrem Caroli, repudiat, &

in

in vincula conjectis, partim fugatis, & eorum arcibus expugnatis, ipſáque *Margaritâ* ſub cuſtodiam data, gliſcentes motus utcúnque compoſuerunt; ſed qui paulò poſt, *Carolo abſente*, úsque adeò recrudvêre, ut *Joannes* non ampliùs in Tyroli tutus, ad *Patriarcham Aquileienſem Bertrandum* primò, deinde ipſius auxilio in Bohemiam profugere cogeretur; poſt cujus diſceſſum *Margarita*, poſthabitâ omni verecundiâ, ad ſecundas nuptias cum *Ludovico Brandeb.* an. 1342. menſe Febr. tranſijt.

Carol. in Vita cap. cit. Beneſ. ad an. 1341. Raynald. in Annal. Eccl. Tom XVI. Gerard. de Roo Hiſt. Auſtr. l. 3.
Ludovico Brandeb. filio Ludovici Eximp. nubit. Hinc nova bellorum materies.

Ægrè id tulit *Joannes Rex*, & magìs *Carolus*, qui idcirco injuriam hanc fratri ſuo per ſummum nefas illatam, primo quoque tempore, bello vindicandam ſuſcepit, patre etiam jubente, qui tum alia iterum in Galliam expeditione occupatus fuit. Jam octo millia peditum, & mille ducenti equites ſub ſignis erant, ituri propediem in *Tyrolim*, cùm inter hæc novi in Sileſia cœperunt exurgere motus, *Duce Svidnicenſi Boleslao* authore, homine fidei fluxæ, qui defectionem ad *Cazimirum Poloniæ Regem* avunculum ſuum, contra datam *Regi Bohemiæ* fidem, haud obſcurè moliebatur. Quare ſemotis alijs omnibus negotijs, ipſáque *profectione Tyrolenſi* in aliud tempus dilatâ, (*prima námque armorum lex eſt, bella foris non ſuſcipere, niſi domi priùs omnia compoſueris:*) miles ille totus domî eſt relictus, & pars ſtatim *Glacium* miſſa, ductore *Hermanno juniore de Miliczin*, ſeu *Talembergio*, viro Nobilitate generis, opibus, & militaris diſciplinæ ſcientiâ illuſtri, talibus mandatis inſtructo, ut unà cum *VVolframo de Panovvicz Caſtellano Glacenſi*, diligenter conatibus Boleslai invigilaret, viderétque, ne quid detrimenti, ex ipſius occultis machinationibus, ſi in nervum erumperent, Provincia caperet. Quæ res *Boleslaum* in officio utcúnque continuit, licèt non ſatìs ſyncero, nec diuturno, ùt non multò poſt patuit. Gliſcentibus ergò tacitè & ſatìs diu odijs, ultimò dum *Carolus* ab expeditione Lithuanica, quò ad finem anni 1343. ſimul cum Rege patre, *Regéque Hungariæ Ludovico*, & alijs Principibus perrexerat, domum per Poloniam maj. redux, *à Boleslao & Cazimiro Polono* manifeſtis peteretur inſidijs, bellum prorupit in apertum. Cui majorem adhuc anſam præbuit *Cazimirus*, dum immemor fœderis *Sileſiam* invaſit, oppidúmque *Stinaviam* cepit & diripuit: *Boleslaus* quóque ſub id tempus, *vaſallum quendam Regis Bohemiæ, virum illuſtrem*, ùt narrat Beneſius, *captivavit, & conjectum in turrim fame mori coëgit.*

quam novi in Sileſia motus augent.
Carol. in Vita cap. 17. Beneſ. ad an. 1343. MS. Chron. Boh. an. eod.
Talmbergius in Sileſiam mittitur cum parte exercitûs.
Bellum in Sileſia utcúmque ſopitum,
novi Ducis Svidnic. injuria recrudeſcit.
Beneſ. ad an. 1344.

Has igitur & tantas injurias nequaquàm ferendas rati *Joannes & Carolus*, armis & bello ulciſcendas quamprimùm decreverunt: ac confeſtim initio veris an. 1345. profectionem in *Sileſiam* ſuſceperunt. *Propterea Rex*, ità Beneſſius, qui hæc viderat, *cum duobus filijs ſuis Carolo & Joanne, atque etiam D. Arneſto primo Archi-Epiſc. Prag. hoc ipſo anno creato, congregato magno exercitu, terram ejusdem Ducis ingreſſi, obvia quæq; vaſtârunt, & ante civitatem Svvydnicz caſtra poſuerunt, cujus ſuburbia usque ad portas cremârunt. Ab inde applicuerunt exercitum ad civitat. Landshut ejusdem Ducis, quam undique circumdederunt, & ſine Marte occupârunt: acta ſunt hæc circa feſtum B. Georgij. Demum factis trevgis pacis cum eodem Duce, licèt*

Regis Boh. & Marchionis Morav. in Sileſiam expeditio.
Cromer de reb. Polon lib 12. ad an. 1345. Beneſ. an. 1344.

 multa

Dux Suidnic: pacem petit & obtinet.

Crom. cit. Curæus in Annal. Sileſ. in Joanne Rege. Poloni Ducatum Oppavienſem infeſtant:

hinc novum bellum.

Carol. in Vita cap. 18. Beneſſ. ad an. 1345. Cromer. l. cit. Miechov. l. 4. c 18. an. 1345. Hagek. VVenceslav. an. 1345. Joannis Regis & Bohemorum contra Polonos expeditio, an. 1345. Hos prævenit Czenko de Lippa cum Moravis:

Carolus in Vita cap. cit. qui dum Polonos profligatos ardore nimio inſequitur, capitur cum alijs pluribus.

multa ei damna intuliſſent, ad propria noſtri Principes læti redierunt. Landshutam tamen retinuit Rex: quam deinde *Boleslaus* egregio, & hâc noſtrâ etiam ætate, in nupero bello, ſubinde obſervato dolo, (immiſſis in urbem curribus ſtramine ac fæno oneratis, in quibus latebant armati) recuperavit.

Hoc bello vix finito, aliud rurſum erupit cum *Polonis provinciam Oppavienſem* vaſtantibus, Moraviæ imprimis vicinitate periculi formidandum. Jam *Cazimirus* oppidum *Zdiar*, ab aliquot diebus obſidione premebat, cùm *Nicolaus II. Dux Oppav. & Ratib.* haud ignarus, quantum momenti in conſervando eo loco poſitum eſſet, *Joanni Regi* id celeriter ſignificat, auxilia ad depellendos hoſtes ſibi ſubmitti petens. Cui Rex in *Montibus Kuttnais* tum agens referri curavit: *non miſſurum ſe ullum, ſed propediem venturum in perſona cum exercitu:* ac ſine mora edictum fieri, & per *Czaslavienſem*, alióſque viciniores diſtrictus publicari juſſit, quo Nobilitatem omnem arma capeſcere, & ſe quantocyùs ſequi ſeriò hortabatur, nominato die, quo omnes & ſinguli, cum ſuo quiſque famulatu, *Litomiſſlij* comparerent, inde poſtea ſimul contra hoſtem profecturi. Et quamvis primò, nonnulli è Proceribus, qui cum Rege erant, ſeſe excuſare cœperint, *eò quòd ex inſtituto Gentis veteri, Regem ultra Regni limitem ſequi, eique militare non tenerentur:* penſato tamen meliùs hoc negotio, cùm Rex gravibus rationibus oſtendiſſet, malè ſentire illos, ſi ſolam Bohemiam conſtituere Regnum putent; eſſe membra Regni etiam *Moraviam, Sileſiam, Oppavienſemque provinciam*, ità Coronæ Bohemiæ incorporata, ut ſeparari ab invicem nec poſſint, nec debeant: non ampliùs quidquam cunctati, ſeſe illicò profecturos declarârunt.

Sed prævenit & Regem, & Bohemos, *Czenko de Lippa Capitaneus Moraviæ;* qui animadverſo *Nicolai Ducis* periculo, copias haud mediocres, tum è Nobilitate non paucos, ſummâ celeritate congregavit: arreptóque itinere, & continuato dies noctéſque, uti erat oſtendendæ virtutis cupidiſſimus, in Polonos nihil tale opinantes ex improviſo irruit, eóſque partim cecîdit, partim in fugam conjecit. *Quos fugam capientes*, ità ſcribit Carolus ipſe in Vita ſua, *usque in civitatem Cracovienſem inſequutus eſt: & in eadem fuga trecenti Hungari*, quos Ludovicus Rex Hung. Cazimiro miſerat in ſubſidium, *interfecti ſunt*, præter Polonos, *& ſexaginta viri Nobiles captivati.*

Non tamen obtentæ tanto cum labore, victoriæ fructu diu lætari potuit *Czenko:* quùm enim inſiſtendo fugientium tergis ferociùs, ſeſe cum audaciſſimis quibusdam proripuiſſet in medium usque urbis, accidit, ut inter hæc cataractæ ferreæ (quales pendere ſolent in portis, & dimitti, vel attoli pro neceſſitate,) deijcerentur à civibus, & ille præcluſo omni reditu caperetur. Carolum audiamus: *Reliquos verò ſic inſequebatur avidè, ut ipſe & magna pars ſuorum civitatem intrarent animo furibundo: qui cancello turris demiſſo, fuerunt in ipſa civitate retenti: erant autem numero ſeptuaginta ſex.* Ita improſperè plerúmque cadunt, quæ temerè inchoantur; & inconſultæ audaciæ finis eſt, confuſio. *Ut armis efficias, quid poſſis, expende; ne damno diſcas.* Hæc res Joanni, qui ſub id tempus advenerat, valdè gravis ac moleſta accidit: *Statim*

Digitized by Google

tim tamen eâdem die Cracoviam cum magno obſedit exercitu, & jacendo ibidem, totam terram, depopulatis ſuburbijs, parte maximâ devaſtavit. Tunc Cazimirus Rex (narrat ulteriùs Carolus) *nunciavit Regi Joanni, ut ad evitanda multarum perſonarum pericula, ſecum ſolus cum ſolo in ſtuba clauderetur, & qui alium vinceret, ſuum propoſitum de eo obtineret. Sed quia Rex Joannes omninò tunc cæcus erat, nunciavit illi; ut ſe priùs excæcari faceret, & tunc libentiſſimè paribus armis, quod vellet intrare duellum. Poſt hoc petente Cazimiro, fuerunt treugarum trium ſeptimanarum inter eos induciæ procuratæ: quibus pendentibus, tota inimicitiarum materia fuit complanata, ita ut Carolus Marchio Moraviæ, de decem marcarum millibus argenti, quæ ſibi dudum Cazimirus mutuò conceſſerat, quietatus dimitteretur omninò & ſolutus:* captivi quóque omnes libertati priſtinæ reſtituerentur.

Joan. Rex Cracoviam obſidet.

Carol. in Vita cap. cit. MS. Chron. Boh. ad an. 1345.

Pax cum Polonis.

Paulò aliter hæc narrat *Hagecius*; qui ſcribit *Czenkonem* in caſtris ad *Bytomiam*, poſtquàm in eodem oppido, totâ die ad noctem uſque compotationibus & choreis ſatis ſupérque indulſiſſet, foras deinde ad captandam in medijs æſtatis fervoribus (*erat IV. Idus Julij*) frigidiorem auram egreſſum, & in tabernaculo altum ſomnum dormientem, â *Polonis* nocturna irruptione ſub prima noctis vigilia oppreſſum & captum. Additque illum, *omnem ante partam, per egregia ſua facta*, gloriam, omnémque virtutis ac fortitudinis opinionem, imò *Familiæ totius*, quo cæteros omnes Magnates ante ibat, ſplendorem, hoc caſu multùm obſcurâſſe, ac prorsùs amiſiſſe, ita ut deinceps tum *Czenko*, tum reliqui *Domini de Lippa*, alijs Dominis longè minores effecti, & ab omnibus penè ludibrio habiti fuerint. At ego plus fidei tribuo *Carolo tum viventi*, & horum omnium probè gnaro, qui de captivitate *Czenkonis* alia, ùt audivimus, memorat. Scriptores quoque *Polonici*, nullam hujus tam turpis captivitatis mentionem faciunt: quod certè non omiſiſſent, ſi quid tale accidiſſet; præſertim *Cromerus, nobis Bohemis & Moravis, in multis non ſatis æquus*. Quin & ipſemet *Hagecius* in ſequentibus, ejuſdem *Czenkonis* honorificè ſemper meminit: præſertim ad an. 1355. ubi dum *Proceres Bohemos & Moravos*, qui coronationi *Caroli IV. Romæ* intererant, enumerat, *Czenkonem de Lippa* primo loco ponit. Idem videre eſt apud *Daubravium*, *Beneſſium*, & alios. Quomodo igitur illum cæteris longè minorem deinceps extitiſſe, & ludibrio apud omnes, aſſerere potuit?

Hagek. ad an. 1344.

Error Hagecij circa Czenkonis captivitatem refellitur.

VVeleslao in Calend. Hiſt. ad d. 12. Julij.

Caroli March. teſtimonio; atque etiam Scriptorum Polonicorum ea de re magno ſilentio;

Hagek. ad an. 1355. Daubrav. l. 22. Beneſ. an. eod. imò & ipſius Hagecij in ſequentibus, ſcripto.

HÆc in gratiam *nobiliſſimæ Familiæ, & de Patria noſtra benè meritæ*, hoc loco paucis commemoranda duxi, tum ut illam ab hac contumelia vindicem, tum ut *Hagecium*, & ea quæ ex illo nuper in *Prodromum Moravographiæ*, retuli, corrigam ac emendem. Supereſt ex eadem Familia adhuc *Czenko Howora de Lippa, Dominus in Swentnik in Sileſia*, haud procul *monte Sobotkâ*, toti Sileſiæ benè noto, vulgò *Zobtenberg*; quò poſt confiſcata parentis *ſui Bertholdi Bohobudi* Bona in Moravia, (*ditio erat Krumlovienſis ampliſſima*,) vendito etiam Bono materno, quod habebat in Bohemia (*Brandusienſi ad Aquilam*) migraverat, Religionis causâ. Hic cùm anno 1665. menſe Julio, apud eum divertiſſem, *Litomyſſlij tum Decanum agens*, ùt Archivum Familiæ ipſius, de quo audivi prædicari multa, videre, & ex eo aliqua pro augendo magisque illuſtrando *Opere Moravographiæ meæ* excerpere poſſem, me non ſolùm humaniſſimo cum amanuenſibus meis hoſpitio excepit, verùm etiam, cognitâ adventûs mei causâ, ſingulari

Prodr. Morav. lib. 2. cap. 3.

Familiæ hujus glorioſiſſimæ *de Lippa*, ſupereſt in Sileſia *Czenko Howora*, cujus Archivum præſtantiſſimum.

gulari

Digitized by Google

gulari promptitudine, omnia quæ petebam libentiſſimè oſtendit; *Bibliothecam imprimis Librorum MS. Codices majores & minores quàm plurimos; duas item ciſtas prægrandes plenas literarum & diplomatum diverſi generis, quorum nonnulla, quingentorum & ultra annorum ætatem ferunt.* Hoc igitur beneficio uſus, quidquid per octo continuos dies, poſthabitis alijs omnibus negotijs, luſtrari & notari potuit, non intermiſi, impendendo etiam noctes, quæ menſe illo ſolent eſſe ſat breves: & tamen ultimò vix vigeſimam partem eorum percurrere valui, tanta copia ſcriptorum fuit.

vidi aliqua ex parte, & luſtravi an. 1665.

Vidi aliquot Familiarum per *Bohemiam & Moraviam Archiva*, & unum quod eſt *Pernſteinianum*, Familiæ quondam celeberrimæ, ſed jam hic extinctæ (cujus tamen in *Polonia* ſupereſt in *Comitibus Leſcinskÿs* nobiliſſima propago,) præ manibus habeo ac diligenter ſervo; ſicut & alterius, quod erat *Caroli Senioris à Zierotin*, inſignem partem: ſed quæ *Lippæo* nullà ratione æquiparari poſſunt, ſive Scriptorum multitudinem, ſive antiquitatem ſpectare velis: ut taceam de alijs duabus ciſtis, quas idem *Czenko Howora* dicebat ſe habere *Wratislaviæ* pro majori ſecuritate depoſitas, plenas hujuſmodi literarum, quò etiam me ad eas videndas invitabat. Sed mihi diutiùs ibi morari non licuit, propter multa privata & publica, quæ me domum revocabant. Propoſueram me rediturum in autumno, vel futuro vere; inter hæc accidit, *ut electus in Canonicum Pragam migrarem*, unde mihi eò excurrendi hucuſque non fuit ocium, nec tempus.

& inveni, non eſſe aliud ei facilè par.

Lippæi quondam hæreditarÿ Marſchalci Regni Bohem.

Mentio *Familiæ perinclytæ* me velut de ſpatio, ut nonnihil declinarem, abſtulit: quia tamen *Familia* hæc, tot quondam annis, imò *quatuor ferè ſeculis in Moravia floruit*, à rebus non tantum pace, verùm etiam bello præclarè geſtis, valdè celebris, ut aliquid jam ſupra audivimus, & plura ſuis locis, inſequentibus; veniam idcirco hujus digreſſiunculæ meæ tantò faciliorem me à legentibus obtenturum ſpero. *Archivi* meminiſſe volui vel ideo, ut pluribus de illo conſtaret; etſi contingeret præmemoratum *Illuſtriſſimum* DD. *Czenkonem Howoram* decedere abſque hærede, (de facto enim nullum habet, quantùm ſcio, ſuperſtitem, neque ex Illuſtriſſima & Celſiſſ. conjuge quondam *ſua, D.D. Joanna Eliſabetha, filia Joannis Chriſtiani Ducis Lebnicenſis & Brzebenſis*, è vetuſtiſſima *Pyaſtea Regum Poloniæ proſapia*, anno 1673. die 30. Octob. defuncta*: nec cum moderna *Illuſtriſſima D.D. Bibiana, Illuſtriſſimi D.D. Seifridi Comitis de Promnitz Liberi Baronis in Pleß* &c. Familiæ Nobiliſſimæ ac perantiquæ, filia, anno 1674. die 44. Febr. VVratislaviæ in matrimonium ducta,) alij ex Magnatibus tam Bohemis, quàm Moravis, qui ſunt ei proximâ cognatione aut affinitate juncti, uti *Berca, Krinecÿ de Ronow, Waldſteinÿ, Sternbergÿ, Kaunicÿ, Zierotinÿ, Krawarai*, viderent me tantus theſaurus interiret, qui & ipſorum decora in multis continet; ſed omni poſſibili viâ ac modo adniterentur, ut illum inde levare, & poſtliminiò in Patriam reportare poſſent. Secùs mortuo illo, quàm proclive ſit, ut ab hominibus *Theutonicis*, qui noſtra Bohemica æſtimare neſciunt, nec volunt; imò aliqui, ubi poſſunt abolent, *in varia diſpergatur, charta ad cucullos pipere implendos damnentur, membrana pro operimentis, ſeu involucris librorum applicentur, ſigilla & ceræ in lychnos convertantur*, & ſic totus quantus miſerè diſtrahatur, & pereat? Redeo unde digreſſus ſum.

Familia Lipporum in Moravia quondam celeberrima:

togâ & ſago præſtans:

Cujus Archivi mentionem faciendam cenſui, ne periret, ibi; inter homines, qui talia æſtimare neſciunt, nec volunt.

* *ex qua nati filÿ, Joan. Bertholdus, Henricus Bohobud, Georgius Howora, & Ferdinandus Chriſtianus, infantes mortui.*

Anno 1346. menſe Julio, in Conventu, *Rencÿ in Archidiœceſi Trevir.* celebrato, præſente quoque Joanne Rege, *Carolus Moraviæ Marchio in Romanorum Regem* eligitur. Quo tempore, cùm *Philippus VI. Galliarum Rex* affinis Caroli, imploraſſet *à Joanne* opem adverſus *Anglos*, confeſtim uterque, *pater & filius*, cum ſelectiſſimo utriúſque armaturæ exercitu, eò expeditionem ſuſceperunt. Ubi commiſſo *ad Creſſiacum* infeliciter prælio, die 7. Calend. Septemb. dum *Joannes* majori temeritate, quàm conſilio, in confertos hoſtes cum ſuis invehitur, occumbit; *Carolo*, qui in medio pugnæ equo dejectus & vulneratus, pedes prælium renovare ſummo conatu nitebatur,

Carolus Marchio Moraviæ Imp. eligitur.

Rebdorffenſ. in Annal. an. 1346. Albert. Argentin. Tritbem. in Chron. Hirſch. Calviſius. Bucholcer. an. eod. Daubr. Hagek. Boregk.

Joan. Rex Bohem. in prælio occumbit.

batur, vix periculo â ſuis erepto. Perierunt in hoc prælio etiam plurimi ex *Bohemis & Moravis* clariſſimi viri: inter quos fuère *Henricus de Roſis Petri filius, Joan. de Lichtemburg, Hermannus junior de Miliczin, aliàs de Talmberg, Plichta junior de Zerotin, Bavvor de Strakonicz, Walkaun de Porzeſſin, Zavviſſ de Gimlin, Petipesky, Liczek de Ryzmburg, Hron de Wlaſſim, aliique* inclyti bello viri, Barones Equitéſque quinquaginta. Tumulati cum Rege ſuo *Luxmburgi*, in Eccleſia Beatiſſimæ Virginis, ubi diu clypei illorum ſpectabantur.

Hoc modo perijt Rex bellicâ virtute inſignis, qui toto vitæ ſuæ tempore, non niſi Martem ſpirabat, & bellum, quaſi opificium ſuum eſſe putabat: prout de eo teſtatur Scriptor coævus, Petrus Abbas verſibus iſtis. *Hunc peto cerne virum, qui perpetrat undique mirum. Hic niſi bellare ſolet, & pugnis inhiare. Qui quaſi torpeſcit, â bellis quùm requieſcit. Eſt rarò terra, quæ ſit per eum ſine guerra. Germania, Francia, Flandria monſtrat apertè.* Ob frequentia tamen tributa, quæ primus induxerat, populo gravis fuit: & ideo etiam *gratior perijt, quàm vixit.* Tametſi ſint, qui illum hac in parte excuſent, & inter alios Canonicus noſter *Beneſſius à VVeitmille*, dum ait: *Et quia pro ſtipendiarijs pecuniâ indigebat, cœpit excogitare diverſos modos conquirendi pecunias, &c. Propterea multi adversùs ipſum clamabant; ſed quid clamarent, ignorabant: nónne meliùs fuit, dare partem pecuniæ cuilibet, quàm Regnum deſtrui per hoſtes & vaſtari? Providerat enim Rex Joannes, ut licèt ex omni parte Terræ ſuæ, haberet Principes inimicos: utpote Ludovicum Bavarum Imp. Duces Auſtriæ, Marchionem Brandeb. Ludovici filium, Marchionem Miſn. Regem Poloniæ, Duces Sileſiæ plures; nunquam tamen aliquis eorum præſumpſit invadere fines Regni Bohemiæ, ſed omnes ipſum Regem, & ſuam Gentem maximè timebant: quia ùt dicitur, audaces fortuna juvat.* Et reverà, tributa quandóque eſſe neceſſaria pro conſervanda Republica, nemo inficiabitur: præſertim dum inevitabilis neceſſitas publica ingruit, bellum juſtum, defenſio Regni & ſubditorum, violentia hoſtium. *Nec enim quies gentium ſine armis*, ait, *Cerealis apud Tacitum; nec arma ſine ſtipendijs, nec ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* Illud tamen non negaverim, Principes in hujuſmodi exactionibus â ſubditis, committere exceſſus ſubinde graves, *quando non cauſas, ùt cauſas fingunt; quando per miniſtros, ſubditos doloſè circumveniunt; libera ſubſidia blandè poſtulant, & ſecretis comminationibus voluntati vim faciunt: dum paucis munera, honores promittunt, ut multitudinem inducant: dum pios fines prætexunt, & in rebus alijs ſanguinem ſubditorum conſumunt.* Non rarò etiam miniſtri, bonos Principes, ad talia ſuis inſtigationibus irritant,* & honeſto titulo, alia poſt alia onerum genera excogitant, ut ſubditis vel ſpiritum ipſum ſubducant, non perpendentes illud Sapientis: *qui preſſiùs nares emungit, ſanguinem elicit.* Illud autem omnium peſſimum: dum tributa in ſublevationem onerum, aut alia commoda Reip. vel in gerendum proſequendúmque bellum, magno labore collecta, miniſtri Principum in ſuos privatos uſus convertunt, *fame interea pereuntibus militibus;*

Joannes Rex bellicoſus: *in Chron. Aulæ Reg. part. 2. cap. 20. ad an. 1318.*

MS. Franc. l. 2. & 3. paſſim. Sed ob nimias exactiones, plebi gravis. *Tributorum onera, ſunt animorum vulnera.* Excuſatur quoad tributa.

Tributa quandò licita:

Tacit. lib. 4. Hiſt. cap. 74.

quando illicita & injuſta.

ita VVilhelm. Ferd. ab Effern manual. polit lib. 3. puncto 9.

* *talis fuit ille apud Drexel. in Phaëtonte, cap. 9. §. 5.*

Prov. 30.

Digitized by Google

Piaſec. in Chron. ad an. 1630. pag. 420.

tibus; ut meritò queritur Paulus Piaſecius Epiſcop. Przemyſl. dum ait: *Et quidem à Comitijs præteritis* (nempè Polonicis an. 1630.) *decreta tributa, omnibus iſtis oneribus ſufficere poterant, niſi ſorices ærarij communis, nervum hunc Reip. arroderent, inveterato rei privatæ ex publico cenſu augendæ ſtudio: quem errorem omnes in hac Republica palam nôrunt, & in ſingulis Comitijs perpetuò deplorant, & nunquam corrigunt.*

Carolus IV. Coronatur in Regem Rom. & Bohem. Joanni fratri ſuo Moroviam cedit, an. 1349. *Kutben ad an. 1348. Hagek. ad an. 1349. Æn. Sylv. c. 33. Dubrav. l. 22.*

Cæterùm *Carolus* peractis, regium in morem, Patri juſtis funebribus, Bonnam venit, ubi ipſo die *S. Catharinæ*, inſignia *Romani Imperij*, anno verò ſequenti, die 2. Septemb. *Regni Bohemici*, ſolenni ritu ſuſcepit: ac brevì poſtea, *Moraviam Joanni-Henrico fratri ſuo, fiduciæ nomine, dominio directo jurèque ſupremo ſibi nihilominùs reſervato, tradidit.* Extant in Archivo Regi, inter alia privilegia, literæ *Joannis*, poſt acceptam à fratre Moraviam, datæ an. 1350. & alia ſequ. anno item 1366. & 1371. quibus promittit, tactis etiam SS. Evangelijs, ſuo filiorúmque, & omnium Succeſſorum ſuorum nomine: *quæcunque ratio feudi exigit, erga Coronam Regni Boh. velle ſe præſtare; nullum ſubditum regium, aut bona eorum, extra voluntatem ipſorummet Regum, in defenſionem aut ſervitium ſuſcipere; ſemper Regi Bohemiæ, ad recuperanda ejuſdem Regni jura, contra quemlibet aſſiſtere; ſi eligatur in Bohemiæ Regem, omnia Jura & Privilegia Regni obſervare, de ſubditis regijs nullo modo ſe intromittere, aut eos defendere, feudum ſolitis ac publicis cæremonijs à Regibus percipere*; pluráque alia, ex quibus cognoſcere licèt, quàm cautè, & in futurum providenter omnia fuerint conſtituta. Leguntur etiam ibidem *Caroli* literæ, quibus *Marchionatum Moraviæ* Joanni confert, vel potiùs confirmat, an. 1356. V. Cal. Octobr. ſubſcriptus *Arneſtus Prag. Archi-Ep. deinde Electores, & Imperij Principes ac Comites*, tum ex Proceribus Bohemiæ permulti, *Joan. de Roſenberg, Joan. de Sternberg, &c.*

Jure ſupremo ſibi, & Succeſſoribus reſervato.

Sed hoc imprimìs obſervatu dignum: tam hâc vice *Carolum*, quàm alios antè *Bohemiæ Reges*, quotiescúnque fratribus, vel liberis, vel agnatis Principibus *Moraviam* conferebant, disertè ſemper *Epiſcopatum Olom. & Ducatum Oppavienſem excepiſſe; quos Regibus Bohemiæ, & Coronæ Regni immediatè ſubeſſe voluerunt, tanquam rem appropriatam, & vinculo indiſſolubili conjunctam, ac totam inſertam.* Hinc fuerunt ſemper *Epiſcopi Olom. & Duces Oppav.* ab omni fevdo, ſubjectione, & reſpectu ad Marchiones Moraviæ abſoluti, & *immediatè ſoli Regi Bohemiæ ſubjecti.* Ex hoc autem, quòd Bohemiæ Reges permittentes alijs Moraviam, reſervarent ſibi, præter *Epiſcopatum Olom. etiam Ducatum Oppav.* quos alicubi appellat Carolus IV. *inſignes & magnificos Principatus*; clarè patet, *Oppavienſem provinciam, ad Marchionatum Moraviæ pertinuiſſe*, haud dubiè ab illo tempore, quo eam *Ottacarus Rex, circa an. 1254. Miecyslao Duci Ratiborienſi Opolienſique vi armorum extorſit*, ac poſtmodùm per amicabilem transactionem ſuam in perpetuum fecit: ſi enim aliò pertinuiſſet, excipere illam opus non fuiſſet. Huc facit denuò *Carolus IV.* qui in uno ſuorum diplomatum, dato anno 1348. Moraviam dividit *in tres egregios Principatus: in Epiſcopatum Olom. in Marchionatum ipſum, & Du-*

Oppavienſis Ducatus pars & membrum Moraviæ.

ab antiquo ad eam ſpectans.

Digitized by Google

& Ducatum Oppaviæ. Ubi etiam dicit: *prout jam dudum, claræ memoriæ Illuſtris Ottacarus II. proavus noſter dilectus, Terram Moraviæ dividens, Ducatum ſeu Principatum Oppavienſem creavit de novo: ipſúmque Ducem Oppaviæ, quem de mera benignitatis gratia ſublimavit in Principem, & ſucceſſores ejus, unà cum Ducatu præfato, ſibi & ſucceſſoribus ſuis Bohemiæ Regibus, & ejusdem Regni Coronæ, voluit immediatè ſubeſſe &c.* Addit: *ut ſi fortaſſe Ducatum Oppaviæ, abſque Romani Principis & ſuperioris licentiâ, creare non potuit, ſupplentes de plenitudine Romanæ Regiæ poteſtatis defectum. &c.* Sed ad viam.

MS. Liber Pri- vileg. Reg. Boh. in Biblioth. Capit. Prag. fol. 40. & ſequ.

Sub his Principibus, *Carolo & Joanne*, aurea ſecula in Bohemiam & Moraviam rediiſſe viſa ſunt; *amota procul bella, revocata pax, inſtauratæ Urbes, novæ ædificatæ arces, emendatæ leges, reſtituta judicijs authoritas, ſacrorum cultui pietas*, & quod publicum erat, & amabile cunctis, ubique ſecuritas. Incœperat quidem moveri anno 1349. *Carolum* inter & *Ludovicum Reg. Hung.* controverſia aliqua, incertum qua de cauſa, *deſitura brevi in bellum Moraviæ periculoſum:* ſed quæ tandem bono modo compoſita fuit, *Carolo* ad conſervandam pacem magis, quàm ad gerendum bellum, cujus eventus incerti eſſent, naturâ ſuâ propenſo. Donum poſtea *Carolo* miſſum â Ludovico, (hoc erat *pars Mappæ, ſuper qua Cœnam ultimam habuerat Chriſtus Dominus*, quæ in Eccleſia Metrop. Prag. *die Cœnæ Domini*, â meridie, poſt ſolennem *lotionem pedum*, ſingulis annis, publicæ venerationi exponitur) pacem tanto firmiùs ſtabilivit.

Pax & aureum ſeculum ſub Carolo IV. & Ioanne March.

Mappa de Cœna Domini.

Anno 1350. *Joannes Marchio* duxit in conjugem, prævià diſpenſatione Sedis Apoſt. *Margaritam, filiam Nicolai II. Ducis Oppav. & Ratibor.* ex qua ſucceſſu temporis genuit tres filios: *Jodocum, Joannem Sobieslavvek, & Procopium*; filias duas, *Catharinam & Eliſabetham. Et tunc deletum eſt*, inquit Beneſs, *opprobrium ejus, mentitique ſunt, qui dicebant ipſum eſſe impotentem ad generandum: cùm illo tempore Princeps eſſet puer, & totus juvenis.* Illâ mortuâ, duxit *Margaritam, Alberti Archiducis Auſtriæ filiam.*

Joannis March. poſteritas.

Beneſſ. in Chron. Eccl. Prag. lib. IV. ad an. 1350. MS. Anon. Canon. Prag. an. eod.

Anno 1354. *Carolus* iter Romanum, quod dudum antè in animo habuerat, ad capeſſendos ſupremos Imperij honores, adornandum ſuſcepit. Electus erat jam, ùt dixi, *Rex Romanorum*, & *Bonnæ* coronatus; ſed reſtabant duæ adhuc Coronæ, *ferrea Mediolanenſis, & aurea Romana*, â Cæſaribus tum temporis magno ſemper ſtudio quæſitæ: & ad illas igitur conſveto more capiendas, animum adjecit. Menſe Septembri movit ex Bohemia, magnâ Nobilitate, tum Bohemicâ, tum Moravicâ (præcipui námque, & ê flore juventutis præſtantiſſimi quique, huic expeditioni nomen dabant) comitatus: cui demum ex itinere, Principes & Comites Imperij quàm plurimi, cum copijs ſuis ornatiſſimè inſtructis, ſeſe adjunxerunt. Mediolani die 6. Jan. 1355. in templo S. Ambroſij, peracta eſt *Coronatio*, ſacra ſolemnéſque ritus procurante *Roberto Archi-Ep. Mediolan.* ac deinde Romæ, die feſto Paſchæ, per duos Cardinales, *Petrum Bertrandum*, & *Ægidium Alvarum de Alberneтijs, ab Innoc. VI.* qui tum Avenione in Gallia reſidebat, eum in finem miſſis. Qui ex Bohemis & Moravis huic ſolennitati præſentes aderant, nominantur: *Nicolaus Patriarcha Aquilejenſis Caroli frater, Arneſtus Archi-Ep. Prag. Joannes*

Caroli IV. iter Italicum.

Mediolani, & Romæ coronatio.

Raynald. in Contin. Barony Annal. Eccl. Tom. IV. an. 1355. Rebdorff. an. eod. Alb. Argent. in Chronol. Hagek. an. eod.

Ep. Olom. *Joannes Ep. Litomiſſl. Cancellarius Imperatoris, Protivva Ep. Segnienſis gente vel Sſvibovius, vel Czerninius, Czenko de Lippa, Henricus de Novadomo, Peſſik de Janovicz, Theobaldus de Riſmberg, Albertus & Georgius fratres de Kolovvrat, Haymon de Duba, Joan. Zagicz de VValdek, Jaroſſ de Rziczan, Zdenko de Lomnitz, Buſſko de VViczkovv,* & plures alij: quorum poſtea in defendendo Imperatore ac Rege ſuo, Piſis ex via reduci vix non per inſidias oppreſſo, præclara enituit virtus. *Beneſſium* de hoc Imperatoris periculo fideliter referentem audiamus.

MS. Beneſſ. l. 4. Chron. Prag. ad an. 1355. Dubrav. Hiſt. Boh. lib. 22. MS. Chron. Anonymi an. eod.

Cives Piſani ſubduli,

Dum Cæſari nova omnia ad vota ſua ſuccedunt, inimicus humani generis ejus felicibus actibus invidens, per pravos homines procuravit non modicum diſturbium. Veniunt itaque tyranni quidam fraude diabolicâ pleni, & in omni malitia experti, Franciſcus de Gambacurta, fratresque & amici ſui, cives Piſani, imò cohæredes inferni; & ſuggeſſerunt Domino Imperatori, ut exercitum dimitteret, & veniret Piſas cum modica gente, quòd omnia eſſent ad nutum ipſius. Imperator eorum & aliorum malo ductus conſilio, volens parcere expenſis, mandavit, ut omnes & ſinguli, præterquàm illi, qui Curiæ ſuæ, & ſtipendijs adſcripti fuerant, redirent ad propria: & factum eſt ita, & abijt quisque ad viam ſuam. Et venit Imperator ad civitatem Piſanam cum paucis, plus credens, quàm expediebat: ubi quâdam die cùm Imperator crederet ſe plenâ ſecuritate gaudere, manens cum Imperatrice in prætorio civitatis, iniqui homines, loci illius captatâ opportunitate, ſuccenderunt prætorium, ita ut Imperator & Imperatrix cum familia ſua, in domum cujusdam boni viri, ferè nudi vix evaſerint incolumes. Hoc facto, præfati tyranni ſuggeſſerunt populo, quòd Imperator ideò ſuccenderit prætorium, ut arma civium igne conſumerentur, & non haberent poſſe reſiſtendi ſuis inimicis Florentinis, quibus, ut falsè dicebant, promiſerat dare civitatem Lucam, & alia quædam caſtella: & commoverunt talibus corda populi, ut capitali odio perſequerentur Imperatorem, & in ipſius necem conſpirârunt omnes pariter magni & parvi.

Sub ſpecie amicitiæ, vitæ Caroli Imp. inſidiantur:

arma corripiunt, vimque intentant.

Captatâ igitur horâ opportunâ, dum Imperator, ſuique in meridie ſine armis hinc inde incederent, nullam curam de futuris contingentibus habentes; ecce, Franciſcus cum ſuis amicis concitârunt clamorem in medio civit. clamantes: Vivat populus, moriatur Imperator! Eâdem horâ erat Imperator in domo, & hoſpitio D. Ioannis Ep. Olom. & audito clamore, ſubitò congregatâ gente, quam habere potuit, & indutus armis præparavit ſe ad reſiſtendum: cui in auxilium veniunt illi, qui ex alia parte pontis fuerant, ſc. Epiſcopus Auguſtanus (Marquardus) *& Henricus de Nova domo cum ſuis; & poſt multos conflictus, quos habuerunt in pontibus, venerunt ad Imperatorem, & ſimul cum ipſo proceſſerunt armatâ manu ad forum. Tum videntes tyranni & populus fortitudinem Cæſaream, & gentis ſuæ audaciam, diffugerunt, recludentes ſe in domibus: ſed multi & infiniti ex eis ibidem in prælio occiſi ſunt, & proditores illi, Franciſcus, & alij ſex authores ſeditionis capti ſunt, poſitique ad tormenta, ubi omnia confeſſi ſunt: quos D. Imperator in medio civitatis curavit capitibus plecti.* Hucusque Beneſſius. Præter ſupra nominatos *Bohemos & Moravos,* qui

Bohemorum & Moravorum in defendendo Imp. virtus:

Digitized by Google

qui in comitatu Caroli tum fuerant, & qui in eo diſcrimine Imperatoris, præ cæteris ſtrenuè ſeſe geſſerant, nominat Hagecius etiam *Beneſſium de Kolovvrat, Georgium Kaplrz, Jaroſſium Kapaun de Svvogkovv, Buſſkonem de Hodkovv, Marſſikum de Habrzinka, Smilonem de Daubravicz, Beneſſium de Namieſſti, VVilhelmum VVanieczky de Gemniczka, Joan. VValeczky de VValecze.* Hos, & complures alios, ob rem fortiter geſtam, non tantùm collaudavit palam, verùm etiam baltheo militari, & torque aureo ſingulos donavit.

nomina illorum.

Redux in Bohemiam *Carolus*, ad condendas reformandáſque *Juſtitiæ leges*, & ad purgandam latrocinijs Bohemiam, & latibula prædonum expugnanda diruendáque animum convertit: & ut idem faceret *Ioannes Marchio in Moravia*, quam ſimiliter latrones quidam, occupatis arcibus ad excurrendum quaquaversùm opportunis, furtis & rapinis infeſtam reddebant, author fuit. Inter alias maleficentiſſimorum iſtorum hominum latebras, quas tunc in Moravia habebant, erant præcipuæ: *Rabenſteina*, intra Geſenikæorum montium anfractus, haud procul Rimaroviâ, opportuno ad latitandum & excurrendum loco ſita; *Iavvorka* & *Daleczina*, propè confinia Bohemiæ, ditioni monaſterij Zdiarenſis vicina, præter alia in alijs partibus, Hungariam & Sileſiam versùs: quæ omnia *Ioannes*, per diverſos expeditionis duces, partim anno 1356. partim ſequenti expugnavit & diruit, latronibus, qui deprehendi poterant, ad laqueum damnatis, cæteris diſperſis. Idem fecit in Bohemia *Carolus*, *tranſiens per Regnum* (verba ſunt Beneſſij) *multoties, fortalitia talium expugnabat, igne cremabat, & funditùs diruebat, & propria in perſona perſequebatur maleficos, diverſis eos interimens ſupplicijs, & non parcens malis. Sed & militem quendam Ioannem dictum* **Pancyř** / *quem aliquando ipſe Imperator baltheo militari præcinxerat, captum in caſtro Ziampach in latrocinijs, proprijs manibus ſuſpendit. Ex quo talis pax eſt facta in Regno, & in omnibus terris adjacentibus, qualem nulla ætas meminit, nec in Chronicis fuiſſe reperitur.*

Hagek. ad an. 1355. Daubrau. cit. MS. Anon. in Chron. Hung. an. eod.
Moravia â latrocinijs purgatur.
Bohemia ſimiliter.
Beneſſ. ad annum 1356.

Anno 1362. oborta eſt ſimultas gravis, inter *Ioannem Marcb.* & *Ludovicum Regem Hung.* levibus quibusdam injurijs, ùt fit inter vicinos populos, excitata; ſed acrioribus dictis & ſcriptis *Ioannis*, contra *Ludovicum*, ſic aucta, ut bellum utrinque magnis conatibus appararetur. Jam etiam *Ludovicus* agens tum *Trenczinij*, bellum Joanni per epiſtolam denunciavit; móxque *Ladislaum Apuliæ Ducem*, qui poſtea *Rex Neapolis* factus eſt, & *Petrum Pereni Banum*, cum expeditiſſimo equitatu in Moraviam populatum ire juſſit: qui ſummo impetu irruentes, ac reſiſtente nemine, facilè obvios vicos & caſtella diripuerunt & incenderunt; & ad ripas usque Moravæ audacter graſſati, tantam ubique formidinem incuſſerunt, ut & agreſtis plebs, & Nobiles qui ex altera parte fluminis ditiones ſuas habebant, non parum ſibi metuere cogerentur. Hoc modo jacto hoſtilitatis principio, brevì res erupiſſet in atrox bellum, *Carolo Imp.* partes Joannis fratris defendendas ſuſcipiente; & è contra *Cazimiro II. Poloniæ, & VValdemaro Daniæ Regibus, Bobuslaóque Duce Stetinenſi*, â Ludovico in ſocietatem armorum adſcitis, tanquam ſibi cognatione

Nova inter Moravos & Hungaros ſimultas,
erupit in bellum:
Bonfin. rer. Hung. decad. 2. lib. 10. Crom. rer. Polon. lib. 12. MS. Chron. Hung. auth. Elia Perger, an. 1362.

Digitized by Google

cauſa: ſubditorum quippe populorum erant amantiſſimi, quos florere divitijs, & augere ipſi, non ſpoliare cupiebant. Ex eorum certè numero Regum & Marchionum, quorum *memoria permanet in Benedictione Sancta.* Orbati igitur optimis Principibus *Moravi & Bohemi*, brevi poſt, Regnum, ac deinde Moravia, internis & externis motibus quaſſari cœpit, cum tanta rerum ſacrarum & profanarum confuſione, cuncta ſurſum atque deorſum miſcente, ut tandem & Religionis, & *Nobiliſſimi opulentiſſimique Regni* perniciem & excidium accelerarent: de quo in ſequentibus; ubi priùs adhuc *de Carolo*, nonnulla memoratu digna, & alia quædam, ex Beneſſio Scriptore coævo, paucis retulerimus. Non eſt mei propoſiti vitam Caroli pertexere; id enim & alij ante me fecerunt, & perfectiùs facient quidam ex conſtituto; ſed aliqua tantùm compendio, & per modum indiculi, recenſere, ac ea potiſſimùm, quæ legentium animis haud ingrata eſſe poſſint.

Hagek. ad an. 1378. MS. Chron. Anon. Can. Prag. qui continuat. Beneſſ. ad an. 1378. Daubraw. l. 22. Æn. Sylv. c. 33. Miecho-. lib. 4. cap. 34.

Balbin. in Vita Arneſti Arch. Prag. Joan. Gamans Soc. JESU.

Anno 1316. die 14. Maij, horâ diei primâ, naſcitur Joanni Regi primogenitus filius *Pragæ*: cui die 31. ejuſdem, in feſto Pentecoſtes, dum ſacro fonte ablueretur, per *Petrum Archi-Ep. Mogunt. in Eccleſia Prag.* præſentibus *Balduino Archi-Ep. Trevirenſi, Joanne Ep. Prag, & Petro I. Ep. Olom.* datum *Wenceslai* nomen: quo tamen non diu uſus fuit, ſed in Galliam poſtea miſſus ad *Carolum IX. Regem Galliæ*, accepto in Confirmatione ſacra per *Pontificem Joan. XXI Caroli* nomine, hoc retinuit. Nutricius ipſius atque cuſtos à parte conſtitutus, *Wilhelmus Zagicz*, ſeu de Hazmburg. Eodem anno moritur Petrus Ep. Olom. VII. Id. Julij *Pragæ*, ibique in Eccleſiâ Cathedrali, cujus erat *Præpoſitus* ſepelitur: cui *Cunradus* ſucceſſit.

Anno 1317. Regno in factiones ſciſſo, *Regina Eliſabeth*, cum tribus infantibus ſuis, *Margareta, Gutta*, & *Wenceslao*, Cubitum ſeceſſit. Anno ſequ. *Brunam* venit cum Rege, relictis puellis Regijs Cubiti, ſub tutelâ *Wilhelmi.* Eod. an. *Nicolaus Dux Oppav.* Brunæ moritur, & in Eccleſiâ Fratrum Minorum ſepelitur, circa feſtum S. Jacobi Ap. *pauper rebus* (quippe Ducatu jam dudum privatus) *ſed dives virtutibus.* Ejus filio cognomini *Nicolao*, Rex Ducatum reſtituit, qui non multo poſt, *filiam Ducis de Ratibor*, in uxorem duxit. Anno 1319. Rex malè informatus à quibusdam ſeditioſis, quaſi Regina in animo haberet filium tradere Baronibus educandum, ut poſtea commodo tempore illum in Regem ſuſciperent, irarum plenus, *Cubitum*, ubi tum Regina fuit, ſubitò advenit, caſtrum in ſuam poteſtatem redegit, Reginam abire juſſit, *Wenceslao parvulo* ſub cuſtodiam dato, & unà cum nutricibus *in quoddam cellarium conjecto, ità ut non viderit lumen per duos menſes, niſi per foramen*, ùt narrat Beneſſius. *Usque adeò Regnum impatiens conſortis eſt*, ut nec infantibus credatur: *induſium illud*, ùt ait ille, *quo nemo exui vult, niſi mortuus.* Anno ætatis ſeptimo *Carolus* mittitur in Galliam, apud *Mariam* materteram ſuam, *Caroli Regis conjugem* educandus: ubi ſequenti anno, deſponſata eſt ei puella regia, *Philippi Valeſij*, qui poſtea Carolo ſucceſſerat in Regno, ſoror, nomine *Blanca*: ſeptennio poſt remiſit utrúmque honorificè *Philippus* jam regnans, ad Joannem patrem Luxemburgi tum agentem. Sequuta deinde *Caroli* per Italiam glorioſa geſta, bella, triumphi; de quibus aliquid ſupra: reliqua, præſertim de admirabili illa viſione, circa mortem Delphini, déque periculis, ex quibus omnibus liberavit eum Dominus, videantur in ejus Vita ab ipſomet conſcripta.

Anno 1322. prid. Id. Febr. natus eſt Melnici, *Joannes-Henricus*, poſteà Marchio Moraviæ. Eodem anno, *Joannes Præpoſitus Wiſſebradenſis Cancellarius Regni, Prag. & Olom. Canonicus*, Reginæ frater (ſed à parte natus) proditionis alicujus, licèt falsò, apud Regem ſuſpicacem inſimulatus, grave diſcrimen ſubijt: nam ab alijs perſvaſus, ut non negaret, quòd Regem fortaſſe magis irritaret, ſed potiùs reum ſe ultro fateretur,

Carolus IV. naſcitur, vocatus priùs VVenceslaus.
Beneſſ. de VVeitmilla Can. Prag. in Chron Eccl. Prag. lib. 2. an. 1316. Hagek Kuthen. an. eod.
Lupac. VVeleslaw. Beneſſ. cit.
Nicolaus I. Dux Oppav. moritur Brunæ.
Petrus Ab. in Chron. Aulæ Reg. part. 1. cap. 5.
Joannes Rex, etiam erga ſuos mirabilis & acerbus.
Beneſſ. ad an. 1319. Petr. Ab. an. eod. Claudian. Cauſſin.
Carolus mittitur in Galliam erudiendus: ejus per Italiam geſta glorioſa.
Joan. March. Morav. naſcitur.
Joannis fratris Reginæ grave diſcrimen.

tur, & gratiam veniámque delicti ſupplex peteret; ita fecit homo ſimplex, & artium aulicarum rudis. Mox in carcerem conijcitur, *& quaſi latro, ut mortem unam deteſtabilem ſibi eligat, ei proponitur. Mentita eſt tamen iniquitas ſibi*, & ille noctu evaſit, inque Bavariam, ad *Eliſabetam* ſororem, quæ tum apud generum, *Landsbuti* morabatur, profugit. Rex etiam deinde ipſe, cognitâ viri innocentiâ, eum in gratiam recepit, priſtinæque dignitati reſtituit: qui poſtea *factus Epiſc. Olom.* verba ſunt Beneſſij, *multa bona illi Eccleſiæ fecit; fundavit monaſterium Monialium in Puſtomirz, Ord. S. Bened. in Moravia, & alterum ejusdem Ord. & Monialium Pragæ, ad Miſericordiam Domini*; nunc vocamus, *ad S. Spiritum.* Ad Carolum redeo, qui potiſſimùm author fuit, ut *Cathedralis S. Viti Eccleſia Prag. in Metropolitanam erigeretur; & Conventualis Ord. Præmonſtr. Litomyſslenſis, in Cathedralem*; quod factum 1344. *Olomucenſis Epiſcopatus quoque*, è poteſtate Moguntini acceptus, & Pragenſi ſubjectus. Author etiam fuit, & primus omninò *Fundator Academiæ Pragenſis*, quam *Clemens VI.* confirmavit an. 1347. XXVI. Januar. qui inter alia dicit in literis Apoſtolicis datis Aven. VI. Cal. Febr. an. Pontif. V. *ut Regnum iſtud, quòd Divina Bonitas multitudine populi, rerúmque copiâ prædotavit, fiat literarum fertilitate fœcundum: ac in eo, quemadmodùm auri & argenti copia dignoſcitur, ſic ſcientiarum prævalentium ſit abundantia, ut viros producat conſilij maturitate conſpicuos, virtutum redimitos ornatibus*, &c. Carolo proinde debet Bohemia, quòd *ſi qua alia toto Orbe natio*, loquor non verbis meis, *ipſa habeat Nobilitatem ſapientiæ artibus excultam.* *

Daubrav. l. 20. & 22. Auguſt in Cathal. Epiſc. Olom.
Carolus fundator Eccleſiæ Metrop. Prag. Eccleſiæ Cathedralis Litomiſsl.
Sylv. in Hiſt. Boh. c. 33. Lupac. Kuthen. Hagec.
Academiæ Pragenſis, &
Nicolaus Avanc. S. I. Elogijs Impp. in Carolo IV. Lib. IV. ad an. 1348.
Novæ Civit. Prag.

Anno 1348. die *B. Marci*, ùt ſcribit Beneſſ. qui tum vixit, *Carolus Romanorum & Boh. Rex, poſuit primum lapidem, & fundavit Novam Civitatem Prag. protendens murum fortiſſimum, cum valvis & turribus altiſſimis, à Caſtro Wiſſebrad usque in Porzicz: ſed & ipſum montem Wiſſebrad cinxit muro; & totum opus conſummavit infra biennium. Et fecit plantare hortos, atque vineas circacircum, auctúsque eſt populus vehementer in brevi tempore. Fecit etiam advehi de Auſtria vites nobiliſſimas, quas ibi, & ſub caſtro Carlſtein, quod eodem tempore ædificare inceperat, plantavit. Extruxit etiam ipſe Rex in diverſis locis piſcinas plurimas, Regno multùm proficuas. Hoc advertentes nobiles, Religioſi & plebei, plantârunt quoque vineas & hortos, & extruxerunt piſcinas; gratias agentes Altiſſimo, quòd talem eis conceſſerit Principem, ſub cujus ditione omnia ipſis proſperabantur. Eodem anno*, ait idem, *fundavit Monaſterium Ord. S. Bened. in eadem Civitate Nova, & inſtituit in eo Fratres Slavos, qui Slavonicè Miſſas celebrarent, & Horas pſallerent.* Aliud deinde an. 1354. ibidem ædificavit in honorem *S. Ambroſij*, in quo à Religioſis Ord. S. Bened. omnia *Mediolanenſis Eccleſiæ ritu* peragebantur. Anno 1356. in Comitijs Nornberg. *Auream*, ùt vocant, *Bullam*, quâ hodiéque regitur Imperium, condidit: in qua, præter alia, hortatur Principes, ut filios ſuos, has præprimìs linguas diſcere jubeant, *Germanicam, Latinam, Italicam*, & *Slavonicam.* Quod alibi ſvadet & ipſis Imperatoribus, ùt Philippus Bergom. narrat: *hoc anno*, inquit, *Carolus Imperator magnum procerum ſuorum concilium habuit in Germania; ubi inter alias conſtitutiones, hanc optimam de Regum & Impp. creatione edidit, hocque præcipuum ſtatuit:* ut *qui de cætero ad Cæſaream aſpirarent dignitatem, etiam variarum linguarum peritiam haberent; & præſertim Latinè, Italicè, Gallicè, Liburnicè, & Germanicè tenerent: ut deinde creatus Imperator varijs linguis, quibus poſtea præeſſet, ſine interprete reſpondere poſſet.*

Idem, bonus Oeconomus. Fœlicitas eo regnante.

Franciſcus, Beneſſ. Hagek. Kuthen. VVeleslavin.
Bullam Auream pro Imperio condit.
Bergom. in Chron. ad an. 1362.
Linguarum peritiâ Principibus utilis.

Anno 1357. Carolus in civit. Metenſem venit, maximo omnium Ordinum applauſu exceptus. Digna eſt de hoc narratio Beneſſij, qui aderat, ita ſcribentis. *Anno 1357. ferè per totum annum D. Carolus Imperator moratus eſt in partibus Alamaniæ, procurans pacem, & diſponens negotia Imperialia. Demum eodem anno, de menſe Novembri, ingreſſus eſt Civitatem Metenſem magnam & famoſam nimis, in qua, ùt referebant, à 300. annis nunquam fuerat coronatus Imperator: & cum maxima ſolemnitate à Principibus, Nobilibus, & civibus ſuſcipitur. Cives enim ejusdem civitatis ipſi occurrentes, ad tria milliaria, claves civitatis, & omnium portarum ſibi præſentant, ſe & ſua ejus Imperio, cum*

Carolus Metas venit: *Beneſſ. ad an. 1357. Tritem. in Chron. Hirſ. an. 1366* maximo cum honore, & omnium gaudio excipitur.

omni

omni benivolentia ſubicientes. Et factum eſt gaudium maximum in introitu Domini Imperatoris, omnis Clerus, & populus totus illi cum lætitia & jucunditate occurrunt; ipſum gaudenter ſuſcipiunt, & usque ad domum Epiſcopalem ſibi pro hoſpitio præparatam, cum Reliqijs, hymnis, & canticis conducunt. Demum D. Imperator ibidem moram faciens, Curiam Imperialem, & concilium Principibus Imperij, in eadem civitate, pro Feſto Nativitatis Chriſti tunc venturo celebrandam indixit. Inſtante igitur Feſto, venerunt ad Curiam Imperialem, Ambaſſatores Domini Papæ, videlicet Cardinalis Taraconenſis, & Abbas Cluniacenſis. Item duo filij Regis Franciæ, primogenitus & ſecundus, ſororini Domini Imperatoris. Item Archi-Epiſcopi, Trevirenſis, Colonienſis, & Moguntinus. Item Dux Luxenburgenſis, repræſentans perſonam Regis Bohemiæ, qui eſt Archipincerna: Dux Saxoniæ Archimarſchalcus: Marchio Brandeburg. Archicamerarius: Comes Palatinus Rheni Archidapifer: Marchio Miſnenſis Archivenator, ſacri Imperij Officiales. In feſto igitur Nativitatis Domini, in matutinis, Dominus Imperator indutis Imperialibus Inſignijs, coram Principibus ſupradictis, legit Evangelium: Exijt edictum à Cæſare Auguſto; & Dominus Cardinalis coram Imperatore cantavit primam Miſſam; de cujus manibus, D. Imperator ſumpſit ſacram Euchariſtiam humiliter & devotè. Deinde ſummam Miſſam illius diei cantavit Archi-Epiſcopus Colon. Quâ ſolemniter peractâ, omnes Archi-Epiſcopi, Epiſcopi & Prælati, nec non Principes ſeculares Dominum Imperatorem, & D. Imperatricem, indutos veſtibus & Inſignijs Imperialibus, conducunt ſolemniter ad domum convivij, in medio Civitatis, in foro præparatam, & pulchrè adornatam. Ubi poſitæ ſunt tabulæ, atque menſæ plurimæ pro invitatis.

Comitia Imperij indicit.

Electores & Principes ibidem præſentes.

Solemnitas Nativit. Chriſti, quali cum pompa, ibidem peracta.

Sedente itaque Domino Imperatore ad tabulam in loco eminentiori, veniunt Officiales Imperij, ſua prout moris eſt, exhibentes obſequia. Et primò Archi-Epiſcopi ſupradicti cum ſigillis Imperialibus; quia Cancellarij ſunt ſinguli in ſuis locis. Item venit Dux Saxoniæ Archimarſchalcus, in magno dextrario, ante menſam, portans avenam in vaſe argenteo pro equis Imperialibus; & fecit ſedere Principes ſingulos ad menſam, quemlibet in loco ſibi præparato. Poſt hunc venit Marchio Brandenburg. Archi Camerarius, in dextrario, portans peluim auream, & manutergia pulchra, & dedit aquam Imperatori ſedenti in throno. Poſt hunc venit Comes Palatinus portans eſcas in ſcutellis aureis, & factâ credentiâ poſuit ante Imperatorem. Poſt hunc venit Wenceslaus Dux Luxemburgenſis & Brabantiæ, frater Domini Imperatoris, repræſentans perſonam Domini Regis Bohemiæ, qui eſt Archipincerna, portans in ſcyphis aureis vinum, & factâ credentiâ, dedit Imperatori ad bibendum. Ultimò veniunt Principes, Marchio Miſnenſis Archivenator, & Comes de Schvvarzenburg ſubvenator, cum tribus canibus venaticis & tubis multis; & magnum facientes ſtrepitum, cervum & aprum portant ad menſam Principis, cum omni alacritate. Et factum eſt convivium maximum in die illa, cui ſimile nullus recordatur. Quo peracto, D. Imperator, Principibus dimiſſis, diverſa & magnifica largitus eſt dona: & receſſerunt cum gaudio & lætitia unusquisque ad propria. Eodem anno, Imperator poſuit fundamentum, ſive primarium lapidem, in fundamento *novi pontis Pragenſis*, in litore propè monaſterium S. Clementis.

deinde convivium in foro Civitatis ſplendiſſimè celebratum;

Electoribus, & alijs Principibus, in ſuis officijs, Imperatori miniſtrantibus.

Carolus pontem Prag. ædificari curat:

Anno 1364. mortuo *Arneſto Archi-Epiſcopo I. Prag.* ſuccedit Epiſcopus Olom. *Joannes de Wlaſſim*, à Capitulo electus; anno ſequenti *Legatus natus*, ac poſtea an. 1378. etiam *Cardinalis tit. XII. Apoſtolorum* creatus: cui *Papa Urb. V.* adhuc ante acceptum pallium, adminiſtrationem in ſpiritualibus & temporalibus conceſſit: pallium deinde, in quo deſignatur plenitudo Archi-Epiſcopalis dignitatis, per *Epiſcopum Spirenſem Lambertum* accepit. Carolus autem ſequenti *anno, per nuncios impetravit ab eodem Papa privilegium valdè honorificum Eccleſiæ Prag. (ità Beneſſ.) ut quotiescunque Archi-Epiſcopus Prag. per ſeipſum facit officium in Eccleſia Prag. tunc, omnes Prælati & Canonici præbendati, uti poſſint infulis albis, more Cardinalium Domino Papa concelebrantium. Ubi autem Archi-Epiſcopus facit officium in provincia ſua, & ſuæ Legationis terminis, debent duo Canonici ei ſub hujusmodi infulis concelebrare, in officijs Diaconi & Subdiac. Item, Prælati & Canonici Prag. poſſunt ſub hujusmodi infulis celebrare divina, in Eccleſia Pragenſi diebus Solemnibus & feſtivis. Quando autem alius Pontifex undequàque faceret officium divi-*

pro Archi-Epiſcopis Prag. impetrat à Sede Apoſt.

datum Bullæ 3. Cal. Junij, an. 1365. Avenione: ut ſint Legati Nati per Bohem. & Morav:

pro Prælatis & Canonicis;

Digitized by Google

divinam, in Eccleſia Prag. Prælati & Canonici dictis inſulis non utantur; niſi forent præſentes dictus Dominus Imperator, vel hæres ac ſucceſſor ſuus Rex Bohem. volens in hoc ſpeciſiter honorare Regiam dignitatem. Conceſſit etiam: *Dilectis filijs Decano & Canonicis Eccle. Prag. ut quandocunque quis veſtrûm Miſſam in dicta Eccleſia ſolemniter celebrabit, tam ipſe Celebrans, quàm illi, qui ex vobis tunc in Diacon. & Subdiac. Ordinibus eidem ſervierint, hujuſmodi inſulis licitè uti poſſint. Dat. Aven. III. Cal. Jun. anno Pontif. II.* Quam inſignem prærogativam poſtea *Bonif. IX. & Sixtus IV.* ampliùs adhuc extenderunt: videantur, quæ *ſcripſi in Phoſphoro Gloriæ Metrop. Eccl. Prag. Radio III.*

ut in Divinis officijs, Infulis uti poſſint.

Radio III. pag. 193. & ſequ.

Joanni de VVlaſſim ſucceſſit Olomucij, *Joannes de Novo foro Epiſcopus Litomiſſl. Vice-Cancellarius Imperialis;* quem ex Olomucenſibus Epiſcopis primum, Carolus *Comitem Regalis Capellæ Bohemiæ creavit*, dato diplomate an. 1365. pro illo & ſucceſſoribus ejus: in quo præterea ipſum & ſucceſſores *Principes* appellat, iisque præcedentiam ante alios Epiſcopos ibidem præſentes (excepto Pragenſi Archi-Epiſcopo) & conſequenter ante alios omnes proceres & Principes Seculares concedit.

Epiſcopi Olomuc. creantur Capellæ Regiæ Comites.

Eodem anno, menſe Majo, *Carolus* cum magno comitatu Nobilitatis Bohemæ atque Moravæ, profectus eſt Avenionem, ad Pontificem: ubi *D. Papa ob reverentiam Imperialis dignitatis, fecit coram Imperatore Officium in die Pentec. qui erat indutus Imperialibus, & reſidebat in Majeſtate ſua, ex oppoſito Papæ, in ſolio Regali: & impleta eſt ſcriptura quæ dicit: Sol & Luna ſteterunt in habitaculo ſuo. Ibi etiam Imperator cupiens exaltare Eccleſiam ſuam Prag. impetravit à Domino Papa, ut D. Joannes Archi-Ep. Prag. & omnes Succeſſores ejus, fungerentur officio Legationis in ſua provincia Prag. nec non in Ratisbon. Bamberg. & Miſnenſi Diœceſibus, perpetuis temporibus. Et in ſignum hujus tranſmiſit Papa eidem Archi-Ep. Prag. Crucem arg. deauratam, & Pileum latum nigrum, & cappam de panno bruneto, ut illis inſignijs in terminis ſuæ Legationis, ipſe & Succeſſores ſui uterentur. Qui deinceps ſe ſcripſit Sedis Apoſt. Legatum, & viſitavit Provinciam ſuam, & dictas Diœceſes; & obedi verunt ei omnes, nec fuit cui hoc factum diſpliceret:* ita Beneſſius. Addit: *eodem anno coronatus eſt D. Imperator coronâ Regni Arelatenſis, quod Romano ſubeſt Imperio, in civitate Arelatenſi, cum maxima ſolemnitate.* Et hæc erat jam *Corona Quinta*, quâ coronatus fuerat Carolus: & *hâc quidem*, ùt narrat Beneſſius, *non erat ullus coronatus facilè à trecentis annis:* In Bohemiam redux, *corpus S. Sigiſmundi* ex Augienſi monaſterio Pragam attulit: & cùm anno 1368. ei natus eſſet filius, quia meritis & precibus ejusdem Sancti, ſibi à Deo impetratum credebat, nomine Sigiſmundi (hic poſtea erat Rex & Imperator) illum inſignivit.

Carolus ad Pontificem proficiſcitur, in Galliam. *Beneſ. ad an. 1365.*

ubi iterum nova decora pro Archi-Ep. Prag. impetrat.

Quintò jam coronatur.

Corpus S. Sigiſm. Pragam adfert.

Eodem anno, nempè 1368. vocatus à Papa Urb. V. qui ſedem ſuam Romam transferre decreverat, ut ſibi priùs veniret in ſubſidium contra ſeditioſos quosdam, Italiam cum exercitu petijt: commiſsâ Regni curâ Joanni Archi-Ep. Prag. ubi repreſſo Barnabove Mediolanenſi, & ipſius aſſeclis, factione Gibellinis, Romam venit; *quem D. Papa in brevi ſubſequitur;* verba ſunt Beneſſij. *Audiens autem Imperator adventum D. Papæ, ei cum Clero & populo exit obviam, atque cum magna ſolemnitate ipſum ſuſcipit: & non immemor ſanctorum ſuorum prædeceſſorum Cathol. Rom. Impp. illorum in hac parte ſequens veſtigia, deſcendens de equo, duxit D. Papam, per frænum equi pedeſter, usque ad gradus Eccleſiæ S. Petri. Magna humilitas tanti Principis! ſed non immeritò, ait enim Veritas: quanto major es, humilia te in omnibus: & cùm eſſet Chriſtianiſſimus, voluit Vicarium Jeſu Chriſti honorare.* Addit porrò de ſe: *hic tu, qui vidiſti, & noſti, materiam dilata.* Poſt hæc in Feſto Om SS. D. Papa faciens officium in Eccleſia S. Petri, præſente Imperatore in ſolio Majeſtatis ſuæ, coronavit D. Eliſabeth Reginam in Imperatricem Rom. manſitque Romæ Imperator cum Papa, in eodem pallatio apud S. Petrum, ad feſtum usque Nativit. Domini, tractantes & diſponentes negotia Eccleſiæ & Sacri Imperij. Inde abivit *Senas:* tandem *Lucam;* ubi manſit per ſex ferè menſes, & Gibellinos denuò inſurgentes, magnâ clade proſtravit, die feſto S. Viti, an. 1369.

Romam ſecundò cum exercitu petit; an. 1368.

Papam Urb. V. Sedi ſuæ reſtituit.

Ejus humilitas.

Beneſſius noſter tunc præſens erat.

Eliſabethæ Imp. coronatio.

VVeleslaſ. in Calend. ad d. 1. Nov.

Anno 1370. menſe Auguſto, Comitia Imperij Nornbergæ celebravit; quò vocatus etiam *Wenceslaus Rex Boh.* magno cum comitatu die 9. ejusdem venit, excitatis priùs

Carolo nova victoria.

prius ante urbem, duobus in locis, more ſuorum anteceſſorum Bohemiæ Ducum & Regum, ignibus, in ſignum ſui adventûs. *Habent nàmque ab antiquo*, ità Beneſſ. *Principes & Reges Boh. ut vocati ad Curiam Imper. in flamma & igne veniant: propterea deferebant etiam antiquitùs Aquilam nigram in flamma ignis, & campo albo; quæ adhuc hodie ſunt arma Terræ Bohemiæ. Cauſa fortè hujusmodi indulti fuit, ne Princeps, vel Rex Boh. ex levi quacùnque cauſa, ad Curiam Imper. vocaretur.* Addit: *exiverunt autem obviam ipſo die Regi, omnes Principes Alamaniæ, Nobiles & Cives, quotquot aderant, & exceperunt ipſum cum ingenti ſolemnitate: quibus omnibus ipſe poſt hoc fecit die tertiâ convivium magnum nimis.* Erant tunc in comitatu Regis, etiam *Joannis March. Moraviæ filij, Jodocus & Procopius*, cum magna Nobilitate Moravica. Eodem anno, *Joanna conjunx Regis Wenceſl.* coronatur in Reginam Bohem. die Dominico infra octavam S. Martini, ſeu 17. Nov. in præſentia *Caroli Imper. & Wenceſlai Regis.* Et tunc Bohemia habebat duos Reges coronatos, patrem & filium; & duas Reginas etiam coronatas, *Eliſabetham Caroli, & Joannam:* quod, quantum ſcio, nunquam antea, neque pòſt, accidit.

Regum Bohemiæ ad Comitia Imp. adventus in flamma & igne. *Lupac. VVenceſlaſ ad diem 9. Auguſt.*

Res nova: duæ Reginæ coronatæ in Bohemia. *Beneſſ. ad an. 1370.*

Anno 1372. Caroli exiſtenti in partibus Rheni, *cecidit unus dens molaris, tempore dormitionis ſuæ, abſque omni dolore, & alius dens in ejus locum ſuccrevit, anno ætatis ſuæ 57. Res hæc nova, & inaudita, ut in tali ætate dentes recreſcant: & tamen veritatem ſcribo, quia ſic vidi.* Ita Beneſſ. Anno 1373. Carolus Marchiam veterem Brandeburg. emit ab Ottone March. genero ſuo, ducentis aureorum millibus: medietatem ſtatim numeravit, pro reliquo caſtra quædam, & ditiones in Bavaria ei interim ceſſit. *Tum conſentiente & petente Ottone, Imperator inveſtivit filios ſuos, Wenceſlaum Regem, Sigism. & Joannem: ijs verò deficientibus, D. Joannem Marchionem Moraviæ, & filios Jodocum, Joannem dictum Sobieslaw, & Procopium, per traditionem vexilli;* Hanc poſtea Sigismundus abalienavit.

Carolo jam ſeni dens renaſcitur. *Beneſſ. Hagek. ad an. 1372.*

Carolus Marchiam Brandeb. emit: *Beneſſ. VVenceſl. ad d. 4. Sept. an. 1373.* quam poſtea Sigismundus abalienavit.

Plura adhuc poſſent *de Carolo* commemorari, & glorioſa ſanè ipſius acta, longiori ſerie recenſeri, ſi locus hic eſſet, & profeſſio Operis me ad alia non revocaret. Monaſteria, templa, arces, urbes, aliàque ab eo conſtructa tot ſunt, ut abſque faſtidio fortaſſe lectoris, vix omnia numerari poſſent. Præter *Novam Urbem Prag.* quam condidit; *Veterem* quam pluribus ædificijs ſacris & profanis, publicis & privatis illuſtravit; *Parvam*, quam munivit: præter & domum Regiam, quam, & penes illam inſigne Palatium, in Caſtro Prag. extruxit; & *Arcem Wiſſebrad*, quam majori ex parte in ruderibus jacentem, magnificentiſſimè inſtauravit; (ut taceam de alijs) etiam *Wratislaviam*, primariam in Sileſia urbem, quam, ùt ſcribit Henelius, *ad usque delitias adamavit*, ultra Olavam flumen extendit, templòque inſigni & ſumptuoſo S. Dorotheæ exornavit. *Monſtrantùrque literæ Caroli, ipſius manu ad Senatum Wratislav. ſcriptæ; quibus nunciari ſibi petit, quomodo valeant? ſe valde de ijs eſſe ſollicitum.* &c. Quàm amabilis Princeps! quàm benignus! haud immeritò certè à Scriptoribus Sileſijs, *Cyrus alter & Auguſtus* appellatur *Carolus.* Huc facit, quod in alijs literis ſcribit: *debita ſolicitudo nos provòcat, ut noctes plerùmque ducamus inſomnes: ut ſubditi noſtri, ſub tegmine dignitatis Regiæ, queant vivere quietè, &c.* Item, præter Eccleſiam Prag. quam *in Metropol.* ùt dixi, erexit, & quam, (*Chorum* ſc. *S. Viti*) unà cum *Sacello S. Wenceſlai*, ſplendidiſſimè ædificavit, prout etiamnum videmus. Præter templa & monaſteria Pragæ, qualia ſunt: *Collegiata Eccleſia S. Apollinaris, templa & Parochiæ S. Henrici, & S. Stephani, Beatiſſimæ Virginis ad Nives Ord. Carmelit. S. Caroli, vulgò in Karlow, Canon. Regularium S. Aug. Divæ Catharinæ monialium Ord. Eremit. S. Aug. Annunciatæ Beatiſſimæ Matris Ord. Servitarum:* hæc in *Nova Civitate*, unà cum *Slavorum* & *Ambroſianorum* cœnobijs, de quibus ſuprà. In *Veteri*, Collegiata *S. Ægidij* annuis proventibus, & Canonicorum numero aucta: *Carthuſianorum* poſt portam Augezdenſem *Eremus*, ſub titulo Hortus Mariæ, à Joanne Rege quidem fundata, ſed per *Carolum* completa: in Arce Prag. *Collegiata Om. SS.* Præter iſta, inquam, etiam in Italia, *in Terentij Villa Diœceſis Parmenſis*,

Carolus innumera ædificat.

VVratislaviam amat. *Henel. in Præteſiograph. cap. 5.*

Curæus in Annal. Sil. Schikfuſ. lib. 1. Annal. cap. 30.

præcipuæ ædificationes ab eo: *Lit. Caroli IV. de ligno Cruc. Dom. in Archivo Capit. Prag. originales.*

Digitized by Google

Trithem. in Chron. Hirſſaug. ad an. 1360. etiam in exteris Regnis & Provincijs.

Theoph. Reynaud. S. I. Tomo XVII. tract. Amor nationis temperand.

Rebdorff. in Annal. ad an. 1361. Monaſteria à Carolo vel ædificata, vel inſtaurata, vel proventibus aucta.

menſis, Eccleſiam Collegiatam Divæ Virgini ſacram, ubi aliquando mirabilem Viſionem habuerat, de morte Delphini Gallici; & aliam *Norinbergæ*, necnon *Ingelheimi*, in honorem *S. Caroli Magni*, ex ejusdem Sancti palatio extruxit. De hoc poſteriori loco *Trithemius Abbas* ita ſcribit: *In aula Imperialis villæ, quæ dicitur Ingelnheim, non longè à Moguntia, cœnobium Canonicorum Ord. S. Auguſt. inſtituit Carolus Imp. in quo recipi neminem ad Religionem, niſi fuerit de Bohemia natus, ordinavit. Primos autem ejusdem monaſterij Fratres, de cœnobio S. Caroli in civitate Pragenſi aſſumi fecit: quibus Præpoſitum, ſecundùm conſvetudinem Canonicorum Regul. præfecit, ſubjiciens tam ipſum, quàm Fratres & locum, perpetuis temporibus, Abbati monaſterij præfati S. Caroli in civitate Prag. cui & noſtris temporibus pleno jure eſt ſubjectum.* Romæ, *hoſpitale pro peregrinis Bohemis excipiendis, in regione Pontis Adriani, penes ſacram Divæ Luciæ ædem, à Spitihnevo I. Bohemorum Duce*, ùt narrant Scriptores, *fundatum*, (vel inchoatum potiùs, & *à D. Wenceslao* Spitihnevi nepote perfectum,) *ſed injuriâ deinde temporum collapſum, inſtauravit, ac plurimùm locupletavit.* Ibidem etiam in *Vaticana Baſilica*; ſicut & *Aquisgrani*, in Eccleſia ſumma *Beatiſſimæ Virginis*, altaria *in honorem S. Wenceslai* erexit; & utrúmque opimo ſacerdotio, Miſsâque quotidianâ dotavit. Dúmque natus eſſet ei filius *Wenceslaus*, juſſit illum ſtatim poſt baptiſmum *ponderari in ſtatera cum auro: qui cùm ponderâſſet ſedecim marcas auri, illas Aquisgranum miſit, & Eccleſiæ, offertorij locò præſentavit.* Et ubi manent alia adhuc monaſteria in Bohemia, *Tachovienſe* Carmelitarum, *Owinenſe* propè Zitaviam Cæleſtinorum, *Zwolenſe* propè Jaromirum Dominicanorum, quæ ædificavit? *Oſſecenſe* Ciſtercienſ. *Piwonkanum* Eremitarum S. Aug. *Syločnſe* Præmonſtrat. *Swietecenſe* Virginum Cruciger. ſacri ſepulchri, & plura alia, quæ vel vetuſtate collapſa priſtino decori reſtituit, vel novis proventibus adauxit? *Litomyſſlenſe* Eremitar. S. Aug. *Tuſtenſe* eorundem, *Roczovienſe* eorundem, *Trebonenſe* Canon. Regul. S. Aug. *Skalicenſe Ciſterc. Podiebradenſe* Carthuſianorum, *Rubus B. Virginis* propè Litomyſſlium eorund. *Krumlovienſe* Conventualium Virorum & Virginum: quæ ab alijs fundata, non tantùm pro poteſtate Regia confirmavit, verùm etiam de ſuo liberaliſſimè, uti ſolebat, dotavit? Nec prætereundum, quòd ut patria Bohemiæ jura dilataret, *duos Marchionatus, Brandeburgi*, ùt jam dixi, *& Luſatiæ: tres Ducatus, Sileſiæ, Bavariæ & Mechelburgi ei adjecit; non armis, quod mireris, ſed vel pace, vel pretio.* Ditiones præterea complures per Germaniam coëmit, quas feudales Coronæ Regni Bohemiæ fecit: eæ ſi enumerari hic deberent, paginam utrámque implerent. Fœderibus quoque cum finitimis Regibus, Regnis, Principibus & Communitatibus initis, Regno ſecuritatique ejus accuratè proſpexit; haud ignarus, *quò quis magis opibus, principatu ac poteſtate excellit, ita etiam magis ei opus eſſe amicis.* Nam quis populus adeò fælix, fortis, bellicoſus & tutus, qui non amicorum fœdere ad caſus dubios ſit uſus? nec ipſos Romanos rerum Dominos, in comparandis ſocijs & fœderatis, iisque in officio retinendis, quidquam laboris & induſtriæ remiſiſſe conſtat. Redeo ad *Carolum*, qui pro bòno Patriæ publico, Conſtitutiones Regni correxit, & ne illæ deinceps pro arbitrio cujúsque mutarentur, aut aliæ ſine conſenſu Procerum conderentur, decreto cavit. Novam Regni Coronam, quâ hodièque coronantur Bohemorum Reges, magni ſanè pretij, & quæ ſplendore, elegantiâ & dignitate, vix ulli alteri in Europa cedit, fieri curavit, cum ſceptro, pomo aureo, & annulo regio. Viros eruditos amavit: & quantâ ipſe quoque ſciendi cupiditate laboraret, oſtendit, quando diſputationes Doctorum *ſuas Canas* appellavit: *monſtrum fuiſſet, imperante Carolo, egenus Doctor.* Reliquias SS. toto penè Orbe collegit, iisque Metropol. Divi Viti Eccleſiam Prag. quam unicè dilexit, exornavit. Trithemium hic denuò audiamus: *Anno 1356. conventu Metis ſoluto, Carolus Imp. cum uxore tranſivit de civitate in civitatem, & de monaſterio ad monaſterium, Sanctorum Reliquias ubique diligenter inquirens; & exinventis, multas precibus, quas nullus ſpernere potuit, obtinuit, quas ad gloriam & decorem Eccleſiarum ſuæ gentis, in Bohemiam invexit.* Videantur quæ de his fusè ſcripſi, in Phoſphoro Septicorni, *Radio IV.* Danubium cum *Wltava*, qui Pragam interfluit, commit-

Regnum ditionibus auget; *Avancin. cit. in Carolo IV.*

Fœderibus firmat. *Ariſtotel. lib. 8. Ethic.*

Emendat ſtatuta Regni. Novam Coronam pretioſam fieri curat:

Trithem. cit. ad an. 1356.

SS. Reliquias toto Orbe colligit:

Digitized by Google

mittere, & in Bohemiam ducere in animo habuit; jamque rem tanti momenti ipſo actu tentavit, miſſis libratoribus, qui modum & locum idoneum invenirent, (*apparent etiamnum tanti conatûs veſtigia*, ait Daubrav.) ſed Auſtriacis & alijs vicinis, qui Danubium aliò verti, ſine damno ſuo ingenti, non poſſe videbant, id precibus & minis prohibentibus, & morte etiam Caroli paulo poſt interveniente, nihil factum. Jus tamen *Empory* Pragenſibus contulit, mercêſque omnes *Venetas*, *Auguſtanas*, *Norimb. Francofurtenſes*; item *Colon. Hamb. & Lubecenſes* &c. non alibi, niſi *Pragæ* primùm deponi, inde verò per alias Provincias diſtribui & divehi juſſit: per quod *Urbs Pragenſis*, utpote dives omnis generis opum, maximè effloruit. Narrat Doctor *Paulus Zidek* Pragenſis, nominatus Epiſcopus Litomyſl. quòd Caroli IV. tempore, & etiam initio regiminis filij ejus VVenceslai, ac denique priusquàm invaluiſſet hæreſis, fuiſſe mercatores Pragæ tam opulentos ac divites, ut apud *Æthiopem* & *Libram* (domos ſic dictas) *& in alijs plerisque officinis ſeu tabernis, habuerit unusquisque illorum, ad triginta prægrandes ſaccos Zingiberis, totidem piperis, totidem caryophillorum, totidem nucum myriſticarum*, vulgò Muſcati, *aliarúmque ſpecierum*. Addit poſtea: *modò autem* (tempore Georgij Regis, quo vixit, & hæc ſcripſit) *vix in tota Triurbe, poſſibile eſt invenire vel unum ſaccum caryophillorum; ſed nec Zingiberis, nec piperis, nec croci.*

Daubraf. l. 22. an fin. Danubium in Bohemiam deducere tentat.

Pragæ felicitas & divitiæ ſub Carolo.

MS. Doct. Zidek. Tract. de regiim. Princ. ad Georg. Reg.

Neque hoc prætermittendum, quod *Æneas Sylvius* memorat hiſce: *Auri nummûm centum millia civis quidam Pragenſis, recepto chirographo, Carolo IV. Imp. mutuò dedit, eúmque poſtridiè ad prandium invitavit, convocatis aliquot regulis, convivium more Bohemorum ſplendidiſſimum apparavit. Cùm verò potioni & caſeo, ùt illi conſveverunt, locus eſſet; neque enim ſaccareis confectionibus utuntur, chirographum in catino aureo juſſit adferri, admirantibus convivis, & quid hoc ſibi vellet, quærentibus? Cætera, inquit, fercula Cæſar communia tibi cum hiſce Optimatibus fuêre, hoc tui ſolius erit: nam aurum quod mutuavi nudius tertius, tibi dono, omnéque debitum remitto.*

Carolo centum millia aureor. donat civis Prag.

Sylv. in Com. ſuper dicta Alphonſi Reg. l. 4. num. 42.

Tandem anno, ùt dixi 1378. die 29. Novemb. moritur Carolus IV. Imp. Pragæ in arce VViſſehrad. & die 14. Dec. in Divi Viti Eccleſia, in arce Majori, maximo omnium Ordinum, ac præſertim Civitatum Prag. luctu ſepelitur: ubi in hodiernum usque diem requieſcit. Ejus corpus mihi nuper videre inopinatò contigit, dum novis lapis poneretur ſupra introitum cryptæ Regiæ. Attendebam tum pro officij mei munere, (neque alteri id committere volui,) ne ab operarijs, quos cryptam ipſam ingredi neceſſe erat, ad efferenda, quæ intrò inciderant, calcis & laterum fragmenta; autà quopiam alio, quidquam moveretur. Eà igitur occaſione ingreſſus cum illis cryptam, & videns *Caroli tumbam* (quæ ſimpliciſſima eſt, & lignea tota) modicè apertam, illam introſpexi: & tum *Corpus* quod vidi, reverenter ſpectavi, ultimò etiam, *Auguſtum illud quondam caput, quinquies Coronatum*, pio oſculo, nec ſine ſuſpirio magno, veneratus. Tumbam deinde meliùs clauſam, & nullo antea velatam tegmine, decenti operimento contegi curavi. Hactenus deviâſſe ſufficiet, nunc ad rerum ordinem revertamur.

Caroli IV. ſepulchrum in Metrop. D. Vititemplo.

Tota adhuc compago corporis, ſibi integrè cohæret.

CAPUT III.

Bella, ſeditiones, & quædam alia, ſub Wenceslao Imp. & Jodoco Procopióque Marchionibus geſta.

SUcceſſit *Carolo in Bohemia, & Imperio Romano* jam antea electus & coronatus, filius primogenitus *VVenceslaus*: in *Moravia, Jodocus & Procopius*, partitâ inter ſe æqualiter Provinciâ. Primordia regiminis *Wenceslai* fuerunt utcúnque laudabilia, & Reipublicæ omnino ſalutaria. Nam Schiſma graviſſimum ſub id tempus in Eccleſia exortum, (*dum poſt electionem Urbani VI. le-*

VVenceslaus Caroli ſucceſſor.

ad initium benè imperat.

gitimè inſtitutam & peractam, eâ ſub conditione, ut Roma, in deſtinata ab ipſo Apoſtolorum Principe Sede maneret; alij quidam factioſi, Gallici potiſſimùm nominis, Anagniæ primò, deinde Fundis in Campania congregati, Robertum Cardinalem Gebennenſem, indito Clementis VII. nomine elegerunt, eâ lege, ut Avenione reſideret,) ne *Germaniam* & *Bohemiam* traheret in errorem, *Galliæ, Hiſpaniæ, Apuliæ & Angliæ* exemplo, maturè providit, habitis ea de cauſâ *Norimbergæ anno 1379. Comitijs.* Inſuper vicinis quoque Regibus & Regnis *Hungariæ, Poloniæ, Daniæ & Sveciæ*, ut authoritatem *Urbani VI.* tanquam legitimi Papæ agnoſcerent, miſſis ad eos legatis, ſuaſit & perſvaſit. *Theodoricum* verò *Decanum Wratislav.* tunc â Capitulo in Epiſcopum Wratislav. electum, eò quòd Pſevdo-Papæ adhæreret, & ab illo Confirmationem petijſſet accepiſsétque, prorſus rejecit, eíque *per traditionem ſceptri*, ùt tum moris erat, *conferre Regalia ſeu Principatum* nullâ ratione voluit; ſed datis Norimbergâ ad Capitulum literis, quas nuper retuli in *Phoſphoro Septicorni*, illum non tantùm ab introductione in Epiſcopatum, ſub ſeveriſſima comminatione prohibuit; verùm etiam pro hæretico & Schismatico publicè declarari juſſit. Taceo alia præclara ipſius facta, piáque opera, ac imprimìs in Eccleſiam Metrop. Prag. liberalitatem: de qua in eodem Phoſphoro fusè egi. Imperij quoque curam agebat ſat diligentem, perſæpe excurrendo in Germaniam, ad ſtabiliendam ubique publicam pacem, & componendos diſcordes Principum animos. Annum 1380. & ſequentem, penè integros, Provincijs Imperij peragrandis inſumpſit; ùt aliquid innuit Trithemius: *Eodem anno*, inquit, nempè 1380. *Wenceslaus Rex Romanorum venit Coloniam, & cum honore magno ſuſceptus eſt.* Et rurſum: *Anno 1381. Wenceslaus Rex Rom. cum Pileo Cardinali venit Moguntiam, & per Rhenum deſcendens Coloniam, ulteriùs per terram Aquisgranum profectus eſt, ibique reſedit.*

Schiſma impedit: *Raynald. in Annal. Eccl. Tom. XVII. an. 1378. & ſequ. MS. geſta Wenceslai Imp.*

Schiſmaticos punit. *data Norimb. 6. Nov. 1379.*

Radio III. pag. 196. & ſequ.

Radio II. à pag. 70. usque 75.

Imperij Provincias viſitat: *Trithem. in Chron. Sponheim. ad an. 1380. & ſequ.*

Denique primis initijs, optimi Principis formam in ſe expreſſit, adeò ut ab omnibus amaretur & æſtimaretur, ſpémque præberet cunctis, quòd evaſurus eſſet in egregium Principem, patri æqualem. Verùm paulo poſt, & ùt animadverſum, quinquennio poſt: *ehem, quàm mutatus ab illo!* ita ut, quod de Nerone dictum olim: *quinquennio primo optimus, pòſt peſſimus;* id quoque de Wenceslao Rege dici potuerit: *quinquennio primo optimus Princeps fuit; eo exacto, ſibi diſſimillimus evaſit*, animo non â Republica tantùm alieno, ſed ad immanitatem usque ſævo ac truculento; nec niſi in obſcænas & turpes crapularum, helluationum & libidinum voluptates (ſi tamen his voluptas ineſt) proclivi. Unde adminiſtrationem tam Regni paterni, quàm Imperij, veluti ad ſe non usque adeò pertineret, ita neglexit, ut nullâ neque legum, neque judiciorum curâ habitâ, & exinde impunitate facinorum conſequente, súsque déque omnia agi occiperent: *Legum enim exilium ſequitur licentia morum;* hanc excipiunt diſcordiæ, rapinæ & cædes mutuæ. Ergò imbelles potentiorum violentiæ expoſiti, iniquam ſuam ſortem lugere: alij in itineribus quaquaversùm latrocinijs infeſtis gravem ſubinde rerum jacturam pati; alij nec intra parietes ſuos domeſticos, ſatis cum vita & fortunis ſecuri eſſe;

brevi degenerat. *Sveton. Dion. Sext. Aurel. Trajanus Imp. de Nerone.*

Ejus vitia gravia,

Reipubl. ſummè pernicioſa.

eſſe;

eſſe; neque malorum uſpiam finem, neque remedium expectare. Donec tandem ſolicitationibus Procerum, ac imprimis *Alexij Slavatæ*, qui præ alijs poterat aliquid apud ipſum, & *Joannis de Pabien.cz*, veluti è veterno ſuſcitatus, militem congregari juſſit: quo adversùs publicæ pacis turbatores miſſo, & aliquot illorum arcibus (quas inter præcipuæ erant, *Zleba*, *Robozecium & Kornbauſa*; illæ *Marquardi de VVartmberg*, hæc *Geſkonis de Kolovvrat*,) expugnatis & dirutis, nonnihil tranquillitati publicæ in illis partibus proſpexit. Turbas tamen & ſeditiones magìs ac magìs per Regnum jam tunc gliſcentes, interrupit tantùm, non ſuſtulit: quæ demum brevi interjecto annorum ſpatio, longè pernicioſiùs in nervum eruperunt.

Hagek. ad an. 1384. MS. Anon. Chron. Prag. an. eod. Daubraf. l. 23

Sed neq; ipſemet â cœpta ſemel crudelitate quidquam remiſit, ita quandóque ferox ac truculentus, ut etiam *Viris Sacratis*, levi de cauſa, vel prorſus nullâ, vim inferre, & funeſto mortis genere, illos è medio tollendos curare non dubitârit. Anno 1383. *B. Joannem Nepomucenum* (ita cognominatim â Nepomuco oppido in Boh. loco nativitatis ſuæ) *Magiſtrum Univerſ. Prag. & Decretorum Doctorem*, *Canonicum Metrop. Prag. Eccleſiæ*, qui Joannæ Reginæ erat â ſacris Confeſſionibus & eleemoſynis; eò quòd nollet Confeſſionem Reginæ (*inviolabilia ſacroſancti Tribunalis arcana*) revelare, profeſſionis ſuæ ſanctè memor, poſt multa tormentorum genera, per quæ ea, quæ petebat, extorquere volebat, in Wltavam flumen præcipitari & demergi juſſit. Ita cùm mutum piſcem reperiret, in aquam conjecit: *Martyrem fecit, quem Confeſſorem volebat.* Viri innocentiſſimi mortem, ſimúlque Sacramenti ſanctitatem Deus prodigio aſſeruit: nam ùt primùm in aquam dejectus fuit, *ignes qui olim ipſum terris naſcentem oſtenderant, iÿdem mortuum & cælos intrantem cinxerunt; totus continuò VVltava reluxit. Vidiſſes innumera, & miri candoris lumina (quaſi pace cum elemento aquæ facta) toto fluvio innatare, quæ corpus B. Martyris ſecundo flumine paulatim deſcendens, comitabantur, ac inde alia atque alia ſequebantur, uti ſi pompam funeris deducerent.* Olomucenſis verò Epiſcopus Daubravius, qui ante centum & quadraginta annos Hiſtoriam Bohemiæ ſcripſit, narrat, ipſum *fluvium* poſtea *ita arefactum* (intellige non totum, ſed ab ea parte, ubi corpus in litore, è regione Eccleſiæ S. Crucis ſubſtiterat) *ut corpus nudaret ſubmerſi, in eoque ſtatu triduum permanſiſſe, donec ſubmerſus ad S. Vitum ſepeliretur.* Addit porrò: *ubi in hunc diem, quicunque ſepulchro temerè inſultaverit, immunis ab infantia non evadit.* Poſtremum hoc confirmant vetera & nova exempla: nemini tranſiiſſe impune, quicúnque tumuli ipſius lapidem per contemptum calcâſſet. Enumeravi ego aliqua in Phoſphoro, & plura ſuo tempore: hìc illud tantùm, cujus Carolus Carafa Nuncius Apoſt. apud Ferd. II. Imp. meminit, apponere lubet. *Qualis*, inquit, *fuerit ſtatus Religionis Catholicæ Pragæ, & Regni Boh. nondum partâ victoriâ, ſub dominatu Calviniſtico & Lutherano, quilibet poterit cogitare. Nam Eccleſiaſtici honore & opibus fuerunt exuti, bona Eccleſiaſtica adempta, templa, altaria prophanata; Eccleſia Metrop. mater Eccleſiarum Regni Boh. die S. Andreæ an. 1619. omni cultu ſacrarum Imaginum ſpoliata,* San-

B. Joannis Neopom. martyrium:

Prodigia mortem ipſius ſequuta.

Balbin. in Vita B. Joan. Nepom. cap. 5.

Daubraf. l. 23.

Sepulchrum ejus à miraculis glorioſum.

Carol. Carafa in Germ. reſtaur. part. 1. pag. 104.

Digitized by Google

Sanctorum Reliquiæ, altaribus everſis, pedibus conculcatæ, &c. Alterum ejusdem farinæ hominem, ſupra ſepulchrum S. Joannis Martyris, Canonici Prag. in contemptum Divorum ſaltare incipientem, ſtatim tam vehementi pedum dolore punivit, ut inde extractus infra horam miſerrimè occubuerit.

Qui vos ſpernit, me ſpernit, dicit Dominus, *Lucæ 10.*

Propè ſepulchrum, idem *B. Martyr*, habet in eadem Eccleſia altare ab antiquo erectum, hæreſeos tempore, ùt jam narravit Carafa, â Calviniſtis dirutum quidem, ſed anno 1621. denuò â DD. Capitularibus inſtauratum, & â *Joanne III. Archi-Ep. Prag.* die 6. Julij an. eod. conſecratum. Cultum ipſius, tametſi jam â trecentis propè annis continuatum, volebant nuper tollere imperiti quidam, ſed probro ſuo; ac ultimò, cùm & aliorum Sanctorum derogarent honori, homines vaniſſimi, miſerabili interitu. *Diſcite juſtitiam moniti, & non temnere Divos.* Jam agimus, ut cultus ejusdem S. Martyris, qui nobis eſt privatus, fiat in Eccleſia publicus. Faxit Deus! *ut quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur.*

Lupac. in Ephem. ad d. 19. April. & 5. Decemb.

Sed ad Wenceslaum: qui decennio poſt, iterum *Doctorem Johannek Officialem & Suffraganeum Archi-Epiſcopi Joan. II.* manibus pedibúsque ligatis, de ponte Prag. in profluentem Wltavæ dejici, mergíque juſſit. Datum culpæ, quòd *F. Albertum*, *in Abbatem Kladrubienſem* â fratribus legitimè electum, confirmâſſet, non expectato priùs conſenſu regio. Sequuta poſt ingens aquarum exundatio, & anno ſequ. qui erat 1394. tanta ſiccitas, ut Wltava vado tranſiri potuerit, atque ipſa aqua fluminis exſtiterit viridis, ad inſtar graminis. *Eâ inundatione & ſiccitate inſolitâ*, (ait Procopius Lupacius, tametſi Huſſita,) *quidam judicabant puniri inſontem cædem presbyteri Johankonis, quem Rex in VVltava profluente ſubmergi mandavit.* Hæc in Bohemia.

Hungarorum in Moraviam hoſtilis irruptio,

Porrò in *Moravia* ſub id tempus, aut non multo priùs Provincialium ſtatus, novâ incurſione *Hungarorum* ex improviſo turbari cœpit. Quidam enim ſolitâ prædandi cupiditate ducti, ac *Stephano Kontbio* duce in juſtum exercitum, qui ultra decem millia virorum efficere dicebatur, conglobati, in *Moraviam* excurrerunt agminibus diſperſis; omnémque circa *Brodam* & *Holeſſovium* agrum, nemine in ea ſubita irruptione reſiſtente, hoſtilem in modum ſunt populati, concrematis plurimis pagis, ac multis captivis in ſervitutem abductis. Non tulerunt hanc injuriam vicini *proceres Moravi*, ſed ut accepta damna quamprimùm ulciſcerentur, & iminentia prohiberent, populis ſibi ſubjectis celeriter ad arma convocatis, quanquàm tumultuario ejúsmodi militum genere ſeſe multò inferiores, adeóque viribus impares haud ignorarent, præſentibus tamen animis, hoſtes jam cum præda & captivis domum repedantes, aggredi nequaquam dibitârunt. Pugnatum eſt pro *Moravorum* paucitate acerrimè ac diutiſſimé, *Hungaris* magnam vim ſagittarum in *Moravos* aſſiduè jacientibus, ita ut demum *Moravi* fuſi fugatíque pedem referre, & in vicinum nemus ſeſe recipere cogerentur. Poſtremò tamen accurrentibus forte fortunâ Marchionibus, *Jodoco* & *Procopio*, cum duobus peditum millibus, & equitibus quingentis, cùm integri in feſſos ac debilitatos, reſtauratâ pugnâ, irruiſſent, victoria Moravis ceſſit. Eo in prælio, qui ex Moravis fortiſſimo-

â Proceribus Moravis,

ipsisque Marchionibus egregiè caſtigata.

tiſſimorum militum egiſſent partes, recenſentur: *Bobuslaus de Bozkovicz*, *Guilhelmus de CzernaHora*, *Haſko de KraviHora*, *Georgius de Kunovicz*, *Petrus Zierotinsky de Roſicz*, *Milota de Cymburg*, *Joannes de Strazek*, *Przemyslaus de VViczkovv*, *Joannes Kralicsky de Krſovicz*, *Bobuslaus de Pruſſinovicz*, *Kunata de Sternberg*, *Zbynko & Hrozek fratres Daubravicij*, *Matthias de Svabenicz*, & alij. Præda & captivi recepti omnes: hoſtium verò, ultra quàm credi queat, cæſa feruntur quatuor millia & quingenti: capta ultra tria millia. Abhinc non ceſſabant hoſtiles utrinque excurſus, jam his jam illis prævalentibus, ad annum usque 1386. quo *Sigismundus Brandeburgi Marchio*, *Caroli IV. minimus natu filius*, Hungariæ Rex deſtinatus, Regni Hungarici gubernacula ſuſcepit, trucidato â ſeditioſis paulò antè *Carolo II. Ludovici defuncti ex Andrea fratre*, *Siciliæ Rege*, *nepote*. Tum enim utráque gens, ſub agnatis Principibus degens, oblituratis veteribus odijs & ſimultatibus, concordiam comiter coluit & pacem.

Heroes Moravorum.

Hagek. ad an. 1382. Daubraſ. l. 23. MS. Trebic. Sigismundus Caroli IV. filius, Regnum Hungariæ dotale, cum Maria conjuge accipit, conſentientibus Regni Proceribus.

Brevì tamen alij domî exſurrexêre motus. Mortuo enim *Petro III. Epiſcopo Olom.* anno 1387. Idib. Februis, cùm *Jodocus & Procopius Marchiones* fratrem ſuum *Joannem Sobieslaum*, *ex Cathedra Litomyſſlenſi ad Olomucenſem* promotum vellent, jámque extorto â nonnullis Capitularibus aſſenſu, *Olomucium adductum in Epiſcopum ſuſcepiſſent*, ritu ſolenni; contradicente potiore Canonicorum numero, imprimis verò *Capituli Decano Andreâ de Trebona*, viro tum doctrinâ, tum vitæ integritate inſigni, & *Præpoſito Matthiâ de Praga*, *Juris Canonici Doctore*: res eò usque venit, ut *Marchiones* partis adverſæ pertinaciâ proritati, *ditiones Capituli*, *oppida & pagos*, primò armis diu multúmque infeſtarent, demum etiam in ſuam redigerent poteſtatem, prætendentes jus quoddam ſuperioritatis in *Bona Eccleſiæ* & Capituli Olom. quod tamen ex diſpoſitione *Caroli IV.* Marchionibus Moraviæ penitùs ſublatum, ac Regibus duntaxat Bohemiæ reſervatum, publicâ lege, cujus ſuprà meminimus, conſtabat. Simultas hæc & diſſidium, *Marchiones inter & Capitulares*, duravit per annum usque; donec *Urbanus VI.* pro ſupremæ auctoritatis ſuæ poteſtate, ſeſe interpoſuit: qui paci & tranquillitati Eccleſiaſticæ per Moraviam conſulere cupiens, & ut honori utriúsque partis ſatisfieret quomodocúnque, *Joannem Sobieslaum* ad altiorem Eccleſiam, nempe ad *Aquilegienſis Patriarchatûs apicem* provexit. Ac ne rurſum in electione novi Epiſcopi oboriretur diſſenſio, ipſemet ex partium compromiſſo, *Nicolaum de Pruſſia*, *antea Epiſcopum Conſtantienſem*, *Olomucenſi Eccleſiæ præfecit*.

Simultas Marchiones inter & Capitulares Olomuc. gravis, & Capitulo pernitioſa.

Summo Pontifice interveniente componitur.

Poſt hæc magìs acerba inter ipſos Marchiones exarſere odia, ob id potiſſimùm, quòd *Procopius* cum *Ioanne Patruo Duce Gerlicenſi*, *VVenceslai Regis* partibus adhæreret: quem aliàs *Iodocus & Sigismundus Hungariæ Rex* ſublatum maluiſſent, propter continuas penè querelas, quæ ad eos de graviſſimis ipſius exceſſibus deferebantur. Anno 1394. captus â ſuis *VVenceslaus*, (quod nulli ante hac, neque poſtea, Regi in Bohemia contigit,) & in Antiquæ *Urbis Pragenſis* curia, per menſes quatuor arctè habitus, quanquàm poſtmodùm, cùm ei ad ſquallorem & ſordes corporis abluendas, balneum ad dextram Wlta-

Doctor Auguſtin. Præpoſit. Olomuc. & Brunenſ. & Regis VVladislai II. Secretar. in Cathed. Epiſcop. Olomuc.

Alia iterum ſimultas inter ipſos Marchiones.

à Bohemis capitur, & cuſtodiæ traditur: an. 1394. juxta alios, an. 1393. evadit liber, nihilóque melior, Hagek. 1396. Lupac. in Calend. Hiſtor. 21. Maij. MS. Matthiæ Laudæ an. eod.

VVltavæ ripam propè pontem ſitum, ingredi conceſſum eſſet, operâ mulierculæ, quæ balnei miniſteria obibat, ad alteram ripam fluminis conſcenſâ cimbâ traductus evaſiſſet liber: nihilo tamen factus aut mitior aut melior, quin memoriâ carceris, ac vindictæ cupiditate magis exaſperatus, redijt ad genium, nullúmque poſt hæc adhibens modum, ſævijt in multos longè atrociùs; nactus etiam idoneos ſævitiæ miniſtros, quorum adjumento, tam ê *Proceribus Regni*, quàm ê *Magiſtratu Urbico* præcipuos quôsque ſuſtulit. Inter alios Nobiliores erant: *Marquardus de Michalovicz Prior Strakonicenſis*, *Stephanus de Opoczna Potenſteinius*, *Mutina de VVamberg*, *Stephanus Poduſſka de Martinicz*, & quidam cognomine *Strnad*. Hos curavit ê medio tolli, in arce Karlſtein, *Hanuß Dux Oppav. & Dominus territorij Glacenſis*, Caſtri tum Karlſteinenſis á VVenceslao conſtitutus Præfectus: datum crimini duobus ex illis, quòd cùm *Regij corporis Cuſtodes eſſent*, in nupera tamen captivitate Regem prodidiſſent, & in occulto capi adjuviſſent. Reliqui cur perierint, non conſtat.

VVenceslaus exauctoratur.

Anno 1400. *VVenceslaus* ab Electoribus Imperij Lonſtainij, quod ſuperius nuncupatur, congregatis, die 20. Sept. *Imperatoris dignitate exuitur*, & ipſius locò *Rupertus Bavariæ Dux*, *in Imperatorem* eligitur, atque anno ſequ. in feſto *Epiphaniæ Domini*, Coloniæ, ab *Archi Ep. Colon. Friderico* coronatur. Inter alia exauctorationis capita fuit iſtud: *quòd ſævijſſet in homines innocentes Sacri juxta ac prophani ordinis, & præcipuè quendam Magiſtrum in Theologia, quòd martyrizâſſet, ac ultimò aquis praefocari juſſiſſet.* De Galba Imp. ſcribit Svetonius: *modò acerbior, modò remiſſior ac negligentior, quàm conveniret Principi.* Talis VVenceslaus; qui quandôque etiam cum Vitellio, *judicabat benè olere occiſum hoſtem, meliùs civem.*

Tritthem. in Chron Sponheim. ad an. 1400.

Anno 1401. *Iodocus Marchio*, & *VVolframus Archi-Ep. Pragenſis*, junctis cum *Marchionibus Miſniæ* & Proceribus Bohemis, animis & viribus, *VVenceslaum* Pragæ obſederunt, Julio menſe: eóque adduxerunt, ut is conſilij inops, & ad reſiſtendum impar, inducias trium dierum poſtulare cogeretur, quarum intervallo, cum Proceribus de omni controverſia transfigere poſſet. Dederat poſtmodùm ad Bohemos publicas pacis litteras die 12. Auguſti, omnia omnibus condonando, atque ſingula, huc usque ultro citróque hoſtiliter illata, oblivioni dando, nominando quoque Quatuor viros; *VVolframum Archi-Ep. Henricum de Roſis, Ottonem de Burgau Bilinenſem, & Ioan. Kruſſinam de Lichtmburg*; qui per unius anni ſpatium, Reipublicæ ſuprema cum poteſtate præeſſent, & quæ ad pacem publicam magis ſtabiliendam neceſſaria in præſens viderentur, ſtatuerent. Sed brevì ad mores ſuos redijt.

Secundâ vice capitur, Sigismundo fratre & Jodoco patruele cooperantibus, Viennam abducitur, an. 1402. MS. Chron. Prag. MS. Laurentij. Lupac. ibid. ad 8. Februar. an. 1402. VVeleslav. 8. Febr. an. eod. Fabric. in Orig. Sax. l. 7. an. 1401.

Quare anno ſequenti, 8. die Febr. in Corte Regia propè Beraunam (ſecundùm alios in Cœnobio Beraunenſi Fratrum Minorum) denuò captus eſt: & primò in turrim *Arcis Prag.* quàm vulgò *Nigram* nuncupant, conjectus, inde verò *Crumloviam ad Henricum Roſenſem*, ac tandem *Viennam* tranſportatus, ibique in domo quadam, quam idcirco *Pragenſem*, quod eam incoluiſſet *Pragenſium Rex*, nuncupârunt, ſub cuſtodia detentus. Id porrò cùm indi-

Digitized by Google

indignè ferrent, *Ioannes Gerlicenſis,* frater Regis, & *Procopius Marchio*, extemplò comparatis, hic *in Marchia Brandeburgenſi*, ille *in Luſatia* copijs, ad eum liberandum, irruperunt *in Bohemiam:* ſed illo fruſtra quæſito, cùm traductum eſſe *Viennam* cognoviſſent, eò unde venerant, reverſi ſunt: & ne planè gratuitus eſſet ſuſceptæ expeditionis labor, nonnullas in Bohemia arces Luſatiæ viciniores, uti *Bezdezium*, *Dievinum*, *VVartmbergam*, *& Lembergam* ex itinere reduces occupârunt.

Evaſit tamen rurſum è Viennenſi cuſtodia, *Wenceslaus* incredibili fortunâ uſus, adjutúſque operâ & conſilio piſcatoris; (alij volunt Sacerdotis *Crucigeri cum rubea ſtella*, qui poſtea in *Manetin Parochi* munus obijt) & habitu mendici Pragam reverſus, arcéque recepta, mox Regnum etiam recuperavit: & ut manifeſtaret, cujus animi eſſet in *Sigismundum & Jodocum*, *Procopium* tanquàm de ſe optimè meritum (*Joanne fratre inter hæc defuncto*) ſucceſſorem ſuum nominavit, idque ſtatim publicari voluit. Reclamantibus tamen Regni Proceribus, & *non hæreditate, ſed electione liberisque populi Bohemici ſuffragijs ad Regni gubernacula vocatis Principibus, ſe hactenus paruiſſe ſemper*, palàm conteſtantibus, res effectu ſuo caruit. Nihilominùs accedente vel exhinc majore invidiâ, altiùs multò inſedit *odium Iodoci in Procopium:* quod demum erupit in atrox bellum, *Moraviæ* ut plurimùm triſte ac perniciosum.

> Denuò evadit & Regnum recuperat.
>
> *VVeleslav. in Calend. Hiſt. d. 8. Febr.*
> *Kuthen. in Chron. Boh. ad an. 1402.*
> *MS. Chron. Anon. an. eod.*
>
> Procopio Marchioni favet: Hinc auctior ſimultas Jodocum inter & Procopium.

Eodem anno 1402. *Sigismundus de Rotenſtein*, odio & irâ contra *Iglavienſes* flagrans ingenti, propter malè tractatum affinem ſuum *Hermannum de Bukovva* (is erat *Loskovecianæ gentis*) quem illi, ob inſolentias quaſdam in civitate exercitas, in carcerem publicum, nullo habito reſpectu *Familiæ illuſtris*, conjecerunt, & non niſi poſt quinque hebdomadas, interveniente *Procopio March.* dimiſerunt: contumeliam hanc minimè ferendam exiſtimavit, ſed quamprimùm ulciſcendam quocúnque tandem modo ſuſcepit. Re igitur cum eodem affine ſuo, qui non minùs vindictam ſpirabat, & cum agnatis ipſius *Ioanne*, *Arneſto & Nicolao Leskovetijs*; *Ioanne* item *Dvvoreczsky*, *Ioanne Sokol*, *Smilone de Dirna*; *Getricho de Studena*, & alijs pluribus vicinis Nobilibus communicatâ, ſtatuerunt unanimiter omnes civitatem, inſigni aliquo dolo, & per fraudem, cùm apertis viribus vix poſſent, occupare & expilare. Jámque conductâ ad hoc patrandum facinus, tam ex ſuis, quàm ex alienis, idoneâ manu, Dominicâ II. Quadrág. ſub veſperum *Trzeſtij* congregati, iter Iglaviam versùs ſuſceperunt, ita illud dirigentes, ut circa medium noctis ad mœnia pervenirent. Tum admotis ſcalis, quas ſecum attulerant, mœnia ab ea parte, quà monaſterium Minorum reſpiciebant, ſummo cum ſilentio conſcendere incæperunt, ſenſímque in ipſum quoque clauſtrum, præeuntibus magnâ audaciâ Sigismundo & Sokolio penetrârunt, erupturi quantocyùs ad occupandam primò vicinam portam, deinde ad alias ac ipſum forum, poſtquàm omnes introrſum ſeſe recepiſſent. Cùm inter hæc clamor in ſuburbio, per mulierem quandam, quæ illos ſilenti agmine tranſeuntes conſpexerat, exoritur: homines adeſſe armatos magno numero, & aliquos portantes ſcalas; ideóque hoſtile quidpiam moliri. Quo modico primùm licèt,

> *arx Rotenſtein vulgò* Roſſteyn/ *non procul Telczio.*
>
> Iglaviæ diſcrimen grave.
>
> nocturnâ & improvisâ irruptione tentatur ab hoſtibus.

Fit tumultus, & clamor.

ſed magìs ac magìs invaleſcente, audito vigiles, qui ad proximam portam excubabant, nullâ factâ morâ, per clangorem tubarum, ſigno tum uſitato, cives ad conſurgendum concurrendúmque, & ad capeſſenda ocyùs arma excitârunt. Quod dum fit, etiam Religioſus quidam præfati monaſterij, vadens fortaſſe ſub id tempus, ad dandum pro precibus nocturnis conſvetum campanæ ſignũ, audito in inferiori ambitu, & hinc inde hominum fremitu, videns etiam quaſi per umbram in area eumulum ſtantium & muſſitantium, atque id quod erat animadvertens, illicò per feneſtram quandam foras in plateam erupit, magnóque ſublato ac identidem per plateas & forum repetito clamore, *hoſtes adeſſe* indicavit.

Cives ad arma conclamant:

Ergo cives creſcente tumultu, & non monachi tantùm, ſed etiam aliorum inconditis vociferationibus, tum continuatis tubarum clangoribus excitati, primò, ùt in nocturna & inexpectata perturbatione facilè accidit, trepidare, aliqui ſeminudi hinc inde diſcurrere, poſtea recollectis a nimis, & quaſi ſenſibus receptis, arma capere, & promptiores quidam, præeunte & invitante monacho, rectà clauſtrum petere. Sed jam hoſtes proditos ſe eſſe videntes, non niſi de fuga ſolliciti erant, ut maturè priusquàm opprimerentur â civium multitudine, recedere in tutiora poſſent. Et ne ſeipſos in regrediendo, & tranſcendendis mœnibus, ùt fieri ſolet in præcipiti fuga, impedirent, juſſi ſunt, ordinatione ducum, qui in ingreſſu fuerant ultimi, in receſſu eſſe primi; atque eodem ordine, quo venerant, receptui dare, ac repetere per ſcalas & mœnia viam: delecti etiam aliquot ex fortiſſimis, qui oſtia clauſtri defenderent, cives irruentes ſubmoverent, ac tantiſper diſtinerent, donec cæteri foras evaderent. Interea civium aliqui, ê vicinis ædibus per feneſtram in clauſtrum ſeſe demiſerunt: qui irruentes ex improviſo in unum manipulum hoſtium in horto ſtantem, & jamjam poſt alios tranſcendere parantem, negotio facili disjecerunt totum quantùm, cùm â perterritis illis, putarentur eſſe longè plures ac fortiores, quàm ijs reſiſti poſſet; neque ulli ſociorum adeſſent ſtatim, qui auxiliarentur. Tantus enim erat fugientium metus & conſternatio, ut iſtorum clamantium periculo nequaquam permoti, ſalutem tantùm ſuam in ſola fuga collocarent, ac nemo prorſus ad iſtos ultimo diſcrimine eximendos reverteretur.

hoſtes, qui jam monaſterium B. Virg. occupaverant, adoriuntur:

Novo hoc tumultu & clamore ſociorum intra monaſterium audito, reliqui qui ad portam & feneſtras agentes, arcebant cives ab aditu; uti & alij non pauci, qui per cellas & conclavia Religioſorum, ipsûmque templum diſcurrentes obvia quæque diripiebant, pecuniæ & prædarum quàm ſervandæ ſalutis appetentiores, concurrerunt ut primùm, ſigno per notam ſibi teſſeram dato, ad propulſandam vim civium, & ſubmovendam in tempore, antequàm plurium accurſu invaleſceret, & ſibi demum ſpem evadendi penitus omnem præcluderet. Hinc in ipſo horto pugna exoritur atrox, cœlo tum nonnihil ſudo, & â ſtellis modicè lumen ſpargente: ubi hoſtes ſupremo conatu edito acerrimè ſeſe defendebant; præſertim quidam Hawelz Kžáſné/Sigismundi familiaris, vir proceræ ſtaturæ, & viribus ac robore præſtans, qui

illóſque inde ejiciunt;

machæ-

Digitized by Google

machæram ingentem, ſingulari peritiâ, ambabus manibus regebat, multá-que vulnera civibus inferebat, duobus etiam immani ictu trucidatis. Sed ac-currentibus undique civibus (ultimò námque effregerunt clauſtri portam) cùm feſſis validi, & ſaucijs integri, alij poſt alios ſuccederent, hoſtibus verò numero paucis, & pugnando tandem fatigatis vires deficerent, oppreſſi ſunt in eo cumulo ad unum omnes, & vel cæſi, vel capti. Perierunt è civibus qua-tuor tantùm, ſed plures læſi: ex hoſtibus ſeptem, & duodecim capti, inter quos gigas ille, lanceâ per femur transfixus, *Dvvorzeczky* item & *Sokol junior*: à quibus poſtea confeſſione ſpontaneâ, reſcita eſt totius illius irruptionis ſeries.

& partim oc-ciduntur,

partim capti-vantur.

Sunt, qui inter captivos numerent etiam *Sigismundum*: ſed MS. Autho-ris tum viventis illum tempeſtivè evaſiſſe teſtatur. Quod confirmant etiam *litteræ ejusdem ad Iglavienſes datæ Treſſtij, Feriâ III. poſt Dom. Reminiſcere*, adeóque mox ſequenti die, poſt fruſtra tentatam hanc expeditionem: quibus primò facti ſui rationem exponit; nimirum, *injuriam affini ſuo illatam cum tanto dedecore, ſe jure meritò vindicandam ſuſcepiſſe; non tamen omnibus no-cere voluiſſe, ſed illis tantùm, qui authores fuiſſent potiores tam malè tractati Viri Illuſtris, quos ſi deprehendiſſet, pari incivilitate tractâſſet: ſed aliter Deum, in cujus poteſtate ſunt conatus hominum, diſpoſuiſſe, ei proinde dignas refer-rent gratias.* Petijt deinde, *occiſos è ſocijs Chriſtiano more ſepeliri, & captivos dimitti, cum addito: ſi id præſtiterint, habituros ipſum & ſocios deinceps ſem-per amicos & bonos vicinos; ſecùs, perpetuos & infenſiſſimos hoſtes. Non fore illos uſpiam ſecuros, non ſolùm foris commerciorum & aliarum rerum neceſ-ſariarum causâ hinc inde commeantes, ſed neque in civitate, intra propria do-mûs parietes: ſe ſociósque ſuos benè inventuros cum tempore modum, ut tan-dem cupiditati ſuæ ulciſcendo faciant ſatis. Ideóque liberum manere ipſis, ſi ſe hoſtes vel amicos habere, ſi in pace vivere, vel in continuo malorum impen-dentium metu verſari malint.* Præcipuè verò curam habuiſſe videtur *Havvlo-nis*, cujus mentionem ijsdem in literis bis facit, & *commilitonem ſuum fidelem* appellat, rogans, *ne ei, ſi ſuperſtes ſit, noceatur.* Ex quo apparet Sigismun-dum captum non fuiſſe.

MS. Chron. Bohem. Auth. Anon.
MS. Chron. Trebic. ad An. 1401.

Hoſtium du-ces qui cla-dem evaſe-runt, captivos ſibi reſtitui petunt:

ſecùs extrema quæque mi-nantur.

Quid porrò reſponſi dederint Iglavienſes, non conſtat. Illud certum; captivos, poſtquàm dediſſent aliquandiu pœnas in vinculis, ultimò perſoluto redemptionis pretio 4000. Floren. (pro ſatisfactione fortaſſe damnorũ mona-ſterio illatorum) dimiſſos eſſe. Cæterùm cives hoc defuncti periculo, ſtatim eluceſcente die, ad ejusdem monaſterij Eccleſiam honori Divæ Virginis dicatã, maximo numero confluxerunt; ibíq; Deo Ter Opt. Max. qui urbem manifeſtâ ſui Numinis ope, clementiſſimè conſervâſſet, ſolennem Gratiarum actionem inſtituerunt, decantato primùm *Hymno Ambroſiano*, ac poſtea Divinis ma-gnâ pietate peractis. Et ut impoſterum quoque tanti beneficij jugis eſſet me-moria, ſtatuerunt, diem illam, nempe *Feriam II. poſt Dom. II. Quadrag.* quotannis agere celebrem, cum iterata Gratiarum actione, & publica ſuppli-catione, quatenus & deinceps Divina Majeſtas, urbem ab omni ſiniſtro caſu protegere & defendere dignaretur. Quod uti piè inſtitutum, ita ſanctè fuerat

Captivi di-mittuntur.

Iglavienſium gratitudo & pietas,

 ſemper

Digitized by Google

ſatis diu continuata.

ſemper obſervatum; tantáque erat *Iglavienſium gratitudo & pietas*, ut pro conſvetudine (piâ ſanè ac laudabili) introduxerint, ad hanc Feſtivitatem invitare Sacerdotes omnes, quotquot in civitate eſſent, & ex vicinis locis, quotquot haberi poſſent: quibus ſingulis offerebant pro Miſſæ Sacrificio, eleemoſynæ titulo, *unum inſignem carpionem, & groſſum ſeptem nummorum.* Poterat autem quisque tum temporis, pro uno tali groſſo, tantum de rebus ad victum neceſſarijs ſibi comparare, quantum jam pro ſimilibus decem.

quæ ſucceſſu temporis per hæreſim deſervuit.

Et placuiſſe Deo, hanc illorum tam piam & ſanctam accepti Beneficij recordationem, patet vel ex eo, quòd etiam ſubſequentibus annis, præſertim *Huſſiticis motibus, ſub Ziſſka & Taboritis Orebitisque*; & iterum *ſub Georgio Rege*, (quo utróque tempore, tota omnino *Bohemia & Moravia*, crudeli ac funeſto flagrabat bello,) ex omnibus periculis, & non ſemel jamjam è veſtigio iminenti exitio, eripuerit illos Dominus. Ceſſante verò hâc pietate, ſub anno 1526. quo etiam majori ex parte Civitas, *ab avita Religione Patrum ſuorum* deficere cœpit, *Sperato* quodam, Lutheri aſſeclâ, ſeductore; ceſſavit & protectio Dei: & cives paulo poſt multis affecti malis, cùm domeſticis, tum externis, uti ſeditionibus, diſcordijs, peſte, morbis, tempeſtatibus, incendijs, & pluribus alijs graviſſimis, privatis & publicis infortunijs. Ita, *qui derelinquunt Dominum, derelinquuntur ab eo.*

Inter fratres Marchiones bellum civile erupit, an. 1404. *Cromer. de reb. Polon. lib. 16.*

Anno 1404. gliſcentibus inter *fratres Marchiones* odijs, res tandem erupit in civile bellum. Nam cùm *Jodocus* fratrem paternâ hæreditate, quam in *Moravia* habebat, totâ exuere contenderet, ille ut vim vi repelleret, ſuáque tueretur, copias quàm potuit maximas, in *Luſatia & Bohemia* collegit; & acceptis quoque â *Wladislao Jagellone Poloniæ Rege* auxilijs, in Moraviam duxit; ac probè ſciens multùm ineſſe momenti ad rem tutiùs gerendam, ſi *Znogmâ*, quàm non ignorabat modico præſidio teneri, & facilè capi poſſe per inſidias, potiatur; illinc enim adfore occaſionem *ad diſtrahendas fratris & Auſtriacorum, qui cum Jodoco ſentiebant, vires*, quò minùs ſibi invicem quando vellent, ſuccurrere poſſent: eò citatis paſſibus per nota ſibi itinera contendit. Neque res ſucceſſu caruit: nam proficiſcens die noctúque, cùm nocte quâdam albicante jam aurorâ, ad urbem perveniſſet, quanquàm jam (*neſcio unde,*) intellectus, facto tamen valido in muros impetu, facilè præſidiarios è ſtationibus depulit: qui incertum, fatalíne quâpiam formidine perterriti, vel proditione nonnullorum (uti fama tenuit) agitati, vix tentato certamine, turpiter è pinnis murorum profugerunt. Ita disjectis, qui primò reſiſtere auſi erant, cæteri ad arcem confugerunt: cúmque aliquandiu reſtitiſſent, deditione paulò poſt factâ, ſeſe arbitrio Principis tradiderunt. Occupatâ urbe & arce, *Procopius* non Auſtriacis tantùm, ſed Moravis etiam, ijs vel maximè, quos partibus ſuis adverſari noverat, ſupra modum gravis eſſe cœpit; ac miſſis quaquaversùm expeditioribus equitibus, villas prædari & urere, pecora abducere, fruges & vina, & quidquid eſſet ejus generis obſonij, in urbem convehere. Ægrè id ferebat *Jodocus*, qui tandem receptis ad ſe Archiducis legionibus, virìbúsque ita auctus, ut ad tentandum aliquid ſufficeret, *Znogmam* obſidione cin-

Procopius Znogmam occupat, & præſidio firmat.

Jodocus Znogmam obſidet,

Digitized by Google

cinxit. Inchoato oppugnationis negotio, dum primo procurſu milites alacritate ſummâ involant in muros, contrà verò defenſores acri intentóque ſtudio, lapidibus ſubjectos inceſſant & telis: pugnatum eſt eventu ancipiti horis aliquot, hinc inde multis amiſſis & vulneratis, maximè ex oppugnatorum numero: donec appropinquante veſperâ, nox cædibus finem fecit. Non tamen defervuêre oppugnantium animi, ſed die ſequenti recruduit certamen, pari licèt eventu: obſeſſi námque videntes ſe ab hoſte pertinaciùs premi, nihil eorum quæ ad vim vi repellendam faciebant prætermittere, hoſtes propiùs accedere auſos telis miſſilibus arcere, in ſumma, rem egregiè fortitérque gerere; adeò ut â meridie rurſum ad usque lucem obſcuram, neutribi prælio inclinato, ferociùs quàm conſultiùs pugnaretur. Tandem quiete per triduum utrinque datâ, placuit *Jodoco*, præter alia oppugnationis tormenta, adhiberi etiam quandam arietis molem ingentem, quam idcirco *Brunâ* advehi juſſerat: quæ ſubitò viſa aptatáque faberrimè, obſeſſorum multùm perculit mentes, ad usque deditionis remedia penè prolapſas; nî reſumptis animis opponenda minaci machinæ præparâſſent. Nec temeritas poſt hæc ceſſaverat, nec conſilium: acriórque indiès adoleſcebat obſidio.

&acerrimè oppugnat: frustra licèt, Procopio cum ſuis egregiè reſiſtente. Protrahitur obſidio.

Haud multò poſt audentiores aliqui ex obſeſſis, *Joanne Sokol* duce, *partium Procopij acerrimo propugnatore*, ſilenti quantum poterant agmine, portis egreſſi, in ſtationarios, qui obſidionalibus machinis cuſtodiendis vigilabant, impetum fecêre; iísque diffugientibus, trabes arietum ſecuribus & dolabris celeriter diſſecuêre. Sed cùm ê proxima ſtatione magna peditum manus adcurriſſet, certamen atrox & cruentum exortum fuit, in quo *Sokol* vulnus in ſiniſtro humero accepit: quod quanquàm non erat lethale, tamen milites, eâ re intellectâ, remiſſiùs pugnâ capeſſebant, donec & ipſe prælio excedens receptui canere juſſit. Poſt hæc ex aggeribus, quos erexerant obſeſſores, miſſilia tela, ac tubi pice & ſulphure, aliáque materiâ ignem facilè concipiente repleti, in tecta domorum crebris vicibus jaciebantur, ad oppidanos variè diſtrahendos: quæ tamen hinc inde volitantia, & denſim cadentia, paratis qui reſtinguerent, plerúmque ſine damno labebantur: eáque cum hoſtibus & ignibus colluctatio, totâ illâ die ad noctis usque medium ſtetit. Protractâ præter ſpem multorum oppugnatione, *Jodocus* tot irritis ſuorum conatibus permotus, & quòd militem, interfectis vel vulneratis, tædióque diuturnæ obſidionis fatiſcentibus promptiſſimis debilitatum cerneret, ſolvere quantocyùs obſidionem conſtituit; jámque machinas ex aggeribus retrahi juſſit. Sed adveniente *Archiduce*, qui oppugnationi inſiſtendum ſvadebat, mutato conſilio, fortunæ viriúmque periculum facere adhuc ſemel decrevit. Auxit animum, ac rei meliùs gerendæ ſpem, nuncius, *Sigismundum Regem cum exercitu, viris, armis & bellico apparatu haud contemnendo, adventare, necprocul abeſſe, ita ut intra biduum adfuturus ſit*, referens. Interea obſeſſi extrema omnia tentare, pati ac perferre parati, magno iterum auſu foras erumpunt; ſummâque celeritate uſi, faces ſitellásque ferreas ignibus onuſtas, ſarmenta item reſinam, ſtramen, picem, aliáque ad flammam concipiendam aptiſſima, in cata-

Obſeſſorum in caſtra obſidentium excurſio. Jodocus ſpe potiundæ urbis dejectus, ſolvere obſidionem conſtituit: ſed ab Archiduce perſvaſus, tentandam denuò fortunam ſuſcipit: Alia obſeſſorum excurſio,

Digitized by Google

cum damno obſidentium.

catapultas & minores alias machinas inijciunt; quæ poſtquàm concepiſſent ignem, ita ut proxima etiam, quæ de lignis erant, ejus violentiâ corriperentur, conſpectúmque auferrent fumi nigerrimæ nubes, claſſico inter hæc ciente pugnam, confuſio & clamor, nec non trepidatio in caſtris exorta eſt ingens. Accurrentibus tamen ex interioribus caſtris non paucis, ad ferenda ſuis auxilia, oppidani ne hoſtium multitudine opprimerentur, in urbem ſeſe receperunt. Machinæ interim effuſis ignibus urebantur; præter majorem & duas alias, quas *Hynko Konias*, vir ordinis Equeſtris, Jodoco tum militans, cum manipulo ſuorum accelerans, ægrè ſemiſtas extraxit. Cæterùm *Procopius*, & alij duces, *adventantis Sigismundi famâ* nequaquàm animis fracti, omnia quæ tolerandæ conſtanter obſidioni neceſſaria ducebant, ſummo ſtudio curabant, ad omnem fortunam parati, ita ut *Sigismundus* difficiliorem, quam unquam putâſſet, oppugnationem experiretur. Cúmque iterum atque tertiò aditum in urbem omni tentâſſet arte, majori accepto, quàm illato detrimento, remiſſiùs quoque deinceps agere cœpit. Noviſſimè ingraveſcentes autumnales imbres plus ſolito frequentes, ad deſerenda obſidionis conſilia coëgerunt oppugnatores. Oblatis igitur ſemeſtribus inducijs, quas *Procopius*, cùm poſt tot luctus & clades, etiam majores formidaret, lubens accepit, obſidionem ſolverunt. Auſtriaci Scriptores referunt, *Procopium, & qui cum illo erant, adventu Sigismundi, majorem belli molem in ſe parari videntes, ad dolum confugiſſe, & per idoneos malarum artium miniſtros, venenatam Sigismundo & Alberto potionem exhiberi curâſſe, ex eâque Sigismundum medicorum ope convaluiſſe, Albertum verò ſolutâ obſidione, lecticâ Neoburgum delatum, cùm præter veneni vim etiam dyſenteria acceſſiſſet, diem extremum obijſſe, VIII. Calend. Septemb. anno 1404.* Ita illi. Noſtri autem habent, eundem *Albertum*, primò anno 1406. cùm denuò *Znogmam* obſediſſet (de quo infra) ſagittâ lethaliter ſaucium obijſſe.

Sigismundus ſub id tempus adveniens oppugnationem repetit.

ſed irrito conatu.

Inducijs cum Procopio pactis, obſidio ſolvitur.
MS. Chron. Anon. an. 1404.
Roo lib. 4.
Cuſpinian. de Cæſarib. in Jodoco ad fin.
Error circa obiti Albertum Archid. refellitur.

Hagek. an. 1406.
MS. apud VVeleslabin. in Calend. Hiſtor. ad 3. Idus July.
Procopius à Rege in Luſatiam mittitur,

Inducijs eo modo pactis & firmatis, *Procopius in Bohemiam* ad Regem, ac inde *Budiſſinam in Luſatiam*, ut ibi ſeditionem civium Regis nomine compeſceret, profectus eſt, commendatâ civitatis curâ *Hynkoni de Koldſtein*, & *Joanni Sokol.* At *Sigismundus* ſtatim initio veris anni 1405. (non 1402. ùt volunt *Kuthenus*, *Weleslavinus*, *ego in Prodromo Moravogr.* & quidam alij: nam illo anno *Sigismudus* ſatìs ad agendum habuit cum rebellibus Hungaris, ab ijsdem paulo ante captus, & in dirum carcerem conjectus,) armis multiplicatis & viribus, emensóque per Moraviam itinere, in Bohemiam ex improviſo irrupit, rectâque *Boczkonis de Kunſtat & Podiebrad, &* aliorum, qui adverſarum partium ſtudioſiores erant, ditiones petens, eas igni ac ferro crudelem in modum populatus eſt. Inde versùs *Bezdezium*, propugnaculum in præalto monte ſitum, in quo *Procopium ex Luſatia reducem* ſubſtitiſſe cognoverat, citatis itineribus contendit, ubi caſtris è diſciplina militari poſitis, *Procopium* humanitate ſimulatâ ad familiare colloquium evocavit. Is porrò acceptâ fide, quòd redire permitteretur incolumis, haud gravatè deſcendit, licèt diſſvadentibus multis; & usque ad tentoria patruelis Regis intrepi-

qui inde redux, Bezdezij in Bohemia à Sigismundo contra datam fidem,

Digitized by Google

trepidus acceſſit: ubi vix copiâ colloquij datâ, mox ſatellites regij, quaſi per tumultum, tentorium ingrediuntur, manibúsque injectis, *Procopium* arripiunt, captóque vincula extemplò injiciunt, & â conſpectu Regis abducunt frustra fidem ſibi datam implorantem, & credulitatem ſuam, quanquàm ſerò nimis, deteſtantem. Verè, *periculoſa maximè ſunt odia, quæ amicitiâ veſtiuntur: nocent enim graviùs, dum minùs timentur.* Eum poſtea *Sigismundus* Brunam abduci juſſit; ubi eo ipſo anno, VIII. Calend. Octob. vitâ deceſſit, veneno, ùt creditur, extinctus: *Princeps tum formâ celſitudinéque corporis, tum magnâ optimarum ſcientiarum cognitione, ſolertique ingenio, & facundiâ, tum denique arte & uſu belli inſtructiſſimus.* Cæterùm hujus rei tam atrocis, *fidei* videlicet *nefariè violatæ*, diſſeminatus rumor, illicò per diverſa emanavit, multúmque non tantùm *Bohemorum*, ſed & *Moravorum animos*, atque ipſum deinde *Jodocum â Sigismundo* avertit; ut mirum non videatur, *Jodoco mortuo, Moravos res ſuas potiùs VVenceslao Regi, quàm Sigismundo ſubmiſiſſe; Bohemos verò non niſi ſexto decimo â morte VVenceslai anno, illum, poſt aliquoties fuſos fugatósque ipſius exercitus, in Regni poſſeſſionem ſuſcepiſſe.*

in vinculâ conjicitur; Brunam ſub cuſtodia mittitur ubi non multò poſt moritur.

MS. Carthuſiæ SS. Trinitat. in campo regio propè Brun. MS. Trebic. habet an. 1405. VVeleslab. ad X. Cal. Mart. an. 1402.

quo facto, Sigismundus non ſolùm Moravorum, ſed & Bohemorum animos, â ſe multum alienavit.

Quæ de *Georgio Procopij filio*, quidam recentiores Scriptores memorant, dum eum patriâ clam exceſſiſſe, & in *Caſinenſi Cœnobio Ord. S. Bened.* cucullum induiſſe, ac poſtmodùm *Auguſtæ Vindelicorum, in D. Udalrici ejusdem Ord. Cœnobio* anno 1457. piè & ſanctè obijſſe ſcribunt, nos ea non ſatis comperta, & quorum apud vetuſtiores, illorúmque temporum coævos ſcriptores altum eſt ſilentium, in medio relinquimus. Credibiliùs eſt, *Georgium illum Dynaſtæ alicujus Moravi, non Marchionis, fuiſſe filium.*

VVeleslab. in Genealog. Regnum Bohem.

Stengelius apud Cruger. in Martio ad d. 14.

Poſt diſceſſum Sigismundi ê Bohemia, manſerunt nihilominùs aliquot prædatoriæ Hungarorum turmæ circa *Tevto Brodam*, loca quævis obvia populando crudeliter, etiam per *Moraviam*, circa *Polnam & Mirzinium*: quæ poſtea dum evaſtatis undique regionibus, concrematísq; pagis, domum cum præda ingenti properarent, partim *â Mezericenſibus* in inſidias præcipitatæ, & intra concædem arborum, veluti clauſæ indaginibus feræ, paucis diffugientibus, conciſæ; partim *â Taſſovienſibus, Mitrovienſibus & Kravviborenſibus*, haud procul *Taſſovio*, magnâ clade profligatæ fuêre.

Hagek. ad an. 1401. ſed debet eſſe 1405.

Interea præſidiarij *Znogmenſes* poſtquàm innocentiſſimi Ducis defleſſent miſerandam ſortem, ulciſcendam illam omni ſtudio ac totis viribus conſtituerunt; factáque acerrimâ excurſione *in Auſtriam*, omnem inter *Recium & Lavam* regionem, latè populati ſunt, prædas agendo pecorum atque hominum licenter, cùm nemo eſſet, qui reſiſteret. Eóque modo, creſcente magìs ac magìs audaciâ, *Lavam oppidum* aſtu occupârunt, (proditione alij volunt) quod *Sokol* cum ſelectiſſimo ſuorum agmine tuendum acceperat, & ex inde in vicinos agros crebriùs excurrens, longè latéque ſe pandebat; quæ porrò agi aut ferri minùs poterant, igni corrumpebat. Non poterat diu ferre Archidux incommoda iſta, & detrimenta quæ miſeri ſubditi, præſertim *VVienenſi Poſonienſique viæ* proximi, ac totus denique *Marchfeldenſis ager*, copiâ omnis generis frumenti, ac nobili & generoſo vino celebris, graviſſimè patiebant-

MS. Trebic. an. 1405.

Præſidiarij Znogmenſes mortem Ducis ulciſcendam ſuſcipiunt: Auſtriam populantur:

Lavam occupant.

Digitized by Google

Albertus Archid. Auſtriæ Lavam recipere contendit, ſummis viribus oppugnat:

bantur: quare coactis Provincialium copijs, *Lavam* recuperandam ſuſcepit, & omnibus quæ neceſſitas oppugnationis requirebat, diſpoſitis, oppidum mox tertiâ adventus ſui die coronâ cingi, ſuóſque involare in muros juſſit. Diu utcúnque uno paríque ardore hinc inde pugnabatur; donec junior *Polheimius* eximiæ jam tum virtutis & fortitudinis adoleſcens, ac unius peditum cohortis præfectus, ſubmotis hoſtibus, incredibili auſu & virtute portam occupavit, ac per horam integram pugnando, hoſtéſque fortiter ſuſtinendo, eandem tuebatur. Tum obſeſſi fortunas ſuas jam in extremo ſitas cogitantes, ultimâ deſperatione pugnabant: & partiti munera dimicandi, relictis qui ab altera parte haud minori ſtudio mœnia tuerentur, pars validior ſtrictis cum gladijs in portam irrupit, ponè ſequentibus alijs, qui flammas, picem & ſarmenta portabant. Dúmque *Auſtriaci*, qui ſuperiora tenebant portæ, accedentes iſtos, exciperent lapidibus & telis, ij qui infra vehebant foculos repentes, ignem ſenſim excitabant, donec flammæ corripuiſſent tecta. Tum porta tota horribili flagrabat incendio, Auſtriacis exinde periculoſo ſaltu vix digreſſis: quorum tamen nonnulli â flamma præventi fœdè combuſti, alij verò haſtis aut telis præſidiariorum diſcerpti ſunt. Cùm poſtmodùm partes diſceſſiſſent ad ocium breve, *Archidux*, quòd in prælio pugnando ac obequitando, ſuóſque nè victoriam, quam jam obtentâ portâ haberent in manibus, cunctatione aut ſocordiâ corrumperent, animando, ſic ut equum fatigatum recentiori permutaret, ac inter fremitum armorum & diverſarum vocum, intenſâ ad ravim uſque voce, impenſiùs clamaret, moleſtâ & importunâ febri tentari cœpit. Quamobrem ſvadente Medico, ut locum mutaret, & caſtrenſes curas & labores aliquandiu intermitteret, paruit, ſéque *Viennam* lecticâ deportari juſſit, curâ exercitûs ac proſequendæ obſidionis, *Bertholdo Friſingenſi Epiſcopo* commendatâ. Sed abſente Principe miles remiſſiùs oppugnationi inſtitit, ærumnas obſidionales ubique declinans: è contra obſeſſi non modò oppidum fortiter tueri, ac hoſtes procul arcere contendebant, ſed etiam paulò poſt magno numero in caſtra erumpere non dubitârunt. Cúmque ad legionem, cui *Rembertus VValdſeius* præerat, & quæ aggeribus vicinior erat, irrupiſſent, quanquàm Auſtriaci egregiè primùm reſtiterint, pugnâríntque acerrimè; prævalentibus tamen agilitate & uſu belli hoſtibus, res erat in tantum conjecta diſcrimen, ut aliqui tumultuantibus ſimiles, jam pedem referrent: ſed inter hæc totis ferè caſtris adcurrentibus, hoſtes repreſſi in oppidum profugerunt. Erat poſtmodùm noctu, & die ſequenti totâ, magnum in oppido ſilentium, adeò ut â quibuſdam obſeſſi deditionem meditari exiſtimarentur. Interea *Sokol* clamore & ſtrepitu compreſſo, quæ neceſſaria erant ad tolerandam ulteriorem obſidionem, tacitè cuncta ac ſolerter adminiſtrabat. Famâ deinde perſtrepente de *auxilijs Sokolio ex Bohemia adventantibus*, quæ tamen inanis erat, *Friſingenſis* obſidionem ſolvit: præmiſsíſque curribus, & locis finitimis, nè hoſtes per omnia uti vellent, graſſari poſſent, præſidio firmatis, in Auſtriam redijt.

portam occupat:

irrito omni conatu:

febri corripitur: Viennam æger defertur,

Obſeſſorum foras eruptio acris.

obſidio ſolvitur.

Hoc rei benè geſtæ ſucceſſu *Sokol* ferocior, poſt datam ſuis per biduum quie-

Digitized by Google

quietem, foras vaſtabundus excurrit, vicina oppida & pagos, qui adhuc intacti erant, diripuit, ejectíſque ex aliquot arcibus præſidijs, prædam ubique per obvios quóſque terræ tractus, *Danubij* etiam perſtringens margines, liberè egit. Neque deſtitit deinceps quoque populando & vaſtando omnia, Auſtriacis infeſtus eſſe, adeò ut pars illa Auſtriæ, paulo ante populoſiſſima, diffugientibus aliò colonis, paulatim in ſolitudinem converteretur. Quia verò *perſonas Illuſtres* non paucas captivas habebat, & nullo modo ceſſabat eſſe gravis viciniæ toti, placuit tentare ipſius animum, num pecuniâ expugnari, & certis conditionibus, tam de captivorum libertate, quàm de oppidi deditione cum illo tranſigi poſſet. Itaque commeantibus ultro citróque literis & nuncijs, ac ultimò conventione factâ, cùm ab *Auſtriacis duo & triginta Rhenanorum millia* accepiſſet; & captivos reſtituit, & oppido exceſſit, fremente licèt *Hynkone*, qui Znogmam tenebat, & qui idcirco ſibi, nè impoſterum arctiùs teneretur, juſtè metuebat. Idem *Sokol* poſtea quòd ubique nomen ſtrenui bellatoris mereretur, â *Wladislao Polonorum Rege*, cui ſub id tempus cum *Crucigeris Teutonicis* fuit bellum, vocatus, uti erat navandæ operæ cupidiſſimus, *in Poloniam* cum ſuis migravit; ubi poſt multa heroicarum virtutum facinora, *arcis Radinenſis præfectus* exiſtens, â cive quodam Torunenſi veneno ſublatus obijt, anno 1410. *Ejus filios teneræ adhuc ætatis*, *Rex* (ùt narrat Cromerus) *propter inſignia patris merita, honeſtè & liberaliter educari Cracoviæ juſſit.*

Sokol Lavæ præfectus, & victoriâ inſolens per Auſtriam. Prædas agit hominum pecudúmq;.

Auro tandem placatus oppidum Auſtriacis cedit.

Roo lib. 4. habet 32. millia aureorum.

Et in Poloniâ Regi VVladislao militaturus abit.

Cromer. lib. 15.

Per id tempus, quo hæc ad *Lavam*, propè *Moraviæ limitem* agebantur, *Jodocus* in ſua *Marchia Brandeburgica* graviſſimis negotiorum curis diſtinebatur: quibus compoſitis, *Budiſſinam*, *Wenceslai Regis* juſſu, cui paulò antea fuerat reconciliatus, ut ibi ſedaret novos, quos plebs turbulenta concitâſſet *adverſùs Senatum* motus, divertit: jus interea ſupremum in Moravia, *Ladislao de Krawarz* dictante, *viro quà togâ, quà ſago clariſſimo.*

Jodocus VVenceslao Regi & Eximp reconciliatus.

VVeleslavin. in Calend. Hiſtor. ad 4. Calend. Junij. Luſatia Manlij an. 1405.

Sequenti anno, cùm ne quidem recuperatâ Lavâ, ceſſarent *Znogmenſium in Auſtriam hoſtiles excurſus*, Archidux denuò urbem obſidione tentandam premendámque decrevit. Jámque tam validum habebat comparatum exercitum, ut deſtinatum animo bellum commodè inferre, gereréque ſe poſſe minimè dubitaret. Nihil ergo moratus, copijs ad oppidũ Longolcſum luſtratis, rectà *Znogmam* petijt. Abſtinuit tamen â vaſtatione agrorũ (*quòd primùm obſeſſarum urbium malum eſſe ſolet*) ne civium accenderet animos ad ſervandam tenaciùs hoſti fidem. Inaudierat enim non paucos eſſe in urbe, qui *Hynkonem*, ejúsque aſſeclas tacitis perſequantur odijs, atque ideò exturbatos quocúnque tandem modo enixè cupiant: inde haud vanam concipiebat ſpem, urbem ſi non protinus vi, aut aliâ arte, proditione forte, & civium fraude capi poſſe; tametſi aliter, quàm rebatur, accidiſſet. Inchoatâ demum oppugnatione, magnis utrinque certatum eſt viribus: plurimus tamen labor ac ferè periculum omne ad ſuperiorem portam erat, ita ut jamjam Auſtriaci illam occupaturi viderentur; cùm interea *Hynko* de præſenti periculo maturè edoctus, cum ſelectiſſimo armatorum globo ocyùs accurrit, hoſtes, qui jam

Albertus Archidux Znogmam obſidet;

ac fortiter oppugnat:

Digitized by Google

in veſtibulo portæ erant, maximo impetu adoritur, & partim concidit, partim disjicit, ereptúmque uni ſignum militare, ad forum deferri jubet, ut ipſius aſpectu, curâ & ſolicitudine, plebis & ſociorum animi levarentur. Nihil tamen poſt irritum ejuſcemodi conatum, Archidux animo fractus, repetere oppugnationem, atque inſultum in eandem portam juſſit: ſed tum quoque eâdem propugnatorum virtute & conſtantiâ rejecti, ac cum magna ſtrage repulſi, pedem retulerunt. Ita primò proſpera, ſed ſtatim adverſa irritáque omnia tum Auſtriacis ceſſerunt: centum námque & duo de viginti ex illis cæſi numerabantur. Obſeſſis non niſi tredecim militum jacturâ ea victoria ſtetit: vulneratorum tamen numerus major fuit. Die ſequenti Albertus, mœſto ſilentio ſeſe continuit: Hynko quoque præſenti victoriâ contentus, quietem ſuis, ut reſpirarent, conceſſit. Quintâ primò die recruduit certamen: quippe *Archidux* ægerrimè ferens adverſam præteritæ oppugnationis fortunam, ſumendæque *ab hoc infami*, ùt ipſe dicebat, *latronum agmine* ultionis cupidus, ubi ſatìs jam quieti, ſatìs & ignavo dolori datum eſſet, contemplari denuò mœnia urbis, & obſervare, quá parte magìs obnoxia injuriæ eſſent, juſſit. Quo peracto, diſpoſitis ad impreſſionem faciendam cunctis, diem, qui in Eccleſia *pervigilio Divi Laurentij* ſacer eſt, aggreſſioni decernit. Manè igitur, primam circiter diei horam, â deſignatis partibus urbs invaditur: dimicatúmque eſt utrobíque non telis tantùm & ſagittis, ſed ingentibus quoque ſaxorum manualium nimbis; ac neutrobi inclinato momento, prælium atrox ad usque meridiei æſtum obſtinatione magnâ protractum fuit, pari deinde ſorte diremptum. Reliquum diei, & nox ſubſequens ſervierunt denuó utrisque reſpirationi & quieti.

ſummíſque viribus oppugnat:

irrito tamen conatu.

Denuò urbis capiendæ fortunam tentat:

Die tertio, *Archidux* non amplìus ullum periculi diſcrimen præ oculis habens, quaſi jam ineluctabili fato traheretur ad interitum, ſupremam adhuc certaminis aleam totis viribus tentare, adeóque decernere ſtatuit. Rurſum igitur certatum acerrimè, ab hora diei prima, ad tertiam usque; cúmque multi ex oppugnatoribus ſternerentur, factum quòd *Archidux* periculi oblitus, ut ſuos ad fortiter agendum præſentiâ ſuâ animaret, propiùs accederet: & quia armorum ac veſtium ſplendore conſpectior viſebatur, confeſtim ab obſeſſis crebritate telorum petitus eſt: ubi dum proſtrato equo, ipſe pedes abſcedere, & in tempore ſaluti ſuæ conſulere nititur, quidam contortâ baliſtâ abſcedentem thorace cum pectore trajecto perfodit. Ejus occaſu, ùt fit, elanquuêre oppugnantium animi, ſignúmque mox receptui datum; neque auditi, quibus fervida ingenia erant, & qui repetitis inſultibus continuandam oppugnationem ſvadebant, exhauriri poſſe aſſiduâ vexatione obſeſſorum vires dictitantes; ſicque tandem excidio urbis parentandum Principis manibus: biduo denique poſt, obſidio penitùs ſoluta. Hæc aliter quidam referunt, & eſt apud multos, ùt ſuprà dixi, ratione obitûs *Alberti IV. Archiducis* controverſia, cùm aliqui veneno ſublatum, alij ſagittâ cæſum velint.

atque iterum tertiò:

ubi ſagittâ ictus occubuit an. 3406. die 13. Julij. quo per mortem ſublato, ſolvitur obſidio.

Lupac. in Ephemerid. Bohem. ad d. 13. Julij. an. 1406. Hagek. an. eod. VVeleslaŭ. ſupra citat. de Koo lib. 4. Cuſpinian. Lazius, Gans in Alberto IV. Jacob. Fuger. in Speculo Auſtr. l. 4. c. 2.

Excurrebat deinde eò frequentiùs cum ſuis *Hynko*; quâdam vice captâ ex improviſo arce *Geviſſovicio* in Moravia, *Nicolaum Kunam* (hic erat de *Familia*

Præſidiarij Znogmenſes toti vicinæ multùm graves.

militia Kunſtatæa, ita jam tum nominata, *Gebbardi Comitis à Berneko & Nydda Burggravij Znogmenſis pronepos*) unà cum conjuge & liberis captum abduxerat. Quod non multo poſt, etiam *Petrus Pabienicius Hynkonis legatus*, vir ſolers & induſtrius, ac vetuſtæ in Bohemia nobilitatis, cum triginta circiter equitum manu excurrens, *Henrico Lichtenſteinio*, dum Brunâ Niclsburgum rediret exiguo comitatu ſtipatus, fecit. Tot igitur & tantis hoſtium contumelijs provocati, *Bertholdus & Hynko fratres de Lippa*, aliique in eo tractu proceres & nobiles Moravi, & nequaquam eas amplius tolerandas rati, *Koldſteinium* omne fas abrumpentem, ac indiès damna quaquaverſum inferentem, armis tandem coercendum ſuſceperunt: adjunctóque ſibi ex vicinioribus præſidijs milite, obviam ſatellitio ipſius, de cujus nova excurſione cognoverant properàrunt; ac fortunâ propitiâ uſi, prædatorium unum globum oppreſſerunt penè totum, ut vix nuncius cladis evadere potuerit. Quo facto exacerbatus *Hynko*, cum reſiduis omnibus, quos habebat ad omne facinus promptiſſimos, excurſionem repetijt, in obvia quæque non modò rapinis & populationibus, ſed incendijs quoque longè latéque ſæviens adeò, ut complures villæ & prædia, ac domus Nobilium injectis ignibus conflagrarent, & ardentia tectorum culmina ac flammæ Brunam usq; conſpicerentur. Hæc dum fiunt, Znogmenſes quidam præcipui, contubernij hujusmodi pertæſi, ac veriti, ne ſi tandem majoribus ex *Moravia & Auſtria* viribus admotis, urbem vi occupari contingeret, ipſi de fortunis omnibus & vita periclitari cogerentur: clam conſilia inière, de tradenda *Marchioni Jodoco* urbe: præſtructiſque omnibus, quæ exigebat rei negotium, cùm *Hynko & Pabienicius* nihil tale ſuſpicati, nocte quâdam excurriſſent in *Auſtriam*; pacti priùs tam vitæ quàm fortunarum ſuarum incolumitatem, *Jodocum* cum armatis in urbem intromiſerunt. Hic deditione urbis lætus, confeſtim in commilitones *Hynkonis*, quos ibi invenerat, pro eorum meritis animadverti, omnésque catenis & reſtibus vinciri, ac die ſequenti, *ſeptuaginta laqueò ſuſpendi, duodecim verò gladio pœnali tolli juſſit.* Id unicum ad ſumma vota Marchionis defuiſſe videbatur, quòd perduellium duces & anteſignanos non haberet in poteſtate: qui cùm urbem proditione civium captam ex itinere cognoviſſent, ingenti terrore perculſi, maturè potiùs ſeſe in tutiora, recipere, quàm ulteriorem fortunam periclitari maluerunt; notitiáque locorum & viarum freti, ac pernicibus uſi equis, non eâ, quæ proximior erat, viâ, ſed per extimâ Auſtriæ, *VVegdoviam ac Landſteinam* versùs, in Bohemiam profugerunt.

vicinos quosdam præcipuos captivant:

MS. Trebic. ad an. 1406.

Tandem Jodocus proditione ipſorummet civium urbem occupat;

& præſidiarios, quotquot deprehendit, laqueo ſuſpendi jubet.

Hagek. & VVeslesl. ſupra citat.

MS. Chron. Hradecenſe. ad an. 1406.

Quietiores poſtea res ab externis & domeſticis turbis aliquandiu fuère in *Moravia*; dùm inter hæc mortuò *Ruperto Palatino Cæſare, XV. Cal. Junij, an. 1410. Jodocus Brandeburgi & Moraviæ Marchio, in Regem Romanor. eligitur.* Hic (ùt id brevibus attingam) jàm electus, cùm *VVenceslaum Regem* viſitatum veniſſet, abduxit eum Rex in penitius conclave, atque in hunc modum alloquutus eſt. *Etſi ſciam non eſſe è dignitate mea, quòd Electores Imperij me nuper Regno abdicàrint; ſolatio tamen eſt, quòd Familiâ noſtrâ hoc decus non excidat: ac proinde Spartam quam nactus es, hanc orna; ne tibi idem, quod mihi,*

Jodocus Marchio Moraviæ Imperator eligitur, an. 1410.

mihi, eveniat. Cúmque *Jodocus* his verbis territus, ad Regis genua procubuiſſet, ac ſibi nihil imputandum diceret, quòd earum rerum omnium ignarus eſſet: *Pone metum*, inquit, *nam neque Imperium invitus depoſui, neque ſi recipere illud vellem, jura ſanguinis violarem. Bono itaque ſis animo, Imperiúmque tibi demandatum alacris ſuſcipe: mihi mea ſatis eſt Bohemia: viribus, armis, opibus Regni mei, tanquam tuis, ùt libet, perinde utere.* Sícque lætum & donatum nepotem à ſe dimiſit. At ille ſex tantùm menſes ſupervixit, Brunæ mortuus, anno 1411. die 8. Januarij: ùt oſtendit *liber Anniverſariorum in Eccl. Metrop. Prag.* nullâ prole maſculâ relictâ: ætatis verò, anno 60. Naſci enim citiùs quàm anno 1351. non potuit, ſiquidem parens ipſius *Joan. Henricus*, primò anno 1350. ùt ex Chronico Beneſſij Can. tum temporis viventis & ſcribentis, ſupra oſtendimus, *Margaretam filiam Nicolai II. Ducis Oppav.* in uxorem duxit, ex qua demum hunc *Jodocum filium primogenitum* accepit. Graviter idcirco errant, qui *Jodocum, dum adiret Imperium, annum ætatis nonageſimum exceſſiſſe ſcribunt*, quem nec *Joan. Henricus* parens, ſi ad annum uſque 1411. vixiſſet, adimplere potuiſſet, utpote anno 1322. natus. *Jodoco* rebus humanis exempto, *Sigiſmundus patruelis* in Imperio ſucceſſit. De cujus electione narratur: dum ad Comitia, velut *Elector Brandeburgicus*, vocatus acceſſiſſet, & regiæ ejus dignitati, primæ dicendi ſuffragij vices eſſent delatæ, rogatus, quem nominaret? *Me*, inquit, *ego novi, alios non item: cùm neſciam, an quiſpiam alius æquè ſit idoneus capeſſendo Orbis imperio, in tanta præſertim rei Chriſtianæ, propter Schiſma, perturbatione, me ipſum nomino:* quod ita placuit cæteris Electoribus, ut votum ipſius communi aſſenſu comprobarent. Et hic deinde *Schiſma ſuſtulit*, vel propter hoc, *memoriâ æternâ digniſſimus.*

Æn. Syl. in Apophtegm. Cochlæus lib. 1. Hiſt. Huſſit. fol. 16. Peucer. lib. 5. Chronicor. in Jodoco Barbato. Melch. Goldaſt. in Comment. de Regni Boh. Privileg. l. 3. c. 14. n. 23.

moritur, an. 1411.

Sigismundus Rex Hung. fit Imperator.

Cuſpinian. in Cæſar. Peucer. Cruger. Naucler. VVeleslab. Chron. Aulæ Reg. part. 2. an. 1322.

CAPUT IV.

Huſſiticæ Sectæ ortus, progreſſus & exinde ſequuta mala: Religionis mutatio, Regionum deſtructio, Ziſcæ tyrannis, Taboritarum ſævitia, Catholicorum ac imprimis Sacerdotum cædes, urbium denique, populorum, templorum & monaſteriorum vaſtitates.

In Bohemia exoritur de religione atrox bellum.

HAud multò pòſt in Bohemia, bellum exarſit atrociſſimum, principio à Religionis ſciſſione ducto. Poſtquàm enim authoribus *Joanne Huſſo & Hieronymo*, primis in Bohemia hæreſiarchis, veneno *doctrinæ Vicleſianæ* infectis, Religio Catholica in partes ſciſſa eſſet, multúmque non modò *Eccleſiæ Romanæ authoritas, ſed Sanctorum quoque cultus, cæteráque præcipua Chriſtianæ religionis capita,* apud Pragenſes viloſcerent, mox & concordia Ordinum proruere cœpit: unde fieri neceſſe erant, ut rupta cum Deo & Divis pace, pax quoque

Huſſitarum origo.

que

quæ inter homines vaneſceret. Mali hujus principium ex *Joan. VViclefi* ſcriptis, cujus tum erat inter ſacrarum literarum interpretes, ſatis celebre nomen, promanavit; hominis ingenio turbulenti, & per religionis ac ſapientiæ opinionem, majora ſuis viribus molientis. Ea ſcripta, ex Anglia *Hieronymus Pragenſis*, vir quidem ingenio & eloquentiâ præſtans, (*non tamen ſacerdos*) ſed quem uno hoc inductæ in patriam hæreſis, meritò omnibus diris devovendum exiſtimem, in Bohemiam attulit, eáque diverſis propoſuit legenda; uſus poſtea *Joanne Huſſo ſacerdote & Baccalaureo Theologiæ, Concionatore in Betbleem Vetero Pragæ*, adjutore; qui ea multitudini in concionibus, (homo quoque in dicendo copioſus & diſertus, & quem etiam religionis fama vulgo commendabat) ſuſciperet explicanda. Ita quùm magno hominum applauſu, ùt in rebus novis fieri ſolet, *Huſſi verba ſcitè partitéque omnia explicantis* acciperentur, brevì & ipſe *Hieronymus* (attonitis magìs Catholicis novitate rei, quàm certum aliquod & efficax conſilium expedientibus, id quod aliàs Religionis periculum imminens requirebat,) alios docendo, alios privatim monendo atque hortando, haud contemnendos progreſſus indies faciebat: in tam novo & gravi Religionis motu, proceribus Regni Regéque ipſo, hæc omnia, ſine ulla remediorum proviſione, ſpectantibus, & quaſi nihil ad ſe pertinerent, diſſimulantibus.

Primi hæreſiarchæ VVIclef, Hieronimus Prag. & Huſſus.

hæreſis invaleſcit.

Malum initio modicum, ut ferè omnia, confeſtim ad ingentium tumultuum excrevit tempeſtatem, quâ non tantùm Regnum, ſub graviſſimo calamitatum pondere fatiſcens, inclinavit in ruinam; ſed & *Moravia, Hungaria, Auſtria, Sileſia, Luſatia, Brandeburgum, Miſnia, Thuringia, Voitlandia, Franconia, Palatinatus & Bavaria*, funeſtiſſimas ædium ſacrarum & profanarum, urbium, regionum populorúmque perſenſêre vaſtitates & clades. Neque *Regi Wenceslao*, ùt dixi, neque alijs, qui Reip. ex officio meliùs invigilare debuiſſent, curæ erat, malo huic antequàm invaleſceret ſeſe opponere. Solus *Archi-Epiſcopus Pragenſis Zbynko ab Hazmburg*, vetuſtiſſimæ nobiliſſimæque in Bohemia gentis, altioribus quidem literis mediocriter imbutus, ſed naturali prudentiâ, conſilio, ac imprimìs flagrantiſſimo, in propugnanda Orthodoxa Religione, zelo præſtans, pro officij ſui munere, ſeſe fortiter oppoſuit, adeò accuratè & ſolerter impia illa recèns exorta dogmata procul arcendo, ut ab alio quocúnque tandem, diligentiùs & vigilantiùs fieri vix potuiſſet. Qui etiam adhibito tam Capitularium Metrop. Sedis, quàm aliorum doctiſſimorum virorum conſilio, ultra CC. volumina, quæ perverſum Viclefi dogma continebant, publicè concremari juſſit. Sed is brevì, dum *in Hungariam ad Sigismundum Cæſarem* contendit, ut ab eo, cùm ſolus neutiquam ſufficeret, & â VVenceslao Rege nihil auxilij obtinere poſſet, opem periclitanti in Patria Religioni impetraret, *Poſonij veneno extinguitur:* ita ut ingentibus, quæ mox ſubſequutæ ſunt, malorum procellis ſubtractus, ad tranquillum quietis portum tempeſtivè migrâſſe cenſeatur. Cujus Succeſſores *Albicus*, & *Cunradus* natione Weſtphalus, homines nauci, & malis artibus intruſi, plus nocuere, quàm profuêre Eccleſiæ.

VVenceslai Regis ſocordia.

Archi-Epiſcopi Prag. Zbynkonis de Hazmburg Zelus.

Ejus obitus, Religionis propugnandæ causâ, an. 1411.

Succeſſores ipſius, Albicus & Cunradus, homines nauci.

Legimus apud Daubravium, & apud alios quoque, præſertim MS. Authores, *Albicum, Unczovia in Moravia natum fuiſſe*, profeſſione Medicum, eámque dignitatem Archi-Epiſcopalem comparâſſe ſibi pecuniâ: quia autem avarus erat ſupra modum, *atque ita ingenio avido, & ad rem attento*, verba ſunt Daubravii, *ut minutiſſimarum quoque rerum curam non omitteret, clavim à penu & cella vinaria ipſe retineret, viniqne promam anum abſtemiam præficeret, domi quaſi cauponam & macellum inſtitueret, dum vina meliora & meratiora eduliáque ex piſcibus, avibus & feris lautiora ære commutaret, ſéque ad menſam aridam, & ſordidam cum familia pauca & abjecta revocaret*; ab alendis quoque equis, tanquam ſumptuoſis, & quòd *noctu etiam vorarent, penitùs averſus, ita ut palam diceret: ſe multo patientiùs ſerræ ſtridorem ferre poſſe, quàm audire equos per noctem hordeum confringentes.* His itaque de cauſis, ab omnibus malè audijt; antequàm tamen hujusmodi mores mutaret in meliores, & pro dignitate Archi-Epiſcopali vitam institueret, potiùs *Cunrado Weſtphalo, Epiſcopo tum Olom.* & paulo ante Præpoſito Melnic. Archi-Epiſcopatum reſignavit, â VVenceslao Rege *Præpoſiturâ Wiſſebradenſi*, quam per promotionem *Joan. Wenceslai Kralik Præpoſiti & Patriarchæ Antiocheni, ad Olom. Cathedram*, vacare tunc contigerat, donatus; cui poſtea *Sigismundus Imp.* etiam *Archi-Epiſcopi Cæſarienſis titulum* â Romano Pontifice impetravit. Memini me alicubi legiſſe librum ab Albico ſcriptum, & VVenceslao Regi dedicatum, cujus vel ipſe titulus turpis eſt: *Magiſtri Albici de Unczovvia Archi-Epiſcopi Prag. Vetularium, ſeu regimen Sanitatis.* Res profectò indigna Archi-Epiſcopo, Legato Nato, Principe &c. ſcribere Vetularium. Unde meritò *Daubravius & Pontanus* de illo ſcripſerunt: *Albicus clyſteribus, quàm Arcchi-Ep. dignitate notior, & pharmacopolis potiùs, quàm Epiſcopis adnumerandus.*

Albici Archi-Ep. Prag. ſordida avaritia: / reſignat Archi-Epiſcopatum Cunrado, quem contra voluntatem Capituli intruſit. / Daubr. l. 23. Pontan. in Boh. Pia l. 3.

Nec meliùs *Cunradus* egit, qui ultimò in Huſſitarum dogma prolapſus, Conſiſtorio hæreticorum ſigillum Officij contulit, juriſdictionémqne confirmavit; latifundia verò Archi-Epiſcopalia prorſus omnia, non ſine inexpiabili rerum divinarum injuria, ac peſſimo humanarum exemplo, hinc inde fœdè diſtraxit, & favorem procerum aucupans, pleráque ipſis utenda pignori dedit: pecuniam quamcúnque corradere potuit, *Wechtam, in Weſtphaliam Patriam ſuam* miſit; â Capitulo tandem exauctoratus, (uti fusè oſtendimus alibi) â Martino V. Papa diris devotus, ab ipſis poſtmodùm etiam Huſſitis; quanquàm placitis illorum ſubſcripſiſſet, contemptus ludubrióque habitus, quin imò etiam ultimò â *Joanne Smirzicio*, cujus fidei & tutelæ ſeſe commiſerat, eam ob cauſam *Raudnicium, ditionem quondam Archi-Epiſcopalem nobiliſſimam*, ei tranſcripſerat, neglectus, vitam miſeram & inopem duxit: donec tandem 1431. d. 25. Decembr. ab omnibus derelictus, & in egeſtate ſummâ, *Raudnicij*, in exigua quadam gaza, ê vita deceſſit. Extat de illo hodiéque cantilena ab Huſſitis compoſita, quam dum in minoribus eſſemus, non ſemel ab antiquis adhuc Huſſiticæ doctrinæ ſectatoribus, Primanis & Secundanis (ita paſſim in trivialibus ſcholis nominabantur) cantari audivimus, quæ ſic inci-

qui nihil illo melior, in Huſſitarum hæreſim prolabitur, / Phosph. Rad. III. / Bona Archi-Ep. diſtrahit, / & miſerè tandem moritur.

incipit: **Náſs geſt Biſkup pokorný/ ſedj w malém Domku; Prodal Hrady y Dwory ꝛc.** Facilè igitur erat hæreſi tum exorienti aſſurgere, & dominari, vel debacchari potiùs, & de die in diem magìs invaleſcere, ſub tali *Jdolo*, non *Paſtore*.

Fovebat verò imprimìs ortum diſſidium, eorum temporum miſerabilis ſtatus: qui, ut etiam religionis reſpectus abeſſet, per ſe convulſus labare videbatur, ut minimè difficile fuerit, quorſum res eſſet evaſura, divinare. Nam *VVenceslaus*, ita ſe gerebat, ut neque communis ſalutis, neque Mejeſtatis Regiæ memor, facilè oſtenderet, nihil eſſe præſidij in Regis auctoritate, ad turbas multitudinis tollendas, ubi illam non egregia virtutis & ſapientiæ opinio tueretur. Accedebat ad inteſtinum malum, *fœdum in Chriſtiana Republ. diſſidium*, quod jam diu magnâ populorum querelâ durabat, *tribus tum Romanis Pontificibus, Gregorio XII. Joanne XXIII. Benedicto XI.* pertinacibus ſtudijs & jurgijs inter ſe contendentibus, ita ut nunquam veterum memoriâ in majori diſcrimine Reſpub. verſari viſa fuerit. Principes Terræ, alij hunc, alij illũ alij tertium Pontificem agnoſcentes, venerabantur. Quæ tam diverſa ſtudia, niſi præpoſtera Pontificum ambitio, per Sacroſancti Concilij auctoritatem tolleretur, videbatur omninò brevì, magno Chriſtianæ Reipub. malo, in apertum b[illegible]m eruptura. Hinc, cùm *Sacerdotum quoque contaminata vita, & mores improbi*, in ſcelerum flagitiorúmque omnium licentia, libero populorum convicio proſcinderentur; tanquam inde origo & cauſa eorum malorum eſſet, quæ ab infenſo terris Numine impenderent: nihil facilius futurum apparebat, quàm ut ea ſcita placitáque, populi amplecterentur, quæ hominibus apta futura Huſſitæ ſvaderent. Concilio demum generali per *Sigismundum Cæſarem, ex Joannis Pontificis auctoritate, Conſtantiam indicto*, poſtquā redacti fuiſſent in ordinē Pontifices, reprimenda facilè videbantur & alia, ac imprimìs exorta in Bohemia peſtis, *Huſſo & Hieronymo* ad rogum damnatis. Quod tamen tantùm abeſt, ut ſeditionem cœptam reſtingueret, ut adverſarij inde potiùs anſam criminandi Patres nacti, multò vehementiùs excanduerint; vel idcirco, quòd contra datam fidem, conjectos in carcerem, cauſam dicere ex vinculis coëgiſſent, ac demum condemnâſſent: Rege tandem etiam ipſo, & *Proceribus Bohemis & Moravis*, factum hoc quodammodò in contemptum univerſæ Nationis accipientibus, & idcirco ſummè deteſtantibus. Extat eorundem in generali Conventu Pragæ congregatorum, anno 1416. in Septembri, Epiſtola ea de cauſâ *ad Concilium Conſtant.* data valde acris; cujus Cochlæus meminit. Hagek etiam nomina illorum, qui ſubſcipſerunt, recenſet; ſed primariorum tantùm, cùm ex alijs manuſcriptis conſtet, fuiſſe ſimul *Barones Nobiles & Civitatem legatos, tam ex Bohemia, quàm ex Moravia, tum ſimul congregatos ultra trecentos:* omnes tunc adhuc Catholicæ Religioni deditos: (ex quibus nonnulli poſtea anno 1420. ante *caſtrum Wiſſebrad* ſtrenuè pugnantes, *pro Catholica Fide, & pro Rege*, morte pulcherrimâ occubuerunt:) ſed amore & affectu nationali, eò quòd ſibi & toti Nationi Bohemicæ, ùt dixi, in deſpectum id factum eſſe interpretarentur, usque adeò ab æquo

Flabella hæreſeos:

Schiſma Pontificum:

Sacerdotum mores improbi.

Doct. Paul. Zidek nominat. Epiſcop. Litomyſſl. in lib. MS. ad Georg. Reg.

Huſſo & Hieronymo Prag. præcipuis hæreſeos authoribus ignis ſupplicio damnatis.

Magnates Bohem & Moraviæ, id ægrè ferunt:

putantes ſibi & Nationi factum in deſpectum.

Cochl. in Huſſit. l. 4. Hagek. ad an. 1416. MS. Laurent. MS Anon. an. eod.

Digitized by Google

æquo & juſto, & â religione Sacríque Concilij reverentia abreptos, ut idcircò cum Patribus graviter expoſtulare, & injuriam hanc ſeſe ad ultimum usque ſanguinis ulturos, atrociter minari non dubitârint.

Status Regni magis ac magis turbatur: Hunc in modum labante ſenſim Religione in Bohemia, facilè & alia prolabi, ruere, & omnia súsque déque agi cœperunt: *motâ námque ſemel ſacrâ Religionis anchorâ*, ùt ait ille, facile eſt, imò *neceſſe*, *moveri & fluctuare ipſam Reip. navim.* Præſertim cùm nemo eſſet, qui ingraveſcentibus tumultibus ſeriò obviam ire, & exorientibus malis in tempore medelam ferre vellet: è contra verò, cuilibet audaciſſimo & peſſimo, quod luberet, etiam liceret.

súsque déque omnia aguntur: Unde paulo poſt afflictiſſimus erat ubique rerum ſtatus, atque adeò miſeranda hominum conditio, ut nec tutò cui fidere, quémve cavere deberent, quisquam ſcire poſſet, ita metu & ſuſpicionibus omnia complebantur: imò, neque parentes â filiorum, neque viciſſim hi ab illorum injurijs, ſecuri degebant. Ut verò quævis factio, quovis in loco armis ſuperior erat, ita ſubditi eam admittere cogebantur; qui tamen mox alterius factionis hominibus pœnas

humana divinis confunduntur. daturi eſſent. Itinera etiam omnia rapinis infeſta, nihil tuti viatoribus permittebant: in civitatibus porrò cùm nulla eſſet *Magiſtratûs auctoritas*, quæ populi audaciam coerceret, legum ſumma contemptio, nullus judiciorum metus; paſſim tumultus ac ſeditiones exoriebantur, inſurgente adversùs pri-

imprimis verò in Eccleſiaſticos, eorúmque Ædes ſacras, ab efferata plebe Præg. ſævitur, *Huſſus anno 1415. die 6. Julij. Hieron. an. 1418. die 3. Maij.* Huſſinecio, & poſtea Ziſkâ duce. mores inſanâ plebe. Potiſſimum autem calamitatis patiebantur *Viri ſacrati, tam Eccleſiaſtici, quàm Regularis ſtatûs. Huſſo* námque & ejus aſſeclâ *Hieronymo* â Concilio Conſtant. ùt jam innuimus, damnatis, & cùm revocare prava documenta nollent, ignis ſupplicio de medio ſublatis, *plebs effera Pragenſis*, atque imprimìs eorum doctrina imbuti ſectatores, animo & manu prompti, velut emiſſi ab inferis dæmones, *Nicolao de Huſſinecz* primùm duce, ac deinde *Joanne Ziſkâ*, viris quidem nobili genere natis, ſed utróque moribus inculto & truci; primò omnium in *Conſules Novæ urbis Prag. in Curia congregatos*, viros Catholicos impetũ faciunt, & quotquot deprehendunt, immani truculentiâ occidunt, aliquos de feneſtris ſenaculi dejiciunt. Et ùt ſcelus ſceleri facilè viam emollit, mox etiam clauſtra Religioſorum, facto in eadem urbe, in cœnobio *Zderazenſi Crucigerorum cum rubea Cruce & navicula*, nefando hu-

Rex VVenceslaus apoplexiâ extinguitur. jus ſacrilegij principio, invadunt, expilant, diruunt, vaſtant: *Rege Wenceslao, hoc ipſo turbarum initio, repentinâ apoplexiâ tacto, ac brevi extincto, anno 1419. die 16. Auguſti.* Unde evenit ſubitò, ut in ea urbe, in qua paulò antè pietate vigente, virtutibus certatum erat, certaretur ſceleribus; *optimúsque ſibi videretur, qui fuerat peſſimus.* Quod malum latiùs indiès ſerpſit, eóque vehementiùs, quò minùs aderat vir probus, in ea rerum confuſione, ad placandos efferatos ſeditioſorum animos: qui tanto magìs inſoleſcebant, quòd ſe timeri ſentirent. Hinc flagitioſiſſimi homines, & ad omne jam projecti ſcelus, cùm viderent, nihil adversùm ſe parari, ab urbe eo inopinato motu attonitâ, alieno pavore ſe-

Monaſterium Carthuſianorum devaſtatur. curi, eâdem die, quâ Zderazenſe, *Carthuſianum* quoque *monaſterium percelebre*, ſub dextro pede montis Petrzin, ante portam Augezdenſem minoris urbis Prag. invaſerunt, expilârunt; die verò ſequenti prorſus diruerunt. *Carthu-*

Digitized by Google

thuſiani numero XI. captivati, ſpinis coronati, & ſic per vicum Augezdenſem, per pontem & urbem Veterem ducti, & vix non in flumen præcipitati, totâ ad ſpectaculum effusâ & ſuſpensâ Triurbe: plerísque gementibus, & mala, quæ ex hac tam effreni licentia plebis, ſequutura eſſent, haud vanè præſagientibus. Præcedebat tripudians ſcurra quiſpiam, *Marzik* nomine, habitu Sacerdotis indutus, manu calicem geſtans: qui tamen paulo poſt impudentiæ ſuæ & ſacrilegij pœnas dedit, nocte mox ſequenti, juſſu ſenatûs capite plexus. Id porrò memorabile eſt, quod cum *Carthuſianis* accidit: cùm enim omnes undecim in carcerem *Curiæ urbis Veteris* conjecti, & die ſequenti manè, decem tantùm reperti eſſent, movit res hæc cuſtodem carceris, ut captivis meliùs attenderet, & pluribus ſeris ac vectibus portam muniret. Interim die tertiâ rurſum unus amittitur, foribus clauſis. Vocati reſidui novem ad ſenatum, & interrogati, quò ſocij duo illorum, unus poſt alterum devenerint, nihil aliud reſponderunt: niſi cùm noctu in oratione eſſent ſimul omnes, & in terram ſeſe proſtraviſſent, finitâ oratione ſemper unum defuiſſe. Juſſu igitur primarij Conſulis, rurſus veſperi includuntur, & non tantùm fores carceris, ſed etiam feneſtræ omnes tabulis ligneis, ferreísque peſſulis obſtruuntur, appoſita quoque ſigilla, adhibiti cuſtodes: ſed ecce! iterum unus evanuit. Itáque Senatores agnito miraculo, reliquos octo ſalvos dimiſerunt, & majoris ſecuritatis causâ, in Moraviam usque deduci curârunt.

Carthuſiani capti, illuſi, in carcerem conjecti,

prodigiosè liberantur.

Parem calamitatem ſubierunt alia quoque Monaſteria: *Brzevvnovvienſe Ord. S. Benedicti: Strabovienſe Ord. Præmonſtr.* cujus campanas in antiquam urbem devectas, poſtea Pragenſes ſuper turres templi Teynenſis collocarunt, uti hodiéque manent. *Eremitarum S. Thomæ, Rhodienſium Equitum B. Virginis ad Catenam: Sanctimonialium de Pœnitentia ad S. Mariam Magdal. Plaſſenſe minùs poſt portam Augezd. Ord. Ciſterc.* Hæc in Minori urbe Prag. propéque erat, ut etiam *Metropolitanum D. Viti templum* in cumulos abiret, quod jam homines facinoroſi cœperunt diruere: niſi *braxatores Vetero Pragenſes*, tam magnificum ædificium miſerati, & haud dubiè inter illos etiam cives aliqui, religione tacti, in tempore accurriſſent, eósque disjeciſſent.

Hagek. ad an. 1419. Pontan. in Boh. Pia lib. 1. Monaſteriorum Pragæ excidium.

Metrop. D. Viti templum defenſum.

Eandem vim & ruinam ſenſerunt in Veteri urbe clauſtra: *Dominicanorum S. Clementis, Virginum S. Claræ, ad S. Franciſcum*, & aliud eidem contiguum *Fratrum Minorum ad S. Barbaram*, utrúmque *à B. Agnete Regis Przemyſli I. & Conſtantiæ filia* fundatum: quæ recuſato Friderici II. Imp. matrimonio, Cæleſti Sponſo potiùs virginitatem ſuam conſecravit, & in præfato Virginum S. Claræ Cœnobio, quod aliàs vulgò dicebatur, *Monaſterium pauperum Domicellarum*, profeſſa, Religioſam vitam duxit, eâ ſanctimoniâ, ut etiam mortuorum ſuſcitatione (quod ſolius Dei opus eſt) illius ſanctitatem Deus honorârit. *Crucigerorum* item *Tevtonicorum ad S. Benedictum. Virginum Ord. S. Auguſt. ad S. Catharinam; in Nova Civitate: Carlovvienſe Canonicor. Regul. S. Auguſtini; Minorum ſtrictioris obſerv. ad S. Ambroſium:* aliud *S. Ambroſij, ſub caſtro* Wiſſebrad *Ambroſianorum; Servorum Beatiſſimæ*

Bolland. in Vit. SS. ad 6. Martij. Pragenſium exemplo,

Digitized by Google

Virginis ad rivum Boticz, ſeu in *viridi pratulo*; Magiſtratu urbico partim attonito, partim conſcio, & exinde læto, quòd reperti eſſent, qui ſemel ea perfeciſſent, quæ ipſi animo ſæpiùs agitâſſent. Hoc ultimum, cùm incendiſſent buſtuarij illi, unà cum Religioſis viris ibi commorantibus, & tum in Eccleſia occluſis, viſæ ſunt animæ puriſſimæ, columbarum inſtar, tot quot Religioſi fuerunt, in cœlum evolare. Nec multo poſt, *Carmelitanorum* quoque ad *Nives* dictum, expilatur & incenditur: monachi in fugam acti, aliqui in carceres detruſi. Arma nebulonum iſtorum non erant niſi potiora, haſtæ; alia, baculi, furcæ, ſecures, flagella ſeu triturabula ferrea, mallei, clavæ: pauci gladijs & arcubus muniti.

MS. Chron.

VVelesl. ad 20 Aug. an. 1411.

Hagek. ad an. 1419. MS. Chron. an. eod. Bonfin. decad. 3. l. 2.

alij extra Pragam, ſæviunt in Religioſos crudeliter.

Extra Pragam, primi *Piſecenſes*, & exemplo illorum *Klatovienſes*, in monaſteria Ord. Prædicat. impetum fecerunt, eáque diripuerunt, ac poſtmodùm etiam diruerunt; monachis vel occiſis, vel in carcerem conjectis. *Klatovienſes* ſuos Dominicanos, reſcientes unum ex illis fuiſſe *Conſtantiæ*, tum quando Hieronymus comburebatur, & exinde malè de omnibus ſentientes, detruſerunt primò in publicos carceres, deinde in turrim *arcis Klenovv*, ibique fame mori coëgerunt. Hos cœlum ad æterna Beatorum gaudia evocâſſe creditur: ferunt enim, & vetera Manuſcripta teſtantur, ibi Angelorum cantus, tam in eorum morte, quàm poſtea ſæpiùs fuiſſe auditos. Nolo hîc prætermittere rem memoratu dignam, quam puto vix ab ullo Scriptorum noſtrorum, qui typis editi ſunt, narratam, *de Ulrico Roſenſi*, potentiſſimo Dynaſta in Bohemia. Hic ætate juvenis, cùm familiariùs converſari cœpiſſet, cum uno atque altero vicino Nobili, jam Huſſiticâ pravitate imbuto, haud dubiè ab eo tempore, quo Huſſus Pragâ in exilium actus, anno 1413. in Bechinenſem diſtrictum (ubi tum fuerunt Roſenſium ditiones ampliſſimæ,) ſeſe recepit, ibíque doctrinam ſuam diſſeminavit; facilè in eandem ſectam inductus fuit, quòd per ætatem non dum diſcrimen veri falſivè dignoſceret: ut vel hinc diſcamus, *cum hominibus peſtilenti lue contactis nos debere agere cautè, nec aliàs, niſi dum paratum ac certum ab antidoto habemus remedium.* Brevì tamen pœnitens ad Catholicos redijt, videns pleráque ab Huſſitis inordinatè ac perabſurdè agi: ſed magis adhuc viſione admirabili permotus. Apparuit ei in ſomnis Chriſtus Dominus, undique quaſi acutis cuſpidibus cruentatus, dicens: *hiſce me compunxerunt ſacerdotes, volentes â Deitate mea ſanguinem ſeparare.* Moxque diſparuit: & ſtatim *Joannes Huſs* (quem ipſe non niſi ſemel in vita ſua viderat) ſuper ſtagnum quoddam ſtans, manúque facem ardentem præferens ſeſe ei videndum exhibuit; quem tamen unà cum face, canis quiſpiam è veſtigio deglutivit. Poſt quod accedens *S. Wenceslaus* interrogavit, num canem hominémque illum vidiſſet? reſpondenti verò, vidiſſe ſe quidem, quid tamen portenderet, ignorare, ſubjecit: *Juravit Dominus Deus, ſe Bohemiam varijs erroribus, per ducentos & quadraginta ſeptem annos puniturum.* Tum ſtatim ingens quidam & horridus vir, ſuper montem *Blanik* dictum, magnum ſtraminis cumulum accendit: ac demum S. Wenceslaus adjecit: *Memento Dei, mei, & Adalberti; nec deſere priorem gratia*

Ulricus de Roſenberg.

in hæreſim Huſſitarum lapſus:

ſed brevì viſione quâdam admirabili motus,

divi-

divinæ fœcundam! Hoc viſo, *Ulricus* ſine mora ad Legatum Pontificium, cum 500. equitibus in Ziebrak perrexit, abjuratáq; hæreſi ad gremiũ Eccleſiæ redijt, anno 1419. quo deinde civitatem **Wodňany**/ quæ tunc pro Huſſitis ſtabat, armatâ manu cepit, & ne deinceps hoſtibus receptaculo eſſet, muros ejus diruit.

> ad Eccleſiam redit. *Joan. Tanner. S. J. in Hiſt. Sternb. part. 2. cap. 8.*

Funeſtos hos, & qui adhuc longè funeſtiores ſequebantur tumultus, oſtenta inſignia præceſſerunt. Menſe enim Febr. an. 1416. ſub diluculo diem XXIII. antecedente, *nix ſanguinea circa Pragam decidit*, & ad unius digiti craſſitudinem terram texit; ita ut etiam dum manè ſoluta eſſet, ſigna ſanguinis in lapidibus ſpectarentur manifeſta. Et in *Monaſterio Brzevvnovienſi fons per integram noctem, & diem ſequentem mediam, ſanguine manavit.* Item, die 16. & ſequ. menſe Sept. ejusdem anni, in cœlo ad partem Meridionalem, viſa eſt crux purpurea, unà cum ſerpente cruento, atque gladio: quæ quidem crux poſt, Sole vergente ad Occaſum, tota in enſem converſa fuit, atque ita diſparuit. Quæ prodigia omnium Bonorum animos, antea jam in præſentes ſeditionum turbas anxiè intentos, magìs adhuc perterruêre: effectúque demum patuit, nil aliud denunciâſſe, niſi multam effuſionem humani ſanguinis, & oppreſſam ab hæreſi (ſerpente illo) religionem Orthodoxam; quæ paulò pòſt acciderunt.

> Prodigia malorum imminentium prænuncia.
> *VVeleslab. & Lupac. ad d. 23. Febr. Chron. Mansfeld. c. 308.*
> *Cuthen. ad an. 1416. VVelesl. Lupac. ad d. 16 Sept. MS. Authorum diverſ.*

Porrò malum iſtud, uti ex ſe contagioſum, eâ ſtatim tempeſtate in *Moraviam* quoque irrupiſſet, adlaborantibus non paucis, quibus res domî erant tenues, & qui eâ occaſione, de bonis Eccleſiaſticorum, Bohemorum exemplo, patrimonia ſua ampliari poſſe, ſpreto omni ſacrilegij metu, artitrabantur: niſi *Sigiſmundus Cæſar*, his cognitis, citò *Brunam* acceleràſſet; cujus adventu, mirum dictu, quanta rerum mutatio ſit ſubſequuta! poſitâ enim ſeditione, quæ multùm jam invaleſcere cœperat, ſingulari omnium ſtudio, eſt ſalutatus, ſedatique per Provinciam tumultus. Erat enim adeò generoſo fortique animo, ac vultu maximè ad promerendam gratiam ſereno, ut pro concione obnixè deprecanti, ne nefariâ defectione, ſe hæredem, ac imprimìs Orthodoxam Religionem deſerere vellent; certatim Ordines omnes, fortunas ac liberos, pro illo adversùs hoſtes offerrent, modò etiam Religio, quam â Majoribus ſuis accepiſſent, â fœda hæreſeos labe intacta ſervaretur. In publico deinde conventu ibidem celebrato, in quo præter *Sophiam Reginam Wenceslai Regis Viduam*, aderant etiam *Bohemi Proceres, cum Pragenſium legatis, ab Imperatore vocati*, poſtquã Pragenſibus ob excitatos tumultus venia conceſſa eſſet, eâ lege: *ut catenas & repagula, aliaque platearum impedimenta de vicis omnibus auferrent, utque ab injurijs Religioſorum deinceps abſtinerent*; feſtâ acclamatione, ac mirifico omnium applauſu, in *Regem Bohemiæ*, & *Marchionem Moraviæ* eſt declaratus. Et tunc ſtatim Proceres Bohemi, quibus tranquillitas patriæ, ac commune bonum cordi erat, ab eo ſollicitè petebant, ut ad capeſſendam Coronam quantocyùs venire, Regnúmque præſenti ſeditionum ac factionum turbine dirum in modum quaſſatum, præſentiâ ſuâ componere, ínque priſtinam faciem reſtituere vellet, quandoquidem præſentibus malis nulla certior medicina adferri poſſet, niſi â Regis manu: & Bohe-

> Sigiſmundus Brunam veniens, Moravos jam etiam multos nutantes,
> in fide & obſequio continet.
> Ubi etiam â Proceribus Bohemis, Pragenſiúmque Legatis,
> In Regem ſuſcipitur.

 mos

mos ipſos habituros beneficij locò, curationem â Principe lenem, quàm ut ab alijs ſeſe regi & curari patiantur. Nec aliter ſvadebant *Moravi* & Hungari, qui â Rege in conſilium adhibebantur. Atque utinam ſalutaribus hiſce conſilijs morem geſſiſſet, & poſtpoſitâ aut intermiſsâ cæterorum curâ, ſtatim iter *in Bohemiam* ſuſcepiſſet, haud dubiè factioſos compeſcere, & hæreſim nondum plenè ſumentem vires, negotio haud difficili opprimere potuiſſet; ùt benè notat *Pius II. Pontifex Maximus*, ajens: *non dubium videbatur, quin totâ Bohemiâ Huſsitarum labes exceſsiſſet, ſi Brunâ Sigismundus rectâ ſe Pragam contuliſſet.* (Idem námque rebellionibus ingenium eſt, quod calidis morbis: *celeritate indigent, ut opprimantur;* ubì vires ſumpſerint, omnis malo infirmior eſt medicina.) Sed fato conſilium prævertente, *Wratislaviam* priùs divertit: ubi cùm de ſeditioſis, qui *Magiſtratum Urbis* necaverant, ſupplicium ſumpſiſſet, & civem quendam *Pragenſem*, *Kraſam* nomine, qui negotiationis ſuæ causâ VVratislaviam venerat, & quædam contumelioſâ obtrectatione in *Conſilium Conſtantienſe, & in Cæſarem*, (Huſſum contra omne fas ſublatum dictitans) illoto ore effutierat, *læſa Majeſtatis crimine damnatum*, equis per urbem raptari, ac demum comburi juſſiſſet: *Pragenſes* idem veriti, & de venia deſperantes; cùm inſuper *Sigismundus mandaret, ut murum â porta Porziczenſi, usque ad portam patibuli diruerent:* cavere ſibi impenſiùs cœpêre, & extemplò catenas, aliáque obſtacula per vicos urbis duplicare, nova munimenta exſtruere, ſeſéque ad reſiſtendum, ſi qua ab Imperatore ingrueret vis, parare. Inſuper Zilſkam & *Taboritas*, caſtrenſem illam hominum turbam, quæ â *caſtris nomen* ſumpſit (**Tabor** námq; in noſtra lingua eſt id, quod Latinis *caſtra;* & quod **Taboři**/ idem quod *homines caſtrenſes*) in armorum ſocietatem invitârunt, ſibíque adjunxerunt; emiſſis quoque per omnes Regni Provincias literis: ne quiſpiam *Sigismundo* aditum præberet, ùt *qui univerſæ Slavonicæ Nationis & linguæ hoſtis* eſſet, nec aliâ curâ teneretur, magis, quàm Regni perdendi, extinguendǽque totius *Bohemæ gentis.* Ita recruduit lernæa ſeditionum turba; præſertim in reſidua cœnobia, intra & extra Pragam, nefanda ſeditioſorum rabies, cuncta ferro & igni crudelem in modum devaſtantium: â quibus penè omnia funditùs everſa, & ſolo æquata ſunt, neque poſtea unquam, paucis exceptis, reſtaurata. Inter alia fuêre, Pragæ *Melitenſium* **na Bogiſſti** dictum, & alterum *Prædicatorum ad S. Clementem* in vico Porziczenſi: extra Pragam, *Aula Regia Ciſterc. magni & memorabilis* (ùt inquit Pius II.) *operis* Cænobium, ac velut Cænobiorum omnium miraculum: *Auſtenſe Prædicatorum* unà cum oppido toto, *Auſta Sezimaa* dicto; *Milevicenſe Præmonſtrat. Launovvicenſe Virginum* ejusdem inſtituti: *Beneſſovienſe Minorum, Poſtoloprtenſe* inter Zatecium & Launam *Benedictinor.* poſtea etiam *Nepomucenſe Ciſterc.* & plura alia. Lubet hìc de magnificentia eorundem, cultúque Sacrorum, quem ante hæreſeos tempora non ſpectari modò, ſed & mirari licebat in Bohemia (per Moraviam ſimiliter, ùt alicubi hodiéque apparet) præmemoratum Pontificem Maximum referentem audire, qui ait: *Nullum in Europa Regnum tam frequentibus, tam auguſtis, tam orna-*

Ejus præpoſtera conſilia,

Æn. Sylv. c 39. Bonfin. cit.

anno 1420. die 6. Martij. Henel. in Brzeslographia, c. 5.

Seditionem in Bohemia, quam in herba oppreſſiſſet, ſi celeritatem adhibuiſſet, magis confirmant.

Seditioſi Pragæ, & alibi Cænobia evertunt.

Æneæ Sylvij teſtimonium. *Æn. Sylv in Bohem cap 36. Dubrav. l. 24.*

ornatis templis ditatum fuiſſe, quàm Bohemiam. Templa in Cœlum erecta, longitudine atque amplitudine mirabili, fornicibus tegebantur lapideis, altaria in ſublimi poſita, auro & argento, quo Sanctorum Reliquiæ tegebantur, onuſta, Sacerdotum veſtes margaritis tecta, ornatus omnis dives, pretioſiſſima ſupellex, feneſtræ altæ atque ampliſſimæ conſpicuo vitro, & admirabili opere lucem præbebant. Neque hæc tantùm in oppidis & urbibus, ſed in villis quoque admirari licebat, Ita ille, qui non multo poſt in Bohemiam venit, & illa furialis veſtigia impietatis, templorúmque paulò ante pulcherrimorum ruinas oculis ſpectavit. Et in præfatione ad Alphonſum Magnum Aragoniæ Regem: *nec mea ſententia ullum Regnum eſt, in quo ævo noſtro tot munitiones, tot bella, tot miracula emerſerint, quæ Bohemia nobis oſtendit. Nec Provincia eſt, quæ tempore noſtro plures Chriſti Martyres, quàm Bohemia tulerit.*

Quanta magnificentia templorum in Bohemia!

Multi in Bohemia Martyres.

Sigiſmundus interea contracto in *Sileſia* exercitu, & Principibus aliquot unà aſſumptis, *Bohemiam* ingreditur; ac primò *Hradecium Reginæ* petit, deîn *Kutbnam* urbem metallicam, noſtrâ hâc ætate, ordine & dignitate poſt Pragam & Plſnam, primam; cúmque auxiliares copiæ, quas *Albertus V. Archidux, & Proceres Moravi, per Auſtriam & Moraviam,* quanto majori poterant numero conſcripſerant, *Alberto ipſo, & Henrico de Kravvarz Capitaneo Moraviæ* ductoribus, ſeſe ei adjunxiſſent, *Pragam* versùs, iter ſuſcepit. Et tunc venerunt etiam ex Germania auxilia, quæ *Fridericus & VVilhelmus Marchiones Miſnenſes*, itémque *Fridericus Langravius Thuringiæ; & Bavariæ Principes Henricus Landsbutanus, Guilhelmus Monachenſis cum Alberto Erneſti fratris filio, & Joannes Ludovici Ingolſtadenſis frater*, adduxerunt, omni bellico apparatu inſtructiſſima: quorum acceſſione, cùm jam ita copias haberet auctas, ut ſumma totius exercitus numerum CXL. millium hominum, ſuperare videretur, *Pragam obſedit die 30. Junij.* Et quia utrámque arcem, *Majorem & Wiſſebradenſem* habebat in poteſtate, *Pragenſes*, tribus locis acerrimâ oppugnatione preſſit; irrito licèt conatu, civibus *pro aris & focis*, extremâ deſperatione pugnantibus, quos *Taboritæ, & Hynko Kruſſyna Lichtenburgius dux Orebitarum* (ſecta erat, Taboritis longè fœdior congregata nuper, ex varia colluvie hominum, in monte quodam *Lipnicium* inter & *Ledeczium*, cui nomen *Oreb* dederunt, & ab illo ſeſe nominârunt) & *Hynko Koldſteinius*, quem *Znogmam* armatâ manu nuper tenuiſſe, & contra Auſtriacos fortiter defendiſſe ſuprà docuimus; & Nobiles aliqui ſtrenuè adjuvabant. Die 14. Julij, tentabant *Cæſariani* unà cum *Miſnenſibus*, occupare vicinum montem, qui *Novæ Urbi* à parte Orientali imminet, Witkowá Hora dictum, & quem *Ziſkâ* ipſe valido præſidio munierat, nec minori virtute tuebatur, (unde poſtea ab illo Žižkowá Hora / ſeu Žižkow dici cœpit.) Et primò quidem eventu utcúnque felici: paribus námque animis, & ſingulari alacritate montem versùs procurrentes, citiùs quàm ullus putâſſet, ad valla usque & foſſas, quibus ſeſe communierat *Ziſka*, penetrârunt, primíque centuriones duo Miſnenſes, ſigna in ſumma vallorum parte magno auſu ſuſtulerunt: quos è veſtigio ſequutus *ſignifer quidam Moravus legionis Cæſareæ*, nomine *Protiva de*

Sigiſmundus ſerò in Bohemiam cum exercitu venit:

Bartholom. de Drabonicz Eques Bohem. Catholicus in MS. Hiſtoria ſui temporis. Vixit autem ſub Regib. VVenceslao Sigism. & bellis multis ipſemet interfuit.

Hiſtoria Erphesfordenſ. de Landgraviis Thuring. c. 159.

Pragam fruſtra obſidione premit:

VVeleslav. in Cal. Hiſt. ad d. 30. Jun. 1420.

prævalente jam ſeditioſorum multitudine.

Oppugnatur mons VVitkoff prope Pragam à Cæſareis.

de Pavvlovvicz, aliàs *de Zaſtrzizl*, antiquæ & nobiliſſimæ, hodiéque celebris in Moravia Familiæ, ſocios ut ſequerentur intrepidè monens; ſicque alijs atque alijs conſcendentibus, propè erat, ut vallis & foſſis ſuperatis, mons totus occuparetur: niſi *Ziſka* ab una parte, quà maxime periculum ingruebat, & ab altera quidam *Raubik* vinitor, homo rudis, ſed manu promptus, forti animo cum paucis ſeſe oppoſuiſſent: quorum virtute tam diu certamen protractum, donec *Taboritæ*, & cives ex Urbe, ipſis in auxilium magno numero accurrerent, qui validiſſimo facto impetu, Cæſarianos jam in culmine ſtantes ſubmoverunt. Periêre tam in pugna, quàm inter fugiendum, ex numero Cæſarianorum ultra mille & quingentos. Nec *Ziſcæ* victoria incruenta ſtetit, qui de ſua cohorte, quæ erat inter alia Taboritarum agmina (**Pracata** illi vocabant) ſelectiſſima, plusquàm mediam partem amiſit: quinimò & ipſemet in gravi periculo fuit, ab uno Germano, viro forti proſtratus, & in foſſam præcipitatus, absque tamen lethali vulnere. Inter cæſos Taboritas, inventæ quoque *duæ mulieres*, & *virgo haſtâ armata*, quæ cum alijs fortiter pugnantibus ceciderunt.

magnâ utrinque clade.

VVelesl. ad d. 14. Julij. MS. Chron. Regino Hrad. d. 13. Jul. Theobald. in Hiſt. Huſſ. part. 1. cap. 37. Sylvius c. 42. Daubrav. l. 24. MS. Laurent. aliud MS. Chron. Cuttnenſe.

Tenuit ea obſidio quatuor hebdomadas, illatis utrínque magnis cladibus. *Germani* quotquot *è Bohemis* comprehendere poterant, *Huſſi progeniem* eſſe clamitantes, ignis ſupplicio de medio tollebant: quod idem *Bohemi*, par pari referentes, *Germanis* faciebant. Tandem die 19. Julij, caſtra Cæſaris in campo, **na Letnj** dicto, qui ê regione urbis Veteris, ſupra Moldavam, Boream versùs, inter pagos *Ovvenecz*, *Holeſſovvicz*, & *Bubny*, longè latéque protenditur, conflagrârunt, rebus plurimis pretioſis, tum etiam apparatu bellico omnis generis, igne conſumptis. Nec multo poſt Cæſar, de conſilio omnium Principum, obſidionem ſolvit, arcémque *Divi VVenceslai* ingreſſus, more regio in *Æde Metropolitana*, â *Cunrado Archi-Epiſcopo* nondum in hæreſim prolapſo, diadema ſuſcepit, die 28. Julij, qui erat Dominicus, poſt feſtum S. Jacobi: quo peracto, cùm rurſum copias ſuas immiſiſſet in Bohemicas, pontem qui *Majorem* ſeu *Veterem Urbem Prag. cum Minori* conjungit, occupare conatus, cladem novam retulit. *Non lubet ſingula malorum proſequi* (verba ſunt hic Annalium Boicorum Authoris, *quorum aliquam ſynopſim edidit Dux Landisbutanus*, *pars ipſe* & *teſtis oculatus belli*, *in litteris, ê caſtris Pragenſibus menſe Julio ad Vicarium ſuum in Bavariam datis. Quinquies* (inquit) *bohemiam ſumus ingreſſi*, *toties copijs*, *impedimentis*, *tormentis*, *curruli apparatu*, *machinis*, *ſupellectili*, *inſtrumento bellico exuti. Calones plerique occiſi*, *vel in fuga obtriti: toties*, *ne hoſte quidem viſo*, *neſcio quo fato, turpiter terga vertimus. Miechovius autem Canonicus Cracovvienſ.* ſcribit: *Pragenſes* toto illo obſidionis tempore, ad fiduciam virium ſuarum oſtendendam, diu noctúque portas urbis apertas habuiſſe.

Germanorum in Bohemos crudelitas.

Sigismundi in Arce Pragenſi inauguratio.

MS. Anonym. libr. Actor. tempore VVencesl. IV. Reg. ſeu Continuatio Hiſtoriæ D. Beneſſy de Horzowicz.

Vim rurſum Pragæ admovet;

Part. 2. lib. 7. n. 44. Anth. Adlzreit. Theobald. part. 1. c. 37. Miechov. l. 4. Hiſt. Polon. cap. 51. VVeleslav. in Calend. ad d. 19. & 20. July Fabric. in Origin. Saxon. lib. 7.

ſed fruſtra.

Quapropter *Cæſar* adverſitate fortunæ fractus, cùm & auxilia Principum non niſi diſceſſum meditarentur, arcem utrámque præſidio & commeatu firmavit, *Pragâque relictâ Litomericium petijt:* ubi confirmatis in fide civibus, dum *Kuttnam* rediret, dimiſſis in duas partes Hungaris equitibus, ditionem

Litomericium abit, & inde per Kuttnam in Moraviam.

tionem *Hynkonis* & *Victorini fratrum Boczkonum de Kunſtat & in Podiebrad*, quæ ad Albim erat ampliſſima & cenſûs ubertimi, eò quòd ſeditioſorum factioni præ alijs tenaciùs adhærerent; totam quantam depopulari juſſit. *Kuttnâ* in Moraviam, ac inde in Pannoniam, ad colligendum novas pro bello redintegrando vires, diſceſſit. Poſt cujus abitum *Pragenſes*, initâ cum *Orebitis*, eorúmque ducibus *Kruſſina* & *Victorino*, armorum ſocietate, arcem *Wiſſebradenſem* adoriuntur, eámque arctiſſimâ obſidione ab omni parte circumvallant, adjuti etiam *Hradecenſium*, itémque *Zatecenſium*, *Launenſium & Slanenſium*, quos *Zaviſſius* quidam Nobilis, cognomento *Barbatus* adduxerat, copijs: quibus non multo poſt, acceſſerunt duæ Taboritarum equitum turmæ, *Nicolao Huſſ*, & *Joanne Bzdinâ* ductoribus. Hæc obſidio duravit â *feſto Exalt. S. Crucis*, ad usque Calend. Novembris: quia dum Imperator, collecto *per Hungariam, Auſtriam & Moraviam* novo exercitu, obſeſſis ſuccurrere nititur, fortunâ ſingulari malignitate ei illudente, tantâ rurſum ſtrage profligatur, ut exercitu penè toto ad internecionem deleto, & occiſis etiam ex procerum ordine quàm plurimis, ipſemet cum paucis vix cladem evaſerit. Pragenſes VViſſehradum obſident.

Æneas Sylvius refert, cecidiſſe tum *ex Moravis XIV. primi nominis proceres*, inter quos erant, *Henricus de Kravvarz & Plumlovv Moraviæ Capitaneus*, & cæſi exercitûs dux, *Henricus de Lippa & Krumlovv*, *Hynko de Malenovicz*, *Jaroslaus de Sternberg* aliàs *de Weſſely* cum alijs quatuor ejuſdem Familiæ heroibus, *Petro de Konopiſſt*, *Wenceslao de Leſſna*, *Smilone & Dionyſio*; *Albertus de Chotienovv*, *VVilhelmus Lepus de Zidlochovicz*, *Radislaus de Rizmburg*, *Tobias de Czerna Hora*, *Sobin de Svabenicz*, *Witko de Walecz*, *& alij*. Eques verò *de Drabonicz*, qui per id tempus agebat Arcis majoris præſidiarium, Eccleſiæ Catholicæ & Regi ſemper fidelis, in ſuis Commentarijs, *trecentos præter propter Barones & Nobiles, atque Ducem quendam Boſnenſem; ex parte Cæſaris fuiſſe interfectos* memorat. Cæſorum corpora jacuêre inhumata quatuor dies, ita denſim, ſicut tempore meſſis in agro manipuli; jámque tetro odore campus & aër inficiebantur, & canum quoque multitudo magna, ad ea voranda confluebat; prout teſtatur, qui hæc ſpectabat: donec tandem *Kruſſina* ipſe, nobiliſſimorum juxta ac fortiſſimorum virorum, qui *pro Rege & Lege* ſtrenuè certando occubuiſſent, miſertus, centum homines, & viginti ſex currus pecuniâ ſuâ conduxit, ſtratáque & jacentia paſſim corpora, nè ea â canibus & alitibus lanianda ac voranda relinquerentur, factis ingentibus, in & circa cœmeterium *S. Pangratij*, quod Wiſſehrado, & loco prælij viciniſſimum eſt, ſcrobibus, ſepelienda curavit. Eâdem die *Wiſſebradum* deditionem fecit, *poſtquàm obſeſſi centum & viginti equos, & glires, cattos, canes quamplurimos fame cogente devorâſſent:* alteram diem & ſequentem, plebs *Pragenſis* in diruenda Regia, & templis conſumpſit: ubi quatordecim templa expilavit & diruit. In hac VViſſehradenſi oppugnatione, cùm Pragenſibus deficerent lapides grandiores, quos injicerent, confregerunt columnas *templi Beatiſſimæ Virginis ad Nives*, eáſque catapultis in arcem projecerunt. Monſtrantur hodiéque illarum fruſta, *in Eccleſia VViſſebrad.* quæ vulgò putantur â dæmone, Româ allata fuiſſe.

Cæſarem auxilia obſeſſis ferentem cruento prælio cædunt.

Æn. Sylv. c. 43. Hagek. ad an. 1420.

Cæſi è Moravis præcipui.

MS. Drabonicy an. 1420. MS. Chron. Regino Hrad. an. eod. Kutben. an. eod. MS. Labrickij.

VViſſehradũ deditio.

Sed

Sed pro clariori, ſiq· idem ſtrages hæc, tot proceribus cæſis, *Moravia* haud mediocre inflixit vulnus, præſtat Daubravium audire de ea narrantem,

Daubrav. l. 26.

Pragenſes VViſſehradum obſident,

qui ſic habet: *Oberrabat autem Rex* (nempe Sigiſmundus) *tunc è Pannonia cum Hungaris rediens, circum Czaslaviam, Coloniam, Nymburgam, Litomeritium, & alias civitates fidem ei ſervantes; ac interim vires majores undecunque potuit colligebat adverſus Pragenſes, qui Zatecenſibus, Lunenſibus, Slanenſibus ſibi adjunctis, arcem Wicegradum ab omni parte obſederant, ut obſeſſos à commeatu excluderent: ſed deerat illis, cujus authoritate imperioque rem gererent. Itaque celeriter ad Hynkonem Kruſſinam, & Victorinum à Kunſtat, nuncios mittunt, ſimulque Taboritas rogant, ut ſubſidio veniant: quibus venire aſpernantibus, Kruſſina & Kunſtat cum Orebitis aſſuêre, omniumque conſenſu præfectura belli ad utrumque delata eſt. Quâ illi ſuſceptâ, locum caſtris propiùs arcem in valle vinearum, unde ad Divum Pangratium aſcenditur, delegerunt, foſſaque illum & vallo circum munierunt.*

Joannes de Bozkovicz Moravus, arcis VViſſehrad præfectus, ſtrenuè ſeſe defendit:

Nam & arx magnam munitionem continebat, non opere ſolùm, verùm etiam virtute defenſorum, quibus Janus Bozkovicius ex Moravia præfuit. Itáque ex arce in opere diſtentos eruptiones, crebráque ſed minuta, intercedebant prælia, ex quibus modò hi, nonnunquam illi ſuperiores diſcedebant. Adhibita dein ad murum arcis concutiendum, una & altera baliſta, quibus majora ſaxa jaciuntur; ſed totidem ex arce bombarda appoſita, unà cum baliſtis diſturbatis, tortorem quoque occiderunt. Eodem tempore ab altera arce telum ex majore bombarda in veterem Pragam jactum, uno ictu quinque homines interfecit, inter quos mulier prægnans erat, cujus fœtus ventre evolutus tantiſper fuit ſuperſtes, dum tingeretur.

poſtea laborans inopiâ commeatûs, ſubſidia à Cæſare petit:

quæ Cæſar promittit:

Obſidione diu perſeverante, ſcribunt obſeſſi ad Regem, qui tunc Berona erat, tertio à Praga lapide, inopiâ commeatûs ſe laborare, qui niſi, intra menſem ſuppeditatus fuerit; actum de ſe iri. Reſcribit per eundem tabellarium Rex, non commeatu modò, ſed obſidionis inſuper ſolutionem illis adfore, ſi ad tertiam hebdomadem fortunam præſentem fortiter toleraverint. Ac mox in Moraviam ſuos extrudit, qui præſidi Moraviæ dicant, ut imperio Regis nobilitatem & plebem armet, atque ſine ulla dilatione, obſeſſis ſuccurrat. Ipſe Litomericium feſtinat, ut naves inde Beronam curribus avehat, quibus uti

ſed obſeſſis ubique vijs, mittere non poteſt.

poſſet, ad commeatum in arcem tranſportandum. Sed adeò omnia loca per terram & aquam ſtationibus obſeſſa, aut catenis impedita erant, ut omnis conatus fruſtra caderet. Præterierat jam ſeſqui menſis, ipſique obſeſſi conſumpto omni frumento, equinâ tantùm carne non cuivis ſalutari vitam ſuſtentabant. Illâ quoque deficiente, inducias cum Pragenſibus ineunt hâc lege, ut ſi ad feſtum Omnium Sanctorum, ad horam quindecimam, Rex ipſis auxilium non attulerit, ſe illis arcem bonâ fide tradituros.

Tandem cum exercitu ſuo toto, ad ſolvendam obſidionem, vadit.

Quo Rex cognito, ad arcem novam, uno milliari à Vicegrado diſtantem, pridie ejus diei, quæ præſtituta deditioni erat, cum ſuis copijs venit; ſed placuit in craſtinum differri profectionem, ut illis quoque ſignificare per literas poſſet, qui in altera arce præſidia habebant, quid facto opus eſſet. Scriptum inerat, ut diſtinendæ manûs hoſtium causâ, benè manè impetum in domum Saxonum facerent, illámque expugnarent,

aut

Digitized by Google

ut incenderent. Nam ſe quoque tempeſtivè venturum, Pragenſesque aggreſſurum eſſe. Has literas in itinere cùm Pragenſes fortè intercepiſſent, conſiliumque Regis cognoviſſent, novam, veterémque & minorem Pragam cum manu delecta occupant, totámque noctem in armis excubant, adventum Regis exſpectantes. Qui tametſi ſeriùs, quàm oportuit, vix duabus horis apparuerit, obſeſſi tamen ab eruptione contra Pragenſes ſibi temperabant, ne fidem illis datam violarent. Appropinquante Rege, munitionibus extra portam magnis operibus excitatis, densisque flagellantium ſtationibus inſtructis, Henricus â Kra-warz Moraviæ præfectus Regem adit, â pugna illius diei, eum debortatus, quando nulla ex arce Vicegradenſi ſubſidia adeſſe videret, inquiens: novi ego Rex, flagelliferos iſtos ruſticos, ac nimìs metuo, ne multùm vapulemus, ſi intempeſtivam cum illis pugnam iniverimus. Commotus hoc dicto Rex; & ego, inquit, novi, vos Moravos eſſe meticuloſos; non ideò tamen deterrebor, quo minùs ruſticos illos cum fortibus viris aggrediar. Tum Henricus, & præterea duodecim inſignes Moraviæ proceres, equis deſilientes. Hic dies, inquiunt, teſtis erit utriuſque fortitudinis & metûs, prout quisque ſtrenuè pugnaverit aut turpiter fugerit; vaduntque in primam aciem ad congrediendum cum hoſtibus; in qua vitam priùs omnes amittunt fortiſsimè dimicantes, quàm locò demigrant, cæteris undique fugientibus, extra quadringentos, qui unà deſiderati ſunt, & inſepulti relicti, probibentibus bæreticis ſepeliri Orthodoxos. Mox arcem ingreſſi, prophanârunt in illa templa, polluerunt altaria, vaſtaverunt palatia, denique deſertam relinquerunt in pomorum cuſtodiam.

ſed adverſâ & iratâ partibus ſuis Fortunâ, dum præproperè hoſtes aggreditur, diſſvadentibus licèt Moravis, magnâ cladè afficitur. Pragenſes arcem VViſſehrad & templa diruunt.

Eodem anno, menſe Junij, dum *Sigiſmundus* Pragam inciperet obſidere, *Uldricus de Roſmberg*, aliquid etiam contra publicos hoſtes audendum ratus, *Taborium*, novum Ziſſcæ & aſſeclarum ejus nidum, nuper extrui cœptum adoriri conſtituit, non ſine ſpe ejus potiundi, quòd mœnia non dum ſatìs firma, utpote recenti & tumultuario opere poſita, vim oppugnantium ſuſtinere dum nequaquam poſſe viderentur; & defenſores intus numerarentur pauci, alijs, ijsq; potioribus & ſelectiſſimis cum *Ziſka* Pragæ occupatis. Addebat ſtimulum, quôd niſi hoc infame latronum receptaculum maturè exſcindatur, verò ſe futurum cum tempore *Viciniæ toti*, ac imprimìs ditionibus ſuis *Chauſtnicenſi Trebonenſiq;*, ſummè pernicioſum: prout jam eſſe incœpit *Sobieslavienſibus*, paulo antè ex eo loco diverſis excurſionibus usque adeò infeſtatis, ut neque lignatum in proximas ſylvas exire tutò potuerint. Itàq; comparato exercitu, rebúsq; alijs in præſentem expeditionem neceſſarijs accuratè proviſis, & vicinis quoque, maximè à cognatis *Novodomenſibus*, *Strazenſibus*, *Landſteinijs & Sezymis*, acceptis haud contemnendis auxilijs, *Taborium* petijt: ubi poſitis ab ea parte, quà acceſſus erat propior ad muros, caſtris, ijsque pro militari diſciplina ordinatis, ſtatim die tertiâ oppugnationem ſuſcepit; magno quidem animo, ſed nullo effectu, & fortunâ prorſus adverſâ; quæ conatibus ipſius, & militum virtuti, tam malignè illuſit, ut rejecti ſemel atque iterum, non ſine cæde & vulneribus in caſtra reverti compellerentur. Et quod plus eſt, idem factum tertiò: *dum jam complures milites, & promptiſsimi quiq;* in

Ulricus de Roſis Taborium obſidet.

Mſ. Joan. Straniensky civis Pocratenſ
Mſ. Anon. ad an. 1420.

Acriter oppugnat.

Semel atque iterum.

ingenti animo, etiam aliqui ſine ſcalis, mœnia ſuperarent, cæteróſq; bu... *commilitonum innixos per manus ſublevarent*, (ita ſcribit Uldricus ipſe ad J... annem de Novadomo reſidentem in Telcz) *jámq; etiam vexilla in mur... pinnaculis figerent; denuò tamen magnâ ſuâ infelicitate, nec minore inſ... ſicut antè fortunæ ludibrio, ab accurrentibus maximo cum clamore Tab... repulſi, è muris præcipitati, fuſi fugatiq; ſunt:* vulnerato graviter *Nicolao de P...* (Malovecianæ ſtirpis) ductore unius cohortis, & *Joanne de Strac...* *Marquardoq; de Drachov*, viris Equeſtris Ordinis, cum pluribus ali...

Epiſtola Ulr. data ex Przibenicz in feſto S. Margar.

Sed irrito conatu, & cum clade ſua.

Obſeſſi excurrunt:

Quo rei ſucceſſu hoſtes feroces, mox die ſequenti, primo diluculo, opp... toribus nil tale ſuſpicantibus, & ab heſterno certamine debilitatis, ideóq; quie... ti indulgentibus, foras eruperunt *Nicolao Hus* duce, viro acri, & cui dem... tiſſimùm defenſæ egregia cum laude civitatis, ipſimet Taboritæ palm... bant; tantóq; caſtra impleverunt tumultu, ut niſi *Joannes Leskovecz*, qu... die ſub veſperum, cum trecentis peditibus & quadraginta equitibus, *I...* *Telczij, Poczatecijq;* collectis *Uldrico* in auxilium venerat, egregiè reſtitiſſet, ... copiæ univerſæ internecinâ clade abijs deleri potuiſſent. Illius ergò ... mum virtute, *Taboritæ ſubmoti*, poſtquàm tamen acerrimè & diutiſſimè d... câſſent, amiſſis aliquot ſocijs, terga dare, & ſeſe ultimò præcipiti fug... munimentum recipere compulſi ſunt. Perierunt ex oppugnatoribus, ... antea tribus inſultibus fruſtra factis, ducenti quadraginta ſex; nec pau... vulnerati. Poſt tot igitur clades, & conatus irritos, *Ulricus*, ira doloreq; ... ctus, ùt ſpe fruſtratis accidere ſolet, nihil ampliùs tentare voluit, ſed coll... conclamatis vaſis, eò unde venerat, reverti conſtituit; diſſvadente licet *L...* *vecio*, qui ne gratis fortaſſe videretur veniſſe cum ſuis, & nullâ re mem... geſtâ abijſſe, unam adhuc oppugnationem, omnibus adhibitis copijs, fa... dam cenſebat. Quo tamen non attento, *Ulricus* ſuis innixus rationibus, ... omni capiendæ civitatis abjectâ, obſidionem ſolvit.

caſtra tumultu complent.

Roſenſis obſidionem ſolvit:

Cum Taboritis amicè convenit:

Nec multo poſt, videns Taboritas potentiâ & viribus magis ac mag... valeſcere, auctóſq; indies vagorum ac fugitivorum cumulis, tanqu... omnibus patefacto, in vicina oppida vicóſq; manipulatim procurrere, d... ſacras & prophanas incendere, ſpoliare, prædis onuſtos ad ſuum nidum ... nè redire, omnibus denique quaquaverſùm terrori eſſe; ut in hoc d... rum ſtatu conſuleret ſibi, & tam ſuæ, quàm ſubditorum ſuorum ſecur... quieti proſpiceret, honeſtè potiùs cum illis tranſigere, & pacem amic... æquis conditionibus colere, quàm bellum gerere, & ex eo importun... liſq; conſtantiæ famam, cum ſuo & ſuorum diſcrimine, aucupari mal... ditiones ipſius, totáq; illa regio Bohemiæ, circa *Trebonam & Krum...* manſit præ alijs Regni partibus intacta à Ziſka, & ejus ſequacibus: M... riáq; ibi ſolummodò non ſunt diruta. Comprehenſi fuerunt in ea am... tranſactione etiam *Novodomenſes*, alijq; *Ulrici* cognati & fœderati: ... bus brevi iterum, præſertim *Meynardo de Novadomo*, ejusq; patruo *J...* *Telczenſi*, cum Taboritis bellum fuit.

Per quod ſubditis benè conſulit.

MS. ſupra citat.

Eodem tempore cœperunt etiam in diſtrictu Plſnenſi, aliqui *ex Cl...*

...bu...

bus, qui confinia Bohemiæ verſùs Bavariam incolunt, congregari in quodam monte, ductore ſacerdote equeſtri & armato, diciq; *Taboritæ*. Hanc tumultuariam colluviem, & militiæ prorſus rudem agreſſus *Bobuslav de Sſvamberg*, parvo negotio diſſipavit, cæſis ex illa compluribus, cæteris diffugientibus: presbyter ille, vel buccinator potiùs, in armis captus, Plſnam adductus, & publicè reſonantibus feſtivè tubis combuſtus.

Novi Taboritæ in diſtrictu Plſnenſi.

Cœterùm *Ziſka* poſt defenſam Pragam, & Sigiſmundi abitum, ut ſuis ob toleratam obſidionem, ac tot hoſtiles oppugnationes fortiter ac viriliter repulſas, gratificaretur, magnam excurſionem in Auſtralem Regni partem fecit, rapinis, igne & cædibus ſæviens in Religioſorum clauſtra, & in Nobilium Civiúmq;, quos Sigiſmundi partes fovere noverat, ædes ac ditiones. Nec uſpiam tunc ab eo ſævitum magis, quàm *Prachaticij*, oppido Præpoſiti Wiſſehrad. quod armatâ manu occupavit, & primo in furore centum triginta quinque occidit ex civibus, reliquos *viros & mulieres*, ùt ſcribit Sylvius, *cum pueris & infantibus, cunctosq; loci ſacerdotes, in Eccleſia concluſos, immiſſo igne combuſſit*. Quamquàm alij referunt, *mulieribus & pueris peperciſſe, & ex oppido migrare juſſiſſe*: qui etiam addunt, *ipſos cives ſævitiæ bujus anſam dediſſe, quùm Ziſcæ deditionem poſtulanti, & pacem offerenti, inſolenter admodúmq; ſuperbè, & contumelioſè reſpondiſſent*. Tentavit etiam *Strakonicium* binis vicibus: fruſtra tamen, *Henrico de Novadomo Granditum Priore Crucigerorum, Ord. S. Joannis Hieroſ.* ùt narrat Cochlæus, *ſtrenuè reſiſtente*. VVodnianij porrò quotquot Sacerdotes invenit, vivos in calcariam fornacem injecit: nec niſi ad finem Octobris, poſtquàm longè latéq; in ea regione circumtuliſſet formidinem, magnámq; partem ditionum *Ulrici Roſenſis*, qui non dum convenerat cum Taboritis, vaſtâſſet crudeliter, depopulandi finem fecit.

Ziſkæ graſſatur per diſtrictum Prachenſem.

Æn. Sylv. in Hiſt. boh. cap. 42.

Prachaticium exſcindit.

Cochl. in Huſſit. lib. 5.

Ejus in Sacerdotes crudelitas; &

Erat *Ziſka*, ùt dixi, *Equeſtri genere de Trocznovv* in Bohemia *natus*, haud procul Trebonâ. Ejus inſignia gentilitia fuerunt *tria lilia, & duo mallei grandes, quaſi contra ſe mutuò arietantes*: quibus deinde appoſuit ille ipſe *Calicem*, ac impoſterùm dici & nominari maluit *de Calice*. Vir ſolers & induſtrius, reiq; militaris valde peritus, qui diu antea cum multis alijs *Bohemis & Moravis*, in Polonia militavit, & *Lithvanicis Prutenicisq;* bellis interfuit: præſertim anno 1410. in cruentiſſimo illo prælio, quo *à Polonis* cæſa feruntur *quinquaginta Crucigerorum Teutonicorum millia, capta autem quatuordecim millia*, maximum, unà cum *Joanne Zieleczky Moravo*, ad victoriam momentum attulit. Atque utinam hâc ſuâ tam inſigni militari peritiâ aliter, & non in perniciem *Patriæ ac Religionis* uſus fuiſſet! *Ziſka* dictus (ac ſi diceres *Cocbles*) ideo, quòd monaculus eſſet, uno carens oculo, quem aliquando ſtrenuè pugnans amiſerat. Potiſſimùm autem iram ſuam, vindictǽq; odium in ſacerdotes convertit, initio facto in ſacerdote illo, qui ſorori ejus vitium intulerat, *quem ex pugnatâ ad S. Stephanum in Nova Civit. Prag. Parochi domo*, ùt narrat Theobaldus, *interfecit, & trabe è feneſtra longè porrectâ ſuſpendit*. Daubravius tamen aliud habet, & monachum, ſeu, ùt ille nominat, *Cucullatum quendam ſorori Ziſcæ*, in

à rebus militià geſtis encomium.

Cremer. de reb Pol. l. 16. ad fin.

Miechov. l. 4. c. 44.

Zalanſký in *Conc. 2. de Huſſo.*

MS. Anon. Chron. Hradec.

Theobald in Huſſit. part. 1. cap. 20. & 29.

Daubrav. l. 24.

Digitized by Google

in cœnobio VirginumDeo conſecrata,vitium attuliſſe. Ita Ziſka malis mal... cumulavit,& ut ſacrilegium unum vindicaret,alia infinita penè adjecit.

Ziſka graſſatur per diſtrictum Plſnenſem.

Anno 1421. Idem *Ziſka* non diu cum ſuis Taboritis in hybernis mor... ſtatim initio menſis Jan. *in diſtrictum Plſnenſem* movit; aggregante paſſim ... in ſpem rapinarum egentiſſimo quoq;. Quacunq; autem iter habuit, in o... rapinis, populationibus & incendijs crudelem in modum ſævijt. Exp... deinde monaſterijs, *Chotieſſovienſi Virginum Præmonſtr.* & *Kladrubien... rum S. Bened. caſtròq; Kraſſyk. Misâ* verò & *Tachoviâ* civitatibus fruſtr... tis, *Rokyczanam* versùs retroceſſit, quam deditione occupavit, & contra ... datam diripuit; graſſatus in omnium domos & facultates, ſed præcipuè in monaſterium *Canonicorum Regul. S. Aug.* ex quibus Sacerdotem unum æ... jam provectæ deprehenſum, in vas includi, & in medio templi combur...

Plſnam obſidione tentat;

Tandem copijs Pragenſium auctus, *Plſnam*, ſi quâ arte capi poſſet, tentan... duxit; ac confeſtim motis Rokyczanâ caſtris, quæ ex tot tantisq; rapinis, ... meatu & rebus alijs neceſſarijs abundè inſtructa erant, eò rapido curſu co... dit. Sed *Plſnenſes* animadverſo maturè periculo, ſtatim ac intellexiſſent ... per viciniam volitare, & haud dubiè etiam in perniciem ipſorum aliqui... chinari, omnem adhibuerunt curam & diligentiam, ut civitatem ab omni ... te probè communirent, eámq; comparatis omnibus, quæ ſuſtinendæ o... ni neceſſaria eſſent, ſtrenuè tuerentur. Quibus opportunè acceſſerunt in... ſidium, vicini Nobiles, & quamplurimi Sacerdotes, qui foris non ſatis tuti, ...

acerrimè oppugnat;

cum fortunis ſuis in civitatem receperunt. Duravit obſidio ſeptemde... dies: & quia Ziſka, ſicut & Pragenſes, animabant ſuos ad fortiter agend... ijsq; urbem opulentam diripiendam promittebant, cæco furore irr... in mœnia. Quâdam die, facto binis vicibus inſultu, tantâ rabie pugnâru... non homines, ſed *furias ab orco emiſſas* dixiſſes: & tum poſt terribilem a...

repellitur.

dùm & cruentam pugnam, ex muris proturbati præcipitésq;, vix non foſſ... daveribus ſuis impleverunt; cæteri à defenſoribus Urbis fortiſſimè repul... ter occiſos, quorum mille & trecenti numerabantur, erat etiam unus P... ſium ductor, nomine *Maſtil*, vir fortis, & manu juxta ac conſilio promptu... jus mortem Pragenſes ita ægrè tulerunt, ut obſidioni inſiſtere diutiùs nolu...

Cæcus totaliter efficitur.

Tum re infectâ diſceſſerunt ab invicem, Ziſka in diſtrictum Prachenſem ... in oppugnatione *arcis Raby*, ſagittâ ictus, dum ad pyrum ſtaret ſpeculab... quanam parte inſultum in mœnia arcis facere poſſet, alterum oculum ... die 15. Febr: Pragenſes verò ad *Rokyczanam* ſubſtiterunt: nec multo poſt ... in diſtrictum Zatecenſem properanti, ut Miſnenſes, *Cadanâ & Cho...* ejiceret, ſeſe iterum adjunxerunt.

Sylv. in Hiſt. Boh. cap. Ziſcæ etiam cæci geſta miranda.

Neque enim *Ziſka, propterea*, quòd jam utróque oculo captus ... *ſtrenſem laborem*, (verba ſunt Æneæ Sylvij) *aut rei militaris curam omiſit ... populo, cæcus placuit ductor: res apud poſteros plus admirationis hab... quàm fidei.* Solebat autem deinceps, jam prorſus cæcus, penes vexillum ... ximum in acie, *curru vehi ſublimis: inde ex alto, qui aſſidebant, toti... ſeriem explicabant; loci maximè ſitum, inclinationem, rupes, ſylvas, ne...*

valles

valles, flumina, & alia bujusmodi ante pugnam ſibi indicari petebat, & tum ex re nata capiebat conſilium, aciem ordinabat, ſignum dabat, & alia Ducis opera exequabatur. Properanti igitur in Zatecenſem provinciam, duo iterum occurrerunt monaſteria, *Plaſſenſe majus*, *Ciſterc.* & *Teplenſe Pramonſtratenſium:* quæ more ſuo expilavit, & incenſa majori ex parte diruit: Religioſis, & Catholicis viris, quoscúnque deprehendere poterat, vel ferro, vel igne ſublatis, vel in aquam merſis. Ad *Cadanam* ubi venit, cives quidem & præſidiarios animis ad reſiſtendum paratos invenit, ſed qui numero pauci, ſuſtinere tantam multitudinem nequaquam potuerint: inchoatâ itáque oppugnatione, civitatem parvo negotio cepit; in qua Germanos omnes, & ex civibus, quotquot in armis deprehenſi fuerunt, trucidari juſſit. At nullibi magìs ſævijt, quàm *Chomutovij*, irritatus obſeſſorum, ac imprimìs fœminarum convicijs, quæ mœnia oppidi aſcendentes, turpi denudatione poſteriora oſtendebant exercitui: occupato igitur oppido, die 16. Martij, qui tum incidit in *Dominicam Palmarum*, nulli ſexui, nec mulieribus, nec infantibus pepercit; impudentia illa mulierũ usq; adeò efferaverat *& Taboritarum & Pragenſium* animos, ut non ceſſaverint à cæde, quamdiu, qui cædi poſſent, ſupereſſent. Ultimò ſeptuaginta circiter mulieres, quæ hinc inde ſeſe abſconderant, captæ & ſimul in ædes ligneas, in quibus tela cruda lævigari ſolet, inductæ & combuſtæ. De cæſorum numero variant Scriptores: *Hagecius & Weleslavina* duo millia ducentos; *Daubravius* tria millia; *Laurentius* duo millia quingentos trucidatos ſcribit. Ego in *MS. Authore* invenio, ex trecentis præſidiarijs ſuperfuiſſe neminem; ex civibus & alijs utriúsque ſexûs, cæſa duo circiter milliá; & ſexcentos præter illos, qui igne perierunt.

Plaſſenſis &
Teplenſ. monaſteriorum;
&

Chomutovij
miſerabile
excidium.

Berauna deinde die 1. April. eorundem poteſtati ceſſit, poſtquàm per triduum ſeſe egregiè defendiſſet. Ibi præter alios multos, quos occiderant, *Jaroslaum Baronem de Miczan loci Decanum, virum egregiè pium & doctum, cum tribus Magiſtris Univerſitatis Prag. Arneſto de Paczovv, Georgio Launsky, & Michaele de Daubek*, & alijs adhuc triginta ſeptem Sacerdotibus & Religioſis; *Bobuslaum item Daupovecium Equeſtris familia*, cum patre ipſius ſene, & alijs non paucis Nobilibus Catholicis, eò quòd *Articulos quatuor Pragenſes* admittere nollent, in ſuburbium eductos, & in deſerta quadam domo incluſos, flammis crudeliter exuſſerunt.

Hagek. ad an. 1421.
VVeleslav. ad d. 16. Martij.
Daubrav. l. 26.
M. Laurent. in Hiſt. ſui temp.
Sylv. ſupra cit.
MS. Anon. de bello Huſſit. an. 1421.
Lupacius habet cæſa viginti duo millia: quod tamen vix credibile eſt.

Modicâ poſt hæc captâ quiete Pragenſes, & nec quicquam otiandum rati, cupiditate prædarum ſtimulante, brevì rurſum aliò vim & arma converterunt, graſſando per vicinas regiones *Kaurzimenſem, Czaslavienſem & Chrudimenſem* immaniter. Capta Broda Bohemica, manu armatâ: Catholici omnes occiſi, qui in *Collegiatam S. Gotthardi Eccleſiam* confugerant, plures quàm ducenti, unà cum Æde ſacra incenſi; inter quos fuit Joannes de Dubňan Decanus, cum tribus Canonicis, & Sacerdotibus alijs quindecim. *Nicolaus* autem *Navàra*, *Capituli Metrop. Prag. Notarius*, in hoſpitali, quod *Arneſtus I. Archi-Ep. Prag.* ibidem de bonis ſuis patrimonialibus extruxerat, captus, ligatus, in vas pice oblitum conjectus, & foris ante portam civitatis exuſtus.

Pragenſes regias civitates complures,

Brodam Bohemicam, & alias in eo tractu,

Digitized by Google

In ſuam poteſtatem redigunt:

Brodam ſequutæ aliæ Civitates: *Kaurzima*, *Kolinium*, *Nimburgum*, *Czaſlavia*, *Chrudimium*, *Pardubicium*, *Mauta*, *Litomyſlium*, *Policzka*, *Landkrona*, *Auſta*, *Koſtelecium* &c. *Kaurzimæ*, ex cœnobio S. Martini, quinque Sacerdotes Ciſterc. Ord. urbe educti, vasisque piceis incluſi & combuſti. *Kolinij*, ſex Sacerdotes Ord. Prædicat. unà cum Decano loci, *Hynkone de Ron*[illegible] viro Nobili, in rogum conjecti. *Chrudimij* octo ejusdem Ord. Prædicat. (VVeleslavina habet octodecim) in medio fori cremati. Exciſa tum ab [illegible] in ſolo diſtrictu Chrudimenſi, monaſteria: *Dobrovicenſe* Præmonſtrat. *Podlazicenſe* Benedict. in quo Abbas cum duobus alijs comprehenſus, & in ignem conjectus: *Pardubicenſe*, Dominicanorum: **w Pardubickách** & in *VV*[illegible] propè Chocznam, Ord. S. Cyriaci: *Gezborzicenſe*, Equitum Rhodiorum. *Sezemicenſe* Virg. Ciſterc. *Mautæ*, Ord. Minor. Virorum atque Virginum: *Stradovienſe* Ord. Minorum, â civibus Chrudimenſibus expilatum & [illegible] ſum. In diſtrictu Czaslavienſi: *Czaslaviæ*, Ord. Minorum: *VVilemo*[illegible] Ord. S. Bened. *Michalovienſe*, Ord. ejusd. *Chotuſſicenſe* Ord. Ciſterc. & plura alibi. Quos ſubinde adjuvabat quàm diligentiſſimè Ziſka cum ſuis Taboritis, præſertim in expugnatione *Jaromiri*, ubi ab ipſis magna Fidelium ſtrages, contra datam fidem edita eſt; & monaſterium ibidem *Canonicorum Regul.* funditùs everſum, ſicuti & vicinum *Zvvolenſe* Ord. Prædic. *Bidzovij* [illegible] Ord. Minorum: *Trutnoviæ*, Crucigerorum SS. ſepulchri.

VVeleslav. ad d. 18. Apr. Monaſteria vaſtant & diruunt,

adjutore Ziſka.

Hæc in Bohemia agebantur, quæ reverà ſub id tempus *Ilium* quoddam fuit, omnium etiam perditiſſimorum, & ex vili ſervilique genere collectorum hominum injurijs expoſitum; ac ferro & incendijs usque adeò laceratum, ut nihil propiùs fuerit, quàm ut ***Regnum paulo ante florentiſſimum***, in buſtum & ruinam abiret totum.

CAPUT V.

Nova Taboritarum in Moravia colluvies inopinatè exoritur, ſed brevì diſſipatur: Cæſaris in Bohemia clades, Ziſſcæ victoria & inſolentia: Huſſitarum Bohemorum in Moraviam irruptio, & res geſtæ.

Bohemorum exemplo, etiam Moravorum aliqui tumultuantur:

qui aſſumpto Taboritarum nomine,

EOdem anno nempe 1421. etiam in Moravia emerſit nova ſeditioſorum fæx, quæ â duobus perditiſſimæ vitæ presbyteris, *Bedrzicho Straznicenſi*, & *Thoma VViſtonicenſi*, congregata, inſulam quandam Moravæ, propè *Straznicium* occupavit, & aſſumpto *Taboritarum* nomine, *Bohemorum exemplo*, [illegible] nos incolas populationibus crebris, ſupra modum affligere cœpit; excurrendóque ac terrorem ubique circumferendo, non tantùm villas & pagos [illegible] minora etiam caſtella aliquot, ac domos foſſâ vallóque munitas, *quales* [illegible]

pyſ[illegible]

paſſim in Moravia à Nobilibus habitabantur, facto impetu expugnavit: in quibus præter variam ſupellectilem, veſtes & pecuniam, omnis quóque generis commeatus inventus eſt, quem *Bedrzich* in futuros ſuſtentationis uſus ad inſulam comportari juſſit. Cúmque plures indiès confluerent, *Kygoviam* oppidum frequens & populoſum, quanquàm nullis cinctum mœnibus, ſepibus tamen præaltis circumductis à civibus probè communitum, tentandum ſuſceperunt: cognito tamen, cives, & ex vicina Nobilitate non paucos, qui ſecuritatis causâ eò ſeceſſerant, eſſe in armis, & ad reſiſtendum paratos, aggredi illud non ſunt auſi; ſed flexo ad dextram itinere, *Cœnobium Welebradenſe Ord. Ciſterc.* nobile ac opulentum invaſerunt: quod, cùm neque mœnibus, neque foſsâ aut vallo cinctum eſſet, parvo negotio ceperunt & diripuerunt. Et quod ampliùs, non contenti magnâ rerum omnium prædâ, *Stephanum Abbatem, virum opinione multorum ſanctum, cum alijs ſeptem fratribus*, ſingulari impietate, nec minori crudelitate, extructâ ingenti pyrâ concremârunt.

Kygovienſem agrum infeſtant: VVelehradenſe Monaſterium ſpoliant & incendunt: Stephanum Abb. cum alijs ſeptem Fratrib. igne de medio tollunt.

His in eum modum, non ſine divinarum humanarúmque rerum confuſione, in *Moravia* actis, multi ex Proceribus Brunam confluxerunt, mótúque illo turbidæ ac præferocis plebis conſternati, *Capitaneum Provinciæ* (is erat *Petrus de Pernſtein*) ſeriò cohortati ſunt, ut pro officij ſui munere daret operam, nè quid Reſpub. detrimenti patiatur. Miſſi etiam nuncij ad *Joannem* Epiſcopum Olom. & Litomyſl. qui præterito anno auditâ VVenceslai Regis acerrimè quondam ſibi adverſantis morte, Româ ad ſuam Epiſcopalem ſedem redierat, brevì etiam *Cunrado Archi-Ep. Prag.* in hæreſim prolapsò, & idcirco exauctorato, *Adminiſtrator Archi-Epiſcopatûs in Spiritual. & temporal. à Capitulo Metropol. electus; & quingennio poſt etiam S. R. Eccl. Cardinalis, ſub tit. S. Cyriaci in Thermis, à Martino V. Papa creatus*: ut è ditionibus ſuis copias quàm poſſet maximas, in unum congregaret, & nefarijs perduellium conatibus obviam procederet. Sed is animadverſo periculo, jam antea motu proprio ſuos, quos in obſequio & poteſtate habebat, convenire *Kremſirium* juſſerat, intentúsque in omnes occaſiones, conatibus ſeditioſorum avertendis invigilabat: cui etiam viri Nobiles complures è Provincia Olomucenſi, armis captis, ſeſe adjunxêre.

Hagek. ad an. 1421. Daubr. l. 26. MS. Anon. in Annal. ejusd. Monaſt.

Proceres Moravi de modo obviandi in tempore huic malo Brunæ conſultant; ac præeunte Joan. Epiſcpo Olom. & Litom. arma corripiunt,

Univerſæ demum copiæ, ad *Buchlovv* caſtrum confluxerunt: ubi *Epiſcopus cum Capitaneo Provinciæ*, de præſenti expeditionis progreſſu, imprimìs verò, num inſula, latronum nidus, aggredienda foret ſine mora: an verò expectandus majorum auxiliorum ex *Auſtria & Pannonia* adventus, conſultavit. Cúmque omnibus penè, mora non inutilis duntaxat, ſed ſummi etiam periculi plena eſſe videretur, quòd metuendum eſſet, ne inter hæc *Taboritæ Bohemi* ſuis opitulatum accelerarent, unanimi conſenſu nil cunctandum rati, caſtra ulteriùs inſulam versùs promoverunt, & fabricatis ratibus, eam tribus ex locis aggreſſi ſunt. Quam tamen perduelles extructis in adverſa ripa, per totius littoris flexus munitionibus firmis, adjuti quoque à Nobilibus vicinis, qui novæ ſectæ haud obſcurè favebant, tantâ virtute ac fortitudine tuebantur, ut primis conatibus expugnari nequaquam poſſet. Inter hæc nuncijs adfertur certis,

& ſeditioſos in quadam Moravæ inſula oppugnandos ſuſcipiunt.

certis, *Petrum Perenium* cum tribus millibus equitum, & ducentis pediti[illegible] (Daubrav. *ſex millia equitum à Sigiſmundo miſſa fuiſſe* refert) venire ex H[illegible]garia, jámque *Skalicium* oppidum attigiſſe: nec procul abeſſe etiam *Au*[illegible]*cos*; conſultiſſimum itáque futurum, ſi illi expectentur. Sed *Perenius*, pr[illegible] à Rege juſſus fuerat, primò omnium ditionem *Petri Straznicai*, (h[illegible] *Petri de Kravarz Capitanei Moraviæ anno 1418. defuncti filius*, cognom[illegible] quidem, at moribus degener) item *Haſſkonis Oſtrovienſis*, & *Boczk*[illegible] *nioris de Kunſtat*, eò quòd fæcem illam latronum, armis & conſilijs fo[illegible] & cum ea adversùs Patriam conſpirâſſe dicerentur, hoſtilem in modum i[illegible] ſit & expilavit; fruſtra deprecante *Pernſteinio*, cujus filiam idem *Petru*[illegible] bat conjugem. Tum poſtea cùm jam ultioni datum eſſet ſatis, conju[illegible] *Moravis*, ad redintegrandam inſulæ oppugnationem, locóque pellen[illegible] aut extirpandam penitùs hanc perditiſſimorum hominum colluvien[illegible] factu haud difficilè videbatur, animum virésque convertit. Jámque [illegible]*ſcopus*, ut tanto faciliùs procederet aggreſſionis negotium, inito cum [illegible] conſilio, ponte ê navibus, quas in hunc uſum ſecundo flumine adduc[illegible] rat, & ê craſſioribus tabulatis facto, conſterni flumen juſſit. Quo [illegible] conſpecto, & exinde haud dubio perculſi metu, nocte diem ad trajicien[illegible] ſtatam præeunte, clam inſulâ exceſſerunt, in proximas ſylvas, ac deinde [illegible] tes, per notos ſibi tramites, fugam dantes. Retecto igitur luce ſequent[illegible] rum diſceſſu, equites Hungari veſtigijs fugientium inſiſtere cœperunt, [illegible] ponè ſequuti pedites Moravi: at ignari quam capeſſerent viam, dupl[illegible] rum divortio in ipſo aditu montium occurrente, pars vitato arduo ac di[illegible] liore ad ſiniſtram aſcenſu, dextrorsùm in proximas ſylvas fagis & quer[illegible] longè latéque ramos pandentibus conſitas, ſeſe proripuit, & hi in vanu[illegible] dites verò ſiniſtram tenentes, & conatu ſummo ſcandentes clivos ſub[illegible] quamvìs lapſantibus plantis, fruteta prenſando vel dumos, primos mo[illegible] vertices conſcendere ſummâ vi contenderent, inter arcta tamen & invi[illegible] lam aciem explicare permiſſi, nec firmare niſu valido greſſus, hoſte d[illegible] tore rupium abſciſſa volvente ſupernè, retrocedere cogebantur: aut ſi [illegible] dentiores fortiùs inſtitiſſent, ruinis ponderum immanium proſterne[illegible] Aliqui etiam ab hoſtibus ſubter frondes & proceriores ſtirpes latent[illegible] cumventi interierunt: ſed ex hoſtium quoque numero non pauci, quib[illegible] tudo vinxerat greſſus, in ipſo fervore comprehenſi cecidêre. Reliqu[illegible] opaca montium ſponte ſuâ contruſi, nunquam exinde per dies aliquot [illegible] vel videri ſunt auſi. Tandem fame urgente, cùm nihil in tam arcto [illegible] tur, quod mandi poſſet, aliqui promptiores, tentatis ad diſcrimen ul[illegible] artibus, in campeſtria ſemel atque iterum deſcenderunt: hi tamen cu[illegible] tentâſſent idem, inſidijs excepti, ad unum omnes pecudum inſtar [illegible] ti ſunt. Ergò cæteri metuentes, ne Proceres collectâ validiori pedit[illegible] nu, illos circumveniant undique & opprimant, ſecedere potiùs in tutior[illegible] etiam intempeſtâ, *hedrzicho* hoc ipſum ſvadente, ſtatuerunt; nactiq[illegible] neos viarum duces, ac ſummo cum ſilentio properantes, ut diſceſsus [illegible]

Hungari Moravis auxilia tum accurrunt.

Seditioſi, viſo oppugnandæ inſulæ apparatu, nocte diffugiunt.

quos Moravi per opaca ſylvarum perſequuntur:

compluréſq; cædunt.

qui tandem diffugiunt.

morem celeritate prævenirent, per flexuoſas ſemitas, longóſque montium receſſus, poſt biduum ad *Biſtrzicium*, quod eſt ſub monte *Hoſtein in diſtrictu Olomuc.* conſederunt; ubi victu recreati & quiete, cùm neminem viderent, qui reſiſteret, illud & pagos aliquot vicinos adorti expilârunt. Cùm deinde fama eorum adventum latiùs vulgaſſet, concitaſſétque ad arma non paucos ex vicinis locis, noctu iterum, ulteriùs per *Septentrionalia Moraviæ*, (non tamen militari viâ, ſed latronum more, per ſylvas, & per avia devia) in *Bohemiam*, ad ſibi genio & moribus pares properârunt; quò tandem, itinere per *montana Geſſenikæa* ducto, pervenerunt. Ibi igitur juncti *Orebitis*, qui *Trebocbovicium*, uno lapide à *Hradecio* diſtans oppidum occupaverant, ſtationem fixerunt; ſucceſſu temporis non tantùm vicinæ regioni, ſed toti *Provinciæ Glacenſi*, ac poſtea etiam *Sileſiæ*, excurſionibus crebris & cruentis multùm graves. *Bedrzich ſpretâ Religione Chriſtianâ*, ùt ſcribit Sylvius, *& calcato Pontificio jure, uxorem publicè duxit: & illâ mortuâ, alteram ex Polonia ſuper induxit, ex qua filios ſuæ nequitiæ ſectatores ſuſcepit.*

in Bohemiam delati, Orebitis ſeſe adjungunt.

Daubraſ. l. 26. Hagek. ad an. 1421. Ælurius in Glaciograph. l. 3. c. 2. & ſeqq. Schikfuſ. in Annal. Sileſ. l. 2. c. 11. & ſeqq. Curæus in Annal. Sileſ. fol. 125. MS. VVelehrad. MS. Pernſt. MS. Anon. Strazniceuſ. Æn. Sylv. in Hiſt. Bohem. cap. 47.

Sub id tempus *Bohemorum Ordines*, indicto *Czaslaviam* pro 2. Junij conventu, de ſumma rei conſultabant: ubi poſt multa ultro citróque agitata, *articulos quatuor Pragenſes* unanimi conſenſu ſtatuerunt obſervandos. Hi erant: *I. Ut ſub ſpecie panis & vini Euchariſtiam omnibus communicare liceret. II. ut libera eſſet cuivis, & ubivis verbi Dei prædicatio. III. ut publica facinora publicè punirentur, neque ullâ ratione, etiam majoris mali vitandi gratiâ, tolerarentur. IV. Ne prædia cæteráque Eccleſiaſticorum & Regularium Bona, quæ occupâſſent, reddere tenerentur: neque impoſterum Clerici ullo bonorum terreſtrium dominio gaudere, neque decimas exigere poſſent, ſed ex ſolis eleemoſynis viverent.* His adjecêre quintum: *ut, repudiato Sigiſmundo, propter ipſius capitale in Gentem Bohemam odium, & graviſſimas multiplicéſque injurias, ab eo toti Regno ignominioſiſſimè illatas, Regem alium Patriæ amantiorem ſurrogarent.* Erat tum præſens etiam *Cunradus Archi-Ep. Prag.* qui ſicuti antea, Pragenſium partes ſequutus, quatuor primis articulis haud gravatè ſubſcripſerat, *reclamantibus licèt Capitularibus Metropol.* qui extrema potiùs ab adverſarijs ſubire maluiſſent, ùt alibi fuſiùs oſtendi: ita & hìc, non difficilis manum dedit; homo nihili, & miniſtri cujuſdam obſcuræ conditionis arbitrio cuncta gerens. Ad hæc Comitia miſit Sigiſmundus Cæſar legatos, *Alexium Holiczky de Sternberg, & Putam de Czaſtalovvicz* Conſiliarios ſuos: qui vix impetratâ licentia fandi, breviter ſua exponere juſſi ſunt: imò nec omnia loqui permiſſi, ſed exhibitis literis Cæſaris hoc unum effecerunt, ut reſponſum Cæſari miſſum fuerit, in quo ſua adversùs eum gravamina enumerabant.

Bohemorum Czaslaviæ conventus, de quatuor Articuli Pragenſ. an ab omnibus acceptandi eſſent? & de Sigiſmundo, an pro Rege eſſet habendus?

Aderant etiam Moravorum legati, *Phoſphor Sepretor Eccl. M. Prag. Kad. III. pag. 206. & ſeqq.*

Aderant etiam *Moravorum* legati à Bohemis acceerſiti, *Petrus de Pernſtein Capitaneus Provinciæ, Joannes de Lomnicz, & ſex alij*; qui tametſi à primis quatuor Pragenſium articulis non multùm abhorrebant: in abdicationem tamen *Sigiſmundi* ſe conſenſuros rotundè negârunt, quòd ei tanquam legitimo Regi & Marchioni, datâ jurejurando fide obſtricti eſſent. Domum ergò

Ooo

qui domum reverſi, cùm retuliſſent ea quæ agebantur,

gò reverſi cum *indictis Brunam comitijs*, retuliſſent *Bohemorum placita*
cunctorum Ordinum, qui convenerant tantâ frequentiâ, quantum in ea
peſtate vix extitiſſe crederes, ſcientiam; rèſque in deliberationem ven
communem, inclinabant haud obſcurè in ſententiam Bohemorum ex No-
bilitate non pauci: *plures tamen cum Eccleſiaſticis & civitatum legatis,*
quàm id probare volentes, ſeſe tum in obedientia Romanæ Eccleſiæ, tum
Regis ſanctè permanſuros, palam teſtati ſunt.

conditum eſt Senatus conſultum, ut in fide Sigismundo data perſeverarent.

Alia iterum Comitia habita fuêre eodem anno, Cal. Nov. præſente Re-
ge Sigismundo: in quibus unanimi omnium conſenſu decretum, ne ullo mo-
do *placita Bohemorum*, maximè verò *Articuli illi Pragenſes*, cùm hæreſim
manifeſtè ſapiant, acceptarentur. Inſuper, ut quicúnque ex *Moravis*
Religione Orthodoxâ, ad novas & perverſas *Wiclephiſtarum* opiniones
ſiiſſent, adeóque damnatâ hæreſi ſeſe contaminâſſent, ij quamprimùm ad u-
nitatem redirent, ac vel *Olomucium, vel Brunam, vel Znogmam, vel Oppa*
ſeſe conferrent, & ab hæreſi abſolvi peterent. Neque deinceps ab ullo
retur tam peſtiferum dogma: ejúſque ſectatores, ſi qui in occulto eſſent,
deprehenderentur, vel ignibus addicti cremarentur, vel exilio plecterentur.
Huic decreto die Lunæ, ante Feſtum S. Eliſabethæ Brunæ dato, ſubſcripſe-
runt, præter Sigismundum, ex proceribus Moravis primarij: *Joannes*
Olom. Przenek Dux & Dominus Oppavienſ. Petrùs de Pernſtein Capita
Moraviæ, Joan. Comes ab Hardek Burggravius Magdeberg. Joan. de
nicz, Ctibor de Landſtein in Bogkovicz, Petrus de Kravarz in Strazn
Beneſſ. de Kravarz, Hecht de Lichtenſtein aliàs de Niclſpurg, Henricus de L
pa & in Templſtein, Smilo de Bytovva, Dulik de Kaunicz, Waniek de B
vvicz in Czerna Hora, Bedrzich à Zierotin, Joan. de Bozkovicz in Bra
Boczek de Cunſtat, Georgius de Sternberg in Lukovv, Joan. junior de B
vvicz, Joan. & Stephanus de Lichtemberg, Georgius de Bitovv, Joan. de C
burg in Tovvaczovv, Jodocus Hecht de Roſycz, Joan. de Kravvarz in G
Arcleb de Drabotuſſ, Dobeſſ de Mezerzicz, Boczek de Cunſtat in Opato
Gimram, Zbinek & Ulricus fratres de Daubravicz, Heralt de Sovvi
Proczek de Wylemberg, Proczek de Cunſtat in Lyſſicz, Smil de Daubra
Czeniek de Buczovvicz, Hynek de Ronovva in Letovvicz, Henricus de W
ſtein in Satko, Matthias de Cymburg, Joan. & Nicolaus fratres de Zaſt
Ctibor de Cymburg in Krzidlo, Hlavvaz de Ronovva, Czeniek de Ron
Hynek junior de VValdſtein, Joan. de Sovvinecz in Popovvicz, VVok de
ſtein, Paulus de Sovvincz, Heralt de Cunſtat & Leſſtnicz, Podivva de
le, Milota de Tvvorkovva, Getrzich de Pruſſinovvicz, Heralt *de Cunſtat &*
Kornicz, *Smil & Cuna fratres de Cunſtat; VVenceslaus de Myſliborz*
colaus de Bikovv, Cmin de Drabotuſſ, Nicolaus de Lamberg, Nicolaus de
chovva, Geſſek Drabanovvsky in Habrovvan, Joannes de Pteni, Bur
Honbicz, Joan. de VVlachovicz &c. Horum nomina deſcripſi ex vetuſti-
mo quodam MS. Codice, qui ſervatur *in Archivo Capit. Metrop. Prag.* pro
no

Daubrav. l. cit. VVeleslav. in Calend. Hiſt. ad diem 2. Junij. Lupac. ad eand. diem, & ad 21. April. M. Laurent.

Moravi in Religione Cathol. & obſequio Principis ſui conſtantes.

Nomina illorum recenſentur.

in honorem Familiarum, & memoriam, & poſteritati in exemplum.

MS. Chronic. rerum Bohemicar. bonarum & malarum, ad an. 1421.

nore Familiarum, & ut memoria omnium iſtorum, qui alibi non leguntur, niſi fortaſſe in *Tabulis Provinciæ*, ſit perpetua, & poſteris in exemplum.

Bohemi nihilominùs ſolutâ reverentiâ omni, Regnum *Sigismundo* abrogârunt, communicatâ etiam provinciatim per omnes diſtrictus defectione, editóque in lucem ſcripto, & cauſis XVII. in medium productis (videantur apud Cochlæum) propter quas illum pro Rege habere non poſſent. Inter alias, hanc etiam poſuerunt: *quòd multos Barones & Milites Bohemiæ & Moravie, nuper ad VViſſebradum, quaſi ad macellum eduxerit, & improvidentiſſimâ ordinatione pugnare, & ad mortem ire coëgerit, in damnum Regni irrecuperabile*; cùm cædes tot Heroum, totidem penè exercitibus cæſis æquiparari poſſet. Cæteræ cauſæ in ſpeciem erant magìs, quàm in rem: & quia invalidæ, cumulo firmabantur. Nec mora, decreta legatio, *ad VVladislaum Poloniæ Regem*, ut *Bohemiæ Regnum* in fidem ſuſciperet. Hic re ad Senatum delatâ, & diu multúmque agitatâ, cùm id ſuſcipere renuiſſet, tum propter hæreſim, tum propter inteſtina Gentis diſſidia factionéſque graves; tum denique, quòd neceſſariò offendendus eſſet *Sigismundus Cæſar*, ad quem Regnum majori jure pertinere videbatur, legati ad fratrem ejus *Alexandrum Vitoldum Lituaniæ ducem confugerunt*: qui *Koributum fratrem*, cum aliquot *Polonorum & Lituanorum* millibus, in Bohemiam, ad capiendum Regnum miſit, ſi non annuente, certè non impediente *Wladislao*. Contigit autem, ut primi hujus negotij ad Polonos legati, inter quos præcipui nominis erant, *VVilhelmus Koſtka, non tam equeſtri dignitate*, ùt inquit Sylvius, *quàm Eccleſiarum direptione inſignis*, & *Hlas de Duba*, in itinere, *Ratiboriæ*, juſſu *Nicolai Ducis* caperentur: è quibus nonnulli *Brunam*, ubi tum temporis *Sigismundus* morabatur, expeditionem adversùs Bohemos inſtruens, adducti, illicò capitis luerunt pœnas. *Koſtka* verò & *Hlas*, quos â pari ſupplicio amicorum exemerunt preces, in vincula conjecti. Hinc Bohemis alios nuncios, cautiori itinere expedire, neceſſe fuit.

Cochl. in Hiſt. Huſſit. lib 5. ad an. 1421. Hagek. an. eod.

Bohemi repudiato Sigismundo, VVladislao Regi Poloniæ Regnum deferunt: *Cromer. rer. Polon. l. 18.* quo tergiverſante, Koributum, Lituaniæ Ducis fratrem in Bohemiam adducunt. *Cromer. lib. 19. ad init.* Bohemorum legati capti.

Interea Pragenſes, *Joannis Monachi* hominis flagitioſiſſimi, qui tum Pragæ facundiâ & dexteritate ſuâ, omnia ferè poterat, rurſum in Catholicos vim & arma converterunt; quorum furore, cænobia *Doxanenſe* Virginum Præm. *Teplicenſe* Virginum Benedict. & *Oſſecenſe* Ciſterc. direpta, incenſa & diruta; Virgines ejectæ, aliquæ aquis ſuffocatæ, Religioſi qui deprehendi poterant, vel igni vel ferro extincti. *Bilina* civitas cum arce, die 7, Julij proditione occupata, ubi quàmplurimi Sacerdotes, & alij viri Nobiles Catholici flammis ſunt exuſti. *Kadana* & *Chomutovia* ſecundò (ſed per deditionem hâc vice) acceptæ, & ne receptaculo eſſent Miſnenſibus, incenſæ, & majori ex parte dirutæ. Ad *Brixiam* tandem, magnâ excepti clade â Germanis, dignas maleficiorum dederunt pœnas, *cæſi quamplurimi, capti autem ſexcenti*, & ùt narrat Fabricius, *omnes diverſis ſupplicijs in terrorem aliorum ſublati*, partim igne cremati, partim in vinculis & diris carceribus fame enecti. Nihil tamen eo caſu fracti, ſed magìs proritati, paulo poſt majore cum potentia redierunt, & civitate fruſtra iterum oppugnatâ, (*arcem in præalto monte* nec tentare auſi)

VVeleslab. in Calend. Hiſt. ad diem 23. Octobr. Pragenſium in monaſteria & Civitat. Cathol. ſævitia.

Ad Brixiam clades. *Fabric. in Orig. Saxon. l. 7. an 1421. Hagek. Kuthen an. eod. Chron. Manſ-feld. c. 31.*

auſi) vim omnem in *Duxam* oppidum, quod etiam præſidio Miſnenſium te-
nebatur, & expugnatu facilius erat, converterunt, *ac ſine intermiſſione*, verba
ſunt Crantzij, (noſtri enim ſcriptores de hoc ſilent) *oppugnantes, miſeros ci-
ves ita fatigârunt, ut ampliùs ſeſe defendere non poſſent. Hoſtes itáque mœ-
nibus & oppido potiti, ſævierunt ſine exemplo in omnem ætatem, in utrumque
ſexum, in omnem ordinem. Multi ex civibus Eccleſiam, in caſtelli m...
communire tentabant, ut inde ſe ſuósque defenderent: hæretici autem ſu...
venientes, injecto igne, omnem illam multitudinem incendio conſumpſere, at-
que ita miſerabili ſtrage peractâ, facta eſt urbs ſuorum civium commune
ſepulchrum.*

Crantz. in Vandal. l.11. c. 6. Cochl. in Huſſit. l. 4. Duxa, vulgò Duchcow / oppidi miſeranda calamitas.

Nova Sigiſmundi, & Principum Imp.

Eodem anno *Sigiſmundus Cæſar*, collecto per *Hungariam*, *Moraviam*
& Auſtriam magno exercitu, expeditionem in Bohemiam parabat, conven-
tione priùs factâ cum aliquibus *Germaniæ Principibus*, ut idem facerent, &
ab altera parte *Bohemos* infeſtarent. Et hi quidem, quantâ poterant maxima
celeritate, exercitum viris, armis & bellico apparatu probè inſtructum com-
parârunt: ac primò omnium ad ferendum *Brixiæ* auxilium, quæ tum à *Pra-
genſibus* graviſſimâ, de qua jam dixi, premebatur obſidione, animos ...
que converterunt; Martéque propitio uſi, hoſtes àb obſidione repulerunt
die 5. Auguſti, tanta cum clade, ut ex *Pragenſibus*, eorúmque commilitoni-
bus *Zatecenſibus*, *Launenſibus & Slanenſibus*, duo millia & ampliùs deſide-
rarentur. Inde victoriam feliciter partam proſequuti, ad *Zatecium* oppu-
gnandum proficiſci decreverunt, tentatâ priùs *Bilinâ*, ſi quo modo oppidum
& arcem de manibus hoſtium eripere, & pro majori ſecuritate *Brixiæ*, in ſuam
poteſtatem redigere poſſent; irrito licèt conatu, eo quòd *Pragenſes*, quam-
quàm pauci numero, pertinaciùs quàm opinio erat, ſeſe defenderent. Sed
neque ad *Zatecium* ipſis res meliùs ceſſit: fruſtra enim tentatâ, per menſem
integrum & ultra oppugnatione, ultimò laboribus fracti, & diuturnæ obſi-
dionis pertæſi; tum quòd Cæſar ad deſignatam diem cum ſuis non veniret, &
alia ſpes auxiliorum nulla eſſet; è contra verò *Pragenſes* apparare ingentes co-
pias, propediem obſeſſis in auxilium educendas, conſtans fama ferret, ...
lúsque inveniretur, qui eas uti integras, expectandas cenſeret, obſidionem
ſolverunt.

in Bohemiam expeditio, primò benè ceſſit, Hagek. Kuthen. VVeleslab. ad d. 5. Aug. Chron. Mansfeld. cap. 310. Fabric. in Orig. Sax. l. 7. ad an. 1421. poſtea minùs.

Poſt illorum diſceſſum, qui fugæ haud abſimilis erat, *Cæſar primùm in
Bohemiam venit, initio menſis Decembris, & ad Ledeczium oppidum caſtra
poſuit: quo cognito Pragenſes, adjuncto ſibi Ziſka cum Taboritis*, obviam
proceſſerunt, & Czaslaviâ validiori præſidio firmatâ, ad Kuttnam parati ad
pugnam animis conſederunt. *Pragenſes* tamen paulo poſt veriti, ne quid
turbarum in abſentia ſua domî exoriretur, præſertim cùm intellexiſſent ali-
quos Proceres, præcipuè verò *Roſenſes*, *Hazmburgios & VVartmbergios*
ſtare pro parte *Sigiſmundi*, cum eo *Iglaviæ* conſilia agitâſſe, ac certo cer-
novì aliquid moliri, Pragam retroceſſerunt. Manſit itaque *Ziſka* ſolus cum
Taboritis: & non ſatìs fidens mœnibus civitatis, ſicuti nec ipſis civibus, fo-
potiùs cum omnibus ſuis copijs exivit, & in vicino monte *Taurkank* con...

Sigiſmundus in Bohemiam venit cum exercitu

Inte...

Interim advolat Cæſar cum quinquaginta millium exercitu, *Kuttnámque* mox primo adventûs ſui die, *qui erat* 20. Decembris, in poteſtatem redigit, & *Ziſkam* foris ita undique cingit, ut vix ampliùs evaſurus crederetur, omnéſque putarent brevi inediâ laboraturum, (commeatu, ùt in tanto rerum tumultu, minùs proviſo) & vel invitum ac reluctantem ad deditionis conditiones, vel ad prælium ultimâ deſperatione deſcenſurum. Sed vaferrimus dux, reique militaris, maximè verò *ducendi exercitûs in ultimis diſcriminibus apprimè peritus*, nocte ſubſequenti, tacitè, atque ita dextrè profectionem inſtituit, ut Colinium usque, ad unum milliare, Cæſarianis fruſtra aſſilientibus, (eo quòd currus armatis inſtructi ſimul progredientibus præſidio fuerint) ſalvus & illæſus cum ſuis omnibus pervenerit: quòd opus militiæ gnari majus certè, quàm in acie aperto Marte vincere, exiſtimaverint. *Colinio*, ſummâ adhibitâ celeritate, *Gitczinium*, inde *Turnovium* versùs properavit: ubi ſpatio temporis brevi, ex audaciſſimis promptiſſimíſque aucto exercitu, octavo poſt die, *qui erat* 1. *Januarij an.* 1422. *Colinium* redijt, indéque promotis caſtris ad pagum *Nebovid*, qui eſt inter *Colinium & Kuttnam*, in conſpectu Cæſaris conſedit, ad dimicandum paratus.

Kuttnam occupat: Ziſkam in anguſtias cogit, qui tamen elabitur; & auctis copijs revertitur,

Sed jam Cæſar ſummam rei, ancipiti unius prælij fortunæ committere nolens, quietè ſeſe in caſtris, & intra mœnia urbis continuit: tametſi nonnulli, quibus fervida ingenia, magníque ſpiritus erant, totius exercitus, qui numero hoſtibus erat longè ſuperior, vires extollendo pugnam ineundam ſvaderent: non conſiderantes, magnum belli & victoriæ momentum in incolumitate exercitûs conſiſtere; ideóque non illum temerè, niſi certâ ſpe obtinendæ palmæ, hoſti objiciendum. Velitationibus ſolùm certatum fuit per quinque dies, jam his jam illis prævalentibus. Ultimò Cæſar ſuis innixus conſilijs, & quia hyemis tempeſtates, quæ indiès augebantur, trahendo bello maximè noxias intelligebat; tum verò quia *Pragenſes* accelerare Ziſkæ in auxilium certâ relatione didicerat, Kuttnam deſerere, & in *Moraviam* reverti conſtituit: priùs tamen civitatem, ne eâ integrâ potiretur hoſtis in ſuum commodum, totam quantam exuſſit, in ipſo *feſto Trium Regem*, & ſic abijt. (Lupacius narrat, *tantam rabiem & ſævitiam militum ipſius tum fuiſſe, ut neque parvulis & innocentibus pepercerint*) Abeuntem *Ziſka* è veſtigio ſequutus multùm incommodabat: quamvìs enim inchoatâ profectione, quatuor carrorum ordines inſtituerit, qui progredientium latera protegerent, & milites tutiùs intercurſantes barbaros propulſarent: ſed quia frequentes tumuli & colles, glacie & nivibus impediti occurrebant, neceſſe ſubinde erat ſubſiſtere in via; & tunc *Taboritæ* jam à lateribus, jam à tergo captatâ occaſione, trucique ſublato ululatu, Cæſarianos invadebant. Certatum erat aliquot in locis acriter, ſed propè *Tevto Brodam, die* 9. *Januarij longè acerrimè:* ubi poſt diuturnam dimicationem, cùm Cæſariani pedites Taboritarum maximo cum impetu irruentium vim nequaquam ferre poſſent; & ipſi, & paulo poſt etiam equitatus ferè omnis fuſus fugatúſque eſt, multi partim in acie, partim in fuga cæſi perierunt: aliqui dum per *Sazavvam* glacie adſtrictum fugerent, ea

ad prælium paratus, Sigiſmundus negat copiam pugnæ; *Lupac. ad d. 6. Januar.* Kuttnam ne receptaculo eſſe hoſti exurit: in Moraviam abit. Ziſka abeuntem perſequitur, & profligat.

ruptâ miſerè interierunt. Cæſar diſſipato exercitu, & amiſſis ſeptem vexill…, quingentis curribus, & alijs impedimentis omnibus, rebúſque deſperat… *Iglaviam* usque fugâ pervenit: parum tamen abfuit, quin ab inſequenti hoſt… caterva, quam ex pugnaciſſimis collectam ductabat *Procopius Raſus* (de quo nobis poſtea erit multus ſermo) caperetur. Digna eſt Æneæ Sylvij de ea expeditione narratio, quæ ſic habet.

Sigismundi diſcrimen. Hagek. Kuthen. ad an. 1422. VVeleslav. ad d. 6. & 8. Januar. MS. Laurent. MS. Anon. MS. Treblc.

Poſt hæc Sigismundus Principibus Electoribus diem ſtatuit, ut in cel… te Divi Bartholomæi, ad Occidentalem plagam, Bohemiam cum copijs … rentur, ipſe ad Orientale latus cum Hungarorum exercitu aggreſſur… Moguntinus Archi-Epiſcopus, Comes Palatinus Rheni, Saxoniæ duces, M… Brandeburgenſis, & plurimi ex Alemania Pontifices, cæteri ſuos miſere … ſtra metati ad oppidum Zaczium: quem tamen munitiſſimum locum expu… non potuêre. Vaſtatus eſt undique per circuitum ager: continuata obſidi… Feſtum usque S. Galli, túmque ſoluta, quùm Sigismundus ad promiſſum … non adeſſet. Ille autem collecto ex Hungaris, Auſtralibus ac Moravis exe… circa ſolennia Dominicæ Nativitatis, Bohemiam intravit, & aliquot oppi… cepit. Cutbnenſes per deditionem accepit. Sed irruente in ſe Ziſkâ qu… cæro, pavidus trepidúsque multis ex ſuis interfectis Nobilibus, & amiſſ… dimentis effugit. Priùs tamen Cutbnam exuſſit, quam Thaborienſes, pr… argenti fodinas, crumenam Antichriſti vocabant. Ziſka itinere un… Imperatorem ſequutus, magnâ fugentium prædâ ditatus eſt; & oppidu… dam, quod Teutonicorum vocatur, vi captum incendit, quod poſtea XIII. … mè annis, ſine habitatore permanſit. Imperator amnem Sazavam … transmiſit. Piſo Florentinus, qui in eam expeditionem XV. millia … tum ex Hungaria duxerat, per glaciem iter habuit, quæ multitudin… dere diſſoluta, multos mortales in profundum rapuit. Periêre in ea … è Cæſareis pluresquàm mille, partim cæſi, partim, ùt dixi, aquis hauſti. … ter alios invenio cæſum *Joannem de Pteni*, (alias *Lbotsky*, quæ … hodiéque eſt ſuperſtes) *Equitem Moravum*, heroëm inſignem, ob … Sigismundo Cæſari ſingulariter acceptum: qui ſaluti Cæſaris fugam … tanto ſecuriùs proſpicere cupiens, datâ operâ cum ſelectiſſima manu eq… retrò manſit, ut inſiſtentium cum ſummo furore hoſtium impetum … sícque eundo & frequenter pugnando, iter ſenſim carpebat, donec … quadam ab incondita *Taboritarum* multitudine atque etiam ab ag… qui irâ & odio contra Cæſarianos, propter illata ſibi damna, flagr… ximo, undique circumfuſus, dum ſuos voce atque exemplo ad ſtrenu… dum cohortatur, fortiter & ipſe pugnans equo dejicitur. Captiv… guus fuit numerus, adeò ut vix triginta, totis caſtris reperirentur: … erat, *Hynko Czervvenohorsky, & Zborovvsky Nobilis quidam Polon…* admodùm charus, (*Cromerus lib. 18. Zaviſium Nigrum nominat, … oppido Zdiar, quò ſeſe profligato Cæſaris exercitu receperat, in p… hoſtium veniſſe refert,*) quorum commutatione *Koſtka & Hlas* liber… tuti ſunt. Non paucos etiam, qui in ſylvas ſaltúsque profugerant, lo…

Germani Bohemiam intrant: *Zateczio fruſtra tentato abeunt.* *Ziſka Cæſarem fugat.* *Bonfin. dec. 3. l. 3. Pipum, i, Philippum nominat ex Scalariorum Familia.* *Cæſarianorum clades.* *MS. Anon. Regino Hrad. Epiſt. Sigism. Cæſ. ad Albert. Archid.*

Ig…

ignaros, ruſtici paulo ante crudeliter ab eis habiti, pari crudelitate confecerunt. At in excidio *Tevto Broda* interiêre ex oppidanis longè plurês: effractis nâmque inter colloquium portis, cùm liberè undique hoſtes irrupiſſent, ſtatim in obvios quôſque ferro ſævierunt; ſed *neque ætati aut ſexui parcitum: pueri, virgines, nuptæ, innuptæ, nullo diſcrimine, nullâ ætatis aut innocentiæ miſeratione, primâ irrumpentium rabie trucidati; mixta cædibus ſtupra, & rurſum expletâ libidine ferro ſævitum.* Mille quingentos occiſos fuiſſe ferunt: *Collegiata ibidem Eccleſia Divæ Virginis cum Sacerdotibus exciſa.* Eâ victoriâ elatus *Ziſka* multo inſolentiùs agere, & paſſim Religioſorum clauſtra ædêſque ſacras, quæ adhuc reſtabant, expilare & diruere, *Sacerdotes & Nobiles*, quos dogmati ſuo contrarios noverat, indignis modis excruciare, torquere, necare, eorum vicos & villas incendere; omnibus ultimò, & ipſis *Pragenſibus*, multùm gravis. *Cæſar verò brunam reverſus*, cùm graviſſimorum negotiorum causâ revocaretur *in Hungariam*, ſciréque relatione certâ, nonnullos *Moraviæ* proceres, ſpretâ Religione Catholicâ, *ad depravatas Huſſitarum opiniones*, haud obſcurè inclinari, tutelam provinciæ genero ſuo *Alberto Archiduci*, qui eam â ſeditioſorum injurijs tueretur, commiſit, & in uſum fructum, cum dominio utili, *jure ſupremo ſibi nihilominùs reſervato*, tradidit: ac tandem anno ſequenti, *diplomate ſingulari Budæ dato* confirmavit, prout ſuperiùs libro primo, cap. IV. narravimus.

Tevto Brodæ excidium.

Ziſka victoriâ inſolens.

Sigiſmundus Alberto III. Archiduci Auſtriæ, genero ſuo, Moraviam tradit.

Ær. citat. Roo in Hiſt. Auſtr. lib. 4.

Brevi poſt *Korybut*, ut deſiderio Pragenſium, qui ipſum crebris nuncijs & literis, ad capeſſendum Regnum invitabant, ſatisfaceret, *Pragam venit, die 17. Maji*, magnôque honore exceptus eſt. Pragenſes illi nomen mutaverunt in *Sigiſmundum*, eúmque in foro antiquæ urbis coronari volebant; ſed reclamantibus Magnatibus, qui Coronam ſub ſua poteſtate habebant, & ipſo etiam Ziſkâ, *qui libero populo nullum Regem convenire* dicebat, nihil factum. *Miechovius* Canonicus Cracovv. ſcribit illum, dum *Moraviam tranſiret, oppidum munitum Uniczovv, quia ipſum non ſuſcipiebat, vi expugnâſſe, & militibus ſuis, quos ex nequiſſimis, & apud Polonos proſcriptis habebat ad quinque*, ſeu, ùt volunt alij, *ad ſeptem millia collectos, in prædam dediſſe.* Weleslavinus autem narrat, *illum primò Uniczovvij ſacram Synaxim ſub utrâque ſpecie*, (volens per hoc Pragenſibus, & alijs omnibus Utraquiſtis placere magìs) *ſumpſiſſe.* Sequuta mox 28. ejuſdem menſis, *Carlſteinenſis arcis obſidio, Regni Coronæ obtinendæ causâ, quæ ibi ſervabatur*, & quæ tum pro coronatione novi Regis Pragenſibus videbatur neceſſaria: quam tamen *Burggravius arcis, Tluxa de Burzenicz* (aliàs *de VVrabbi*) vir ſolers & induſtrius, periculum maturè ſubodoratus, ante obſidionem, per decem tantùm equites clam inde exportari, & ad *arcem VVelbarticz* deferri curavit, ubi pauciſſimis conſcijs longiſſimo tempore latuit. Obſidio nihilominùs continuata fuit, quæ *ad feſtum usque S. Martini* duravit, *Burggravio* & fratre ipſius *Kunſſone, Ruſôque de Hrzeſſiblavv*, & alijs eorum commilitonibus, viris fortiſſimis, egregiè contra vim omnem ſeſe defendentibus. Interea *Sigiſmundus auditâ obſidione Carlſteina*, & de *Corona, aliiſque Regni cimelijs*, ne in perduellium poteſtatem

Cromer. lib. 19. lib. 1. cap. 4.

Korybut Lithuanus Pragam venit ad capeſſendam Regni coronam:

Barthol. Drabonic. in Hiſt. ſui temporis, ad an. 1422.

arcem Carlſtein, unà cum Pragenſibus obſidet,

oppugnat.

tem venirent, ſollicitus, (*nec dum enim ſciverat ea eſſe in alium ſecuriorem locum tranſportata*) omnem adhibuit curam & diligentiam, ut quàm citiſſimè ſuccurreret obſeſſis. Et quia ipſemet in *Regno Hungariæ* graviſſimis diſtinebatur negotiorum curis, vicinos *Imperij Principes* ad diſtrahendas *Bohemorum* vires, expeditionem ſuſcipere juſſit. Sed ſicut antea, meliore causâ, quàm fortunâ: *ad Zatecium rurſus hæſit Germanorum impetus:* quàm urbem poſtquàm ab 1. Octobr. usque ad 19. ejusd. fruſtra oppugnâſſent, volentes hoc modo *Pragenſes* avertere ab ulteriori obſidione *Carlſteinæ*, ultimò *Ziſkam adventantem Zatecenſibus in auxilium* expectare non auſi, nullâ amplius re memorabili geſtâ, abierunt. *Mittebant Germani obſidionis tempore columbas & paſſeres plurimos, qui in tergo funiculos pice ac ſulphure illitos, & modicè accenſos inferebant in tecta: ſed vigilantiâ civium, paſſeres ſtrepitu & vocibus repellentium, nihil intus damni acceptum.*

Nova Germanorum in Bohemiam expeditio,

Fruſtra rerum ſuſcepta.

Hagek. Hubem. ad an. 1422. Daubrav. l. 26.

Eodem anno, menſe Auguſti, *Borzek de Dobalicz* equeſtri ac pervetuſtâ familiâ in Bohemia natus, qui *Litomyſlium à Pragenſibus* præterito anno, nempe 1421. die 2. Maji deditione occupatum, ac primò curæ ſuæ concreditum, poſtea liberaliter donatum, (ſi tamen quis ex alieno liberalis dici debeat) obtinebat, & *Victorinus de Podiebrad*, qui alio nomine *Boczek ſenior* vocabatur, Pardubicij Dominus, *Georgij poſtea Regis parens*, coactâ ex ſuis manu forti, *Moraviam* intrârunt: ubi initâ cum nonnullis Nobilibus ſocietate, *ditiones Epiſcopi Olomuc.* hoſtilem in modum populati ſunt; eò usque procedente audaciâ, ut profligato Epiſcopi exercitu, *Kremſirium* etiam invadendum minimè dubitarent. Confeſtim igitur ſecundâ obſidionis die, magnâ omnium promptitudine, civitatem invaſerunt, conantibus alijs per mœnia, alijs per portam irrumpere. Ex adverſo *Joannes Herbertus de Fulſtein*, & *Mladota de Pruſſinowicz*, qui curam præſidij habebant, uti erant à multo rerum bellicarum uſu, innatâque prudentia, in omni conſilio exactè circumſpecti & cauti, cum alijs qui intus erant, egregiè reſiſtebant, & *Huſſitas* ſubeuntes lapidibus inceſſabant & telis; ita ut ad extremum *Borzek* & *Victorinus* receptui ſignum dare, ſuósque revocare cogerentur, cùm ex ſuis eo inſultu plures quàm ſexaginta amiſiſſent. Nihil tamen incommodo illo accepto perturbati, die tertiâ oppugnationem redintegrandam ſuſceperunt: ſic ut facto rurſum è duabus partibus acerrimo in muros impetu, & certamine inito, à meridie usque ad primas tenebras, pari utrinque pertinaciâ dimicaretur. Ultimò terruit Bohemos, *nunciatus Epiſcopi & Alberti, maximo cum exercitu adventus:* & hic quidem jam *Hodoninæ* ſubſtiterat, dum ex Hungaria & vicinis locis majora auxilia convenirent, ut deinde conjunctis viribus hoſtes aggrederetur. Quare novo hinc periculo imminente, cùm & oppugnatio diuturnior fore videretur, *Borzek* & *Victorinus* collato cum alijs ducibus conſilio, obſidionem ſolvere, & *in Bohemiam* redire decreverunt. Statim ergò nocte ſequenti, ſublatis ſilentio tentorijs impedimentíſque, & conclamatis vaſis, iter arripuerunt, tantâ properandi curâ, ut intra biduum *Litomyſlium* redierint.

Bohemorum aliqui prædarum cupidi, in Moraviam armati veniunt: ditiones Epiſcopi Olomuc. ſpoliant, vaſtant: Kremſirium obſident:

& vi ſummâ oppugnat.

Audito demum Alberti Archid. & Epiſcopi Olom cum copijs adventu,

obſidionem ſolvunt, & domum revertuntur.

Non inſtitit fugientium tergis *Auſtriacus*, neque *Epiſcopalis miles*, inſidias

dias fortaſſe metuens, aut quòd ſatis haberet Provinciam ſine prælij diſcrimine ab hoſtibus armis purgatam: ſed converſo furore in *perduelles*, *qui ſpretâ Religione Orthodoxâ Huſſitis ſeſe adjunxiſſent*, neque ab injurijs fidelibus inferendis abſtinerent, bello compeſcendos ſuſcepit. Ex his invenio præcipui nominis; *VVenceslaum de Czerna Hora*, *Boczkonem juniorem de Kunſtat Victorini cognatum*, *VVenceslaum juniorem de Kravarz*, & *Bavarum de Pernſtein*; præter alios equeſtris ordinis non paucos. Cùm verò *Archidux* vocaretur à ſocero graves ob cauſas in Hungariam, Epiſcopo totius rei negotium dedit, ut majoribus quibus poſſet copijs, ac peculiaribus ſuis clientibus, primò quoque tempore congregatis, *Fulſteinioque viro militari ac forti, & recenti defenſa urbis gloriâ inſigni*, ſibi adjuncto, *Bozkonem jun.* inſidijs circumvenire & capere, aut ſi id non ſuccederet, quocúnque in loco reperiretur, obſidione premere, & admotis obſidionalibus machinis expugnare conaretur. Hungarorum quoque equitum, quos à ſocero paulò ante miſſos acceperat, haud contemnendam manum ei reliquit. Qui cùm *Boczkonem in ditione ſua Vizovicenſi agitare* cognoviſſet, eò cum exercitu contendit. Non latuêre illum hæc conſilia, qui ijs certò exploratis, cum ſupellectili & familia ad *arcem Brumoviam*, quam paulo ante abundante commeatu, atq; omnium rerum, quæ tolerandæ obſidioni neceſſariæ forent, magnâ copiâ muniverat, maturè conceſſit. Arx hæc in præalto monte ſita eſt, ob idque expugnatu difficilis, neque niſi longiori obſidione ſuperanda, uti hìc eventu patuit; nam eſtò per viginti & ampliùs dierum ſpatium acerrimè oppugnaretur, nihil tamen detrimenti obſeſſis inferri potuit. Imò, quod plus, factâ cum ſuis eruptione *Boczko*, bis proſperè conflixit, complurésque ex oppugnatoribus interfecit. Hinc *Epiſcopus*, *Fulſteinio* cæteriſque ducibus militari conſilio adhibitis, ſententias eorum exquiſivit, an incepto deſiſtere, & alios potiùs per Provinciam rebelles compeſcendos ſuſcipere deberet. Quùm ſententiæ variarent, & nonnullis irritæ obſidioni finis imponendus videretur: alij verò munimentum illud limitaneum minimè negligendum, perduellibúſque omnino extórquendum contenderent: ſtatui aliquid certi diu non potuit, *Epiſcopo* hærente atque dubio. Tandem ſententijs utrinque diu libratis, arcem pluribus locis aggredi, neque niſi *Boczkone*, vel invito ac reluctante, ad deditionem compulſo, illinc abſcedere decreverunt. Recruduit itáque oppugnatio toto virium conatu: ſed obſeſſi prout antea, egregiâ virtute mœnia defendere, hoſtes procul muris arcere, nihil denique in ijs repellendis negligere. Paucis demum interjectis diebus, venêre ad Epiſcopum nuncij, docentes *CzernoHorenſem*, & *Kravaraum Boczkonis complices*, *in Bohemiam*, ut auxilia ſuis impetrarent, diſceſſiſſe: jámque *Litomyſſlij* complures tractandis armis idoneos, & prædarum avidos, agminatim convenire, primo quoque tempore expeditionem *in Moraviam* ſuſcepturos, ut *Boczkonem* auxilijs adjutum, & præſenti periculo exemptum, ad audendum deinceps plura, ádq; inſtauranda majoris belli conſilia confirmarent. Fervente nihilominùs oppugnatione, accurrerunt alij, *Borzekum* unà cum *Victorino*, & *valida Orebitarum manu*, jam in

MS. Adalberti Baronis de Pernſtein de motib. Huſſit. in Boh. & Moravia, part. 1. ad an. 1422.
MS. Anonymi Hradec. Chronic. an. eod.

Epiſcopus Moravos cum Bohemis colludentes caſtigandos ſuſcipit, primóque Boczkonem juniorem de Kunſtat in VVizovicz adoritur:

ac demum in arce Brumovv obſidet:

acris oppugnatio & diuturna, ac noviſſimè irrita,

Rumores falſi de Bohemorum copijs Boczkoni in ſubſidium accurrentibus,

Digitized by Google

itinere eſſe, & ad ſuccurrendum obſeſſis accelerare (cùm tamen nihil rei eſſet) nunciantes. *Valent quandoque doli & commenta, dum ſcitè inſtituuntur.*

Ediſcopum remittere ab obſidione faciunt.

Quapropter *Epiſcopus* mutato conſilio, obſidionem ſolvit, & priusquàm *Bohemi interiora Moraviæ* vaſtabundi ingrederentur, citatis itineribus *Kremſirium* caſtra reduxit; eo propoſito, ut ſi hoſtes ſuperiores eſſent viribus, ibi tanquàm tutiore in loco ſeſe tueretur. Sed per exploratores certiores, quos præmiſerat, edoctus, nihil hoſtile â Bohemia moveri, famam ſolùm inanem ſpargere hæc, ultra fidem veri, (quippe *Victorino & Borzeko*, vicinorum turbis, quas potiſſimùm *Hradecenſes* concitabant, implicitis, non videbatur utile ac tutum, abdito foras milite, tueri aliena, & in diſcrimine relinquere propria: *Taboritis* etiam, ad quos *Kravaraus* confugerat, fuit per id tempus *cum Pragenſibus* ſimultas gravis, quæ paulò poſt in atrox admodùm & cruentum bellum erupit) ad oppidum ſubſtitit. Fuêre nonnulli, qui â *Bavaro & Joanne fratribus de Pernſtein*, & alijs, qui flagrantiores in *Boczkonis* amicitia præ cæteris habebantur, nuncios illos ex conſtituto ſubornatos fuiſſe, ut ſpecie amicorum *in Epiſcopi caſtra* ſeſe conferrent, & apud duces ac militum præcipuos, famam viréſque hoſtium mentiendo, pejerandóque in immenſum efferrent augeréntque, haud vanè ſuſpicarentur. Utut ſit, *Boczkoni*, quò citiùs præſenti periculo eximeretur, id profuit.

Æn. Sylv. c. 44. Hagek. ad an. 1422.

Epiſcopus Raczicium obſidet,

Epiſcopus verò, ubi ſe præproperâ credulitate deceptum vidit, *ad Kremſirium* non diu cunctatus eſt, ſed datâ per triduum militi quiete, *Raczicium Kravarai arcem* in modico colle ſitam, cujus præſidiarij vicinũ *Wiſſkovienſem* agrum crebris infeſtabant excurſibus, obſidione tentandam decrevit, eóque cum univerſis copijs profectus eſt. Ubi diſpoſitis ad faciendum inſultum neceſſarijs omnibus, ſuos paratos eſſe, ac demum ſigno dato, in valla procurrere juſſit. Verùm qui intus erant præſidiarij, loco utcúnque munito freti, ſeſe egregiè tueri, conſcendere conantes lapidibus, ſagittis & alijs miſſilibus telis ſauciare, atque deturbare; ita ut ex illis non pauci poſternerentur, plurimáque eorum cadavera paſſim ſtrata jacerent. Poſtremò cùm omnium acerrimè inſtaret *Fulſteinius*, ac ſuos ad rem fortiùs gerendam, voce & exemplo hortaretur, ſagittâ in inquine ictus concidit: móxque â ſuis ſublevatur, & in tabernaculum defertur ultimum ſpirans: nihilo tamen minùs, recrudeſcente jam in ipſo vallo certamine, miles Epiſcopi repulſos ê murorum ſummitate defenſores terga dare coëgit. Et tunc arx vi capta oppugnatoribus ceſſit, trucidatis aut captis omnibus inibi deprehenſis. Inter quos *Nicolaus de Buzovv* arcis præfectus, *Ctibor de Drnovvitz*, *Waniek de Lazan*, *Joannes de Oppatovicz*, *Joannes Zub*, *Cyrek de* Kokor, & plures alij, qui â Religione & fide Principis defecerant, capti numerabantur. *Victoria tamen hujus palmaq; decus, lethale Fulſteinij vulnus non parum defloràſſe viſum eſt: ex quo ipſe Wiſſkoviam delatus, paucos poſt dies, maximo omnium, ac potiſſimùm Epiſcopi dolore, vivere deſijt.*

oppugnat & impugnat.

Fulſteinius â vulnere in oppugnatione accepto moritur. MS. Adalb. de Pernſtein. part. 2. an. 1422.

Poſt hæc placuit nonnullis *Novum Caſtrum*, quod *Raczicio* non niſi duobus diſtabat lapidibus, intra ſylvas & montes, in abſciſſa rupe ſitum, quódque

Digitized by Google

que ſtipendiarij *CzernoHorenſes* præſidio tenebant, aggredi; ſed intervenien-te imbrium autumnalium ſolito majore copiá, & quòd munimentum ipsâ naturâ loci arduum, expugnatu difficile foret, alijs conſultiùs videbatur, ut intermiſsâ in præſens obſidione, quæ opinione durior evaſiſſet, quæque militum vires & animos multùm hebetâſſet, copiæ in hyberna dimitterentur. Quorum ſententiam ſequutus Epiſcopus, clientes qui beneficij titulo, ob certam agrorum poſſeſſionem, ære proprio militare tenebantur, domum redire permiſit: ſtipendiarios verò hinc inde circa Olomucium hyberna capere juſſit; ijs tam inſtructos mandatis, ut ad imminentis veris initium, aut ſi neceſſitas urgeret, nuncio accepto, citiùs in unum reverterentur. Porrò ipſemet cum ſelectiſſima peditum cohorte *Kremſirium*, ut inde *Boczkonis*, aliorúmque perduellium conatibus ulterioribus avertendis accuratiùs invigilaret, conceſſit.

copiæ in hyberna dimittit.

MS. de Pernſtein.
MS. Monaſt. Trebicenſ. Ord. S. Benedicti ſub Beneſſio Abb.

CAPUT VI.

Huſſitarum, ac ipſius Ziſcæ per Moraviam res geſtæ; & Moravorum egregiè reſiſtentium, ac imprimis Joannis Epiſcopi Olom. virtus.

APpetente ineuntis anni, qui erat 1423. vere, belli initium à præſidiarijs *Novi Caſtri* exorſum eſt: qui paulo ante cum *CzernoHorenſibus*, acerrimam in agrum *Brunenſem* irruptionem fecerunt, ac circumlato paſſim terrore, *Novum pagum*, *propè Carthuſiam Regij campi* ſuccenderunt, *Monaſterio*, quòd illinc eminùs peterentur, intacto relicto. Similiter *Rzeczkovicium*, *Beneda cujusdam viri Nobilis caſtellum*, quod exiguo vallo erat circumdatum, primo impetu ceperunt ac diripuerunt: deprehensóque ibidem *Benedâ*, & eo cum conjuge atque liberis in captivitatem abductis, injecto igne concremârunt. Atque ita expilatis in illo circuitu quàm plurimis pagis, prædam egerunt ingentem; majorem adhuc acturi, niſi *Brunenſes*, captis armis, foras egreſſi, ulterioribus eorum auſibus reſtitiſſent. Igitur *Epiſcopus* evocato ex hybernis milite, & quod à Provincialibus in Eccleſiæ Romanæ cultu fideliter perſiſtentibus, contrahi poterat, caſtra ad Brunam metatus eſt; perſcripsítque *Abbati Cœnobij Trebicenſis* (is erat *Beneſſius*, *Martini Baronis de Lomnicz & Mezericz germanus frater*, *vir ſupra togæ & Ordinis ſui opinionem fortis & impavidus*) ut cum expeditiſſima quàm poſſet manu, clientibus ſuis unà aſſumptis, ad caſtra primo quoque tempore ſe conferret. Quos præter, advenêre etiam *ex Auſtria Germani pedites numero ſexcenti*, *è Carnis & Styria conſcripti*; & aliqui novorum armorum genere, non ita pridem in Germania invento, ferreis nempe fiſtulis, *quas à ſonitu bombardas & ſclopos vocamus*, inſtructi; eo propoſito, ut cùm ex omnibus partibus in unum convenirent,

Veris principio ſeditioſi è Moravis, qui Czernam Horam & Novum Caſtrum tenebant, Brunenſem regionem infeſtabant hoſtiliter.

Epiſcopus copias ex hybernis evocat:

quas aliorum auxilijs auget.

Digitized by Google

mox caſtella hoſtium, cervicibus miſerorum accolarum infeſta aggrede[illegible]tur, demolirentúrque: in quem finem etiam *murale tormentum*, *ante*[illegible] *Moravia tam grande nunquam viſum*, quod æquali tubo humani pene [illegible]tis magnitudine, ferream pilam emittebat: & alia duo, anguſtioris tamen [illegible]læ, pilǽque minoris, *Archidux* miſerat.

cum ſuis de rationibus gerendi belli conſultat.

Ergò poſt *Calendas Majales*, *Epiſcopus* convocatis copiarum ducib[illegible] ijs quid faciendum è Republica optimum foret, ac quibusnam in locis bell[illegible] inchoari deberet, exquiſivit. Non defuêre, qui ante omnia *CzernamH*[illegible] *& Kunſtatam* perduellium arces, expugnari opportere exiſtimarent, per[illegible]nere enim ad tutelam Provinciæ, ſi illæ maturiùs è rebellium poteſtate ex[illegible]queantur, ne aliquando Bohemis, ſi denuò prædatum excurrant, receptacul[illegible] ſint. Hujus ſententiæ erant *Ladislaus & Jaroslaus fratres de Lomn*[illegible], *cum Beneſſio de Luka*, & quibusdam alijs, qui ditiones ſuas in eodem tractu [illegible]bant, ac proinde hoſtes vicinos, â quibus aſſiduè armis & excurſionib[illegible] [illegible]quietarentur, æquo animo ferre non poterat. Ex adverſo, alijs minime [illegible]ſultum videbatur, exercitum oppugnandis illis occupari, in quibus vel [illegible]peratis haud magnum operæ pretium eſſet, niſi priùs hoſtium munim[illegible] illa, quæ intra ipſa Provinciæ viſcera ab hoſtibus tenentur, expugnentur. [illegible]inde ad magis procurandam Provincialium quietem, reique publicæ [illegible]jus emolumentum expedire, ut *Novum Caſtrum*, quod autumno ſuper[illegible] ob adverſas ingruentis hyemis procellas & tempeſtates, oppugnari non [illegible]terat, jam obſidione tentetur, & ad deditionem quocúnque tandem modo compellatur: cujus acceſſione vicinis urbibus, oppidis & pagis, præ[illegible] *Brunæ*, *VViſkoviæ*, *Liſſnæ*, *Blanskio*, *Tiſſnovio*, & alijs, quies & ſalus reddi [illegible]

variant ſententiæ.

EpiſcopusNovum Caſtrum,

& Czernam Horam obſidenda decernit:

Epiſcopus approbatâ hâc ſententiâ, eam ſequi decrevit, ita tamen [illegible] cùm ſufficiens adeſſet miles, præter *Novi Caſtri obſidionem*, quod ob an[illegible] loci ſitum magis aſtu, quàm vi tentandum foret, non multos requirere[illegible]ros, caſtrum quoque *CzernoHorenſe* obſidione cingeretur. Nec malè un[illegible]que favente fortunâ ceſſit: nam hic, cùm tormentum illud majus, pr[illegible] mœnibus admotum eſſet, & pinnas murorum ingenti vi decuſſiſſet, de[illegible]ribus nonnullis fœdum in modum diſcerptis, & alijs vulneratis, anim[illegible] [illegible]ſeſſorum novâ hâc murali machinâ perculſos eò usque inclinavit, ut [illegible]quàm mœnia, fors non diu vim tantam incidentium pilarum ſuſtin[illegible]lentia diruerentur, de deditione conferre maturarent, trium dierum in[illegible] ab Epiſcopo flagitantes. Quas, poſt multa ultro citróque agitata, ad b[illegible]duntaxat eâ conditione impetrârunt, ut niſi interea â *VVenceslao arci*[illegible]*no* auxilia ſubvenirent, munimentum ſine ulla ulteriori tergiverſatione [illegible]re tenerentur. Cùm tamen elapſis inducijs, præſidiarij ſtare pactis noll[illegible] *Epiſcopus* eâ fraude, perfidiæ proximâ, deceptum ſe videns, ac propter[illegible] viſſimè exacerbatus, acriorem oppugnationem inſtituere, & admotis [illegible]ribus quoque tormentis, aliiſque muralibus machinis, mœnia perpetu[illegible]bus labefactare, nec dies nec noctes ceſſare, denique hoſtes continuo labore [illegible]tigare. Tandem ab una parte exterioris arcis, muri vehementi pilarum [illegible]

fortunâq; propitiâ uſus,

& admotâ vi, eâq; ſemel atque iterum repetitâ,

cellâ diruti hiatum cernens, ut non magno periculo irrumpi poſſe exiſtimaret, ſignum militi ad procurrendum dare voluit: quia tamen jam veſper appropinquabat, ſvadentibus alijs, negotium aggreſſionis commodiùs in ſequentis diei auroram diſtulit: tum poſtea ubi rareſcere ex interventu diei ſtellæ cæpiſſent, ſignum invaſionis datum. Tametſi autem difficilis aſcenſus eſſet, defenſoribus ſummâ virtute locum propugnantibus, qui etiam hiatum muri tormentis diruti, occulto & nocturno labore utcunque refecerant: irruentibus tamen ſummo cum impetu militibus, pulſi loco in interiora arcis conceſſerunt. Hujus primò anteriorem partem; deindè

Reſtabat *arx interior nullis adhuc ictibus quaſſata, & ab exteriore profundâ foſſâ diſtincta*, cujus expugnationem obſeſſores longè difficiliorem futuram arbitrabantur: ſed metu perculſis, captæque exterioris arcis periculo territis, nullam quietem dandam rati, eam quoque ocyùs aggredi conſtituerunt. Jámque præſidiarijs priſtinus ardor animorum haud modicè remitti cœpit: qui etſi adhuc per aliquot dies vim tolerare potuiſſent, ne tamen oppugnatores nuper falsâ induciarum ſpecie deceptos magís proritarent, néve poſtea lenitati & gratiæ ullum locum apud iratos invenirent, priùsquàm ulteriorem prælij fortunam extremo cum diſcrimine tentarent, de deditione potiùs conſultare maluerunt, atque iterum inducias ab Epiſcopo petierunt. Quas cùm *duarum tantùm horarum impetrâſſent, arcem ſe dedituros, ſi cum rebus omnibus & ſarcinis abire incolumibus liceret*, polliciti ſunt. *Epiſcopus* ac cæteri duces, quanquàm rem omnem in celeritate poſitam non ignorarent: tamen conditiones, quas petebant, aliquantùm reſtringendas cenſuerunt, *& deditis, non niſi unis veſtibus, unisq; gladijs abire licere*, reſponderunt: quo transacto, præſidiarij arce exceſſerunt. Inter hæc *Henricus de Sadek, aliàs de VValdſtein, cui Epiſcopus Novi Caſtri obſidionem demandârat*, ſingulari quoque felicitate, ac ſine cæde ſanguinéque, Caſtro potitus eſt. Corrupto námque ingentibus promiſſis præſidij præfecto, *VVitkone de Dobrzicz*, & alijs adhuc duobus primarijs, in ſuam ſententiam pertractis, nocte quâdam cum ſelectiſſima militum manu per poſticam in caſtrum immittitur: ſicque caſtrum labore exiguo occupat, in quo aliàs vi expugnando, nec fortaſſe annus ſuffeciſſet.

alteram deditione occupat: *MS. Trebitenſ. MS. de Pernſtein an. 1423.* illâ verò proditione ſuam facit. *MS. ſupra citator.*

Occupatis per hunc modum duobus prævalidis munimentis, & in poteſtatem Fidelium opinione citiùs redactis, placuit unanimi omnium conſenſu *Kunſtatam* quoque aggredi. Verùm dum eo fine duces ac tribuni (*Epiſcopo tum curandæ valetudinis causâ Brunam digreſſo*) apparatus neceſſarios comparant, nuncijs docentur improviſis: *Huſſitarum aliquot millia Victorino Podiebradio, & Borzeko Dobalicio, ducibus, proparare in Moraviam, & unà cum illis Orebitarum agmen, Bedrzicho duce* (quod tamen duabus hebdomadis pòſt ſequutum fuit,) *jámque Svitaviâ oppido Epiſcopi Olomucen. ſubactâ, rectà tendere Kunſtatam versùs; tum ut firmarent commeatu & milite præſidium, tum ut tentatâ prælij fortunâ, injurias ſuis illatas ulciſcerentur, amiſſaque recuperarent.* Quibus cognitis, duces conſilio inter ſe habito, & tantam præferocis multitudinis plebem expectare minimè auſi, reductis copijs & tormentis, *caſtróq; Czerno-Horenſi* validio præſidio firmato, *Brunam retroceſſerunt.*

Huſſitarum poſtmodùm è Bohemia Kunſtatam usque adventus.

Digitized by Google

Brunam verſùs retrocedit.

Huſſitæ porrò neque inſequuti ſunt retrocedentes, neque amiſſa recuperanda duxerunt, ſive quòd inſidias vererentur, ſive quòd ab obſidionalibus ærumnis abhorrerent, cogendis prædis potiùs intenti. Non multùm ergò ad *Kunſtatam* morati, flexo ad ſiniſtram itinere, *Bozkovicium*, ac inde *Proſtugovium*, quæ oppida, veteri Religione ſpretâ, majori ex parte ad novas & depravatas eorum opiniones tranſierant, contenderunt, longè latéq; populantes obvias fidelium ditiones: addebatur cladi & populationi terror, inflammatione villarum. Tandem ſatiati prædarum cumulis, cùm inter hæc etiam *Orebita & Boczko junior*, qui paulò ante *Brzeslaviam, ſeu Luntenburgum*, aſtu & proditione ceperat, ijs ſeſe adjunxiſſent, promotis ultra *flumen Moravæ* caſtris, *Przeroviam* civitatem tum opulentam, proditione quorundam civium occupârunt. Inde verò retrocedentes, *obſidionem Kremſirij* priori anno intermiſſam, repetere ſtatuerunt; invitantibus nonnullis oppidi civibus, dogmate hæreſeos jam etiam infectis, quorum operâ, eò faciliùs ſeſe oppido hac vice potituros ſperabant. Neque ſecùs accidit: decimo nàmque obſidionis die, exercitu Epiſcopi, quem is in auxilium obſeſſis adduxerat, prælio gravi cæſo, adeò, ut è Fidelibus plures quàm ſeptingenti interijſſe memorentur; inter quos erant non pauci clari nominis præfecti, imprimìs verò *Burchardus Comes VVerdembergicus peditum Auſtriacorum tribunus, & Ctiborius de Olſſan, unius cohortis Moravorum centurio, Bobuſſe* item *de Lazan, Milota de Pruſinovicz, VVaniek Slavikovecz, equeſtris Ordinis viri,* (Epiſcopo & cæteris vix fugâ elapſis); confeſtim in oppido conjurati illi, occaſionem nefarij propoſiti nacti, alios civium adire, & primò tacitis querelis, deinde etiam palam in foro & circumſtantium coronis, ſortem ſuam deplorare, jamjam ſe perditos, ac velut pecora ab irato Victore omnes trucidatos iri queritantes, ni tempeſtivè ſaluti ſuæ & Patriæ provideant. Unde creſcentibus, ùt fit, lamentis, brevì omnia plena erant tumultu, ita ut compluribus tam civibus, quàm præſidiarijs, funeſtâ clade exercitûs, ac metu inſtantis ſibi quoque exitij, præteriti feroces ſubſiderent ſpiritus: & jam plerique degeneri animo, cuncta timore & pavore attollentes, clancularia de oppido dedendo inter ſe conſilia miſcere cœperunt. Quod cùm præfectus oppidi (*is Eccleſiaſtici ſtatûs fuiſſe traditur, cujus tamen non ſuppetit nomen*) & alij cordatiores duces intellexiſſent, primùm ſeveritate imperij, quo fungebantur, in auctores animadvertere conati ſunt, eóſque correptos in carcerem detrudi juſſerunt. Verùm cùm potiorem partem inter ſe conjuráſſe, & ſeditioſiùs, quàm probos fidelésq; cives deceret, poſthabito contemptóq; omni fidei ac boni nominis reſpectu, captos è manibus lictorum ſtrictis armis extorqueri liberatiq; vidiſſent: ad preces converſi, *ut honoris & virtutis memores, fœdo ac infando incepto abſtinerent, néve tantùm flagitij & dedecoris committerent,* orare & obſecrare. Sed fruſtra omnia erant. Ergo ubi gliſcente inſaniâ, obſtinatos eos, & vanas omnes adhortationes viderunt, ſibique periculum imminere, ne ab effera plebe trucidentur, aut vincti hoſtibus tradantur, ſeſe eorum perfidiæ conformare coacti ſunt. Advocato itáq; omni, quod erat commilitio, unà cum primoribus oppidi, brevi conſultatione (res námq;

Huſſitæ cum Orebitis,

Kremſirium obſidione tentant:

cæsóq; Epiſcopi exercitu.

Mſ. Trebic. ad an. 1423.
Mſ. Pernſt. an eod.
Mſ. Anon. Regino Hrad.

& civibus ipſis, perfidiâ haud obſcurè laborantibus,

ad ultimò apertè rebellibus,

Digitized by Google

namque moram non patiebatur) leges deditionis ſibi ipſi conſtituerunt, quas neque graves ſibi, neque ingratas hoſtibus, aliàs victoriâ inflatis exiſtimarent: *ut nimirum præſidio rebus armiſque libera abeundi facultas daretur, civibus ſive manendi in oppido, priſtino in ſtatu, ſive diſcendendi, prout quiſque elegiſſet, poteſtas eſſet*: nihilque ab hoſtibus, quos diutiùs inhærere obſidioni tædebat, mutatum eſt. Cives, quos Patriæ amor, & cura natalis ſoli, dogmáque novum tenuit, in oppido manſère: alij hoſtile jugum veriti, & quibus magis orthodoxæ Religionis amor, quàm patriæ dulcedo cordi erat, relictis domibus, partim *Olomucium*, *partim Brunam & Hradiſtium diſceſſère*. Præſidium verò per media hoſtium agmina liberum inviolatúmque exceſſit: licèt magnâ contentione agerent apud duces, *Orebitæ, fera & immanis latronum colluvies*, ne inani ſtudio fidei ſervandæ, illæſi dimitterentur hoſtes: ij præſertim *à quibus tot jacturæ fuiſſent, tótque calamitates acceptæ, cæſi veteranorum promptiſſimi, læſi duces, deformatus haud mediocri ex parte exercitus: plectendos potiùs, & ad unum omnes, aut ferro igniqué tollendos, aut habendos in vinculis, alijs in exemplum*. Sed nihil potuère apud moderatos utcúnque duces, ejuscemodi ſceleratiſſimorum nebulonum conatus. Dimiſſis præſidiarijs, qui rectà Olomucium conceſère, *Victorinus & Borzek*, oppidi præſidiique curâ, *Joanni Tovaczovio de Cymburg* commiſſâ, vim deinde omnem tranſtulerunt ad expugnandum vicinum caſtellum *Kvaſice* dictum, quod pertinebat tunc *ad Marquardum Kuzel*, Equeſtris Ordinis, virum in Catholica Religione conſtantem; ut illo expugnato, tutior ſtatio *Kremſirienſi præſidio* comparari poſſet. Sed cùm per triduum munimentum aſſiduis penè inſultibus oppugnarent, nec tamen quicquam detrimenti obſeſſis inferrent, rumor percrebuit in caſtris repentinus, *Hradecium in Bohemia*, quod *Borzek* nuper in poteſtatem acceperat, & cui tunc in abſentia ſua, *Getrzichum* fratrem præeſſe juſſerat, in fide & obſequio nutare, rèſque novas haud obſcurè moliri, idque apparere ex frequentibus civium ad *Ziſkam*, & viciſſim Ziſcæ ad cives nuncijs, ultro citróque commeantibus. Unde tumultus ingens in caſtris oboriri cœpit, ac propè ad ſeditionem res fuit: præſertim inter illos, qui *Hradecij* vel ſedes & domicilia, vel fortunas ſuas depoſitas habebant, dolentes ſe tam procul protruſos, charitates interea ſuas, uxores, liberos, bona & facultates domî extremo in periculo verſari, & jam fortaſſe ab hoſte, aut ipſis domeſticis diripi. Adveniente demum curſore cum literis à Getricho miſſis, cùm nihil eorum, nec ullius imminentis vel minimi periculi mentionem facerent (ita enim dextrè tela conſpirationis ordiebatur, & orſa texebatur, ut nihil *Getrich*, nec aſſeclæ ejus ſentire poſſent) ſed omnia eſſe in bono ſtatu ſignificarent, ſedata utcúnque eſt commotio, intermiſſi queſtus & lamenta, redintegratáque caſtelli oppugnatio. Verùm cùm tertio pòſt die, alij ac certiores accurriſſent nuncij, *Hradecenſes ope Taboritarum ac ipſius ductoris Ziſcæ, præſidium Borzeki, unà cum fratre urbe ejeciſſe*, effervuit majore cum ferocia tumultus: primique omnium *Orebitæ*, veriti, ne etiam commilitones ſui, quos *Trebochovicij* reliquerant, novis hiſce exorientibus

turbis

Deditione accipiunt.

præſidiarij & cives Catholici dimittuntur incolumes;

contradicentibus licèt Orebitis.

Kvváſice vicinum caſtellum dum poſtea oppugnant,

Tumultibus Bohemicis terrentur;

domum revocantur,

Hagek. ad an. 1423.
VVeleslaſ. in Calend. Hiſt. ad diem IV. Aug.
Kutbth. ad eod.
MS. Hradec. an. eod.

Digitized by Google

turbis aliquid detrimenti patiantur (noverant enim *Ziſkam* non benè ſibi affectum) conclamatis citò vaſis obſidionem ſolverunt, & iter domum feſtinanter arripuerunt: quos & *Borzek* aliique duces, ut ſua domî tuerentur, ſequuti ſunt, frementes licèt, quòd ab ignobili caſtello, rebus infectis recedere cogerentur. Juſtâ Dei pœnâ, *ut qui præter fas alienis inhiarent, propria amitterent.*

& obſidionem ſolvunt.

Bellum Ziſſcæ cum Pragenſibus & Borzeko;

Bellum deinde *Borzeko fuit cum Ziſka*; quod cùm *Pragenſes* Borzeki partes pro eo quo tenebantur fœdere, defendendas ſuſcepiſſent, evaſit in admodùm atrox & cruentum. Conjunctis ergò viribus, & luſtratis ad *Oppatovicium monaſterium* omnibus copijs, *Borzek & Pragenſes*, initio Auguſti, rectà *Hradecium*, ubi adhuc *Ziſka* cum ſuis morabatur, petierunt; præmiſſo *VVanczurâ*, (hic erat Borzeki affinis, vir ſtrenuus) cum ſelectiſſima turma equitum, qui in ſuburbanas villas excurrerent, & proxima quæque mœnibus, tumultu per agros excitato, popularentur. Quod dum ille impigrè exequitur, *Taboritæ* & cives, ùt primùm adeſſe hoſtes, meſſorum & aliorum in agris laborantium clamore & fugâ cognoverunt, ac demum etiam ipſi è mœnibus, in proximo volitantes, & armenta pecorum abigentes conſpexerunt, nullâ interpoſitâ dubitatione, probante hoc ipſum *Ziſkâ*, erumpere decreverunt. Imprimìs verò *Procopius Raſus*, juventâ & robore virium ferox, indignum exiſtimans relinquere hoſtem pro portis impunè latrocinari, ſe ſuòſque ad excurrendum ſummâ celeritate paravit. Nec mora, patefactâ portâ, in Pragenſes qui jam ſuburbijs imminebant, impetum faciunt: pugnatúmque diu acerrimè. Ultimò *Pragenſes* ab hoſtium undiq; urgentium multitudine preſſi, & ab utróque paulò poſt latere circumventi, remiſſiùs agere, vacillare, pedémque referre; ac tandem cùm nulla ſpes reliqua eſſet conſiſtendi, proſtratis magna ex parte primis ordinibus, & ponè ſequentibus disjectis ac diſſipatis, in fugam verti cœperunt. In ea contentione, dum *Raupovecz*, unus ex ducibus Pragenſium, voce manibúſque inclinatam ſuorum aciem retentare conatur, â ſuperveniente *Raſo* lanceâ ſub guttur ictus trucidatur: *VVanczuræ* fortiter pugnanti equus ſuffoditur, qui tamen ſingulari ſuâ felicitate evaſit exitium præſens: *Borzek* quoque â pluribus ſimul circumventus, & ſuo alienóque cruore perfuſus, multiſque clavarum ictibus contuſus, ægrè ſe de manibus hoſtium eripuit, & in *Kunaci montem*, caſtrum ita dictum in præalto monte ſitum, (vulgò **Kunetická Hora**) quod in poteſtate ſua habebat, pernici uſus equo profugit. Cæſi plures quàm ducenti, & totidem fermè capti, cùm è *Taboritis & Hradecenſibus*, non niſi duodecim interfecti, & aliquanto plures vulnerati numerarentur: caſtra eodem impetu occupata currúſque direpti. Cadaver *Raupovecij* repertum, juſſu Conſulis Hradecenſis, *in templo S. Annæ*, quod eſt in ſuburbio, honeſtæ ſepulturæ fuit traditum: cætera in loco prælij, factis aliquot ſcrobibus, terræ mandata.

VVanczuræ Equeſtr. Ord. Familiæ per antiquæ heros.

Pugna atrox.

Pragenſium clades.

Ziſſcæ victoria.

Hagec. cit. MS. Hradec. an. 1423. MS. Laurent. MS. Anon. an. eod.

Ad hujus cladis famam repentè allatam Pragam, haud modicus terror urbem invaſit, ita ut Magiſtratus, ſvadentibus nonnullis, legatos ad Ziſkam mittere, cúmque excuſatione ad id accomodatâ, & pacis atque amicitiæ oſten-

oſtentatione placare cogitaret: niſi quidam *Viri Illuſtres Pragenſium fœderati: Czenko de VVartmberg, Hlas de Duba, Hanuſs de Kladno, Joan. de Smirzicz*, & alij, contrà ſuaſiſſent, qui nequaquam deſpondendum animos cenſebant, ſed inſiſtendum cœptis, agendúmque & contra adverſa enitendum fortiùs: ſupereſſe foris adhuc exercitum à clade recollectum; domî juventutem copioſam & veteranos, arma, pecuniam rei gerendæ nervum; adeóque vires & copias ad proſequendum bellum ſuſtinendúmque validas ac ſufficientes: nec deeſſe egregios duces, ſocias urbes, omnia denique in promptu eſſe, modò non deficiant animi. His itáque conſilio & authoritate prævalentibus, accidit, ut clades iſta præludium duntaxat fuerit majoris belli, quod demum anno ſequenti, Ziſkam inter & Pragenſes longè vehementiùs recruduit.

Bellum hoc ſucceſſu temporis invaleſcit.

Interea *Epiſcopus Olomuc.* nihil præteritâ clade fractus, tempori, quod ipſi hoſtes diſceſſu ſuo obtulerant, non defuit, ſed milite è fuga collecto, adjutus etiam trecentorum peditum cohorte, ab *Oppavienſi Duce* opportunè miſsâ, *Hynkone de VVrbna* ductore, *Kremſirium* ſervitio eximere, & è poteſtate hoſtium quantocyùs vindicare conſtituit: *Archiducis Alberti exemplo motus, qui etiam per id tempus obſederat Luntemburgum.* Promotis igitur eò caſtris, rebúsque benè exploratis, cùm *machinæ etiam murales Brunâ advectæ* eſſent, placuit turrium pinnas, & ſumma murorum propugnacula tormentis diſcuti, ne cuiquam defenſorum ab ea parte conſiſtendi in muro poteſtas foret. Sed ante hæc omnia, per caduceatores propiùs admiſſos, ſignificari juſſit obſeſſis, ut vitæ fortuniſque ſuis conſulturi deditionem facerent, séque excidio propinquo tempeſtivè eriperent: promiſſa quoque civibus, qui â Religione & fide Principis defeciſſent, impunitatis cautio, & præſidio libera abeundi facultas. Ijs verò *perfidè in fide Huſſitarum perſiſtentibus*, & obſtinatione extremâ deditionem detrectantibus, Epiſcopus cùm nihil eâ paternâ admonitione, nec vicinitate diſcriminis permoveri oppidanos cerneret; ſimul metuens, ne ex Bohemia paulo poſt accelerent obſeſſis auxilia, aggredi ſine ulteriori cunctatione oppidum ſtatuit: admonitis priùs ſuis, ut ſi armatâ manu illud occupare contingeret, ea quæ militum ſunt, impigrè agerent quidem; verùm â cædibus non mulierum tantùm, ac puerorum abſtinerent, ſed neque civem ullum, niſi qui in armis eſſet, & reſiſtendo ſe hoſtem gereret, occiderent. Moderatus Princeps & clemens, maturè providere voluit, ne in eo caſu militaris furor, innocentes reóſque juxta involveret. Jámque continenti ac penè aſſiduâ verberatione tormentorum ſuperior muri corona, quæ ad vigilum commoditatem, atque operis elegantiam tegulis & perpetuâ contiguatione tegebatur, ab una parte corruit tota, bellicis inſtrumentis, quibus pinnarum intervalla, & interjectæ feneſtellæ inſtructæ erant, pari ruinâ disjectis. Quo facto, mox clamore ſublato invaditur civitas, pugnatúmque magnâ utrinque contentione. *Epiſcopus ipſe galeâ & thorace indutus ferreo*, nuſquam ab anteſignanis digrediebatur, ita ut inter primos agens, militi ad rem fortiter gerendam eſſet exemplo, ſpectator probatórque geſtorum. Verùm defenſores, ſicuti æquitate loci ſuperiores erant, ita ſubeuntium impetum illatis vulneri-

Epiſcopus reſtauratis copijs Kremſirium,

Archidux verò Luntenburgum, quod paulo ante Huſſitæ occupaverant, hoſtibus extorquendum ſuſcipiunt.

Epiſcopus cives & præſidiarios priùs deditionis faciendæ ad monet.

vim deinde admovet;

civitatem oppugnat:

obſeſſos inſtanter urget: neribus egregiè ſuſtinebant, ut tandem oppugnatores, cùm defeciſſent viribus, receptui canere cogerentur. Pari eventu, alterâ quoque die certatum fuit, obſeſſis vim omnem â mœnibus incredibili pertinaciâ propulſantibus.

Ad extremum tamen, propiore periculo admoniti, cùm per continuos octo dies obſidionem fortiſſimè ſuſtinuiſſent, & de ſubmittendo auxilio nulla uſpiam ſpes appareret: anxio animo frangi, & non parum de priſtina animi fortitudine remittere, déque vita & ſalute conſervanda ſolliciti eſſe; nèc non de rerum exitu inter ſe timidè colloqui & deliberare, ac tandem de deditione facienda conſultare cœperunt: â qua jam neque *præſidij præfectus* abhorrebat, videns oppidi mœnia jam potiori ex parte nudata; tametſi paulò ante, in tuendo loco fortiter perſiſtendum exiſtimâſſet. ac tandem ad deditionis conſilia compellit. Cunctis igitur ad ſui ſervandi conſilia propendentibus, miſſi duo in caſtra oratores, qui deditionem omnium nomine offerrent: priùs tamen de ſalute civium & præſidij, cum Principe & Domino ſuo tranſigerent. Erat legationis princeps, *Eccleſiæ Collegiatæ S. Mauritij Decanus*, *Georgius â Geviczko*, *vir pulchrâ canitie & viridi ſenectâ conſpicuus, ac ipſis etiam Huſſitis gratus & acceptus*, ùt vel exinde patet, Miſſi ex civitate, qui deditionem offerant. quòd ab ijs in oppido toleraretur: hic demiſſiſſimâ oratione, Epiſcopi iram & indignationem delinire conatus, id potiſſimùm orans & obſecrans petijt, ne duriùs in miſeros cives animadverteret, qui fluctuoſiſſimo tempori ſerviviſſent potiùs, quàm ab eo voluntariâ defectione deſciviſſent. Eos ſupplices, & quæ imperâſſet, facere paratos, neque impoſterum ullo modo, ullâve iniquitate fortunæ, â fide ejus receſſuros. Ad quæ *Epiſcopus*: ſe magìs pro natura & Epiſcopi benignitas. benignitate ſua, quàm pro *Kremſirienſium* meritis, qui magìs novarum rerum cupidine, quàm neceſſitate ducti rebellâſſent, & perfidiæ huic etiam defectionem â religione addidiſſent, civitatem conſervaturum. Deditionis leges. Actúmque eſt & tranſactum: *ut civium ſalus & fortuna manerent integræ, nulláque domibus eorum injuria inferretur, neque ijs, qui ab orthodoxa religione defeciſſent; ita tamen, ut ad eandem redire, vel ſi nollent, aliò migrare tenerentur: præſidium verò armatum cum quatuor curribus onuſtis exiret, ac liberè, quò vellet, proficiſceretur.* Nam *Epiſcopus* nullas non æquas conditiones eſſe ducebat, modò civitate quantocyùs, abſque ulteriori oppugnationis cura & diſpendio potiretur. Ita *Kremſirium*, poſtquàm non niſi quinque ſeptimanis, unâ die minùs, ſub Huſſitarum imperio fuiſſet, Domino ſuo reſtitutum eſt.

Eodem tempore, quo hæc *Kremſirij* gerebantur, *Archidux obſidionem Luntenburgi continuans*, experiebatur cuncta conatibus ſuis altiora: cúmq; recuperando munimento diutiùs imminere neceſſariæ rationes urgerent, *& locus commeandis, quâ ex Hungaria, quâ ex Auſtria in Moraviam exercitibus idoneus, ac ſitu opportuno, utpotè in collimitio Moraviæ, Hungariæ & Auſtriæ poſitus*, minimè negligendus, ſed hoſtibus omnino extorquendus eſſet, certaturus leviter ibi ſtatuit immorari, alimentis deſtituendos forſitan cedere exiſtimans obſeſſos. Contrà tamen accidit. Cùm enim languidiùs inſiſterent oppugnationi, & cura vigiliarum in caſtris haberetur remiſſior, *agmen Taboritarum miſſum â Ziſka obſeſſis in auxilium, duce Procopio Raſo, ex improviſo advolat*,

[Margin notes: "E contra Archidux ad Luntenburgi obſidionem fortunam adverſum tulit." — "Ziſka Procopium Raſum obſeſſis in auxilium mittit:"]

Digitized by Google

lat, perruptíſque ſtationibus, & obvijs, qui reſiſtere volebant, cæſis, uti forti auſu, ita felici ſucceſſu, in munimentum penetrat, importatâ ſimul haud mediocri alimentorum copiâ. Hinc aucti obſeſſorum animi, adeò, ut excurrendo frequenter, & rurſus ſeſe properè recipiendo, multos ex obſidentibus abriperent, majoréſque indiès inferrent, quàm referrent, clades. Nec multò poſt nuncijs affertur certis, *Ziſſkam cum univerſo Taboritarum exercitu*, *Czaslavienſi itinere Moraviam* ingreſſum, ad *Iglaviam* ſubſtitiſſe: & civitate fruſtra tentatâ, eáque relictâ, *Brunam* versùs citatis paſſibus contendere. Quibus cognitis *Archidux*, ne repentino hoſtium adventu, ac ſimul uno tempore ſubitâ *Luntenburgenſium* eruptione, aliquod incommodum prioribus majus, ancipiti contentione diſtractus acciperet, caſtra contraxit; admonitíſque præfectis, atque omnium ordinum centurionibus, ut paratos ac intentos milites continerent, impedimenta & currus in *Auſtriam* reduci juſſit, idque tacitè admodùm & quietè adminiſtrari, ne concurſatione & frequentiâ militum, callidus & arrectus intra munimentum hoſtis, in aliquam vel novi conſilij, vel concepti timoris ſuſpicionem adduceretur. *Æneas Sylvius* refert, adfuiſſe tum temporis in caſtris etiam *Sigiſmundum Cæſarem, unà cum Erico X. Danorum & Svecorum Rege*, qui componendæ controverſiæ causâ, quam cum *Adolpho & Gerbardo Ducibus Sleſvicenſibus & Comitibus Halſat.* habebat, propter provinciam *Jutiam*, ſeu *Cimbricam Cherſoneſum*, ad Cæſarem venerat: verba ejus ſunt: *Per id tempus Sigiſmundus Imperator, Alberto Duci Auſtriæ genero ſuo Moraviam, nè defenſore careret, dono dedit: quamvis jam plerique illius provinciæ proceres ad Huſſitarum inſaniam defeciſſent. Eo quoque tempore Ericus Rex Daciæ, & infans Petrus Regis Portugalliæ germanus, Jacobi Cardinalis Sancti Euſtachij excellentis & clariſſimi viri pater, Imperatorem accedentes, ambo rei militaris peritiſſimi, exercitum ejus & copijs & auxilijs auxêre. Ob quam rem caſtra ad Luntenburgam Moraviæ oppidum Huſſitarum peſte infectum, ſtatim poſita: obſidio tribus menſibus eo loco ducta. Eques apud Pragenſes cognomento Aqua, ſatis opulentus fuit, & inter ſuos cives authoritate præditus. Is ſororis filium, nomine Procopium, quùm ſobole careret, in ſuum adoptavit, eùmque grandiuſculum, ad Galliam, Hiſpaniam, Italiam, demum Hieruſalem ſecum adduxit, reverſus in presbyterum ordinari curavit. Qui ſurgente in patria Huſſitarum novitate, Ziſſcæ adhæſit, & quùm eſſet robuſtus & manu promptus, nulliúſque fugax laboris, magno loco apud eum habitus, primos ductavit ordines, malus malo aptiſſimus. Hic eſt ille Procopius, qui poſtea ob res fortiter geſtas, Magni cognomen obtinuit. Huic Provincia Moraviæ commiſſa eſt, & Luntenburgenſium defenſio. Qui non parvâ militum manu acceptâ, invitis obſidentibus, commeatum in obſeſſum oppidum importavit, irritámque Sigiſmundo fecit obſidionem.*

qui per media Auſtriacorum caſtra, incredibili celeritate, in munimentum cum ſuis penetrat, die 22. Aug.

Ziſska ipſum in Moraviam ſequitur.

quo audito, Archid. obſidionem ſolvit, ſub initio Septemb.

Æneas Sylv. memorat, adfuiſſe obſidioni etiam Sigism. Imp. & Danorum Svecorúmque Regem, Ericum.

Dreſſer. in Iſagog. Hiſtor. millen. ſexto. Jonas ab Elverfelt libro de Holſatia. Anonym. in Catholog. Reg. Daniæ. Æn. Sylv. c. 44. Bonf. dec. 3. lib. 3.

Procopius Raſus, cognomento Magnus.

Porrò *Ziſſka* cæptam ex itinere *obſidionem Iglaviæ*, ùt dixi, omittere coactus, & non ſine clade repulſus, in Moraviam rectâ contendit: in qua totam illam, quæ Bohemiam versùs protenditur, oram, partim vi, partim minis, pactis, promiſſis, perfidiáque, quæ perinde ei atque fortuna ipſa adfuêre,

Ziſſca per Moraviam progreditur.

ſuæ poteſtatis fecit: *Telzio*, *Slavonito*, *Gemnicio*, & aliquot paucis arcibus exceptis. *Evanczicium* deinde oppidum, oſtentato quidem armorum terrore, promptiùs tamen, quàm ut ab invitis, admiſſus fuit; gratus quòd advenerit, gratior quòd irruperit: *potior ſiquidem oppidanorum pars Huſſitarum infecta legibus, ab orthodoxa Religione defecerat.* Sævitum ibi eſt crudeliter in *Sacerdotes, & in cives, quos veteris Fidei conſtabat eſſe tenaciores:* quorum nonnulli in profluentem vicini amnis demerſi, alij combuſti, deplorandam quidem viſu ac fœdam, ſed pro Deo & Fide nobilem ac pulcram ſubière mortem. Hoc modo dum in Moravia figit pedem *Ziſka*, novæ indiès & majores fiebant ad eum acceſſiones; inter alios præcipui nominis dynaſtas, *Hynko de Lippa*, *Krumlovio egreſſus*, ad eum in caſtra venit, qui potentiâ immaniſſimi hoſtis perterritus, cùm ſe imparem viribus ad eam ſuſtinendam animadverteret, mallétque rebus ſuis, imprimìs verò ſubditorum calamitatibus, quæ procul dubio erant expectandæ, avertendis proſpicere, conſilio ex tempore capto, ad promerendam ejus gratiam, ſe cuncta, uti imperatum foret, facturum pollicitus eſt, modò ditiones ſuæ â maleficio relinquerentur intactæ. *Juſsúsque eſt pro præſidio oppidi, & arcis Krumlovienſis, ſuſcipere Taboritarum cohortem unam, ejectiſque ſacerdotibus Romani ritûs, ſe cum oppidanis novo ſacrorum uſui, nempè Communioni ſub utràque conformare.* Ita nequiſſimum *Cyclopem* (quamvìs jam tum altero quoque oculo, quem in oppugnatione caſtri Rabi amiſerat, ùt jam dixi, orbatûs eſſet) non ignobile tantùm vulgus, ſed Illuſtres etiam viri, ac cùm vetuſtate originis, tum potentiâ inſignes, revereri, juſsiſque ejus obtemperare cogebantur: quorum exemplo cæteri facilè in partes ejus conceſſerunt.

Evanezicenſium, qui Fidei Orthodoxæ tenaciores erant martyrium.

Hynko de Lippa Baro inclytus, leges accipere â Ziſka cogitur.

MS. Pernſt. part. 2. ad an. 1423. MS. Trebic. ſub Petro Abb. an. eod.

Hæc agentem Ziſkam in Moravia, nuncij ex Bohemia turbârunt triſtes, *Hradecium, à Puta de Czaſtalovicz partium Sigismundi, ac imprimis Catholicæ Religionis propugnatore acerrimo, & Joanne Mieſtecio de Opoczna*, dolo occupatum referentes. Et quia in comitatu ipſius erant de Hradecenſibus non pauci, ſpe prædarum in hanc pravam ſocietatem illecti, clamor & lamentatio exorta eſt inter illos ingens. Alijs tamen & certioribus paulò poſt accurrentibus, vicum ſolummodò unum in præurbio direptum & exuſtum, neminè tamen ex incolis cæſum, niſi presbyterum quendam Taborienſem, *in templo S. Annæ* deprehenſum, nunciantibus; pacata mox reddita ſunt omnia, & *Ziſka* ipſe, qui aliàs novis hiſce tumultibus, quos putabat primò excitari â Pragenſibus, haud parum exacerbatus, in Bohemiam quamprimùm rediturus videbatur, expeditionem in Auſtriam, prout antea ſtatuerat, continuandam decrevit.

Catholici Barones infeſtant Hradecium:

quo audito, Ziſka turbatur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VII.

Ziſſcæ per Moraviam & Auſtriam, atque iterum per Bohemiam progreſſus: ac tandem interitus.

Archidux ſex-matis præſidio finibus, Viennam concedit.

ARchidux interea, *ſolutâ ad Luntenburgum obſidione*, cùm videret ſe longè imparem ad congrediendum, cum ea flagitioſiſſimorum hominum incondita multitudine, & *equites Hungari frigoris impatientes* domum reditum maturarent, jámque caſtra non expectato ducum imperio deſererent; militem per vicina caſtella diſtribuit, & commiſsâ limitis curâ, *Joanni Comiti ab Hardeko, & Georgio Horenſteinio*, viris multo militiæ uſu claris, ac *Retzio & Lavâ* primò omnium objectis hoſti oppidis, itémque *Rabenſpurgo*, & alijs circumjacentibus arcibus, valido præſidio, rebúsque alijs ad ſuſtinendam obſidionem neceſſarijs, firmatis; *VViennam*, ut novo ſupplemento inſtauraret exercitum, conceſſit. *Ziſka* verò non diu tempus ocio terendum ratus, etſi jam frigidior autumnus haud vana adventantis hyemis ſigna daret, ac pluviæ nivibus procellíſque, ventis & turbinibus miſtæ cœlo deciderent; quia tamen habebat militem ejuſmodi auræ adverſitatibus jam aſſvetum & induratum, *in Auſtriam* populabundus irrupit: poſitíſque ad *Retzium* caſtris, *Joan. Bzdinam* alterum poſt ſe ducem, cum promptiſſimis prædatum emiſit. Hic obvijs in propinquo Nobilium domibus, quæ aut minùs munitæ erant, aut à paucis cuſtodiebantur, expugnatis ac direptis, quùm deinde onuſtus prædâ ad caſtra redire properaret, inſidijs ab *Horenſteinio* exceptus primùm quidem proſperè conflixit; ſiquidem ut promptiùs atque expeditiùs pugnaret, ſarcinas prædarum, generoſo ſuſcepto conſilio, abijci juſſit: brevì tamen mutatâ fortunâ cedere loco, fugǽque remedia quærere, relictâ prædâ omni cogebatur, vix cum media ſuorum cohorte in caſtra reverſus. Cujus clade *Ziſka* proritatus, in villas & domos veteris Retzij, quod eſt inſtar præurbij, igne ſævijt, motíſque inde caſtris in interiora Provinciæ ſeſe effudit, irarum adeò plenus, ut *Megaram quandam mortalem* exiſtimâſſes. Acciditque ut primo eo furore *Pulkavam oppidum* vi occuparet, immani quâdam feritate trucidatis, qui ibi reperti fuêre, cunctis. Hinc Danubium versùs itum eſt, eodem ubique terrore circumducto: & ſi qui *Sacerdotum, aut Nobilium* in manus incidiſſent, ij confeſtim aut igni aut ferro necabantur. Pari modo *Procopius & Boczko junior, Luntenburgo excurſione factâ*, obvias Nobilium domos, ædéſque ſacras & profanas, nullo diſcrimine habitas, diripuerunt & exuſſerunt, præſidiarijs ex vicinis arcibus, *Rabenſpurgo & Falckſteinâ*, hoſtiles ignes impunè ſpectantibus: quæ nocturno tempore haud dubiè etiam *Vienna* ſpectari potuiſſent.

Ziſka in Auſtriam vaſtabundus irrumpit.

Auſtriaci Bzdinam Ziſſcæ aſſeclam profligant:

Unde Ziſka irritatus magis in obvia quæque ſævit,

nihil relinquens intactum,

in quod graſſari igni vel ferro poſſet:

Jam verò *Ziſka* inſolentior factus, ac *continuato in ulteriora Auſtria itinere, ad ripam pervenerat Danubij*: ubi fixis ad *Stokeraviam* caſtris, omnem

ad Danubium usque penetrat:

omnē illum tractum effusè populabatur. Erant pro præſidio impoſiti oppido centum pedites, quos paulò antè *Neoburgo* miſerat *Archidux;* & hi cum oppidanis, credentes ſe ſatis vel intra ſepes, quibus tunc oppidum circumdatum erat, tutos fore, non modò ad reſiſtendum neceſſaria omnia pararunt, ſed & *præconem Bohemum, ni protinùs deditionem faciant, inſolentiùs cædem atque incendium denunciantem, penè violârunt:* quod ferociſſimæ gentis animos, in perniciem oppidi vehementer accendit. Nec mora, tantâ vi atque irâ oppugnatio cœpta eſt, ut parvo temporis momento, oppidanis licèt fortiter ſeſe tuentibus, Taboritæ ſuperatis ſepibus, in oppidum irrumperent, cæſis ad internecionem, qui diutiùs reſiſtebant, cunctis. Reliqui in templum muro cœmeterij præalto circumdatum ſeſe receperunt, ultimam ibi periclitaturi fortunam; ſed & illo die ſequenti effracto, parem omnes ſubiêre ſortem: & tunc *oppidum direptum atque incenſum.* Ex quo talis viciniæ totí illatus eſt terror, ut paſſim omnes, domibus relictis, ad alteram *Danubij ripam,* ſcapharum beneficio, cum liberis & nobiliore ſupellectili profugerent. Ferunt *Ziſkam ad Stokeraviam adhuc hærentem,* quùm ê vicinis pagis pecora penè omnia ab incolis in proximam Danubij inſulam transportata cognoviſſet, callido commento, quos adhuc invenire poterat vitulos & porcos, ad ripæ marginem adactos, verberibus juſſiſſe affici, quoad mugitu grunnitúque ſublato, reliqui ex inſula ad ipſum transnatarent. Krantzius narrat, *Ziſkam tum per Auſtriam graſſantem perveniſſe in conſpectum Viennæ usque, omnia igne & ferro crudelem in modum deſædantem; incenſa videre erat oppida, everſas urbes, dejectas arces, templa & monaſteria diruta.* Additque: *in ſola Moravia, per unam banc æſtatem, decem urbes muratas ſubverterunt Taboritæ. Miſerabilis res, & quæ lacrymas excuteret etiam alieniſſimo: omnem pietatem, omnem humanitatem protinus abjecerunt. Chriſtianos ſe obliviſcuntur, omnibus infidelibus inbumaniores, imò beſtijs omnibus ferociores.*

Stokeraviam oppidum exſcindit.

Ejus calliditas.

Æn. Sylv. in Hiſt Boh. c. 44. Roo Hiſtor. Auſtr. l. 4. Daubrav. l. 26. Krantz. in VVandalia l. 11. c. 9. habet an. 1427. ſed debet eſſe 1423.

Hæc dum fiunt, *Archidux* quanquàm non parum turbaretur eo hoſtium ſucceſſu, ſuorum verò deplorandâ calamitate & clade, ſummâ tamen uſus celeritate, & delectu militum, *VViennæ* ac alibi, pro ea, quam requirebat neceſſitas præſens, diligentia inſtituto, ſpatio temporis brevi, tantum de milite ſub ſignis habuit, ut confluentibus ad arma etiam Nobilibus, odio ingenti ac vindictæ cupidine concitatis, juſti exercitûs ſpeciem facere, párque viribus hoſti eſſe videretur. Quo tempore etiam *Horenſteinius* validam ex præſidijs collegerat manum: auxilia quoque â *Sigiſmundo Cæſ.* brevì *ex Hungaria* adfore credebantur. Quibus cognitis *Ziſka* non diutiùs *in Auſtria* morari, ſed rebus ſuis adhuc integris, *in Moraviam* redire conſtituit: ideóque milites corpora curare, arma expedire, atq; ſtatim, ac ſignum profectionis per contubernia tacitè acciperent, paratos adeſſe juſſit. Noctu demum, tertiam circiter vigiliam, cùm cœlum plurimarum ſtellarum lumine fulgeret, ideóque itineri commodiùs ducendo patrocinaretur, profectionem ſuſcepit, *tam ſilenti agmine, támque properandi ſtudio, ut die ſequenti veſperi in campis Znogmæ ſubjectis caſtra collocaret, expilando monaſterio Lucenſi intentus.* Quoniam verò

Archidux instaurando novo exercitui operam dat.

in Hungaria quoque auxilia quamprimùm expedienda pctantur.

Ziſka in Moraviam redit:

verò per exploratores didicerat, illud forti præſidio teneri, nec tentare oppugnationem auſus, *Geviſſovicium, quod ſub id tempus præſidiarij Krumlovienſes, juncti cum Evanczicenſibus, aſtu occupaverant*, diſceſſit. Ubi per triduum quiete militibus conceſsâ, cùm nihil hoſtile *ab Auſtria* (impediente fortaſſe, quæ jam obortis fœdis tempeſtatibus, & pluvijs nivibus miſtis, multùm invaleſcere incipiebat, hyeme) moveri ſentiret, *Bzdinam* cum parte exercitûs in Bohemiam ire juſſit; ipſe verò cum reliquis, *captâ rursùm Evanczicij bidui quiete*, ad recuperandum *Kremſirium*, quo à nonnullis civibus perfidiâ denuò laborantibus haud obſcurè vocabatur, animum convertit. Bzdina in Bohemiam abire juſſo.

Bzdina in itinere primò *Gemnicium*, deinde *Slavonicium*, ac tandē *Telzium* tentavit, ſed irrito conatu. *Joannes de Nova Domo, Telczij Dominus*, vim hoſtium, jam etiam muros civitatis conſcendentium, tantâ virtute excepit, ut non ſine clade è muris proturbati receptui dare cogerentur. Repetere quidem impreſſionem, atque iterum mœnia ſubire, ſupremámque certaminis aleam, totis viribus tentare voluerunt: ſed famâ adventantis longè majoris *Roſenſium* exercitûs non parum territi, obſidionem ſolverunt, ac citatis paſſibus iter in Bohemiam arripuerunt. Jam ſuperatis ſylvis, ad pagum qui *ſuperior Dubenky* dicitur, pervenerunt, cùm ſe à *Meynhardo de Nova Domo*, cum omnibus copijs tàm ſuis, quàm auxiliarijs, in vicino campo, parato ad dimicandum animo expectari didicit. Aderat cum *Meynhardo*; *Joannes Comes Guttenſteinius VVrchovviſtij Dominus*; *Henricus Kragirius*; *Zdenkô de Palupin & Peſſek de Beykovvecz*, cum aliquot alijs ejuſdem regionis Nobilibus; ex vicina quoque *Urbecula Poczatecio* ſelectiſſima civium cohors: ità tamen, ut ſupra agreſtium manum, trium millium numerum, vix excederent. Ferunt tum *Bzdinam*, quòd multo majores noſtrorum copias eſſe exiſtimaret, non parvo metu perculſum, vitare prælij diſcrimen conſtituiſſe: ſed ab alijs, pugnandum omnino, & in hoſtem audacter irruendum, uno ore clamantibus, inductum perſvaſúmque, certamini conſenſiſſe. Prælio inito, pugnatum eſt diu magnâ utrinque contentione: jámque hoſtium multitudine prævalente, noſtrorum ordines turbari, peditéſque, ij potiſſimùm qui ex aggreſtibus tumultuariè collecti erant, militiæ rudes, loco moveri, deſertóque prælio ad ſylvas & vicinos colles ſeſe ſubducere cœperunt: dum ab una parte *Guttenſteinius*, ab altera *Meynhardus*, recenti equitum ſubſidio, reliquis peditibus in pugna perſiſtentibus, ſuppetias ferendo opportunè accurrunt. Tum redintegratum eſt prælium, pugnatúmque pro Fidelium paucitate acerrimè, ita ut poſt longam & cruentam concertationem, *Taboritæ* ultimò *victi profligatique*, ſeſe intra curruum ſepimenta recipere compellerentur. In eâ pugnâ ex hoſtibus plures trecentis interfecti ſunt: inter quos *Havel Pinta*, è ductoribus Huſſitarum non poſtremus. Sed neque *Meynhardo* incruenta victoria ſtetit, qui de ſuis *centum viginti ſex occiſos, & totidem penè vulneratos* numeravit. *Locum pugnæ bodieque oſtendit piſcina grandis, ab eventu Krvvavecz, quaſi diceres, locus ſanguinis, dicta.* Noctu poſtmodùm *Bzdina*, datâ ſuis modicâ quiete, *Cerekvicium*, ac inde *Pelbrzimovium*, quod Taboritæ tunc obtinebant,

Taboritæ fruſtra Telczium tentant:

prælio gravi cæduntur.

Cæſorum numerus.

Meynhardi Novod victoria haud incruenta.

Joan. Simmensky civis Poczatec. in præfat. Poſtilla Boh. ad Joachim. de Nova Domo, an. 1556. MS. Trebic. an. 1423. in Beneſ. Abb. MS. Anon. an. eod. ſcribit id accidiſſe, circa feſtum S. Martini.

Taboritæ Meynhardo infenſi; cui tamen Ziſska vetat bellum inferri,

nebant, conceſſit, *Meynhardo* ſupra modum iratus, quòd contra quàm leges pacis nuper initæ ferrent, ſibi tam hoſtiliter, nullâ datâ offenſionis causâ, occurriſſet: in quem proinde iram & vim omnem propediem converſurus erat, niſi *Meynhardus* miſſis ad Ziſskam curſoribus oſtendiſſet, Bzdinam priùs contra pacis fœdera egiſſe, infeſtando & oppugnando hoſtilem in modum ditiones fœderatorum, ex quibus unus eſſet *Joannes de Nova domo dynaſta Telczenſis*, in tractatu pacis clarè expreſſus & nominatus. Se igitur ad arma, ut cognato ſuccurreret, & unà cum illo vim vi repelleret, coactum eſſe: cæterùm conditionibus pacis velle ſtare, modò illæ etiam ab alijs ſerventur, & non pro libitu, aut commodo cujuſque infringantur. Quibus cognitis Ziſska vetuit quidquam hoſtile moveri *in Meynhardum*, neque in ullum è *Roſenſibus, aut alijs fœderatis*, ſed pacem inviolatam cum omnibus ſervari præcepit. Secretò autem dicitur Bzdinam ſeveriſſimè corripuiſſe, quòd inſolentiâ ſuâ, & temeritate præcipiti, quâ jam aliquoties graviter impegiſſet, hìc quoque *Roſenſibus*, quos irritare conſultum non eſſet, novam belli anſam præbuiſſet: & tam illum, quàm *primores Taborienſium* ſeriò moneri curâſſe, ut *cum Roſenſibus*, tanquam cum vicinis præpotentibus, qui maximè nocere quandóque poſſent, conſervarent amicitiam & pacem; tutam ipſorum *Taborij ſtationem, ſalutem & permanſionem* in eo multùm conſiſtere, ut illos habeant potiùs amicos, quàm hoſtes. Ideóque ab offenſionibus abſtinerent, pacem colerent; *nec facilè eos irritarent, minùs læderent, quos perdere non poſſent.*

ſed pacem ſervare jubet.

Extimeſcebat tunc totius ille *Bechinenſis provinciæ ſuperior tractus ampliſſimus*, & populorum plenus, quo ùt plurimum continebantur *ditiones Roſenſium*, ne ex occaſione illius cum Taboritis pugnæ, flamma belli altiùs erumperet, ſi Ziſska idcirco exaſperatus, formidabilibus ſumptis armis bellum inferret, ac denuò cuncta ſanguine, cædibus, luctu, rapinis & incendijs compleret. Verùm *Meynbardi providentiâ*, & ipſiusmet etiam *Ziſcæ moderatione*, quod in homine tam truci & barbaro admiratione dignum eſt, nihil factum: quieta manſerunt omnia. Nec invenio, ut deinceps ullam exercuiſſent inter ſe hoſtilitatem aut bellum, *Roſenſes & Taboritæ:* niſi ultimò, poſtquam *Taboritæ & Orphani* nimiùm inſoleſcentes, declarati fuiſſent *Reipublicæ hoſtes;* profligati tandem, & ad internecionem penè deleti; & potiſſimùm ferè *Roſenſium armis*, id quod illis dudum prænunciâſſe videtur Ziſska, dicere ſolitus: *à Roſenſibus, niſi illos conſervent ſibi perpetuos amicos, imminere eis exitium.* Cæcus ille erat corpore, ſed animo procul aſpiciebat, futuráque longè prævidebat. *Joannes* verò *Novodomæus*, ut proſtaret hujus tam inſignis de Taboritis obtentæ, gratum poſteris monimentum; & *Deo imprimis Liberatori, ac Deiparæ, cujus patrocinio ſe ſuóſque in eo diſcrimine, ardentiſſimè commendârat*, dignas referret gratias, *templum Divæ Virgini ſacrum, Telczij in ſuburbio*, quà parte maximè ingruebat ab hoſte periculum, *condidit*: quod ab antiquo, *ſingulis feſtivitatibus Beatiſſimæ Virginis Mariæ*, per annum, ac potiſſimùm *die feſto Aſſumptionis*, magnâ pietate, nec minori accurſu hominum

Ziſcæ moderatio digna admiratione.

Templum Beatiſſimæ Virg. Telczij victoriæ monumentum.

Digitized by Google

minum non tantùm domeſticorum aut vicinorum, ſed & aliorum multò-rum è longinquo peregrinorum, *ex Moravia & Bohemia* frequentatur. Spectabantur ibi in ara principe ejusdem *Joannis*, filiorúmq; ipſius *Henrici & Joannis*, uti & uxorum effigies; nomináq; legebantur: jam, non dubito, nova eſſe omnia: quàm vellem tamen, ut & vetera iſta, pro memoria, conſervarentur!

Interea *Ziſka in Moravia* adhuc agens, totus in illa cogitatione hæſit, ſi quo modo *Kremſirium* (ut Epiſcopo ægrè faceret) occupare poſſet. Motis igitur *Evanczicio* caſtris, & *Procopio Raſo* unà aſſumpto, cujus loco *Joannem Kromieſſinium Luntenburgo* præeſſe juſſerat, eò rectà, furente & rigente licèt hyeme, contendit. Videbatur primò fortuna conatibus ejus non parum arridere: ſiquidem ex itinere, quà tranſibat, caſtella & oppida non pauca, nec ſpernendæ munitionis aliqua, partim vi, partim deditione occupavit; inter alia *Kvaſicium* à Bohemis præteritâ æſtate fruſtra oppugnatum: in quod ad terrorem alijs igni ac ferro crudeliter ſævijt, *præſidiarijs cum præfecto*, vel, ùt alij habent, *cum loci Domino*, exuſtis. Idem fècit paulo ante *monaſterio Oslovanienſi, Virginis Veſtalibus quas deprehenderat* (hæ erant *Ord. Ciſterc.*) in profluentem demerſis. Brevì tamen dum jam oppugnationem Kremſirij adornaret, & hyemem mutato cælo nonnihil mitiorem experiretur, acceptâ inſigni clade, fortunam inſtabilem, & adverſa proſperis alternantem, eventusque nusquam incertiores eſſe, quàm belli, ſenſit. Nam *Epiſcopus Olomuc.* cum ſuis, etſi numero viribúsque multò diſpar, cognito tamen per exploratores, *Taboritas* plus expilandis vicinis pagis, quàm oppugnationi intentos, remiſſiorem utcúnque agere ſtationum curam, caſtra adoriri conſtituit. *Silenti igitur citatóque greſſu, ut famam motûs ſui præveniret, Olomucio movit;* & factis duobus agminibus, in hoſtium conſpectum, obſcuriore jam ad veſperum cœlo venit: nec diu cunctatus, antequàm ad arma confluxiſſent, primis qui licentiùs obviam procurrerant, oppreſſis fugatíſque, mox eodem celeri impetu excubiarum ſtationem aggreditur; quâ pari virtute disjectâ, ingentem terrorem & confuſionem caſtris totis incuſſit. *Taboritæ*, ùtpotè, qui nihil tale præviderant, improviſo eò tumultu perculſi trepidare, diffugere, alij arma capere, alij ùt virtus & tela, tribuláque ferrea in promptu erant, ubi diſcrimen poſcebat, accurrere, *Ziſka* ipſe magnitudine periculi propè attonitus, *Procopium cum ſelectiſſima, quam ſemper penes ſe tutelæ causâ habebat, & idcirco fraternam vocabat, coborte*, adverſùs irruentes hoſtes egredi juſſit, nomine quemque ex audaciſſimis ad agendum fortiter multo clamore incitans: cúmque nocturnas ingruere tenebras â ſuis (cæcus ipſe) didiciſſet, vico proximo faces ſubdi juſſit. Sed neque *Epiſcopus* inter promptiſſimos rem ſtrenuè agens, quin hoſtes eò inopinato caſu perterritos & confuſos inſtantiùs premeret, quicquam ſibi dubitandum exiſtimavit; cui multum profuit, exortus ab hoſtibus ſuccenſi vici ſplendor, quùm collucentes undique flammæ, noctem nonnihil jam obſcuram longè latéque diffuſo lumine illuſtrâſſent. A *Procopio* tamen quidquid remedij ad vim hoſtium avertendam, propulſandámque in eo tumultu repentino fieri potuit, nihil omiſſum fuit. Clamo-

Ziſka Kremſirium verſùs profectiónem ſumpſit.

Interea Epiſcopus Olomúc. comparato exercitu; tentandúmque aliquid ratus;

Taboritas necopinatò adoritur:

prælium committitur:

Taboritæ nutant:

re ergò ſublato, cùm & litui tympanáque acri tonarent ſonitu, ſigna ſignis collata ſunt: quo in primo certaminis fervore, complures è Taboritis occubuerunt in ferrum ruentes cæcè.

Procopius Raſus vulneratur:

Accidit autem ut cùm *Procopius* nutantem ſuorum aciem reſtituere, *cavendi immemor*, contendiſſet, haud leve in faciem vulnus acciperet; diſſimulandum tamen, *uti erat vir ante alios fortis*, in præſens dolorem duxit, & vultu meliùs galeâ tecto, ne ſanguis è vulnere manans appareret, reſtauratâque ex ſuccedentium manipulis acie, ſummo virium impetu, velut procella quædam, in primum Epiſcopi agmen irruit, ita ut occiſis ex anteſignanis fortiſſimis, facilè cæteros diſijceret. *Elephantis ingenio habent aliqui iram, ad cruoris aſpectum inſaniunt atrociùs.* Jámque omnis

Ziſka receptui in caſtra dandum clamat:

periculi & doloris oblitus, in medios ruens ferebatur hoſtes: dum *Ziſka* cognito â proximis quidnam fieret, & majorem ſuorum cladem veritus, militem pariter & ducem ſigno dato revocavit. Erat *Procopius audax, tentandæq; fortunæ ſupra modum avidus; proinde cruentato ſemel ore, ac erectis*, ùt ajunt, *criſtis, impatiens animi, ac modicùm ſibi imperans.* Quare reprehenſum tunc â *Ziſka* ferunt; & admonitum, *modeſtiùs audaciâ, conſultiùs victoriâ uteretur: excuſabile id in turmali quopiam, & privato milite; in duce, ùt pernicio-*

ex re malè geſta vehementer triſtis.

ſum, ita maximè reprehenſibile, & peſſimi exempli. Contruſo demum milite intra vehiculorum ſepimenta, & ſtationibus benè firmatis, *Ziſkâ* totâ illâ nocte immotus ſtetit, lucem diei ſequentis opperiens, quâ ignominiam hanc

Epiſcopus victoriâ hâc, modicâ licet, contentus, Olomucium cum ſuis revertitur.

aperto prælio diluere, dignéque ulciſci poſſet. *Epiſcopus* verò, cùm adverteret, hoſtes nihil per eam incertitudinem noctis moturos, datâ modicùm ſuis quiete, tantummodò dum reſpirarent; tertiam circiter vigiliam, ſublatis ſignis, *Olomucium conceſſit; ſatis eâ victoriâ contentus, quòd & terrore & clade hoſtem affeciſſet.* Luce demum exortâ, retectis funeribus, cùm inter cæſos *Taboritas* pugnaciſſimi quondam invenirentur, manúque prompti, *Ziſka* ægerrimè ferens ſuorum cladem, totâ illâ die, mœſto ſub ſilento, caſtris ſe continuit: ſed neque per biduum exinde ullus egredi viſus eſt. Auxerat por-

Kromeſſinij Luntenburgi præfecti nova clades, Ziſſcæ mærorem auget.

rò dolorem & indignationem, alia ſub id tempus *Kromeſſinij, cui ſuprà præſidij Luntenburgenſis curam fuiſſe datam docuimus, clades:* qui excurſione factâ per Auſtriam, minùs cautè graſſatus, in tantum ſe, & quos ducebat, conjecit diſcrimen, ut inſidijs *Auſtriacorum* exceptus, ac penè oppreſſus, vix ipſemet cum paucis è communi ſtrage ſeſe explicare potuerit, reliquis omnibus aut cæſis, aut captis.

Ziſka fortunæ præſenti indignatus, in Bohemiam redire conſtituit: *Hagek. an. an. 1423. Theobald. Junior. de bell. Huſſit. part. 1. cap. 55. MS. de Pernſtein.*

Hoc igitur cognito, cùm & nuncij accurrerent frequentes, *Auſtriacos* præſenti victoriâ elatos, *Moraviam* petere, ut junctis cum *Epiſcopo* viribus, ulteriorem proſequerentur belli fortunam, *Ziſka* Moraviâ omnino excedere, séque in Bohemiam recipere decrevit. Verùm quia id non parvo ſibi dedecori & ignominiæ fore arbitrabatur, ſi nullo â ſe præclaro vindictæ facinore adversùs Epiſcopum edito, re ad Kremſirium infectâ, tum turpiter abiret, ſtatuit ex itinere in ditiones Epiſcopi impetum facere, eáſque ad extremam ſolitudinem devaſtare. *Cæca cæci hominis irâ â Domino eluſa, ferociebat in ſubditos; canis ingenium ſequuta, cùm in jacientem non potuit, in lapidem*

ſævijt.

ſævit. Motis igitur caſtris, ductóque *per Proſtegovienſem agrum* lento, quòd nullus inſiſteret ejus veſtigijs, itinere, ac deinde dextrorſum flexo, *Mohelnicium celebre Epiſcopi oppidum* invadit, viribúſque ſuperior, & quia non adeò firmis cingebatur mœnibus, primo impetu occupat, diripit, abactiſque armentis, & civibus immani quâdam truculentiâ majore ex parte trucidatis, ſuccendit. Converſus poſtea in vicinam ditionem *Mirovienſem*, arcem quidem in arduo ſitam, & tum probè munitam, nec tentare auſus fuit; ſed tractum illum totum, pagis & incolarum frequentiâ refertiſſimum, cædibus, rapinis, & incendijs longè latéque devaſtavit: *Svitaviâ* exceptâ, quæ ne vaſtaretur, *Conſul civitatis, neſcio unde Procopio notus, impetravit.* Hoc peracto, quaſi jam ultioni dediſſet ſatis, in *provinciam* ſeu *diſtrictum Hradecenſem* ſe contulit: ubi inſidias ad vicum *Skalicium*, inter *Jaromerzam & Nachodium* ſibi præſtructas, non tantùm eluſit, ſed & authores earundem *Joannem de Opoczna, Putam de Czervenohora, & Arneſtum de Czernczicz* prælio gravi fudit, die 6. Jan. an. 1424. Tentavit deinde *Hoſtinnam*, ſeu Arnoviam *Dominorum de Turgovv* (non Crucigerorum Rhodiorum, ùt volunt aliqui) civitatem, & per dies aliquot acerrimè oppugnavit: repulſam paſſus in vicinum *S. Procopij Cœnobium,* quod *Crucigeri Rhodij* habebant, furorem convertit, illúdque totum penitus evertit. Idem caſtro *Mlazovvice* fecit, in quo *Brzenkonem Czernin Illuſtriſſimæ Familiæ virum* comprehenſum, odio religionis Catholicæ, quam ille propugnabat conſtanter, in fruſta ſecari juſſit. *Turnoviæ monaſterium Ord. Prædic.* funditùs excidit: ſicque in obvia quæque, maximè autem in monaſteria, & Catholicorum Procerum Bona, debacchatus eſt. Inde poſtea arma & furorem vertit in *diſtrictum Litomerzicenſem*, quem ex utráque parte *Albis*, (regionem ſanè pulcherrimam, rerúmque omnium abundantem) more ſuo vaſtabundus percurrit. Ibi in excidio *Libochovitij* oppidi, quod jure dominij pertinebat ad *Nicolaum de Hazmburg fratrem Sbynkonis Archi-Epiſcopi Prag. defuncti*, Ziſcæ & Huſſitis infenſiſſimum, præter alios multos, etiam duo Altariſtæ noſtræ Eccleſiæ, *Paulus Ribka, & VVenceslaus Paſſer*, unà cum *Georgio Tobiaſſek, & Joanne VVlczek ſacerdotibus Litomierzicenſibus: Joannes* item *de Mſſeno, & Hynek de Raczinoves*, viri Nobiles, combuſti perierunt, die feſto S. Georgij.

Mohelnicium Epiſcopi Olom. oppidum ex itinere aggreditur, & exſcindit.

Dawbrav. l. 26 Boregk. in Hiſt. Boh. fol. 479. MS. de Pernſtein.

Hagek ad an. 1424. VVeleslavin. in Calend. Hiſt. ad diem 6. Januarij.

Brzenko Czernin à Ziſka odio Religionis Cathol. ſublatus.

Altariſtæ Eccl. Prag. Martyres.

Circa initium Maji, in *diſtrictum Plſnenſem* movit, ubi ſimiliter in villas & oppida Catholicorum, ac potiſſimùm prædia *Plſnenſium*, rapinis & incendijs graſſabatur licenter: *oppidum Przeſticium*, quòd Sacerdotes & religionem Catholicã recepiſſet expilavit, magnaq; ex parte diruit, trucidatis ex virili ſexu adultioribus quàm plurimis. Ad extremum, quùm vicina Nobilitas, tot atque tantas ipſius inſolentias multâ crudelitate exercitas ferre ampliùs non poſſet, *Hanuſſius de Kraſſovv*, aliàs *de Kolovvrat*, ſpectatæ magnanimitatis heros, & *bellator*, ùt ait Eques de Drahonicz, *eâ tempeſtate inſignis*, cæteris author fuit, ut correptis armis vim vi repellerent, neque ulteriùs regionem amæniſſimam, & dulcem Patriam impunè lacerari permitterent, ſed coadunatis viribus adniterentur, ut ſupplicium ſumere poſſent quantocyùs de imma-

Ziſka denuò per diſtrictum Plſnenſem graſſatur.

Nobiles Catholici ad arma conclamant.

niſſimis latronibus, qui evaſtatâ undequáque provinciâ penè totâ, nec Divorum templis pepercíſſent. Nec mora ipſe cum ſuis, & Friderici fratris copijs, ad conſtitutum locum, nempe *Liticium*, primus venit: cui paulo poſt *Kruſſina de SSvvamberg, VVilbelmus de SSvibovv, Burjan Czalta, Joannes Chanovecz*, & plures alij ſeſe conjunxerunt; cives quoque Plſnenſes CXX. pedites, & XXIV. equites ex ſuis adjecerunt. Et tunc rectà itum contra Ziſkam jam nonnihil *Kaczeroviam* versùs retrocedentem, ſed tamen adhuc longè latéque per viciniam totam more ſuò ſævientem: qui de adventu Catholicorum certior factus, minimè illos expectandos cenſuit, quòd fortaſſe non eſſet ad dimicandum viribus, ac præſertim curribus, in quibus multùm momenti ad victoriam ponere ſolebat, ſatìs inſtructus; ſed in tutiora maturè, priusquàm ab illis circumveniretur, recedendum exiſtimavit, ac confeſtim in diſtrictum Zatecenſem iter arripuit. Quem *Hanuſſius*, auctus inſuper ex caſtro *Karlſtein & Podbrdecz* aliquot præſidiariorum manipulis, viris fortibus & militibus veteranis, inſequutus eſt ad vicum usque *Kozlany*, eo animi propoſito, ut fugientem ſiſteret, & compelleret ad dandam pugnæ copiam. Ulteriùs tamen, quòd vallis quædam denſioribus frutetis obſita, ac deinde mons arduus, quâ *Cziſtam* itur, ſuperanda erant, progredi auſus non fuit, inſidias vaferrimi hoſtis metuens: (& reverà præſtructas fuiſſe in eadem valle, ab utróque latere, certâ poſtea relatione cognitum eſt;) unde ultimò Ziſka ſenſim carpendo iter, *Ziatecium* cum omnibus ſuis incolumis pervenit. *Hanuſſius* verò, & cæteri *Nobiles* Plſnam redierunt, ubi *Solennitatem* Aſcenſionis Domini magnâ devotione celebrârunt: ac non multo poſt intellecto, *Klatovienſes* miſiſſe in auxilium Ziſcæ, contra Pragenſes, viros trecentos; eò arma, ne prorſus inulta ſuſcepiſſent, converterunt: & ut cives, tanquàm perfidos ac rebelles pro merito caſtigarent, ſuburbia, & remotiores quoque ad eos ſpectantes villas, prædia & molendina diripuerunt & exuſſerunt, *Feriâ III. Pentec.* ùt narrat Drahonicius.

Ziſka fugit:

quam Catholici inſequuntur.

Klatovienſium perfidia merito caſtigatur.

Drabon. ad an. 1424.

Interea *Ziſca* reparato *in Ziatecenſi provincia* exercitu, & eorundem *Ziatecenſium* ſimul & *Launenſium, Slanenſium*, &, ùt jam dixi, etiam *Klatovienſium* auxilijs adjutus, omnem iram vindictáque acerbitatem in Pragenſes effundendam decrevit, id non ſemel coram ſuis truci clamore repetendo, ferreóque tribulo terram iteratò feriendo: *ego Pragam ſemel atque iterum, ne in poteſtatem hoſtium veniret, liberavi, nunc tanquàm ingratam, & beneficiorum immemorem deſtituam & deſtruam, illúdque oſtendam Poſteris, me & ſervare illam, & perdere potuiſſe; ac proinde efficiam brevì, ut deſtruatur, & in cumulos abeat, fiatque deſolata, velut altera Babilon.* Jam antea ſemel *Pragenſes* profligavit, anno præcedenti, die 6. Auguſti ad Reginohradecium, gravi prælio, ùt ſupra narravi; ſed non dum ſatìs odij atque vindictæ ſatur, ut illos prorſus deſtrueret, ad hoc animum virésque omnes intendit. Accidit autem, ut dum *Pragam* versùs, irarum plenus cum omnibus ſuis properaret, caſtráque poſuiſſet *ad Koſtelecium propè Albim, à Pragenſibus, & eorum fœderato Czenkone de VVartmberg*, improviſo accurſu ita circumdatus undique

Ziſka Pragenſibus excidium minatur:

Digitized by Google

que fuerit, ut vix evaſurus crederetur abſque inſigni clade: & eveniſſet id certò, niſi inter hæc *Hynko* (vel, ùt habet Kuthen, *Victorinus*) *de* K*unſtat* opportunè adveniens, *vadum Albis* anxio & hæſitanti oſtendiſſet, cujus beneficio ille in tutiora evaſit. Et quia Pragenſes præproperè nimis & incautè, contra quàm ſvaderet ratio militaris diſciplinæ, inſiſtebant abeuntium tergis, aſtutiſſimus *Ziſka*, & in texendis fraudibus alter H*annibal*, prout ipſum nominat *Sylvius*, datâ operâ metum & fugam ſimulando, ulteriùs K*uttnam* versùs, citatis itineribus properabat, donec illos in quandam vallem propè *Maleſſovv*, locum pridem ſibi notum, & pro ſtruendis inſidijs valde accommodum, pertraxit: tum ſubitò obversâ fronte in primum agmen irruit, tanto cum impetu, ut illud ſpatio temporis brevi, totum quantum disjecerit. Quo facto, quaſi bono omine futuræ victoriæ accepto, in reliquos qui promiſcuè ſequebantur, vim omnem convertit, ſummâque adhibitâ celeritate, antequàm ordinarentur, (& ne facilè in ordinem redigi poſſent, iniquitas loci faciebat) pugnam inijt, aciémque ſuam ita extendit, ut â fronte ſimul & utróque latere Pragenſes invaderentur. Pugnatúmque eſt magnis utrinque animis: ad extremum *Ziſka* prætorianum militem, quem circa ſe habebat ſelectiſſimum, irruere juſſit; quorum ferreis tribulis & gladijs, cùm multi ex Pragenſibus occumberent, plures vulneribus debilitarentur, vacillare primùm, deinde loco pelli, & in quendam angulum ejusdem convallis detrudi cœpère: denique inſtantibus pertinaciter *Taboritis*, effuſa fuga ſequuta eſt. Cæſi *mille & quadringenti* (alij *mille octingentos*, Sylvius *tria millia* ponit) inter quos de Nobilitate erant *Petrus Turkovvecz*, qui Pragenſe vexillum ſuſtentabat, H*las â Duba*, *Andreas â Dube Ziſcæ gener*, H*lavvacz â Debnicz*, *Czenko â Myſlin*, & alij quam plurimi: *præterea cives Pragenſes CCCXXVI.* reliqui de plebe.

quos deceptos,

& in inſidias præcipitatos,

magnâ clade profligat.

Cæſorum numerus.

Daubrav. l. 26. Sylv. cap. 44. VVeleslav. ad d. 8. Juny an. 1424. Hagek. an. eod.

Eo rei ſucceſſu ferox *Ziſka*, rurſum in Eccleſiaſticos & Proceres, quos adverſarum partium ſtudioſiores eſſe noverat, iram & furias convertit: quorum ditiones maximis, quæ dici aut excogitari poſſunt, affecit detrimentis. *Kuttna* reliquum, quod ſupererat poſt *Sigismundum*, funditùs evertit, *ita ut per tres menſes â nullo mortalium incoleretur*. Ad initium Septembris, novam rurſus cladem intulit *Pragenſibus*, fugâ ſicut antea doloſâ circumventis: dum enim K*oſtelecij ad Albim* improviſo adventu conſediſſet, famam ubique ſpargi juſſit, quòd in exiguo numero eſſet, ac inſuper plurimi in exercitu infirmi & debiles. Quo audito, *Pragenſes* occaſionem ulciſcendi nuperam cladem minimè intermittendam rati, copias quantum potuère maximas, tum ex ſtipendiarijs, tum ex urbana plebe collegerunt, eásque ad opprimendum illum in tempore, promptis & alacribus animis eduxerunt. Ille tantas vires, uti integras, nequaquam expectandas ſimulans, fugam dedit, *Albímque* trajecit, ubi in loco opportuno ordinatâ acie, *Pragenſes* expectavit ad dimicandum paratus: cúmque intellexiſſet mediam illorum partem jam quoq; trajeciſſe, priusquàm cæteri accederent, conjungerentúrque ultimi primis, maximo cum impetu, ſublatóque ingenti clamore in eos irruit, faciléque incompoſitos, & numero longè inferiores diſſipavit, ac partim occidit, partim in *Albim* præcipitavit.

Ziſka denuò Pragenſes in inſidias inducit,

& graviſſimo prælio cedit.

Pragam acri obſidione premit:

pitavit. Inde conceſsâ ſuis per triduum quiete, recto itinere *Pragam contendit, extrema quæque Urbi minitans*; quam idcirco totis viribus oppugnare decrevit. Nec dubium eſt, quin eam expugnâſſet negotio facili, ſi ſeriò inſtitiſſet: *copias habebat numeroſiſſimas, militem veteranum, & uſu armorum probè exercitatum, ſempérque Victorem:* plurium etiam civitatum, uti *Slanenſium, Launenſium, Zatecenſium & Klatovienſium* auxilia trahebat. Verùm quia cæteri Taboritarum duces, *Sſuvambergius, Robacz, Kersky, tum uterque Procopius*, non ſatis id æquo ferebant animo; muſſitando contrà, ac demùm palam in circulis aſſerendo, tali cum popularibus procedendi modo extimeſcendum eſſe, ne poſt mutuas clades & lanienas ſequatur tandem internecio totius gentis; impleatúrque in Bohemis, *ranæ & muris fabula, qui dum invicem ſe morderent, præda milvi facti ſunt:* evenit, ut intercedentibus utrinque partibus, *Ziſka & Pragenſes* amicè tranſegerunt controverſiam omnem.

Sylv. cap. 45. VVeleslab ad d. 14. Septemb. Bohusl. presb. de Relig. mut. lib. 2. c. 16. Hagek. Kuthen. ad an. 1424.

Tandem cum Pragenſibus paciſcitur.

Archidux iterum Luntenburgum in Moravia obſidet,

His per Bohemiam geſtis *Archidux* tranquillitati Auſtriæ proſpicere cupiens, rurſus ad *Luntenburgum* quòd ex eo loco Bohemi, frequentioribus ac cruentis excurſionibus, vicinos *Marchfeldiæ campos* infeſtos reddere conſveviſſent, obſidendum expugnandúmque, vires & animum adjecit. Ergò primo ſtatim vere, diſpoſitis ad oppugnationem neceſſarijs, exercitum caſtello admovit, erectóque ex corbibus vimineis arenâ repletis tumultuario aggere, in eum duo *muralia tormenta, quæ in eum finem Viennâ advexerat*, quaſſandis & diſiciendis mœnibus idonea impoſuit, ac muros iteratis ictibus concuti juſſit. Quo viſo præſidiarij loci, & novo hoc oppugnationis genere non parum territi, tametſi per octo continuos dies omnia obſidionis incommoda forti animo tolerarent, & ſeſe egregiè tuerentur, cùm tamen ad ultima compulſis nemo ſuccurreret, & mœnia non diu vim incidentium pilarum ſuſtinere poſſe viderentur, ſuccurrere ſibi ipſi coacti, de deditione conferre cœperunt. Transactúmque eſt, ut *omnes quò vellent, cum rebus & ſarcinis ſuis, traditâ arce, abire permitterentur:* qui *Krumlovium*, ac inde in Bohemiam abierunt. Re hoc modo feliciter ſine multo ſanguine confectâ, *Archidux Krumlovium* adoriri conſtituit, *Hynkoni Lippao* vehementer ſuccenſus, quòd inito cum Ziſka fœdere, præſidium ejus admiſiſſet. Qui tamen ita rem agere cupiebat, ut ſe & amicum *Ziſcæ*, nec tamen hoſtem *Archiducis* profiteretur, uſitato in ejusmodi caſibus exemplo. Quapropter, ut de recepto intra munimentum Ziſcæ præſidio, ſeſe apud *Archiducem* excuſaret, hanc potiſſimùm facti rationem allegabat: *quòd inopinato hoſtium adventu penè oppreſſus, vires non habuiſſet ad reſiſtendum, neque ſpatium ab ullo ſubſidium petendi; ni alioquin ſe ſubditóſque ſuos in extremum diſcrimen præcipitare voluiſſet:* petijt igitur, ut ſibi neutri belligerantium parti addicto eſſe liceret. Cui Archidux, miſſo *Nicolao Lobkovicio*, & breviter repetito, quàm intuta eſſet, & fœda illa cum perduellibus, fidei humanæ, & divinæ deſertoribus, ideóque Dijs & hominibus inviſis, inita ſocietas, denunciari juſſit; *ut neutrarum partium ei eſſe liceret, id nequaquam concedi poſſe, ſiquidem hoſtibus id commodius,*

ac meliori fortunâ uſus,

præſidiarios ad deditionem faciendam compulit.

Henrico de Lippa iraſcitur, quod Taboritarum præſidium Krumlovium ſuſceperit:

quem idcirco monet, ut illud ejiceret:

dus, quàm ſibi ac Reipublicæ foret: aut igitur amicum & fidelem, aut hoſtem eſſe oportere. Proinde ſi præſidium ejicere, & ſocietatem armorum, ut aliàs fidelem decet, unà ſequi detrectet, non debere poſtmodùm ægrè ferre, ſi illum pro hoſte habeat, ditiones ejus devaſtet, diripiat, loca ſibi commoda occupet, quæque caperit, alijs poſſidenda attribuat. Nec diu cunctatus *Archidux*, ſed caſtris ſublatis, rectà *Krumlovium* contendit, miſſóque rurſum ad *Hynkonem* eodem *Lobkovitio*, præſidium Taboritarum quantocyùs ejici, & ſuum admitti jubet, oſtentatâ vi, ſi abnuat: ſimul copias & tormenta, alióſque ad invadenda mœnia apparatus diſponi imperat, & ſignum à ſe datum expectari. Et quoniam multos ex vicinis Provincialibus, cùm *Hynkone & Taboritis* ſentire non ignorabat, edixit: *nemini fraudi futurum, quicúnque Taboritarum partes intra triduum deſeruiſſet, poſt illud tempus, capitis fortunarúmque omnium noxam imminere.* Hinc non pauci extitêre, qui è veſtigio Taboritis relictis, ad officium redierunt; illis tantùm propoſitæ perfidiæ pertinacitiùs inſiſtentibus, quorum modica erat domi ſupellex, & qui rapto vivere jam pridem aſſveviſſent. Rebus ita in ancipiti conſtitutis, *Hynko*, acceptâ fide publicâ, *ad Archiducem in caſtra egreditur*: útque res ad pacis compoſitionem eò faciliùs perveniret, *Barones alij Bohemi & Moravi, qui caſtra Archiducis ſequebantur*, interceſſerunt. In eo colloquio *permiſſum Hynkoni, ut ejectis Taboritis, ſuo teneret arcem & oppidum præſidio; fidem tamen Archiduti impoſterum ſervandam jurejurando firmaret.* Cautum præterea, *ut Taboritis in Bohemiam liberè ac tutò, abſq; maleficio abire liceret; ita tamen, ne Evanczicium ſe conferrent; datique ſunt itineris comites, qui eos ad Bohemiæ confinia perduxerunt.*

Vim aliàs minatur:

Krumlovio exercitum admovet.

Hynko tandem obtemperat & Taboritas dimittit.

Ita rebus in præſens cum *Hynkone* compoſitis, *Archidux*, ut totam illam regionem à perduellium ſervitute eximeret, oppugnandum adoritur *Evanczicium*, præſidio uſuiq; congruis omnibus, uti recenſebant delatores certi, abundè munitum, ideóque expugnatu difficilè. Vicerunt tamen omnem defenſionem, tormenta illa muralia: quorum validiſſimi ictus, cùm aliquot diebus mœnia concuſſiſſent, adeò ut ab una parte foſſæ ruinâ murorum complanarentur, obſeſſi rebus ſuis diffiſi, *nec in Ziſca, bello cum Pragenſibus*, prout meminimus ſuprà *diſtracti auxilijs, quicquam ſpei collocari poſſe videntes*, decimo oppugnationis die, *de oppidi deditione* cum Archiduce tranſegerunt. A quo conceſſum; *ut præſidiarij omnes cum equis & ſarcinis, in tutum abire, & quocunq; vellent, ſe conferre poſſent, illæſi; commeatus tamen in loco relinqueretur.* Additum; *ne in oppidanis ulla perfidiæ ſumeretur vindicta, ſed reducti ad obſequium Principis, manerent cum fortunis ſuis intacti.* Auditâ Evanczicij deditione, cætera minoris gentium oppida & caſtella, partim quoque deditione, partim præſidiariorum fugâ & metu, in Archiducis poteſtatem devenêre: inter alia *Geviſſovicium*, *Kaunicium*, *VVlaſſaticium*, *Krhovia*, *VValeczium*.

Archidux Evanczicium oppugnat,

illúdque, & alia loca Taboritis extorquet.

MS. de Pernſtein.
MS. Monaſt. Trebicenſ.
MS. ex Archivo de Lippa.

Dum hæc in *Znogmenſi diſtrictu* geruntur, *Epiſcopus Olomut.* partim novo delectu veteribus copijs addito, partim auxilijs *ab Oppavienſi Principe* miſſis, tria millia militum collegerat; quæ *Olomutij* luſtratâ, contra *Boczkonem*

Boczko junior à Kunſtat ditiones Fidelium in Moravia populatur:

Digitized by Google

nem juniorem â Kunſtat, agrum Lukovienſem fœdè populantem eduxit; junctiſque cum *Gregorio de Sternberg, qui caſtrum Lukovienſe, & Alberto patruele ejus, qui Helfenſteinam tenebat*, tanto animi ardore, juſtâ inſuper *Hulini*, quod ſuæ ditionis erat, oppidi expilati vindictâ urgente, *Boczkonis veſtigijs*, jam cum prædarum cumulis retrocedentis inſtitit, ut *ad Sluſſovicium* deprehenſum ſiſtere fugam, & inire certamen compelleret. Pugnatum utrinque acriter, illis pro ſalute & retinenda præda, his ut illatas ulciſcerentur injurias certantibus; jámque manifeſtè nutabant in fugam *Boczkoniani*, niſi dux ipſe induſtriâ pariter ac conſtantiâ res labantes reſtituiſſet. Inclinato deinde ad veſperum die, & *Boczkone* locorum apprimè gnaro, in tutiora digreſſo, *æquo penè Marte* diſceſſum eſt: præterquàm quòd magis mutilatus *Boczko* cum ſuis *VVizovicium* reverteretur: ubi cùm non videret ſe ſecurum ſatis, quanquam primùm in cœnobio, quod prealto cingebatur muro, vim inſequentium ſuſtinere conſtituiſſet, ſalubriori tamen aliorum conſilio, *Brunoviam* ſummo diluculo conceſſit, uno validiori peditum manipulo pro præſidio cœnobij relicto. Cæterùm *Epiſcopus & Sternbergici*, cùm de diſceſſu Boczkonis cognoviſſent, communicato inter ſe conſilio, ut par pari referrent, emiſſis per circumjectas valles expeditiſſimis quibúſque, pagos *Boczkonis* & villas effuſè populati ſunt, ultimò etiam *VVizovicio* excidium minitantes, ni cœnobium ſeſe poteſtati & arbitrio ipſorum confeſtim dedat. Abbas & qui pro præſidio relicti erant, *inter ſacrum & ſaxum* conſtituti, in varia diſtrahebatur, quidnam ex re faciendum foret, ambigentes: utrúmque enim formidabant; & oppidi ruinam, ſi cœnobij deditionem negaverint, & *Boczkonis, qui pro Fundatore* colebatur, implacabile odium, ſi placito victorum paruerint. Sedit tandem mutatis in ea conſternatione ſæpè ſententijs, petere *Epiſcopum*, ut permitteret ê cœnobio aliquos mitti ad Boczkonem ſuper deditione acturos. Quod quanquàm primo *Epiſcopo* ex re præſenti minimè eſſe videretur, tamen admiſſum fuit. *Boczko* videns ſuos in arcto poſitos, metuénsq;, ne *ſuperveniente Archiduce*, ad extremas prorſus redigantur anguſtias, rebus ſuis in tanto diſcrimine verſantibus tempeſtivè & ſeriò conſulendum duxit; remiſſis ergò ad cœnobium nuncijs, & alijs nomine ſuo *ad Epiſcopum* ire juſſis, bidui inducias poſtulavit, ut interea de conditionibus pacis deliberari utrinque poſſit. Conventúmque: ut *Boczko cœnobium, educto inde præſidio, Epiſcopo cederet, captivos omnes & pecora redderet, nullum deinceps ê Provincialibus laceſſeret, minùs ullis hoſtibus, præſertim verò perduellibus Taboritis, unquam ulla auxilia præberet.* Ita pax tum quidem compoſita, *ſequenti demum menſe Luntenburgi, quo ſe ad Archiducem Boczko contulerat veniam precatus*, confirmata eſt.

Per hunc modum *Boczkone* in meliorem frugem redacto, *Epiſcopus* ſtudio pervigili, modiſque omnibus tranquillitatem fundare Provinciæ, eámque ab hæreſi purgatam reddere conatus, in *Kravaraos, Petrum de Straznicz & VVenceſlaum de Tovvaczovv*, ſigna ocyùs transferri decrevit, approbante id ipſum *Archiduce*. Verùm *Petrus* recentibus ſubactorum exemplis territus, tametſi ab initio aliquantùm hæſitaret, ambiguâ mente, utrum reſiſte-

ret,

Quem Epiſcopus Olom. junctis cum Sternbergenſib. armis, profligat,

fugientémque perſequitur,

VVizovicio oppido Boczkonis, ni deditionem faciant, vim minatur;

illúdque deditione accipit.

Boczko cum Epiſcopo & Archiduce amicè de omni controverſi tranſigit:

MS. de Pernſtein. MS. Monaſt. Trebicenſ. MS. Anonymi Smilbeymenſ. Presbyt. Ord. Ciſterc.

Idem faciunt, Petrus de Straznicz,

Digitized by Google

ret, an veniam peteret, cùm utriúsque rei ſuppeterent media; vicit tamen ad ultimum, cætu ſuorum urgente, & patruo ſuo *Joanne de Gitczin*, viro prudenti & cauto ſvadente, dedendi ſe, maturáque transactione collocandi in tutum, caput & fortunas omnes, conſilium. Acceptâ igitur fide publicâ, ad caſtra Epiſcopi, *Kygovienſes rebelles* tum compeſcentis, ultro cùm ſuis venit, *ferox antea ſæviensque in damna fidelium, Eccleſiaſticorum præſertim, & tum lucrum exiſtimans ſuum, ſi propria retinere permitteretur.* Et quia vultus inceſsúsque ſupplicem indicabat, multæque & *à Sternbergicis*, tanquam cognatis, pro eo afferentur preces, ſuſceptus eſt honorificè, bonóque animo eſſe juſſus. Pacem deinde cum conceſſione præteritorum, eâdem penè, quâ *Boczko*, meruit lege. Quibus ordinatis, translata eſt in *Tovaczovienſem* curam, quem erat admodùm nefas impunè multa nefaria adversùs Epiſcopum perpetrâſſe. Sed is cùm ſe unum peti cerneret, ultimas fortunarum jacturas & ſalutis etiam metuens, oravit quoque veniam: deductúsque ad Epiſcopum, ſermonem ad eum fecit (*uti erat vir facundiæ ſingularis*) ſibi ac præſenti ſuæ fortunæ probè accommodatum; quo facti ſui rationes, in prava & perverſa conſilia eorum, qui perturbatâ Republicâ lætarentur, ſeditioſorum utique hominum transferret; quibus nulla transfugia inhoneſta, nullæ nec â Religione defectiones turpes, nullæ proditiones ſociorum infames ducerentur: eorum itáque ſtudio & libidine ſe transverſum actum. Quamobrem ita ſe facti pœnitentiâ ductum, ſummis precibus contendere, ut quod ad pacem faciendam reconciliandámque concordiam, oportuniſsimum judicaret, *pro ea lenitate & clementia, quâ ſacrati viri humanæ conditionis modum ſupergredi conſveviſſent*, decerneret: ſe quidem quicquid ab ipſo decretum conſtitutúmque fuerit, *quod virum bonum deceat, & pacis ſtudioſum*, facilè comprobaturum. Firmatâ deinde pace, ac tabulis pro more confectis & publicatis, *Epiſcopus* ſingulari humanitate *VVenceslaum* ad jungendas dextras invitavit, convivióque excepit. Ita feroculi illi, & tumentes paulo ante immaniter rapiníſque diteſcere aſſveti aliorum, legitimæ poteſtati ſubdidêre colla jam penè domita, ac velut præteritorum pœnitentiâ ducti, obſecundabant ingravatè: quorum exemplo & aliorum, qui minoris notæ erant, ac non niſi ſequelæ iſtorum, ſubſedit ferociendi ardor. Brevi tamen eventus docuit, pleróſque eorum tempori ſolùm ac neceſſitati, non ſynceræ publici boni curæ ſervijſſe: ſiquidem non multò poſt, *reviviſcente Huſſitarum per Moraviam potentiâ, ipſi quoque ad genium redierunt; atque iteratâ perfidiâ Deo, Eccleſiæ Principiq; rebelles, crimine perduellionis & hæreſeos ſeſe denuò contaminârunt.*

& VVenceslaus de Tovvaczovv, Huſſitarum Fautores non poſtremi;

qui tamen brevi ad vomitum redierunt.

Quibus hoc modo tunc peractis, cùm nihil ſupereſſet hoſtile in Provincia, exceptis *caſtris Kunſtatâ & Pernſteinâ*, quæ *Huſſitarum factio* præſidio tenebat forti, ad quorum tamen impetus reprimendos, præſidia vicinarum arcium *Czerno Hora, Letovicij, Lomnicij, Lukæ, Tolenſteinij* ſeu *Dalecziniј*, quæ in fidelium poteſtate erant, ſufficere exiſtimabantur, diſperſo per ſtationes milite, *Epiſcopus Poſonium, ad Sigismundum* â quo inſtantibus nuncijs vocabatur, diſceſſit. Redierat non ita pridem *Sigismundus ex Polonia*, ubi coronationi *Sophiæ Reginæ VVladiſlai conjugis, Kracoviæ* ſolenni ritu celebratæ aderat

Digitized by Google

Epiſcopus Olom. in Hungariam ad Sigism. proficiſcitur. hæc Andreæ Ruſſiæ Ducis filia, non, ut putant aliqui, VVenceslai Bohemiæ Regis vidua fuit. *Cromer. lib. 19. Miechovienſ. l. 4. c. 46. Calend. Hiſtor. VVeleslav. ad diem 26. Febr.*

rat præſens, cum *Erico Danorum Rege*, *Branda Cardinali Legato Pontificio*, *Juliano Cæſarino Auditore Cameræ Apoſtolicæ*, *Ludovico Bavaro*, *Bernardo Oppolienſi*, *Boleslao Teſinenſi*, *Joanne Ratiborienſi*, *VVenceslao Oppavienſi*, *aliisque Sileſiæ & Maſoviæ Ducibus*, *ipſo etiam Sigismundo Korybuto ex Bohemia paulò ante revocato.* Actum ibi eſt, inter alia, *ne amplius Korybutus in Bohemiam rediret, néve Rex VVladislaus Bohemis aſſiſtentiam ullam conferret, quin præter voluntarios, qui crucis militiam à Pontifice contra Bohemos promulgatam amplecterentur, quinque millia equitum in id bellum mittere teneretur.* Verùm *Korybutus* ſoluto conventu, ad Bohemos, Rege inſcio, cum aliquanta facinoroſorum & obæratorum hominum manu, quæ ad eum confluxerat, reverſus eſt: *quod Imperatori occaſionem præbuit, ſiniſtrè de VVladislao ſuſpicandi.* Auxit porrò ſuſpicionem, quòd miſſa equitum auxilia, duce *Petro Mezuvecio*, cùm jam *in Moraviam ad Olomucium veniſſent*, domum ex improviſo revocarentur.

Cromer. ibid.

Redux itaque in Hungariam *Sigismundus*, cùm quotidianis perciperet relationibus, *Albertum generum* proſperâ fortunâ uti adversùs perduelles in *Moravia*, pariter & *Epiſcopum*; jámque Provinciales majori ex parte ad officium reductos: in id tandem deliberatione multiplici incubuit totus, ſi quo modo etiam *Bohemiam*, ſublatis ſeditionibus, in priſtinam tranquillitatem reſtituere, ſéque in Regni ſolio tutò collocare poſſet. Cúmque videret *Ziſſca* cuncta proſperè, & ex animi ſententia cedere, jámque *illum eſſe unum, à quo res Bohemiæ penderent*, neceſſitate in conſilium verſa, eò usque deſcendit, ut quocúnque tandem modo eum ſibi conciliaret, & quem armis vincere non poterat, aſtu ad ſe pelliceret. Quare per idoneos homines, ultro citróque commeantes, cum illo, ea de re tractari juſſit: *Regni gubernationem, magnósque honores cum peramplo ſtipendio ei promittens, ſi partium ſuarum eſſe, & tam civitates, quàm cæteros Ordines hactenus contumaces, ad obſequium regium redigere velit.* Huc res *Sigismundi* redacta fuerat, ut *Cæſar Auguſtus*, quem non modò *Italia*, *Germania*, *Gallia*, ſed tota *Europa* venerabatur; homini cæco, prophano, ſacrilego hæreſiarchǽque, & maximorum ſcelerum auctori, ſi *Bohemiæ Regno* potiri velit, ſupplicare cogeretur.

Sigismundus, cùm non poſſet ullà vi, aſtu & promiſſis Ziſskam in ſuas partes pertrahere conſtituit.

Sed in medio transactionis hujus curſu, *Ziſca dum junctis cum Pragenſibus & Korybuto armis, in Moraviam proficiſcitur*, peſtilentiam fortaſſe, quæ tum per Bohemiam latè graſſabatur, declinans; vel animo recuperandi ea, quæ durantibus domî diſcordijs amiſerat; vel quòd *cum Sigismundo* propiùs agens, convenire de omnibus ex integro voluiſſet; in itinere ad *Przibislaviam*, (caſtrum in *confinijs Bohemiæ & Moraviæ*, ad oppidum cognomine ſitum, quod expugnandum ſuſceperat) peſtilenti vulnere tactus, extinguitur; mortis genere nimìs placido: utpote *cujus immania ſcelera, parricidia & ſacrilegia, atrociora promeruerunt.* Teſtamentum ejus ante mortem tale fuiſſe perhibent, ut *fratres* (ſic *Taboritas* compellabat) *ſibi mortuo detraherent pellem, illámque tympano obducerent: fore enim, ut ſonante ſuo corio in prælijs, hoſtes effusè fugiant:* quaſi vivens totus ex terrore conflatus, ideóque cunctis ſat formidatus ad eam diem, jam in hujusmodi perſonans bellicum inſtrumentum converſus videri deberet, quo vel mortuus perpetuò *hoſtes Calicis*, pro quo ille bel-

Interea Ziſſka peſte extinguitur, an. 1424. die 11. Octobr. *Daubrav. l. 26. ad fin. Hagek. Kutben. Boregk. an. 1424. Reo lib. 4. Urſpergenſ. MS. Pernſt. MS. Trebic. MS. Smilheim. Cochlæus lib. 5. VVeleslav. in Calend. ad diem 11. Octob.* Ejus teſtamentum,

belhim geſſiſſet, territaret. Congruunt hic Æneæ Sylvij verba, quæ ſunt: *Sigiſmundus autem ubi Ziſca cuncta ex ſententia cedere animadvertit, & jam illum eſſe unum, ex quo res Bohemiæ penderent, clam ſibi eum conciliare tentavit, gubernationem ſibi totius regni, militiæ quoque ducatum, & ingens auri pondus quotannis promittens, ſi ſe regem nominaret, & in verba ſua civitates jurare cogeret. In magnam profectò regiæ Majeſtatis ignominiam, & Imperialis gloriæ dedecus, atque infamiam Reipublicæ Chriſtianæ ſempiternam. Sigiſmundum pluribus regnis præfectum, ex Imperatoribus natum, & ipſum Imperatorem, cujus nomen Italia, Gallia, Germania, & omnis Europa venerata eſt, quem barbaræ nationes timuerunt, ſupplicem vidit noſtra ætas homini ex parentibus haud admodùm nobilibus nato, ſeni, cæco, hæretico, ſacrilego, & in omne ſcelus audaci, pecuniam & ſummos honores offerre, ut ſuarum partium eſſe dignaretur. Sed avertit divina pietas eam peſtem, & tantum malum è medio Chriſtianorum eripuit. Nam Ziſca conditionibus annuens, dum conventa completurus, Sigismundum petit, inter eundem apud caſtellum Moraviæ Przibislaviam, divinitùs, ut par eſt credere, peſte tactus, exſpiravit: monſtrum deteſtabile, crudele, horrendum, importunum: quod poſtquàm manus humana conficere non valuit, digitus Dei extinxit. Ferunt illum, quùm ægrotaret interrogatum, quonam loco mortuus ſepeliri vellet: juſſiſſe cadaveri ſuo pellem adimi, carnes volucribus ac feris objectari, ex pelle tympanum fieri, eòque duce bella geri: arrepturos fugam hoſtes, quàm primùm ejus tympani ſonitum audiverint.* At illi ducentes ſibi religioni, tentare quidquam tale in cadaver ducis, poſt multa lamenta & luctus, loculo impoſitum in Bohemiam ſepeliendum transportârunt: caſtro tamen priùs ſummâ vi expugnato; in quo præſidiarios omnes, immani quâdam feritate partim igni, partim ferro necârunt, truci vociferatione, & inconditis ſubinde vocibus acclamantes, *hunc in modum defuncti ducis manibus parentandum eſſe.* Sepultûram in Bohemiâ habuit primò *Reginæ Hradecij*: inde verò (incertum, quibus de cauſis) translatus eſt *Czaslaviam*, ibique primario in templo tumulatus; *cujus clava* (inquit Stransky) *propè ejus epitaphium columnæ inſcriptum ſuſpenſa, usque ad nuperam, quam ab Imp. Ferd. II. accepimus cladem, inviolata ſervabatur. Eam à victoria Pragenſi in Moraviam tendens protervus Bucquoïjanus miles abſtulit, & epitaphium abolevit anno 1620.*

Æn. Syl. in Hiſt. Boh c. 46. teſte Ænea Sylvio, (quod tamen negant alii.)

ſatis abominabile.

Sepultura honeſtior, primò Hradecij Reginæ, deinde Czaslaviæ.

Si quis porrò res geſtas ipſius conſideret, *laudatiſſimis ſanè bellorum ducibus*, ùt inquit Cochlæus, *eum non ſolùm æquiparare, ſed etiam pluribus anteferre poteſt*: quotieſcúnque enim pugnavit, ſemper & ubique victor extitit, etiam quando totaliter cæcus fuit. Unde cum admiratione de illo ait Baptiſta Fulgoſus: *qui ammiſſi in eo prorſus luminis incommoda, atque alia ex parte rerum quas cæcus geſſit, magnitudinem penſitare voluerit; tantum Hannibali Sertorióque, altero tantùm oculo captis, eum præpoſiturus eſt, quantùm ipſi propter lumen ei, qui prorſus cæcus erat, præponendi viderentur. Hâc enim gloriâ (quæ ingens ac rara eſt) deceſſit; quòd dum vixit, maximis præliis victor, nunquam ab hoſte ſuperatus fuit.* Hæc Fulgoſus Italus, ſcriptor eximius: & plures alij, qui eum magnis quondam Imperatoribus, à rebus fortiter geſtis æqui-

Cochl. in Hiſt. Huſſit. l. 5.

Ziſcæ encomia.

Fulgoſ. l. 3. de fortit.

à rei militaris peritiâ.

parant, (nunquam tamen cauſam probant)& omnino Hannibali, fraude, arte & Marte ſimilem nominant; ducem deniq; militiæ talem, qui ætate ſuâ parem non habuerit. Atq; utinam meliore causâ, quàm fortunâ militâſſet! nunc acta ipſius, pugnæ, trophæa & victoriæ, cum execratione leguntur. Docuit ſuos novum pugnandi, & exercitum ducendi modum; quo obſervato, tot victorias, & vivo illo, & mortuo obtinuerunt. Curruum aliquot millia ſecum vehebat, quibus non ſolùm dum proficiſceretur, aut noctu quieſceret, ſed & tempore prælij ſuos circumdans, ſcitè & quaſi pro munimine utebatur, ita ut ex curribus milites ejus depugnarent; ibiq; tantùm apertum hiatum faceret, quâ frontem hoſti exporrigebat: ubi ſi ſuos premi intelligeret, mox curruũ concurſu hoſtẽ arcebat, donec acie redintegratâ, iterum currus ex illo latere diduceret, ex quo opportuniùs judicabat. Quia autem Taboritas ſuos ſtatim initio viderat majori ex parte ex agricolis collectos, ne multùm in ijs ad pugnas erudiendis laboraret, eorum ſe genio accommodans, triturabula & clavas, aliáq; ejusmodi, qualibus ruſtici aſſveverunt, vel tanto faciliùs aſſveſcere poſſent, arma eis dedit: ordinésque ſolebat inſtruere, juxta figuram aliquam ruſticis notam, aratri, raſtri, ligonis & ſimilium; ut ſic omnia perceperint, & audito tali vocabulo, ê veſtigio ſciverint, qualiter ſe deberent in acie collocare. Sed ùt dixi, omnem hanc rei militaris peritiam, omnémq; gloriam victoriarum, obſcuravit ac defœdavit, immani in Sacerdotes odio ac truculentiâ, in quos per omnia tormentorum genera graſſabatur; (ſolus námq; ultra quingentos diverſorum SS. Ordinum viros tam Eccleſiaſticos, quàm Regulares, ſuâ *præhorridâ clavâ*, eliſo ê capite cerebro, trucidâſſe dicitur:) & quia non bellum, ſed latrocinium geſſit: *ſeditioſus & rebellis contra legitimum Regem, & naturalem Dominum ſuum; prædo in Nobiles, latro in cives, ſacrilegus in templa; Patriæ vaſtator, Regni deſtructor, Eccleſiæ perſequutor; cunctis Neronibus, Diocletianis, Maximinis crudelior; omni Buſiride, Procruſte, Phalaride, Cyclope ac Laſtrigone immanior*; de quo poſſet meritò intelligi illud: *Dÿ talem avertite peſtem.* Deniq; poſt tot mala, ultimò hoc bonum egit, quòd animam egerit, quam ſi ſervâſſet diutiùs, perdidiſſet Bohemiã. Illud tamen in eo laudabile; quòd anno 1421. Adamitas impuriſſimos, in diſtrictu Bechinenſi, totaliter extinxerit; quamvìs ſceleratus ipſe, ſcelera tamen illorum tolerare non potuit. *Habet enim hoc natura hominum*, ait Sylvius, *ut aliena magis quàm ſua quisq; vitia perhorreſcat.* Pickardos etiam non paucos, igne cremavit; erat quippe rituum Eccleſiæ, adhuc utcúnq; tenax obſervator, qui, ùt narrat Bilejovius, *Sacerdotes ſuos veteri more indutos ſacrificare, coronâ attonſum caput geſtare, Miſſam ex perſcripto Sacrorum librorum devotè in caſtris ante ſe legere jubebat*; licèt Taboritæ multi, magis jam in religione corrupti, & per quendam *Martinum Loquis* ſacerdotem Moravum acerrimum Pickarditam, ſeducti, ea reprobarent: qui idcirco Sacerdotes tali modo, & in veſtibus ſacris celebrantes, per contemptum **Plachetnicy** / id eſt, *lintearios* appellabant. *Loquis* deinde captus, & juſſu Ziſſcæ, piceo in vaſe combuſtus, malè ſeminatæ doctrinæ pœnas dedit. Sed illud præprimìs mirum: ad tumulum Ziſſcæ, Czaslaviæ, altare erectum fuiſſe, & dotatum pro uno Sacerdote, qui pro anima ejus Miſſas legeret: illúdque beneficium ſibi olim à Decano civit. collatum habuiſſe, narrat idem **Bilegowſký** *Sacerdos Compactatiſta*, ſeu *ſub utraq; Communicantium*, oſor & hoſtis capitalis, ùt patet ex ejus ſcriptis, Pickardorum. Ad ulteriora procedamus.

præſertim in ordinanda tempore prælij acie.

Æn. Sylv. in Hiſt. Bob. c. 47. Id. in Comment. in dicta Alphonſi lib. 4. n. 44. Cochl. ſupra cit. Joan. Tanner Soc. J. in Hiſt. Sternb. part. 1. c. 9. n. 406.

Deteſtanda ipſius in Sacerdotes crudelitas!

Virgil. lib. 3. Æneid. Cochl. cit. in Hiſt. Boh. cap. 41. Hagek. ad an. 1421.

Bilejov. de mutat. Relig. in Boh. l. 8.

In ſacris adhuc talis qualis pietas.

MAR-

Digitized by Google

MARTIS MORAVICI

Liber V.

MAla, quæ per mortem Ziſcæ brevì deſitura ſperabantur, magis invaleſcunt, & pro uno ſeditioſorum duce, tres alij, & plures, æquè ſcelerati & ſanguinarij, & quod magis Apoſtatæ, fidei humanæ juxta ac divinæ deſertores, conſtituuntur: quorum per Bohemiam, Moraviam, Auſtriam & Hungariam; Sileſiam item, Luſatiam, Miſniam, Saxoniam, VVoitlandiam, Noricum, Franconiam & Bavariam, admirandi progreſſus.

CAPUT I.

Tres diverſi exercitus ſeditioſorum: Taboritarum, Orphanorum & Orebitarum; quartus ſpecialis Korybuti & Pragenſium. Omnium porrò in templa, monaſteria & bona Catholicorum, ſicut & in Sacerdotes, monachos & Catholicos, immanis rabies.

MOrtuo Ziſkâ, *Taboritæ* ſuper creando novo duce, diu multúmque conſultabant: ultimò ſententijs variantibus, in duos diviſi exercitus, alij vetus nomen retinuerunt; alij *Orphani*, quòd Ziſkam hactenus non tantùm ducis, ſed optimi parentis loco habuiſſent, dici maluerunt; novis ductoribus ſibi utrinque propoſitis. Quorum inſigniores erant: *Procopius Raſus*, quem aliàs vocabant *Magnum*, *Bobuslaus Baro Svambergius: Joannes Robacz Baro de Duba, Joan. Bzdina, Andreas Kersky, & Joannes Kromieſſinius*, è Taboritis. Ex Orphanis: pri- **Poſt mortem Ziſcæ Taboritæ dividuntur in partes.**

mò

mò *VVelyk de Brzeznicz*, deinde *Procopius Minor*, *Kuneſs*, *Joan. Kralovvecz*, & *Czapko*. Tertia ſecta erat *Orebitarum*, quorum ductor priùs *Hynko Kruſsina de Kumburg aliàs etiam de Liebtmburg*, deinde *Bedrzich Apoſtata Moravus*, cujus utriúsque, & etiam ſectæ, jam ſupra meminimus. Hi ut ſuos in *Germanos* concitarent acriùs, *Bohemiam* nominabant *Terram promiſsionis*: circumjacentes verò Germaniæ populos vocabant alios *Philiſthaos*, alios *Idumaos*, *Moabitas*, aut *Amalechitas*, quibus omnia mala inferenda eſſent. Et quanquàm aliquoties, ùt audiemus poſtea, inter illos exorta fuerit diſſenſio gravis, adeò ut jamjam in pugnam deſitura crederetur: nunquam tamen res ad ſanguinem venit, brevì ſemper poſt jurgium reconciliatione ſequutâ; & dum vis externa ingruebat, tum vel maximè amicitiam & ſocietatem armorum renovabant, junctísque viribus & animis, ſimul intrepidè contra hoſtem ibant, atque ita ſeſe invicem gnaviter tuebantur.

Æn. Sylv. in Hiſt. Bob. c. 47. Bonfin. dec. 3. lib. 3. Cochl. in Huſſit. l. 6.

Expugnato caſtro *Przibislavienſi*, atque altero etiam, non procul inde, *Ronovienſi*, ſciſſionéque partium ejusmodi factâ, *Orphani in Provinciam Hradecenſem, ad Orebitas* conceſſerunt. *Pragenſes cum Korybuto, & Borzeko*, qui paulò antè cum aliquot cohortibus ijs acceſſerat, *in Moraviam*; *Taboritæ in Auſtriam*. *Pragenſes* non diu in Moravia cunctandum rati, fortunâ licèt propitiâ uſi, cùm ſpatio temporis brevi, tum *Evanczicium*, tum alia multa in eo tractu caſtella recuperâſſent, partim deditione, partim vi, in Bohemiam maturè cum præda reverſi ſunt. *Taboritæ* verò dum *expilatâ ad Kremſium usque Auſtria*, ingenti quoque onuſti prædâ, in Bohemiam redirent, ac non dum ſatiati Provincialium ærumnis, *oppidum Svetlam* oppugnandum ſuſciperent, ſpatium dederunt *Archiduci* colligendi vires: qui ſingulari adhibitâ celeritate, cùm exercitum in conſpectum oppidi adduxiſſet, hoſtem non modò ab oppugnatione deſiſtere, ſed infeſtando illum ex omni parte, caſtris egredi, & in certamen prodire coëgit. Pugnatum ferunt *per continuas quatuor horas*, nutante jam huc jam illuc victoriâ, ac cecidiſſe ex utrâque parte promptiſſimos quosque: nocte tandem prælium dirimente, ita diſceſſum eſt, ut *Taboritæ* ammiſſione aliquot curruum in rabiem acti, & deſperatione extremâ aut vincere, aut mori parati, primò ſtatim diluculo Archiducem novo prælio aggrederentur: quem fuſum ac profligatum repentino ſuo impetu, caſtris totis exuerunt. Obſidionem tamen oppidi non continuârunt; ſive quòd ob frequentiores pluvias, profundo in caſtris oborto cœno, diutiùs ſub dio manere, & cum aëris cælique injurijs, magis quàm cum hominibus luctari nollent: ſive quòd *Archiducem* vires reparantem minimè expectandum cenſerent; in Bohemiam potiùs conceſſerunt.

Pragenſes cum Korybuto in Moravia graſſati,

Evanczicium recuperant.

Taboritæ Auſtriam populantur:

Svetlam obſident:

cum Archiduce congrediuntur:

quem ſecundo conflictu profligant,

Æn. Sylv. c. 47. Neo lib. 4. MS. de Pernſtein. MS Trebicenſ.

in Bohemiam revertuntur.

Recruduit paulò poſt *Pragenſes inter*, & *Taboritas ac Orphanos diſsidium grave*; ob id potiſſimùm, quòd dum *Pragenſes* expeditionem in Moraviam proſequerentur, *Hynko de Podiebrad, Victorini germanus frater*, *Chlumecium caſtrum, quod ad Borzekum pertinebat, vi adortus occupâſſet*. Hinc ad arma ventum, *Pragenſibus pro Borzeko*, *Taboritis & Orphanis pro Hynkone* ſtantibus. Ita plerúmque fit, *ut poſt ſcelus diſſentiant*, *qui in ſcelus conveniunt*:

Diſſidium Pragenſes inter & Taboritas ac Orphanos.

Bohuslav. Presbyt. in in Chron. Bohem. l. 2. c. 18.

niunt : hanc communia delicta pœnam trahunt ; mutua conſpirantium odia.
Primò omnium *Orphani*, annò 1425. *Litomyſlium* ; quod ; ut ſupra meminimus, *Pragenſes* deditione acceptum, an: 1421. die 2. Maji, *Borzeko â Dobalicz* fruendum poſſidendúmque dederant ; obſidione premendum, eidémque Borzeko extorquendum ſuſceperunt : in id ſuapte ferociâ incitati, quòd iſthic adverſarum partium multos, ac pleróſque adhuc in Romanæ Eccleſiæ obedientia perſiſtentes, quos cane pejùs & angue odiſſent, commorari haud ignorarent.

Orphani Litomyſlium obſident:

Quapropter XVI. Calend. Martij ad *Litomyſlium* congregati, extemplò die ſequenti oppugnationem urbis aggreſſi ſunt. Erat tunc in urbe ipſemet *Borzek* cum forti militum manu, & civibus quoque ad arma convocatis, per ſex continuos dies vim hoſtium ſuſtinuit, adeò ut conatus eorum prorſus contemnere, nec ullum timoris ſignum oſtendere videretur : poſtea tamen cùm ex affluentibus indies novis copijs, hoſtilem exercitum in immenſum creſcere animadverteret, jámque obſidio arctior redderetur, imminentis periculi quaſi præſcius, neque jam ſalutem ſuam, urbi tantâ *immaniſſimorum hoſtium, qui omnia vincere conſueviſſent*, multitudine circumdatæ, committendam arbitratus, diverſa de urbe dedenda cum hoſtibus conſilia, quibus vitæ & ſaluti, tam ſuæ, quàm civium maturè proſpiceret, volutare, eáque cum *Getricho fratre*, & alijs militiæ præfectis, ac primoribus civitatis, diſcrimine quod immineret amplificato, communicare cœpit. Nec multò poſt, perductis in ſuam ſententiam fratre & alijs, petitóque colloquio, unum ê præfectis, & alterum ê civibus, ad *VVelykonem, & Procopium Minorem, primarios Orphanorum duces*, ſub fide publica in caſtra emiſit, per quos ſe â deditione urbis, ſi modò honeſtis conditionibus paciſci poſſet, non abhorrere referri juſſit. Caſtrum verò non eſſe in ſua poteſtate, ſed præeſſe illi *Epiſcopalis Collegij primores*, cum valida ſtipendiariorum cohorte, non ita pridem ab *Epiſcopo Olomuc.* miſſa ; quibus unâ eáque obfirmata ſit animi ſententia, ad extremum usque ſpiritum illud defendendi. *VVelyk & Procopius collaudato Borzeki & civium prudenti conſilio*, quòd maturatâ deditione ſeſe propinquo excidio eriperent, ſe omnino eorum ſaluti, nevè ullus quidpiam detrimenti patiatur, cautione fidâ proviſuros, jurejurando ſpopondêre : cætera in negotio caſtri expugnandi, aut pari ratione ad deditionem cogendi, ſibi eò diligentiori curæ fore. Nec mora, *confecto deditionis libello, (frem̃ente licèt hoſtili plebe, quæ avida prædarum, vi expugnandam urbem maluiſſet) Borzek VVelykoni urbem tradit*, & cum rebus ſuis *Kolinium*, quod ſuo quoque præſidio tenebat discesſit.

acerrimè oppugnant ;

obſeſſi videntes ſe nondiu poſſe ſuſtinere vim hoſtium,

pactâ cum ipſis incolumitate,

oppidum dedidêre.

Hagek Kuthen. Boregk. ad an. 1425. Daubrav. l. 27. VVeleslavin in Calend. Hiſtor. ad diem 14. Februar.

Occupatâ urbe, *VVelyk* ad caſtrum oppugnandum animum viréſque convertit : erat illud in eminentiori loco, ubi nunc ſpectatur arx, opere magnifico â *VVratislao de Pernſtein Supremo Regni Bohemiæ Cancellario*, ante centum præter propter annos exſtructa, ſupra urbem ſitum, *Templo Cathedrali, ædibusque Epiſcopi & Canonicorum nobile*, & pro eo tempore probè ſatis munitum, muro præalto & turribus ; & â parte Orientali, quâ planicies erat, pro-

quo occupato, Orphani caſtrum quoque arctâ obſidione premunt :

profundiore foſsâ & vallo circumdatum, adeò, ut non niſi ſummis viribus, multóque labore ſuperari poſſe cenſeretur. In hujus *oppugnatione, cùm per duas hebdomadas fruſtra deſudâſſent Orphani*, & ex promptiſſimis complures, dum præpropero auſu provolare in muros contenderent, miſſilibus telis obruti interijſſent, extremo tandem oppugnandi ardore concito, decernere ſtatuerunt. Opportunè autem acceſsêre illis duæ validæ cohortes, *Orebitarum* una, & *Hradecenſium* altera, in auxilium. Omni itáque apparatu perfecto, *VVelyk* per præconem aggreſſionis tempus in ſequentem diem, qui erat *VII. Idus Martij, SS. Cyrillo & Metudio Apoſtolis Moraviæ ſacer*, ſummo manè, cùm per lituos & tympana ſignum daretur, pronunciat; ſimulque proponit, *omnia militum direptioni*, quò alacriores ad fortiter agendum ſpe prædarum accenderet, *ſe conceſſurum, ſi ipſi viri fuerint, ac primo congreſſu, ſuperatis foſſis & mœnibus caſtrum expugnaverint*: móxque convocatis ducibus, ordinem aggreſſionis inſtituit. Manè vix cœlo inalbeſcente, hoſtes prædarum cupidine inflammati, & dari ſignum quantocyùs poſcentes, caſtrum duabus ê partibus adoriuntur, tantâ animorum ferociá, tantóque ſublato clamore, ut *Furias infernales Tartaro emiſſas* crediḍiſſes. Sed nec minori ardore ac pertinaciâ reſtitêre propugnatores: qui etſi primùm incerti & ancipites, quibus occurri deberet, num inſtantibus ab urbe, an retrò multitudini tranſcenſu ſcalarum jam penè propugnacula ipſa prênſanti; diverſâ tamen operâ ſtrenuè, ac ſummâ vi & fortitudine utrobique pugnabant, ſaxáque & tela supernè jacientes, hoſtem audaciſſimè irruentem, non ſine clade procul ſubmovebant, *parati glorioſos potiùs ſubire vitæ exitus, caſtrúmque hoſtibus multo ſanguine ereptum relinquere, quàm in eorum crudeles manus venire, ac deinceps non niſi vincula, carceres, tormenta, ignem & dira omnia experiri.* Et jàm plerique oppugnantium, qui â tergo valla ſuperare tranſcenſu conabantur, poſito primo illo invadendi ardore, pedem retrahebant, quùm *VVelyk* accurrit ocyùs, & nominatim modò hunc, modò illum compellans ad prælium inſtaurandum hortatur; inſtat voce & ululatu, manu nutúque conatus ſuorum quaſi adjuvans, minitatus etiam cedentibus. Ita reſumptis animis prælium redintegratur, pars pluteis & trabibus aggeres foſsáſque tranſcendere, eáſque farmentis & varijs rebus implere, ut aditus & iter in interiora munimenti faciliùs pateret. Similiter ex ijs, qui â civitate petebant caſtrum, alij alijs ſuperſtantes in murum conſcendere, pars ſcalas applicare, pars murum ſuffodere, omnes denique barbarâ quâdam feritate perciti, contempto omni captis periculo, viam ſibi in munimentum parare, defenſoribus contrà fortiter vim omnem propulſantibus; quorum haſtis & contis aggreſſores impulſi præcipites in terram agebantur, ubi *non unus corpore, duram ex vulnere planxit humum.* Tandem cùm in occumbentium locum novi continuò ac recentes ſubmitterentur oppugnatores, neque vel paululum intermitteretur certamen, obſeſſi numero impares viribúſque fracti, ac hoſtium impetum non ampliùs ſuſtinentes, detruduntur, & quò quiſque poterat, terga vertunt; ſic ut aliqui præcipiti fugâ ſe in *Templum*, inque ædes reciperent, alij verò conſcenſis equis per aver-

ac omnibus tandem viribus oppugnandum ſuſcipiunt: muros ab omni parte involant. Propugnatorum virtus. Orphani reſumptis animis, certamen redintegrant: æquo Marte diu pugnatur; tandem obſeſſi viribus fracti ſuccumbunt:

Digitized by Google

averſam portam intento curſu dilaberentur. Verùm ij bipartitò quoque fugere incipentes, quidam in *equeſtres Orphanorum copias* inciderunt, primóque ab illis fuſi, cùm ad partem digreſſi caſtra hoſtium perumpere, eóque modo evadere tentarent, â peditibus intra carrorum ſepimenta excepti, & quâdã velut indagine clauſi, quanquam ſeſe dedentes, nequaquam tamen recepti, ad unum omnes interfecti ſunt. Alterum eorundem agmen, fugiendo juxta ac pugnando feſſum vulneribúſque debilitatum, *Orebitæ* nemini parcendum vociferantes, ad unum quoque deleverunt.

Sed in caſtro, cùm hoſtes cedentibus fugientibúſque inſtarent, illi verò reſumptis armis, non inulti cadere vellent, *fortiter moriendi ſtudio, ſalutis jam ratâ deſperatione flagrantes*, nova pugnæ facies orta fuit; quâ plurimi utrinque occubuêre, defenſoribus in eo extremo diſcrimine, tanto ardore ſeſe tuentibus, ut quidam ex eis in veſtibulis ædium ab hoſtibus deprehenſi, & haſtis veluti verubus transfixi, jam jámque morituri, hoſtes tamen vulnerarent & occiderent, *atq; ita victi & victores ſimul exſpirarent*. Ingruente tamen majore vi, cùm jam effractis undique portis, hoſtis liberè irrumperet in ædes, aliqui primò latebras ædium circumſpicere, alij projectis armis veniam victorum, vitǽque gratiam implorare: *verùm apud barbaros clade cruentâ irritatos; nulla fuit gratia:* proinde inermes armatíque juxta cecidere. Immiſſi enim milites, pérque ædes effuſi, ut in quémque inciderant, ſine ullo ſexûs, ætatis, ordinis diſcrimine, obvios contrucidabant; *tum virorum clamore, puerorúmque ejulatu, ac cæterorum morientium lamentis gemitibúſque, privata publicáque omnia circumſonabant:* ipſum caſtrum penè dimotum ac convulſum ſedibus ſuis, ſuorum in ſanguine natabat. Res ſacræ profanǽque ſimul agebantur, ferebantur, rapiebantur: *Baſilica Cathedralis Honori Beatiſſimæ Virginis dicata*, & alia *parochialis Divo Clementi ſacra, quam in Bohemia primam â D. Cyrilli Moravor. & Bohemor. Apoſtolo, cùm ejusdem Divi corpus in Bohemiam ferret, an. 864. fundatam fuiſſe perhibent*, omnibus ornamentis ſpoliata, diruta, ſolóque æquata. Hunc in modum *Litomyſſlium ceſſit poteſtati Orphanorum:* unde ipſis major deinceps infeſtandi vicinam *Moraviam* occaſio data fuit, quâ invitati illi, tantò deinceps frequentioribus vicina ejus oppida inquietabant excurſibus. Quin eo ipſo tempore, *Litomyſſlio expugnato, Svitaviam non niſi duobus inde milliaribus diſtans oppidum* adorti, cives ad deditionem compulerunt, *Monaſterium Præmonſtrat. Ord.* expilârunt, vix â civibus prece & precio ingenti placati, ne illud diruerent, néve pari furore ac ſævitiâ in eorum debaccharentur ædes. Sub hac tempeſtate, exciſa quoque fuit *Eremus Carthuſianorum ſub Litomyſſlio, propè pagum Trzek, ab Alberto de Sternberg Epiſcopo Litomyſſlenſi & quondam Archi-Epiſcopo Magdeburg. anno 1376.* ſub titulo, *Rubus Beatæ Virginis*, fundata & erecta.

Eodem anno, Sabbato ante *Dom. Palmarum, Orphani* unà cum *Taboritis*, ſilentio noctis *Pragam* aggreſſi, jam mœnia obtinuerunt: ſingulari tamen virtute ac fortitudine civium ad arma concurrentium, non ſine clade rejecti ſunt. Inde *Slanam* petierunt, aucti *Zatecenſium & Launenſium* copijs; quam-

Nihil tamen de deditione cogitantes, quantùm poſſunt, adhuc reſiſtunt, neque inulti cadunt.

Orphani obvios quosq; immani crudelitate trucidant: non ſexui, non ætati parcunt.

Caſtrum cum Baſilica Cathedrali B.V. & Templo S. Clementis diruunt.

Archiv. Cathedral. Eccl. Litomyſſl. cujus pars inibi præ manibus eſt: alia Litomyſſlij, Svitaviæ & Litobelia ſervantur. Archiv. Curiæ Litomyſſl. n. 16. Hagek. Ruthen. ad an. 1425. Theobal. de bello Huſſit. part. 1. c. 58. MS. Paralipom. Hiſtoria Beneſſy de Horzowicz. MS. Adalberti â Pernſt. MS. Cathedr. Eccl. Litom. Archiv. Curiæ Civit. Svitaviens. in Moravia.

Svitaviam deditione accipiunt: Carthuſiam prope Litomyſſl. funditùs evertunt.

Taboritæ & Orphani Slanam occupant:

dum fruſtra per duodecim dies oppugnâſſent, civibus, & *de Nobilitate* non paucis, qui intus erant, ſtrenuè ſeſe defendentibus, ultimò per proditionem, captato opportuno tempore, dum major pars civium nocturnis vigilijs fatigata domum ad capiendam modicam quietem conceſſiſſet, silenti agmine ac nemine penè reſiſtente, urbem occupârunt. Cæſi quàm plurimi, inter quos erant *Joannes Srſa*, *Petrus* Kamenecz *de Holaus*, *Zdenko de Blaboticz*, Witko *de* Kvvicz viri de Nobilitate haud poſtremi; duóque Sacerdotes, *Chriſtianus celebris concionator*, & *Wenceslaus de Zvvikovvecz:* captivi omnes

in captos cives, & alios, crudeliter ſæviunt.

unà cum *Pratore urbis* & *Conſularibus*, in carnarium ſeu tabernulas, in quibus carnes vendi ſolent, (*macella* vulgò vocamus) quæ in medio foro erant, ducti & combuſti. Idem fecerunt *Zebraci* & *Horzovvicij*, poſtquàm *Toczník* & *Zbirob* arces fruſtra oppugnâſſent: *Svvibovvij* item; & *Oborziſtij*, ubi loci Dominum, *Henricum* Kolman, cum alijs decem viris illuſtribus, injecerunt in rogum.

Eorundem alibi etiam exercita immanis crudelitas.

Idem *Richmburgi propè Skucz*, *Holoblavæ*, *Chlumecij*, *Horzinovvesij*, *Opoczna*, *Hradeki*, *in diſtrictu ReginoHrad. Michalovvicij propè Boleslaviam juniorem*, multis mortalium, præſertim Sacerdotum & aliorum Catholicorum, ferro flammáque hauſtis. *Nymburgi Taboritæ loci Decanum Geòrgium Robovvlad*, quòd *Sacramentum Extremæ unctionis*, dicendo pro concione ad populum multùm commendâſſet, unà cum *ſacellano Clemente*, vili plauſtro impoſuerunt, extra urbem evexerunt, *oleum vebi clamantes*, ibique in vas pice illitum incluſerunt & incenderunt: quo in loco *lux noctu lucens*, verbis Pontani noſtri refero, *Angelorum cantus*, *infirmis reddita ſanitas*, & *alia multa ab incolis*, & *Taboritis fuerunt obſervata.*

Pontan. in Boh. Pia lib. 1. Hagek Kutben. ad an. 1425. MS. Anon an. eod. Drabonic. an. eod.

Kvvietnicij in diſtrictu Kaurzimenſi, arce captâ, præſidiarios omnes occiderunt, Dominum verò loci, *Procopium Trczkam, virum Nobilitate generis*, *opibus* & *dignitate illuſtrem*, *quòd Catbolicæ Religionis eſſet obſervans*, *ejúsque Zelator*, unâ cum arce igni tradiderunt. Sed vix majori contra quempiam tunc flagrabant odio, ſicut contra *Hanuſſium* & *Fridericum fratres* Kolovvrataos, non ſecùs ac juratos partium ſuarum hoſtes; quorum duo præcipui nominis caſtra, Kraſſovv & *Liebſtein*, (illud *Hanuſſij*; hoc *Friderici*, qui ab eo primus *Liebſteinsky* denominari cœpit,) binis vicibus obſidione tentârunt; fruſtra licèt. Rejecti igitur non ſine detrimento, & exinde irâ ac vindictæ cupiditate magis inflammati, furorem omnem in ditiones illorum, in villas & pagos converterunt: quos idcirco, ùt narrat *Eques de Drabonicz*, igne & ferro devaſtârunt crudeliter.

Drabon an. 1425. menſ. Maji.

Archidux in Moravia loca aliqua recuperat: Evanczicium fruſtra obſidet.

In *Moraviam* revertamur; ubi per id tempus, quo *exercitus Bobemorum* bello diſtrahebantur civili, *Archidux quidquid in Znogmenſi Provincia præterito procubuerat autumno Pragenſium armis*, *cuncta in poteſtatem ſuam reduxit: Evanczicio excepto*, in cujus oppugnatione potiorem æſtatis partem fruſtra inſumpſit. Cognito demum *Taboritas* & *Orpbanos tranſegiſſe cum Pragenſibus* controverſiam omnem, & *Procopium Raſum* occupato caſtro *Wozice*, & altero paulò poſt *Kamenicze*, uno tantùm lapide diſſito â Moravo limite, cum *Taboritis* rectâ tendere *in Moraviam*, ad eximendum periculo *Evan-*

Digitized by Google

Evanczicium, priusquàm ab incondita barbarorum multitudine circumveniretur, oppidi obſidionem ſolvit, ſéque cum exercitu in tutiora recepit. Caſtrum *Kamenicenſe* cum oppido, & adjacenti territorio obtinebat tunc *Agnes, Procopij Sezima ab Auſti paulò ante defuncti filia, virgo excelſi animi, & maſcula indolis, ac ultra virum fortis*: quæ veluti altera *Camilla*, aut *ex Amazonibus una*, generoſo ſuſcepto conſilio, hoſti ferociſſimo & tantarum virium adventanti, portas arcis claudere, & procuratis ſolertiâ ſingulari rebus, ad ſuſtinendam obſidionem neceſſarijs, ſe ad defenſionem parare non dubitavit; eâ animi fortitudine, ut ad vocem *Raſi*, & aliorum deditionem poſcentium, *ſe quidem virginem ætate teneram ac imbecillem, adeòque bello minimè aſſuetam*, reſponderet; *neque tamen tam imbelli atque degenere animo eſſe, ut ſolâ verborum ferocitate terreretur, ac nullâ factâ defenſione, arce ſuâ excederet*: proinde fortunam priùs qualemcúnque experiri conſtituiſſe. Spem námque auxiliorum indubitatam habebat in *Meynbardo de Nova Domo agnato ſuo*; qui eam bono animo eſſe jubebat, séque propediem cum ſuis, & quas *Joan. de Guttenſtein*, & *Jacobus de Bozegovv* adjuncturi eſſent, copijs, acceleraturum pollicebatur. Nec fefellit fidem; eſtò non eo, quê deſtinâſſet, eventu: ſiquidem profligatus *à Taboritis* prælio gravi & cruento, vix cum *Guttenſteinio* & alijs paucis *VVrchoviſtium*, ſeu, ùt modò vocant, *Zierovnicium* profugiendo cladem evaſit, reliquis aut cæſis, aut captis. *Jacobus* cùm diu fortiſſimè cum ſuis pugnam ſuſtinuiſſet, ad extremum etiam malignanti fortunæ ceſſit; rebúſque deſperatis, ſuos, ut fugâ ſibi quocúnque tandem modo conſulerent, admonuit, ac ipſemet pernici equo uſus, locorúmque peritus, *Bozegovium* cum paucis incolumis pervenit; cæteri in caſtrum, quod obſidebatur, profugerunt. Locus pugnæ hodiéque oſtenditur propè oppidum apud piſcinam, quæ idcirco Kalich / id eſt, *Calix*, quòd iſthic pugna pro *calice*, ſeu pro *Religione, quæ Calicis in ſacra Synaxi uſum etiam plebi concedit*, ab Huſſitis dici obtinuit.

Procopius Raſus Taboritarum dux Kamenicium in Bohemia ſibi dedi poſtulat: ſed ab Agnete ſpectatiſſima virgine loci Domina, repulſam accipit.

Procopius auxilia Virgini miſſa, prælio gravi profligat.

Non deſpondit tamen animum *Agnes*, ſed in tuenda omnibus viribus arce conſtans perſtitit, adeò, ut hoſtibus feſtinantibus *in Moraviam* longior indiès & difficilior, tædiíque plena oppugnatio redderetur. Varijs poſt hæc pollicitationibus *Procopius* incluſos, de ſua ac rerum omnium incolumitate, ad faciendam deditionem inducere conabatur: cúmque omnia fruſtra eſſent, ad minas converſus, neminem ſe ex ijs vivum relicturum aſſeverabat: nihil interea â fervore oppugnationis omittens. Decimo tandem & quarto obſidionis die, cùm jam & mœnia ab hoſtibus ſuffoſa ruinam impedentem minarentur, & retinendæ diutiùs arcis media deficerent, neque ulla ſpes auxiliorum affulgeret, *Agnes* collato cum ſuis conſilio, maturè potiùs de deditione agere, & ſaluti ſuæ ac aliorum proſpicere, quàm ulteriorem fortunam experiri maluit. Re igitur ê ſuperiori arcis contignatione obſeſſoribus ſignificatâ, & *ad Procopium Svambergiúmque* delatâ (*Bzdinâ* inter hæc â vulnere, quod in oppugnatione caſtri *VVozice* lethale acceperat, defuncto) extemplò literæ ſecuritatis expediuntur, manu & ſignis eorundem firmatæ; quibus obſeſſis, cum

Non deſpondet tamen animum Virgo.

Procopius oppugnationem acriùs urget,

& Virginem ad deditionem compellit.

rebus & ſarcinis ſuis omnibus, quocúnque vellent, libera abundi poteſtas concedebatur: ita tamen, ut inſtrumenta bellica, nec non commeatus cujuscúnque generis inveniretur, in arce relinquerentur. Et *Agneti* quidem fidem egregiè ſervârunt, quæ rebus ſuis convaſatis, *& Svambergio*, qui eam ab omni injuria tueretur, *comitante, in arcem Chauſtnik, ac inde Tynam conceſſerat*; ſecùs verò alijs, quotquot enim ê Bozegovij cohorte, ſeſe â nupera clade in caſtrum receperant, quaſi ij deditionis pacto non comprehenderentur, omnes captivârunt.

MS. Drubonic. in Hiſt. ſui tempor. ad an. 1425.

Taboritæ Novodomenſem ditionem vaſtant:

Ab hinc accenſis *Meynhardum inter & Taboritas* longè infenſiùs odijs, toto illo & ſequenti anno, armis & eruptionibus cruentis utrínque certatum fuit, non ſine ingentibus calamitatum procellis, quas potiſſimùm agreſtis plebs innoxia, & ſubjecti populi hoſtilem in modum jactati ſuſtinere cogebantur. *Kromeſſinius* ſiquidem, cui *Procopius in Moraviam properabundus contendens, Taborÿ ac totius ipſius territorÿ curam commiſerat*, uti erat per ſe nocendi avidus, aſſiduis penè excurſionibus, in locis *Kamenicio & Novæ domui* propinquis, terrorem circumferre, populari, urere, minores munitiones & caſtella invadere, atque hoſtilia quæque exercere, non prætermittebat. Ex adverſo *Meynhardus & Guttenſteinius* ubi poterant, par pari rependebant. Accidit verò ut Taboritæ, redacto in poteſtatem *Bozegovio, Jacobi, qui maturè ſe in tutum proripuerat, caſtello*, ad occupandum etiam *Poczatecium Meynhardi oppidum*, vires converterent: jámque poſitis ad *villam Lipari*, ita nominati tunc coloni liberi ac opulenti (locus hodie **Pahrbčita Obec** nuncupatur; coryletum verò, quod iſthic viſitur, vetus nomen, **Lypatowy Kře** etiamnum retinet) caſtris, cuncta, quæ ad oppugnationem inſtituendam neceſſaria videbantur, diligenti ſtudio parabant.

Poczatecium oppidum occupandum adoriuntur:

Quanquàm autem munitio oppidi non ullo muro conſtabat, ſed humili ſepto, ê craſſioribus lignis & trabibus duplici ordine erecto: tamen *oppidani adventu hoſtium nequaquam territi, ſeſe præſentibus animis ad defenſionem parare, Kromeſſinÿ minas contemnere, munitionem & ſepta ubi nimiâ vetuſtate vicium fecerant, reſtaurare, ſibique mutuam per conjunctas dextras fidem dare; eo denique fixo & immobili propoſito perſiſtere, ut vel liberatas ſalúsque omnium fortiter agendo vindicanda ſit; vel ſi ſors ita tulerit, honeſtiſſima mors pro Deo, pro religione, ac pro dulci patria oppetenda.*

Oppidanorum virtus;

qui præter omnium ſpem ſeſe acerrimè defendunt.

Illuceſcente poſtmodùm ſequentis diei aurorâ, hoſtes ſigna militaria attollere, magnóque edito clamore, ſepimenta ſubire cœperunt: quos propinquantes & conſcendere conatos oppidani, magnâ virtute, nec minori fortitudine exceperunt, ita ut poſt unius horæ anceps utrúnque certamen, ultimò *Taboritæ* pugnam remiſſiùs capere, & cadentibus intra ſepta multis, ſenſim ſe recipere cogerentur. Nihilominùs *Kromeſſinius*, inſiſtendum & pertinaciter pugnandum, nec ullam dandam obſeſſis quietem, aut reſpirandi moram ingeminans, ſuos redintegrare prælium, atque iterum ſubire ſepimenta juſſit; & nonnullos, qui feſſi ſegniùs pedem intenderent, non modò truci feróque ululatu, atque minis ad celeriùs procurrendum incitabat, ſed etiam *ferreâ, quam exemplo Ziſſcæ geſtare ſolebat, clavâ*, illatíſque vulneri-

Taboritæ impreſſionem repetunt:

Digitized by Google

neribus, ora & pectora in oppidum protinùs obvertere compulit. Recrudruit itàque certamen; quod defenſores tantâ animorum obſtinatione, ſeſe tuendo, & fortiter pugnando protraxerunt, ut multâ utrinque cæde editâ, *Taboritæ* iterum loco pulſi, ac malè habiti pedem referrent, & victoriam licèt cruentam oppidanis relinquerent; usque adeò, ut *Kromeſſinius aliique Taboritarum duces*, tum in præſens, tum poſtea multis audientibus, neque *VVozicio*, neque *Kamenicio* expugnatis, acriùs atque periculoſiùs pugnatum eſſe palam teſtarentur.

ſed iterum oppidanorum virtute repreſſi cum clade, receptui dant;

Duplicis igitur conatûs detrimento permoti, cùm præter eos, qui ceciderant, magna etiam ſauciorum multitudo in caſtris eſſet, per reſiduum diei quietè ſeſe continuêre. Noctu verò *Kromeſſinius*, cognito per exploratores *Meynbardum venire cum ſuis, & aliorum copijs, obſeſſis in auxilium*, neq; illũ uti viribus integrum expectandum arbitratus, ſolvere obſidionem eâ ipsâ nocte inſtituit: quod quidem tantâ celeritate fecit, ut priusquàm dieſcere occœpiſſet, lunæ ſplendentis beneficio uſus, & itinere unius milliaris confecto, *Kamenicium* pervenerit: eo loco tantiſper, ſi vis ingruat, ſe tutaturus, donec *Taborio*, *Peldrimovio*, *Rzeczicio*, *quod Rubrum vocatur*, aliiſque vicinioribus caſtellis & oppidis, *quæ præſidijs Taboritarum tenebantur*, opportuna auxilia caperet. Vario poſt hæc Marte, *Meynbardus cum Taboritis bellum geſſit:* ultimò diligentiùs animo perpendens, quanto ditionum ſuarum detrimento bellum cum hoſte vicino gereret, de inducijs potiùs novis cogitare cœpit: ſvadente hoc ipſum *Ulrico Roſenſi*, ut hâc viâ tranquillitati ſuorum conſuleret, & infenſiſſimo hoſti, usque ad meliora tempora, quibus remedio locus foret, cedendo, majora mala evitaret. Quibus *ad finem Novembr. an. 1426.* transactis, quietem ſubditis ſuis populis reſtituit. Ità malum quandóque ferendum eſt unum, ut evitetur multiplex, & ex duobus eligendum minus. Sed unde huc declinavimus, revertamur.

& obſidionem cum magna ignominia ſolvunt.

Meynhardus de Nova Domo, ut ſubditis ſuis conſulat, pacem in certas leges cum Taboritis facit.

Diſcedente *ab Evanczicio Archiduce*, quanquàm præſidiarij & cives effuſè lætarentur, propè enim erat, quòd eos fame ad deditionem compuliſſet: abeuntes tamen perſequi non audebant, quòd equis defectu pabuli penè enectis, ac defenſoribus longâ inediâ debilitatis, ſe laborem fruſtra ſuſcepturos intelligerent. Alterâ die, quæ ſequuta fuit, *Procopius cum Taboritis* venit, & ſimul Germanos diſceſſiſſe cognoſcit: proinde ne fruſtra veniſſe videretur, ad leniendos pro ſuſcepti itineris laboribus militum animos, excurſionem *depopulandæ Auſtriæ* faciendam conſtituit: priùs tamen *Korybutum* cum Pragenſibus expectandum duxit, cum quibus poſtmodùm *in Auſtriam* contendit: ac ſummâ adhibitâ celeritate, *ad Danubium* usque penetravit, obvia quæque urendo, populando & devaſtando. In reditu ad Retzium oppidum ſubſtitit, eo animo, ut illud in ſuam poteſtatem redigeret. Quamvìs verò jam autumnus præſens eſſet, atque hyems pluvioſa indies magìs magìsque ingrueret, oppugnationem nihilominùs oppidi, quòd illuc vicinorum Provincialium opes translatas didiciſſet, adortus eſt. Erat in oppido *Joannes Comes ab Hardek Burggravius Magdeburg. loci dominus:* hic tametſi ſerò hoſtium con-

MS. Joan. Elbi Primat. Poczatec. Authoris hujus operis, avi materni.

Joan. Strnienſky civis Poczat. in præfat. Poſtillæ Bohem. ad Joachim. de Novadom. an. 1556. impreſſæ Pragæ apud Georg. Melantr.

Procopius per Auſtriam graſſatur:

Retzium obſidet:

ſilia exploràſſet, utpote qui nihil tale tentaturos, populationi potiùs & cogendis prædis intentos exiſtimaret: tamen pro eo ac debebat, cùm illos à *Danubio* redeuntes rectà oppidum versùs tendere, jámque in ſuburbanis ſtationem figere, & ad oppugnationem cuncta parare videret, erecto fortique animo, omnia etiam ad reſiſtendum neceſſaria, arma & viros, diſpoſuit. *Centum pedites ab Archiduce, dum obſidionem Evanczicenſem ſolveret, ſibi in præſidium miſſos habebat:* cætera manus, ex ordine civium ac urbanæ plebis conſtabat, paucis adjunctis ê vicinia Nobilibus, qui metu hoſtium ê pagis & infirmioribus caſtellis eo profugerant; ita ut omnium numerus, qui armis tractandis ac propugnationi idonei eſſent, ſexcentos, aut paulò ampliùs efficeret.

oppido vim admovet:

Cœptâ deinde oppugnatione, cùm Bohemi pleno impetu ruerent in muros, oppidani haud cunctanter reſtitêre, omni genere armorum aſcenſu prohibentes, & cominùs pugnando ſeſe atque oppidum impigrè defendentes: unde certamen exortum atrox & cruentum, usque adeò, ut cùm ex oppugnatoribus

illúdque oppugnat, & vix non occupat:

nonnulli audaciores, ſuperatis murorum ſummitatibus & vallis, jam in contiguas mœnibus ædes pervaderent, plures ex defenſoribus perterriti fugientésque captum oppidum, fuſos præſidiarios, hoſtémque jam in oppido eſſe ſpargerent. Eo rumore ſimul & metu perculſi fori incolæ, turbáque fœminarum ac puerorum, ingentem ac inconditum clamorem ſuſtulerunt; ita ut audito hoc *Taboritæ*, attonitis potiùs, quàm pavidis ſimiles, nonnihil ab impetu remitterent, recentium militum ad auxilia accurrentium vociferationem eſſe rati. Hæc mora oppidanorum animos auxit, ut qui paulò ante mœnia vix ampliùs tueri poſſe exiſtimabant, derepentè recollectis animis & viribus, hoſtes jam in interiora oppidi penetrantes magnâ vi detruderent. Quamvis autem K*orybutus & Procopius* aliique duces ſuos ad reſtaurandam pugnam, non verbis ſolùm hortarentur, ſed etiam clavarum ictibus ac verberibus incitarent: fruſtra tamen omnibus tentatis, prælium diremptum fuit.

ſed concurrentibus ad reſiſtendum civibus, cum clade repellitur.

Svambergius unus é ducibus Taborit. vulneratus.

Cecidêre tum *ex Bohemis* permulti, *inter primarios Taboritarum duces, Svambergius;* qui cùm ſuos â mœnibus recedentes vi ad redintegrandum prælium compelleret, *ſedulus alioquin in eo fervore hortator, uti & ſegnium torpentiúmque acer & efficax ultor*, ſagittâ ex turri miſſâ ictus, lethale inter femur & umbilicum vulnus accepit. Et licèt diſſimulato caſu compreſſóque plagæ dolore, carpento illatus in caſtra reverteretur, ſpe valetudinis reſtaurandæ: quia tamen *vulnus inſanabile erat, veneno, quo ſagitta infecta credebatur, interiora maximo cum dolore depaſcente*, ſanguinisque non ceſſaret profluvium, nocte ſequenti exſpiravit: ejus cadaver K*rumlovij in Moravia* humatum eſt.

moritur, & Krumlovij ſepelitur.

Erat hic nobiliſſimæ in Bohemia familiæ, & primò Huſſitarum capitalis inimicus; ſed captus â Ziſska *in caſtro* K*raſſikovv*, cujus meminimus ſuprà, & Majorum ſuorum virtutis & gloriæ penitùs oblitus, ei poſtea adhæſit, ſocius ſcelerum, & fautor præſertim *juvenum de Nobilitate, qui diſſolutâ vitâ perditi & effrenes, â parentum imperio gratiáque dilapſi, licentia militaris libertatem quærebant*. Ultimò etiam dux Taboritarum factus.

At K*orybutus & Procopius* eo irrito conatu vehementer perturbati, ne obſeſ-

Digitized by Google

obſeſſis quies ulla daretur, in diem ſequentem repetere oppugnationem conſtituunt, útque omnes ad diei exortum parati imperium expectent, edicunt. Verùm oppidani heſternæ victoriæ memores, ideóque multò ferociores, in irrumpentes, ſaxis, telis, igne, & ferventi pice rem ſtrenuè gerere, ac hoſtes magno detrimento afficere; ita, ut eâdem defenſorum virtute & audaciâ repulſi & rejecti, iterum ſe in caſtra recipere cogerentur; frendentibus licèt ducibus, & ignaviam ſuis, ſumma cum verborum acerbitate, exprobrantibus. Tertiá tandem die, ſupremo totius exercitûs conatu in muros edito, oppidum occupant: fit magna ubiq; cædes, neque ulli ſexui in eo furore primo parcitum. Potior tamen civium pars ad arcem evaſit: quam cùm hoſtes eodem impetu adoriri conſtituiſſent, (nam *præda major invitabat*) jámque oppido toto armatorum multitudine impleto, ſeſe certamini accingerent, *Comes* extremo in periculo ſe eſſe videns, tandem neceſſitati & adverſæ fortunæ cedendum exiſtimavit: & arcem, quæ jam nullo modo retineri poſſet, tradere potiùs, quàm ultimum vitæ diſcrimen ſubire. Sed ferociente hoſte, non aliter de deditione tranſigi potuit, niſi poſtquàm ſeſe omnes arbitrio *Korybuti, cæterorúmque ducum* tradidiſſent. Quo facto oppidum militi, arx ducibus in prædam aſſignatur; in quod utrúmque poſtea flammâ ſævierunt victores, ædibus cunctis ſuccenſis ac dirutis; *Comitem* verò cùm conjuge & filio *Henrico*, & oppidanis, quos ferrum non conſumpſerat, ſecum in Bohemiam abduxerunt. *Comes à Pragenſibus Hynkoni de* Koldſtein *datus, non multò poſt in carcere caſtri VValdſtein, partim mœrore animi, partim ſenio morbóque ibi contracto, diem obijt:* poſt cujus mortem *Hynko*, agentibus *Ulrico Roſenſi*, & *Meynhardo Novodom.* filium & matrem libertati reſtituit, & in Auſtriam remiſit.

Taboritæ impreſſionem repetunt,

ſupremo tandem conatu edito, civitate primò,

deinde & arce potiuntur.

Comes ab Hardek oppidi Dominus, in Bohemiam captivus abducitur, & moritur.

Æn. Sylv. ſupra cit.

Daubrav. ſupra cit.

Hagek. & Kuthen. ad an. 1425.

Anno ſequenti qui erat 1426. reſpiravit nonnihil Moravia ab excurſionibus *Huſſitarum*, qui rurſum in Bohemia, & vel maximè per diſtrictum Litomerzicenſem, cædibus, rapinis & incendijs more ſuo miſcebant omnia. Inter alia fidelium oppida, arſerunt *Lippa*, *Biela*, *Hoſſtka*, *Trebenicium*, *Teplicium*, Krupna, *arx Strzekovv*, *monaſterium Svietecenſe* jam ſecundò. Sed nulla majorem cladem paſſa civitas, ſicuti *Auſta ad Albim*, quæ vi expugnata, tam crudele tulit excidium, ut *direpta ac diruta, toto poſtea triennio ſtaret deſerta*, incolis flammâ ac ferro ſublatis; profligato priùs *Miſnenſium*, *Franconum*, *Thuringorum & Luſatorum*, qui civibus opitulatum venerant, exercitu, prælio ita gravi, ut ad *duodecim millia Germanorum* (Theobaldus homo Germanus L. millia ponit, quod vix crediderim,) *numerarentur, vel cæſa, vel in fuga ab æſtu, qui tum ſole domicilium Cancri ingrediente, vehemens erat, conſumpta & ſuffocata.* Locus pugnæ hodiéque **na Běhánj** vocatur, columnâ geſtæ rei teſte inſignis. Pluribus hanc cladem deſcribunt, *Fabricius, Daubravius, VVeleslavina, Hagek*, Kuthen, *& alij*, quos videat Lector. *Sylvius* non benè informatus ſcribit, *Ziſkam* quoque interfuiſſe huic prælio, cùm tamen certum ſit, illum annis ab hinc duobus interijſſe. Inter alios cæſos ex parte Miſnenſium, præcipui erant: *Erneſtus Comes Gleichenſis Thuringorum præfectus*,

MS. de Dubrownick an. eod.

Æneas. Daubrav. ſupr. cit.

Hagek Kuthen. ad an. 1426.

Cochl. l. 5 Hiſt. Huſſit. Chron. Mansfeld. c. 319. Chron. Thuring. c. 160.

MS de Dubrow. an. 1426.

Stransky Reip. Boh. c. 2. & 16.

VVeleslav. in Calend. Hiſt. ad 16. Calend. July.

Theobald in Huſſit. part. 1. c. 19.

Fabric. Orig. Saxon. lib. 7. an. 1426.

Crantz. in VVandal. l. 11. c. 13.

Numerus cæſorum virorum Illuſtrium.

fectus, ipſiúsque legatus & agnatus *Fridericus Comes Tunenſis*; *Bicblingenſis* item, *Hoënſteinius*, *Querfurdius*, *Heldrungius*, *Barbenſis*, *& alij quinque Comites*: Barones Liberi, *Donenſis*, *Gerenſis*, *Falkenſteinius*, *Grecenſis*, *Dietrichus & Henricus Schleinitij*, aliíque Equeſtris ordinis quàm plurimi. Ex ſola *Kokericiorum Familia* viginti & unus: Cochlæus habet, LXV. è *Schenbergiorum*, pater cum quinque filijs, unico tantùm domî in cunis relicto. Cùm in *Germaniam* cladis hujus nuncij allati eſſent, omnes æquè attonitos, & metu perculſos perterruerunt, ſic, *ut quædam civitates deſererentur à civibus*. Ideóque ſi Bohemi tum victoriâ ſuâ uti ſciviſſent, negotio facili *Miſniam & Saxoniam* totam percurrere, & obvia quæque in poteſtatem redigere potuiſſent: ſed domî priùs, quidquid hoſtile eſſet, domandum ſuſceperunt; atq; ita ſpatium temporis commodum, finitimis regionibus, â clade & metu reſpirandi, ſeséque recolligendi præbuerûnt.

Per Germaniam ingens trepidatio.

In ea expeditione adjuxerunt ſeſe Bohemis etiam ex Moravia primariæ Nobilitatis aliqui: ùt *VVenceslaus Czernoborenſis*, *VVenceslaus junior de Kravarz*, *Janus de Tovaczov*, *Bavarus & Joannes fratres de Pernſtein*, & *Petrus de Straznicz*: hi námque â Religione Orthodoxa deſciverant jam palam, prædarum & peculij ex aliorum bonis augendi cupidine eo usque prolapſi: quorum inſtinctu mox anno ſequenti, nondum adulto vere, *Taboritæ & Orphani Moraviam ingreſſi*, hoſtilem in modum, præſertim in ditiones fidelium, rapinis, igne & cædibus, nullâ juſti honeſtique ratione habitâ, ſævierunt crudeliter; ac circumlato paſſim terrore, neminéque reſiſtente, penetrârunt vaſtabundi etiam ultra *flumen Moravæ*, oppidis, caſtellis & pagis multis, partim vi, partim aſtu, partim deditione occupatis: inter quæ erant *Napagedla*, *Malenovicium*, *Zlina & Broda Hungarica*. Unde *prolatis in Hungariam usque armis*, *ſuburbium Poſonienſe diripuerunt*, & exuſſerunt: ſummáque celeritate uſi, omnem eum *Hungariæ & Auſtriæ tractum* pulcherrimum ſanè, atque rerum omnium feraciſſimum, qui ad ſiniſtram *Danubij ripam*, â *Poſonio usque Dievinam*, *& inde Kremſirium*, ac ultra, latè protenditur, hinc inde diſcurrendo, & carptim urendo valde depopulati ſunt. Domum reduces, ſtatim iterum *in Luſatiam*, & inde *in Sileſiam*, prædarum avidi feſtinârunt, magno ubique luctu poſt ſe relicto; de quo cap. ſequ.

MS. de Drahon. an. 1426.

Taboritæ & Orphani Moraviam,

Auſtriam & Hungariam populantur, an. 1427.

MS. de Drahon. ad an. 1427.

Principum Germaniæ contra Bohemos expeditio infelix.

Cognito demum *Principes Germanos*, valido cum exercitu *intrare Bohemiam*, jámque ſuperatis montibus, *Zluticium* oppidum occupâſſe, poſtpoſitis alijs omnibus, eò properâunt. Erant ante id tempus *Taboritæ & Pragenſes* rurſum contra ſe invicem ita malè animati, ut nihil magis illi quàm *Pragæ occupationem* molirentur, præcipuè verò eorum duces, *Robaczius*, *Kersky*, *Joan. VValkaun*, & quidam alij: ſed ingruente hoc bello (*periculi námque ſocietas facilè homines, etiam antè inimicos conjungit*) cùm & metuerent juſtè, ne diviſi tanto citiùs opprimerentur ab hoſtibus, amicè potiùs convenerunt de omni controverſia, & conjunctis viribus ire obviam hoſti decreverunt. Primò omnium *Taboritæ die 12. Julij*, *obtento per Pragam tranſitu*, cum trecentis curribus præceſſerunt; quos die ſequenti *Orphani*, ſummo ſilentio,

tio, ſummáque modeſtiâ Pragam tranſeuntes ſequuti ſunt. Tertiâ poſt die *Procopius Raſus* cum decem millibus ſelectiſſimorum militum venit; cúmque etiam *Moravorum Procerum*, & *Bohemorum* (*Petri junioris de Straznicz, Zagimaczi de Kunſtat* aliàs *de Gevviſſovvicz*, *Joannis de Pernſtein, Smili de Holicz*, *Arneſti Leskovvecij*, *Hlavvacij de Mirovv*) auxiliares copiæ acceſſiſſent, *Pragenſes* non diu cunctandum rati, ſuas quoque die 18. Julij eduxerunt, ac continuatis diu noctúq; itineribus, *Myſam* versùs (quam civitatem *Germani* tum gravi obſidione premebant,) proceſſerunt. Res porrò maximâ admiratione digna eſt, quòd *tantus Germanorum exercitus*, qui *80. millia equitum*, (verba ſunt *Drabonicij*) & *tantum, vel plus peditum continebat, Bohemiam* ingreſſus, rumore ſolo adventantium *Bohemorum*, qui (ùt idem Drabonic. memorat) *non niſi mille quingentorum equitum*, & *ſedecim millia peditum faciebant*, terrore quaſi *Pannico* perculſus, fœdâ fugâ priùs receſſerit, omnibus impedimentis & machinis bellicis relictis, quàm hoſtem conſpexiſſet: *Craſſi apud Parthos*, *Vexoris & Darij apud Scythas*, *Xerxis apud Græcos*, renovata exempla vidiſſes. Æneam Sylvium hac de re ſuccinctè memorantem audire placeat, qui ſic habet: *At Martinus Pontifex Maximus, ubi armatam hæreſim creſcere in dies animadvertit, priusquàm peſtis ampliùs invaleſceret, Cardinalem Vintonienſem natione Anglicum regiâ ſtirpe natum, in Germaniam proficiſci juſſit, qui contra Bohemicam labem, vicinas gentes in arma conciret, cui & Imperator adjumento fuit. Inſtituti ſunt tres exercitus. Saxoniæ duces, & quas vocant, ſtagnales civitates in primo militavêre: ſecundum ex Franconibus conſtitutum Marchio Brandeburgenſis ductavit: tertio præfuit Otto, & civitates Svevorum Imperiales. Ingreſſi Bohemiam tribus locis: poſtquàm ſylvam penetravêre, juncti ſimul ante Miſam caſtrametati ſunt. Hanc urbem Przibichò Clenovenſis, inter hæreticos quantum doctior ac facundior, tantum crudelitate ac perfidiâ nequior tenebat, qui præcedenti nocte ex fidelium manibus ſe eripuerat.*

Bohemorum & Moravor. contra Germanos apparatus.

Drabon. ad an. 1427.

Æn. Sylv. in Hiſt Boh. c. 48. Miechov. in Chron. Polon. l. 4. c. 51. Cochlæus lib. 6. Theobald. de bello Huſſit. part. 1. c. 62. Hagek Kutben. ad an. 1427. Fabricius Calviſ. an. 1428. Lupac. VVeslav. ad d. 25. Julij.

magnus ſanè apparatus belli contra Bohemos: ſed abſque effectu.

Erat igitur conſilium exercitûs, hanc urbem priùs recuperare, quàm ultra procederent. Sed cùm hæretici collecto raptim milite, in eos properare nunciarentur, non viſum hoſtem fugerunt: Thacboviámque petentes inſtrumenta bellica cum prada ibi dimiſerunt. Nondum Cardinalis in exercitu fuerat: ſed ad Thacboviam fugientibus occurrens, admiratus eſt, tot ducum, tot fortium virorum pavidam fœdámque fugam, magnis precibus, ut redirent in hoſtem omni ex parte debiliorem, hortatur. Quod cum fruſtra niteretur, & ipſe turpis fuga comes effectus. Vix ſylvam ingreſſi erant, cùm ſupervenientes Bohemi poſtremum agmen laceſſère cœperunt. Facta eſt profuſior ac pavidior fuga, nec priùs Teutones fugere, quàm Bohemi perſequi deſtiterunt. Hoſtes impedimentis direptis, Thacboviam expugnantes, machiniſque bellicis potiti ſunt. Exin Miſnam populati, quùm per Franconiam redirent, ne Bambergenſem agrum Norinbergenſémque vaſtarent, pecuniâ placati, divitem exercitum reduxêre. Hunc in modum *Bohemi* incredibili ſanè felicitate, *fugato ſolâ adventûs ſui famâ Germanorum immenſo exercitu*, caſtríſque & tormentis

Bohemi ſolâ adventûs ſui famâ Germanos fugant:

Provinciæ Germaniæ populantur.

Vuu omni-

omnibus in poteſtatem redactis, memorabili & incruentâ victoriâ ſunt potiti. Cæſa ad decem millia: captivorum quoque ingens numerus fuit: & prædæ ſpoliorúmque, usque ad admirationem vis maxima, ut nemo ferè ex victoribus, vel gregariæ ſortis fuerit, qui non abundè expletus ad ſuos redierit. Complures certè etiam *de Nobilitate*, qui ſe *Taboritis & Orphanis*, ad propulſandum commune periculum adjunxerant, opulentiæ & divitiarum ſuarum initia, ejus victoriæ ſucceſſui accepta ferre haud inficiabantur. *Prybikoni* imprimìs *Klenovienſi*, *VVilbelmo Koſtca* & *Joanni Zmrzlik*, hinc non tantummodò opum, verùm etiam nominis & exiſtimationis majoris, honorúmque exordia atque incrementa profluxêre. *Tacbovia* deinde civitas obſeſſa acerriméque oppugnata per complures dies; ultimò tandem armatâ manu capta, direpta & exuſta: cives quotquot in armis deprehenſi fuerant, inter quos recenſetur *Nobilis quidam Bobemus Catbolicus*, nomine Kamrovecz, unà cum ſua quinquaginta virorum cohorte, trucidati. *VVilbelmus de Sſvvibovv, cum Henrico Czernin cognato ſuo*, & quibusdam paucis ad arcem ſeſe recepit, eo conſilio, ut editiore in loco, & utcúnque munito tantiſper ſeſe tueretur, donec aliquod auxilium veniret, & ipſe periculo eriperetur. Sed inconditâ eâ hoſtium multitudine vi ſummâ ingruente, & extrema quæque minitante, cùm nulla affulgeret ſpes auxiliorum, pactâ *cum Pragenſibus* (Taboritis non fidebat) incolumitate, deditionem fecit. In reditu, Taboritæ arcem *Raupovv* deditione quoque occupârunt: *Plſnam* etiam tentârunt; ſed ſicuti antea, in vanum. Cives tamen, ut poſt tot bellorum incommoda aliquantùm reſpirarent, inducias ab ipſis annuas petierunt; quas non niſi ſemeſtres impetrârunt, eâ lege, ut ad proximum *ſolenne Colloquium*, quod de Fidei controverſijs inſtituendum, & in *feſto Natalis Domini* celebrandum foret, ipſi quoque per delegatos comparere vellent, & ſimul de modo ac firmitate pacis, tranſigendisque ejus conditionibus pleniùs agere & tractare nõ omitterent.

Victoria Bohemis aliquibus quæſtuoſa, & utilis.

Henricus Czernin.

Taboritæ Plſnam tentant fruſtra.

Inter hæc Korybut, quem ultro ad Regnum, ante quinquennium vocârunt *Pragenſes*, quòd crudus nimis eſſet moribus, & pro regimine ferendo parum idoneus, ac prorſus impar; vel, ùt ſcribunt alij, *quòd cogitaret de pace cum Eccleſia ineunda, jámque etiam ea de re cum Martino V. Papa agere cæpiſſet*, deſertus ab ijsdem ejicitur ex Bohemia. Die Jovis Sancto, captus *in Aula Regia*, ubi nunc eſt *Seminarium Archi-Epiſcopale*, impoſito ei ſuper caput inverſo caputio monachali, ita ut oculi eſſent obducti; ac primùm in domo quadam, in extremitate fori *Vetero-Prag.* tertiâ fortè ab ingreſſu monaſterij *Minimorum* detentus; prout traditio vetus habet, hodiéque monſtratur conclave, ſuper elegantem ſaxeam pergulam, in quo narratur incluſus fuiſſe. Deinde translatus ad Arcem, *in albam Turrim*; poſtea ductus ad *caſtrum VValdſtein*, ac inde ulteriùs promotus. *Ita tumultuarij Regis*, id quod recentiora quoque exempla oſtendunt, *nunquam eſt diuturnum imperium: quod per turbas erigitur, per turbas proſternitur.* Nihilominùs poſtquàm apud alios Regni ſtatus, exilij hujus fama percrebuiſſet, varij diverſis animorum affectibus de eo ſentire videbantur: nonnulli quidem jure meritò ejectum

Korybut ex Bohemia ejicitur.

Hagek. Kuthen. ad an. 1427. Lupac. VVenceslaſ. ad d. 17. April. alijs id approbantibus.

Digitized by Google

ctum dicere, quòd haud dubiè à parte *Utraquiſtarum*, quos jam palam odiſſe cœperat, brevi ſeceſſionem feciſſet, & exinde novos in religione motus concitâſſet: alij negare id ſeriò, & virum Principem, eúmque ad gubernacula Regni tam honorificè adſcitum, non dictâ cauſâ, inſontem, nullius ſceleris convictum, ita malè tractatum, affirmare; videlicet, ut eo amoto, inſolentiores quidam è Magiſtratu ſoli imperio urbis potirentur. Et de Nobilitate inventi ſunt non pauci, contumeliam hanc usque adeò deteſtati, ut eam quocúnque tandem modo vindicandam aſſumere, tum etiam Pragenſes ad ſaniora conſilia, ac imprimis ad Romanæ Sedis obedientiam compellendos ſuſcipere non dubitarent; propéque erat, ut ab iis *Urbs Antiqua* occuparetur, niſi malignitas fortunæ, & proditio *VVilbelmi Koſtcæ*, qui unus ex conjuratis fuerat; ſed paulo poſt defecerat, præpediſſent. Primarij nominis erant *Hynko de Koldſtein*, *aliàs etiam de VValdſtein* dictus, quem ſuprà Znogmam tenuiſſe, diúque defendiſſe meminimus; *Joannes Smirzicsky*, *Hynko VVambersky de Robatecz*, *VVenceslaus de Raczinoves*, *Parczifal de VVinarzicz*, & alij, cum familia *DD. Putæ de Czaſtalovicz*, *Joannis de Opoczna*, *& Joannis de Michalovicz, in Bezdiezy*: Catholici omnes, ita ut numerum ſexcentorum equitum efficerent, præter aliquos cives *Novæ Urbis*, hujus rei conſcios, unà cum eorum Judice, nomine *Bureſs* (poſteritas ejus eſt adhuc ſuperſtes) & quosdam etiam *Vetero-Pragenſes*. Jam die 6. Septembr. patrando facinori deſtinatâ, *in urbem Veterem* pervenerant, occupaturi brevi forum & curiam, ſi cæteri quoque ad ingreſſum iſtorum, *Pax ſancta* locò teſſeræ clamantium, partes ſuas egiſſent fideliter: ſed iis deficientibus, & è contra civibus, utpote præmonitis, & ad reſiſtendum paratis, ex omni parte concurrentibus, cùm neque ampliùs regredi liceret, propter vias ubique per plateas catenis recluſas, facilè oppreſſi ſunt; & quidem ita miſerabiliter, ut ex omnibus vix XX. perſonæ, (teſtatur id *Drabonicius*) evadere potuerint incolumes; omnes vel cæſi, inter quos *Kolſteinius*, vel captivati: aliqui fugientes, & *Wltavam* flumen trajicere conati, aquis hauſti interierunt. *Smirzicius* beneficio *M. Joannis Rokitzani* jam tunc *Parochi Teynenſis* ægrè ſalvatus, ſed tamen ſub cuſtodiam datus, auxilio deinde alicujus ancillæ evaſit liber, Pragenſium deinceps hoſtis infenſiſſimus, quos ad Budinam, anno ſequ. die 24. Julij inſigni clade profligavit.

alij reprobantibus.

L. 4. c. 3. p. 416. & ſequ.

Catholicorum in occupanda Praga,

fruſtranei, ac ipſis pernicioſi conatus.

Hæc dum Pragæ fiunt, Taboritæ cum Orphanis in expugnando *Kolinio*, urbe tunc munitiſſima, quam *Borzek de Dobalicz* obtinebat, fruſtra tempus & vires impendunt; binis vicibus à civibus egregiâ virtute ſeſe defendentibus repulſi & rejecti, ita ut tandem *Procopius Raſus*, dum ultimò incautiùs ſuos voce, manu exemplóque ad fortiter agendum incitaret, minoris ſagittæ ictu, ſub axilla brachij dextri graviter læſus, & magna cum clade etiam cæterorum, non ſine dedecore receptui dare, & obſidionem ſolvere cogeretur. Sed advenientibus in id tempus Pragenſium auxilijs, cum duobus muralibus tormentis, redintegrata eſt obſidio, & die 14. Sept. repetita oppugnatio, ſic ut à primo diluculo, usque ad meridiem & ultra, pari utrinque virtute certaretur, multique ex oppugnatoribus magna cum cæde in foſſas præcipitarentur. Duravit

Hagek. Lupac. VVelesl. ad d. 6. Sept. Drabon. Anon. an. 1427.

Taboritæ & Orphani Kolinium obſident:

quod tandem auxilio Pragenſium,

 deni-

Digitized by Google

& deditione civium occupant.

deniq; obſidio, & ſubinde iterata oppugnatio, â latis & illatis cladibus anceps, ad Solſtitium usque: donec ipſimet cives, ne hoſtium animos irámque, uti dicebant, in ſe graviter concitarent, â quibus poſtea nullam ſalutis ſpem expectare poſſent, urbem diutiùs nequaquam ſervari poſſe contendentes, ſeditionem, ùt Hagecius narrat, miſcere, & contradicente licèt *Borzeko*, nuncios foras emittere, petitáque ab obſeſſoribus incolumitatis fide, de urbe tradenda paciſci decreverunt. Itáque acceptâ *à Procopio, & Czarda Pragenſium ductore* fide, & *Borzko* vel invito neceſſitati cedente, die 20. Decembr. deditionem fecerunt. Urbs poteſtati Orphanorum ſorte ceſſit, qui eam ab oppugnatione reparatam, & tam præſidio militum, quàm rerum neceſſariarum apparatu benè proviſam, *Czapkoni* presbytero apoſtatæ, ſed viro audaci, & manu prompto, tuendam defendendámque commiſerunt: qui anno 1430. ùt narrat Cochlæus, edidit libellum, *de bello & effuſione ſanguinis, atque occiſione omnium malorum in mundo*, â M. Joanne Przibram egregiè refutatum.

Hagek. ad an. 1427. Dubrav. an. eod. Lupac. VVeleſl. ad d. 14. Sept.

Cochl. Hiſt. Huſſit. l. 6.

Appropinquabat jam dies illius colloquij religionis causâ inſtituti; ad quod vocati erant etiam *Moravi*, locúsque nominatus, quo omnes convenirent, *caſtrum Konopiſtie*. At curâ & vigilantiâ *Epiſcopi Olom.* jam tunc *Cardinalis* factum, quòd ex Moravis honoratioribus comparuerit nullus, ſed pauculi quidam, & ij, ſolùm, qui utì egentiſſimi erant & inopes, ita ad res novas, ad ſeditiones & civiles diſcordias proniores ruebant; alij potiores numero, ordine & dignitate, quà fuêre ſemper erga Antiſtitem ſuum obſervatione & reverentiâ, & in retinenda priſca Majorum ſuorum Fide, *Catholica* nempe *Religione*, integritate & conſtantiâ, noluerunt quidquam de hujusmodi colloquio, cum Novatoribus perinde atque aliàs infructuoſo futuro audire: quinimò requirente Epiſcopo, qui metuebat, ne quid contagionis in Moraviam ex eo colloquio inferretur, edicto capitali caverunt, ne quispiã è Moravis eò quovis pacto pedem inferret. Adeò *Paſtorem ſupra gregem Domini vigilem eſſe multũ eſt.* Erat hic *Epiſcopus*, ùt dixi, *jam etiam, ob ſua inſignia in Eccleſiam merita, egregiáque facta pro Catholica Religione, & SS. Sedis Apoſtolicæ obſervantia, magnis laboribus ſuſcepta, multóque ſudore, nec ſine manifeſto aliquoties vitæ periculo exantlata, à Martino V. Pont. Max. anno Pontificatûs IX. qui erat an. 1426. in numerum S. Rom. Eccleſiæ Cardinalium, ſub titulo S. Cyriaci in Thermis, aſſumptus.* Vir usque adeò in Apoſtolicæ Confeſſionis petra ſolidatus, ut quidquid aſſentationum, minarum, machinarúmque adducerent Huſſitæ, in nullo tamen, vel latum unguem potuerit dimoveri: qui ultimò omnibus ditionibus, vitáque ipsâ exui maluiſſet, quàm ut ſibi commendatos â Deo & Eccleſia populos, prolabi in hæreſim, ſuâ culpâ aut negligentiâ, permiſiſſet; haud ignarus, minimè conſentaneum eſſe, ut religionis ſanctitatem, æternámque ſuorum ſalutem, proprijs commodis poſteriores duceret. Vir ſanè incomparabilis, & vel idcirco hâc Eminenti prærogativâ digniſſimus.

Moravi Proceres pleriq; colloquium cum Huſſitis Bohemor. reſpuunt.

Epiſcopi Olom. jam tunc Cardinalis inſigne præconium:

Gualter. in Catb. Cardin. fol. 49c. MS. Archiv. Cap. Metrop. Prag. Cruger in Jun. ad d. 23. MS. Anon. Prag. MS. Trebic.

Neque Bohemorum, qui adhuc in Catholicæ Religionis obſequio perſeverabant, curã prætermiſit, quos cùm ipſemet adire non poſſet, armatâ hæreſi per univerſum Regnum quaquaversùm graſſante: vel *per Prælatos & Canonicos*

ejus etiam de Bohemis Catholicis paſtoralis ſollicitudo.

nicos Pragenſes hinc inde diſperſos, vel per frequentes literas, conſtantiæ admonebat: maximè fervente hujus colloquij negotio, dehortando omnes & ſingulos ab hæreticorum pravâ ſocietate; ne fortaſſis eâdem, quæ jam alios quamplurimos, imò integras provincias corripuerat, contagione (cùm facillimè per ſe hoc malum ſerpat) inficerentur corrumperénturque. *Plſnenſes* imprimis, quos inducias cum hæreticis pepigiſſe dolebat, aſſiduis penè nuncijs hortabatur, ut ſeſe ab Huſſitarum commercio, quantum poſſent, abſtraherent, nihílque cum colloquio illo, quod obtentu ſanciendæ concordiæ, â parte adverſâ indictum eſſet, licèt amiciſſimè invitarentur, habere vellent: facilè enim accidere poſſe, ut dolis non animadverſis capiantur; latêre quandóque ſub verborum reconditâ fraude venenum; artem hanc probè nôſſe, *Korandam & Peynium Anglum*, apoſtatas inter fraudulentos, *verſutiſſimos*. Nec ſatis habuit illos toties ex parte ſua monuiſſe, ſed ad ipſum etiam *ſummum Pontificem Martinum V.* rem hanc detulit: qui pro ſuprema Paſtorali ſolicitudine, & uti erat vir apprimè oculatus, metuens, ne & ipſi, & ille adhuc reſiduus puſillus Catholicorum in Bohemia grex, Wicleffi & Huſſitarum erroribus implicarentur, Congreſſum illum omni poſſibili modo diſturbare conatus, ſequentem ad eos dedit Epiſtolam.

quos ab omni hæreticorum conſortio dehortatur:

ac imprimis Plſnenſes.

Martini V. Papæ ad Plſnenſem litteræ,

Dilectis Filijs Conſulibus & Communitati Civitatis Pilznenſis, ac Nobilibus Viris, Baronibus, & Militibus Diſtrictûs Pilznenſis, nec non Univerſitati Caſtri Karlſtein: ſalutem & Apoſtolicam Benedictionem. Intelleximus ex litteris dilecti Filij noſtri Joannis, tituli ſancti Cyriaci Presbyteri Cardinalis, quòd vos unà cum certis Baronibus, Militibus, & alijs fidelibus Chriſtianis, feciſſetis treugas cum perfidis & deteſtandis hæreticis, ſub hac conditione: quòd in feſto Natalis Domini, nonnulli ex utrâque parte debeant convenire ad diſputandum, de fide, & ſcriptura ſacra, ſuper eorum erroribus; & quòd quidquid facitis, ex puritate animi & bona fide procedat. Sed adversùs hos aſtutos ſerpentes, imbutos veneno Sathanæ, eſt cautiùs procedendum. Quidquid enim agunt, non eò ſpectat, ut ipſi converti velint ad ſanam doctrinam, ſed ut mentes veſtræ, qui eſtis fideles, ſubvertantur per verſutias & fallacias ipſorum, qui ſub ſpecie agni intrant, ut vos devorent, & animas veſtras, tanquàm lupi rapaces. Ideo devotionem veſtram rogamus, vobis nihilominùs injungentes, ut cum Fide ſtetis firmi, fundati ſuper Petram, quæ eſt Chriſtus. Nolitis ingredi vias lubricas, ne cadatis; ſed fugiatis hanc conventionem, & diſputationes inutiles, quæ nihil valent, niſi ad ſubverſionem animarum veſtrarum. Satis probata, imò comprobata eſt Fides Catholica, tot Martyrum ſanguine: & dilucidata tot Concilijs, tot Sanctorum Patrum ſanctionibus, tot Sanctorum Doctorum ſcripturis, tot expoſitionibus excellentium virorum, ut ſuperfluum ſit ſuper ea re diſputare ampliùs; ſalutare autem ſequi, quæ ab illis ſunt nobis tradita. Itaque omnino fugienda eſt hæc Conventio, in qua nihil poteſtis lucrari, multùm autem perdere. Hortamur autem vos, ut firmi ſtetis in Fide, in qua nati eſtis, & per quam eſtis ſalvandi: ac reſiſtite totis viribus adversùs blaſphemos illos hæreticos, prout hactenus feciſtis. Nam nos decrevimus vobis aſſiſtere, &,

P. Joan. Tanner in Hiſt. Sternb. part. 2. cap. 9.

quibus hortatur illos, ut ab hæreticorum commercio abſtineant,

colloquia & diſputationes illorum vitent,

& ſicuti hactenùs fecerunt,

 de

Digitized by Google

In Catholica Religione conſtantes permaneant.

de tali ſubſidio providere, quòd divinâ adjuvante gratiâ, malignantium ſuperbia conteretur, vósque non ſolùm poteritis obſiſtere conatibus ipſorum, ſed etiam ſuperare. Datum Romæ apud ſanctos Apoſtolos. III. Idus Novembris: anno Pontificatûs noſtri X.

Plſnenſes tempori ſerviunt:

An porrò interfuerint huic Conventui & diſputationi *Plſnenſes*, nihil certi habeo, quod aſſeram: quamquàm non ignorem exſtare, qui *Plſnæ* hunc Conventum fuiſſe celebratū ſcribant. Ego tamen plus tribuo fidei duobus Scriptoribus coævis, & uni, qui rebus omnibus interfuit, id unanimiter aſſeverantibus, *Konopiſſtij*, in præſentia plurimorum *Baronum Regni & Pragenſium*, hæc acta eſſe: qui etiam addunt, nihil ultimatò peractum, eò quòd ipſimet partiarij, nempe *ſacerdotes Pragenſium, Taboritarum & Orphanorum*, inter ſe de omnibus convenire non potuerint. Probabile tamen eſt, adfuiſſe etiam Plſnenſium legatos, (*antequàm fortaſſe Apoſtolicæ literæ veniſſent*) quod vel exinde conjicio, quia inducijs ad finem tendentibus, novas iterum ad aliud ſemeſtre impetrârunt: quas vix obtinuiſſent, niſi ſeſe hoc modo coryphæis Huſſitarum accommodâſſent. Quòd autem per hoc conſtantia illorum, nullâ ſpe metúq; labefactata fuerit, conſtat ex rebus deinceps ab eis fortiſſimè adversùs hæreticos geſtis: diſſimulandum in præſens, & tempori aliquandiu ſerviendum exiſtimârunt, quò vires compararent ſufficientes; quibus ſe ſuóſque impoſterum contra hoſtium molimina eò efficaciùs tuerentur.

inducias prorogatas impetrant:

nihil tamen à Catholicæ Rel. conſtantia remittunt.

Paulo antequàm hæc tam ſolennis diſceptatio, *causâ Fidei* in Bohemia haberetur, *Cardinalis* ad ſtabiliendam in Diœceſi ſua Olomuc. Catholicam Religionem, cujus inclinatio jam aliquot in locis audiebatur, omne ſuum ſtudium impendit: novúmque idcirco decretum publicari fecit, quo omnibus Sacerdotibus inhibebatur, omnis prorſus in puncto ſacrorum Rituum mutatio. Memini me alicubi inter libros Bibliothecæ noſtræ Capitularis MS. Librorum, quorum numerus excedit facilè duo millia, copiam illius vidiſſe & legiſſe; & doleo, mihi non eſſe ad manum: quærere autem illam in tanta farragine ſcriptorum, jam ſerò eſt, cum hoc ipſum, quod hodie ſcribo, & quod jam primò occurrerat ultimam manum operi imponenti, cras typis dandum ſit. In quantum tamen memoriâ teneo, potiora fuêre. *Ne ullus Sacerdos, vel Laicus teneat, vel doceat aliquem ex XLV. articulis VViclefi; ſed credat & ſentiat, ſicut Romana Eccleſia præcipit: ſpecialiter de ſeptem Sacramentis, de clavibus & Cenſuris Eccleſiæ, de cæremonijs, juribus & ritibus Eccleſiæ, de purgatorio, de veneratione SS. Reliquiarum, de cultu Imaginum, de Indulgentijs, de SS. Ordinibus in Eccleſia. Ne item ulli concionari liceat, niſi à ſe tanquàm Ordinario, vel à Vices ſuas gerente, approbato. Evangelium Deique verbum, juxta SS. Patrum interpretationem doceatur. Nihil in Miſſa, inque Sacramentorum adminiſtratione, contra jam ab Eccleſia Catholica inductum morem immutetur. Tractatus VViclefi in Bohemicum tranſlati, & alij Huſſij atque Jacobelli, ne legantur ſub pœna Excommunicationis, ſed vel comburantur, vel ad ſe deferantur.* Additum ultimò: *Cantiones dudum probibitæ, tanquàm ineptæ, ſcandaloſæ, & turbarum majorum incentivæ; præſertim in Concilium*

Cardinalis & Ep. Olom. nihil innovandum in puncto Relig. per decretum mandat.

Digitized by Google

lium Conſtantienſe, inque alios viros Catholicos, qui Wicleſiſtis obſtiterant, in vectiva; aut in commendationem Huſsi atque Hieronymi, hæreticorum condemnatorum compoſita, ne ampliùs cantari permittantur. Nec multo poſt ſequutum fuit etiam â ſupremo Principe Terræ, Archiduce, edictum ferè ſimile: quo præcipiebatur: *ut per Moraviam, Oppavienſemque provinciam priſca Eccleſia Catholica fides, citra mutationem, retineretur, donec Synodus provincialis, quæ brevi inſtituenda eſſet, fidei controverſias definiret. Addita pœna, in Sacerdotes apoſtatas, alióſque Religionis Catholica deſertores; nec non in eos, qui probibitas nuper cantilenas in plateis, in tabernis, vel in privatis ædibus, aut quibuscúnque manſionibus decantarent.* His veluti munimentis circumſeptam, voluêre *Archidux* tanquam *Marchio*, & *Cardinalis* tanquàm *Epiſcopus*, Moraviam in officio continere; ne vel ad peregrinos ritus deficeret, aut communi ſeditionum, quæ *vicinam Bohemiam* totam quantam tenebant, malo perverteretur. Fuêrunt quidem etiam *inter Moravos*, ùt ſupra jam aliquos nominavi, non pauci, quibus *Huſsitiſmus* non diſpliceret, quíque â tumultibus non eſſent alieni: verùm ubi hujusmodi homines vel tenuiter caput efferebant, mox *Archidux & Epiſcopus* in ijs reprimendis erant, non prompti modò, ſed etiam ſeveri: probè gnari, *malorum principijs, dum adduc tenera ſunt, &* ùt ajunt, *in herba, eſſe obſtandum; ſeróque nimis poſtquàm invaleſcunt, ijs medicinam parari:* præſertim hæreſi, refractario ac pertinaci malo, quod, ſi in tempore ei obvietur, faciliùs excluditur, quàm ſemel admiſſum expellitur.

Idem facit Marchio & Archid. per edictum.

Principijs obſta, ſerò medicina paratur.

CAPUT II.

Orebitarum, Orphanorum, & Taboritarum per Sileſiam, Luſatiam & Moraviam; per Miſniam item, Saxoniam & Franconiam excurſiones cruentæ: ultimò â Moravis, atque iterum ab Hungaris illata Orphanis magna clades.

EOdem anno 1427. tempore verno, *Orebitæ*, ad quos perditiſſimi quique, ſcelerati & infames, maxime ſervi, fugâ â Dominis factâ, ſicuti etiam obærati quotidie tranſibant; *Sileſiam ingreſſi*, tantâ rabiè in Catholicos ſævierunt, ut *Goldbergæ, Hainoviæ & Lubenæ*, oppidis ducatûs *Lebnicenſis*, in templo ſacerdotes, in ſcholis pueros, immani & plusquàm barbarâ crudelitate occiderent. Vim etiam intentabant *Svidnicio;* aucti aliquot Taboritarum & Orphanorum cohortibus, *Kerskio duce:* ſed in vanum, Nobilibus, qui eò maximo confluxerant numero, tum etiam civibus, urbem ſtrenuè defendentibus. Inter quos præcipui nominis erat *Chriſtophorus Kerſtorffius Eques, & Cruciger Teutonici Ord.* vetus miles, ùt qui â pluribus annis, ex quo bellum atrox & cruen-

Orebitæ per Sileſiam,
Curæus in Annal. Sileſ. an. 1427.
Theob. c. 61.
VVelesl. ad d. 19. Maji.
Ephraim Naſo in Phœn. rediv. ducat. Svidnic.

Digitized by Google

Svidnicium obſidione fruſtra tentant.

cruentum diuturnúmque, inter *VVladislaum Jagellonem Poloniæ Regem, & Crutigeros Pruſsicos*, geri cœperat, multis prælijs, & in expugnandis ſimul & defendendis urbibus aut caſtellis, virum fortem & induſtrium egiſſet: ultimò etiam â Polonis, in pugna illa horribili ad Grunevaldam, non procul Marieburgo, anno 1410. die 14. Julij commiſsâ, in qua cæſa feruntur quinquaginta millia ex parte Crucigerorum, captus cum *Cazimiro Tieſsinenſi, & Cunrado Oleſsnicenſi ducibus, & VVenceslao de Donina Bohemo*, pluribúsque alijs viris Illuſtribus, præter plebem, quæ quatuordecim millium ſummam faciebat.

Chriſtophori à Kerſtorff mentio glorioſa.

Hic igitur dimiſſus poſtea, & in Patriam redux, cùm in iſto tumultu *Svidnicium* ſeſe recepiſſet, defendendæ urbis præ alijs, conſilium curámque ſuſcepit: & quia magna erat apud omnes, cives juxta ac cæteros Nobiles virtutis ejus, peritiáque militaris opinio, facilè etiam alios ad capeſſenda arma, reſiſtendúmque hoſti ſuo exemplo impulit: atque ita omnibus animandis & cohortandis invigilando, rebúsque gerendis accuratè, & pro diſciplina militari providendo, & ſubinde dum occaſio ferret, inopinatò foras excurrendo effecit, ut hoſtis ſpe ſuâ fruſtratus, cum ignominia, nec ſine clade recedere compulſus fuerit.

cum clade recedunt.

MS. Anon. ad an. 1427.

Taboritæ & Orphani in Luſatia ſuper. agunt: Lubnam obſident;

Non minori crudelitate, eodem fere tempore, cæteri ac potiores ex *Orphanis & Taboritis*, ex Auſtria & Hungaria reduces, egerunt *in Luſatia ſuperiori*, Procopio utroque præſentibus, promiſcuè in omnia ſacra & prophana graſſati immaniter. Die 12. Maji, *Lubnam* obſederunt, & ſtatim die ſequenti, duabus è partibus oppugnârunt, admotisque ſcalis muros conſcendere cœperunt; ſed utrobique cives vim illorum, magnâ licèt pertinaciâ irrumpentium ſuſtinuêre, ita ut nullo operæ facto pretio, recedere cogerentur: quod iterum die tertiô factum. Quintâ demum obſidionis die, cùm cives fortunæ, quæ eis huc usque tam placidè arriſiſſet, nimis creduli, & exinde majora auſi, foras erumpere, & hoſtes jam fortaſſe diſceſſum parantes ultrò laceſſere non dubitarent; accidit, ut quamquàm primò aggreſſu haud mediocrem fecerint ſtragem hoſtium nihil tale opinantium; paulo poſt tamen, ubi illi more ſuo conglobati acriùs reſtitiſſent, ſummóque impetu in cives facto, & horrendo clamore ſublato, primos ordines partim disjeciſſent, partim obtriviſſent penitùs, reliqui videntes ſibi, inſtantium hoſtium vehementiâ, omnem repugnandi poteſtatem eripi, parvo labore & illi fuſi profligatíque terga vertere debuerint.

oppugnant, ac tandem,

armatâ manu occupant, exſcindunt;

Tanta autem ſimul fugientium civium & militum multitudo fuit, ut & ſeſe invicem impediverint, & valvæ portarum â cuſtodibus nequaquam claudi potuerint; ſic ut hoſtes, qui eorum fugam pari curſûs celeritate aſſequi contendebant, ſimul cum illis ingrederentur portas, ac tandem & ipſam civitatem occuparent. Tum efferatâ rabie in cædes itum, *fitq́; ſtrages penè infinita*, ùt narrat Krantzius, *in omnem populum.* Clerus & cives aliique confugientes in templum, hymnum *Salve Regina*, (quidam volunt, *Regina Cæli*) ſonoris vocibus decantantes, agonem ſuum Deo & Beatiſſimæ Virgini Mariæ commendabant: *mox adſunt barbari ſtrictis cum gladijs, raptósque* ex ulnis matrum parvulos diſſecant medios, Sacerdotes confodiunt, anus obtruncant,

Krantz. in VVand. lib. 11. cap. 9. Cochl. lib. 6. VVelsl. ad d. 16. Sept. MS. Anon.

virgi-

virgines adultas,& juniores fœminas ad libidinem reſervant; nulli parcunt ordini, ſexui vel ætati,cædibus,cruore & cadaveribus replent omnia; ultimò civitatem diripiunt, & ſuccendunt. Multi tum Sacerdotes, qui illuc ex vicinis locis, aliqui etiam ex Bohemia confugerant, miſerabili,ſed *pulchrâ pro Chriſto, & Catholica Religione, morte* trucidati ſunt. Inter alios, ùt narravi nuper; erant *Canonicus unus Metropol. Prag. Eccleſiæ, M. Joannes de Launa*; & duo Altariſtæ, *Andreas de Jablonna & Procopius*, atque unus è Vicarijs, *Marcus Sſobka*. Parochus autem captus,&quatuor equis per pedes & manus alligatus, ſicque in partes quatuor crudeliſſimè diſcerptus.

in Phoſphoro Gloria Metr. Prag. Eccl. Rad. III. pag. 223. Krant. in VVand. l. 11. VVeleſl. ad d. 16. Maji.

Cognito poſt, *Miſnenſes, Saxones & Thuringos* congregari in unum, jámque *Fridericum Electorem* cum octo millibus peditum, & aliquot turmis equitum in promptu eſſe, Procopius utérque, ſcientes ſe ad ineundum prælium non ſatis inſtructos, illos expectandos minimè cenſuerunt, ſed indictâ ad diem 20. Maji profectione, *in Sileſiam*, ut ſuis ſeſe conjungerent, properârunt: unde poſtea ſimul, poſt fruſtra tentatum, ùt jam narravi, *Svidnicium*, factâ adhuc unâ crudeli excurſione per regionem vicinam, & ſupra ingentes abacti pecoris minoriſque greges, etiam aliarum rerum congeſtâ prædâ magnâ, villis verò & oppidis incenſis, domum reverterunt. Hagecius ſcribit, cui & alij, qui tum temporis vixerunt, dum hæc agerentur, conſentiunt; *tantam ab illis copiam pecorum omnis generis in Bohemiam adductam fuiſſe, ut XV. vaccæ, vel etiam boves, duabus ſexagenis groſſorum Prag.* quæ faciunt nonnihil plus, quàm duo ſcuta Italica, *emi potuerint.* Ex itinere audientes Orphani *Matthiam Salavam* (virum Equeſtris ordinis, & Familiæ perantiquæ, cujus poſteri hodiéque ſuperſunt in Moravia) unà cum *Hradecenſibus, Jaromierzenſibus & Dvvorenſibus* obſidere caſtrum *Czerveno-Horam*, eò diverterunt, & recentibus ſuis viribus oppugnationem inſtaurârunt: quorum acceſſione, & continuatis inſultibus obſeſſi conſternati, fractique animis, pactâ cum *Salava* vitæ rerúmque omnium incolumitate, præſertim ut ſecuri, quo vellent, abire poſſent, caſtrum dedidêre; quod ille ſine mora dirui, ſolóque æquari juſſit.

in Sileſiam movent: in Bohemiam cum luculenta præda revertuntur.

Bello deinde Bohemico, in *diſtrictu Pilſnenſi*, contra Germanos, ùt jam diximus, fervente, eóque tam *Pragenſibus*, quàm *Taboritis*, ac cæteris eorum aſſeclis multùm occupatis, *Sileſij* ut cladem nuper acceptam ulciſcerentur, magno numero expeditionem *in Bohemiam*, ad vaſtandum quoque & depopulandum vicinum *diſtrictum Hradecenſem*, ſuſceperunt; tanto ſilentio, ut Bohemis, qui *Homolæ, Frimburgi, Opocznæ*, ac alijs locis, in præſidijs erant, de eorum itinere nihil planè conſtaret. *Otto* etiam *Glaubicius*, arcis Glacenſis præfectus, cum *Panovicijs, Ratczinis, Hodicijs, Hanguicijs*, aliiſque nobilibus viris, ſponte ſe eis conjunxit. Jam *Sileſij* tranſcenſis montibus, & eodem itinere, quo ante ſex annos, eádémque ferociâ ſævientes igne & ferro, penetrârunt ad *Nachodium* usque, cùm primò vicinæ urbes, eo ſubitaneo hoſtium incurſu vehementer perculſæ ad arma conclamarent. *Hradecenſes* ante alios, juventute omni arma capeſſere juſſâ, in hoſtem prodierunt; quod fecerunt,

Sileſij ultionis cupidi in Bohemiam irrumpunt.

& unà cum ijs, Glacenſis Nobilitas:

uti periculum poſtulabat, etiam *Jaromierzenſes Dvvorenſesque*; emiſſis hinc inde nuncijs, ut & alij, ad commune periculum avertendum propulſandámq; vim hoſtium quantocyùs accelerarent armis inſtructi. Quibus cùm *Matthias Salava*, cum haud contemnenda manu militum acceſſiſſet, itum rectà *Na-*

Nachodium obſident,

chodium versùs, quod jam hoſtes gravi obſidione premebant, breviq; civitatem expugnaturi videbantur, arce, quòd in præalto loco ſita eſſet, nec tentatâ. Intereà hoſtes ad dolum converſi, quaſi illorum adventum minimè expectandum cenſerent, obſidionem ſolverunt; & ſimulatâ fugâ, ſeſe pedetentim in proximas ſylvas ac convalles retrahere cœperunt; relictis in primo deſcenſu vallis denſioribus arbuſtis obſitæ, ideóque pro inſidijs ſtruendis opportunæ,

Bohemos profligant;

aliquot ſuorum manipulis. Cúmque Bohemi, tam auxiliares, quam oppidani procurrentes foras, magno animorum ardore, ſummáque celeritate, eorum inſiſterent veſtigijs, fraudis & inſidiarum ignari, usque adeò, ut jam poſtrema agmina carperent cæderéntque: tum illi frontem, ut ſigna extemplò converterunt, & non ampliùs quidquàm cunctati, prælium, quod parati inſtructique expectabant, inierunt. Fit pugna atrox; maximè ubi ad manus, ad clavas & gladios ventum fuit; ſed erumpentibus ſubitò illis, qui in inſidijs erant, res Bohemorum iniquiori loco & fortunâ verſari cœpit, ut tandem ex omni

domum redeunt.

parte preſſi, receptui dare compellerentur. Quos Germani cædendo & vulnerando usque ad portas civitatis proſequuti, magnam in eis ſtragem ediderunt: *Salava* ipſe ampliùs dimidiâ ſuorum parte amiſsâ, ægrè nec ſine vulnere evaſit. Partâ victoriâ, *Sileſij ad Nachodium* denuò caſtra reduxerunt; civitatem tamen ampliùs non oppugnârunt, ſed audientes totam jam provinciam eſſe in armis, ac veriti, ne ſibi præcluderetur regreſſus, exuſtis ſuburbijs, eâ quâ venerant viâ, in Sileſiam redierunt.

Hinc Bohemorum majus in Sileſios odium.

Hinc atrociora, & majore, ſi unquam, ulciſcendi ſtudio, *exarsêre Bohemorum contra Sileſios odia*, ut non deſtiterint etiam deinceps, jam *Orebitæ cum Hradecenſibus*, jam *Taboritæ cum Orphanis*, ijs eſſe ſummè, imò extremè graves. Et quia non poterant hoc anno, obſidione *Kolinij*, prout narravimus ſupra, & alijs quoque difficultatibus impediti, ſequenti anno, nempe 1428. id abundè ſatis compenſârunt: dum ſtatim initio veris, *Taboritæ & Orphani*, novam eámque maximè luctuoſam irruptionem in *Sileſiam* fecerunt, & omnia populando crudeliter & urendo, primò *Ducatum Münſterbergenſem* totum, à *Warta* incipiendo; deinde iterum *Svidnicenſem*, *Javorienſem*,

Orphani & Taboritæ denuò Sileſiam vaſtant:

Lebnicenſem, ac tandem *Wratislavienſem*, maximis affecerunt cladibus, terrore ac formidine etiam munitis Urbibus *Wratislaviæ*, *Svidnicio*, *Lebnicio*, *Javorio & Lemberga* non levi illato. Arsêre in eo terrarum tractu longè latéque ad aliquot milliaria extenſo, & tam incolarum frequentiâ refertiſſimo, quàm rerum omnium abundantiſſimo, oppida & civitates: *Rychba* ſeu *Reichenſteina*, *Frankſteina* (ubi Religioſi Ord. Prædicat. partim ferro, partim

Civitates & monaſteria populantur:

igne ſublati) *Nemczium*, *Strzela*, *Briga*, *Oſtrzebomum* ſeu *Striga*, *Liſſa*, *Parchvicium*, *Neomarka*, aliǽque minoris gentium. Monaſteria item, *Griſſovienſe*, *Henrichovienſe & Kamenicenſe Ord. Ciſterc. Gorkenſe ad Sobotkam*

Canon

Digitized by Google

Canon. Regul. S. Auguſt. Caſtrum *Sobotka* in præalto monte ſitum, vulgò *Zobtenberg* occupatum, & *Joanni Koldæ de Nachod.* datum eâ lege, ut exinde *Wratislavienſium Svidnicenſiumque* fines, aſſiduis excurſionibus infeſtaret.

MS. Drabon. an. 1428. Curæus. Schikfuſius. MS. Anon.

Converſi deinde (poſtquâm hìc incendijs, ſanguine, cædibus & rapinis implêſſent omnia) in *Ducatum Grotkovienſem*, & ex itinere Paczkoviâ occupatâ ac incensâ, ad *Niſſam* venerunt, paratis ad oppugnationem animis; ſciebant enim *civitatem eſſe prædivitem & opulentam*, inſuper divitijs â vicina Nobilitate eò ſecuritatis causâ congeſtis, tum temporis vel maximè refertam.

Niſſam obſident.

Dum jam propè civitatem conſediſſent, egreſſi civium aliqui in equis apparuêre, quos tamen ulteriùs accedere non auſos, ſed ſublato tantùm clamore diſcurrentes, *ſagittarij Taboritarum* primo ſtatim excurſu facilè ſubmoverunt. Poſtero die majore numero effuſi ex civitate & ſuburbijs, minutiori prælio certaverunt duobus in locis, maximè cum Orphanis; & multis utrinque cadentibus, diu ſatìs *æquo Marte* pugnatum fuit. Sed ubi *Procopius* cum ſuis ſubſidio ſocijs accurrit, tum majori ac terribiliori conatu prælium recruduit: tantus autem fuit hoſtium ardor, ut cives illorum ſummâ vi, & cæcâ quâdam rabie irruentium impetum non ampliùs ſuſtinere valentes, receptui dare compellerentur: fugientibus inſtabant hoſtes, ac per totum ſuburbanæ regionis vicum, ad portam usque civitatis, terga cædendo ſternendóque inſequebantur.

cives foras erumpunt; fit pugna atrox.

Furore deinde verſo in ſuburbanas ædes, illas expilârunt & incenderunt, trucidatis omnibus incolis, quos deprehendere poterant, tantâ crudelitate, támque barbarâ feritate, ut nec ſexui, nec ætati parceretur: propéque erat, quòd & civitas ipſa *Vulcano furenti* ceſſiſſet, niſi ſingulari fortunâ *Subſolanus* repentè exortus, vim flammarum alìorſum avertiſſet.

ſuburbiorum excidium.

Suburbijs exuſtis, ad ſubigendam civitatem animos viréſque adjecerunt. Inerant præſidiarij, quos *Cunradus Epiſcopus* opportunè conduxerat, centum viginti, omnes pedites, multiſque retroactis ſtipendijs probè exercitati; ac præterea *Puta de Czaſtolowicz Baro Bohemus*, Catholicæ Religionis obſervantiſſimus, & peritiâ quoque militari inſignis, cum aliquot alijs viris Illuſtribus, & eorum famulitijs, ita ut omnium, & præſidiariorum numerus ducentos non ſuperaret: ſed cives & vicini agreſtes, qui eò res ſuas comportaverant, Nobilium & militum alacritatem, virtutémque æmulabantur, eò etiam animoſiùs, quòd pro fortunis, liberis, & pro *patria* pugnabant.

Weledas. & Cruger. ad d. 18. Martij an. 1428.

Puta Baro Bohemus fortiter defendit civitatem.

Unde fruſtranei erant omnes hoſtium conatus, ita ut repulſi ac rejecti ſemel atque iterum, non ſine cæde & clade, in caſtra compellerentur, ac complures ex ſe ipſis, etiam ex ductoribus & primipilis deſiderarent. Exorto poſtea inter *Taboritas & Orphanos* diſſidio, ob inæqualem prædarum diviſionem, obſidio ſoluta eſt. Efferbuerunt tunc contra ſe invicem hi latronum cumuli, adeò accenſis & efferatis animis, ut vix non in mutuas deſcenderent clades: negotio tamen compoſito, diſceſſerunt pacatè, *Orphani in Moraviam*; Taboritæ denuò *in Sileſiam infer.* versùs *Brigam*, ac deinde in Bohemiam, expilatis priùs, ac ferro flammáque vaſtatis reſiduis in eo Sileſiæ tractu oppidis & caſtellis, ita ut pulcherrima illâ regio, in buſtum quoddam ipſo aſpectu horribile, converſa videretur.

Drabonic. ad an. 1428. MS. Anon. an. eod.

MS. de Drabonicz ad an. 1428.

Orphani Moraviam infeſtant:

Hoc

Digitized by Google

Brunam obſident.

Hoc modo *Bellona ferox* barbaram hanc plebem denuò in *Moraviam* traduxit, quæ irruptione repentinâ magnam multis intulit cladem: ex quibus non pauci, ſupervenientibus inopinatò hoſtibus, cum familia & pecoribus prædæ fuêre toti. Poſtea fixis ad Brunam caſtris, *Orphani* oppugnandam urbem ſuſceperunt; ubi tamen omnia conatibus ſuis adverſa experiebantur, ita ut â *Taboritis*, qui tunc ad *Alto Mutam* ſtativa habebant, ſuppetias petere cogerentur. Interea *Archidux* & *Cardinalis* urbem ê præcipuis unam minimè deſerendam rati, néve cives deſperatis auxilijs duriùs ſibi conſulendum putarent, ſine mora ad comparandum militem, & ſub ſigna ocyùs evocandum, conſilia & animos converterunt. Et hic quidem clientes ſuos omnes, arreptis extemplò armis, *VViſſkoviam* convenire juſſit: ille verò *Poſonij* tum temporis agens, per celeres nuncios, *Jano Kragirzio, qui Luntenburgo præerat, &* *Oſvaldo de Hradek*, quibus ob linguæ Germanicæ commercium multùm tribuebat, cæteríſque præſidiorum *per Auſtriam & Moraviam* præfectis, ut in unum ſeſe conjungere, & quamprimùm obſeſſis ſuccurrere maturarent, dederat in mandatis; haud leve eſſe periculum in mora conſtitutum aſſerens, cùm obſeſſi aliquot dierum oppugnatione exagitati, & nonnihil jam viribus â continuo labore & vigilijs fracti, ni maturrimè adſit auxilium, actum de ſe atque urbe eſſe identidem nunciarent. Quæ Principis præclara voluntas, tam ſibi laudabilis ſummæque plena gloriæ, quàm ipſis magno ſolatio fuit, ac confeſtim omnes in id totis incubuêre animis, ut quantocyùs ſuccurri poſſet obſeſſis. Interim, dum ij foris ſolicitantur anxij, cives ad patrandum aliquod inſigne facinus, quod pernicioſum hoſti foret accenſi, *die XV. Maij* ſummo diluculo eruperunt ex urbe; ac primò in ſtationarios, qui propè ſuburbium intra carrorum ſepimenta excubabant, validiſſimum impetum fecerunt, fuſíſque illis, & caſtra ipſa adorti, cuncta maximo impleverunt tumultu: initúmque eſt, *VVelykone* aliíſque Orphanorum ducibus, ad capienda arma excitatis, & alijs ab omni caſtrorum parte concurrentibus, certamen atrox: in quo cives premere hoſtes & occidere, partim intra curruum anfractus trucidare, partim in effuſam fugam vertere. Neque dubium erat, hoſtes eâ die facilè fundi caſtríſque exui potuiſſe, (jàm enim totis caſtris trepidatum fuit, & pridie magna illorum pars ad expilandum *Tiſſnovienſe cœnobium* diſceſſerat) ſi aliquanto validior aggredientium manus adfuiſſet. Duravit nihilominùs pugna plusquàm dimidio ſpacio horæ: hoſtibus tandem in unum conglobatis, cùm cives pauciores eſſent, quàm ut vim illorū ſuſtinere poſſent, receptui potiùs intenti, certamen diremptum eſt. Eâ oppidanorum audaciâ hoſtes perculſi, & exinde in vindictam proritati, quoniam aperta vis hucusque minimè procedebat, aſtu & fraude aliquid tentandum conſtituerunt. Auxit porrò *VVelykoni* rei gerendæ fiduciam, quòd intra urbem aliquos partium ſuarum haberet ſtudioſos, quorum auxilio & operâ deſideratum conatibus ſuis ſucceſſum obtinere poſſet: cum quibus idcirco per occultos (neſcio quâ arte & induſtriâ,) nuncios egit, & rem etiam, qualiter inſtitui deberet, peregit.

Epiſcopus Olom. & Archidux quantocyùs opem ferre obſeſſis conſtituunt.

Brunenſes in hoſtium caſtra erumpunt:

réque haud improſperè geſtâ,

triumphabundi in urbem redeunt.

Theobald. de bello Huſſit. part. 1. cap. 65. Marian. in Topograph. Morav. MS. Adalberti à Pernſtein an. 1428.

Secùs tamen accidit. Cogniti námque duo ê conjuratorum numero primarij

marij in urbe, & in vincula conjecti, dignas meditati ſceleris, *uti proditores patriæ*, luerunt pœnas: hoſtes verò ignari ipſorum ſortis, dum conſtitutâ die, quæ erat XVII. Maij, ſuſceptâ oppugnatione pleno cum impetu in muros, potiſſimùm verò *ad portam Regio Campo obverſam*, & à proditoribus fortaſſis condictam provolâſſent, eâ propugnatorum virtute ac fortitudine tulerunt repulſam, ut ſumma cum ignominia, nec minori cæde, regredi ad caſtra compellerentur, præcipitis dementiæ ac credulitatis alter alterum arguentes, quòd, non, ut ſvaſiſſent aliqui, repetitæ oppugnationis difficultatem, quam antea jam experti erant arduam, declinâſſent. Inter hæc *Procopius Major cum Taboritis advenit*; cujus præſentiâ *Orphanorum* animi, in ſpem fortunæ melioris, adeò fuêre erecti, ut oppugnationi urbis inſtanti curâ, aſſiduiſque viribus incumbendum, quò tandem ferocia civium obtundi poſſet, minimè dubitarent.

Proditio urbis patefacta.

MS. de Pernſtein. Crugerius ad d. 17. Maji. Balbin. in Epit. r r. Boh. l. 4. cap. 11. prope init.

Sed neque *Cardinalis* cunctandum cenſuit, qui die ſequenti *VViſſkoviam* appulit; *Kragirzius* etiam cum alijs poſtridie ſeſe ei adjunxit, ita ut in univerſum copiæ, octo millia militum, inter quos veterani complures erant, efficerent. Opportunè verò ad totius victoriæ momentum accidit, quòd *mille atque ducenti Hungari equites à Cæſare miſſi*, adveniſſent: qui magno omnium applauſu atque lætitiâ excepti ſunt. Progreſſi *Brunam versùs*, *ad Slapanicium caſtra poſuêre*: ubi nullis excitatis ignibus ſomnum cepêre alij, alij vices excubiarum agere juſſi. Appropinquante demùm aurorâ, duces, ante omnia curare corpora ſuos jubent; quo peracto, alacres animis corporibúsque, nec non irarum ſpeíque plenos è caſtris educunt; cúmque jam venirent in conſpectum hoſtium, ubi ſtatim verba res erat ſequutura, enixè pro victoria cunctos hortati ſunt. Similiter *Procopius & Welyk*, exploratо jam antè adverſariorum conſilio, nequaquam demiſſioribus animis ſe ſuóſque ad certamen diſponebant, nihil eorum, quæ providorum ducum exigeret munus, omittentes: primóque omnium, ne cum duplici hoſte ancipiti prælio dimicare cogerentur, caſtra longiùs ab urbe retraxerunt, & ubi opus erat, denſo carrorum ordine, præſertim à tergo, quò tutiores eſſent ab equitum Hungarorum aſſultu, circumdederunt. Concurſum deinde eſt terribili utrinque ſublato clamore, diúque certatum, *undarum ritu accedentium recedentiúmque; adeò ſeſe invicem loco pellebant, ac pellebantur*. Sed recentes ſubinde alios atque alios *Cardinali* ſubmittente, nutare primùm hoſtes cœperunt, ita ut ex anteſignanis primi, & alij poſt illos disjecti pedem referrent, ac turbatis ordinibus retrò ſeſe jam reciperent: ope tamen *Welykonis* (*Procopio in altera parte, contra Hungaros equites caſtra perrumpere conatos, rem gerente*) cum ſelectiſſima manu adcurrentis adjuti, impigrè pugnam reſtaurârunt, quam pari ferè, & æquato virium ſucceſſu ſatis diu ſuſtinuerunt. Verùm cùm nova rurſus manus, *Moravis* ſubſidio ex civitate erupiſſet, & aliunde etiam acceſſiſſent duæ cohortes, *Oſvaldo, & Kuzelio juniore de* Kvvaſicz ductoribus, vim ab omni parte in ſe ruentium ferre ampliùs nequeuntes, remiſſiùs pugnârunt. Ad extremum diremit certamen cedens veſpero dies, & *Taboritis* intra ſepimenta curruum contruſis,

Auxiliares copiæ urbi appropinquant:

ac ſeſe ad prælium diſponunt:

cum Taboritis congrediuntur.

ancipiti prælium, jam his, jam illis prævalentibus.

anceps victoria.
Cæſi è Fidelibus.

Moravi ad urbem propiùs conceſsêre. Perierunt eo prælio è *Taboritis* & *Orphanis ſexcenti & aliquot*; ex parte altera, ultra mille: inter quos præcipui nominis erant, *VVilbelmus Comes ab Hardek*, *Joannis*, *quem ſuprà à Bohemis captum diximus*, *à fratre nepos*; *Albertus de Ludanicz unius legionis præfectus*, *Carolus* Chotſky / *VVenceslaus de Kaunicz*, *VVolfram de Zeletavva*, *Joannes de Roztok armiger Cardinalis*, & *Sigismundus Salava centurio.*

MS. Drabori. ad an. 1428. MS. Pernſt Trebic. an. eod. MS. Anon.
Cardinalis de proſequendo bello conſultat.

Noctu deinde varij erant in utriſque caſtris animorum habitus: alij mærore, alij gaudio, in ſuis contubernijs agitabantur, prout quiſque ſocium vel propinquum amiſerat, vel opimâ prædâ fuerat potitus. Orto Sole, *Cardinalis & Kragirius* inito cum cæteris ducibus militari conſilio, variè pro cujusque ingenio diſſerebant. Ij, quos in prælio ſtrenuè rem geſſiſſe conſtabat, & qui exinde majores quàm antea ſpiritus ſibi deſumpſerant, invadendum iterum hoſtem, cladéque præteritâ conſternatum omnino delendum, judicabant. Alij verò complures erant, & *Kragirius* imprimìs, qui vires hoſtium, & ſingularem mirámq; induſtriam ſeſe intra ſepta curruum tutò ac celeriter recipiendi, valdè extollendo, exercitum nequaquam diſcrimini ſecundò objiciendum arbitrabantur: ſed ſervandum potiùs, in cujus incolumitate ſalvæ & incolumes tam Moraviæ, quàm præſidiorum Auſtriæ, ex quibus collectus eſſet, res forent: *quid enim aliud videri debeat, hoſtem novâ pugnâ adoriri, quàm feras exagitare, atque ipſas ultimo ſalutis periculo efferatas irritare? ultima ſiquidem neceſsitas frequenter in rabiem vertit, atque eos plerúmque, qui penitus de vita deſperant, ex timidis longè fortiſsimos facit.* Satisfactum jam Principi eſſe, urbe periculo exemptâ: carpendum tamen hoſtem minoribus prælijs, impediendúmque, nè liberè uti antea per obvia quáque graſſari poſſet: interea tempus, animos motúsque ulteriores hoſtium, clariùs oſtenſurum, explicaturúmque tutiorem conſilijs viam. Atque huic ſententiæ aſſenſerunt facilè omnes.

Kragirius hoſtem cogere in extrema non cenſet.
Deſperatio ultima virtus.

Taboritæ & Orphani caſtris ſeſe continent:

Taboritæ vero & *Orphani*, toto ſequenti die intra caſtra ſeſe continuerunt nonnihil triſtes: quod *Cardinali & Kragirio* haud mediocri admirationi & curæ fuit, ſilentium illud variè interpretantibus, & non minùs quàm arma ſuſpectantibus; cùm tamen illi metuentes, ne ſupervenientibus ex *Hungaria & Auſtria* majoribus auxilijs, iniquiori fortunâ certare cogerentur, non niſi maturum in tutiora diſceſſum cogitarent. Noctu deinde, diſpoſitis ad iter cunctis, ſecundam circiter vigiliam, ſummo ſilentio adhibito, nec dato tubis aut tympanis, ùt fieri ſolet, ſigno, ſed miſſis tacitè per contubernia nuncijs de profectione commonefacientibus, abceſſerunt. Sed neque *Moravi* cognito illorum diſceſſu, fugæ haud abſimili, inſequuti ſunt cedentes; exceptis *Hungaris*, qui aliquandiu inſtiterunt fugientium veſtigijs: longiùs tamen versùs montana excurrere non auſi, inſidias veriti, nullâ re memorabili geſtâ redierunt.

noctu Bohemiam versùs diſcedunt.

MS. Bernſtein, qui aſſerit ſe hæc in libro veteri, MS. Carthuſiæ Brunenſ. legiſſe. MS ſupra cit. Theobal. cit.
Moravi loca multa recuperant.

Vindicatâ in hunc modum à periculo *Brunâ*, & hoſtibus *Provinciâ* egreſſis, *Kragirius* vicina caſtella & oppida, *quæ ab Huſsitis tenebantur*, oppugnanda ſuſcepit: primóque *Poborzelicium* adortus, facili negotio eo potitus eſt. Præſidiarij ſiquidem numero admodùm pauci, cùm adverterent oppidanos

in

Digitized by Google

in partes Kragirij haud obſcurè inclinari, ſe verò ad reſiſtendum viribus omnino impares, nec expectatâ oppugnatione, incolumitatem pacti, ceſſerunt præſidio, & abire *Krumlovium* permiſſi ſunt. Quo cognito, vicini etiam, qui *VVlaſſaticium Hruſſovaniúmque* tenebant, nequaquam ſe dubijs & periculoſis fortunæ caſibus objiciendos arbitrati, caſtellum utrúmq; *Kragirio*, ſtatim ad primum ejus adventum tradiderunt. De *Krumlovio & Evanczicio*, num pari fortunâ, *Kragirius* recuperanda ſuſceperit, non meminit Author meus de *Pernſtein*, è cujus *Commentarijs de motibus Huſsitarum per Bohemiam & Moraviam conſcriptis*, pleráque hæc delibata refero. Credibile eſt, *Baronem Lyppeum* per id tempus coluiſſe cum vicinis comiter amicitiam & pacem, neque permiſiſſe præſidiarios, quos habebat, ut cuiquam excurſibus eſſent graves: *Broda* verò *Hungarica* jam antea ê manibus hoſtium erepta fuit. *Kragirium* porrò ad finem hujus anni, *Capitaneum Moraviæ*, qui Provinciam ſuprema cum poteſtate adminiſtraret, tuendiſque finibus invigilaret, ab *Alberto* conſtitutum; *Cardinalem verò à Sigismundo*, bello ſub id tempus novo cum Turcis implicito, *ut conſiliorum ſuorum ageret moderatorem, in Hungariam vocatum* reperio.

MS. Pernſ. ad an. 1428.

Kragirius Capitaneus Moraviæ conſtituitur.

Procopius nihilominùs iſto adhuc anno, *cum Taboritis*, novam excurſionem *in Moraviam*, ac inde in *Auſtriam* fecit; ſummâque celeritate uſus, & obvia cuncta vaſtis cladibus complens, *ad Kornauburgum & Viennam* usque penetravit: totósque XI. dies impunè graſſatus, cùm poſtmodùm *Auſtriacos* undique confluère ad arma, & *ex Hungaria* quoque auxilia equitum accurrere didiciſſet, vitandam pugnam omnem ſibi propoſuit, & cum opulenta præda, eodem quo venerat itinere, *Taborium* revertit; ubi de *interitu Jaroslai, qui erat Ziſcæ germanus frater, ad obſidionem arcis Bechinæ, ſclopeti ictu trajecti*, cognovit, multúmque indoluit. Nec multo poſt arcem illam deditione accepit. *Orphani* verò *cum Pragenſibus*, toto menſe Junio, per *Bavariam* graſſati, nemine reſiſtente, *ad Danubium* usque pervenerunt: *probibuerunt tamen Pragenſes ſævire in quemquam igne aut ferro*, ſolùm cogendis prædis dederunt locum; unde quidquid inveniri auferrique potuit, diripuerunt. *Drabonicius* narrat, illos tunc piſcinam quandam magnam *Landgravij*, perfoſſo aggere, deſtruxiſſe; reducésque ante *Cambium* magna damna feciſſe, & primò circa feſtum S. Margaretæ, Pragam redijſſe.

Cromer. rer. Polon Lib. an. 1428. Curæus part. 1.

Taboritæ per Moraviam & Auſtriam graſſantur.

Theobald. cit. cap. 65. 66. 67. Drabon. ad an. 1428.

Drabon. cit.

Eodem anno, Orphani cladis *à Barone Biberſteinio & Sileſijs, ad Chraſtavam propè Reichenbergam*, circa finem *Novembris*, acceptæ memores, ejúsque ulciſcendæ ſupra modum cupidi, ipſo adhuc *menſe Decembri*, quanquàm infeſtâ hyeme cuncta frigore & glacie rigerent, hoſtilem irruptionem in Sileſiam fecerunt, & unà cum illis *Regino-Hradecenſes*; nec fortaſſis *Orebitæ*, prædâ invitante, procul aberant. Jam in *Glacenſem provinciam* vaſtabundi penetrârunt: quibus dum *Joannes Princeps Münſterberg. è veteri Piaſtæa Regum Poloniæ familia ultimus*, cum multis Nobilibus, tam Sileſijs, quàm Glacenſibus, ad pagum *VVilmsdorff* armatus occurrit, gravi & cruento prælio caſus (quo etiam ipſemet occubuit) viam tanto licentiùs apertam reliquit, hoſti-

Orphani in Sileſiam contendunt:

Ducem Münſterb. ex itinere profligant:

Digitized by Google

hoſtibus victoriâ inſolentibus, graſſandi per obvia quæque crudeliſſimè. Magno tum in diſcrimine fuit *Glacium*, ne ab Orphanis occuparetur: ſed civium, ac imprimìs *Henrici Prioris Canonicorum Regul. S. Auguſt.* viri præter vitæ inſtitutum, audacis & fortis, animos obſeſſorum ad capeſſenda arma, reſiſtendúmque ſtrenuè concitantis, egregiâ virtute defenſum, vim & minas hoſtium feliciter eluſit. Hæc accidiſſe volunt alij anno ſequ. quo tamen ego *Orphanos* alibi, & circa idem tempus anni, bello vel latrocinijs potiùs occupatos fuiſſe invenio. Quòd autem dicam *Joannem Principem, ſeu Ducem, perijſſe tum è Piaſtæa familia ultimum*, id intelligi velim, non de totius *Familiæ Piaſtææ*, ſed lineæ duntaxat unius ex ea, nempe *Sambicenſis*, vel ùt poſteriùs vocabatur, *Münſterbergenſis* ultimo. Occiſo enim illo, manſerunt nihilominùs ex eadem Familia, adhuc non pauci agnati Principes in Sileſia: uti *Lignicenſes, Brigenſes, Glogovienſes Freyſtadienſesque, Teſſinenſes, Opolienſes, VVoleſſnicenſes, VVolavienſes, Stinavienſes, Lubenſes, Goltbergenſes, Saganienſes, Pribuſſienſes*, vera ac genuina *Piaſti*, qui apud Polonos regnare cœpit, circa annum 830. & ſucceſſorum ejus Poloniæ Regum inclyta ſoboles; & primi quidem, etiam *D. Hedvigis*, & per illam, Ducésque Meraniæ, *Caroli* Magni altiſſima propago. Quorum omnium ſeriem, nuper primò clauſit, *Georgius VVilhelmus, Dux Sileſiæ, Lignicenſis, Brigenſis & VVolavienſis, die 20. Nov. an. 1675. in ipſo juventutis flore*, anno ætatis XVI. mortuus, variolis, morbo aliàs juvenibus infeſto, oppreſſus, *Princeps gentis ſuæ, & Familiæ Piaſtææ* melioris ſexûs omnino ultimus.

Glacium fruſtra tentant.

MS. Chron. Hradec. ad an. 1428. Theobald. VVelesl. Lupac. an. 1429. ad d. 26. Dec.

Dux. Munſterb. occiſus, ultimus ex linea Sambic.

Dum hæc typis committo, ultimus omnium Sileſiæ Ducum Piaſtææ gentis moritur juvenis. O immites Parcæ!

excepto Auguſto Comite de Lignicz, defuncti patruo, ſed improli.

Ad *Orphanos* redeo, qui relicto Glacio, in Sileſiam potiùs feſtinârunt, & incipiendo â *VVarta*, per planitiem illam, *Frankſteinium* ac inde *Niemczium* versùs protenditur, ſeſe torrentis inſtar effuderunt, vaſtando, populando urendóque pagos & oppida: pecorum quod in villis deprehenderant, quódque in propinqua caſtella (ad montes & ſylvas procul diſtantes, in eo repentino tumultu non licebat) inter feſtinandum abigi tam citò non poterat, abductum omne eſt; & multi mortales partim ferro igníque abſumpti, partim, (& opulentiores vel maximè) in captivitatem rapti. Cùm deinde ad *Svidnicium*, in pago quodam, ocioſiùs, quàm par eſſet, agitarent, & excubias negligentiùs obirent, â *VVratiſlavienſibus*, quorum potior pars conſtabat equitatu, quâdam die vix adhuc benè luceſcente, ex improviſo irruentibus, terrore & clade haud mediocri affecti ſunt, & vix non oppreſſi: niſi *Kaudelnik*, unus ex ductoribus Orphanorum, & promptiores quidam, diſcincti licèt, ſed ſtrictis gladijs, præſentibúsque animis egregiè reſtitiſſent tamdiu, donec cæteri, clamore & tumultu audito, ex omni parte accurriſſent. Nec diu poſtea in Sileſia morati, quòd nihil ampliùs ob ſummam hiberni aëris intemperiem gerere poſſent, in Bohemiam, eâdem quâ venerant viâ redierunt.

Orphanorum per Sileſiam latrocinia:

ad Svidnicium clades:

in Bohemiam reditus.

MS. Chron. Regino Hrad. an. 1428. & ſequ. Theobald. in Huſſ. part. 1. cap. 67.

Tentatur pacificatio,

Sequenti anno qui erat 1429. nonnihil quietior erat per *Moraviam* rerum ſtatus, *Bohemis, ſiquo modo Cæſari reconciliari poſſent, ad pacem inclinantibus*; jámque res eo usque venit, *Meynhardo de Nova domo*, cum alijs Baronibus Bohemiæ & Moraviæ (ùt refert *Eques de Drabonicz* in Hiſtoria ſui temporis)

Digitized by Google

poris) ſeſe interponentibus, ut & locus colloquio tractationique pacis *Poſonij in Hungaria* deſignaretur, *inducijs interea à medio Quadrageſima, ad feſtum uſque S. Viti pactis.* conventu Poſonium indicto.

Fide igitur publicâ Bohemis datâ, ipſo *feſto Paſcha*, hac de re *Poſonij* conveniunt, *Caſar cum Archiduce Alberto & ducibus Sileſia*; item cum *Ulrico de Roſenberg, Joanne & Wilbelmo de Skala & Svvibovv, Nicolao de Lobkovicz, Joanne Kragirio, Oſvaldo de Hradek, Puta de Czaſtalovicz, Hanuſſio de Kolovvrat, Joanne Meſteczio de Opoczna, Zdislao Tluxa de Burzenicz, tunc Purgravio in Carlſtein*, & alijs Cæſari adhærentibus, ex parte una: & *Procopius Major cum Andrea Kerskio, equeſtrium copiarum Taborienſium duce, Alexio de Frimburg, Petro juniore de Straznicz, Genikone de Wedanicz, qui Litomiſſlium tenebat*, Wilbelmo *Koſtka, & Civibus Antiqua Urbis Prag.* cum complicibus eorum, ex parte altera: *Meynbardo, & Smilone Holiczky, de Sternberg, cum Joanne de Tovaczov & Hynkone de Lyppa*, medium inter partes, veluti arbitris, tenentibus. Per octo continuos dies, modò cum ſpe coaleſcendæ concordiæ, modò dubijs incertíſque animis diſceptatum fuit; tandem poſt multa ultro citróque agitata, pars Pragam revertit ad deliberandum: ubi Comitijs indictis, cùm Ordines conveniſſent frequentes, placuit penè omnibus, voluntatibus conjunctis, ut *Sigismundus*, in certas tamen leges, ad clavum Regni admitteretur: jámque deſtinati erant ex Ordinibus ſingulis numero complures, qui id ipſum ei in Hungariam referrent: cùm ecce *Orphani, adſcitis in ſuam ſententiam Nova urbis Pragenſis civibus*, toto virium niſu, Ordinibus contraire, nomina eorum convicijs vituperanter proſcindere, nec â ſermonibus irarum & contumeliæ *in Sigismundum* plenis abſtinere, ſúſque déque omnia agere, turbas majores indiès exciere, ac permultos in partes ſuas pellicere, *libero populo nequaquam opus eſſe rege*, pertinaciter (ſed ſtultè,) aſſeverantes. Fuerunt, qui etiam Taboritarum primores, *Procopium, Kerskium & Genikonem* fovere ſeditioſos haud vanè ſuſpicarentur, eò quòd fierent iſta, ijs non modò non repugnantibus, ſed diſſimulantibus palámque ridentibus, & haud dubie conſcijs, & in occulto juvantibus: in bello quippe & armis, ſpes illis major erat, quàm ut pacem probarent, minùs, ut Regem, futurum aliquando ſcelerum ſuorum ultorem, admitterent. Homines omnium ingratiſſimi, â Cæſare magna cum benevolentiæ ſignificatione *Poſonij* excepti, per complures diès lautè ac perofficiosè habiti, per benignè culti, honorati, imò & auro donati; quaſi perforato animo, ac transmittente acceperint omnia, nihil moti, ijdem qui venerant, redierunt, ſi non pejores; omnem illam Cæſaris benevolentiam, affabilitatem, liberalitatem & clementiam, promiſsáque ingentia, in ſequiorem partem interpretantes. *Uſque adeò inſynceras animas, ſicut impura corpora, quò magis nutrias, eò magis lædas.* Hoc modo mutata omnia, ferociente inſanâ perduellium plebe, & extrema quæq; ſaniora ſentientibus minitante; eóque paulò poſt ventum, ut *urbs Nova & Vetus*, incentore ut plurimùm *Orphanorum Duce Welyko*, incultis moribus homine, & nocendi rapiendique ſupra modum avido, poſthabitis legibus, ac con-

Arbitri pacis ex parte Cæſaris,

ex parte Taboritarum & eorum complicum.

Vetero Pragenſes & Taboritæ ad pacem inclinant;

ſed Orphani cum Novo Pragenſibus omnia turbant;

hinc bellum recruduit.

Digitized by Google

contemptâ ſuperiorum Ordinum auctoritate, mutuis inter ſe armis digladiando, cædibus fortunarúmque direptionibus, hoſtilem in modum graſſarentur contra ſe invicem immaniter.

Hagek. ad Kuthen. an. 1429. MS. de Dubon. an. eod. MS. Matthiæ Laudæ Chron. Boh. an. eod. Bilegowsky in Chron. Boh. l. 2. c. 19. an. eod.

Nova ſeditioſorum in Moravia colluvies, ditionibus Fidelium multùm gravis:

Poſt hæc, cùm pacis tractatione omiſsâ, *Taboritæ & Orphani per Miſniam & Luſatiam; Orebitæ verò per Comitatum Glacenſem & Sileſiam*, more ſuo ſævirent; *Havelius* quidam *nobilis Moravus*, cognomento *Draſil de Kogetino*, collectâ ex perditiſſimis forti manu, *Provinciam Olomucenſem*, ac imprimìs *Epiſcopatûs, aliorúmque Eccleſiaſticorum & Regularium ditiones*, incurſibus & rapinis exagitabat frequentibus, ac penè quotidianis; *Cardinali tum in Hungaria gravi morbo oppreſſo, & jam ferè in extremis conſtituto.* Dúmque plures indiès ad illum ſpe prædarum confluerent, ita ut brevi mille viros agmen ejus excederet, *Kelczium Epiſcopi Olomuc. oppidum*, & arcem negotio facili occupavit & diripuit, cùm nemo ex oppidanis eſſet, qui ſumptis armis reſiſteret, celeritate ejus omnes præventi. Erant in partibus ijs viri aliquot illuſtres, integræ adhuc Religionis & fidei erga Principem; uti *Joannes Podſtatsky de Pruſinovicz, VVok & Paulus Sovinecij, Milota de Biſtricio, Getrzich de Roſnovio, & Marquardus Sendſtrazski de Malenovviczio*, qui contractâ ocyùs trecentorum equitum alâ, ac peditum paulò altiore numero, prædatorio huic agmini maturè occurrendum ſtatuêre; ſed *Havelius*

reprimitur.

majore uſus celeritate, abactâ ingenti prædâ, eodem quo venerat itinere redeundum, vitandámque ſi qua occurreret, pugnam omnem ſibi propoſuit: quo *trans Moravam* regreſſo, & hi rediêre ad propria.

denuò inſoleſcit, & prædas agit:

Nec multò poſt illecta dulcedine prædæ, hæc *latronum colluvies, VViſkoviam versùs erupit;* omnémque circa *Hanam* tractum, obvia quæque populando, ſpatio unius diei percurrit, tantam prædam congerens, ut ei aſportandæ vix ſarcinæ & jumenta ſufficerent. Aberat tunc *Provinciâ Kragirius, â Sigismundo & Archiduce Poſonium vocatus:* proinde *Albertus de Sternberg*, qui officij ejus gerebat vices, collecto milite, & præſidijs, quæ *Brunæ, Slaukoviæ*, viciniſque oppidis & caſtellis excubabant, in auxilium evocatis, non tantùm ulteriores hoſtium conatus avertendos compeſcendóſque, ſed & injurias illatas ſeriò vindicandas ſuſcepit. Adjunxerat ſe ei cum valida cohorte

ſed concurrentibus ad arma Nobilibus,

Beneſs de Zaſtrizl, qui KraviHoræ caſtro præerat; Nobiles verò vicini convenêre equites tanto numero, ut unà cum famulatu armis probè inſtructo, quingenti numerarentur & ampliùs: conjunctis igitur viribus *Kogetinium* petierunt. At *Havelius* de his omnibus tempeſtivè præmonitus, & quia *Olomucij*

ex Provincia ejicitur.

quoque militem magno numero ſub ſigna colligi non ignorabat, excedere *Kogetinio* cum ſuis in tutiora, quàm reſiſtendo, periclitari ſalutem maluit; convaſatis itàque rebus, iter *Bohemiam versùs* arripuit. Incertum autem, quo conſilio Albertus, contra quàm illata damna vindicanda ſuſcepiſſet, fugientem inſequi prohibuit; niſi fortaſſe, quòd militem fatigare nollet, obortis tum ingentibus pluvijs, ac fœdo cœno cuncta tenente itinera, (autumnus quippe interceſſerat imbribus ſolito majoribus frequens) vel, quòd *hoſti aureum*, ùt ajunt, *pontem relinquere* ſatiùs exiſtimaret. Vir námque erat *ani-*

mi

Digitized by Google

mi moderati, non vehemens, neque pugnandi avidus, utpote cuncta circumſpectè, ac velut ad perpendiculum librans, ob idque *conſilio cautus.* Primò, dum cognovit hoſtes ex itinere occupâſſe *Gevicium*, veritus, ne ibi ſtatione fixâ vicinis, evadant longè graviores, perſequi illos conſtituit. Nihilominùs *Havelius*, cùm minores, quàm pro neceſſitudine, ſi iſthic commorari ſeque tueri vellet, copias haberet, ijs minimè confiſus, *neque jam uſpiam in Moravia conſiſtere auſus*, direpto oppido & monaſterio, *Litomyſlium ad Genikonem* conceſſit. Redierunt ſub id tempus *Taboritæ & Orphani, ex ſuperiori Saxoniæ circulo*, quem ad *Magdeburgum uſque* progreſſi, peragrârunt licenter, oppidis compluribus expugnatis & direptis: inter quæ nominatiora erant: *Dresda vetus*, *Cotysbroda*, *Riſſenſe Cœnobium*, *Strela*, *Belgra*, *Nova Cella & Guba* in inferiore Luſatia, unde multos captivos Nobiles & cives cum prædâ ingenti reduxerunt. *Perna*, *Miſna*, *Torga*, *Britza*, *VVorlicium*, *Budiſſina*, *Gerlicium*, *Zitavia*, *Ovinum* & quædam alia loca, parem cladem cum magna difficultate evaſerunt. Brevì tamen etiam *Budiſſina* eorum poteſtati, Syndici proditione ceſſiſſet: nam *corruptus ille*, ùt narrat Fabricius, *pecuniâ*, *pulverem tormentarium, infuſà aquâ, fecerat inutilem: quod cùm per nobilem quendam Cotbuſium, hoſpitem Budiſſinorum, deprehenſum eſſet; ſumitur de proditore, membris diſſectis, & corde in faciem ejus projecto, ſupplicium.* Pecuniam tamen *Procopio* quam ille volebat, numerare debebant cives, ut ſuburbia ab excidio conſervarent.

MS. Pernſtein. Taboritæ Saxoniam,

Fabric. de Origin. Saxon. l. 7. an. 1429. *Kutien. Dimonicz. an. eod.* *Luſatia Manly.* *Krantz. in VVandalia. l. 11. c. 30. an. 1430.* *Cochlæus in Hiſt. Huſſitar. l. 6. an. eod.*

Hoc rei benè geſtæ ſucceſſu animati, hoſtes, novam rurſus in partes Germaniæ, menſe Decembri expeditionem ſuſceperunt; adſcitis in ſocietatem *Pragenſium*, *Hradecenſium*, *Zatecenſium* ac cæterarum, quæ uno eodémque tenebantur fœdere, urbium copijs: quibus acceſsêre, ſpe cogendarum prædarum ducti, etiam *Geniko Litomyſlenſis*, cum *Havelio* ejúsque cohorte, & de illuſtriori Nobilitate non pauci: uti *Joannes à Pernſtein*, *VVilhelmus Koſtka à Poſtupicz*, *Joannes Zmrzlik* & alij, ita ut univerſæ copiæ XL. millia peditum, IV. millia equitum, & III. millia curruum explere dicerentur. Primò omnium *Miſniam & VVoitlandiam* bipartito agmine ingreſſi, horribili graſſatione regionem utrámque percurrerunt, expilando & urendo oppida, caſtella & pagos, (inter alia, *Lomacium*, *Mogellam*, *Dolam & Dobellam*) nullo inter hæc crudelitatis genere, potiſſimùm *in ſacratos Viros*, prætermiſſo. Quibus peragratis, petiêre *Franconiam & Bavariam*, obvia cuncta vaſtis cladibus, incendijs, direptionibus ac cædibus permiſcentes; tantúmque vicinis *Urbibus & Principibus* incuſsêre metum, ut *Norimberga*, *Bamberga*, *Herbipolis*, *Francofurtum ad Manum*, *urbes celeberrimæ*; *Erffordia item*; (ùt narrat Krantzius) *Halla*, *VVittenberga*, *Jena*, *Magdeburgum*, *Brunſvicum*, *Luneburgum*, crudeli excidio *Oſcbacij* propè Colebergam, *Smolnæ*, *Altenburgi*, *Grimmitiæ*, *Verdæ*, *Reichenbachij*, *Auerbachij*, *VVoleſnicia*, *Plavenæ*, *Hoffi ſeu Curiæ*, *Culmpachi*, *Paraiti*, aliarúmque in eo tractu urbium & oppidorum vehementer conſternatæ, in firmandis mœnibus, noviſque, ubi opus erat, extruendis, ſummam adhibere operam cogerentur: *in eamque rem*,

atque iterum Pragenſibus & alijs junctis.

Miſniam & VVoitlandiam vaſtant:

in Franconiam tandem & Bavariam penetrant:

Krantz. cit. cap. 23. Urbibus Imperij magnum metum incutiunt.

quæ idcirco ſeſe præmuniunt.

verba ſunt Krantzij, *deſumpsêre vitinos in ſuburbijs bortos & vineas, cujuscunque eſſent ditionis, monaſticæ, Eccleſiaſticæ, aut juris privati.* Additque; *Luneburgum tunc in ſumptus munitionis grande æs alienum contraxiſſe, difficilè poſtea, nec ſine gravi moleſtia ſolutum. Ratisbonenſes* ſimiliter, ut foſſas ampliarent, & pontem lapideum, per quem traijcitur in Bohemiam, validiore propugnaculo tutari poſſent, ædes tâm ſacras, quàm profanas, quæ in ſuburbio vel obſtabant recenti molitioni, vel ex propinguitate credebantur mœnibus obfuturæ, ſolo æquandas curârunt. Tandem *Norimbergenſes* ſuſcepto pro inſtantis periculi ratione conſilio, & oblatâ hoſtium ducibus, *XI. millium florenorum*, ùt ajunt, *Rhenanorum ſummâ*, ſeſe ab eorum vi & injuria redemerunt; cùm paulò ante idem feciſſet *Fridericus Burggravius Norimberg. Marchio Brandeburg. & Elector*, datis XIV. millib. eorundem floren. Quorum exemplum ſequuti: *Fridericus Præſul Bambergenſis, datis IX. millibus; Albertus Præſul Eychſtadienſis, VI. millibus: Joannes Præſul* Herbipolenſ. *X. millibus: Joannes Bavariæ Dux X. millibus: civitas Heb* ſeu *Egra, mille & ſeptingentis floren.*

Norimbergenſes, & non pauci Imperij Principes, cladem & periculum auro redimunt.

Ingenti námque multitudine hoſtium perculſi, aliâ ratione periculum præſens evitare non potuerunt. Quàm autem onuſti prædarum redierint in Bohemiam, *Equitem de Drabonicz* referentem audiamus: *Et prout*, inquit, *narrabant D. Smil de Sternberg aliàs de Holicz, D. Joan. à Pernſtein de Moravia, & famoſus Geniko tunc Capitaneus de Litomiſſl, qui cum ipſis erant ubique, tam oneratos habebant currus, ut unum ſex, octo, decem, duodecim equi trahere potuerint. Nam civitates munitas, caſtra & fortalicia ultra centum occupârunt: oppida verò & villas ſine numero. Capitaneum de Lipſia, & quoſdam Barones de Miſnia captivos adduxerunt. Reditus illorum fuit an. 1420. circa feſtum S. Matthiæ Apoſtoli, ante Carniſprivium.* Fuſiùs hanc populorum vaſtitatem, & tot urbium ſtragem, memorat *Georgius Fabricius, Ludimagiſter* quondam *Miſnenſis*, vir in Hiſtorijs valde verſatus, qui ante annos centum de *Originibus Saxonicis* ſcripſit: quem audiamus.

Drabon. ad an. 1419. MS. Regino Hrad. an. eod. MS. Budiſſenſe an. eod. MS. Luſatiæ Manly an. eod.

Taboritæ & illorum aſſeclæ, ingentibus prædarum cumulis onuſti in Bohemiam revertunt.

Fabric. in Originib. Saxon. lib. 7.

Redeunt eâdem viâ Pirnam, Veterodresdam, Miſenam, & reliquias ex agris auferunt: plebem & agricolas trucidant: oppida ipſa, propter præſidia non aggrediuntur. Facti certiores Electorem in Oſterlandia equitatum cogere, rectà ipſi in conſpectum eunt: vel ut imparatum adbuc impedirent, aut opprimerent; vel ut prælio cum eo de ſumma rerum decertarent. Itàque Albi relicto, Lomacium & Mogellam; & à latere utróque inde Dobelam, hinc Dolam, oppida diripiunt: eáque poſt ſtupra & cædes commiſſas, ritu barbarico incendunt. Brandeburgicus copias ſuas Oſcbacium, propè Colebergum ſitum oppidum, quintò à Lipſia milliario perduxerat: verùm audito Boëmorum adventu, mænibus & foſſa ſe non tutum fore ſperans, cum ipſis civibus oppidum relinquit: quod, ùt cætera ſpoliatum & direptum, immiſſis flammis in cineres redigunt. A tranſitu Mildæ fluvij advenientes arcere voluit Electoris legatus, Joannes Pollentius, qui antea in Boëmiâ militaverat, & arcem Pragenſem, Zeucbi cujusdam perfidiâ proditam receperat. Is cum octingentis equitibus, propè Grimmam eis occurrit: & præſidiarijs, qui Vurcinam tenebant, equites aliquot tranſmittit.

Frider. II. Placidus Elector Saxon. mittit ſuos contra Huſſitas.

Hoſtes

Digitized by Google

Hoſtes adventu ejus nihil permoti, agmen quadratum inſtruunt, & venientem ſine trepidatione excipiunt. In Annalibus Miſnenſibus perſcriptum eſt, Petrum Malticium in exercitu Boëmorum fuiſſe: gnarúmque rerum & locorum omnium, multùm ijs profuiſſe, ad cruentas incurſiones & rapinam immanem. Pollentius ſive cupiditate cæcâ nimiæ glòriæ, ſive uſus exploratoribus non certis, hoſtem tam propè ad ſe acceſſiſſe reſciverat. Cùm ad arma perventum eſt, hoſtis ê caſtris ſuis, quos curribus de more munierat, cum clamore & impetu maximo non expectatus erumpit: pugnatum utrinque acriter: ſed equitatus Electoris imparatus, diſſipatúsque tandem in fugam vertitur: cæſi ſupra quadringenti equites, capti verò centum & quinquaginta. Eo prælio ceciderunt de primâ nobilitate, Dietricus Vicelebius, cui adhuc ſpiranti oculos exſculpsêre, Georgius Wangenhemius, Fridericus Vicethumus, conſiliarij Wilhelmi. E Miſnenſibus annotatum inveni neminem, excepto Hugoldo Sleinicio, Joannis Præſulis Numburgani Fratre: qui inter Dobolam & Grimmam, ante commiſſum prælium capitur, & redimitur pecuniâ. Eo tempore cum ambobus fratribus Elector Lipſiæ erat, ejúsque ſocij Antiſtes Magdeburgicus Guntherus, & Marchio Brandeburgicus Fridericus, qui Oſchatio diſceſſerat. Rumores pugnæ infelicis ê fugientibus Lipſiam perlato, trepidatum vehementer eſt: quia obſidionem verebantur. Boëmi biduo morati, in quo conflixerant campo, & villas hinc inde ſpoliantes atque incendentes, fore putabant, ut Elector cum ſuis erumperet, & Nobilitatem ulciſceretur. Id an virtute fecerint, an ſimulatione, eſt in dubio: ſimulatione factum veriſimile eſt, quia relictâ Lipſiâ, in agrum Grimmanum & Choldicium, ire pergunt; in quo ſine impedimento, quæ placuiſſent agunt: & â Muldæ ripâ deflectentes, adoriuntur Aldeburgum.

Fit prælium acre,

Victoria Hussitarum.

Aldeburgi direptio.

Hæc urbs ad Pleiſſam ſita, nomen terræ Pleiſſenſi dedit: olim Burggravium imperialem habuit: eſtque una ex antiquiſſimis in hâc regione. Ad noſtros Principes autem quomodo pervenerit, eſt libro ſuperiore expoſitum. Oppidani adventu hoſtis audito, cum uxoribus & liberis tecta deſerunt, & in vicina oppida profugiunt: nonnulli etiam in latebris ſylvæ ſeſe abſcondunt. Referta urbs erat omnibus rebus ad victum pertinentibus, multâ etiam copiâ rerum aliarum. Hoſtes igitur in urbe vacuâ luxuriantur pro libitu. In arcem editam ſeſe receperat Nobilitas, ſed pauci nihil potuerunt contra exercitum victorem: nec erat quiſpiam, qui auxilium ferret, aut ſpem faceret, quò illi animoſiores redderentur. Miles barbarus cibo & potu multo obrutus, in templis, curiâ, domibus, omnia refringere atque deſtruere. De imbellibus, qui neceſſitate permanſerant per fora & vicos triumphare; nobiles in arce impetere & ſubſannare; furias & rogum erigere in conſpectu, quibus illis minitarentur cum cruciatu pœnam, & cum infamia excidium. Parte urbis ê duobus adverſis lateribus incenſâ, uno loco in ignem Divûm ſtatuas & imagines, altero hominum ſenum atque ægrotorum corpora conijciunt. Quibus omnibus inaudito crudelitatis exemplo, pro libidine perpetratis, faces ingerunt in reliqua tecta: oppidum antiquum & nobile, miſerrimum in modum complanant. Erat in urbe una Baſilica, & cœnobia tria, & ſedes Joannitarum: in quibus omnia flagitio-

Arx ibidem reſiſtit.

Impia & crudelia facta.

Digitized by Google

rum & turpitudinis genera exercuerunt: neque unâ nece, ſed multiplicibus cruciatibus ſuſtulerunt utriuſque ſexus homines religioſos: quibus facinoribus, ſe manibus & cineribus Huſsi parentare dicebant.

Boemorum irruptio & tyrannis in VVoitlandia.

Incendebant hinc inde in agris villas plurimas, tum Smolim & Grimmitiam oppida: in VVoitlandia autem Verdam, Reichenbachium, Auerbachium, & Olſniciam. Impetu autem imprimis furioſo ibant in Henricum Plavenſem: is in carcere detinebat captum Sternbergium, Baronem Boëmum, quem dare redimendum illis noluit.

Plavnæ civitatis,

Oppidum Plava inter Eliſtrum & Siram fluvios, arcem in excelſo colle habet: huic præfectus erat Georgius Radſchauerus: cum quo paciſcebantur hoſtes, ut ipſe ex arce diſcederet, milites arma deponerent, ſalvi abirent: ni facerent, extrema minitantur. Spatio ad deliberandum conceſſo, arcem in poteſtatem Boëmi accipiunt: nec pacti memores, dedititios inermes crudeliter interficiunt: inter quos de Nobilitate plures, quàm centum necati, & ſpoliati ſunt.

& arcis excidium.

Metu illo ſublato in cives ferrum ſtringunt, & ſupra nongentos trucidant: in Senatum & flamines, magis quàm in cæteros, ſuâ conſuetudine truces. Octo fratres Marianos, & quatuor Dominicanos unâ foſſâ vivos obruunt. Ædem Marianam extruxerant Burggravij Miſnenſes, qui oppidum Plavam tenebant: templum verò Dominicanorum nobilis Chaniſiorum familia. Editâ per oppidum cæde univerſorum, arcem diruunt, & tecta incendunt VIII. Cal. Febr. quo die memoriâ converſionis Pauli Apoſtoli celebratur.

Erfurdianorum metus:

Propter famam tanti ſucceſsûs, quem Boëmi habebant, trepidari in univerſâ Germaniâ cœptum eſt. Erfurdiani Henricum Vuiſengerodenſem præfectum ſuum auxilio miſerant Electori Lipſiam: ij vehementer ſibi metuentes propter claritatem & divitias urbis, ex qua prædam capere hoſtes poſſent,

quibus Epiſcopus Hildesheim. ſubſidio venit.

præfecti abſentis loco, Joannem Præſulem Hildesheimium ſtipendijs conducunt, qui ab omnibus, vir caſtris quàm Eccleſiæ aptior habebatur: is cum equitatu Saxonico in urbem venit, ſimúlque ſigna peditum tria adduxit. Militi publicè dabatur commeatus in Franciſcano & Dominicano, junctáque ea Cœnobia ſunt pontibus ligneis: militi autem pervagari urbem non licebat; & excubias ad portas & in mœnibus ipſi agebant cives. Ex his Nicolaus Talmannus cum ſocijs quinque transfugens in ſylva Schobenfurſtâ, ramis & folijs tectus, ſervuli indicio protrahitur; & eodem die, quo captus erat, gladio feritur. Comportavêre Erfudiam fortunas ſuas, & res pracioſas multi è Trebocis & Hercinijs, qui nunc Buchonij & Eiſfeldenſes nominantur, nec non finitimi ex

Trepidatum etiam in alijs magnis urbibus.

Francis montanis. Reparaverunt ſimiliter ſuarum urbium mœnia, novis propugnaculis & turribus Magdeburgenſes, Brunſvicenſes, & Luneburgenſes.

Boemorum irruptio in Franciam & Bavariam.

Boëmi Miſniâ & VVoitlandiâ peragratâ, invadunt Franciam & Bavariam: agrum Coburganum vaſtant: Colmbachum & Berreutam oppida incendunt: & ferarum ritu, tàm in plebem, quàm in honoratiores ordinis ſunt truculenti. Religioſos clauſtrales, & flamines alios aut in rogos ardentes conijciebant: aut in glaciem fluminum impoſitos, frigidáque perfuſos necabant. Gloriabantur autem, quòd novum tormentorum, mortiſque genus quotidiè excogitâſſent. Norimbergenſes numeratâ pecuniâ ſeſe ab injuria redimunt, & pacem impetrant. Idem faciebant Marchio Onolsbachius, Albertus Præſul Bamber-

ber-

Digitized by Google

bergenſis, Joannes Dux Bavariæ, Fridericus Præſul Eiſtetenſis. Subitâ enim vi oppreſſi, aliâ ratione evitare periculum præſens non potuerunt. Dies alius indictus eſt Norimbergam; quo convenirent, & de communi ſalute deliberarent ſuperioris Germaniæ Principes omnes: is erat ad IX. Cal. Maij M.CCCC.XXXI. Procopius ingenti pecuniâ, & immenſâ prædâ ditatus, favente ſibi fortunâ, quaſi ebrius, domum cum ſuis reverſurus, ad Egram oppidum religioni Romanæ addictum, ſua adverſans, cùm veniret; cives pecuniam promittunt, ut agro & ædificijs parceret. Acceptâ pecuniâ, præter datam fidem, Egranis ſubjectos ſex & triginta pagos diripit & incendit: erat enim non minùs hoſtili in ſuos animo, quàm in exteros: ut fieri plerùmque in controverſijs religionis, & bellis civilibus ſolet. Hæc urbs libera aliquando fuit, quam Ludovicus Bavarus Imp. Joanni Boëmiæ Regi ſuo oppignoravit, circa annum 1313. Fuit ea hiems calida admodùm & hoſtibus oportuna.

Principes vicini pecuniâ Bohemos placant.

Procopius Raſus in reditu vaſtant regionem Egrenſem.

In Quadrageſima irruperunt rurſum *in Sileſiam*, haud ſecùs, quàm ſi ad perniciem humani generis nati eſſent, pari paſſu obvia cuncta rapinis, igni ac ferro deſædantes: *Niemczium, Brigam & Olaviam*, quæ paulò ante *Wratiſlavienſes* eripuerant ipſis, armatâ manu recipiunt: *Trebnicenſe monaſterium*, cui antea pepercíſſent, tum in furias acti, diripiunt & ſuccendunt: *Lignicium*, quin dolo quoque caperetur, parum abfuit. Suburbium ne everteretur, ſicuti & nova *Eremus Carthuſianorum*, propè illud, in nemore à *Ludovico Duce* erectum, idem Dux intervenit, & hoſtes auro placavit. Ad *Niemczium* deinde aliquam paſſi cladem à *Wratiſlavienſibus*, haud multo poſt in Bohemiam redierunt.

denuò in Sileſiam, an. 1430.

A Paſchate *Orphani cum aliqua Taborienſium, & Novæ Urbis Prag. civium manu ſeſe in Moraviam, ac inde in confinia Hungariæ contulerunt*: inque duo diviſi agmina, pars *duce VVelyko & Zmrzliko in Hungariam*, pars cum *Procopio Minore in Auſtriam* contenderunt; magno quidem auſu, ac proſperò utcúnque initio, verùm infelici paulò poſt exitu. Hi námque *ex Auſtria* revertentes, ac opimis prædarum cumulis onuſti, dum jam *propè Podivinum* veniſſent ſequuturi ſuos *in Hungariam*, accidit, ut à fronte *Moravis*, à tergo verò *Auſtriacis*, qui citatis paſſibus inſtiterunt eorum veſtigijs, circumdati, ac veluti indagine cincti, ad conſerendas manus etiam nolentes compellerentur. *Procopius*, ubi ſe eo perductum videt, unde ſibi nulla ſpes evadendi, niſi duce victoriâ relinqueretur, abjectis omnibus fugæ cogitationibus, iter ferro aperiendum decernit; ac brevibus ſuos cohortatus, attolli ſigna & explicari, tubas canere, & primum agmen *in Moravos* irrumpere jubet, à tergo ipſemet *conatus Auſtriacorum* obſervans: pugnâ igitur initâ, ac multum diúque protractâ, dum utrâque pars ardentiſſimè prælíaretur, & *Procopius* ubi plurimùm periculi ingruere videbat adcurrendo, & ſuos cohortando aciem reſtitueret, ad extremum *Pleſſyk Procopij legatus*, egregiè pugnans, *ab haſtatis Hungaris*, qui Auſtriacis immixti erant, traijcitur: quo facto, recruduit multò magis certamen, *Orphanis ad ulciſcendam ducis cædem* ardore ſummo, iráque & dolore percitis. Diu pugnatum eſt incerto eventu ac ſummâ omnium contentione: periêréque nonnulli *clari equites Hungari*; dum

Moraviam, Auſtriam & Hungariam excurrunt:

Aliqui à Moravis & Auſtriacis in arcto deprehenſi,

& clade haud mediocri affecti,

Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. l. 47. deſcribit hanc illorum artem; & Cochlæus in Huſſiticis lib. 5. propè fin.

intra curruum ſepimenta ſeſe recipere coguntur.

dum ardentiùs in confertam hoſtium aciem equos concitâſſent. Poſtremò *Orphani*, cùm undique ab adverſarijs peterentur, antequàm ultimò in orbem pugnare cogerentur, loco cedere, ſéque intra currus, quos in eum finem, more ſuo dexterrimè habebant diſpoſitos, recipere maluerunt. Opportunè autem nox ſupervenit, quâ ab impetu victorum inſequentium protecti ſubſtiterunt in caſtris ſecuriores. Deſiderati ex ijs ultra centum & quinquaginta, multi etiam vulneribus acceptis debilitati, in caſtris vitam finivêre. Sequenti die *Moravi & Auſtriaci*, conſultatione habitâ, deliberabant, num victoriam proſequi, & caſtra hoſtium aggredi deberent? ſubmiſsiſque qui diligenti curâ ſepimenta caſtrorum inſpicerent, quùm illi non niſi vi tormentorum, ea denſiſſimo curruum ordine ſepta, expugnanda cenſerent, ídque ducibus referrent, extemplò vicinorum munimentorum *Luntenburgi, Rabenſpurgi & Falkenſteina* præfectis, per celeres intimatur nuncios, ut minores ſaltèm machinas, quas nunc colubrinas vocamus, curribus impoſitas ocyùs transmittant. Quod cùm exequerentur ſegniùs, quàm neceſſitas, ac rei gerendæ occaſio poſtularet, *Orphani* id ipſum ſubodorati, ne cunctatione ulteriori, in gravius præcipitarentur diſcrimen, nocte ſequenti, cùm oborta eſſet aëris tempeſtas, cœlúmque reboaret frequenti ac penè continuo tonitruorum ſtrepitu, unde minùs ſentiri poterat diſcedentium tumultus, caſtris ſolutis in tutiora conceſsêre, tantâ properandi curâ, ut vix colligendis vaſis ſpatium darent, multique currus in loco relinquerentur.

& neque ita ſecuri ſatis,

noctu in tutiora profugiunt.

Alij poſtquàm diu ſatis per Hungariam,

rapinis, flamma & ferro ſævijſſent,

Verùm multò deterior fortuna fuit *Welykonis, qui ſuperato Albo monte, in Trenczinenſem Comitatum irrupit*, ac obvia quæque igne ac ferro vaſtare, pagos & oppida populari, ac magno abacto pecorum numero, hoſtiliter graſſari quaquaverſùm cœpit. Cúmque ſummâ celeritate uſus, paucorum dierum ſpatio, tantum rapinarum congeſſiſſet, ut omnium rerum & ſpoliorum copiâ abundè expleti omnes, & locupletati viderentur; (nam *præter ingentes greges pecudum, boum & ovium in agris, magnus etiam equorum, & aureæ argenteæque ſupellectilis; ac veſtium pretioſarum numerus, tum panni ſerici ſimul è lana confecti, paſſim in oppidis & caſtellis inveniebatur*;) maturè cum tam copioſa præda ſecedere conſtituit, ínque tutiora reverti: ſuos tamen ſtolidâ ſuperbiâ, ac *Hungarorum* contemptione inflatos, & fatali quâdam obſtinatione ac ineptè feroces adducere nequaquàm potuit, ut ſalubria hujusmodi conſilia admitterent: quod demum ipſis, ac duci imprimìs, ſupremam perniciem attulit. Quippe *Nicolaus Comes de Rozgon*, partium illarum â *Sigismundo* deſignatus cuſtos, ſtatim ac de illorum irruptione cognoviſſet, muneris ſui eſſe duxit, illis maturè occurrendo, regionem ac innoxios populos pro virili tueri: *Sigismundo per id tempus bello graviſſimo cum Venetis, propter Ladeiam, & quædam alia maritima Dalmatiæ loca, quæ Veneti ſibi arrogabant, occupato: quod tamen magnâ ex parte, ſive ducum perfidiâ, ſive ſingulari ſuâ infelicitate, improſperè geſſit. Perfidè quidem egiſſe duces aliquos, vel ex eo patet, quòd unum ex ipſis, & præcipuum quidem, cujus etiam ſupra meminimus,* * *Pipum Florentinum, â Venetis, quò minùs partes ſuas* egiſſet,

* pag. 478.

egiſſet, auro corruptum, in Hungariam reducem, infuſo in os auro, (ùt ajunt) è medio tolli juſſiſſe, an. 1428.

Bonfin. decad. 3. lib. 3. MS. Eliæ in Chron. Hung. an. 1428.

Jam aliquot villæ, oppidúmque imprimìs *Banovicium*, ab hoſte acerbo & implacabili incenſum flagrabant, fumíque & ignes â longè conſpiciebantur: confeſtim igitur ſuis, ut parati & inſtructi ad imperia eſſent, dat in mandatis: admonitis etiam per celeres nuncios vicinis Magnatibus, ut *ad Poſonium*, quanto poſſent militum numero, & quamprimùm conſiſterent, séque ibidem opperirentur: primúsque cum ſuis, quos potiſſimùm *è Thracibus* collectos habebat, & ijs, qui ex itinere ad eum confluxerat, quorum tamen numerus, vix adhuc ſex millia equitum peditúmque ſummam æquabat, eodem in loco cæteros præſtolabundus, conſedit. Cui ſeſe brevì *Matthaus de Palocza Curiæ Regiæ Prætor, vir corporis robore, ingenio, virtute atque prudentiâ inſignis; Petrus item Perenius, rebus jam antea adversùs perduelles in Moravia*, ùt docuimus ſuprà, *præclarè ac feliciter geſtis, clarus*, & alij conjunxerunt: ita ut ſufficientibus ſtipatus viribus, acerrimorum hoſtium impetum non modò ſuſtinere, ſed etiam ad non dubiam victoriam propulſare poſſet. Nec mora, partem ſelecto è peditibus pugnaci & impigro quoque, noctu per notos tramites *versùs Album montem, ut VVelykoni iter præcluderet, ire juſſit*; ipſe verò in hoſtem incendijs adhuc & populationibus longè latéque graſſantem, caſtra exercitúmque movit, & cum eo prælij fortunam experiri conſtituit: quod & alij probabant omnes. Cúmque non niſi uno fortaſſe milliari viæ confecto, in hoſtium procurſatores incidiſſet, ij nullo expectato congreſſu, mox retro quà venerant, præcipiti fugâ ſeſe receperunt, ut ſuos de Hungarorum adventu quantocyùs certiores redderent. Quibus auditis, *uti deprehenſis in latrocinio aut crimine accidit, VVelyk*, ejúsque collega *Zmrzlyk*, licèt non parum conſternarentur, cùm jam nec fugæ tempus, niſi intempeſtivi plenum periculi videretur: non tamen animo dejecti, ſuos abjectis etiam ſarcinis, ut expeditiores eſſent ad pugnandum, in ordinem aciémque, eâ quâ poterant celeritate diſpoſuerunt. Sed ubi propiùs ventum, *Orphanis Hungarorum equitum multitudine conſpectâ*, animi, quaſi futuræ cladis præſcij, multùm conciderunt. Inter hæc *Rozgonius*, alíique duces, ſuos obequitantes, ut *ſceleratiſſimos Fidei Orthodoxæ hoſtes, latrocinijs & rapinis infames, qui Patriam exemplo vicinarum regionum peſſumdare vellent, ſacra profanarent, & innoxiam plebem crudeliſſimè vexarent, atque in ſervitutem abducerent; intrepidè invadere, eorúmque cæde & ſanguine, manibus fidelium multorum innocentum parentare, déque immanibus, Diiſque & hominibus inviſis prædonibus acerbiſſimas pœnas exigere, ne dubitarent*, magnâ ſublatâ voce hortabantur. Tum verò equeſtrium copiarum duces in hoſtes ruere, ínque eorum pectoribus adverſis haſtas perfringere, denique gladijs ac fortibus dextris rem gerere jubet; ipſe cum reliquo exercitu, latus eorum ſiniſtrum perrumpere contendit. Quamvìs autem *Orphani* pugnam ægerrimè ſuſtinerent, premente equitatu; quia tamen evadendi in tutiora locus deerat, ſummâ pertinaciâ conjunctâ deſperationi, ad *occaſum ferè Solis* protraxêre certamen; quo tandem Hungaris

ab Hungaris tandem magno numero ad arma confluentibus,

eorúmque veſtigijs ab omni parte inſiſtentibus,

prælio excepti,

 forti-

Digitized by Google

fortiter inſiſtentibus, & multis ſuorum amiſſis, fuſi fugatique terga dedêre. *Welyk* cum tertio agmine, quod in ſubſidijs collocatum, viribus adhuc utcunque integrum erat, accurrens, magnóque clamore fugam retentare conatus, dum fruſtra omnia eſſe, séque nihil proficere videt, in confertiſſimos hoſtes irruit; â quibus circumventus, quanquàm ſe acerrimè, deſperatâ jam ſalute vitæ, defenderet, multis confoſſus vulneribus interficitur. Reliqui orbati duce, quâ quisque potuit, profugêre, noctis beneficio protecti, quò minùs *ab Hungaris* tum ſtatim internecione delerentur. Die tamen ſequenti multi adhuc ê fuga & latebris ſunt retracti, & vel furore primo trucidati, vel in ſervitutem abducti. *Cæſa feruntur hoſtium duo millia & ultra; ſigna verò omnia capta, recuperatáque præda omnis;* magnus etiam numerus captivorum, curruum & equorum fuit, adeò, ut hìc *Orphani* præteritas ſuas victorias, *ultore Deo,* immania eorum ſcelera deteſtante vindicantéque, miſerè decoxiſſe videantur.

amiſſo duce, profligati.

& vix non ultimâ occidione deleti, meritas latrociniorum ſuorum dederunt pœnas. *MS. Dubon. & Pernſt. an. 1430.*

CAPUT III.

Repetitæ Taboritarum & Orphanorum, in Moraviam & Sileſiam irruptiones: mors Joan. Cardinalis Epiſcopi Olomuc. Nova rurſum Principum Imperij in Bohemiam expeditio; ſed ſicut ante irrita. Nova in Moravia hæreſis: Orphanorum clades.

Nihilo tamen mitiores *Orphani*, poſt acceptam hanc cladem, & ocio terere tempus minimè aſſveti, rurſum contra *Kolovvratæos fratres, Hanuſſium & Fridericum*, quos ſibi infeſtos noverant, arma viréſque converterunt, circa medium Junij menſis: ac primò omnium *Horzovicium*, quod Sigismundus quidam Equeſtris Ordinis, Kolovvratæorum cliens hæreditario jure tenebat, vim admoverunt; quod tandem nono obſidionis die, deditione occupârunt, cùm Sigismundus ad reſiſtendum impar, ijs ſe ſuáque tradidiſſet, eâ lege, quòd deinceps partibus eorum fideliter adhærere, unà cum illis militare, bona maláque tolerare vellet. Itum deinde eodem cum furore, contra caſtrum *Liebſtein:* quod per continuas ſeptem hebdomadas obſidione tenuerunt, & ſubinde magnis inſultibus oppugnârunt, fruſtra licèt; *Joanne Zdiarsky* & *Joanne Bukovvsky* viris illuſtribus, quibus præſidij curam commiſerat *Fridericus*, egregiè illud defendentibus. Ultimò tamen *Kolovvratæi*, viſa hoſtium pertinaciâ, & obſidionem caſtri, ab ijs tanto labore initam continuatámque, ut nequaquam ab ea diſceſſuri viderentur, niſi illo obtento; adverſæ & iratæ partibus ſuis fortunæ ulteriùs reluctandum minimè cenſuerunt, ſed ut rebus ſuis, & ſubditis populis maturè, dum tempus eſſet, proſpicerent, *Roſenſium exem-*

Orphani Kolovvratæos infeſtant:

clientes illorum oppugnant:

caſtrum Liebſtein obſident:

quos ad pacem petendam adigunt.

plum

plum ſequi, & cum infenſiſſimis hoſtibus quocúnque tandem modo tranſigere ſtatuerunt. Inducijs itáque trium dierum pactis, intra quas de compoſitione tractaretur, poſt multa pro & contra objecta, convenerunt tandem: *ut deinceps nihil hoſtile ſibi invicem inferrent, ſed arma ſimul ſociarent, ſibique mutuò contra quoslibet hoſtes ſyncerè & fideliter opem ferrent, amicos & hoſtes eosdem haberent; capti, cujuscúnque conditionis aut ſtatûs eſſent, liberè & abſque pretio utrinque reſtituerentur; & ſi alterutra pars à fœdere ſocietatis recedere vellet, uno menſe priùs id ſibi ſignificarent.* Comprehenſi ex parte Orphanorum etiam *Pragenſes*, *Taboritæ*, *ReginoHradecenſes*, *Klatovienſes*, *Tuſtenſes*, *Piſecenſes*, *Ziatecenſes*, *Launenſes*, *Slanenſes*, aliique ipſorum fœderati. Eximij & Illuſtres Viri, quanquàm nihil virtute ſuâ, ac *Familiâ Nobili*, à quâ originem ducebant, alienum aut indignum committere, quin potiùs pro egregia ſua, erga legitimum Principem & Regem fide, & erga Religionem Catholicam conſtantia, ad extremum usque ſpiritum certare maluiſſent: ne tamen innoxiam plebem, & ſubjectos ſibi populos, in aliquod atrox periculum, & haud dubiè in ultimum diſcrimen præcipitarent; hoc modo, in eo difficili & trubulentiſſimo rerum ſtatu, aliorum æquè *primariorum Procerum Catholicorum* exemplum ſequuti, ſibi illiſque conſulere, cùm alia non ſuppeteret media, debuerunt. Præſtat enim quandóque dare bona verba etiam latronibus, à quibus id ſolùm beneficium exprimamus, ne noceant. Et hoc modo arcem *Liebſtein*, & cæteras ſuas ditiones, quas habebant per *diſtrictum Prachenſem*, *Plſnenſem*, *Podbrdenſem* & *Rakovvnicenſem* peramplas, ab ulterioribus perditiſſimorum iſtorum hominum injurijs conſervârunt.

Conditiones pacis.

Cauſa propter quam cum ipſis transactum.

Dubrav. & MS. Anon. ad an. 1430.

Familia Kolovvrataorum (ut id paucis attingam, cùm planè occaſio ipſa ad manum ſeſe offerat) eſt in Bohemia ex Nobiliſſimis & Antiquiſſimis una: cujus Majores, cum *Czecho* gentis authore, in has partes venerunt, eóque jam tempore inter primarios *Czechi* comites, quem omnes ſcriptores tradunt, *cum magno Nobilitatis comitatu in Bohemiam veniſſe*, numerabantur; ſucceſſu temporis etiam ab alijs Bohemiæ Ducibus, & quidem primis *Kroko*, *Przemyſſlo* & eorum ſucceſſoribus æſtimati, tanquam *ex Optimatibus*, ſeu, ùt tunc vocabant, *ex Lopotis & Wladikis* primi. Quorum conſilio Duces, quotiescúnque res difficilior occurriſſet, utebantur: & qui idcirco dum *nova Sedes Ducum in Wiſſebrad*, propè Pragam, erigeretur, pro ſe quoque non procul inde, quò ad obſequia Principum propiores eſſent, domicilia poſuerunt. Extat hodiéque villa *Kolovvrat*, à Wiſſehrado non niſi itinere unius atque mediæ horæ diſſita, cum templo & prædio *Principis Caroli de Lichtenſtein*, & aliquot colonorum gazis; apparéntque etiamnum valla arcis antiquæ. Idem fecerunt Proceres alij, uti *Stroſſij*; à quibus *Hazmburgici & Leones de Rozmital*, qui *Kaſſin* caſtrum; *Wrſſovecij*, qui *Wrſſovvice*; *Rziczanæi*, qui caſtrum *Rziczany*; *Kolodiegij*, qui caſtrum *Kolodiege*, & alij alia Wiſſehrado quoque vicina ædificari curârunt, ſibique ad habitandum delegerunt. Nec deſunt, qui ſcribunt, etiamnum reperiri *in Croatia* caſtrum quoddam, cui hoc ipſum

Familia Kolovvratæa antiquitas:

dignitas & excellentia.

Digitized by Google

nomen *Kolovvrat* ſit: ex quo confirmatur magis, Kolovvratæos habere originem, ùt jam diximus, ex Croatia.

Maximil. à Schleinitz Ep. Litomer. in Slaſo Boh. part. 1. c. 9.

Origo & etymon nominis:

Kolovvratæi appellati, quòd unus aliquis ex eorum Majoribus primis (ùt fert traditio vetus, & nomen ipſum indicat) viribus præſtans, ac veluti Milo quiſpiam fortis, currum cum equis fugientem in prælio, rotâ apprehenſâ ſtitiſſet: **Kolo wrátiti** námque Slavicum *Rotam vertere* ſignificat. Unde etiam *prima illorum Inſignia*, non erant *Aquila*, & ea, quæ modò ferunt: verùm *octoradiorum Rota* (non molendinaria major, forinſecè dentata, ùt Paprocius putat, ſed currulis) in ipſo ſcuto, & ſuper clypeum iterum *Rota, & penna pavonum;* qualia videre eſt *in templo S. VVenceslai Vetero Boleſl.* in lapidibus ſepulchralibus, atque etiam in antiquarum literarum, quæ in Archivo Capituli noſtri inveniuntur, appenſis ſigillis. *Aquilam, dimidiâ ſui parte candidam & dimidiâ rubentem, cum Zona* (vel faſcia potiùs) *pectorali aurea*, poſteriùs, & ùt alicubi me legiſſe memini, â *Cazimiro Magno Polonia Rege*, cui contra Lithuanos tum adhuc paganos bellum gerenti ſuppetias, haud contemnendas, *Carolo IV.* permittente, adduxerant; ob res præclarè in eo bello geſtas, recuperatámque Ruſſiam, in virtutis redhoneſtamentum acceperunt. Quod *Carolus* non approbavit tantùm, ſed etiam collo ejusdem Aquilæ coronam regiam adjecit: quod factum circa an. 1364. Nuper autem patrum noſtrorum ætate, *Ferdinandus II. glorioſiſſimæ memoriæ Imp. & Bohemiæ Rex*, ejus *Aquilæ Kolovvrateæ* pectus, inſuper *clypeo Auguſtiſſimæ Domûs ſuæ*, ſuisque nativis campis exornavit; ob incorruptam, & inſignibus documentis probatam, ſibíque & Anteceſſoribus ſuis *Matthiæ & Rudolpho II. Impp.* in illis ab anno 1608. usque ad an. 1620. domeſticis turbis, conſtantiſſimè ſemper ſervatam *plerorúmque Kolovvratæorum* fidem: quos nulla vis, aut metus, aut periculum, aut Bonorum jactura, â debito erga legitimum Principem obſequio, poterant dimovere. Familia hæc abundabat ſemper viris egregijs, & tam ſago quàm togâ, aliquibus etiam pedo & infulâ clariſſimis: â tribus circiter ſeculis ita multiplicata numero, ut paucas haberet in Bohemia ſibi quoad hoc pares. Placuit idcirco poſterioribus annis, omnium conſenſu, dividi Familiam univerſam, (*veteri Roſenſium, â quibus Roſmbergici, Novodomii, Strazai, Landſteinij & Sezymæ ab Auſti: Aprugnæorum ſeu Bivvogorum, â quibus Hazmburgici, Leones & Sſelmbergici: Ralskiorum, â quibus* Wart*mbergici*, *Waldſteinij, Michalovicij, Zvvirzeticij, Smirzicij: Berkovecorum Hovvoræorúmque, â quibus Berkai, Lippai, Krzinecij, Ronovienſes, Lichtmburgici, Kumburgici, Klinſteinij: Nymphæogeræ lorum, â quibus* Kaunicij, *Stoſſij, Martinicij, Talmbergij, Richnovienſes, Czernczicij; exemplo*) in plures ramos, & ab arcibus, quas tunc tenebant, pro diverſitate nominari: principali tamen & gentilitio ſuo clypeo ſervato. Unde factum, ut alij *Liebſteinsky*, alij *Novo-Hradsky*, alij *Krakovvsky*, alij *Bezdruzicky*, alij *Maſtiovvsky*, alij ùt reor, Novohradskyorum ſurculus, *Buſtiehradsky* ſcribi & appellari cœperint: ex quibus tres tantùm primi ſuperſunt (ita tamen copioſi, ut hodieque

mutatio gentilitij ſcuti propter nova merita.

Familia virorum ferax, ideóque

Páni z Ralſka.

diviſa in plures propagines.

Digitized by Google

de virili ſexu viginti octo numerentur) atque ut ſuperſint, & pro ſolatio Patriæ vivant ac perennent; optamus Patriæ filij omnes.

Decora Familiæ, & Heroum præſtantiſſimorum res domi & foris glorioſiſſimè geſtas, hic non capit locus: alteri hæc reſervantur operi, quo etiam aliarum *Familiarum Bohemicarum* antiquarum prodibunt in medium adoreæ, magna fortiáque acta, pacis bellíque munera, officia publica, ſummi in Regno honores, Nobilitatis ſplendor, vetuſtas, dignitas, authoritas, fælicitas, opulentia, divitiæ, gloria, magnificentia, liberalitas; & quod ego magni ſemper duxi, & duco: *in Patriam Amor.* Unius tamen & præcipui hujus *Inclyta Familiæ Atlantis*, mentionem præterire non poſſum, cùm mihi de Moravia ſcribenti, quaſi per oculis ſit; nempe *Supremi ejusdem Marchionatûs Moraviæ Capitanei*, *Illuſtriſſimi & Excellentiſſimi D.D. Franciſci Caroli S.R. Imp. Comitis Liebſteinsky de* Kolovvrat, *Domini in Richnovv, Chrauſtovicz, Liſſna*, *S. Cæſ. Regiaq́ Maj.* intimi Actualis *Conſiliarij*, *Camerarij*, &c. quem rerum agendarum magnus uſus, zelus honoris Dei & juſtitiæ, magnitudo animi, prudentia, doctrina, placida in omnes benevolentia, & mores incorruptiſſimi paſſim commendant. Hic antea in Regno Bohemiæ, *Præſidem Appellationum* (Tribunalis ſupremi & undequaque ampliſſimi, ad quod ex omnibus civitatibus, tum ex cunctis etiam unitis Coronæ Provincijs provocationes fiunt) *Locumtenentémque regium* agens, per annos ſeptemdecim; & inter hæc, alijs quoque graviſſimis munijs adhibitus, ante electionem novi Cæſaris, à *S. Regiaq́ Maj. Leopoldo I. Bohemiæ Rege*, quà Electore, Francofurtum, unà cum *Celſiſſimo Duce & Principe* Wenceslao *à Lobkovicz*, & *Franciſco de Scheidler, moderno ſupremo Regni Scriba, ac Locumtenente regio*, præire juſſus: atque iterum *in Poloniam*, ad componendam *Polonos inter & Svevos* pacem (concluſam tandem feliciter Olivæ, propè Gedanum, die 3. Maji, an. 1660.) *Legatus* miſſus; talem ſe geſſit, ut & Poteſtati Supremæ, & cæterorum expectationi de ſe conceptæ, peragendo ea quæ ſuarum erant partium, *fideliter & rectè*, non abundè tantùm ſatisfecerit, ſed meruerit exinde altiùs promoveri, & præfici regendis integris populis. Fratrem ejus *Joannem Wilhelmum*, *Archidiaconum Olomuc. nominatum Archi-Epiſcopum Pragenſem*, virum eo celeberrimo ArchiPræſulatu digniſſimum, *tantùm oſtenderunt hic nobis fata, neque ultra eſſe voluerunt:* qui Brunæ obijt, an. 1668. ultimâ Maji. Sed & *Linea Krakovvskiana* habet in præſens ſuum illuſtre ſydus, *Albertum Wilhelmum*, virum eximiæ gravitatis & prudentiæ, priſcaque & ſinceræ antiquæ Bohemicæ converſationis: in ſua viridi ſenecta adhuc vegetum, & tum conſilio, tum rerum uſu validum: qui cùm *Regiæ Bohemicæ Cameræ*, multa cum induſtriæ laude, compluribus annis egiſſet *Præſidem*; *Judex*, nunc *Supremus Bohemiæ Regni*, *Locumtenenſque Regius* exiſtens, proximè etiam *ab Auguſtiſſimo Cæſare*, inter *Conſiliarios Intimos* meruit connumerari. Nec ſuo ſplendore caret, nobiliſſima quoque propago *NovoHradskiana*; ex qua videmus *Joannem Wenceslaum Dominum in* Koſſatek, *Magni Judicij Provincialis Aſſeſſorem*, *Supremum Regni Bohemiæ Quæſtorem*, & *Antiquæ urbis Pragenſis*

Decora ipſius præſtantiſſima narrabuntur alibi.

Ex ea, noſtrâ hac ætate, ſupremus Capitaneus, in Moravia.

Supremus Judex in Bohemia.

an. Ætat. LXXVI.

Supremus Quæſtor Regni Bohem.

genſis

Digitized by Google

genſis Capitaneum, ſpectatæ prudentiæ & magnanimitatis virum, & in gerendis, providendis perficiendiſque rebus ingenij præſtantis. Redeamus, unde divertimus.

Procopij cum Taboritis nova in Moraviam expeditio.

Non multo poſt *Procopius* major, ut nuperam, quam *ad Brunam* acceperat cladem, ulciſceretur, *cum univerſa Taboritarum multitudine* proficiſci in Moraviam conſtituit: ſparſo inter hæc rumore, quaſi in Miſniam adornaret expeditionem; doctâ, & noſtra hâc ætate ſæpiùs uſitata ludificatione, quâ *apparatus armorum oſtenditur aliò, aliò deſtinatur.* Ergo præmiſſis aliquot equitum turmis, *Kromeſſinio & Andreâ Kersky ducibus*, qui celeritate ſummâ adhibitâ, priusquàm ab incolis animadverterentur, primò omnium in ditiones *Trebicenſis cœnobij* vaſtabundi irrumperent; ipſemet cum pedeſtri agmine & curribus, lentiore gradu incedens eò iter ſuſcepit; obvia cuncta maximis afficiens detrimentis, terrore & formidine etiam munitis oppidis & caſtellis, non levi illato. Monaſteria duo Virginum, *NovoRiſſij Ord. Premonſtrat. Daleſſicij Ord. Ciſterc.* quibus antea *Ziſſca*, & ipſe binis vicibus tranſiens pepercerat, tum irarum plenus dirripuit & ſuccendit; idem fecit *Kralicio, Roſicio & Liſſna oppidis*; totum denique agrum circa *Brunam*, ad extremum uſque penuriæ, devaſtavit. Converſus deinde ſiniſtram versùs, *in Provinciam Olomucenſem*, eam ex utràque parte *Moravæ*, opulentis pecore & frugibus villis refertiſſimam, longè latéque populatus eſt: ac tandem profligato Olomucenſium, quem partim *Capitulares*, partim cives tumultuariè collegerant milite, caſtrum *Sternberg*, *quod tunc vidua uxor D. Petri*, verba ſunt Drahonicij, *tenuit*, (Petri nempe â Sternberg, non illius qui ad VViſſehradum pugnans cecidit, ſed alterius ejus nominis III. Moravicæ propaginis,) obſedit, & cùm nemo defenſoribus ſuccurreret, poſt octo ſeptimanas deditione accepit. Mirari ſanè me hìc opportet, quid cauſæ ſubeſſe debuerit, quòd tanto obſidionis tempore, nec *Kragirius*, neque vicini *Kravarai*, *Sternbergicique* tam *Lukovienſes*, quàm *Helſenſteinij* accurrerint auxiliatum obſeſſis. Ita *Sternbergâ â Taboritis* occupatâ, nihil poſtea in eo terræ tractu tutum ſecurúmque fuit, ſed cuncta indiès excurſibus, latrocinijs, rapinis & cædibus magìs ac magìs infeſta reddebantur; multique fidelium ſiniſtro caſu circumventi & capti, ſub poteſtatem veniebant hoſtilem. Et, ùt refert *Pernſteinius*, non ceſſabant *Taboritæ* viciniæ toti eſſe vehementer graves, diverſas injurias ac detrimenta, *Olomucenſibus vel maximè & Unczovienſibus, Litovelienſibúsque* inferendo, itinera eorum infeſtis armis obſidendo: nonnunquàm ad urbem usque excurrendo, ac in ſuburbanis obvios trucidando aut intercipiendo; adeò ut non imbellis duntaxat fœminarum puerorúmque turba, aut agreſtium hinc inde commeantium plebs, ſed etiam *cives in ſuburbijs, in hortis, molisque frumentarijs, ſecuri ab eorum inſidijs eſſe non poſſent.* Alio itidem modo res aggravabatur *Moravorum*, negotio tali: quòd nonnulli etiam illuſtrium Natalium viri, ſtricto per ſummum nefas in patriam ferro, ſeſe perditiſſimis quibuſque aggregarent, *populationum, rapinarum, ſacrilegiorum, cædium, ac cæterorum immanium ſcelerum* eorundem participes. Hinc afflictiſſimus erat in tota illa vicinia

In Monaſteria & Fidelium ditiones furor.

Drahon ſupra cit. MS. Albert. â Pernſt.

Sternbergam occupat, ſuóque præſidio firmat:

atque hinc toti viciniæ ſupra modum gravis.

Creſcit ſeditioſorum in Moravia numerus.

vicinia ſtatus, adeò miſeranda incolarum conditio, ut non modò foras, exercendi quæſtus causâ, prodire extimeſcerent, ſed neque domi intra ſecretiores Penatum parietes, à latronum injurijs, ſecuri agitarent. Quæ dum in Moravia aguntur, *Joannes Cardinalis & Epiſcopus Olomuc. Strigonij in Hungaria diem obijt extremum; anno 1430. die, qui S. Dionyſio Areopagita Martyri ſacer eſt.* Hic natione Bohemus, Pragæ honeſtis parentibus *natus, poſtquàm altioria Studia Theologiæ & Jurisprudentiæ* cum honore abſolviſſet, primò *Canonicus Metrop. Prag.* deinde *Præpoſitus VViſſebrad.* eſt factus: ſucceſſu verò temporis, cùm eſſet *vir ingenio, doctrinâ, pietate, vitæ morúmque probitate, & liberalitate in pauperes, humanitate erga omnes, aliisque Præſulum virtutibus inſignis, Epiſcopus Litomyſſlenſis*, ac tandem etiam ſimul *Olomucenſis* creatus. Toto autem regiminis ſui tempore, graviſſimas bellorum & ſeditionum tempeſtates ſuſtinuit; & cùm ſæviente hæreſi, tutum ſe ſuóſque eſſe non videret, ferro & armis retundendos adverſariorum conatus ſuſcepit, adeò, ut ſæpè *catafracto etiam equo inſidens*, ijs inſtructa cum acie, occurrere non dubitaret; ob idque vulgò *Ferreus* nuncupatus eſt. Et reverà erant tum tempora, ut Eccleſiarum Paſtores, ad arcendas inhiantium ſacris poſſeſſionibus & animabus inſidias, *non tam pedo imbelli*, ùt alibi dixi, *ſed ferro armatáque pietate indigerent.* Hoc igitur videns Præſul Olom. ferro eſſe opus ad arcendos lupos, illud arripuit: in quo meritò ambigas, ſummáne pietas ac legum ſacrarum notitiâ, rerum militarium arte, ſagum togâ, ferrum calamo, gladius pedo fuerint illuſtriora? Sanè hodiéque ei debet Moravia, quòd non fuerit tunc ab hæreſi tam propè invaleſcente oppreſſa, ſicuti Bohemia: & ipſa imprimìs Olomucenſis Eccleſia, quòd non fuerit hæreditate ſuâ, Bonis ſuis, ſicuti Pragenſis, exuta tota. Apponere hìc lubet, in majorem ipſius commendationem, id quod Martin. V. Pontifex Max. in ſuo Diplomate de eo teſtatus eſt: *Conſiderantes*, inquit, *quòd ipſe Joan. Epiſcopus, qui eidem Litomyſſlenſi Eccleſiæ laudabiliter præfuit: quique Fidem Orthodoxam & libertatem Eccleſiaſticam contra hoſtes & adverſarios earundem, velut athleta fortis, viriliter defendit, & defendere non deſiſtit: quódque Olomucenſis & Litomiſſl. Diœceſes ſint contiguæ, propter quod, ipſe Joannes Epiſcopus poſſit Eccleſias ipſas commodè gubernare. &c.* Ejus deceſſu, amoto veluti columine, ſtatim *res Eccleſiæ in Moravia* vacillare, fluere omnia, & in deterius ferri, ac demum penitus ruere cœperunt, *Cunrado de Zvvola*, qui ei ſucceſſerat, *Aulæ potiùs Cæſareæ, & negotijs forenſibus, quàm Paſtorali curæ*, cui præficiebatur, aſſveto.

Joan. Epiſcopus Olomuc. Litomyſſl. & Adminiſtrato Archi Ep. Prag. S. R. Eccl. Cardinalis moritur, Strigonij, an. 1430. die 9. Octobr. VVaciæ ſepultus.

Ferreus vulgò appellatus, propter ferro & armis defenſam Cathol. Religionem.

Daubraſ. in Hiſt. Boh. l. 16. MS. Pernſt. qui ſummoperè eum depradicat.

Ejus ſucceſſor, in Olomucenſi Sede, Cunradus de Zvvola Moravus.

Redux *Procopius* cum ſuis Taboritis ex Moravia, & quietis impatiens; ac audito *Klatovienſes* fœderatos ſuos, multa & gravia detrimenta in agris & ſuburbanis villis, pati *à Plſnenſibus, Kruſſina Sſvvambergio, Zdenkone Drſſtka Tynborſſovij Domino*, aliiſq; Catholicis; eò quamprimùm, dilatâ tantiſper in Sileſiâ profectione, quam aliàs parabat, ducere conſtituit. *Joanni* quoque *Mieſtecenſi de Opoczna*, qui jam tunc deſertis *Sigismundi* partibus, ei adhærebat, per idoneos celeréſque nuncios, ut cum agmine ſuo quantocyùs venire, ſecúmque illud conjungere maturet, ſignificari curat; quod & cæteris commilitonibus ſuis,

Procopius cum Taboritis expeditionem in Plſnenſem diſtrictum parat:

MS. Anon. ad an. 1430. Drabon. an. eod.

ſuis, deſignato conveniendi loco, nunciat. Cui quùm ſeſe adjunxiſſent etiam aliquot Pragenſium cohortes (audaciſſimi enim undique advolabant, ac imprimis latrocinijs dediti; nec ab illo quidquam poſcebant, niſi quod quiſque ſuâ manu cepiſſet) tantum brevì copiarum in unum contraxit, ut juſti cujuſdam exercitûs formam expleret, & non ſolùm ad populationem agrorum, ſed & prælij certamen quodcúnque ineundum, ſatis validus ac potens videretur. Nec alio animi propoſito ille, in diſtrictum hunc profecturus, in quo noverat ſe nacturum hoſtes, talibus viribus ſeſe præmunire voluit, niſi ut ſecuritati ſuæ proſpiceret; & in eventum, ſi ex vicinis partibus Germaniæ, venirent Plſnenſibus ſubſidia, prælióque certandum foret, tanto validior in arenam prodire poſſet. *Drabonicius* ſcribit peditum fuiſſe ultra decem millia, equitum mille, & curruum circiter 500.

In quam tripartitis agminibus irrumpit:

Tum ergò trifariàm diviſis copijs, regionem Plſnenſem ingreditur: in qua devaſtanda, totum penè Auguſtum menſem inſumpſit, pagos pleróſque, præſertim Plſnæ viciniores, & circacircùm minora caſtella diripuit, immiſſóque tectis & horreis igne ſuccendit, funeſta ubique relinquens veſtigia, nudam tellurem, deſerta, luctum, cineres & buſta. Itum deinde eſt versùs *Miſam & Sſvvambergam*, eodem paſſim terrore circumducto, eâdémque illatâ clade: & ſi quiſpiam è Sacerdotibus, aut Nobilibus contrariarum partium fortè in manus incidiſſent, extemplò veluti victimæ crudeliter mactabantur, vel exurebantur. Nec erat in toto illo tractu, aliàs Nobilitate refertiſſimo, qui vel modicè ſeſe opponeret, non quidem exercitui, tantæ molis hoſti; ſed paucioribus ſaltèm numero manipulis, hinc inde, & ſubinde ſatis incautè graſſantibus: ſolus tandem *Kruſſina*, damna ab hoſte ſub oculis illata vindicare cupidus, quodam veſpere, cum ſelectiſſima equitum turma, ad pagum usque *Czernoſſin*, ubi Pragenſes ſtativa habebant, excurrit, & celeritate uſus, pecora quæ iſthic paſcebantur, abripuit; cæsisque non paucis, qui inſequi auſi erant, & alijs fugatis, ſuos incolumes cum prædâ Sſvvambergam reduxit. Quo rei ſucceſſu animatus, collatóque per expeditos curſores conſilio, cum *Bobuſſio de Rabſtein*, & *Hynkone de Proſtiborz*, qui ſine mora cum ſuis equitibus, quos ad repentinos caſus armare poterant, præſtò fuêre; hoſtes jam ſeſe cum gregibus pecorum, & alia præda, in *diſtrictum Rakovvnicenſem* recipientes, inquietare non deſtitit: ſed iterum in pago quodam, propè *Bielam*, ſub primum crepuſculum deprehenſos, & nihil tale ſuſpicantes, magnâ clade affecit, priusquàm ad arma & defenſionem, palantes illi & diſcincti, & improvisâ eâ irruptione magnoperè perterriti concurriſſent; ita ut quadraginta duo cæſi numerarentur, & inter alios, ex ductoribus quidam nomine *Plcbovvecz*, quem Procopius cogendis retrò agminibus præfecerat; vulnerati autem longè plures.

magna damna infert.

Kruſſina de Sſvamberg ei reſiſtit: MS. Anon. cit.

recedentem infeſtat; cædit.

Habebat eâ nocte *Procopius* ſtationem ſuam ex altera parte *Biela*, versùs *Plaſſam*, patentibus in campis, capiendæ fortaſſis, in eo adhuc æſtatis fervore, recentioris auræ causâ; dum ſuorum calamitatem, & ante omnes *Plcbovvecij* cædem, quem aliàs ob rei militaris peritiam magnî æſtimabat, ab ijs, qui evaſe-

evaſerant, eâdem ſtatim nocte cognovit: qui exinde nonnihil turbatus, ſtetit aliquandiu cogitabundus, quidnam facto opus eſſet; propêque erat, ut ad ulciſcendam hanc ſuorum cladem reverteretur, ſupremo tandem excidio ditionum Kruſſinæ expiandam, niſi gravioribus de cauſis aliò urgeretur, aſſiduis penè nuncijs *à Robaczio* petitus, ut quantocyùs acceleraret ſubſidio ſocijs *Hauſtcæ*, *Bielæ in diſtrictu Boleſl.* & *Sobotcæ à VVartmbergijs Michalovicijsq́,* obſidione preſſis, & jam in extremo diſcrimine verſantibus. Nihilominùs manè, cognito *Rabſteinenſem* in ea excurſione egiſſe Kruſſinæ aſſeclam, magnam & crudelem irruptionem depopulandis ipſius pagis, qui non procul diſtabant, faciendam conſtituit: móxque eodem die *Kerskium* cum omni equitatu, & aliquâ etiam manu peditum, eò proficiſci juſſit; qui per triduum paſſim impunè vagatus, non niſi evaſtatâ totâ illâ, *circa Manietinum & Rabſteinum* regione, ac cæſis quàm plurimis incolis, concrematiſque pagis, ad *Procopij* caſtra, propè *Rakovnicum* redijt. Inde poſtea *Pragenſes* domum conceſſerunt: *Procopius* verò Mielnikum versùs iter arripuit, trajectóque *Albi*, rectà *Boleslavienſem diſtrictum* petijt. Quo demum ſucceſſu cum *Wartmbergijs* bellum geſſit, nullibi notatum invenio; credibile tamen eſt, illud & proſperè geſſiſſe, & citò finiviſſe, ſiquidem eo adhuc autumno expeditionem *in Sileſiam* ſuſcepiſſe legitur: ubi poſt illata graviſſima damna *Wratislavienſibus*, propter extortam ab illis paulò antè *Münſterbergam*, & arcem ibidem funditùs everſam, vim deinde admovit *Ottmochovio Epiſcopi Wratislav. oppido*; & illud quidem proditione civium, arcem poſt biduum deditione occupavit.

Procopius ditionem Rabſtein. vaſtat:

in Boleslav. diſtrictum, & inde

in Sileſiam contendit.

Hæc dum per Bohemiam & Sileſiam aguntur, in Moravia, *Henrico de VValdſtein*, uni ex Catholicis Proceribus, qui tenebat caſtrum *Sadek*, præalto in monte ſitum, ab *Hynkone de Walecz*, ejúsque ſocijs Huſſiticâ labe infectis, & pleriſque rapto vivere ſolitis, magnum detrimentum illatum eſt. Præerat caſtro in abſentia *Henrici*, qui ad Archiducem Viennam diſceſſerat, *Bureſs de Kralicz*, vir aliàs impiger, Henricóque imprimìs fidus, ſed hoc caſu infelix: dum *Hynko* obſervatâ nocte *feſtum S. Martini* ſequente, quâ præſidiarios genio indulgere, & compotationibus atque choræis magis, quàm vigilijs operam dare non ignorabat, adductis peditum promptiſſimis, ſcalas mœnibus apponi juſſit; ac ſummâ celeritate, miróque ſilentio priùs arce potitus eſt, quàm ullus ex ijs, qui intus erant (*ſomno vinóque ad temulentiam usque gravati*) adeſſe hoſtes ſentiret. Unus ex famulus Bureſſij, naturâ ſuâ abhorrens â potu vini, ideóque ſobrius ac vigil, hoſtem adeſſe animadvertit, ſublatóque clamore præfectum excitavit: qui ſubitò experrectus, tametſi correptis armis excurrerit ad reſiſtendum, & quantum in re improviſâ potuit, pro ſalute ac vita, próque arce ſervanda fortiter egerit; quia tamen cæteri graviori ſomno oppreſſi ſegniùs accurrebant, tarda jam omnis contentio fuit. *Præfectus* ipſe gravi vulnere ſupra femur ictus, & captus: alij partim in areâ, partim in cubiculis vel cæſi, vel capti; non pauci adhuc in lectulis & ſtratis, ê quibus quòd nimiam crapulam nondum exhalâſſent, vix ſeſe erigere poterant, deprehenſi,

Huſſitæ in Moravia, arcem Sadek per fraudem occupant:

MS. Pernſt. ad An. 1430. MS. Trebic. an. eod. ſub Abb. Petro, Beneſſy ſucceſſore.

Henrico de VValdſtein loci Domino abſente.

 & ſub

& ſub cuſtodiam dati: quidam poſtea de die è latebris, ad quas præ metu ſe abdiderant, extracti. Jam *Henricus Viennâ rediens Znogmam venit*, quando de capta arce intellexit; eóque nuncio non parum animo conturbatus (quidquid enim de ſupellectili omnium opinione protioſiſſima habuit, ibi veluti in munimento præ alijs ſecuriori depoſitum fuit) *Viennam* triſtis redijt.

Monaſterium Trebicenſe pari aſtu & dolo tentant; &

Nec multo poſt aliud incommodum penè par, aut majus, cum *monaſterio Trebicenſi*, quod Sadeko vicinum eſt, accidiſſet, niſi ſingulari Divini Numinis providentiâ id mirabiliter præpeditum fuiſſet. Idem *Hynko de VValetz* fortunâ, quæ ſibi tam promptè arriſiſſet ferox, communicatáque re cum nonnullis *civibus Trebicenſibus*, jam etiam Huſſum olentibus, monaſterium pari dolo & fraude, in ſuam poteſtatem redigendum conſtituit. Dies erat *D. Nicolao in Eccleſia ſacer*, quo deſtinatum facinus ſtatuerat exequi: jámque è conjuratis aliqui audentiores, ſub ſpecie religionis, templum & monaſterium eo fine ingreſſi, occupandæ primariæ portæ intenti erant; cùm unus ex illis conſcientiâ tactus, cuidam Religioſo familiariùs ſibi noto rem detexit, & ille haud cunctanter *Abbati* id retulit; qui è veſtigio portas monaſterij ubique claudi, & facinoroſos homines omnes capi, inque vincula conjici juſſit. Unus nihilominùs foras evaſit, maturè aliquid de periculo ſubodoratus: & hic *ſatellitibus Hynkonis*, cæteríſque conjuratis, qui in proximo ſtabant, ſignum irruptionis, â ſocijs quos præmiſerant, avidè expectantes, quidnam accidiſſet, nunciavit: qui idcirco magnâ conſternatione perculſi, & ut in furto deprehenſis accidere ſolet, trepidi, quò quis ſecuriùs putabat, ac citiùs multo quàm venerant, diffugerunt. Capti, poſtquàm ab ijs cognita eſſet totius proditionis ſeries, *Brunam* ducti ſunt, ibíque de illis ſupplicium publicè ſumptum: duo primarij, tanquam proditores, in quatuor partes ſecti; tres in furcam acti; reliqui abſciſſis naribus & auriculis caſtigati.

partim intercipiuntur; partim diffugiunt.

Capti ſupplicio affecti.

MS. Trebic. cit. MS Peruſt. MS. Anon.

Sed neque *Hynkoni* diuturna fuit *arcis Sadecenſis* poſſeſſio. Habebat *VValdſteinius* Moravum quendam Equeſtris Ord. nomine *Bartoſſium de Mirovv*, partibus ſuis ſyncerè & fideliter addictum, virum audacem & induſtrium: is habitâ notitiâ, cum uno atque altero è præſidiarijs arcis, per idoneos homines ſecretò cum ipſis egit, de prodenda arce: multáque largitione, ac ingentibus promiſſis corruptos eò usque perduxit, ut operam ſuam cum in finem jurejurando promitterent, ipſúmque cum milite in arcem, quamprimùm occaſio foret, ſeſe intromiſſuros pollicerentur. Quod demum etiam egregiâ fide præſtiterunt, occaſionem rei gerendæ opportunam, ex *abſentia Hynkonis, qui Namieſtium diſceſſerat*, nacti: tum enim admonito *Bartoſſio*, ut ſequenti nocte, circa vigiliam tertiam, ſilenti agmine adeſſet; & ille cum ſuis paratus, deſtinato tempore & horâ, quantocyùs accurriſſet, portam ei aperuerunt. Ita *Hynko*, quâ fraude arcem cepit, eâdem amiſit.

Henricus arcem ſuam Sadek recuperat. MS. cit.

Sigismundus Hungariæ rebus compoſitis,

Interea *Sigismundus*, poſtquàm pacem cum Venetis, & paulo antea cum Turcis compoſuiſſet, parto ocio & quiete per Hungariam, viciniáq; Regna, conſilia ſtudiúmq; deinceps omne in Bohemiam, (*Regnum paternum*) ſi quo modo etiam Bohemos, poſt tot labores fruſtra ſuſceptos, feliciori tandem eventu componere poſſet, convertit. Quâ de cauſa, commiſsâ Regni Hungarici curâ,

curâ, *Matthæo Palloci*, tanquàm Palàtino, eique in conſilium adjunctis *Georgio Palloci Archi-Epiſcopo Strigon. Stephano Battory*, & *Michaële Orczaki*; viris pace & bello præſtantiſſimis; ipſe per Auſtriam iter in Germaniam ſuſcepit, & primò *Ratisbonam*, deinde *Norimbergam*, quò etiam Comitia Principibus Imperij indixerat, die 5. Januarij an. 1431. venit. Imò ut oſtenderet quàm cupidus eſſet pacis, initio menſis Maji, *Norimbergâ*, *Egram divertit*, indéque *Nicolaum de Lobkovicz*, & *Zdislaum Tluxam VVrabsky*, ad Bohemos Pragæ tunc magna ex parte congregatos, & de Republica aſſerenda, deque controverſijs Religionis componendis agentes, miſit, invitans ad colloquium & pacem. Erant jam *Proceres Bohemi* multi, & *Pragenſes etiam ipſi*, aliique omnes, quibus Patriæ charitas & publica tranquillitas cordi erat, belli & eorum quæ ad internecionem penè Regni quotidie fierent, pertæſi: ideóque grata admodùm ijs fuit mentio pacis, usque adeò in eam propenſis, ut ad quascúnque conditiones deſcendere, & etiam de privatis ſuis commodis aliquid remittere minimè dubitarent; dummodò diræ belli calamitates ſemel ceſſarent. Conclusúmque eodem in conventu, (reclamantibus licèt, ſicut antea Orphanis, *Procopio* tamen *Majore*, *Kerskio*, aliisque Taboritarum ducibus conſentientibus) ut quatuor de cætu præſenti nominarentur ad Cæſarem quamprimùm ituri, tanquam Legati, & quæ pro ſalute Regni, & publica pace ab eo proponerentur, relaturi: ex quibus tandem, omnium ſcitu & conſenſu, certum quid pro ſtabilienda pace concludi ac determinari poſſet. Nominati igitur: *VVilhelmus Koſtka*, *Beneſs de Mokroſaus*, *Matthias de Chlumczan* (aliàs etiam *Lauda* nominatus, vir Latinis literis apprimè excultus, & in rebus gerendis dexter) & quidam presbyter Taborienſium, quibus aliquid tribui oportebat, nomine *Markold*. Sed fruſtra iterum duæ penè ſeptimanæ, præſente licèt Cæſare, tractandæ pacificationi inſumptæ ſunt; Bohemorum legatis, cùm ab exploratoribus certis didiciſſent, ſub id tempus armari totum Imperium contra Bohemiæ Regnum, haud modicè perturbatis; ideóque præſentem tractationem ſuſpectam ducentibus, uti fraude plenam, & ad ſpeciem duntaxat, ut interea Bohemi repentino ac improviſo Germanorum adventu, opprimerentur incauti, inſtitutam: contra quam, poſtquàm fuiſſent non in privatis tantùm ſermonibus, ſed publicè & paſſim multùm queſti, ultimò petitâ & obtentâ à Cæſare abeundi veniâ, Pragam rebus infectis redierunt; id priùs adhuc palam proteſtati, *non debere deinceps Bohemis objici, quaſi per illos huc usque ſtetiſſet, quò minùs funeſto bello, quiete & pace ſuperinductâ, exoptatus finis imponeretur; cùm notorium ſit, apud alios fuiſſe, & etiamnum eſſe moram & culpam.*

Norimbergam, & inde Egram venit.

legatos Pragam mittit, pacem offert.

Hagek. Kutbgn. ad an. 1431. MS. Drahon. Reg. no Hrad. M. Laurenty, M. Laudæ. Lupac. VVele Lab. ad d. 1. Maji.

Legati Bohemor. ad Cæſarem.

Sed fruſtra iterum omnis ſuſceptæ pacis labor.

Ediderat *Bullam Cruciatam*, jam tertiò contra Bohemos, *Martinus Papa V.* de dato Romæ III. Id. Jan. an. 1431. Pontificatûs XIV. miſitque *Julianum Cæſarinum S. Angeli Diaconum Cardinalem*, virum omni ſcientiarum & virtutum genere ſpectatiſſimum, Legatum in Germaniam, qui eam publicari, & exequutioni quantocyùs dari urgeret: quo agente, concluſum inter omnes Imperij Principes, *ut in proximam æſtatem nova, eáque multo inſtru-*

Bellum Cruciatum adverſùs Bohemos: *Cochl. in Huſſit. l. 6.*

ctior fieret expeditio contra Bohemos. Hoc ipſum, quùm legati *Egrâ* reduces, præter alia de legationis ſuæ exitu, retuliſſent, & non niſi injiciendæ fraudulenter moræ (*ut dum pacem ſperarent Bohemi, tum bello derepentè petiti ſuccumberent*) colloquium hoc inſtitutum fuiſſe, docuiſſent; haud mediocri conſternatione omnes, hoc audito, perculſi ſunt: præſertim quòd & aliunde crebris amicorum litteris, eadem *de Germanorum apparatibus* ſignificarentur. Neque enim res poterat agi ita ſecretò, in tanta viciniâ, ut homines hinc inde commeantes lateret, in omnibus penè urbibus & oppidis publicata, in templis, foro, curijs denunciata. Et quia rem tanti momenti, ſummique periculi, *Magiſtratus Pragenſis*, & qui tum aderant *Proceres*, ad notitiam omnium pertinere exiſtimabant; ſtatim die ſequenti, in quam inciderat *Solemnitas Corporis Chriſti*, per præcones ad hoc ſpecialiter deputatos, *in foro Novæ Civitat. Prag. ſub Proceſſione* (ex quo apparet Pragenſes tum adhuc retinuiſſe ſacroſanctos Eccleſiæ Catholicæ ritus) id publicari curârunt. Unde magnus in populo obortus eſt tumultus, eóque inſolentiæ proceſſerat tum ſtatim promiſcuum vulgus, *cui nihil modicum, nihil temperatum eſt*, ut Cæſarem convicijs & maledictis proſcindere, ingenti cum vociferatione nequaquam vereretur. Sed & alij viri graves, captis ſemel ſuſpicione animis, ea omnia quæ à Sigismundo ineundæ reconciliationis causâ, huc usque propoſita agitatáque fuêre, ſiniſtrè interpretabantur, non ſeriam unquàm pacis ineundæ curam, ſed curæ tantùm ſpeciem, eum hactenùs circumtuliſſe; nec illa humanitatis, benevolentiæ, clementiæ, indulgentiæ & liberalitatis exempla, quæ præ ſe ferebat, & quandóque cum jactatione oſtentabat, fuiſſe ulla ſyncera aſſeverantes; ac proinde dicta factáque ejus omnia, utì inſidioſa, fraudulenta & ſubdola, acerrimè criminabantur. Non tamen ſine graviſſima, ùt reor, ipſius injuria; qui contrà ſatis oſtendit, quo erga pacem animo eſſet, dum cæteris Principibus expeditionem hanc omnibus modis diſſvadere conatus fuit. Ni quis objiciat, ipſum prohibere potuiſſe: tanquam ergò juſſiſſet, quod pro poteſtate ſua non vetuiſſet. Sed habuiſſe illum graves facti hujus cauſas, non dubito; ex quibus fortaſſe haud poſtrema fuit, quòd *Romanos*, quos bellum indixiſſe noverat, & ad quos ipſe tunc pro Coronatione Suprema iter adornabat, offendere noluit.

contra quod Pragenſes aliud publicant; & poſt graves querelas in Sigismundum,

At verò *Pragenſes* tanto imminente periculo commonefacti, ſine omni cunctatione arma viróſque parabant; & adhibitis in conſilium Proceribus, qui aderant, hoc ipſum etiam alijs Regni Ordinibus, tum *Taboritis & Orphanis*, alibi occupatis, per celeres nuncios ſignificari curârunt, quònam in diſcrimine verſaretur *Regnum & Natio univerſa*. Se ergò ituros viréſque tam ſuas, quàm aliorum fœderatorum undequáque collectas hoſtibus oppoſituros: ſed petere, ut & illi viros ſeſe oſtendant, *Patriæ amantes*, & de ferendis contra communem hoſtem auxilijs, iiſque quantocyùs ad metas Regni, Bavariam versùs, expediendis, omnem curam & diligentiam adhibebant. Idem quoque *à Moravis*, frequentioribus litteris & nuncijs ſollicitant. Nec opus erat urgere multis, homines ſuopte genio ad militiam bellúmque gerendum pro-

arma expediunt: auxilia à toto Regno, *cùm res agatur communis*; & à Moravis petunt.

proclives; & tum præſertim, ubi pro aris & focis dimicandum erat, non pugnare tantùm, ſed etiam mori paratos. Hinc magnâ animorum promptitudine ad arma undique concurrebant; ità, ut etiam diverſarum factionum Religionúmque, quamquàm odijs inter ſe paulo antè, ad necem usque diſſidentes, hîc tamen videntes, ſibi & toti Regno, grave ac ſummè periculoſum impendere diſcrimen, usque adeò conſenſêre; ut omnes omnino, etiam Proceres regijs addicti partibus, (quòd fortaſſis intellexiſſent Expeditionem hanc inſtitui, *citra voluntatem Cæſaris*) certatim in caſtra, & ad locum deſtinatum properârent.

Gerard. de Roo Hiſtor. Auſtr. l. 4. ad an. 1431.

Pragenſes ſicuti aliorum hortato[illegible] fuerunt ſtrenui, ad capeſſenda arma; ita ijsdem in exemplum primi in campum prodierunt, die 28. Junij: quos triduo poſt *Taboritæ ex Sileſia reverſi*, ſequuti ſunt, *Orphanis* adhuc *in Luſatia & Marchia*, ubi expugnârunt *Landſpergam & Struſpergam* oppida, hærentibus; qui tamen etiam brevì accurrerunt. Aliæ civitates regiæ (exceptâ *Plſnâ*, *Budvicio*, *Brixiâ & Cubito*) ſimiliter, quàm maximâ poterant diligentiâ & celeritate, militem congregabant. Proceres quoque: *Meynhardus de Nova domo, Hanuſius & Fridericus Kolovvratai, Alſſo de Sternberg, Czenko & Henricus VVartmbergij, Ptaczek à Pirgſtein, Borzek de Dobalicz, Genik de VVedanicz*, &c. Ex Moravis: *Beneſſ de Daubravicz, Joannes de Pernſtein, Zagimacz de Kunſtat, Pardus ab Horka, Hynek à Letovicz, Joannes de Krzizanovv, Puta Slavikovecz* &c. milites clientésque ſuos, quos varijs ſtipendijs alebant, ut quantocyùs congregarentur, urgebant. Omnes denique, qui alicujus famæ, aut nominis atque potentiæ fuerant nobiles, conſenſu admirabili, nomina in præſentem expeditionem dabant; ita ut quùm poſtmodùm *ad Chotieſſovium* luſtrarentur univerſi, *quinquaginta millia peditum*, & *ſeptem millia equitum* (plura duobus, quàm recenſeat *Drabonicius*) bello aptorum ſummam efficerent: præter *Zatecenſes* & *Launenſes*, qui Miſniacos ab aditu arcendos ſuſceperant; *Regino-Hradecenſes*, qui Sileſijs invigilabant; *Polnenſes, Przibislavienſes, Lichtmburgenſes, Lipnicenſes, Pelbrzimovenſes, Kamenicenſes & Oſtromeczenſes*, qui ne hoſtile quid â Moravia vel Auſtria, per Archiducem, aut *Kragirium Moraviæ Capitaneum* moveretur, curam adhibere juſſi erant. Curruum verò, in quibus Bohemi collocabant ſemper magnum rei gerendæ momentum, & quorum tunc erat in bello & prælijs, frequens uſus, tria millia, & ſexcenti.

Pragenſes in campo primi:

Krantz. in VVand. lib. 11. cap. 13.
Cochl. in Huſſi. lib. 6.
quos ſequuti alij.

Summa omnium 50000 peditum, 7000. equitum 3600. curruum.
MS. Drabon.
MS. Anon. ad an. 1431.

Nec minori ſtudio urgebat apparatum, ipsámque Expeditionem contra Bohemos *Julianus*, novis inſuper mandatis *Eugenij IV. Summi Pont.* qui *Martino V. die 20. Febr.* defuncto ſucceſſerat, animatus: qui ut Bohemorum vires, bello ingruente ab omni parte diſtraheret, tantóque citiùs petitos undique opprimeret, convenit etiam cum *Archiduce Alberto*, Cæſare diſſimulante, ut per Moraviam in feſta Bohemiæ ſigna inferret. Sed incertum, quo fato, tam lentè omnia parabantur â Principibus, ut dum unus alterum expectat; dum *Saxones & Brandeburgici* intrare Bohemiam nolunt, priusquàm *Suevi, Francones, Alſatæ & Lotharingi* conveniant, aut Archiducem ex al-

Expeditio Germanorum lentè inſtituitur:
Eugenij IV. lit. data 3. Maji.

 tera

tera parte jam intrâſſe audiant; dum & alia ex alijs impedimenta adferuntur, moræque inutiles & pernicioſæ in conveniendo trahuntur: rei gerendæ occaſio, non ſine gravi indignatione & dolore *Cardinalis*, prætermiſſa eſt. Cu[illegible] quidem negligentiæ culpa, ut plurimùm gravabat *Comitem Palatinum Rheni, & Ducem Lotharingiæ*; qui ſub id tempus, moto contra ſe invicem bello,

hinc occaſio rei gerendæ elabitur.

non tantùm ipſimet in præſentem Expeditionem, uti aliàs promiſerant, adferre nihil potuerunt, ſed finitimis quoque, *Franconibus, Alemanis*, *VVangionibus*, *Nemetis & Alſatis* cauſam dederunt, tardiùs & in pauciori numero conveniendi; metuentibus, ne flagrante in vicinia bello, flamma mali latiùs erumpat, & illorum quoque tecta corripi[illegible] cùm probè nôſſent, nihil tuti integrique ſperari poſſe, *paries dum proximus ardet.* Alioquin ſi maturiùs, & *ad diem S. Joannis Bapt.* â Cardinali præfixam, totis viribus *in Bohemiam* irrupiſſent, meliori ſanè fortunâ bellum gerere omnium judicio potuiſſent, *Bohemis* non dum ad reſiſtendum accinctis, *Taboritis* verô & *Orphanis* hinc inde per remotiora ſatis loca diſperſis.

Pragenſes cum cæteris ſuis ſocijs, Plſnam obſident:

Pragenſes ergô, ac cæteri copiarum duces, videntes non dum quidquam hoſtile moveri *â Germanis*, & illos laceſſere, totámque belli molem *in Germaniam* transferre non uſque adeò tutum rati; contra quàm aliàs præſcri[illegible] militiæ præcepta, *quæ bellum potiùs in alieno, quàm domeſtico ſolo gerendum, hoſtemque non expectandum, ſed quærendum docent*: ne ocio marceſcerent, [illegible] ſi nihilominùs eundem foret in hoſtem, ne â tergo quidquam hoſtile re[illegible]

MS. Dubon. ad an. 1431. MS. Anon. an. eod.

querent, *Plſnam* accurratiori, quàm antehac unquam, obſidione tentandam decreverunt; tametſi eodem, quo antea eventu. Premebant quidem urbem acerrimè ab omni parte, ita circumvallatam undique, ut nemini mortalium egredi aut ingredi liceret: ſed quia inſtrumentis ad oppugnationem neceſſa[illegible] ac imprimìs tormentis, pro verberandis ſternendíſque muris idoneis careb[illegible]

acriter oppugnant: ſed fruſtra.

ad campeſtria ſolùm prælia atque congreſſus expediti; & *Pragenſes* quamquàm *â Procopio* & alijs ſæpiùs urgerentur, ut pro hujusmodi bellico apparatu, in præſens opportuno ac prorsùs neceſſario, Pragam mitterent, id intelligere nolebant; irritus fuit omnis illorum conatus & labor. Provo[illegible]bant ſub[illegible] in muros acri impetu, & quâdam vice propè erat, ut mœnia ſuperarent: ſemper tamen, Deo juvante, & civium virtute, ac imprimìs *Kruſſinâ Sſvamb[illegible]gio*, qui proprijs ſuis ditionibus neglectis, civitatem defendendam ſuſceperat, fortiter agente, repulſi, multis acceptis vulneribus, nec paucioribus interfectis,

Procopius quoque Tynam Archi-Epiſcopalem civitatem fruſtra tentat:

incœpto deſtiterunt. Moræ ergò pertæſus *Procopius*, & *Pragenſibus*, ob jam [illegible]ſinuatã cauſam, nonnihil offenſus, primus cũ ſuis Taboritis ab obſidione rec[illegible]ſit: & fortunæ melioris alibi tentandæ cupidus, *Tynam Horeſſij* petijt. Hanc *[illegible]chie-Epiſcopalem quondam* tenebat tunc *Zdenko Drſſtka, Baro Catholicus*, Huſſitis infenſiſſimus, qui futurorũ quaſi præſcius, ideóq; cum omnibus ſuis paratus, Taboritas ita excepit, ut *Procopius* victorias tantùm & triumphos, ſuperbo ingenio, jactare ſolitus, ad hoc exiguum & ignobile oppidum, longè alia perſenſerit; & difficiliora omnia, quàm dum *Kolinam* urbem in Bohemia multo

ſuprà pag. 523. MS. Anon. cit.

munitiorem, ante quadriennium oppugnâſſet. Acceperat tunc ad *Kolinam* vul-

vulnus grave: ſed hic excurſione oppidanorum, cui *Zdenko* ipſe interfuerat, vix non captus; & ſecundò, ab ijsdem penè obrutus; quod accidit *die S. Pantaleonis M.* prout narrat, qui aderat. Non diu itáque ibi moratus, cùm adverſa omnia experiretur; metuerétque ne remotior ab alijs, ultimò â Germanis, quos jam maximo numero congregatos, imminere finibus Bohemiæ, conſtans fama ferebat; maturavit inde diſceſſum, exuſtis priùs ſuburbijs, & *ditione Tynenſi* totâ devaſtatâ. cum damno ſuo inde recedit.

Tandem igitur *Principes Imperij* in unum congregati, cum copijs ſuis *Cruce ſignatis*, circa finem menſis Julij, in Bohemiam moverunt; tali incedentium agminum ordine ſervato, ut mille equites, & trecenti pedites, qui locorum peritiam haberent, explorandis itineribus antecederent: hos pedites *Svevi, & Franconum equites* ſequerentur, ac demum alij poſt alios ſuccederent. Erat exercitus ingens, priore multo armatior & copioſior, adeò ut equeſtrium copiarum, tam gravis quàm levis armaturæ numerus, quadraginta millium ſummam impleret. Peditum aliqui ſcribunt fuiſſe tantundem; aliqui, minùs: ſed *Drabonicius* aliíque, qui hæc videbant, numerant millia nonaginta; cum quibus ſentiunt *Kuthenus*, *Theobaldus*, *Stransky*, qui totius exercitus ſummam, ad centum triginta armatorum millia (præter calones & lixas, & curruum novem millia) extitiſſe memorant. Summa autem militaris imperij poteſtas *Friderico Electori Brandeburgico* delata eſt; cui idcirco *Julianus* vexillum benedictum, nomine Eccleſiæ, publicè & magna cum ſolemnitate, *Norimbergæ* in manus tradidit, & totius exercitûs *Cruce ſignatorum nominavit Imperatorem*. Tandem Imperij Principes Bohemiam petunt. *Cochl. in Huſſit. lib. 6. Andr. Presbyt.* Summa totius German. exercitus. *Stransky in Rep. Boh. c. 16. § 5 Kuthen. ad an. 1431.*

Ad *ſylvam Herciniam*, quâ Bohemia ab ea parte veluti munimento quodam cingitur, ubi ventum, ſubſtiterunt: quòd fama eſſet in vulgus edita, Bohemiam totam in armis eſſe, ac certatim omnes ſub ſigna properare, magnáque cum potentia ire Germanis obviam; inſuper limitum cuſtodes præſtruxiſſe hinc inde in ſylvis inſidias, & idoneis in locis conſtitutos eſſe, qui hoſti, ubi primùm Bohemiam intraret, concæde arborum denſâ, viam redeundi præcluderent. Quâ re nonnihil turbati, cautiùs progrediendum, & cum conſilio rationéque omnia in continuanda profectione agenda; neque *exercitum univerſum, in quo ſalus & permanſio Reip. conſiſteret*, temerè in diſcrimen aliquod grave præcipitandum exiſtimabant. Verùm cognito per exploratores certiores, Bohemos conveniſſe quidem magno numero, & poſitis *ad Plſnam* caſtris, urbem oppugnandam ſuſcepiſſe; ſed ſubitò exorta eſſe inter illos jurgia, & ex ijs ſciſſiones, jámque *Taboritas â Pragenſibus diſceſſiſſe, Orphanos pariter abitum meditari*, imò jamjam abiviſſe: è cæteris pleróſque eſſe tyrones tantùm, opifices & agreſtes, *militiæ rudes*, ideóque non metuendos, qui vix tentato conflictu fugam daturi eſſent: conceptum antea timorem, ac tardiora conſilia ſuſtulerunt, promovendáque ulteriùs caſtra decreverunt; præmiſsâ denuò peditum manu forti, qui antecederent, & inſidias, ſi quæ uſpiam laterent, explorarent. Bohemiam ingredi primò non audent: donec cognito, inter Bohemos eſſe diſſenſiones;

Præviderat hoc ipſum *Procopius* homo callidus & ſagax, fore ut Germani,

Digitized by Google

quas Bohemi datâ operâ ſimulant, ut Germanos decipiant;

ni, auditâ Taboritarum ab alijs ſeceſſione, id ex contentione aliqua vehementiori, vel æmulatione atque odio factum putent, idque in certum diſſolutæ inter ipſos ſocietatis argumentum trahant, & in ſuum commodum vertere contendant; usque adeò, ut occaſionem hanc minimè prætermittendam exiſtiment, ſed quantocyùs in Bohemiam provolent. Quare ut illos in ea opinione confirmaret, rediens *Tynâ*, non conjunxit ſe alijs, ſed ex conſtituto remotiùs, *Nepomukum, ac inde Przibramum Hoſtomiciúmque* versùs deflexit: & ut idem facerent *Orphani*, perſvaſit; edoctis priùs tam illorum, quàm Pragenſium ductoribus, quid per hoc fieri vellet, & ut tacitè id haberent, admonitis, cum addito: *ſedulò interea curarent, ne diſcederent ab invicem longiùs, quàm intra biduum convenire poſſent.* Drahonicius paucis id inſinuat, dum de obſidione Plſnenſi narrat, ac poſtea addit: *Deinde* (nempe poſt obſidionem fruſtra ſuſceptam) *prædictæ ſectæ Taboritarum & Orphanorum, ex quadam fraude receſſerunt, ut Tevtonici in Bohemiam venirent: & in villis oppidisque, propè & circa caſtra Carlſtein, Hradek, Lopata, Radinie, & civitatem Plſnam, in bladis & frumentis magnum nocumentum per conſumptionem, in pecoribus etiam & equis fecerunt.*

Drahon. ad an. 1431. MS. Anon. an. eod.

Bohemiam intrant:

His igitur in eum modum confictis & actis, dum fama undique perſonat, *copias Bohemorum, ducum æmulatione & diſcordiâ ſcindi in partes, jámque in diverſa agminatim dilabi*; tanto alacriores Germani, præeunte & cohortante *Juliano*, feſtinabant in Bohemiam, donec ſuperatis ſylvis & montibus, in patentiora loca pervenientes ad Tachoviam conſederunt; læti quidem, & triumphantibus ſimiles, ſed ante victoriam; paulo poſt fortunam aliam experti, ab eâque malè mulctati, & magno ſuo dedecore, nec minori totius exercitus clade, admirandâ verò hoſtium felicitate, omnes turpiter in fugam acti. Cùm enim aliquandiu Tachoviam oppugnâſſent, (licèt viribus non ſeriò admotis, populationi potiùs faciendæ intenti,) ac deinde eâ relictâ, ſeſe per extima Bohemiæ, ab una parte *Teplam*, ab altera *Borum Tuſtámque* versùs diffudiſſent, igne ac ferro ſævientes crudeliter, ita ut *pagi* præterpropter *ducenti* ab ijs tunc exciſi numerarentur: poſtea ad arcem *Rizmberg*, Familiæ tum Sſvihovskianæ unam è præcipuis ſedem, congregati, audito ſolùm Bohemorum adventantium nomine; ac intellecto ſimul omnes, *Taboritas, Orphanos & Pragenſes*, coadunatis viribus, & ingenti animorum conſenſu accelerare, apparerêque ea omnia, quæ de mutuis illorum diſcordijs paulo antè fama ferebat, conficta eſſe ad ludificandos ſe: magno rurſum pavore & metu perculſi, nullâque ampliùs re memorabili geſtâ, obliti etiam, quâ venerant, viæ, ſed alio Bavariam versùs arrepto itinere, fugam dederunt; tantâ ignaviâ, ut nullo priùs facto certamine, nec ſtrictis gladijs, nec benè adhuc conſpecto hoſte, (quod reverà fœdum viſu fuit) terga darent, ac relictis caſtris & impedimentis, in diverſum, quò quis poterat, dilaberentur. Cæſa fugientium & præcipiti in fuga, curribus ſeſe mutuò in anguſtijs ſylvarum impedientium, duo millia & aliquid ampliùs; capti ſeptingenti, & ligati pecudum inſtar, Pragam in triumphum ducti: tormenta bellica majora & minora CL. tur-

& in obvia quæque flammâ & ferro ſæviunt crudeliter.

audito poſtea Bohemos adventu,

nec viſo hoſte diffugiunt.

Clades Germanorum.

Digitized by Google

curruum tria millia cum tentorijs, armis, veſtibus, vaſis argenteis, vino, farina, carnibus, & alijs rebus: inter quas fuit etiam *Juliani veſtis cum galero Cardinalitio*; apparatus item Sacrificij, *Crux, nola*, ipſæque litteræ Papales, ſeu *Bulla Cruciata*. Ex ijs quædam Tuſtæ relicta & ſervata, diu poſtmodùm, & ùt narrant, adhuc patrum noſtrorum memoriâ oſtendebantur: alia & potiora Pragenſes acceperunt, ac veluti trophæa victoriæ, Pragam detulerunt.

Cochl. cit. Gerard. de Roo lib. 4. Trithem. in Chron. Sponheim. ad an. 1431. Fabric. in Orig. Saxon. lib. 7. MS. Drabon. Perruſt. Anon. ad an. 1431.

Sic denuò *apparatus ille Imperij ingens, in fumum abijt*. Denique non dum Fidelium malis ſatiata numina erant, ſed alijs ſuper alias cladibus prægravatos fatigabant; ſcilicet, ut Optimi Pontificis, Cæſariſque conſilia, vel prudentiſſimè pro ſalute Reip. ſuſcepta, optato eventu carerent, & *fortiſſimæ Germanici nominis gentes, vetere ſuâ gloriâ ſpoliatæ, à longè paucioribus numero Bohemis, non modò ſternerentur, ſed ſolâ adventûs eorum famâ, in turpem fugam conijcerentur*. Atque iſtud eſt, quod deinde *Baſilienſi* Concilio vocem illam expreſſit, quam Seſſione 3. legimus: *Bohemos, ex inſcrutabili conſilio Dei, armis ſuperari non poſſe*. Audivimus paulò antè *Æneam Sylvium*, de exitu prioris expeditionis referentem, de hujus etiam, ídque longè convenientiùs, cùm ſecum trahat etiam *Moraviæ inflictam magnam cladem*, audiamus: *Sigiſmundus his cognitis, Norimbergam profectus, nova Principum auxilia comparat, Martinus quoque Pontifex Max. Julianum Cardinalem S. Angeli literis ac moribus excellentem, cum ea legatione in Teutoniam mittit, ut Bohemis bellum inferat, & adveniente tempore in Baſilienſi concilio, quod propediem futurum erat, nomine Apoſtolico præſideat. Is Germaniam ingreſſus, mox Norimbergam ad Sigiſmundum ſe confert: quo in loco frequentes Germanorum reguli convenerant. Decreta eſt nova in Bohemos expeditio, ad octavum Calendarum Julij, Dux belli Fridericus Marchio Brandeburgenſis declaratus, qui Cardinalem ſequeretur. Ingreſſus eſt Bohemiam per viam, quæ ducit ad Teplam. Inſtitutus Albertus Auſtriæ Princeps, ſuas copias per Moraviam ducere juſſus eſt. In ea expeditione Albertus & Chriſtophorus Bojoariæ, & Fridericus Saxoniæ duces fuêre: Joannes & Albertus Brandeburgenſes Principes cum patre, quem penes belli ſumma erat: Herbipolenſis, Bambergenſis, Eiſtetenſis Epiſcopi, ſocietas Svëvorum, quam S. Georgij vocant, & Imperialium civitatum Magiſtratus; Moguntinus, Trevirenſis & Colonienſis antiſtites auxilia miſerunt, & cum his provinciarum ſuarum primores: ſupra quadraginta millia equitum fuiſſe traduntur. Peditum minor erat numerus; nam Germani patentibus freti campis, equeſtres plerumq; pugnas agitant. Promiſerat & Renatus Lotharingiæ Princeps, in eam expeditionem ſeſe venturum; ſed domeſtico bello implicatus, dum comitem Videmontenſem oppugnare nititur: neq; promiſſo ſatisfieri poteſt, neq; Comes Palatinus Rheni, qui Videmontenſi opem tulit, adversùs Bohemos ire permittitur. Cardinalis dum eos opperitur, ad Calendas usque Auguſti profectionem ſuſpendit. Albertus intereà ex Auſtria ducens, cùm ad dictum diem adeſſe Cardinalem minimè intelligeret, impar Bohemicæ potentiæ retroceſſit. Ingreſſus deinde Cardinalis, numeroſum exercitum ductans, multas hæreticorum villas incendit, oppidaq; diripuit; in quibus non avaritia tantùm,*

Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. c. 48.

Expeditio Principum, magno cum apparatu, contra Bohemos ſuſcepta.

numerus Germanorum militum: (*Drabonicius habet 40000. equitum. 90000. peditum, & 9000. currnum.*)

crudelitas:

ſed crudelitas etiam militum graſſata eſt, qui mares cum fœminis obvios ſenes, puerosque paſſim necavêre. In extremis tamen regni partibus ea calamitas deſævijt, cùm duces copiarum interiora petere formidarent. Bohemi qui jam pridem hoſtem affuturum acceperant, expeditas in armis legiones coëgerant, & ubi fidelium domicilia reperiebant, ea ferro atque igne vaſtabant. Inter quæ

Forte Schlakenverdam,

Stiltivergium oppidum ab Orphanis expugnatum ac direptum, puberes ad unum necati. Interea ſive proditio in exercitu fidelium fuit, quod plurimi putavêre,

pavor & fuga.

ſive inanis ſuâ ſponte mentes hominum pavor invaſit, totis caſtris trepidatum eſt, & priusquàm hoſtis ullus in conſpectu daretur, fœdiſſima capta fuga.

Legatus Pontificius Germanos animat, &

Mirari Julianus unde hic timor, quæ ratio tantum exercitum fugere ſvaderet, ambire duces, hortari, arma expedirent, aciem inſtituerent, forti animo hoſtem expectarent; non de regni gloria, aut agrorum poſſeſſione, certari de vita, de Religione, de Chriſti honore, de animarum ſalute bellum geri. Turpe Germanis eſſe, quorum Nobilitatem virtutémque totus Orbis celebraret, ex prælio

à fuga dehortatur;

fugere; mori ſatiùs, quàm hoſti non dum viſo cedere. Neque ſecuros intra mœnia habitare poſſe, qui campos hoſti relinquerent, arma viros non muros tegere.

ſed fruſtra;

Sed fruſtra apud eos cohortatio fuit, quorum pudorem metus evicerat. Ablata ſunt raptim ſigna, & tanquam nullus eſſet in exercitu ductor, tumultuosè quisque non expectato imperio, non ſalutato comite, multi etiam projectis armis, non aliter quaſi hoſtis à tergo inſtaret, rapido curſu fugam maturavêre.

cogitur tandem & ille fugam dare:

Quibus & Cardinalis invitus ſeſe comitem dedit. Hoſtis paulò poſt ex metu alieno factus audax, affuit, impedimentisque omnibus, quibus per ſylvam non erat facilis exitus, & ingenti prædâ potitus eſt. Albertus tamen quùm accepiſſet intrâſſe Bohemiam Cardinalem, & ipſe iterum raptim ex Auſtria coactis copijs in hæreticos duxit, Præzoroviámque (Brzezoviam alij, *Przibislaviam* alij volunt)

quo audito, Albertus Archidux,

munitum oppidum oppugnare adorſus eſt. Sed fugâ Cardinalis cognitâ, ab incepto deſtitit, & per Moraviam, quæ non dum ei tota patebat, infeſta ſigna circumferens, ſupra quingentas villas ferro atque igne delevit. Oppida multa vi cepit atque diripuit: mortalium maximam cædem fecit, adeóque gentem illam afflixit, ut jugum ejus accipiens, parere ſibi eâ lege promiſerit, ut circa Religionem id ſequi teneretur, quod Baſilienſe concilium decerneret.

Idipſum quoque Cæſareus Hiſtoricus Gerardus de Roo, in Hiſtoria Au-

Gerard. de Roo ſupra cit. Bonfin. rer. Hung dec. 3 l. 3. Miechov. l. 4. c. 53.

ſtriaca refert, & quod Moraviæ cladem attinet, nonnihil dilucidiùs, cujus verba ſunt: *inter hæc Albertus Auſtriacus, ad primum mota in Bohemos expeditionis nuncium accurrens, Prazoroviam munitum oppidum obſidione cingit; mox verò de reliquorum fuga edoctus, séque hoſti imparem agnoſcens, retro in*

qui per Moraviam intravit Bohemiam,

Moraviam movet, eámque nondum ſibi dicto audientem ſubijcere aggreditur. Pervaſerat in eam Bohemorum hæreſis: cui addicti, qui erant Orphanorum ac Taboritarum fœderibus illigati, quorum viribus tutos ſe fore confidebant, Al-

retrocedit, & Moraviam vaſtat:

berti juxta ac Sigismundi ipſius imperium aſpernabantur. Igitur Albertus, qui integrum ex Bohemia exercitum abduxerat, oppida quædam vi capta diripuit, quingentos circiter pagos exuſſit, agros vaſtavit, sicque Provinciales res afflixit, ut pace ac veniâ impetratâ Dominum agnoſceret, ac in Religionis

nego-

Digitized by Google

negotio, quicquid futura Baſileæ Synodus decreviſſet, id ſe ratum ſanctumque habituros reciperent. Subnectit porrò de Alberto iſthæc: *ſolus itáque Albertus, reliquorum quieſcentibus armis, rem ſatis feliciter gerebat. Unde & proditum memoria invenio, Boëmos ac ſocios ipſorum Moravos, etſi pluribus ab Alberto incommodis affectos, minùs tamen ipſi, quàm reliquis Germaniæ Principibus offenſos fuiſſe, ut quem & juſtam habere belli cauſam, & cordatè illud adminiſtrare diceret.* Ultimò addit: *Quòd verò tot tantisque conjunctis viribus, nullum operæ pretium fieri potuiſſet belli, mirabantur omnes, variáſque pro ſuo quisque ingenio commentabantur cauſas. Sunt in manuſcriptis, qui aſſerunt Cæſarem noluiſſe Bohemiam hoc bello nimis vexari, quam aliâ occaſione ad obſequium perduci poſſe non deſperaret. Id quidem conſtat, nihil toto eo tempore ab illo factum: neque ipſius, ſed Cardinalis ductu Germanos militâſſe.* Eques *de Drabonicz* refert, *Albertum* poſt exciſos in Moravia tot pagos, (quod ipſum feciſſe reor, circa *Pernſteinam, Kunſtatam, Daubravicium, Letovicium*, aliáque perduellium in eo tractu loca) vi expugnâſſe etiam fortalitium quoddam, dictum *Kigovv*; ibique *ad quinquaginta rebellium captivâſſe, ac omnes neci dediſſe.* Poſtea cùm nuncijs percepiſſet certis, *Procopium Minorem cum Orphanis, & aliqua parte Taboritarum*, magnis itineribus properare in Moraviam, retroceſſiſſe in Auſtriam; priùs tamen civitatibus regijs, *Olomucio, Brunâ, Iglaviâ, Hradiſtio, Znogmâ, Litoveliâ, Unczoviâ, Gemnicio;* item *Poborzelicio*, caſtello *Zidlochovicio*, & quibusdam alijs præſidio firmatis. Pragenſes verò domum reverſi, ut *Deo Opt. Max.* pro victoria debitas referent Grates, ſupplicationem percelebrem, ex tota *Triurbe*, & ex omnibus templis, ad *Eccleſiam Metropolitanam D. Viti* inſtituerunt: quam *in feſto S. Victorini*, die 5. Sept. magno cum apparatu, *circumlato etiam* ùt narrat Drahonicius, *Sacroſancto Chriſti Corpore.* Alius porrò, qui hæc videbat, ſcribit: tantam fuiſſe ſupplicantium pompam, & hominum omnis generis ac ſtatûs frequentiam, quantâ celebriorem â viginti & ultra annis viſam vulgò negabant: jam primi incedentium ordines ingrediebantur arcem, dum poſtremi nec dum prodirent *ex urbe Veteri.* Cùm poſtea aliqui minùs pietati aſſveti, non expectato Solemnitatis fine, redirent & properarent domum cumulatim ſine ordine, pons arcis anterior ſubitò ruptus, non paucos ex ijs præcipites egit, ita ut ſedecim occiſi, & plures multo graviter læſi numerarentur.

Moravos ad obſequium compellit.

Author. Hiſtoric. de Landgrav. Thuring. cap 159.

Kigoviam ſeditioſorum nidum vi occupat.

Pragenſes pro victoria Deo ſolennem gratiarum actionem inſtituunt, & peragunt.

Drabon. an. 1431.

MS. Anon. (quem puto eſſe Laudam) an. eod.

MS. Anon. alter.

Sub id tempus, aut non multò priùs, aſſurrexit (ùt idem *de Drabonicz* refert) *in Moravia tertia perduellium ſecta*, qui dici volebant *Mediocres*: hi ſentiebant, *non eſſe dandum legitimis Dominis, niſi cenſum, ad alia onera populum & ſubditos non teneri, nec debere cogi: Corpus verò Chriſti debere omnino ſub utráque ſpecie communicari.* Jámque eorum incondita multitudo, *ad quatuor millia* & ultra, confluxerat in unũ, multis indiès de ruſtica potiſſimùm plebe, quæ ſe in tolerandis ſervilium operum laboribus, ac pecuniarijs inſuper exactionibus ultra vires & æquum, â ſuis Dominis gravari querebatur, accedentibus; factóque in *ſuperiori diſtrictu Brunenſi* initio, in bona fortunáſque

Nova in Moravia hæreſis exoritur: ejus doctrina:

Nobi-

Digitized by Google

ab Alberto mox in herba opprimitur.

Nobilium, igni & ferrò ſævire cœperunt. Contra hos *Albertus*, junctis cum Nobilitate viribus, movit, & ùt causâ, ſic armis potior, primâ ſtatim aggreſſione omnes diſſipavit; cæſi multi, plures verò capti, reliqui in ſylvas, aut in faventia ſibi oppida profugientes vitam ſervaverunt.

Procopius Min. Orphanorum dux per Moraviam, Auſtriam;

Cæterùm *Procopius Minor Moraviam ingreſſus*, & victoriâ recèns partâ ferox, cùm *de diſceſſu Alberti, & de damnis ſuæ & Taboritarum factioni illatis* cognoviſſet, rabiem viciſſim totam in ditiones & villas eorum, quos Alberto favere magìs non ignorabat, convertit. Poſtea *in Auſtriam* vaſtabundus irrupit; ac præmiſſo *Joanne Czapkone* cum equeſtribus copijs, *ad ripam usque Danubij* penetravit: ubi per dies octo impunè vagatus, ac in villas minoráque oppida immaniter ferro & igni graſſatus, præter ingentes abacti pecoris greges, abductis etiam multis captivis, *Evanczicium*, non onuſtus tantùm, ſed abundè expletus, locupletatúsque prædâ reverſus eſt. Habebant tunc *Taboritæ in ſua poteſtate*, civitates in Moravia, præter *Evanczicium*, etiam, *Krumlovium, Geviſſovicium, Oslovvany, Namieſſtium, & Taſſovv*; & in diſtrictu Olomucenſi, *Tovvaczovium, Kogetinum, Przeroviam, Sternbergam, Gevicium & arcem Trnavvkam.*

Drubon. ad an. 1431. MS. Pernſtein. ad an. eund.

Inter hæc *Kragirius* de vindicanda ab hoſtium injurijs provincia ſollicitus, è præcipuis urbibus & caſtellis, tantum copiarum intra paucos dies collegit, ut *Procopio & Orphanis*, obviam ire, & ſi copia daretur pugnæ, cum ijs prælio decertare non dubitaret. Aliquorum etiam è Nobilitate, odio ingenti ob illata ſibi damna in hoſtem flagrante, manus acceſſerat haud contemnenda. Exinde certatum eſt minutioribus conflictibus frequenter: quâdam vice propè *Brunam*, tanto ardore, ut multis utrinque cadentibus, *Orphani* in caſtra, *Moravi* in urbem, æquo Marte, receſſerint. Dum poſtea *Kragirius*, hoſtes ad leviora certamina provocando, ſæpiùs excurreret, eósque vulnera ſæpè inferendo fatigaret, *Procopius* habito cum ſuis conſilio, *Czernam Horam* abijt: ac inde *transmiſſâ Litomyſſlium*, ut in tutiori conſiſteret, vel, ut currus exoneraret *prædâ, quam in Auſtria & Moravia collegerat ingentem*, Provinciam quoque *Olomucenſem*, more ſuo exagitandam ſuſcepit; motíſque eo caſtris, arces duas *Rayczium & Blansko*, ex itinere divertens, primo incurſu occupavit & diripuit. Hinc *Brodeka* oppidum opulentum eo tempore & frequens evertitur, *capti incolæ, direpta domus, abacta armenta, & injectæ demum ædibus faces.* Ubi poſtmodùm emenſo *per Proſtegovienſem agrum* itinere, propè Olomucium veniſſet, in ſuburbanas villas & domos, quas maximo quondam ſumptu, longa in pace, ac florentibus in Moravia temporibus, cives extruxerant, & à præterita clade non ita pridem renovârant, majore quàm unquam invidiâ, igne ſævijt.

atque iterum per Moraviam graſſatur: caſtella & oppida aliqua vi occupat, & diripit: tandem etiam ſuburbijs Olom. vim infert.

MS. Pernſt. an. 1431. Drubon. Anon. cit.

Eodem tempore, *Procopius Major ex Sileſia*, poſt liberatum ab obſidione *Nemczium* revertens, cum *Hanuſſio de Kolovvrat, & filio Friderici fratris reſidentis in Liebſtein, itemque Joanne de Zdiar, Sigiſmundo de Horzovvicz, & civibus de Reginæ Hradecio*, aliiſque, *Oppaviam* versùs contendit; ac profligatis ex itinere Principis equitibus, quùm reliquos in fugam conjectos

ocyùs

Digitized by Google

ocyùs inſequeretur, eodem curſu, ijſdem immixtus portam urbis irrumpit, viribúſque ſuperior urbem repentino conſternatam caſu occupat, arcémque pari fortunâ non adeò munitam interfectis defenſoribus capit, & expilatam incendit. Quæ res *VVenceslaum Principem*, ê caſtro *Hradecenſi*, uno fortaſſe milliari *ab Oppavia diſsito*, proſpectantem, incredibili mœrore affecit: augebátque dolorem cum indignatione, quòd erumpere in hoſtes, viciniores adhuc ſub ipſo caſtro villas, & vicos populantes ac incendentes, conatus, paucitate militum impediretur. Graſſantibus itáque latè incendijs, pagos & villas fumantes fruſtrà ſpectare cogebatur: donec *Hynko Comes à VVrbna, non minùs vetuſtate familia, quàm bellicis artibus, atque animi fortitudine inſignis*, adductâ, quàm in *Ratiborienſi provincia*, juſſu *Nicolai Ducis* tumultuariè collegerat, mille & ducentorum circiter militum manu, audaciam hoſtium impunè per omnia graſſantium aliquantùm repreſſit.

Procopius Maj. Taboritarum dux Oppavienſem provinciam malis omnibus exagitat.

Hynko Comes de VVrbna.

MS. Pernſtein. an. 1431.

Junctis poſt hæc viribus, *uterque Procopius*, *par nobile fratrum*, cum tota mole exercitûs in Hungariam proceſſerunt: cúmque ex itinere *Brodam* deditione oppidanorum recuperâſſent, *Modram* deinde oppidum occupârunt & diripuerunt. Inde ad *Tyrnaviam* progreſſi, & oppugnationem urbis, ob defenſorum plebem immenſam tentare non auſi, iter dextrorsùm flexerunt. Tum *amne Tyrnâ* ſuperato, in interiora fertiliſſimæ regionis, cunctâ hoſtili clade evaſtantes, deferuntur, & obvia quæque metu complent, ac in prædam vertunt. Deſeruerant ædificia accolæ, & cum armentis metu territi, *Vagum tum copioſis autumni imbribus tumentem* tranſierant, religatiſque in ſiniſtra fluminis ripa omnibus navigijs, ne illis potiti hoſtes ad tranſitum uterentur, ſagittis eminùs ſeſe ac ripam tuebantur. E contra *Procopius Major*, diſpoſitis funditoribus & balliſtarijs, eos territabat, atque tandem â ripa depulit: nec mora militem adnatare, & retrahere ſchapham jubet: quâ retractâ ſcandentibus ê veſtigio nonnullis audacioribus, cætera quoque navigia ſolvuntur ac traducuntur, confeſtímque eorum beneficio flumen traijcitur. Agreſtes quanquàm multitudini ſuæ & ſagittis, quas ligneis arcubus ſcitè emittebant, multùm primò confiderent, hâc tamen audaciâ hoſtium territi, cùm neque illorum vim ſuſtinere ampliùs poſſent, intra proximas paludes confugerunt.

Junctis deinde viribus, copias omnes ad populandum Hungariam convertunt:

Vagóque ſuperato, longè latéque prædas agunt.

Hoc confecto negotio, *Bohemi* circumjectum agrum villis opulentis refertiſſimum effusè populati, ad *Nitriam* demum conſederunt: ubi *Procopius Major*, tormentum quoddam ingens, quod *Hradecenſes* advexerant, in vicinum collem devehi, & præſidio illius munimenti in arduo ſiti, ob ídque expugnatu difficilis, in contumeliam diſplodi juſſit. Progreſſi deinde *à Nitriâ*, & populando ubique ac urendo, loca ea, quæ circa *Gimeſſium*, *S. Benedictum & Barſium*, quorum duo poſtrema *ad Granum flumen* ſita ſunt, populoſa ac plena omnis generis commeatum erant, maximis affecêre detrimentis: terrore & formidine etiam *civitatibus*, *quæ montanæ vocantur*, haud mediocri illato. Converſi demum in alteram partem, Septentrionem versùs, ad *Oſladczinum usque & Galgocium*; eam omnem *circa Sochum & Vagum flumina* regionem, incendijs, cædibus & rapinis longè látéque devaſtârunt. Cúmque

circa Nitriam graſſantur,

& obvia quæque magnis afficiunt detrimentis.

que ulteriùs adhuc terrorem ac incendia, nemine obſiſtente, miſcerent, complures obvios pagos, imò multa etiam minora caſtella oppidáque, ab inhabitatoribus, qui ſe & ſuam, conjugúmque & liberorum ſalutem illis minimè credere audebant, vacua relicta, ſuccenderunt.

Diſſidio inter ipſos oborto, Procopius Maj. in Moraviam revertitur: Minor cum Orphanis nihilominùs prædis cogendis incumbit. *Drabon. ad an. 1431.*

Tandem diſſidio inter *Orphanos & Taboritas* exorto, *Procopius Major in Moraviam versùs Hunno Brodam* receſſit. *Minor* verò, & cum eo *Czapek, Zdarskius, Horzovicius* & alij, quos cum *Procopio Majore* ex Sileſia veniſſe paulò antè meminimus, (*Hanuſſio de Kolovvrat, qui paulo ante cum ſuo exercitu*, verba ſunt Drahonicij, *ab Orphanis receſſerat*, excepto,) ad *Ilavam* ſubſtitêre, cogendis adhuc prædis intenti, & non niſi *ad ſeptem millia peditum, trecentorúmque equitum fortes*. Interea *Proceres Hungari*, in tanta Patriæ calamitate, magnis ad ulciſcendum accenſi animis, hortante Palatino, in hoſtes coërcendos, majori quo potuêre numero exire, & fœdam moribus cultúque religionis plebem, armis aggredi conſtituunt: cognitóque ab exploratoribus

Hungari correptis armis,

partem hoſtium cum præda jam retrò ceſſiſſe, partem verò adhuc circa *Ilavam* prædabundis agminibus diſcurrere; eò cum univerſis copijs, quæ *decem millia numerum* excedebant, maturé profecti ſunt, adjuncto ſibi in itinere *Petro Czoborio* militum Epiſcopi Nitrienſis præfecto, *viro manu conſilióque prompto*. Ipſe porrò Palatinus cum intereſſe pro officij ſui munere non poſſet huic expeditioni, æger pedibus, & ſenio quoque gravis, *Nicolao Rozgonio* tanquam jam antea conſtituto partium illarum præfecto, ſummam rei totius commiſit; cum mandato, videret, ne quod gravius Reſpublica detrimentum ab hoſte inſolentiſſimo acciperet. Et hic uti erat circumſpectus & cautus, ac providens, ne hoſtes cognito periculo, in tutiora properè recederent; ſine mora cum promptiſſimis, quos ſelegerat, *Trenczinium* versùs, ubi hoſtes tranſituros exiſtimabat, contendit; Chriſtophorum verò Orzagi ad contrahendam agreſtium multitudinem, in proxima montana loca pergere juſſit. Habe-

in Orphanos ducunt.

bant tunc caſtra *Orphani ad Banovicium*, quùm nuncijs affertur certis, *Rozgonium* cum valida manu, *ultra Vagum ſupra Trenczinium* conſediſſe, ibique prælij & vindictæ avidum, quò minùs flumen tranſeatur, armis prohibere velle. Quæ res vaſtationi finem fecit: nam ſuſpenſis *Orphanorum* ani-

qui dum in tutiora recepui dant,

mis, audaciſſimi etiam antè, non quàm latè adhuc graſſari, ſed quomodo prædam referre, & ſaluti ſuæ proſpicere poſſent, anxiè cogitabant. Jam *Procopius* volens in tutiora reverti, priùs quàm majores *Hungarorum copiæ* confluerent, *ad Vagum*, ubi in ulteriore ripa *Rozgonius* conſtiterat, pervenit.

Hungaros obvios, & ad prælium paratos inveniunt.

Cúmq; eo in loco aliter atque ipſe putaverat, difficilia adversáq; omnia reperiſſet; paratos ſcilicet in armis hoſtes; ripam, ubi tranſiri poſſet, egeſtâ repentè terrâ communitam; ducem inſuper ferocem promptúmque ad omne belli facinus obeundum: cœpit animo agitare, quanto detrimento ſuorum, ac totius ſummæ rei periculo, ſi eo in loco vadum fluminis tentaretur, univerſæ copiæ traducendæ eſſent. Ac demum accerſere *Czapkum, Zdiarskium* alióſque duces in conſilium, quoniam de ſalute omnium agebatur: qui omnino tantiſper ſubſiſtendum; nec temerè incertis rapidi fluminis vadis exercitum committ-

Digitized by Google

mittendum exiſtimabant: ne ſibi cum parato hoſte, ac ſimul cum ipſo vorticoſi amnis impetu, uno tempore res foret. Poſt multa hinc inde agitata, viſum eſt peritioribus, ſuperiora vada fluminis, inter *Biſtrziczam & Belam*, eſſe percontanda, noctúque eo tacitè progrediendum, & ignaris hoſtibus è veſtigio tranſeundum. Miſſi itáque exploratores, cùm renunciâſſent poſſe haud difficulter ſuperari amnem, ſi paulo altiùs, æquioribus ripis coërcitum, ac placidè decurrentem petant. *Procopius* mox de ſecunda vigilia caſtra movit, relictis ignibus, & aliquâ equitum manu, qui ſpeciem præſentis exercitûs facerent, hoſtéſque diſtinerent: his demum imperat, ut *exoriente Sole*, plures in ripa fluminis obverſentur, ac ſimulato tranſitu alveum tentent, cæterùm globo facto, caſtra celeriter ſubſequantur. Vix dum certâ luce ad locum erat perventum, jam deſtinati duces flumen ingreſſi, ante omnia currus multâ prædâ onuſtos, in adverſam ripam educunt. *Procopij* quoque *phalanx* eodem tempore, infra currus, qui impetum fluminis refringebant, confertis ſtipatíſque ordinibus non formidavit altitudinem profluentis: & uti incertis paſſim vadis tranſibant, accidebat, ut *aliqui pectoribus tenùs mergerentur, aliqui verò capite ſolo extarent.* Erátque magnum ad ſuperandam vim fluminis, aliàs rapacis incitamentum, ipſe *Procopius pedes cohortando ſuos flumen ingreſſus:* & cum eo cæteri duces, qui ſimiliter ex equis deſcenderant, & ante alios in amnem ſeſe conjecerant, ut manipularibus ſuis æquarentur. Equeſtres poſtea turmæ, quæ ex compoſito ludificatæ hoſtem, ùt imperatum fuerat, conſequebantur, flumen tranſierunt.

Hoc dum fit, occurrêre ſatìs in tempore tranſeuntibus *Hungari* antecurſores: nam *Rozgonius*, id quod erat ſuſpicatus, intempeſtâ videlicet nocte hoſtes inde moviſſe, expeditam equitum manum ſpeculatùm præmiſerat; quos demum inalbeſcente cœlo, cognito hoſtium diſceſſu, & ipſe cum reliquis ſequutus eſt. At cùm hoſtes ingenti animo virtutéque paratos ad dimicandum, ſub monte quodam prææalto, in acie reperiſſet, levi certamine cum procurſatoribus facto, prælio abſtinuit: ſive quòd Chriſtophorum *cum pedeſtribus copijs* expectandum putaret; ſive quòd ad iniquiorem pugnandi conditionem perducendos priùs hoſtes eſſe, quàm manus conſeruiſſet, arbitraretur. Chriſtophoro inter hæc adveniente, & Stephano patruele ejus, cum non contemnenda peditum manu, ex vicinis oppidis & pagis tumultuariè licèt collecta; & ex *Moravia quoque, aliquot viris Illuſtribus Catholicis* adcurrentibus, certatum eſt *cum hoſte pedetentim in Moraviam ſeſe recipiente*, minutioribus prælijs, dubiáque fortunâ, *per ſex continuos dies.* Clauſum tandem intra collium fauces, non procul jam *à Moravo limite*, prælio juſto adoriri conſtituunt. Verùm *Procopius* præciſa itinera, occurſúque hoſtium occupata cernens, ſuos partim curribus, partim concæde arborum adeò probè communierat, ut ſine diſcrimine oppugnari nequaquam poſſent. Aliâ ergò ratione *Hungaros* conſilia inire neceſſe fuit: qui novâ deliberatione habitâ, nihil in præſens convenientiùs judicârunt, quàm ſi paulùm retrocederent, ítérque ad partem, quâ via *Banovium* ducit, flecterent; eo animi propoſito, ut hoſtem ex munitiſſimo

Orphani Vagum flumen;
noctu, & maximo cum ſilentio,
non tamen ſine difficultate tranſeunt:
ſed occurrentis Hungaris,
omnis conatibus ſuis altiora experiuntur:
prælium vitant.

mo loco in qualecúmque planiciem elicerent, ac demum, uti antea depoſcifſent, conſererent manus; in non dubiam ſpem victoriæ erecti, quòd equitatu abundantes, hoſtium copias eò faciliùs in plano proterere ſe poſſe haud diffiderent. Neque ſecùs quàm diſpoſitum fuerat, accidit. Nam cùm *Procopius*, *cognito Hungarorum diſceſſu*, & putans ob frigus, quod tum intervenerat acre ac vehemens, illos diutiùs in caſtris durare non potuiſſe, nec facilè reverſuros eſſe, caſtra loco moviſſent, *Brodam viâ Banovienſi feſtinans*, Hungari ut primùm de profectione ipſius intellexerunt, ſine mora ei obviam proceſſerunt, ad prælium *prope ipſum Banovium* parati. Priùs tamen *Rozgonius*, ex univerſo exercitu, *mille fortiſſimos equites* delegit: quibus imperavit, ut hoſtes à tergo circumvenirent, atque illinc, dum in fronte inchoari certamen cognoverint, averſos, ac nihil tale timentes ſummo impetu adorirentur. Erat enim ab læva modica vallis, ad occultandas ſimiles inſidias quaſi nata, quam perpetui colles veſtiti denſis vepribus contegebant. Sed neque *Orphani*, viſis Hungaris ad prælium paratis, pugnam ampliùs detrectabant, neceſſitate mutatâ in virtutem.

Tandem cùm ulteriùs, Moraviam versùs, progrediuntur,

Pugnam inire compelluntur.

Jàmque duæ ſelectiſſimorum *equitum Hungarorum* turmæ, primum *Orphanorum agmen*, quod è promptiſſimis conſtabat, & quod aut ſpes aliqua victoriæ, aut *deſperatio ultima virtùs*, ardentiùs provehebat, aggreſſæ, primo impulſu repulerunt disjecerúntque, & proſtrato duce *VVankone Slamâ*, fuſum ad ſigna usque inſequuti ſunt: *bono tum ſtatim omine victoriæ paulò poſt ſequutura*. Quamvìs autem *Procopius*, qui in medio ſuorum conſtiterat, animadverſo hoc, laxari ac nonnihil aperiri ordines, liberúmque ſpatium recedentibus dari, ne ſoluti ac trepidantes reliquos turbarent: inſequentibus tamen *Hungaris*, ac pleno impetu irruentibus, brevì & ipſa *Orphanorum acies* tota nutare, & impelli primò, ac urgeri acriùs, mox in fugam converti cœpit: præſertim cùm *Hungari* acerrimè inſtando ad vexilla usque penetrâſſent, haſtásque ſuas in hoſtium pectoribus ac lateribus confringentes, obvios quósque neci darent. Eodem quoque tempore equites, quos *per occultam vallem in terga Orphanorum à Rozgonio miſſos* docuimus, cum ingenti clamore & maximis tubarum clangoribus, *quò majoris multitudinis ſpeciem facerent*, noviſſimos adorti, cruentam edidêre ſtragem. Ibi ardente certamine, videre erat viros, equósque ſingulis ictibus transfodi, proturbari, ingentes cadaverum tumulos magìs ac magìs accumulari, cruore & morientium gemitu cuncta compleri: donec tandem *Orphani vim Hungarorum non ampliùs ſuſtinere valentes*, abjectis armis, in effuſam fugam converterentur, relictis curribus, impedimentis, captivis & prædâ omni. Conabatur quidem *Procopius* fugâ increpitâ, redintegrare prælium, ſuos cohortatus, ut forti animo, reſumptis in hoſtem armis, capeſſerent pugnam, néve paulò antè toties victores, partam gloriam turpi fugâ corrumperent: ad extremum tamen & ipſe, *videns ſe à ſuis omnibus, & à fortuna deſeri*, è medio, ſupremo conatu edito, ac ferro viâ factâ ſe proripuit, & bono ductore uſus (uno ex familiaribus ſuis, nomine *Pienkavva*, viarum in illis partibus probè gnaro) *Brodam* incolumis pervenit:

Hungari ſtrenuè rem agunt:

Orphanos acerrimè premunt:

qui omni victoriæ ſucceſſu deſperato, dilabi incipiunt,

Procopio fruſtra renitente,

ſed & ille ultimo fugâ ſibi conſulit.

Digitized by Google

nit: reliqui per varia diſperſi, ac per devia quæque palantes, quò quisque potuit, diffugere: quorum multi occultantes ſe intra montium rupes, frigore perierunt; alij ab agreſtibus montanis, vulgò *VValachis*, inſidioſo & expedito hominum genere, qui circumjectos colles occupârunt, expectantes prælij eventum, & tunc improviſi ſeſe ex illis demittebant, crudeliter excepti, & ſine miſericordia paſſim cæſi; multos etiam hauſerunt aquæ. Metu enim & pavore exanimes, quorſum tutò fugerent, non videbant: dúmque continuato curſu *ad ripas Moravæ* (eò enim usque victores cædendo & vulnerando, inſtitêre fugientium tergis) feſſi trepidantésque pervenirent, aut gurgitibus immenſis abſorbebantur, aut inter cunctationem tentandi fluminis, oppreſſi ab inſequentibus Hungaris, interibant. Capti verò ad unum omnes trucidati: inter quos erat *Sigismundus Horzovicius*, dux unius cohortis. Nam Hungari, ut illatas ulciſcerentur injurias, nemini ſe parſuros juraverant: adeò ut ex univerſo Orphanorum exercitu ampliùs quatuor millia tam in prælio, quàm in fuga cecidiſſe certò conſtiterit. Cæterùm, qui fortunâ duce præſens exitium evaſerant, multis jactati incommodis, primò *circa Natalem Domini*, Pragam ſparſim redierunt. Fregit vires Orphanis iſta ab Hungaris inflicta clades, animos non fregit, meliore paulo poſt fortunâ, in ultionem exarſuris. *Rozgonius* porrò, quanquàm hoſte propè deleto, proſequendi feliciter belli, aut ſaltèm *recuperandæ Brodæ*, ne impoſterum inde fierent hoſtiles in Regnum excurſus, occaſionem arripere potuiſſet: mox tamen, quòd fortaſſe per anni tempus impediretur, ac omnia indiès eo in negotio difficiliora fore animadverteret, copias omnes domum in hyberna dimiſit.

Multi è fuga retracti, & occiſi.

MS. Drahonicii an. 1431. VVeleſlab. in Calend. Hiſt. ad 5. Id. Novemb. Lupac. in Ephemerid eod. die. MS. de Pernſt. MS. Chron. ReginoHrad. an. 1431.

Cæſorum numerus.

Hæc dum *in confinijs Moraviæ & Hungariæ* fiunt, *Taboritæ* denuò *in Auſtriam digreſſi*, eam more ſuo populati ſunt, *ad Calendas usque Januarij*, nec niſi congeſtâ ingenti prædâ, & dum jã *ab Auſtriacorum copijs* undique collectis premerentur, in Bohemiam reverterunt. Drahonicius narrat, illos tunc in Auſtria, *quandam civitatem, dictam Liczovv* occupâſſe & diripuiſſe. Eodem a[nn]o vindemiarum tempore, *Tuma de VVlaſſim, & Nicolaus Sokol, Joannis, cujus ſuprà meminimus, cognatus, illuſtrium quidem Natalium viri; ſed qui rapto vivere, nullâ penitùs honeſti ratione habitâ, non abhorrebant, Taborienſium Capitanei, cum ſexcentis equitibus & peditibus 4500, in Auſtriam excurrerunt:* dúmque onuſtis prædâ, *ac potiſſimùm vino*, curribus reditum in Bohemiam maturarent, *in itinere* verba ſunt Drahonicij, *gentes Ducis*, nempe Alberti, *ſub Capitaneo Domino Kragyrz, qui erat Capitaneus Moraviæ, fortes ad 16. millia, tam peditum, quàm equitum, invaſerunt eos, ad civitatem VVeydovv, & ciderunt ultra mediã partem, & ad ſeptingentos captivârunt, VViennámque reduxerunt. Tuma verò & Sokol tunc tenuerunt Rzeczicium fortalitium Archi-Ep. Prag. & totum illum diſtrictum, adjutorio VVikleſiſtarum.*

Taboritæ in Auſtriam prædatum iteratò excurrunt:

Drahon. ad an. 1431. Reo Hiſt. Auſtr. lib. 5.

clade haud mediocri excipiuntur.

Cautiùs rem ſuam inſtituit *apoſtata Bedrzich*; qui paulo ante excurſione factâ cum *Orebitis*, & aliquanta manu peditum ReginoHradec. *in Moraviam*, ac inde *in Auſtriam*; cùm deinde pelleretur ab Auſtriacis, & ſciret ſe ad ſtatariam pugnam non ſatis inſtructum viribus, ad dolum converſus, fugam ſimu-

Orebitæ excurrunt in Moraviam, & inde in Auſtriam:

Digitized by Google

ſimulavit, relictis hinc inde curribus prædâ onuſtis, eo conſilio, ut Auſtriacos in diripiendis illis diſtineret: quem in finem etiam equos ſolvi â curribus juſſit, ut tanto magis in ijs capiendis diſtraherentur, ac demum eò citiùs opprimerentur incauti. Quod dum fit, intentus ille in omnem occaſionem, ſtatim ac hoſtem occupari in diripienda præda animadvertit; & ſolutis ordinibus, alios currus conſcendere, alios inſequi & præhendere equos, ſubſtitit in quodam demiſſiori loco frutetis obſito, & inſtructâ quamprimùm acie frontem obvertit, rectâque in hoſtem properavit; præmiſsâ â parte dextra, per oppoſitam vallem, unâ equitum turmâ, quæ dum ipſe inchoaret prælium, pariter hoſtem â tergo vel latere aggrederetur. Reſtiterunt nihilominùs *Auſtriaci* in ſuos ordines conglobati fortiter; ſed dum ſentirent ſe â tergo quoque premi (erat illa equitum turma, quam præmiſſam â parte dixi) videréntque ſe duplici periculo circumventos, magno terrore perculſi, nutare, loco moveri, & versùs ſylvulam quandam ſeſe pedetentim recipere: præſertim quùm â tergo omnia confundi, & tam currus, quàm tormenta bellica (*duæ colubrinæ erant*) ab hoſte occupata, eáque contra ſe verſa cognoviſſent; tum effusâ fugâ dilabi, & quò quisque viam inveniebat, profugere. Magna promiſcui & gregarij militis ſtrages in fuga edita; aliqui è latebris ſylvæ extracti, & vel trucidati, vel capti; currus & tormenta, aliáque impedimenta omnia in *Orebitarum* poteſtatem devenêre, cum quibus *Bedzrich* triumphanti ſimilis in Bohemiam revertit. *Author Chronici Regino Hradec.* qui hæc ſcribit, nec locum ponit, nec tempus, *ubi in Auſtria*, & quandónam clades iſta accidiſſet; ſed neque ducem cæſarum tunc copiarum, prout aliàs fieri ſolet, nominat. *Pernſteinius* verò ſummatim tantùm refert: *Bedrzichonem in Moraviam excurriſſe, & vaſtabundum penetrâſſe in Auſtriam usque, nec niſi cum opima præda, & cum victoria inſuper de Auſtriacis obtenta, domum rediiſſe.*

Fugam ſimulant,

& Auſtriacos inſequentes, magnâ clade profligant.

MS. Chron. Regino Hr. ad an. 1431. MS. Pernſt. an. eod.

CAPUT IV.

Reliqua Taboritarum & Orphanorum geſta: crudeles per Moraviam, Auſtriam, vicinásque Provincias excurſiones; tandem ſuprema clades & interitus.

Cardinalis poſt deploratam Germanorum fugam,

POſt diſceſſum, vel fugam potiùs Germanorum ex Bohemia, *Julianus Cardinalis*, dolore rei tam malè actæ haud mediocriter afflictus, & ſine fine lamentans, *Norimbergam ad Cæſarem venit:* ubi contra Principes, illos præcipuè, qui ignominioſiſſimæ fugæ initium dediſſent, nec viſo hoſte, multa queſtus eſt. Et videns non ſuppetere ampliùs ulla remedia, reducendi Bohemos & *Moravos* ad ſaniora, author ſuaſórque fuit Cæſari, ſuo jam antè conſilio in id propenſo, ut illos ad *Conſilium Baſilienſe* invitaret; promittens idem

factu

facturum *Concilium*, non obſtante, quòd ſententiâ anathematis nuper latâ, & paſſim publicatâ damnati eſſent. Móxque Baſileam ſe contulit, ad quantocyùs proſequendum Concilium, *Martini Papæ V. autoritate indictum, & novi Pontificis Eugenij IV. conſenſu approbatum.* Nec diu cunctatus Cæſar, literas ad Bohemos mittit (has *Caſpar Schlik* ſubſcripſit) benevolentiæ plenas: quas non multo poſt ſequutæ etiam â Concilio, Cæſari primùm in manus traditæ, & deinde juſſu ipſius, *per Egrenſes Pragam promotæ. Scripſerat enim inter hæc*, ùt narrat Cochlæus, *Baro quidam Bohemus Norimbergam, & ad Concilium; quòd Regnum illud armis debellari non poſſit, ſed agendum potiùs concordiâ & tractatu.*

Bohemos & Moravos ad Concil. Baſil. vocandos cenſet.

data Norimb. 17. Sept. an. 1431.

data Baſil. 15. Octobr.

Cæſar & Concilium Bohemos & Moravum Baſileam invitant:

Miſſi etiam â Concilio duo Oratores: *Joannes Nider Ord. Prædic. Theologus, & Joannes Gelbuſius monachus Mulbrun.* ut vicinum Bohemis populum, poſt nuperam cladem valde perterritum, *conſolarentur*, (ità legimus in *Paralipom. Urſpergenſis*) *& Moravos Bohemóſque ad Concilium antè vocatos, ad veniendum ſedulò urgerent. Hi Baſileâ diſcedentes Monachium verſùs (oppidum eſt Bavariæ) iter inſtituerunt: ubi VVilhelmum ducem, protectorem Concilij ſalutant, & monent, ut quamprimùm Baſileam veniat. Mox Fridericum Marchionem Brandeb. Joannem ducem Bavariæ, & Senatum Norimb. ac alios Principes ac Dominos, partim litteris Synodalibus, partim ore adhortati ſunt, ut nullo pacto fœdus cum Bohemis inirent, quod Eccleſiæ nocere poſſet. Rogabant & nomine Concilij, ut ſi Bohemi legatos ſuos Baſileam mittere vellent, deducerent eos, per ſuam quiſque regionem ſalvos: qui omnes ſe hoc facturos promiſerunt. De vocatis Bohemis, dici non poteſt, quàm gaviſi fuerint omnes, præſertim Laici, quùm etiam lacrymas emitterent! Et tabellarius Egrenſis, qui literas Concilij in Bohemiam tulerat, retulit, quanta cum reverentia litteras accepiſſet Conſul Civitatis Prag. & quibus ipſe præmijs fuiſſet donatus. At Bohemi*, narrat iterum Cochlæus, *non per omnia noſtris fidentes, in litteris ſuis reſponſorijs petierunt, ut Oratores Concilij, cum Principibus vicinis Egram venirent, ſuos illic affuturos, ut de publica fide danda, (quam ſalvum conductum vocant) & alijs rebus tractaretur. Decretus igitur eſt ei Conventui, dies 27. Aprilis, quæ erat Dominica Quaſimodogeniti.*

Paralip. Urſperg. ad an. 1432.

Salvum conductum promittunt, & procurant.

Cochl. in Hiſt. Huſſit. lib. 6. Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. c. 49

Venerunt itàque illuc die præfixo, Concilij Oratores ſupradicti, Nider, qui erat Prior Conventùs Prædicatorum Baſileæ, & Joannes Gelbuſius, & cum ijs Fridericus de Paraſpergo, Decanus Ratiſbonenſis, Juriſconſultus: Albertus Præpoſitus & Paſtor apud S. Sebaldum Nürenbergenſis: Henricus Tockius Canonicus Magdeburgenſis, Theologus: & præter eos Fridericus Marchio Brandenburgenſis: Joannes Dux Bavariæ, aliique Proceres cum CCL. equis. Verùm de Bohemis nemo aderat, quia Pilznenſes, & Dominus Sſvambergius non miſerant eis ſalvum conductum. Id cum ex literis noſtri intellexiſſent, effecerunt, ut ab Egrenſibus & Cubitenſibus nuncij Bohemorum, Nicolaus Humpoleczius, Secretarius majoris Civitatis Pragenſis, & Matthias Clumpczanus, præfectus Piſcenſis deducerentur. Qui Egram venerunt cum XIX. equis, VIII. die Maij. Poſtridie apud Marchionem, Henricus Tockius eleganti oratione Bohemo-

Oratores Concilij, & Principes aliqui Egram veniunt:

ubi etiam Bohemorum legati comparent.

bemorum nuncios ſalutavit, ſumpto ex Evangelio themate, Pax vobis. Mox ipſi propoſuerunt, quàm atrocibus injurijs à nobis fuerint affecti, eámque rem extitiſſe cauſam tot utrinque cladium. Deinde diſputatum eſt, de ſalvo conductu.

agunt de ſalvo conductu:

Obſides poſtulabant Bohemi, non quoſuis, ſed Principes & Nobiles. Id cùm noſtris non placeret, & res ità differretur, cœpit vulgus apud Egram clamare: quò minùs cum Bohemis procederet concordia, per Eccleſiaſticos ſtare & Principes. Proinde ſupradicti duo Principes, ſuâpte ſponte ſe obligârunt. Hoc idem paulò poſt (rogante Synodo) fecit protector Concilij VVilhelmus Dux Bavariæ, item ipſa Synodus, & Sigiſmundus Cæſar. Præterea promiſſio facta eſt, hoc idem omnes Principes & civitates præſtaturos, per quorum ditionem eſſent profecturi Bohemi, atque adeò civitatem ipſam Baſilienſem.

quem Principes in ſe ſuſcipiunt, & perſonis ſuis, veluti obſidibus, Bohemis cavent.

Quæ ſanè diplomata ſalvi conductûs, paulò poſt miſſa ſunt Pragam. Duravit conventus ille Egrenſis dies XXI. in quo ornatiſſimi viri fuère: Conradus Kunhofer Juriſconſultus, & Petrus Volkamer Conſul Nürenbergenſis, juſſu ſumptique civitatis ſuæ. Bohemi tamen, adhuc ſubdubitantes de fide noſtrorum, duos delegerunt nuncios: Nicolaum Humpolezium & Joannes Zateczenſem, qui Baſileam irent, & cuncta diligenter explorarent.

Exploratores duo à Bohemis mittuntur palam, Baſileam:

Ij per noſtros illuc deducti, cùm veniſſent Baſileam, vino & piſcibus fuerunt à Senatu donati, manſeruntque ibi dies quinque: X. die Octobris venerunt ad Synodum, quæ convenerat apud Prædicatores.

cum honore ſuſcipiuntur.

Hi ergò nuncij, domum reverſi cum diplomatibus Concilij, cùm indicaſſent, quæ viderant, rem ſcilicet ſeriò agi, nec ſubeſſe dolum: delecti ſunt Oratores ad Concilium mittendi de Regno Bohemiæ, & Marchionatu Moraviæ.

Addit porrò *Autbor Paralipomen. Urſpergenſis*, de duobus illis nuncijs, à Bohemis Baſileam ad explorandum præmiſſis: *Hos Conradus Epiſcopus Ratisbonenſis, & Conradus Seglauer Decanus Eiſtettenſis, Catelſpurgum uſque, ubi Marchio degebat, deduxerunt; in hoc à Synodo paulo ante emiſſi, ut expiſcarentur, an eſſent venturi Bohemorum & Moravorum legati. In comitatu verò è noſtris erant: Abbas Ebracenſis, & cæteri nuncij Sacri Concilij. Cùm Biberacum veniſſent, quidam infeliciter curioſus, ex altero Bohemorum nuncio quæſivit, undenam eſſet, ex quo loco in Bohemia? reſpondit is, ſe Zateczenſem eſſe. Illinc, inquit ille, ſunt execrabiles hæretici, & peſſimi homines &c. Qui propter hujuſmodi convicium, veluti violator publicæ fidei, ſtatim in carcerem raptus eſt, plus pœnæ depenſurus, niſi ipſi nuncij Bohemorum, & Abbas Ebracenſis, precibus hominem liberâſſent.* Quis demum fructus, & quis eventus fuerit, quæſitæ hujuſmodi reconciliationis cum Bohemis & Moravis, infra patebit.

Quidam ob illatam uni ex ijs contumeliam, carcere punitur.

Hyems enormis.

Trithem. in Chron. Sponh. an. 1432. MS. Dubon. Anon.

Erat illo anno, nempe 1432. hyems rigida Aquilonibus horrens, & frigus intolerabile; quod continuabat à Cal. Januarij, ad medium uſque menſis Martij. *Orphani* nihilominùs reſtauratis viribus, poſt nuper acceptam ab Hungaris inſignem cladem, & concordiâ cum Taboritis initâ, *Luſatiam* ipſâ adhuc hyeme petierunt. *Taboritæ* verò paulo poſt *VVoitlandiam & Miſniam*: ubi profligato *Saxonum & Bavarorum* exercitu, (perſvaſerat namque Cæſar Bavaro, ut ſuppetias ferret Saxoni) tota illa regio, quam *Oſterlandiam*, ſeu

Taboritarum res geſtæ per VVoitlandiam, Miſniam,

Auſtra-

Auſtralem Miſniam vocant, & quæ hactenus à clade immunis fuerat, victoribus in prædam ceſſit. *Taucha* oppidum, ad quod commiſſum erat prælium, primò omnium direpta & everſa: *cujus rudera adhuc ſunt ante oculos*, ait Fabricius, *& via ampla ſilicibus ſtrata.* Cognito poſt, ſuos *Cruciburgi* in Sileſia, à *Conrado Oſſnicenſi, & Ludovico VVolavienſi Ducibus, Namslavienſibúſque*, arctâ obſidione teneri; eo adhibitâ ſummâ celeritate, ducto per *ſuper Luſatiam* itinere, & *monaſterio Liebetalenſi Virg. Ciſterc. Ord.* unà cum oppido jam ſecundâ vice devaſtato, (prima clades ab ijs peracta, ſicut & *Cœnobij Griſſovienſis* an. 1426.) properaverunt. Et tunc liberato, ſolâ adventûs ſui famâ, oppido, eóque novo commeatu, alijſque rebus probè communito, vim deinde omnem converterunt in *Namslavienſes:* quorum oppidum & arcem, non tentârunt quidem, ſed pagos circacircum & ſuburbana prædia omnia diripuerunt, & ſuccenderunt. Indéque profecti contra *Oſſnicenſem VVolavienſémque*, pari crudelitate in obvia quæque ſævierunt; cuncta rapinis, populationibus, incendijs longè latéque infeſtantes. Ultimò in *Marchiam Brandeburgici*, ſimul cum Orphanis delati: ubi eodem modo, penes dextram *Odræ fluminis* ripam procurſando, ad *Kiſtrinum* usque, cæde & ſanguine obviorum debacchati, complures pagos exuſsêre: abductis Nobilibus viris non paucis, qui deinde nonniſi pecuniâ grandi priſtinæ libertati reſtitui potuerunt. *Francofurtum* ſemel atque iterum oppugnatione tentârunt: ſed irrito conatu.

Fabric. in Origin. Sax. lib. 7. MS. Dmbon. MS. Chron. ReginoHrad.

Sileſiam,

Marchiam & Luſatiam infer.

MS. Anon. Olomucenſes Sternbergam obſident;

Dum inter hæc *Olomucenſes*, *Litovelinſes*, *Uniczovienséſque*, poſtquàm *Taboritas & Orphanos*, per remotiores provincias, arma & formidinem circumferre cognoviſſent; & *Sternbergam*, ſub imbelli & incurio præfecto (is erat *Nicolaus de Drnovicz*) non usque adeò forti præſidio, neque rebus ad obſidionem ſuſtinendam neceſſarijs ſatis inſtructam eſſe, pro explorato haberent: coadunatis viribus, & advectis *Olomucio* duobus majoribus tormentis, quorum jam tunc magis atque magis invaleſcebat uſus, arcem obſederunt, rati locum priusquàm *à Taboritis* ſuccurreretur, facilè capi poſſe: Nec fefellit illos ſpes: cùm enim tormenta illa opportuno loco collocâſſent, & per triduum mœnia continuatis ictibus quatere cœpiſſent, jámque in tantum concuſſiſſent, ut non diu ſubſiſtere poſſe viderentur; *Drnovecius*, & præſidiarij qui cum ipſo erant, anxij animi, rebúsque ſuis diffiſi, cùm aliunde nulla ſpes eſſet auxilij, de deditione cum obſeſſoribus agere decreverunt: à quibus, poſt pauca ultro citróque acta, impetrârunt, ut incolumes cum armis & ſarcinis, quò vellent, ſecuri abirent; commeatum tamen, & majora bellica inſtrumenta, baliſtas, catapultas, pulverem ſulphureum, pilas, currus, in præſidio relinquere tenerentur. Quibus transactis arcéque traditâ, decimâ poſt inchoatam obſidionem die, pars *Tovaczovium*, pars *Gevicium* abiverunt.

MS. Pernſt. & Anon. Dmbon. cit.

oppugnant, & inde ditionem accipiunt.

Adhuc *per Marchiam & Luſatiam infer.* graſſabantur *Taboritæ & Orphani*, quando de obſidione *Sternbergæ* primum nuncium acceperunt: quare ſimul omnes, ad eximendos periculo ſocios, iter in *Moraviam* arripuerunt,

Hoc audito Procopius, in Moraviam properat:

copijs bipartitò diviſis, ob commodiorem rei annonariæ proviſonem, tantâque properandi curâ, ut quinto profectionis die in Glacenſem diſtrictum pervenerint. Statim verò die ſequenti, cùm ad *Biſtricium* caſtra loco moverent, de amiſſa *Sternberga* cognoverunt: cujus jacturam *Procopius Raſus*, ſi ullus alius, graviſſimè ſenſit, præſidiariorum, ac imprimis præfecti ignaviam magna cum execratione deteſtatus. Nec mora, irarum plenus, ac fremens, frendênsque, *Kerskium* cum omni equitatu, & quandam nomine *Tvvarob*, cum duabus ſelectiſſimorum peditum cohortibus, *in Moraviam* citatis paſſibus feſtinare juſſit: quibus etiam *Procopius* alter, *Krſſniakum* cum aliqua ſuorum equitum parte, (*Czapkone* cum reliquis penes ſe relicto) adjunxit; cum mandato, ut quidquid adhuc integri, poſt præteritas clades, *circa Olomucium* invenirent, omnia igne & ferro exſcinderent; atque idem *circa Uniczovium* facerent; obvia quæque, ad ſummum usque vaſtitatis, nullo crudelitatis genere prætermiſſo, popularentur. Unde accidit, ut quidquid terrarum inter *Litoveliam*, *Olomucium*, *Sternbergam & Uniczovium* fuit, totum furori hoſtium, citiùs quàm ullus putâſſet advolantium, & crudeliter per omnia graſſantium ceſſit. Multi *viri Illuſtres*, improviſo & nec opinato illorum adventu ſubitò oppreſſi; & vel capti, vel ſi modicùm reſtitiſſent, ê veſtigio occiſi: plebs verò agreſtis hinc inde diſperſa: fœlices illi, qui ſylvis & paluſtribus circa *Moravam* locis propiores, ſeſe in hujusmodi abſtruſos, & aggreſſu difficiles ſeceſſus, maturè cum fortunis ſuis, cum uxoribus, liberis & jumentis recipere potuerunt. Brevì tamen hoſtes cognito, *Albertum de Sternberg & Lukovv*, quem *Archidux* Olomucio, totique illi Diſtrictui præfecerat, colligere in urbe viros; & expectare ſolùm, donec *Ladislaus â Sternberg patruelis*, cum Lipnicenſibus, & *VVilhelmus de Pruſinovicz*, cum Brunenſibus & Wiſskovienſibus, accedant: vaſtationi diutiùs operam dare non exiſtimârunt, ſed videntes iræ ac ultioni ſe dediſſe ſatis, in Bohemiam ad ſuos, caſtrum tunc *Potnſtein* obſidentes receſſerunt.

Tolum deinde Kerskium cum equitatu eò mittit:

qui circa Olomucium, obvia cuncta crudeliter vaſtat.

Moravi ad arma concurrunt. *MS. Pernſt. MS. Anon. an. 1432.*

Paulo ante hæc, nobilis quidam Moravus, *Smilo de Moravan*, adſcitis in contubernium ſui æqualibus rapinarum avidis, nocte intempeſtâ *cœnobium Hradiſtenſe*, propè Olomucium invaſit, miróq; ſilentio, eo priùs omnino potitus eſt, quàm *religioſi Fratres* hoſtem adeſſe ſentirent. Annales ejusdem Cænobij id referunt hiſce: *Anno 1432. die Veneris, qua fuit 2. Maij, horâ tertiâ noctis, illuceſcente Sabatho, cænobio Hradiſtenſi atra nox & infeliciſſima hora advenit. Nam Smilo de Moravvan Nobilis cum ſuis complicibus, quem latronem priùs Dominus Abbas, velut ſerpentem in ſinu foverat, ſubitò armatâ manu irruit in Clauſtrum, fratres trucidavit, aliquos in fugam vertit, omnia abſtulit: Abbas evadere conatus de muro ſe dimiſit, & cadendo manus pedesque fregit; deinde captus & ductus fuit in Odram, ibique taxatus & incarceratus. Reſidui Fratres hincinde diſperſi, cùm neſcirent, quò diverterent, pariter capti & abducti.* Drahonicius autem refert, *proditione cujusdam Fratris Converſi fuiſſe â VVikleſiſtis monaſterium occupatum.* Nec multò poſt, ùt ijdem Annales commemorant, monaſterium unà cum templo, *tranſla-*

Hradiſtenſe Cænobium prope Olomuc. ab Huſſitis occupatur: *Annal. Monaſt. Hradiſt. Ord. Præm. in VVenceslao Hrziwnacz Abbat. 25.*

MS. Drahon. an. 1432. diruitur.

tis

tis priùs Reliquijs ſacris, & corporibus Marchionum, Epiſcoporúmque Olomuc. ibi ſepultorum, ad Cathedralem S. VVenceslai Eccleſiam, publica poteſtatis juſſu, ne receptaculo eſſet hoſti, & damno urbi, dirutum ac ſolo aquatum eſt.

Menſe Junio, *Taborita & Orphani* relictâ obſidione *Potnſteinenſi*, bellum in Moraviam, ac præcipuè in Brunenſem diſtrictum (Olomucenſi jam antè devaſtato) tranſtulerunt: ubi in ditiones Catholicorum, atrociſſimè rapinis, ferro & incendijs ſævientes, magna paſſim intulerunt detrimenta; majora illaturi, niſi *Kravaræi Sternbergiique*, mediante *Joanne à Pernſtein*, *Raſum*, ob ereptam *Sternbergam*, (ad illum enim ſpectabat) ferocientem, & Weverzium tunc obſidentem, pretio & prece ità placâſſent, ut à diripiendis incolis, vaſtandáque provincia ceſſaturum ſe polliceretur. Et tunc etiam *Drnovecium*, in quem aliàs ſeveriſſimè, propter tam citò traditam, & non ſtrenuè defenſam *Sternbergam*, animadvertere alijs in cautelam ſtatuiſſet, ad amicorum, & potiſſimùm *Zagimaczij* preces, in gratiam recepit: eâ tamen conditione, ut caſtra ſequeretur, & notam meticuloſi hominis ac inefficacis, quam incurrerat, datâ occaſione, egregio aliquo facinore aboleret. Poſt hæc *Raſus* cum Taboritis, *Oppavienſem provinciam*, firmatâ ex itinere rebus neceſſarijs *Przeroviâ*, petijt: *Orphani* verò, ut nuperam ulciſcerentur cladem, Hungariam; quo â nonnullis perduellibus Hungaris, aſſiduis penè nuncijs vocabantur. Ex quibus omnium primus *Blaſſko* quidam Nobilis, cognomine *Podmaniczsky*, homo inquies & rapinarum avidus, cum aliquot ejuſdem generis hominum manipulis, quos ex perditiſſimis audaciſſimiſque collegerat, ſeſe ijs adjunxit: eóque demum cooperante factum, ut *Trnaviam*, urbem ê præcipuis unam, divitem & populoſam, aſtu & fraude, ùt narrat *Drabohicius* noſter, circa *feſtum S. Joannis Bapt.* occuparent.

Taboritæ & Orphani per Moraviam graſſantur:

à Proceribus Moravis placantur.

Taboritæ in Oppavienſem diſtrictum,

Orphani in Hungariam movent,

Audentiores aliqui, mercatorum mentito habitu, quaſi ad nundinas venirent, urbem intrârunt; qui mediâ nocte, dum adverterent ſuos à mœnibus jam non eſſe procul, ſtationes vigilum derepentè invaſerunt, iiſque trucidatis, & portis effractis, illos immiſerunt. Cives & mercatores, eorúmque ſocij, qui ad tabernas inſtitorias excubabant, audito clamore experrecti, corripuêre quidem arma, & ſe invicem, quantum in re improviſa fieri potuit, hortabantur, ut præſenti animo reſiſterent hoſtibus, *& pro ſalute & vita, próque fortunis ſuis fortiter dimicarent*: ſed tarda jam omnis contentio erat, prævalentibus hoſtibus, qui magno numero, acerrimóque impetu irrumpentes, eos, qui arma ceperant, inſtar pecorum trucidabant. Cùm igitur jam nulla ſpes defenſionis eſſet, projectis armis, cives vitæ gratiam implorabant: aliqui latebras circumſpicere, alij rurſum arma reſumere, mox abjicere, alij ê muro civitatis foras ſeſe præcipitare: quorum pars luxatis aut fractis artubus, vel ê veſtigio interijt, vel dolore torquebatur ingenti, pars foras tamen evaſiſſe dicitur. Cæterùm per urbem & vicos ingens conſternatio rerum, clamor, gemitus, querelæ, minæ, lacrymæ confuſè ubique reſonabant. Aurorâ demum appropinquante, cùm nemo ampliùs reſiſteret, inhibuerunt *Procopius & Blaſſko*, in quemquam ſævire ferro; urbem tamen maximis tum divi-

Drabon. ad an. 1431.

Trnaviam aſtu, & auxilio Hungarorum perduell. occupant:

Thuroc. Chron. Hung. part. 5. cap. 21.

Bonfin. rer. Hung. dec. 3. l. 3.

& oppreſſis civibus,

Urbem diripiunt, & præſidio firmant.

divitiarum cumulis refertam, militi in prædam conceſſerunt, *ut prædam caperent, qui victoriam parârunt.* Hi igitur ſine mora, impetu in domos ac inſtitorum tabernas facto, quidquid de mercibus, pecunia, equis, & ſupellectili cujusvis generis repererunt, diripuerunt.

Drabon. ad an. 1432. MS. Anon. an. eod.

per Hungariam longè latéque vaſtabundi ſeſe diffundunt;

Occupatâ in hunc modum *Trnaviâ*, ac præſidio firmatâ, Orphani in ſuperiores Regni Hungarici partes, cum univerſo exercitu proceſſerunt; fixisque *ad Kremnicium* caſtris, *omnem eum regionis opulentæ tractum, qui Grano & Nitriâ fluminibus interjacet, ad Danubium usque*, hinc inde diſcurrendo fœdè, uti ipſis in more erat, depopulati ſunt. Jámque *Grano ſuperato etiam Teplicenſem, Schemnicenſémque agrum* excurſibus infeſtabant crebris: cùm inter hæc cognito, *Nobilitatem Hungariæ* ad arma convocatam tendere ſibi obviam, & partem, quæ præcludat eis â tergo iter, circa *Poſonium* congregari, non ultra cunctandum rati, eo quo venerant itinere, *Trnaviam* reverterunt, præmiſſis expeditioribus, qui *Albi montis fauces, antequàm ab Hungaris, ad ſe tranſitu probibendos communirentur*, occuparent. Quæ ipſis utique impræpeditè ſucceſsêre, Hungaris, incertum quibus de cauſis, ſegniùs, quàm neceſſitas poſtularet, ad arma confluenribus, adeò *ut ſalvâ omni prædâ in Moraviam, ac inde in Bohemiam, ovantibus ſimiles reverterentur.*

Thurot. in Chron. Hung. part. 4. c. 21. MS. Drabon. cit. MS. Pernſ. an. 1432.

celeritatéque uſi cum opima præda, in Bohemiam revertuntur.

Reliquum æſtatis in occupandis caſtris *Potnſteina, Peczka & Pridſteina*, primis duobus in diſtrictu ReginoHrad. tertio in Boleslav. inſumpſerunt. Et *Fridſteinam* quidem, poſt duorum menſium obſidionem, deditione tandem acceperunt: at illa *defenderunt ſe* (ait *Drabonicius*) *usque ad feſtum S. Dorotheæ anni ſequ.* nec niſi ultimâ famis neceſſitate adacta, cùm præſidiarij poſt *devoratos canes, catos, mures, tergora aquis emollita & decocta*, aliáque obſcæna, & humano uſui â naturâ prohibita, nil ampliùs haberent, quo latrantes inediâ ventres implere poſſent, deditionem fecerunt.

Concilium Baſilienſe, anno 1432.

Inter hæc *Concilium Baſilienſe*, cui initium fuerat datum anno præcedenti, urgere *Bohemos & Moravos*, benigniſſimis & ſynceri affectûs pleniſſimis hortationibus, ùt quantocyùs venirent, non deſtitit; ſecuritatem itineris, & dicendi, quæ vellent, libertatem promittens: donec tandem poſt multas conſultationes, unanimi omnium conſenſu (ſolis Orphanis reclamantibus, ſed qui impiè feroces non attendebantur) decreta eſt legatio. Cæſar verò jam antè, relicto *VVilhelmo Bavariæ Principe*, qui loco ſui Concilio præeſſet, in *Italiam pro Corona Imperij Romæ ſuſcipienda* profectus eſt. Qui porrò *Bohemorum* fuerant ad illud *legati*, qualis apparatus, & quàm ab omnibus *ſpectabilis Baſileam illorum ingreſſus*, Æneam Sylvium referentem, & ibi tum præſentem audiamus. *Legatio*, inquit, *trecentorum equitum Baſileam miſſa: cujus Principes fuêre Guilielmus Koſtka, non tam equeſtri dignitate, quàm Eccleſiarum direptione inſignis: Procopius, cognomento Raſus, idemque magnus, multis victorijs magnisque ſceleribus nobilitatus: Joannes Rochezana Pragenſium pſeudo Apoſtolus: Nicolaus Galecus* (alio nomine Biskupecius) *Taboritarum ſacerdos, & Petrus Peyne Anglicus patriâ profugus, ac ſolis elenchis in diſputatione confidens. Effuſus extra mœnia urbanus populus, ex Synodo quoque*

Bohemorum Legatio ad Concilium,

Æn. Sylv. c. 49.

com-

complures adventum fortiſſimæ & jam famâ celebratiſſimæ gentis, pro portis expectavêre. Aliȷ frequentiores in plateas, quâ tranſitus eſſet, convenêre: aliȷ hunc, aliȷ illum digito deſignavêre: peregrinos habitus, non viſa priùs veſtimenta mirari: horribiles hominum facies, truces notare oculos: non eſſe alienum dicere ab ea hominum ſpecie facta, quæ fama prodiderat: in unum tamen cuncti Procopium defigere lumina: illum eſſe, qui toties fudiſſet exercitus, qui tot oppida ſubvertiſſet, tot hominum millia neci dediſſet, quem ſui pariter atque hoſtes metuerent: invictum ducem, audacem, intrepidum, neque labore, neque timore ſuperandum.

magno hominum accurſu excepta, die 4. Januarij an. 1433.

Procopius Major mirandus omnibus.

Æn. Sylv. Hiſt. Bohem. c. 49. & 50.
Cochl. lib. 6. ad an. 1433. habet diem 4. Jan.
VVeleslav. in Calend. Hiſt. ad d. 4. Jan.
Lupac. ad d. 6. Jan.

Diſceſſerunt Pragâ, *die Sabb. in feſto S. Nicolai*, nempe 6. Dec. an. 1432. & venerunt Baſileam *die 4. Jan.* exceptique ſunt liberaliter. Cúmque poſtridie, vel, ùt habent aliȷ, 9. die ejusdem menſis, admiſſi eſſent in concilium, *Julianus Cardinalis* illos benignè allocutus, exquiſito ſermone, ad ea, quæ pacis & unionis eſſent, hortabatur. Inſtitutas poſtea diſputationes, & colloquia privata & publica habita, narrant *Acta rerum cum Bohemis geſtarum in Concilio Baſil.* meminítque *Æneas*, qui, ùt dixi, aderat; & ex iȷs, *Cochlæus.* Duravit diſputatio, totis quinquaginta diebus, â XVI. Jan. usque ad VI. Martiȷ, & nihil peractum, Bohemis ſuos *Quatuor Pragenſes articulos*, de quibus ſupra, mordicùs tenentibus. Rem ridiculam narrat Æneas de Procopio Raſo: *Quùm Legatus* (Julianus Cardinalis) *alia quoque de Bohemis accepiſſe ſe affirmaret, quæ Chriſtianas aures offenderent; inter quæ illud eſſet, quòd Religiones Mendicantium inventum eſſe diabolicum prædicarent: aſſurgens Procopius, neque hoc falſum eſt, inquit; nam ſi neque Moyſes, neque ante Patriarchæ, neque poſt eum Prophetæ; neque in nova lege Chriſtus Dominus, neque Apoſtoli, mendicantes inſtituêre, quis non intelligit, diaboli tenebrarúmque opus eſſe? Excepta eſt ingenti Auditorum cachinno Procopiȷ vox: Legatus verò, ùt erat manſvetiſſimus Pater, argumentationem indocti hominis placidè diſſolvit.*

Bohemorum in retinendis Quatuor Articulis Prag. pertinacia:

Quamquàm verò tam Cardinalis, quàm aliȷ Præſules & Doctores, ad omnia, ac imprimìs ad illos quatuor Articulos, valde appoſitè & accuratè reſpondiſſent: cùm tamen victa Huſſitarum perfidia vinci nollet, & diſputatio una, aliam poſt aliam pareret, nec videretur hoc agendi modo concordia facilè ſequutura: propoſitum eſt aliud remedium â Bavariæ Duce, Conciliȷ protectore; videlicet, ut omiſſis diſputationibus, res amicè tractaretur. Sed neque eâ viâ, per hujusmodi privatos, & familiares tractatus ſæpiùs iteratos, effectum quidquam. Ultimò quùm Bohemi reditum urgerent, & ſe ea, quæ hactenùs ultro citróque tractata eſſent, Regni Statibus proximè ad diem *SS. Trinitatis* Pragæ congregandis, relaturos dicerent; placuit Concilio, ne tota prorſus ſpes pacis evaneſceret, mittere cum illis ſuos quoque Legatos. Miſſique fuêre XIV. Aprilis, numero decem præcipui: *Philibertus Epiſcopus Conſtantienſ. in Normannia: Petrus Epiſcopus Auguſtan. Joan. Palomar Archidiac. Barcinonenſ. & Sacri Palatiȷ Apoſtolici Auditor, Ægidius magnus Doctor Pariſienſ. Decanus Cameracenſ. Fridericus Parſperger Præpoſ. Ratisbon. Martinus Beveri Decanus Turonenſ. Joannes de Raguſio Dalmata Ord. Prædic.*

cum quibus idcirco Patres fruſtra agunt.

7. Juniȷ.

Legati â Concilio ad Bohemos:

Dddd *procu-*

procurator generalis, *Henricus Tockius Canonicus Magdeburg. Thomas Haſelbach Theologus Viennenſis*, *Alexander Sparo Juriſconſultus Anglus*, viri doctiſſimi; magno honore â Pragenſibus & alijs excepti. Ac præter illos, etiam diverſorum Principum, uti *Ducis Sabaudiæ*, *Ducis Bavariæ*, *Marchionis Brand. Epiſcopi Bamberg.* &c. Oratores. Habita igitur ſtatim ipsâ hebdomadâ poſt *feſtum S. Viti*, Pragæ in Collegio Academico, Regni Comitia, præſentibus quoque Moravorum legatis, *Joanne de Lomnicz*, *Henrico de Mikulovicz aliàs de Lichtenſtein*, *Parcziphalo de Namieſſti*, *Joanne de Zvvola*, *Hynkone de Hruſſovan*, & *Joanne ab Horka*. In quibus diu multúmque diſputatum ex utrâque parte, ſuper illis *Quatuor Prag. articulis*, qui erant ſumma totius negotij, & quos Bohemi & Moravi quaſi pro Evangelicis veritatibus ducebant. *Multa tunc*, ait Æneas, *cum Bohemis agitata*, & *nunc ſpes pacis*, *nunc belli motus*. Pluribus hæc deſcribit *Cochlæus*; breviùs narrant *Aſtarum*; profuſiſſimè verò *codex Navarricus*, continens res cunctas, per ſingulos dies, hâc legatione, aliíſque ad Bohemos deinceps in diverſa loca miſſis, geſtas, dicta & facta. *Tockij* unius ex Legatis, orationem, aut illius ſaltèm partem, quam habebat coram Conſulibus utriúſque Civitatis Prag. Veteris & Novæ, in Curia urbis Vet. prætermittere non poſſum, quæ ſic habet: *Ad te revertor*, *ô Praga Metropolis Bohemiæ*, *Civitas magnifica*, *Regibus & Principibus cunctis veneranda*, *dum pacis & unitatis dulcedine in Domino fruebaris. O quàm glorioſa dicta ſunt de te*, *Civitas Dei! Antiquæ tuæ dignitatis memores*, *ſtupefacti piâ mente compatimur*, & *floridum illum ſtatum*, *ac priſtinam gloriam toto mentis deſiderio peroptantes*, *cooperabimur pro poſſe reſtaurare*, *ut primævo flore juveneſcas*, & *fructus parturias præ omnibus uberiores. Compatimur quidem*, *videntes quid nunc es! Tune illa famoſiſſima*, *maximis & potentiſſimis civitatibus connumerata*, *vix paucis* (*ſi tamen aliquibus*) *ſecunda: multis prior in donis*, & *major in imperio*, *fide*, *devotione*, *pace*, *concordia*, *rerum opulentia*, *ſeculari ac divina ſapientia*, & *politica gloria floruiſti? Tu nedum regale*, *ſed Chriſtianitatis Occidentalis Eccleſiæ Imperiale ſolium poſſediſti. Tu omnium literarum*, *divinæ vel humanæ Sapientiam Gymnaſium fœcundiſſimè continuiſti. Tu totius & cujuslibet religionis Chriſtianæ exemplum extitiſti. Quid autem nunc ſis*, *tu ſcis*, & *intra te ipſum judicabis. Meum eſt conſolari te*, *non turbare. Tuum eſt*, *te ipſam cognoſcere.* &c.

Quis demum eventus fuerit tractationis hujus, *Drabonicium*, qui præſens tunc aderat, audiamus. *Ipsâ ſeptimanâ poſt feſtum S. Viti*, *fuit magna Congregatio terrigenarum Bohemiæ & Moraviæ*, *Pragæ in Collegio*, & *diſputationes ex utraque parte*, *de Quatuor Articulis*, *pro quibus Bohemi & Moravi inſtabant per Magiſtros & Sacerdotes eorum ex una*; & *Epiſcopos atque Doctores*, *ambaſſatores Sacri Concilij Baſil. parte ex altera: imò & ſuper alijs 28. articulis*, *in quibus Bohemi quidam & Moravi*, *cum ipſo Concilio & Epiſcopis ſupradictis diſcordabant. Et ſic diſputationes â feſto S. Viti*, *usque ad feſtum S. Procopij continuabantur. Sed proh dolor! nihil finaliter concluſerunt: ſolùm quòd Bohemi & Moravi tres iterum ex ſuis*, *videlicet M. Procopium de Plſna* (Recto-

rem

â Bohemis honorificè excepti:

ubi præſentes quoque Moravorum legati.

Cochl. l. 7. ubi Orationes Polmari Ægidij & Tokij ad Bohem. digna lectu: præſertim Tocky verba ad Pragam. Drabon. an. 1433.

Praga quondam florentiſſima.

Comitia Pragæ Bohemorum & Moravorum.

Digitized by Google

rem antè Univerſit.Prag.) *D.Martinum dictum Lupacz presbyterum,& Matthiam dictum Lauda de Piska, cum dictis Epiſcopis & Ambaſſatoribus, ab Concilium prædictum, Feriâ VI. ante Margaretæ direxerunt.* Ita ille. Alius ſcribit, tribus iſtis Bohemorum legatis adjunctos fuiſſe alios tres: *Petrum à VVartmberg & Zvvirzetiz, Przibikum de Klenova, & VVenceslaum Brzezkam præfectum monetæ.* Drahon. cit. MS. Prag. apud VVeleslaf.

Interea dum hæc aguntur, vel paulo ante, *Taboritæ* excurſione factâ *in Moraviam*, penetrârunt populabundi *in Auſtriam* usque: quâ longè latéque pervaſtatâ, cùm deinde prædâ & ſarcinis onuſti reverterentur, propè *Znogmam* deprehenſi ab Auſtriacis, qui ſub *Guilhelmo de Puchomir* nobili & impigro duce militabant, primùm quidem proſpero inierunt prælium ſucceſſu adeò, ut *Auſtriaci*, amiſſis aliquot falconibus (*genus quoddam eſt minorum tormentorum, quibus pilæ Medico malo perſimiles emittuntur*) pedem referre cogerentur: ſed adveniente *Kragirio*, cum recenti *milite Moravo*, recruduit certamen; quod diu ſtetit anceps, dum *hi pro Patria*, urgente inſuper ultionis deſiderio, *illi pro vita & præda* pertinaciſſimè pugnarent. Ibi *Kragirius* & cæteri duces, non modò minores præfectos, ſed & milites nominatim appellando, ne perfidis hoſtibus cedendum exiſtiment, cohortari, præmiáque ex recuperata præda fortiter dimicantibus polliceri. Tandem *prævalentibus Moravis & Auſtriacis*, Taboritæ ceſſerunt campo, ac intra vehiculorum contruſi anfractus ſeſe tuebantur, ad noctem usque, quâ ſuperveniente, prælium diremptum eſt. Contigit id *in Vigilia feſtum Divi Thomæ Ap. antecedente, anno 1432.* cæsique ex utraque parte, quingenti & aliquot: conſtabat tamen *Moravos & Auſtriacos*, in numero longè minori cecidiſſe, cum ea incondita multitudine colluctatos. Noctu poſtea *Taboritæ* præmiſſis curribus prædâ potiore onuſtis, & caſtris miro ſilentio ſolutis, in tutiora Bohemiam versùs, non ſine trepidatione & metu receſſerunt: quod cùm *à Kragirio*, etſi nonnihil ſeriùs, animadverſum eſſet, progredi ſuos ſtatim juſtis paſſibus, ac poſtremò laxatis habenis, ſubditisque calcaribus equites procurrere juſſit. Idem fecerunt *Auſtriaci*, totóque die inſequebantur fugientes ad veſperam usque: & curribus non paucis, quòd telluri cænoſæ usque ad axes impacti, ac demum rigidiſſimo gelu concreti, difficulter moveri poterant, retractis, in ſua redierunt ovantes. Eodem anno, circa feſtum S. Wenceslai, Marchio Miſnenſis Fridericus II. *fecit trevgas pacis*, itâ ſcribit Drahonicius, *cum Pragenſibus, Taborienſibus, Orphanis, & eorum ſectis, ad duos annos: pro quo dedit eis novem millia florenorum. Idem fecerunt Duces Sileſiæ, & Nobiles; & dederunt eis pro trevgis, mille & ſexcentas ſexagenas groſſorum Prag.* Wratislavienſes nihilominùs & Svidnicenſes adverſabantur Bohemis implacabiliter: quâdam vice *Petrum Polonum*, qui Procopij Raſi nomine *Niemczio* præerat, incautiùs excurrentem, magnâ clade exceperunt, cæsísque triginta quatuor, ipſummet vulneratum, & alios viginti ſex captivârunt.

Taboritarum in Moraviam & Auſtriam excurſio, an. 1432.

malè cedit.

in Bohemiam revertuntur magnâ parte prædarum exuti.

MS. Drahon. MS. Pernſt. ad an. 1432.

Circa initium veris, anni 1433. *Pardus ab Horka, cui Procopius Magnus ante ſuum Baſileam diſceſſum, ſummum exercitûs Taborienſis imperium detulerat,* in Hungariâ tamen, an. 1433.

Dddd 2 tulerat,

tulerat, cum octo millibus peditum, & ſeptingentis equitibus, trecentiſque curribus *in Moraviam*, ac inde *in Hungariam* profectionem ſuſcepit, & omnia quacúnque ierat, populatus, *Vagóque ſuperato, ad Kremnicium oppidum* caſtra poſuit; quod per triduum obſeſſum, & â civibus conſtantiſſimè defenſum expugnavit tandem, & ſine ullo ſexûs aut ætatis diſcrimine, interfectis primo furoris impetu obvijs quibúsque, diripuit & ſuccendit. Hoc caſu territæ *urbes metallicæ*, ſeſe potiùs prece & pretio multóque auro exemerunt præſenti periculo, quàm ſi reſiſtendo fortunam periclitarentur. Ex adjacentibus porrò vicis & pagis, miſera plebs metu perculſa, pars relictis ſedibus *Filekum & Tornam*, aliáque tutiora loca, pars in remotiores receſſus, tranſcenſis montibus & ſylvis, ſeſe cum uxoribus & parvis liberis recepit. Ita velificante undique fortunâ, cùm nemo reperiretur, qui Taboritis reſiſteret, omnem *ultra Granum & Ipolam tractum* impunè populabantur; inde verò flexo *in S*[illegible]*ſium* itinere, multa minora oppida arcésque, alia vi, alia deditione expugnârunt, magnâ ubique prædâ potiti. Eáque celeritate uſi, priuſquam ab Hungaris, quos amplo numero ſub ſigna congregari fama ferebat, circumvenirentur intra montium fauces, haud improbando conſilio, quantocyùs maturandum duxêre reditum, atque *initio Junij in Bohemiam, ſalvâ cunctâ prædâ, reverſi ſunt.*

Kremnicio expugnato,

& alijs oppidis direptis,

meliorem experiuntur fortunam.

MS. Drabon. an. 1433.

Per id tempus, *Orphanorum* aliqui, duce *Joanne Czapko* (quem nonnulli *Hookvaldenſem* nominant) *Regi Poloniæ cum Crucigeris Teutonicis bellum gerenti, in auxilium profecti ſunt*, initio menſis Maji: quibus aliquot *Taboritarum* agmina ſeſe adjunxerunt, ita ut ſimul omnes, *octo millium peditum, & octingentorum equitum, curruum verò 350. ſummam* efficerent. Multa ibi geſsêre præclara, totâ illâ æſtate, Regíque in occaſionibus cunctis ſtrenuam navârunt operam. Inter alia ſingulare id fuit, quòd *novam Marchiam*, quæ ſub ditione Crucigerorum erat, ſubegerunt, duodecim oppidis munitis, partim vi, partim per deditionem occupatis, ac denique *victricibus armis, ad Oceanum uſque* prolatis. *Equites* (ùt refert Cromerus) *cùm ad mare ven*[illegible] *longiùs in ſalum atque fluctus ludibundi & gratulabundi ſibi invicem*[illegible] *mare infeſtis armis attigiſſent, procurrêre: aliqui in ſignum & mem*[illegible] *etiam aquam marinam laguncilis hauſtam reduces domum deportârunt.* Eodem anno, *Sigismundus* Romam veniens, ipsâ Solemnitate Pentecoſtes, [illegible] *Eugenio Papa IV.* in Eccleſia S. Petri, ante altare S. Mauritij, Imperator Romanorum coronatur. Redeuntem â Vaticano, ad Lateranum, ubi [illegible] Pontifex usque ad pontem Hadriani comitatus eſt, eques equitem [illegible] ſtratoris munere, in aſcenſu Pontificis, & aliquot paſſuum inceſſu [illegible] prout moris eſt, functum. Qui aliquandiu Romæ pacificè moratu[illegible] mum cum bonâ veniâ Papæ abiens, Baſileam V. Idus Octobr. redi[illegible]

VVeleslav. in Calend. Hiſt. ad diem 13. Julij.

Taboritæ Regi Poloniæ militant glorioſi, an. 1433.

& oſtentationis gratiâ equos in mari abluunt:

aquam marinam in Bohemiam adfèrunt.

Cromer. rer. Polon. lib. 21. Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. c. 51. Hagek. Kuthen. Drabon. an. 1433. Bohusl. Presb. in Chron. Boh. l. 2. c. 20.

Cùm deinde *Orphani & Taboritæ*, tot victoriarum, tantóque [illegible]ſtarum ſucceſſu inſolentiores, nullis prorſus *Synodi Baſilienſis* conſilijs [illegible]ſcere vellent: tantóſque indiès ſpiritus, tantam arrogantiam, tam di[illegible] licitate ſibi aſſumerent, ut pacis nomen penitùs contemnerent; & ſolùm [illegible]

q[illegible]

quid vellent, ſibi licere, atque adeò quod nollent, iniquum eſſe arbitrarentur. Imò rabie verſâ ad exagitandos, novâ perſequutione *Catholicos in Bohemia* ſuperſtites, *Plſnam, urbem Orthodoxæ Religioni unicè deditam, novâ iterum, eâque tertiâ, ac longè graviſſimâ obſidione per continuos decem menſes premerent*, etiam duriſſimo hyemis tempore oppugnationi inſtantes; ac prætereà, vicina omnia quaquaverſùm fœdè vaſtarent, & plusquàm hoſtiliter popularentur: ad extremum ſupervenit ultionis dies, *divinâ Nemeſi* ſævitiæ eorum modum & terminum ſtatuente, quò redderetur eis ſecundùm opera illorum: ſceleſtorum námque proſperitas certam ſemper vindictam trahit, quæ, ſera ſit licèt, tandem venit.

Taboritæ & Orphani Plſnam acri obſidione premunt.

MS. Drahon. an. 1434.

MS. Matthiæ Laudæ lib. de reb. ſui temporis in Bohemia geſtis an. eod.

Placet hîc de obſidione *Plſnæ*, urbis in Bohemia poſt Pragam toto Regno celeberrimæ, Catholicæ Religionis obſervantiſſimæ, & Deo, Eccleſiæ, legitimíſque Principibus, Bohemiæ Regibus fidelis ſemper, quædam paucis attingere. Die 15. Julij an. 1433. urbs obſideri cœpit, per *Pardum ab Horka, & Bedrzichonem*, Moravos; quos *Procopius Magnus* cum ſeptem millibus peditum, qui **Poſnicy** / id eſt, *campeſtres* nominabantur, quòd nunquam domos tectáque intrarent, ſed continuò in campis ſub dio manerent, & ſexcentis equitum præmiſerat in eum finem, ut populando & igne ac ferro graſſando circacircum terrorem civibus incuterent, caſtriſque idoneo in loco collocatis, urbis oppugnandæ initium darent. Nec multo poſt ipſemet etiam cum duabus legionibus peditum, qui **Raoſaliċſſtj** / id eſt *ſuccincti*, â brevi & ſuccinctâ veſte, quâ vix benè terga tegebant, dicebantur; & ſeptingentis equitibus, quos *Kersky* ducebat, ſupervenit. Dúmque ſub id tempus etiam aliquot Orphanorum cohortes, cum *Procopio minori*; & *Tuſtenſium, Klatovienſium, Zatecenſium, Veronenſiúmque* auxilia conveniſſent magno numero; & circa finem Auguſti, aliqua *Pragenſium* quoque manus, cum inſigni apparatu, oppugnandis urbibus idoneo acceſſit: poſtpoſitâ omni ulteriori cunctatione, *Procopius* oppugnationis negotium aggredi conſtituit. Jámque omnia opportunis in locis ità diſpoſuit, ut urbem quamquàm validam & munitam, cui perdomandæ *Zizka dux & miles ſtrenuus*, quin & ipſemet nuper cum *Kromeſinio & Pragenſibus* fruſtra inſudâſſent, hâc vice omnino tandem expugnandam, capiendámque ſtatuiſſe videretur.

Taboritæ Plſnam obſidens jam tertiò:

quibus aliqua pars Orphanorum, & nonnullæ Civitates,

inter quas Pragenſes, ſeſe aſſociant.

Sed non minori alacritate cives ad defenſionem animos viréſque parabant: ante omnia autem in templo monaſterij Prædicatorum, ubi tum majora negotia Reipub. agi tractaríque ſolebant, congregati, dextris in ſublime erectis, juraverunt ſe nunquam deditionem facturos, ſed honeſtiſſimâ potiùs morte, *pro ſacroſancta Religione Catholica, & pro dulci Patria, pro aris & focis* morituros. Tametſi aliquorum animos non parum anxios & ſolicitos id imprimìs reddebat, quòd nulli præſidiarij milites, obſidionalium ærumnarum aſſveti haberentur, ſoli tantùm cives, & urbana plebs; paucis adjunctis è vicinia Nobilibus, qui metu hoſtium è pagis & infirmioribus caſtellis eò profugerant; ìtà ut omnium numerus, qui armis tractandis & propugnationi idonei eſſent, ſexcentorum duntaxat ſummam, aut paulò ampliùs efficeret.

Plſnenſes ad reſiſtendum animos viréſque comparant.

adjuti à Nobilibus, & alijs advenis,

Et

Et auxiliorum expectatio, urbe jam ab hoſtibus quaquaverſùm circumvallatâ, conclamata prorſúſque nulla apparebat. Commeatus quoque non ſatis abundans, & illud tantùm, quod ante obſidionem ex agris, non dum maturis ſegetibus, ſed ſpicis adhuc ſemivirentibus, raptim collegerant; quod ut uſui eſſe poſſet, ſparſum per forum & plateas, in Sole deſiccabant. Inchoatâ deinde oppugnatione, *Procopius* civium virtutem in defendenda urbe, ſpe & opinione ſua majorem reperit; & ſemel atque iterum â mænibus cum clade rejectus, didicit, ſe non cum imbelli plebe, uti dicebant, aut cum delicatulis quibusdam, mollibus & effeminatis, ſed cum *viris fortibus* negotium habere, habiturúmque etiam deinceps. Unde fiebat, ut vix non expectatione capiendæ urbis deijceretur; niſi unica illa ſuſtentâſſet eum ſpes, quòd obſeſſos ad alimentorum penuriam adigi, & fame ad deditionem compelli poſſe exiſtimaret: probè enim ſciebat, illos inopiâ rerum advictum neceſſariarum laboraturos brevì; ideóque ad lentæ obſidionis, & oppugnationis conſilia & moras deſcendit.

Strenuè ſeſe defendunt.

Procopius ſpe occupandæ urbis vix non dejicitur.

Interea audaciores aliqui ex Taboritis, cum *Pardo ab Horka*, & *Tuſtenſes* cum ſuo præfecto *Joanne Rzitka*, prædarum cupiditate accenſi, & ne etiam in tam languida obſidione otio marceſcerent, ad tentandam inter hæc aliam fortunam, & vaſtandas Bavarorum in propinquo ditiones, animum adjecerunt. Jámq; etiam â Procopio facultatem excurrendi petierunt; quam ille, ægrè ferens ſibi non multo antè *arcem Herſteinam, in Hercynia ſylva*, quam biennio ante in ſuam redegerat poteſtatem, & exinde aſſiduis penè incurſionibus Bavarorum fines infeſtabat, *â Chriſtophoro Comite Palatino* ceptam, haud gravatè conceſſit; reluctantibus licèt alijs ducibus, qui diſtrahendas exercitûs vires minimè cenſebant, priùs quàm *Orphanorum* reſiduæ copiæ, quæ indiès expectabantur accederent. Congregati itáque in unum promptiſſimi quiq;, ita ut ſimul omnes, mille quadringenti pedites, & quingenti circiter equites numerarentur, die 18. Sept. rectà *Kaubam* verſus, *itinere Nyrzienſi*, (*Tuſta* â dextris relictâ) proceſſerunt, urendo agros, & populando more ſuo, obviáque cuncta rapinis atque incendijs deformando. Accidit autem, ut dum jam evaſtatâ undique regione, ingenti onuſti prædâ, in Bohemiam redire properarent, *in Bavaros* ad arma concurrentes, & in quadam ſaltuoſa valle, quà *Taboritis* neceſſariò tranſeundum erat, conſiſtentes paratóſque ad prælium inciderent: ubi inopinato & repentino terrore perculſi, conſiliíque inopes, tametſi fortiter diu ſatìs pugnârint; locorum tamen ignari, & ultimò etiam in inſidias præcipitati, magnâ clade affecti ſunt, ità ut pauci valde, inter quos erant ipſimet duces, *Pardus* & *Rzitka* (propter quod malè impoſterùm apud omnes audiverunt) qui rem peſſimè geſtam ſuis monſtris narrarent, reverterentur. *Eques de Drabonicz* ſcribit, *vix equitum triginta, & peditum centum reverſos; Pardum verò & Rzitkam maturius quàm oportebat, & quàm debebant, ſeſe in tutiora recepiſſe.* Additque: *Pardus reverſus ad Plſnam, eâdem ſeptimanâ, â ſuis complicibus captus eſt & vinctus: & Dominus prebyter Procopius, tunc â quodam Ribaldo, dicto Tvvarob, fuit*

Quidam è Taboritis in Bavariam vaſtabundi excurrunt:

obvia quæque diripiunt:

à Bohemis in inſidias præcipitati graviſſimè cæduntur.

Hinc inter Taboritas diſſidium ortum:

ad

ad caput ſede, ſeu ſcabello graviter vulneratus & captus, ſed paucos poſt dies liberatus. Alius autem coævus quoque ſcriptor, ſed Anonymus, in MS. narrat; poſtquàm innotuiſſet omnibus hæc clades in caſtris, conſurrexiſſe aliquos ê primarijs ductoribus atque tribunis, contra *Procopium*; tantámque exortam eſſe inter ipſos, dum ſimul aſſiderent menſæ, contentionem, ut etiam vaſis teſtaceis & poculis, ex quibus paulò ante ſibi propinabant, ſeſe invicem impeterent: propter quod deinde *Procopium deſeruiſſe Taboritas, diúque adbaſiſſe partibus adverſis; Meynhardo de Novadomo, Svvambergio, Ptaczkoni & alijs;* nec niſi iterum ad magnas non Taboritarum tantùm, ſed etiam Pragenſium preces, rediiſſe in caſtra. Videtur tunc, vel citiùs, ab obſidione Plſnæ receſſiſſe, etiam *apoſtata Moravus Bedrzich:* quia invenio ipſum, in autumno hujus anni, Sileſiam infeſtâſſe excurſione gravi.

Draben. ad an. 1433. Andr. presb. Ratisb. in Chron. Duc. Bavar. Hund. in Metrop. Salisb. MS. Anon. an. 1433.

& inter duces jurgium, ad percuſſionem usque.

Raſus Taboritas deſerit: ſed paulo poſt redit.

Circa feſtum S. Galli, *Czapek ex Polonia rediit*, ob res præclarè geſtas triumphanti ſimilis, séque cæteris Plſnam obſidentibus adjunxit: & tunc exercitus hoſtium univerſus triginta ſex armatorum millia numerabat, præter calones, lixas, & alios hujus generis homines inermes ac imbelles, qui tantùm ſervilibus miniſterijs addicti erant. Unde mox acrior obſidio inſtituta, & civitas tota in coronæ ſpeciem ab hoſtibus cincta, partímque caſtris & contubernijs, partim vallo & foſſâ, partim verò præaltis ſepibus ita circumdata, ut nemo egredi poſſet; & ſi quis noctu, preſſo pede, exitum vel introitum tentaret, campanularum ſonitu, quæ ferreis filis circacircum appenſæ erant, proderetur. Hunc in modum vallatis ab omni parte urbis mœnibus, quantum hoſtibus pertinaciæ ad premendam obſidione Plſnam erat, tantum ad defendendum civibus: qui ſubinde etiam ultrò foras excurrentes, caſtra hoſtium maximo implebant tumultu; nec unquam niſi pulſis & fugatis, captíſque ac interfectis quàm plurimis ex hoſtium numero, redibant in urbem. Quâdam vice primo diluculo, repentinâ irruptione in caſtra Orphanorum factâ, poſtquàm egregiè rem ſuam egiſſent, & ſtragem hoſtilem feciſſent haud mediocrem, ſummâ adhibitâ celeritate, ad diripienda, quæ obvia fuêre, animos converterunt; ac inter alia *camelum Czapkonis*, quem ille in Pruſſia obtinuerat, rapuerunt, & cum triumpho in urbem deduxerunt. Ob id poſtea *Sigismundus Imp.* urbis clypeo, in quo limacem (qui Pſʒ noſtrâ linguâ dicitur) canémque avidam & hiantem geſtabant, camelum adjecit; cum hoc inſigni præconio, expreſſo in diplomate ſuo Cæſareo: *ut Plſna in faucibus hæreticorum perpetuò amareſcat.*

MS. Chron. Reginohrad. ad an. 1433. MS. Continuator Hiſtoriæ Beneſſij de Horzovicz.

Czapek ex Polonia revertitur glorioſus:

Obſidentibus Plſnam ſeſe adjungit.

Hinc arctior obſidio.

Cives foras excurrunt:

& præter ſtragem Orphanorum, Camelum Czapkonis abducunt.

Dum igitur toto hyemis tempore, *obſidionem Plſnæ* continuant hoſtes, ultimò obſeſſi rei frumentariæ anguſtijs ſenſibiliter premi cœpêre, ita ut famis inediæque metus immineret, quinimò jam præforibus eſſet. Quo cognito, *Patres Concilij Baſilienſis, urbem Catholicam, & hactenus ſemper Fidelem, Romanæq; ſedis obſervantiſſimam*, in tam gravi diſcrimine minimè deſerendam rati, octo millia aureorum, piâ liberalitate collegerunt; eáque *Meinhardo Novodomao*, pro commeatu, rebúsque alijs ſuſtinendæ obſidioni neceſſarijs, comparandis, & obſeſſis in tempore ſubminiſtrandis, miſerunt. Nec multo poſt

Concilium Baſil. cognito Plſnæ periculo,

Æneas Sylv. cap. 58. MS. Anon. Pilsnenſ. MS. Indicul. Hiſtor. incerti Auth.

auxilio pecuniario ei ſuccurrit.

Bohemi quidam Nobiles annonam in urbem obſeſſam important ſemel

poſt *Przibyk*, ſeu *Adauctus de Klenovva*, bellator eâ tempeſtate inſignis, & manu conſilióque juxta promptus; qui relictis nuper Taboritarum partibus, quibus ob impietatem & facinora illorum graviſſima ampliùs adhærere non poterat, ſeſe potiùs cæteræ Nobilitati adjunxit; collato cum *Meinhardo* conſilio, *Feriâ III. Paſchæ*, ſeptingentos farinæ modios, per media hoſtium caſtra in urbem intulit. Quod idem ſecundò, *in Vigilia Aſcenſionis Dom.* deluſis ſicut antea inſigni ſtratagemate hoſtibus, fecit; atque iterum ſeptingentos diverſi frumenti modios, aliáque neceſſaria, magno auſu ac felici ſucceſſu, in urbem importavit. Quem in hoc ſecundo tam egregio actu fideliter adjuverunt, alij quoque viri Illuſtres: *Zdenko Drſſtka Tynæ Horeſſij Dominus, Hadko de Dubnan, Dominus in Radina propè Pliſnam, Zbinko de Koczovva Dominus in Necztin, Kruſſina & frater ejus VVanko de Svamberk, Puta de Pabienicz & in Nalzovv, Tobek de VVilbarticz, Buſſko Czalta de Rabſtein*, & quidam alij heroës inſignes, Catholicique omnes.

atque iterum.

Dubrav. ad an. 1434.
Nomina illorum.

Legati à Concilio Pragam revertuntur.

Interea reverſi ſunt è Baſilea Pragam Oratores Concilij; *Epiſcopus Conſtant. Palomar, Tockius & Beverius*, cum Bohemorum legatis, declarationem *Quatuor Articulorum* à Patribus Concilij diligentiſſimè examinatam, & ſemotâ omni ambiguitate, ſecundùm veritatem Evangelicæ doctrinæ conceptam, ínque publico Regni Conventu promulgandam retulerunt. Venerunt ſub *feſtum S. Martini*, an. 1433. & manſerunt Pragæ, usque *ad feſtum Purificationis Beatiſſimæ Virginis Mariæ.* Quo demum modo, ac quibus cum conditionibus, poſt multos iterum ſuſceptos tractatus, inita ſit concordia, itâ ut Bohemi promitterent tandem, ſuſcipere pacem & unitatem Eccleſiæ, narrat Cochlæus fusè; qui etiam formulam concordiæ (vulgò *Compactata*) in Comotijs Regni 1434. die 2. Januarij publicatam recitat; quâ inter alia, Bohemis & Moravis conceditur etiam *SS. Euchariſtiæ ſub utráque ſpecie uſus*. Hoc tamen obſervato: *debere itâ communicantes firmiter credere, quòd non ſub ſpecie panis, caro tantùm; nec ſub ſpecie vini, ſanguis tantùm; ſed ſub qualibet ſpeciè, eſt integer & totus Chriſtus.* Quæ tamen concordia non poterat tum ſtatim perduci in effectum; eò quòd *Taboritæ & Orphani*, aliíque hæretici, qui Pliſnæ obſidionem continuabant, in eam conſentire, & Pontificis Romani ſummam in Eccleſia poteſtatem agnoſcere nolebant. Primò ijs oppreſſis & deletis, fuit illa triennio poſt, *Iglaviæ*, præſente *Sigiſmundo Imp.* communi omnium, etiam Huſſitarum conſenſu recepta, ſigillisque publicis roborata: de quo infra.

Compactata Bohemis data.

Bohemi Eccleſiæ reconciliantur.

Æneas cap. 51. Cochl. cit. l. 7. Spondan. in Annal. Eccl. an. 1433.

Taboritæ & Orphani conſentire nolunt.

At *Bohemi Proceres*, universáque Nobilitas Bohema & Morava, id ægerrimè tulerunt, quòd ſoli Taboritæ & Orphani pacta concordiæ repudiarent, & ſpretâ Comitiorum authoritate, pro ſua tantùm libidine omnia agere vellent. Quare penitiùs hæc conſiderantes, & præſentem rerum ſtatum commiſerati, ac pertæſi malorum, quæ ſeditioſorum licentiâ magis ac magis invaleſcebant, & quæ jam manifeſtè *in perniciem Patriæ*, ac totale ipſius excidium vergebant; ſeria tandem conſilia agitare inter ſe cœperunt, quid agi maximè, & quâ ratione oporteret, ut poſt tot diras calamitates, quas jam ferè ab

anno

Digitized by Google

anno decimo ſeptimo, aſſiduis bellorum procellis jactati tolerâſſent, perduellibus repreſſis, partâque pace, aliquantùm reſpirarrent, & *dulcis Patria*, â tam atroci perditiſſimorum hominum jugo ac tyrannide eximeretur. Ex his præcipui erant *Alexius de Rizmberg aliàs de VVrzeſtovv, Sſvvibovviæ ſtirpis Dynaſta*, Gubernator Regni tunc conſtitutus, & Collegæ ejus, *Meynbarbardus de Nova domo, & Hynko de Lippa, aliàs de Pirgſtein reſidens in Polna & Ratag, cognomento Ptaczek: Alexius item de Sternberg, aliàs de Holicz, Hanuſſius de Kolovvrat*, (*Friderico fratre* anno præterito, die 15. Julij *in Liebſtein* mortuo) *Czenko junior de VVeliſſ aliàs de VVartmberg*, fratérque ejus *Henricus, Petrus de Janovvicz reſidens in Chlumecz, VVilhelmus Koſtka de Poſtupicz* & alij: primóque omnium placuit Pragam quocúnque modo redigere in poteſtatem, aut adducere ſaltèm in commune conſilium ſocietatémque armorum. Et *VeteroPragenſes* quidem dederunt facilè manus, cùm non minùs ſibi *Taboritas & Orphanos* experirentur graves: at *Novæ urbis cives* amicè priùs quæſiti, ***num pro bono communi, adversùs Taboritas & Orphanos, tot tantisque Patriam afficientes cladibus, unum ſentire vellent;*** cùm protervè reſpondiſſent, *ſe commilitones ſuos deſerere nolle:* (quippe habebant tunc apud ſe *Procopium ducem Orphanorum, & Andream Kersky Capitaneum Tabor.* illum pedeſtrium, hunc equeſtrium copiarum, cum haud contemnenda armatorum manu; quorum præſentiæ ùt plurimùm fidebant, & ob id ſaniora ſvadentibus pertinaciter adverſabantur) molem belli in ſe omnium primò devolverunt graviſſimam. Enimverò Proceres junctis cum VeteroPragenſibus armis, validam irruptionem *in Novam Civitatem* fecerunt; & profligatis, qui reſiſtere conabantur, ac cæteris unà *cum Orphanorum Taborienſiumq; ducibus* urbe ejectis, celeri negotio eam totam occupârunt & Veteri ſub poteſtatem mancipârunt. Ita *qui non paret rationi, compellendus eſt neceſſitate.* Accidit id *die feſto Aſcenſionis Domini,* qui erat VI. Maij, anno 1434. *Krantzius* rem incredibilem memorat, dum *eo die, ad duo & viginti millia hæreticorum concidiſſe* ſcribit. Alij, qui hæc ſpectabant, non niſi ſedecim, vel ad ſummum viginti occiſos numerant. Hoc cognito, *Taboritæ & Orphani, qui Plſnam obſidebant*, rei novitate perculſi, mox obſidionem ſolverunt, & tertio abhinc die, qui erat Sabathi, primo illuceſcentis diei crepuſculo, concrematis caſtris, non ſine confuſione, ità ut fugæ ſpeciem iter illud haberet, receſſerunt Hoſtomicium versùs, inde Przibramum, ac tandem Taborium.

Defenſæ porrò egregia cum laude Plſnæ gloria, potiſſimùm dabatur ex Nobilitate ibidem commorantibus *Sſvvibovvskijs, VVilhelmo, Alexio Juniori & Bertholdo: Hadkoni item de Guttenſtein, Hrdoni de Dubnan in Radina, & Lvviko de Rovvny.* Ex civibus verò, *VVenceslao Ditlikonis urbis Prætori, Joankoni Fegalik Conſuli, VVankoni Naroznik, & Martino Korandæ*, Wenceslai Korandæ Sacerdotis apoſtatæ â fratre Bartoſſio nepoti: viris hoc ipſo dignis, qui cum honore poſterorum memoriæ commendentur. Manet autem ad hoc usque tempus *apud Plſnenſes*, liberatæ hoc modo urbis ſolemnis memoria, & *dies feſtus anniverſarius, nempe Dominicus, diei octavæ Maji*

contra quos tandem Proceres Bohemi cum Vetero Pragenſib. conſpirant.

Nova Civitas Pragenſ. Taboritis adhæret:

A Proceribus caſtigatur, & Veteri ſubjicitur.

Krantz. VVandal. l. 11. c. 33.

MS. Anon. VVeleslab. ad d. 6. Maji. Hagek Kuthen. Drabon ad an. 1434. Cochl. de b. & Huſſit. lib. 8. VVeleslab. in Calend. Hiſtor. Lupac. in rer. Bohemic. Ephem. ad 30. May an 1434. Petr. Codicill. an. & die eod.

Taboritæ Plſnæ obſidionem ſolvunt; & Proceres bello petendos conſtituunt.

Maji

Digitized by Google

Maji proximus, quem cives, & plebs univerſa, omnis denique ætas, ſenes & juvenes, ſummi & infimi, magnâ celebritate, nec minori pietate, ſingulis annis peragunt, protractis ſolemnijs totâ illâ ſeptimanâ, ad Feriam VI. usque. Mihi hoc anno, quo iſta imprimi curo, accidit Solemnitati iſti interfuiſſe.

Qui Procerum partes tuendas ſuſceperunt?

Drabon. ad an. 1434. MS. Anon. Prag. tract. de clade Taborit.

Magni poſtea ac celeres fuêre utrinque ad bellum apparatus. In *parte Fidelium*, quas præmemorati Domini & Proceres tuendas ſuſceperant, acceſſerunt alij adhuc complures: ij præſertim, qui ſyncero patriæ ac communis boni procurandi amore tenebantur: uti *Joannes & VVilhelmus fratres de Ryzmberg cognati Alexij, Heralt junior de Kunſtat, reſidens in Podiebrad, Joan. de Svamberg, Burjanus & Joan. fratres de Guttenſtein, Alſſo de Zeberg, VVenceslaus de Michalovicz Grandis Prior in Strazonicz, cum ſelectiſſima turma Equitum ſui Ordinis; Borſſo de Oſſek Zdenko de Drſſtka, Slavibor Czernin, Protiva de Svvoyſſin, Hadko de Pabienicz, Diviſſ Borzek de Dobalicz VVenceslaus VVarlich de Frimburg, Humprech de* Koczovv, *Petrus Zmrzlik de Svvoyſſin reſidens in Orlyk*, *Beneſſius de Myſſlin propè Mirovvitz, Petrus de Chlumecz, Jakubko de Bozegovv, Beneſſius de Duba reſidens in Kozla, VVilhelmus de Iaroslavicz vice Burggr. Carlſt. Andreas de Stampach, Stephanus Stietina,* W*enceslaus de Skrchleb, Bohuslaus Burggrav. Joannes de Zdiar,* W*enceslaus Strub Burggrav. D. Meinhardi in caſtro* W*ilharticz*, & alij; quisque cum famulitio, & clientibus ſuis armis probè inſtructis. Cives item *Majoris & Min. Civitat. Prag. Plſnenſes & Melnicenſes.* Plurimùm verò momenti ad rem gerendam, & ad ſperatæ victoriæ finem, attulit *Ulricus de Roſenberg*, qui *octo millia peditum, & ducentos equites*, *Nicolao* K*rchlebeczio*, *Chvvalo de Chmelny*, W*enceslao de Brlob*, *Joanne Malovvecz*, *& Joanne Przedenicio ducibus*, *miſit.*

Qui Taboritarum?

Drabon. & Anon. cit.

Pro parte Taboritarum erant, *Robacz de Duba*, *Zagimacz de Kunſtat aliàs de Geviſſovicz*, *Marſſo* K*rſſniak*, *Pardus ab Horka*, *Janek de Ruſſinovv*, W*anko Sokol Nicolai frater.* Civitates item regiæ penè omnes: *Hradecium Regina, Litomericium, Kuttna, Zatecium, Launa, Slana, Beraună, Kurima, Kolina, Czaslavia, Nimburgum, Jaromira, Trutnovia, Curia Regina, Alta Muta, Clatovia, Domazlicium, Piſeka, Suſſicium,* W*odniana*; & quæ Archi-Epiſcopalis erat, *Broda Bohemica*, & Præpoſiti Wiſſehrad. *Prachaticium.* Conabantur quidem aliqui *Procopium*, obviam ei *Launovicium* usque profecti, pacis & amicitiæ oſtentatione delinire: ſed â contumaci ipſius ingenio, atque implacabiliter improbo, non niſi minas & extrema quæque retulerunt; quippe *tyrannum non compoſueris, niſi oppreſſeris.* Prævaluiſſe tandem *Fideles*, ùt causâ, ità viribus & fortunâ, paulò poſt eventus docuit. Cùm enim die 30. Maij, quæ erat *Dominica poſt Feſtum Corporis Chriſti*, ſibi invicem occurriſſent planicie latiſſimâ, & ad prælium aptâ, *inter Brodam & Kaurzimam*, itémque pagos *Lippany inter & Hrzibum*, ac infeſtis utrinque animis certamen inijſſent; factum eſt, *Deo Opt. Max.* haud dubiè, juſtiori cauſæ patrocinante, ut *Taborita & Orphani ſpatio temporis, quo*, ùt Drahonicius refert, *vix Pſalmus 50. abſolvi poſſet*, nequeuntes ſufferre noſtrorum vim, pedem ex acie, turbatis

ad prælium ubi ventum,

ordi-

ordinibus referre cogerentur: dúmque ſubitâ perculſi formidine (ùt rebus deſperatis fit) ſeſe intra ſepimenta curruum recipere contenderent, Proceres celeritate uſi, tanto cum impetu incubuêre cedentibus, ut non potuerint opportunè claudi curribus: quin prælio intra currus redintegrato, *& Procopio utroque* in ipſo fervore pugnæ cæſo, reliqui vel etiam internecioni ſunt dati, vel capti. Conabatur quidem *Procopius Major*, utì erat vir fortis,& periculorum hactenùs omnium contemptor, magno conatu reſtaurare prælium, tanto ardore & ferociâ pugnans, ut propè in rabiem quandā verti videretur; ita námque fit, *dum cadit ſpes, ſpe ipsâ ferocior ſurgit deſperatio:* ſed fruſtra. Multos tamen ma chærâ ſua ingenti proſtravit priùs, quā ipſemet cecidit. *Czapek & Kerſky*, aliíque equeſtrium copiarum duces, cùm primùm nutare peditum ſuorum aciem vidiſſent, metu correpti, nec primum *Roſenbergenſium equitum*, qui ſelectiſſimi & præ alijs pugnaces habebantur, impetum ſuſtinuerunt, ſed confeſtim relictis curribus & peditibus, effuſam fugam capeſſere, & *pars Kolinum*, *pars Brodam*, & quò quemque ſors tulit, profugere feſtinârunt. In fuga tamen aliqui cæſi: aliqui retracti: inter quos *Zagimacz Geviſſovicz*, *Giram Uſſaty*, *& Mareſs Krſſniak* numerabantur. *Peynius & VVenceslaus Koranda* jam ætate ingraveſcente, aliíque tres primarij pſevdopresbyteri, ad ſuffocandum aquis damnati, vix operâ & auxilio *Koſtka ac VeteroPragenſium*, exitium præſens evaſerunt. Sunt quidem nonnulli, *qui etiam Procopium Raſum in prælij ardore captum, ac demum in profundo carcere arcis Wartembergenſis fame enectum velint;* alij tamen, iique probatioris notæ, occiſum omnino in prælio aſſerunt: de quo facinore tanquam â ſe patrato, *Koſtka* gloriari ſolebat. Nec deſunt, qui affirment, *Czapkonem dolo ceſſiſſe, peditatúmque ſuorum, ſtatim ſub initium prælij ex conſtituto deſeruiſſe;* pertæſum jam & ipſum malorum quæ fierent; ac inſuper Procopio utrique, ob inſignem crudelitatem, & quòd pro libitu ea ſolùm agi permitterent juberéntque, quæ vellent, ex æmulatione, ùt fit inter duces, malè affectum. Utut ſit: *Kolina ſtatim tertio die Catholicis per ipſum tradita, contradicentibus licèt alijs, tum quòd à Proceribus Regni tam citò fuerit in familiaritatem admiſſus, in legatione ad Sigismundum, primò Ratisbonam hoc ipſo anno, menſe Augusto, deinde ſequenti Brunam, cum alijs præcipuis adhibitus, poſterum etiam honoribus multis cumulatus*, ſuſpicionem aliquam faciunt.

Taboritæ & Orphani ad internecionem cæduntur & delentur.

EquitesTaborit. & Orphanorum diffugiunt.

MS. Anonym.

Procopius uterque in prælio occiſus.

Dubrav. ad an. 1434. Zidek in MS. Chron. MS. Anon.

Sed pro clariori (ſiquidem præſens *Fidelium Bohemorum* victôria huc quoque facit, vel ex eo, *quòd Moraviam ab ulterioribus Taboritarum & Orphanorum incurſionibus exemiſſet*) Æneam Sylvium de hoc fuſiùs diſſerentem audiamus, qui ſic refert: *Dum hæc aguntur* (inter Concilium & Bohemos) *Taboritæ & Orphani Mainardo, cæteriſque Nobilibus infenſi eſſe cœperunt, eorúmque ſuſpectas actiones habere, tanquàm Concilio auſcultarent. Neque vana opinio. Convenêre námque ſæpè inter ſe Barones, errorem ſuum recognoſcere, miſeros ſe dicere: qui quùm regis imperium abdicaverint, Procopij jugum ferant: illum Dominum eſſe, illum pro ſua libidine provinciam regere, vectigalia exigere, tributa imponere, delectum habere militum, exercitum quò velit ducere, rapere, ſpoliare, occidere; nullum pati, qui ſuis conſilijs adverſetur,* nobi-

Æneæ Sylvij de hac clade relatio.

Æn. Sylv. Hiſt. Bohem. cap. 51.

Proceres Bohemi non ampliùs ferendam tyrannidem Taboritarum cenſent:

Digitized by Google

nobiles juxta atque ignobiles ei mancipia eſſe; nullum hominum genus infelicius eſſe Bohemis, quos ſemper in caſtris verſari oportet: æſtates atque hyemes ſub divo agere, in duro jacere ſolo, arma in omnes horas verſare, nunc civilibus bellis, nunc externis agitari, aut bellum geri, aut belli metum impendere. Excutiendum tandem crudelis tyranni jugum, neque ferendum, ut qui cæteras gentes armis vicerint, Procopio ſerviant. Placet accerſire publicè conventum procerum & civitatum, in quo regni ſtatus reformetur. In eo Mainardus ei regno benè eſſe dicit, in quo neque per ocium marceant homines, neq; per bellum atterantur. Bohemos hactenus expertes fuiſſe quietis; attritum aſſiduis calamitatibus regnum: periturum brevi, niſi occurratur: incultos jacere agros: homines atq; armenta ſenſim deficere: id accidere, quòd omnia in poteſtate unius ſita eſſent, qui ſine conſilio procerum civitatúmque, pro ſuo arbitrio rem gereret. Illi ſalubre bellum eſſe: nam ſi paci locus ſit, imperium ejus ſtatim caſurum. Deligendum unum eſſe ex nobilitate ducem, cujus poteſtas annua ſit, nonnullósque ei adjungendos, quorum conſilio domi bellique Rempublicam adminiſtret. Ne verò uſurpare ſibi Barones imperium viderentur, ex media nobilitate aſſumendum ducem conſuluit. Itum eſt favente conventu in ſententiam Mainardi, Alexius Riſinburgenſis antiquæ nobilitatis homo, ſed tenui cenſu, dux gentis declaratus, quem Capitaneum vocavêre. Cæterùm majeſtatis inſignia penes eum fuêre, authoritas apud Mainardum extitit. Procopius his cognitis, Orphanos & Taboritas in expeditionem ducens ad urbem Plznam, quam fideles incolebant, caſtra ponit, atque undecim continuis menſibus pertinaci obſidione, crebriſque oppugnationibus urget. Oppidani extrema omnia paſſi, ac jam fame pereuntes, ad Synodum Baſilienſem miſêre oratum, ne fidelem urbem in manus hæreticorum pervenire ſinerent. Patres, quibus non eſſet publicum ærarium, ex privato argento Symbolum dedêre, auri octo millia numûm Mainardo mittentes, qui collecto exercitu ſubveniret obſeſſis. Per id tempus, ea pars Pragæ, quæ Nova civitas appellatur, ab Orphanis impoſito præſidio tenebatur; cujus præfectus erat presbyter Lupus Rochezana infeſtiſſimus: adversùm quem prædicando plebem incitabat. Ille in Veteri Civitate apud ædem Sanctæ Mariæ ante latam Curiam habitabat, Lupúmque ſuis & ipſe ſermonibus probroſiſque maledictis lacerabat. Ob quam rem creſcentibus odijs, clauſerunt Orphani aditus Veteris Civitatis in Novam: turréſque ligneas plurium tabulatorum erexêre, quibus oppidanos in adverſa civitate miſſilibus infeſtarent. Eâ occaſione uſus Alexius, convocatâ nobilitate, nihil eſſe imperium ſuum dicit, quod Taboritæ Orphanique contemnant, regnum maturè periturum, niſi magiſtratibus pareatur. Rogat Proceres in medium conſulant. Placet omnibus cum ea manu militum, quam Mainardus comparaverat, Pragam peti. Nec morati, veterem civitatem ingrediuntur, ligneas turres amoveri, parereque omnes Alexio jubent.

Ideóque publico Conventu habito, contra illos conſpirant:

quo audito Procopius obſidioni Plſnæ tanto fortiùs incumbit.

Plſnenſes auxilia à Concilio Baſil. petunt; quibus Patres 8000. aureorum mittunt.

Diſſidium inter Veterem & Novam urbem Prag. authoribus Orphanis,

quod tandem erupit in civile bellum.

Negant Orphani ducem eſſe, quem neque ipſi, neque Taboritæ ſuſcepiſſent. Fit tumultus, committitur in urbe prælium. Lupus ubi ſuos cedere animadvertit, pluréſq; cadere, ſalutem pedibus petijt. Disjectæ turres civitatis omnes,

in

in poteſtatem Alexij facta. Plznenſes re cognitâ, Procopio è muris illudere, hortari ſuis civibus opem ferat, alienos ne laceſſat. Stultum eſſe eum, qui ſua teneri nequeat, infeſtare aliena: niſi ſuopte ingenio ab obſidione diſcedat, venturos brevi proceres, qui nolentem cogant. Ficta ea Procopius credere, atque oppidanis ad ferendam fortiùs obſidionem blandimenta oblata. At ubi certum nuncium de geſtis Pragenſibus accepit, ſolutâ mox obſidione, plenus irarum, cum omnibus copijs versùs Pragam iter dirigit. Properanti communes amici occurrunt, de pace inter eum & nobiles agunt: diviſum inter eos regnum ſtare non poſſe, conſulendum communi quieti, neque concordiam ſine viribus, neque vires ſine concordia ſufficere: civitatibus ejus populi inexpugnabile munimentum eſſe, qui concordib. animis arma tractaret: lites ex arbitrio ducis componi poſſe, delectis ex utrâque parte pari numero viris, quorum conſilio leges pacis dicerentur. Procopius demum ità ſe pacem habiturum reſpondet, ſi nova Praga ſibi reſtituatur: ſi munitiones dejectæ reficiantur: ſi Plzna eo in ſtatu reponatur, in quo fuerat ante diſſolutam obſidionem: nam commeatus jam eo importati fuerant. Nobiles ubi res factu difficilimas peti vident, Procopiumque vincula, verbera, cædes minari, cùm aliâ viâ pax inveniri non poſſet, armis decertare conſtituunt. Relictâ itàque civitate, cujus nutare animos non ignorabant, obviam hoſti pergunt. Ventum eſt ad locum inter Brodam Bohemicam & Kurzim, quatuor millibus, & quingentis paſſibus à Praga diſtantem, in agris latè patentibus. Ubi currus contra currus incurrunt, & ſublato clamore, alteri alteros contumelioſè compellant. Decreverat Procopius haudquaquam pugnæ copiam facere, niſi ex occaſione prærogativa daretur. Erat ei animus rectâ viâ Pragam petere, ubi non dubitabat novam Civitatem ſibi portas aperturam. At equitatus Nobilium munitiones ejus prætergreſſus, dum fortè ultimam portam apertam videt, raptim ingreditur, cædemque magnam facit. Hoſtes improviſo malo præventi, quid agant neſciunt. Trepidatur totis caſtris: inſolita res terrorem auget: Neque enim intra munitiones curruum intrâſſe priùs equites aliquando viderant. Cæduntur paſſim pedites, fit fuga, apertâ in altera parte mole quadrigarum. Inſtant nobiles, ſternuntur ubique fugientes. Procopius ubi ſuos retinere non poteſt, nec audire hortamenta periculum metùsque ſinit, inter confertiſſimos hoſtes dilapſus, cum coborte, quam ſibi ex fortiſſimis magis quàm amiciſſimis delegerat, aliquandiu hoſtis impetum ſuſtinet: multiſque cæſis, victoriam penè hoſtibus eripuit. Sed circumventus multitudine equitum, non tam victus, quàm vincendo feſſus, telo in incertum miſſo transfoditur. Pari modo & alter Procopius, quem minorem appellari diximus, in eodem globo fortiter pugnans occumbit. Atque is finis duobus illis pernicioſiſſimis ac deterrimis monſtris fuit. Sic Taboritarum & Orphanorum ſcelerati exercitus invicti priùs, victi ac deleti ſunt. Procopium Raſum quis occiderit, ignoratum eſt, quamvis Koſtka, de quo ſuprà meminimus, id facinus honeſtum, dignumq; præmio ſuum dixerit, qui tum partes nobilium ſequebatur. Primus ejus victoriæ author habitus eſt Mainardus, poſt eū Ptatskonis ma-

Nova urbs redigitur ad obſequium.

Procopius obſidionem Plſnæ ſolvit, & irarum plenus, ſpretiſq; oblatis pacis conditionibus, contra Proceres, toto cum exercitu, vadit.

Prælium committitur:

Taboritæ [illegible], & intra currus ſeſe recipere feſtinant;

ſed inſtantibus è veſtigio Proceribus, magnâ clade profligantur.

Procopius uterque occiditur.

Prima victoriæ laus, penes Meinhardum de Novadomo.

magna virtus viſa. Czapko verò, qui Taboritarum equitem ductabat, rei militaris apprimè peritus, & qui multis aliquando damnis Prutenos affecerat, & à rege Poloniæ vocatus, usque Gedanum & mare Baltheum, victorem exercitum, duxerat, ex hoc prælio dilapſus, cum magna parte equitatûs, in Coloniam ſeſe recepit. Confecto bello cùm multa millia captivorum eſſent, Mainardus concilio procerum accerſito, perdere peſſimam plebem ſtatuit, quæ nutrita in armis omnem ætatem in caſtris egerat, nec ſub legibus victura crederetur, rapinis & cædibus atque adulterijs aſſveta; quâ ſtante, pacatum regnum ſtare non poſſet. Sed veritus, ne ſimul innocentes interficeret, qui ex agris coacti ad pugnam venerant, voce præconis edici jubet; nondum bellum peractum eſſe, fugiſſe Czapkonem, Coloniam expugnari opportere, vicinâſque per circuitum gentes, quæ regnum popularentur, armis domandas. Ad eam rem neceſſarios, qui ſub Procopijs militâſſent, viros fortes, & in bello exercitatos: decretum eſſe eis ex publico ſtipendium, donec regnum pacaretur. Proinde omnes, qui ſtipendia facere vellent, in borrea ſeſe proxima reciperent; caverent, ne rudes inexpertóſque belli ſecum admitterent: illos ſua rura, ſuóſque lares repetere poſſe. Introierunt borrea, quæ apud Bohemos in villis ex maceria culmo tecta frequentia ſunt, pleráque Taboritarum & Orphanorum millia, homines nigri, ad ſolem & ventum indurati, aſpectu tetri atque horribiles, & qui circa fumum in caſtris vixiſſent, aquilinis oculis, impexo crine, promiſsâ barbâ, corporibus proceris, membris hiſpidis, cute adeò durâ, ut ferrum quaſi lorica repulſura videretur. Clauſa ſunt confeſtim oſtia, & ignis immiſſus horreis, quo fex illa & colluvies hominum, ignominioſum agmen, poſt multa, quæ patraverat ſcelera, exuſta, contemptæ demum religionis pœnas dedit. In hunc modum exercitus ille *Dijs & hominibus inviſus*, ijsdêmque Dijs & hominibus plaudentibus, ultimâ clade eſt deletus; ità ut exinde diſcamus, *ſupereſſe ſcelerum oſorem, ſimul & acerrimum ultorem Deum.* Apparuit quoque *Bohemos, niſi à Bohemis*, vel ipſo Imperatore Sigismundo teſte, *non facilè edomari poſſe.*

Equitatus Taboritarum Kolinam profugit.

Ex captivis promptiores juſſi, ut ad partem ſeceſſerent, quaſi nova ſtipendia accepturi,

& incluſi in horrea comburuntur: potiori ex parte illi, qui vocabantur Baoſalicſſtj.

Daubrav. l. 27. Cochl. l. 8.

CAPUT V.

Profligato Taboritarum & Orphanorum exercitu, Sigismundus Imp. ad Regni Bohemiæ clavum admittitur, bellúmque civile utcúnque componitur.

REdierat non ita pridem (ùt jam dixi,) *Imperator ex Italia Baſileam*, & poſt conciliatum *Patribus Synodi* Eugenium IV. cùm debellatos jam eſſe perduelles in Bohemia audiviſſet, datis ad Catholicos Proceres *Ulmâ* literis, benevolentiâ plenis, ijs victoriam eſt gratulatus; & ut ſe in Regem, tanquàm legitimum patris ac fratris hæredem, pacificè tandem ſuſciperent, per legatos *Ulricum* *de*

Sigismundo Imp. ex Italia redux,

de Roſenberg, *Putam de Czaſtalowicz*, *Zbynkonem Zagicz & Arneſtum de Wlaſſim*, Pragam miſſos, & in publico Conventu 30. Julij auditos, comiter ac benignè moneri juſſit.

a Bohemis Ratisbonæ obvijs ſalutatur.

Inde Ratisbonam per Danubium veniens, obvios habuit Bohemorum legatos: *Meinhardum Novod. Ptaczkonem*, *Czenkonem de Wartmberg*, *Koſtkam*, *Joan. Smirzicium*, *Czapkonem*, *Sokol*, &c. qui nomine omnium Regnicolarum, ei de felici reditu, & de adepta *ſuprema Auguſtali dignitate* gratulabantur, ſimul & Regem ſuum ſalutabant: â quò porrectâ dextrâ, magnâ cum benevolentiæ ſignificatione excepti ſunt, & ob propenſa in ſe ſtudia, fidémque, quam præſenti ſuo obſequio teſtarentur, collaudati. Narrant fuiſſe ibi renovatas cum Legatis Concilij, qui ſtatim poſt Imperatorem eò advenerant, concertationes graves, coram Imperatore, ſeorſim tamen habitas; potiſſimùm verò *de Communione ſub utraque ſpecie*, ad quam Bohemi (haud dubiè *Koſtka*, *Czapko & Sokol*, in hæreſi obſtinatiores) contendebant, omnes omnino Bohemos etiam Catholicos, quantumvis non eam peterent, debere compelli, ídque ad vitandas & tollendas omnes in religione diviſiones. Quod tamen â Legatis, tum ab ipſo Imperatore eis negatum eſt: ſicut etiam ingreſſus Eccleſiæ cum Catholicis, & ſepultura Eccleſiaſtica, uni ê comitatu ipſorum ſub id tempus ibi mortuo. Vocatos deinde Imperator in penitius conclave, & ſolos abſque arbitris, gravi ſermone hortatus eſt: ut ab inſolentibus hujusmodi poſtulatis, quæ non niſi ciendis majoribus turbis anſam darent, abſtinere vellent, & initæ religionis causâ *Concordiæ*, â Concilio oblatæ, & jam etiam certis pactorum legibus ſtabilitæ, acquieſcerent: promittens ſe eandem etiam *authoritate Cæſareâ Regiâque* confirmaturum, & ut pariter alia bono fine terminentur, curaturum; dummodò illi ea, quæ in reducendo ſe in Regnum polliceantur, maturè fideliterque exequantur. Hoc modo iterum atque iterum vocatis, & ſenſim compoſitis, ac tandem dimiſſis Bohemorum legatis, *Sigiſmundus* in Hungariam, ut ibi priùs ſeditionum turbas, quæ per diuturnam ſuam abſentiam, regiorúmque diſſimulationem, latiùs indies aſſurgebant componeret, ſecundo flumine navigavit.

Acta Conc. Baſil. Navarr. Spondan. in Annal. Eccl. an. 1434. §. 11.

hortatur Bohemos ad concordiam univerſalem & pacem.

Drabon. ad an. 1434. MS. Anon. an. eod.

Diſceſſerunt Pragâ legati *in feſto S. Laurentij*, & redierunt Ratisbonâ, ùt refert Drahonicius, *circa feſtum S. Wenceſlai*; ſtatimque juſſu *Alexij Gubernatoris Regni*, comitiorum dies indicta, pro XII. Octobr. vocatíque in deliberationem communem, etiam *Taboritarum ac Orphanorum*, qui ſupererant, ductores. Quos tamen fuiſſet meliùs, non vocâſſe; cùm per illos, & Sacerdotes illorum homines turbulentos ſteterit, quò minùs *de admittendo Sigiſmundo in Regnum*, pleniùs inter omnes conveniri potuerit: ita ut Gubernator poſt ſolutum infectis rebus conventum, videns authoritatem ſuam abſque viribus exiguam eſſe, aut prorſus nullam, & â perditiſſimis hominibus, apud quos nullus jam ampliùs eſſet juſti honeſtique reſpectus, etiam contemni; erectus animo, ſtatuerit tandem remedia ab armis petere, & vim extremáque adhibere omnia, ad ſeditioſorum contumaciam ſeriò profligandam: ſatis interim, ùt multi interpretabantur, invitus, eo quòd publicam tranquillitatem, poſt

Sacerdotes Taboritarum, & Orphanorum tumultuantur.

ad quos compeſcendos, Gubernator Regni Aleſs Sſwihowſký militem conſcribit;

tot calamitates & ærumnas, denuò turbari doleret; & ſuâpte etiam naturâ pacis & ocij, quàm belli amantior. Communicato igitur conſilo cum *Meinbardo*, *Ptaczkone*, *Alexio à Sternberg*, *Hanuſsio à Kolovvrat*, & alijs ſyncerioris in Patriam mentis; iiſque id ipſum haud cunctanter approbantibus, ac inſuper ſvadentibus; ad deterrendos alios, maturè facto opus eſſe: ſine mora militem tam Pragæ, quàm alibi conſcribi jubet, commiſsâ rei curâ *Diviſsio Borzek*, *& Joanni Czabeliczsky*, viris militaribus, & navandæ operæ cupidis. Simul certos homines ad *Ulricum Roſenſem* mittit rogans, ut & ille cum ſuis clientelis, quas in obſequio & poteſtate habebat, arma contra rebelles impios, paciſque publicæ perturbatores quantocyùs expediat. Sed is animadverſâ novâ ſeditionis tempeſtate, & in Taboritas dudum malè animatus, *Kreblebecio*, & alijs copiarum ducibus jam ante in mandatis dederat; ut cum ſuis parati eſſent, intentique in omnes occaſiones, hoſtium conſilijs & conatibus è propinquo diligenter invigilarent. Nihil tamen hoſtile ab inquieta illa perduellium plebe motum fuit, non quòd animus viréſque defuerint, cùm multæ civitates regiæ, uti *Regino Hradecium*, *Czaslavia*, *Launa*, *Zatecium* &c. cum ijsdem ſenſerint: ſed quia nemo ducem novæ ſeditionis agere voluit, *Kerskio & Czapkone* jam mutatis, & ad ſaniora conſilia reductis: *Robaczio* quoque rebus ſuis potiùs, quàm alienis intento; *Bedrzicho* autem, in quo alias *Taboritæ & Orphanorum reliqui*, ſpes ſuas collocabant, paulo ante *in Sileſia*, infelici caſu, à quodam militaris quoque & Equeſtris Ord. viro *de Hain*, egregiâ fraude circumvento, & cum ſocijs, centum & octoginta equitibus capto, atque VVratislaviam in cuſtodiam abducto.

illóſque à novandis rebus abſterret.

Dubrav. an. 1434. Curaus. MS. Anon.

Jam Gubernator quinque millia peditum ſub ſignis habebat, ac totidem turmas equitum: cum quibus eodem adhuc autumno Kolinam aggredi & oppugnare decrevit, tum ut W*ankonis Lacembok de Chlum* (Slavatæ) *generi ſui* indignam cædem ulciſceretur, tum ut civitatem opportuno loco ſitam, & nuper ſibi flagitioſiſſimè ereptam, recuperaret. Suprà dixi *Czapkonem* tertio ſtatim die, poſt Taboritarum & Orphanorum cladem, *Kolinam* Gubernatori ceſſiſſe; quam ille regendam tuendámque commiſerat præfato genero ſuo *Slavata*, cujus fidem, integritatem, prudentiam & induſtriam ſæpe antea in rebus difficilimis perſpexerat & probârat. Sed cui nova in præfectura, manſio diuturna non fuit: cùm enim *pro Catholicæ Religionis*, *cujus erat obſervantiſſimus*, *Zelo*, mox ſuſceptâ urbis curâ, Orphanorum ſacerdotes templo Parochiali ejectos, à functionibus deturbâſſet; ac poſtmodùm etiam (*eò quòd ſeditiosè petulantérque agere non ceſſarent*) ex civitate abire juſſiſſet, ſubſtitutis in eorum locum Catholicis: immane odium atque invidiam apud fautores illorum, tum ipſoſmet cives, qui jam potiori ex parte novarum opinionum ſcabiè infecti erant, ſibi conflavit; id quod etiam approperatam *viro præſtantiſsimo* perniciem haud multo poſt attulit, ex itinere dum K*onarovicio vicino caſtello*, quò à *Drslao* W*ratislavv* loci Domino invitatus fuerat, rediret, jámque ſuburbanis prædijs appropinquaret, *à ſatellitibus Robaczij*, ùt aliqui dicebant, (alij, *cives fuiſſe*, alij utróſq; volunt) improviſo impetu, cum

VVenceslaus Slavata cognom. *Lacembok*, ex odio Religionis Cathol. occiditur.

MS. Anon. ad an. 1434. Chron. Regino-Hrad. an. eod.

ſuo

Digitized by Google

ſuo toto comitatu obruto, & occiſo. Cujus cædem ſequuta è veſtigio etiam in civitate præſidiariorum ſtrages: ex quibus nonnulli, præſertim inſolentiores antè, qui civibus fuiſſent importuni & graves, interfecti; reliqui omnibus rebus ſpoliati, & ejecti.

MS. Chron. Regino Hind. & Anon. ad an. 1434.

His igitur magnis & juſtis de cauſis Gubernator motus, civitatem rebellem & contumacem caſtigandam ſuſcepit; luſtratóque exercitu, & deſignatis tribunis, ac reliquis obſidioni neceſſarijs, *Borzekum* cui omnium copiarum imperium attribuerat, ad eam invadendam, atrique obſidione circumvallandam ire juſſit, cum mandato: *operam daret, ut priusquàm adverſæ hyemis tempeſtates ingruerent*, civitatem in poteſtate haberet. Sed inclinato paulo poſt autumno in ſævam hyemem, nihil factum: obſidio ſoluta, copiæ dimiſſæ, conceſſúmque omnibus, ut quique ad hybernas ſuas ſtationes reverterentur. Nihilominùs anno ſequenti, cùm cives nihilo mitiores inſultarent magis, & ſubinde urbe egreſſi, vicinis multa inferrent detrimenta, & Catholicos quaſi per contemptum laceſſerent: *Borzek*, qui jam tunc *à Pragenſibus Majoris Civitatis, in præfectum*, ſeu, ùt nominat illum *Drabonicius*, in *Burggravium* aſſumptus erat, ad obſidionem, Gubernatoris juſſu, initio menſis Maji redijt, ſtipatus etiam *Pragenſium copijs*, ac omni apparatu bellico, maximè pro expugnandis urbibus neceſſario, probè inſtructus. Cui acceſſit etiam *Joannes de Ruſſynovv Moravus*, qui ſub id tempus caſtrum *Lichtmburg* tenebat, cum ducentorum & viginti peditum cohorte; *Hynko* item *Slavata*, frater Laczenboki occiſi, cum centum peditibus, & quadraginta equitum turma. Et tunc ab obſidione non deſtitit, donec obſeſſos, per duos continuos menſes oppugnatos, & ità undique circumdatos, ut nemo prorſus foras elabi, nec ſecundo flumine, potuerit, ad deditionem compulit. Civitati quidem venia data, ùt juſſit Gubernator, nulláque domus direpta; quamvìs civium opulentia invitaret, & contumacia mereretur: cives tamen exarmati omnes, miſsíque per domos, qui arma teláque omnia colligerent, & *in monaſterium Dominicanorum*, (Religioſis jam dudum in exilium actis) comportarent. Tum in rebellionis principes, ac imprimìs cædis *Laczenboki*, viri innocentiſſimi, conſcios quæſitum; ex quibus quotquot inveniri potuêre, ſupplicio affecti ſunt. *E Taboritis* verò, & *Orphanorum reliquis*, qui ſeſe eò receperant, & quorum haud exiguus erat numerus, omnes in carcerem protinus conjecti, juſsíque Gubernatoris, partim *in Albim* ex ponte præcipitati, partim ſuſpendio necati: ità ut tunc primùm *Orphani totaliter deleti* eſſe videantur.

Kolina obſidetur ſemel,

atque iterum,

Drabon. ſupra cit.

& ad deditionem compellitur.

Inquiritur in reos cædis Laczenboki.

Haud multo ante *Ptaczko Lippaus*, caſtrum *Oſtromecz*, Taboritarum nidum, ex quo *Bechinenſem diſtrictum*, *Kaurzimenſémque*, quotidianis penè excurſionibus infeſtabant graviter, obſedit. Cui dum alij quoque viri illuſtres acceſſiſſent in ſubſidium: *Aleſs de Sternberg, Beneſs de Duba, Nicolaus de Zvvikovv, cum gentibus* (ità loquitur Drahonicius) *Ulrici de Roſenberg, & Jacubko de Boziegovv, D. Perchta vidua de Konopiſſt Burggravius: Jenetz item de Petrſpurg cum 50. equitibus, & 200. peditibus; Hanuſſius de Kolovvrat, cum 125. equitibus, & 300. peditibus*; obſidio arctior eſt inſtituta, arxque repetitis

Oſtromecz Taboritarum expugnatur.

Ffff

titis vicibus ab omni parte oppugnata: donec præfectus præſidij, (*Philippus* quidam, ab eadem arce cognomen nactus *Oſtromeczky*) ad reſiſtendum impar, & auxilij conſiliique inops, de deditione proloqui cœpit; obtinuitque, ut traditâ arce, cum ſuis omnibus, ſalvis rebus & capitibus, Taborium migrare poſſet. Sub id tempus etiam *Przibenicium* (alter nidus Taboritarum) â *Krcblebecio Malovecioque*, copiarum *Ulrici Roſenſis* ductoribus, viris ſtrenuis obſeſſum, & ad deditionem coactum fuit: quod paulo poſt ſequuta, *Lomnicium & Kamenicium*. Odio námque in Taboritas flagrabat ingenti *Ulricus*, propter *Sobieslaviam*, oppidum ditionis ſuæ, ab ijs paulo ante, repentino impetu captum & direptum: quo caſu etiam civium præcipui fuêre Taborium abducti. Ultimò Taboritæ, videntes tot amiſſis arcibus, opes viréſque ſuas multùm ſuccìſas, timidiùs agere, mitioráque conſilia ſequi; non ampliùs inſoleſcere, nec vicinis inſultare, ſed comiter & pacatè ſeſe gerere, facta excuſare, eáque in paucos quoſdam turbulentos & ſeditioſos transferre; captivos Sobieslavienſes & alios reſtituere: pacem denique, & omnia deinceps quieta polliceri. Ità *quæ nocent, docent.*

Przibenicium item, Lomnicium & Kamenicium.

Taboritæ mitiores.

MS. Anon. Drahon. ad an. 1435.

Jam *Sigismundus*, ordinatis in Hungaria rebus, ad Cal. Junij *Brunam*, cum *Alberto Archiduce* venit: ubi denuò comparuerunt legati Bohemorum, magno numero: *Meinhardus*, *Ptaczek*, *Hanuß*, *Aleß de Sternb. Haſſek de VValdſtein*, *Arneſtus de VVlaſſim*, *Joannes de Smirzicz*, *tunc tenens* (ità Drahon.) *caſtra Bezdiezy*, *Helfnburg*, *Raudnicz*, *Hauskam*; *& Jacubko de Moravia*, *aliàs VVrzeſovecz dictus*, *tunc tenens Bilinam*, *Koſtomlaty*, *Kirſperg*, *Zluticium*, *Teplicium*, *Auſtam*: *Rokytzanus*, *VVenceslaus de Drachovv*, *Bohunko de Chotzna Sacerdotes*: & aliquot præcipui cives Pragenſes: (Borzek & Ruſſinovius, primò poſt occupatam Kolinam ijs acceſſerunt) parata jam in Regno cuncta eſſe nunciantes; nilque reſtare, niſi ut Cæſar, Communionem utriúsque ſpeciei â Concilio Baſil. conceſſam, ác præterea pauca quædam, ſuo quoque verbo regio, & diplomate ſolenni rata habeat atque confirmet; eóque modo conſcenſo Regni ſolio, pacem & tranquillitatem publicam præſentiâ ſuâ ſtabiliat. Aderant præſentes multi alij *Proceres Bohemi & Moravi*, viri pace bellóque præſtantes: W*enceslaus de Kravarz*, *Joannes de Corſtein*, *Albertus de Sternberg* &c. quorum omnium tanta erat ad compoſitionem ineundam, terminandáque belli civilis incommoda propenſio, ut ad quaſcúnque tandem conditiones deſcendere minimè dubitandum exiſtimarent, dummodò poſt tot funeſtas clades, optata pax confici poſſet.

Sigism. Imp. Brunam venit:

ubi comparent etiam Bohemorum,

Adfuêre etiam *Concilij Legati* ijdem, qui antea *Pragæ Ratisbonæq;* ubi Bohemis, præſertim verò Sacerdotibus, hominibus inquietis, & *facundis malo publico*, alia poſt alia, in explicanda *formula Compactatorum* dubia proponentibus, rurſum fuit in præſentia Imperatoris, menſe Junio & ſequenti, ùt narrat, qui aderat *Ægidius Carlerius Decanus Camerac.* unus ex Legatis, magnâ contentione diſputatum. Ultimò æquiora & modeſtiora ſvadente *Meinhardo*, & alijs, eò ventum, ut Bohemi in libello, ſeu *formula Concordiæ* peterent emendari ſolùm clauſulam illam, quâ circa Bona Eccleſiaſtica aſſerebant Legati:

& Concilij Baſilenſis Legati.

in Actis Legation. ad Bohem. apud Spondan. in Annal. Eccl. an. 1435.

Nova difficultas emergit:

gati: *non poſſe ea ab alijs urſurpari*, *absque ſacrilegij reatu.* Ejus proinde locò volebant ſimpliciter poni: *non poſſe ea ab alijs injuſtè detineri*; eò quòd aliàs per clauſulam illam, ſi relinqueretur, ſe ſacrilegos confiteri viderentur. Utriſque in ſua ſententia perſiſtentibus, interpoſuit ſeſe Imperator; & ne poſt ſuſceptos tot labores & tædia, jam propter hanc ſolam difficultatem, negotium præſens careret optato ſuo exitu, cenſuit, ut quidam ex Legatis Baſileam redirent, ad ſciſcitandam ſuper ijs Concilij determinationem; reliqui interea Viennæ expectarent. Miſsúsque eſt *Palomar*: & *dies S. Nicolai*, ad quam denuò convenirent *Alba Regia in Hungaria*, tam Concilij, quàm Bohemorum legati, deſignata. Poſt hæc, *Praga in Collegio Caroli IV. die S. Matthai Ap.* fuère Comitia magno Nobilium concurſu, præſentibus *Moravorum legatis*, celebrata; & alia, *in feſto S. VVenceslai*: in quibus poſt deliberationes multiplices, (cùm plerique nihil magis in votis haberent, quàm pacem,) iterum concluſum, ut Sigismundus ſuſciperetur in Regnum, nominatique ex omni Ordine, qui in Hungariam, pro die novo Conventui deſtinata proficiſcerentur; ac inter alios, quatuor Sacerdotes præcipui, quibus commiſſum per ſpeciale mandatum, ſcripto datum, ſigillóque Regni munitum, *ut nomine totius Univerſitatis Bohemorum & Moravorum, legatis Concilij ſeſe reverenter præſentarent, & Sancta Matri Eccleſia, ſanctaq; Sedi Apoſtolica obedientiam promitterent.* Juvat hìc copiam ipſam Mandati legere.

ad quam componendam, alius Conventus, *Albam Regiam* in Hungaria deſignatur.

Bohemi & Moravi pacis cupidi.

In Dei nomine. Amen. Nos, Aleſs de Rizmberg, aliàs de Wrzeſstovv, & Sſvvibovv, Gubernator Regni Bohemia: Barones, Nobiles, Milites, Clientes; Praga civitas, ac catera Civitates, & Sacerdotes, Generalem congregationem Regni Bohemia, & Marchionatûs Moravia facientes & repraſentantes; vigore praſentiũ, facimus & dirigimus Nuncios noſtros ſpeciales: vos R. M. VVenceslaum de Drachovv, Curia Archi-Ep. Officialem, Honorabiles & diſcretos viros Paulum de Slovikovicz, Artium Liberal. Baccalaureum, Plebanum S. Ægidij, & Correctorem Cleri ejusdem Curia Archi-Ep. Prag. VVenceslaum Plebanum Eccleſia S. Nicolai Antiqua Urbis Prag. & Bohunkonem de Choczna Rectorem Eccleſia Litomeric. & Decanum ejusdem, Sacerdotes in Chriſto JESU dilectos. Ad praſentandum vos coram Reverendo in Chriſto Patre, Philiberto Epiſcopo Conſt. & Collegis ejus, Legatis ſacri generalis Concilij Baſil. pro complemento & exequutione Compactatorum, per vos omnes, vel majorem partem; & praſtandam reverentiam debitam & obedientiam Canonicam Sancta Matri Eccleſia, ſacro Generali Concilio, Romano Pontifici, & Pralatis noſtris Canonicè intrantibus; prout aviſatum extitit in Bruna. Pro omnibus, Spiritualibus & Sacularibus perſonis Bohemia Regni, & Marchionatûs Moravia: ratum & gratum habituri bonâ fide, quicquid per vos actum fuerit in pramiſſis. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium, has noſtras literas ſigillo Regni Bohemia facimus communiri. Datum Praga in Collegio Caroli, ipſô die B. Matthai Ap. & Evang. anno M. CCC. XXXV.

Formula plenipotentiæ, ſeu Mandati, legatis Bohemorum, ad conteſtandam Romanæ Eccleſiæ obedientiam.

Cochl. lib. 8. MS. Dubon. Regino Hrad. Anon. ad an. 1435.

Cæterùm *Palomar Baſileâ redux*, quùm mitigationem dictæ clauſulæ retuliſſet, tanto citiùs reſidua, quæ Pragenſes petebant pro ſe, in præmemo-

Digitized by Google

Acta *Albæ Regiæ* ultimatò firmanda, ad novũ Conventum, *Iglaviam* rejiciuntur.

rato *Conventu Albaregienſi* acta tranſactáque ſunt; ita ut omnibus difficultatibus compoſitis, nil ſuperfuerit, niſi ut in majus robur, publicis pro more tabulis, tum à Legatis nomine Concilij, tum ab Imperatore, tum denique ab ipſis Bohemis & Moravis hæc firmarentur, quò demum ſtabiliora eſſent, & magis conducibilia ad perpetuam pacem. Decretus itáque eſt in hanc rem *novus Conventus*, *Iglaviæ proximo vere celebrandus*, in quo ultimatò tandem omnes illi tractatus, hucusque inde feſsâ laboris atque induſtriæ conſtantiâ, concordiæ & pacis causâ ſuſcepti, optato fine terminarentur. Narrant *Sigismundum tunc Albæ Regiæ*, Bohemorum legatos perhumaniter excepiſſe, lautéque habuiſſe: ac comi blandóque ſermone, uti erat *naturâ ſuâ affabilis*, *benignus & ſvavis*, jam hos, jam illos alloquendo effeciſſe, ut nemo fuerit, qui non raperetur in ejus affectum; nemo, qui non libenter ei parendum exiſtimaret; nemo, qui ad eum reducendum quàm honorificentiſſimè in Regnum, curam & ſtudium omne ſuum non polliceretur. *En oratio mollis*, *quid non poteſt?* ſaxa & chalybem ſtillicidia lenta ſolvunt; ſed & mentes exaſperatas, & ſolo ſangvine ſatiandas, benignior dictio mollit. Addit *Sylvius*; quod confirmant *Bonfinius*, *Cochlæus*, *Daubravius*; abeuntes Bohemos inſuper *viatico LX. millium aureorum*, magnáque copiâ pecorum, *boum & equorum* donatos fuiſſe.

Imperator legatos Bohemorum honorat, & donat.

Sylv. in Hiſt. Boh. cap 52
Bonfin. dec. 3. lib 3.
Cochl. lib. 8.
Daubrav. L. 27.

Tali rerum ſtatu, cùm proxima affulgeret ſpes tranſigendæ pacis, *apoſtata ſacerdos Bedrzich de Straznicz Moravus*, Orebitarum antea ductor, homo ſeditioſus, denuò Reip. tranquillitatem tanto labore comparatam, tametſi nondum plenè ſtabilitam, haud mediocriter perturbavit. Captus hic per fraudem, ùt dixi, *in Sileſia*, & VVratiſlaviam in carcerem abductus, propè erat, ut tanquàm apoſtata, & tot maleficiorum ſacrilegiorúmque reus, condemnaretur ad rogum. Verùm quia commilitones hinc inde *per Sileſiam* in præſidijs habebat fidos, & vitæ ac ſalutis ſuæ tam ſollicitos, ut atrociſſima quæ dici, aut excogitari poſſent, minarentur *Wratiſlavienſibus*; ac imprimis captivis, quos tenebant in vinculis, *viris Illuſtribus*, ſi quid tale *in Patrem ſuum*, (ità ipſum nominabant) committeretur; ac demum pro libertate ejus, *captivos omnes*, *ſimul & Ottmochoviam arcem* offerrent: dimiſſus eſt incolumis, *Conrado Epiſcopo VVratiſl.* ut plurimum agente, qui nihil non concedendum hoſti exiſtimabat, modò arce ſuâ, ex qua *Niſſenſes*, & tota *Grotkovienſis regio* infeſtabantur, quotidianis penè excurſionibus atque rapinis, potiretur. Hic igitur libertati reſtitutus, & nihilo quietior, arma per captivitatem vix dum poſita, rurſus induit; & ante omnia, ubi percepiſſet *Kolinam* Orphanis vi extortam præſidio Catholicorum teneri, ad eam recuperandam, poſthabitâ cæterorum curâ, animum adjecit: quam brevì etiam, cooperantibus nonnullis civibus, cum quibus idcirco occulta inierat conſilia, nocte feſtum *Omnium Sanctorum* præcedente, per inſidias occupavit. In hoc ſaltèm laudandus, (*uti nemo tam malus*, *qui non ſit interdum*, *modicè licèt*, *bonus*) quòd in præſidiarios ſemiſopitos & inermes, quieſcentéſque nec quicquam tale metuentes, ſævire ferro prohibuerit: raro aliàs apud eum moderationis hujus

Bedrzich apoſtata in Sileſia captus, &

Curæus in Annal. Sileſ.
MS. Regino-Hradec. an. 1434.

à ſuis per commutationem liberatus,

Kolinam per inſidias occupat.

Digitized by Google

Ejus moderatio:

hujusmodi exemplo. Sed & illos, quos in ſtationibus & portis deprehenderat, ac improviſâ re perturbatos facilè vicerat, incolumes ſervari juſſit, & poſtero die omnes liberos dimiſit: cum haud dubiè in finem, ut minùs ſibi offenſos redderet Procerum animos. Ad quos placandos, poſtquàm cum ſocijs diu multúmque deliberâſſet, tertia die *nuncios ad Gubernatorem Pragam miſit, excuſans factum*; & ſe in poteſtate ejus futurum, pacem cum vicinis omnibus ſyncerè obſervaturum, & quæcúnque ad univerſalem concordiam, pacémque publicam conſtituta fuerint, ſe quoque ijs abſque cunctatione obtemperaturum promittens. Nec multo poſt â quibusdam Proceribus, quos ſibi ampliſſimis donis conciliaverat, perſvaſus, civitatem ſuâ ſponte *Meinhardo* ceſſit, & *Taborium*, quò identidem vocabatur, cum ſuis omnibus abijt.

Kolinam reſtituit, & Taborium abit,

Pacatis hoc modo rebus, *Bohemi*, Comitijs ſub initio Quadrageſimæ, anni 1436. celebratis, denuò ad Cæſarem legatos miſerunt, & ut quantocyùs in Regnum jam pacatum, jam in obſequio promptum adveniret, orârunt: poſt quorum diſceſſum Cæſar, toto veris decurſu expectatus, ac interim frequentibus literis & nuncijs ſpem certam ſui adventûs faciens, ad diem tandem XII. Junij (neque enim citiùs poterat graviſſimis in Hungaria rebus detentus) inſtitutâ profectione Iglaviam venit, unà cum genero ſuo *Alberto Archiduce*; cùm triduo ante, legati Concilij eò appuliſſent incolumes, ab *Henrico de Liechtnſtein* (Niclſpurgenſi,) *Joanne Bitovvsky*, aliàs *de Lichtmburg & Cornſtein*, & *Zdenkone de VValdſtein*, honoris atque ſecuritatis gratiâ comitati, & ex itinere, *â Zdenkone*, Sadecæ lautiſſimo hoſpitio excepti. Confluxerat tunc Iglaviam magna multitudo hominum, præſertim Nobilium, ita ut vix ullus fuerit *ex Bohemia & Moravia*, alicujus famæ aut dignitatis, ſive Baro, ſive Eques, qui non libenter huic celebritati intereſſet, cuperétque videre tam ſalubri & ſalutari operi imponi finem. Poſt omnia itáque proſpero eventu terminata, confectis datisque literis utrinque, pro pacis & unitatis confirmatione; imprimìs Legati Baſilienſes pro parte Concilij, ſublatis omnibus cenſuris, *pacem cum Bohemis & Moravis acceptârunt, & ab omnibus ubique Chriſtiani nominis Principibus, & alijs Chriſti fidelibus univerſis ſervari mandârunt: præcipientes, ne quis deinceps illos, propter diſſenſiones, & difficultates aliquas, in materia fidei, & Quatuor Articulorum dudum exortas, (cùm jam complanata ſint) aut pro eo, quòd communicârunt, communicant & communicabunt ſub utráque ſpecie, juxta formam Compactatorum, eos offendere, infamare aut injuriari præſumant: ſed ipſos Bohemos & Moravos, tanquam fratres, bonos & Catholicos Eccleſiæ Orthodoxæ filios reverentes & obedientes eidem, habeant, & firmâ dilectione proſequantur.* Cum addito: *quòd ſi aliquis contra faceret, non intelligatur pax ipſa violata, ſed debeat fieri de illo emenda condigna:* &c. datis eam in rem literis ibidem Iglaviæ, die V. Julij; quibus ad majus robur, ſigilla quoque *Sigiſmundi Imp. & Alberti Archid. Auſtriæ, & Marchionis Moraviæ*, ad inſtantiam Legatorum ſunt appenſa. Sed & ipſimet Imperator & Archidux, pro majori omnium firmamento, ſuas proprias addiderunt.

Sigiſmundus Iglaviam venit, cum Alberto Archid. & legatis Concilij.

Pax & Concordia publicatur.

Cochl. cit. Spond. in Annal. Eccl. ad an. 1436. MS. Anon. Drahon. Chron. Regino-Hrad. an. eod.

Bohemi & Moravi à Cenſuris Eccl. abſolvuntur.

Poſt hæc, VIII. Julij, *Aleß de Rizmberg & Sſwibowo Gubernator Regni*, unà cum cæteris Baronibus, Nobilibus, & Pragæ aliarúmque civitatum electis (præcipui erant *Meinhardus*, *Aleß de Sternb. Erhardus de Kunſtat*, *VVenceſlaus de Kravarz aliàs de Straznicz*, *Hynko de Ratay*, *Hanuß de Kolowrat*, *Diviß de Miletinko*, *aliàs de Dobalicz*, *VVilhelmus de Poſtupicz*, *Joannes de Smirzicz*, *Joannes de Ruſſinovv*, *Nicolaus de Lamberg*, *Matthias de Chlumczan.* &c.) in eodem conventu exiſtentibus, & *generalem congregationem inclyti Regni Bohemiæ*, *& Marchionatûs Moraviæ facientibus & repræſentantibus*, literas & ipſi de eadem ſuſcepta pace dederunt. Quibus peractis, *Rokytzanus*, cum alijs quatuor presbyteris, nomine totius Cleri ſibi adhærentis, obedientiam Romanæ Eccleſiæ præſtare ſeſe publicè profeſſus eſt: ſedente pro tribunali in foro civitatis, Imperatore, & Alberto genero aſſiſtente, magnáque Principum & Oratorum circumſtante coronâ. Die tandem ſequenti, magna cum ſolemnitate, *abſoluti ſunt Bohemi & Moravi illius partis, ab anathemate cæteriſque cenſuris; & in Eccleſiam per Concilij legatos introducti.* *Ubi quùm Divina celebrarentur*, narrat Sylvius, *Rokytzanus perfidiæ ſuæ non immemor, altare accedens, divinâ re peractâ, uni quem juſſerat ex laicis adeſſe, Sacramentum ex calice dedit. Et quamvis Joannes Palomar, alter ex Concilij legatis, in aliena Eccleſia id ſibi non licere aſſereret, eúmque prohiberet, ipſe tamen pertinax in propoſito perſtitit. Ob quam rem parum abfuit, quin in irritum conventa caderent. Compoſita tamen res eſt ex eo conventionis capite, quo ſancitum erat: ne paucis pacta violantibus, communis concordia rumperetur.*

VVeleſlaſ. in Calend. Hiſt. ad d. 14. Julij.

Kokytzani temeritas, vix non hæc omnia turbat.

Porrò Imperator cupidus potiundi Regni paterni in pace, ut Bohemos devinctiores ſibi redderet, multa ſeorsùm eis promiſiſſe ac conceſſiſſe fertur, quæ nequaquam Oratores Concilij permiſiſſent. Quippe, ùt Sylvius ſcribit, & ex eo Bonfinius, Cochlæus; *Eccleſiarum prædia occupatoribus jure pignorum relicta ſunt, donec certâ pecuniâ redimerentur: Religioſis utriúsque ſexûs, quibus adempta monaſteria eſſent, atque exulibus, ſpes reditûs interdicta: Rokytczano Pragenſis Eccleſiæ præſulatus promiſſus: de diſponendo Eccleſiarum Bohemicarum regimine, Summo Pontifici facultas ablata.* Quæ tamen non reperiuntur in formula pactionum, inter Imperatorem & Bohemos atq; Moravos, privatim initarum, quas ex vetuſto codice Cochlæus recitat: tametſi inſint alia plura capita, contra jura & privilegia Sedis Apoſtolicæ, ac ritus Sanctæ Eccleſiæ, quæ nec potuit, nec debuit Imperator illis concedere. Niſi fortè, ùt alius antiquus author, apud Cochlæum de ijs agens, veriſimiliter opinatus eſt, dicamus eas *ſubreptitiè*, ſeu per nimiam importunitatem ab eo extortas eſſe. Deniq; neceſſitate magis, quàm voluntate eas pepigiſſe; voluiſſéq; eum, ſolium paternum quocúnque tandem modo conſcendere, ſenſímque Regni poſſeſſione acceptâ, nationem univerſam in gremium Eccleſiæ poſtliminiò reducere. Confirmatur id vel exinde, quòd Pragam veniens, conventicula Huſſitarum vitavit, *nec aliam Eccleſiam, niſi Catholicam frequentare voluit*, Canonicos & monachos ab exilio revocatos reſtituit, iiſque ſtipendia,

Sigiſmundus multa promittit, *VVeleſlaſ. cit. ad d. 20. Julij. Cochl. lib. 8. MS. Chron. Regino Hrad. an. 1436.*

lib. 8. pag. 297. & ſequ.

tametſi illicita, ideóque nulla.

ùt, videbimus paulo poſt, de proprio aſſignavit; *Rokytzanum*, Korandam & Peinium ſacerdotes turbulentos, & verbis tumultuantes compeſcuit, ac ultimò urbem deſerere compulit. Ex quibus & alijs pluribus clarè patet, alterius animi fuiſſe Imperatorem, probè gnarum, *pacta libera eſſe oportere, non extorta*; nulláque eſſe, quæ contra leges, contra honeſti regulam ineuntur.

Mira poſtmodùm ſequuta Bohemorum, ac imprimìs Pragenſium erga Sigiſmundum mutatio: quem enim paulo antè pejus angue oderant, quem tot convitijs & calumnijs *Antichriſti filium, ex adulterio natum, ſacrilegum, capitalem nationis Bohemicæ hoſtem* appellando, lacerabant; pulsúmque in extremas terras, ac omnino perdendum cupiebant: hunc Pragam die 23. Augusti venientem, effusâ obviam *totâ Triurbe*, cum frequentiſſima Nobilitate, utì *legitimum Principem, Dominum ac Regem ſuum*, maximo applauſu acclamationibúsque ſalutabant. Dixiſſes, *aliam fuiſſe civitatem, alios homines*: ita nihil mobilibus vulgo. Quartâ poſt die, quæ erat Dominica poſt feſtum S. Bartholomæi, ei ſedenti in ſolio ſub diademate regio, *in foro Antiquæ urbis*, ante domum, vulgò *ad Albam Campanam*, in præſentia Ducis Stetinenſis, & Comitis Cilienſis, primò Proceres, deinde Nobiles & Milites, ac tandem Pragenſes, aliárúmque civitatum legati, ſeſe ſubjicientes, obedientiam promiſerunt. Quibus in fidem receptis, cùm & ipſe priùs de ratihabendis, ſervandis, tuendiſque vetuſtis Regni privilegijs, cautione datâ & juramento ſe obſtrinxiſſet, *XXX. Auguſti*, Conſules & Senatores omnium trium Rerumpub. Pragenſium renovavit; ſimul & *Novæ Civitati* omnia jura, leges, ſtatuta & immunitates, novo regióque diplomate confirmavit.

Sigiſmundus à Statibus Regni Pragæ honorificentiſſimè ſuſcipitur.

Lupac. VVeſlaß. ad d. 23. 26. 30. Aug. 1436.
MS. Drabov.
Anon. Chron. Mansfeld. cap 323.
Theobald. de bello Hußit. part. 1. c. 83. & ſequ.

Magiſtrum Pragæ renovat.

Hoc modo *Pragenſes*, & aliæ civitates in Bohemia omnes, præeuntibus de Nobilitate penè univerſis, ad obſequium Cæſaris, ſedatè & faciliùs quàm ullus ſperâſſet, redierunt. Soli *ReginoHradecenſes*, ſingulari pertinaciâ, nec verbis ſolùm & ſcriptis, ſed pluribus contumacibus factis, ſuperbè ac inſolenter refragari auſi ſunt: appellantes Sigiſmundum, *fallacem Ulyſſem*, ut qui tempori duntaxat ſerviret; ore benevolentiam ſimularet, animo longè alia meditaretur; id vel maximè, ut Bohemos vanâ illâ humanitatis ſpecie captos, & incautos opprimeret. Notam hanc eſſe ei artem, *ſimulare*: aliud mente condere, aliud verbis promere; aliud loqui, aliud facere; polliceri multa, & ad nutum ijs eſſe, quos cupiat impotenter calcare. Amico reconciliato non facilè credendum, nec niſi ſemper cum formidine: quanto minùs Regi toties offenſo, tot contumelijs & cladibus proritato; apud quem injuriæ maneant *altâ mente repôſtæ*. Ægrè tulit Nobilitas hanc unius civitatis contumaciam; ideóque *publico omnium conſenſu, ReginoHradecenſes declarati ſunt Reipublicæ hoſtes*; primúsq; *VVilhelmus Koſtka*, qui, ùt Drahonicius ſcribit, *tenebat tunc Litomyſlium*, arma corripuit, & *Borzeko Dobalicio, arcis Kunieticenſis Domino, ac Parduſo ab Horka* ſibi adjunctis, bello premendos, maliſque omnibus exagitandos ſuſcepit, tam diu, donec cumulatas temeritatis ſuæ pænas darent, & vel inviti ad obedientiam compellerentur.

Solis ReginoHradecenſibus contradicere auſi.

MS. Chron. ReginoHrad. ad an. 1436.

Quos dum Koſtka compeſcendos & ad officium reducendos ſuſcipit:

Comparatis igitur copijs, & alijs omnibus gerendo bello neceſſarijs, magna

Digitized by Google

gnâ diligentiâ adminiſtratis, rectà civitatem rebellem petijt; ad cujus conſpectum *die 6. Nov.* venit; & non auſus ſtatim oppugnationis negotium aggredi, ad villam quandam, medio fortaſſe milliari diſſitam, caſtra poſuit, *multa in exitium urbis moliturus*; ingenti quidem animo, ſed effectu nullo, quin potiùs ſuomet proprio exitio: fortunâ antea ſæpè ei propitiâ, jam verò, â quo

nocturnâ civium irruptione,

poſſeſſor ditionis Litomiſslenſis, (*juris Eccleſiaſtici & patrimonij Chriſti*,) eſſe cœperat non ſatis legitimus, palam ac manifeſtè adversâ. Quippe poſt diem ſequentem, cives obſervatâ nocte modicè ſtellatâ, foras egreſſi, ſummo ſilentio in caſtra, quorum aliquam partem hoſtes vallo tumultuariè erecto, & ſepibus muniverant, è duabus partibus irruêre: ubi trucidatis primis ſtationarijs, vicina contubernia, & pagum ipſum, ſtragem terrorémque circumferentes invaſerunt; ac priusquàm ad arma conclamaretur, multis jugulatis, alijs primo impetu disjectis, ſenſim progrediendo, & obvios quósque cædendo, ædibus tandem, in quibus hoſpitabatur Koſtka, monſtrantibus indigenis

arma tardiùs expediens, & alijs improviſo hoſtium impetu præventis:

appropinquabant. Sed jam ille ad primum pugnantium clamorem & tumultum è ſomno experrectus, licèt non dum plenè tectus, in armis fuit, & cum eo aliquanta manus militum, qui proximi in ſtationibus ad eum concurrerant; & tunc animadvertens hoſtes jam præ foribus eſſe, ultrò ijs obviam foras prodijt. Jam etiam tubarum & tympanorum ſonitus alios omnes ad capeſſenda ocyùs arma, concurrendum ſub ſigna, & pugnandum pro ſalute & vita

& partim occiſis, partim in fugam actis,

excitabant. Quia tamen irruptio civium, utì improviſa, ita vehemens ex utráque parte fuit, & tam violenta ac præceps, ut primo impetu quemlibet obrueret, fruſtraneus erat reſiſtentium omnis conatus & labor. Ultimò *Koſtka*, volens ſuis ad agendum fortiter eſſe exemplo, dum in confertos hoſtium globos magnâ contentione, & cæco quodam furore irrueret; & ex adverſo omnium peteretur telis, & gladijs, multis vulneribus confoſſus occu-

occiditur.

buit: haud inultus tamen; quandoquidem machærâ ſuâ ingenti, quam ambabus gerebat manibus, quaſi jam ſupremum virtutis fortitudiniſque conatum oſtendere vellet, complures vel diſſecto capite, vel alijs membris abſciſſis,

Reliqui in fugam & latebras acti.

proſtravit, aut prorſus neci dedit. Cæteri qui arma ad defenſionem ceperant, infeſta ſibi numina conſpicati, rebúsque deſperatis, aut latebras quæſiverunt hinc inde in domibus & horreis, aut in proximas ſylvas, aut quò licuit, ſeminudi aliqui palantésque profugerunt. *Pardus* qui in ijsdem caſtris erat, audito clamore, cum ſuis quoque ad reſiſtendum ſatis citò accurrerat; ſed auditâ *Koſtcæ* cæde, & alios videns paſſim dilabi, omnia denique ſummâ confuſio-

MS. Regimo-Hrad. Anonym. ad an. 1436.

ne agi; hoſtes verò prævalere, & magìs ac magìs ab omni parte irruere, fugâ quoque ſibi conſuluit. Quod idem fecit *Borzek*, qui ex altera parte, in *pago Placzicze* ſtativa habuit: quamprimùm enim de clade ſociorum cognovit, ſtatim eâdem nocte, flammis jam latè relucentibus, â ſuccenſis in eo tumultu aliquot tuguriolis, Kunieticium versùs, ſeſe cum ſuis proripuit, notitiáque

Cæſorum & captivorum numerus.

locorum & viarum fretus, facilè in tutum evaſit. Cæſi fuère centum & octo, cùm ex civibus non niſi quindecim deſiderárentur: capti longè plures, præſertim die ſequenti, è fuga & latebris retracti, juvantibus agricolis; ità ut plures trecen-

Digitized by Google

trecentis numerarentur, omnêſque inſtar pecudum gregatim in civitatem ducti. Direpta caſtra; currus & impedimenta, magnâ omnium lætitiâ, veluti in triumpho, in urbem tracta. Aliter de Koſtka ſcribunt nonnulli: qui illum non armatum, ſed altum ſomnum capientem, lectulo extractum, & occiſum memorant: ego quæ narravi, habeo ex Scriptore ReginoHrad. (*anonymo*) qui dicit ſe interfuiſſe huic excurſioni. In numero cæſorum & captivorum, prout etiam in reliquis, cùm iſti, tum alij conveniunt. Non diu tamen Hradecenſibus hæc lætitia ſtetit: brevì enim â *Borzeko*, ipſis Cal. Januarij an. 1437. atque iterum *â Bobuslao Libczanſky*, prid. Cal. Febr. clade egregiâ affecti, contumaciæ ſuæ dederunt pœnas; paulo poſt demum, per quendam *D. Zdislavv*, quem in præfectum civitatis ſuſceperat, (hunc ſubinde in Chronico ReginoHrad. *monachum* nominari invenio) Imperatori & Nobilibus reconciliati.

MS. Auguſta Litomiſſl. in Tract. de Famil. Koſtk. de Drabow. ad an. 1436.
MS. Anonym. Hradec. an eod.
MS. Lauda an. eod.
Hagek. ad an. 1437.
MS. Hradec. cit.

Interea *Sigiſmundus* ad Regni gubernacula admiſſus, cogitationes omnes convertit ad ordinandas res publicas: ê quibus cùm *corrigenda multa*, *tollenda alia*, *moderanda ferè omnia* eſſent, quæ iniquitas temporum corrupiſſet, facto â rebus divinis initio, ante omnia ſtatum Religionis, civilibus diſſenſionibus corruptum inſtaurare, atque novo præſidio firmare conſtituit; cùm malum per ſe grave diuturnitas belli, & populi pertinax ſtudium, opinione omnium validius reddidiſſet. Spectabantur verò in ſacrarum Ædium veſtigijs, *quæ ferè everſa ac ſolo æquata*, *triſtem quandam ac miſerabilem urbis faciem præ ſe ferebant*, alterius factionis, quæ usque adeò ſæviebat, barbaræ immanitatis & ſævitiæ, alterius documenta monumentáque inſignis ac veræ pietatis. Sacerdotes & miniſtri Sacrorum, qui ſupererant, vel qui cum Cæſare redierant, tametſi omnibus volupe erat, in priſtinas poſſeſſiones poſtliminiò reponi; oculis tamen atque animis in ruinis templorum defixis, non ingemiſcere ſuprà, & non deplorare tantam ſacrorum deſolationem, & cùm templorum paulo ante pulcherrimorum, tum ædium ſuarum ſtragem non poterant.

Sigismundus primò omnium Religionis inſtaurandæ negotium aggreditur.

Cochl. lib. 8.
Sylv. cap. 53.
Dubrav. l. 27.
MS. Pragenſe ad an. 1436. & ſequ.

Prima itáque fuit Imperatori *Sacrorum cura*, ſui id muneris eſſe reputanti, inſtaurare, ac deinceps *fovere, augere, promovere, & tueri Religionis cultum, conſervare Sacerdotum jura, ſtatásque cærimonias, templa & ſacra loca.* Audiamus Sylvium. *Sigiſmundus* (inquit) *cùm Eccleſias pollutas intrare nollet, templum S. Jacobi, quod Fratrum Minorum fuerat, & in quo machinæ bellicæ tum ſervabantur, reſtitui ſibi popoſcit. Annuit civitas, & aliquot monachi introducti ſunt, qui verbum Dei prædicarent: id olim ne Ziſcha ſubverteret, armati carnifices defendêre, ſepulchris majorum conſulentes. Redierunt & alij mendicantes, tum Cæleſtini, Slavi, Benedictini, Servi Sanctæ Mariæ, Tevtones, Hieroſolymitani, nonnullorum monaſteriorum abbates: Sacerdos quoque Sancti Georgij in arce Pragenſi, quæ Principis honore defungitur, & paſtorali baculo utitur, ſacris præfecta virginibus, ab exilio remeavit. Hæc ex veteri more quotannis in celebritate Sancti Viti novellum regi panem offerre tenetur. Reſtituti ſunt & Cathedralis Eccleſiæ Canonici, ac Vicarij,*

Templa & altaria reconciliari, Religioſorum verò ædes reparari jubet.

Religioſi Pragam revertuntur.

Manſionarij, ornamenta altaribus reddita, divinum officium inſtauratum: Legati Baſileam miſſi, qui declarationem ſuper articulo Communionis expeterent: quumque nulli eſſent Eccleſiæ redditus, ex quibus ali templorum miniſtri poſſent, juſſit Imperator ex fiſco regio, per ſingula Canonicorum capita, hebdomadatim aureum nummum diſtribui, minoribus Clericis dimidium dari; ea res annuè aureorum ſex millia, apud Eccleſiam Cathedralem abſumpſit: in alia quoque templa donaria collata. Nova jam facies Urbis, novus populus, verus rediſſe religionis cultus apparebat. Unde congratalabantur *Sigismundo omnes penè Chriſtiani Principes*, ipſe etiam *Summus Pontifex Eugen. IV. auream Roſam, in gratulationis & lætitiæ ſignum ei miſit.*

Canonicis Eccl. Metropol. Sigismundus providet.

Bonfin. rer. Hung. decad. 3. lib. 3
Æn. Sylv. c. 52.

Atque ut pietatis cultus regiâ magnificentiâ ſplendidior auguſtiórque, ad veteris Religionis reſpectum, multitudinem revocaret, Pontificijs ſacris jam pridem deſvetam *ædem urbis Majorem*, (ante *Latam Curiam*, ſive *in Teyn*, vulgò vocant) magnis atque opulentis donarijs locupletavit, auri & argenti cælati copiâ ê regia ſupellectili; multâ ſacrâ veſte, aulæis, pictis tapetibus, Damaſceno & Memphytico opere; peritis Muſicæ artis hominibus undique accitis, qui ſtatis diebus ac horis, dum *Sacerdotes* operarentur ſacris, aſſiſtenſtentium aures animóſque demulcerent: quibus ipſe frequens, ubi per publica negotia liceret, quæ tum multa urgebant, voluit intereſſe.

Negotia Reipubl ordinat, an. 1437.

Inde ſe convertit ad res forenſes conſtituendas, quæ omni ſublato diſcrimine rerum, cùm neque ullus *Magiſtratus* eſſet, qui jus diceret, nulla judicia, pro lege libido, atque immanis rerum omnium licentia haberetur, afflictæ & proſtratæ jacebant: diéque 28. Jan. 1437. præſentibus magno numero, atque conventu celeberrimo, Proceribus & Nobilibus Regni, *delegit ſupremos ejuſdem Regni Senatores*, ſeu Optimates, ê ſtatu Baronum duodecim, & ex Ordine Equeſtri octo; omnes longo rerum uſu & experientiâ præſtantes. Quibus ità deſignatis & pronunciatis, ipſemet conceptis verbis dedit & dictavit juramentum; & cum ijs poſtmodùm *Judicio terreſtri Majori*, quod initio Quadrag. Feriâ VI. poſt Dominicam *Invocavit*, inchoari, & per quatuordecim dies celebrari ſolet; atque iterum Feriâ VI. poſt Pentecoſten, interfuit.

Supremum Regni Tribunal inſtituit.

Dubrav. ad an. 1437. MS. Anon. Sylv. cap. 52. Daubrav. l. 27.

Et tunc primò Equites in ordinem Senatorum Regni aſſumpti.

Nomina Senatorum.

Et tunc primò Equites in Bohemia, Reipublicæ admotos legimus, cùm antea *Barones*, ùt qui ſoli in Regno eſſent *Patriæ patres & primores*, publica ejusmodi officia gererent; Equites verò pro Patria arma ferrent. Quod deinceps quoque obſervatum fuit, *ſub Georgio & VVladislao Regibus*; & ut in perpetuum obſervaretur, ínque hunc ampliſſimum Archidicaſterij Senatum octo Equites allegarentur ſemper, *VVladislaus* lege latâ decrevit. Nominati fuêre tunc â Sigiſmundo ê Baronibus: *Ulricus de Roſis*, *Meinhardus de Novadomo Burggravius Caſtri Prag. Nicolaus de Hazmburg reſidens in Koſt ſupremus Judex*, *Aleſſ de Sternberg aliàs de Holicz*, *ſupremus Camerarius*, *Aleſſ de Rizmberg ſupremus Notarius*, *Albertus de Koldicz reſidens in Bilina Judex Curiæ*, *Zbinko de Hazmburg*, *Nicolaus de Landſtein in Borotin*, *Hynko de Pirgſtein reſidens in Ratag & Polna, magiſter Monetæ*, *Joannes de VValdſtein*, *Hynko de Czervena Hora*, *& Petrus de Zvvirzeticz*. E ſtatu Equitum: *Zaviſſius dictus*

dictus Hrzicz de Gimlin (cujus Familiæ perantiquæ, extant hodiéque *Kekula de Stradonicz*) *Aleſs dictus Hroch*, (à quo *Horochij*, ſeu *Harachij*,) *Joannes de VVildſtein*, *VVilhelmus Chrt*, *Joannes de Rzebnicz*, *Paulus de Strachovicz*, *VVaniek Salavva*, & *Joannes Miſſka*. Præfecturam quoque ærariam, ſeu, ùt vulgò appellant, *Conſilium Camerale*, quod antea non erat, inſtituit: cui præſidere juſſit *VVilhelmum Benedam de Necztin*.

primus Cameræ Præſes *Beneda*.

Die 11. Febr. *Feriâ II. Dionyſiorum*, Barbara Ciliensis conjunx Imperatoris, coronata eſt in Arce Prag. in Reginam Bohemiæ, *de conſenſu* (verba ſunt Equitis de Drahonicz) *Baronum*, *Militum*, *Pragenſium*, & *aliarum Civitatum*; peragente id muneris Philiberto Legato Concilij, Adminiſtratore Archi-Ep. Prag. *præſente Abbatiſſâ S. Georgij*: atque in Corona, & ornatu regio per Pragam, uſque in Aulam Regiam (ubi nunc eſt ſeminarium Alumnorum Eccl. in Veteri Urbe) ſparsâ copiosè per viam pecuniâ, perrexit. Feriâ deinde VI. poſt *Dominicam in Albis*, dum *SS. Reliquiæ*, in templo Corporis Chriſti, *in Nova Civitate Prag.* ſecundùm veterem piam conſvetudinem, populo oſtenderentur, Cæſare & Legato præſentibus, quatuor linguis, Latinâ, Bohemicâ, Hungaricâ & Germanicâ promulgatum eſt: *Bohemis & Moravis permitti à Concilio Baſil. ut ſub utraque, aut altera tantùm ſpecie, prout cuiq; luberet, SS. Euchariſtiam ſumerent: illóſque ſub utráque ſpecie ſumentes, veros exiſtere Eccleſiæ Catholicæ filios.* Quod ad perpetuam rei memoriam, ſupra portam ejusdem templi, aureis literis in tabulis marmoreis notatum, etiamnum legitur: *Pragenſes* verò *Antiquo Urbenſes*, ut majus aliquod, magiſque celebre ac conſpicuum tantæ rei proſtaret monimentum; *Calicem grandem inauratum, cum areo enſe itidem inaurato, in templi Teynenſis altiſſimo propylao, inter duas turres*, ubi nunc ſpectatur imago Beatiſſimæ Virginis, affigi curârunt.

Barbaræ Imperatricis coronatio.

Bohemis & Moravis permiſſa Communio ſub utraque.

Lupac & VVeſſelaV. ad d. 11. April. MS. Anon.

Sub id tempus Cæſar, *caſtrum montis Tabor*, ab Huſſitis conditum (unde *Taborita*) nomine civitatis donavit; legibus, privilegijs, ſtatutis exornavit, & *inter urbes Regias* recepit. De quo Sylvius ita ſcribit: *Taborita qui ſuperioribus cladibus ſuperfuerant in oppido conſervati, eâ lege in gratiam recepti; ut quinquennio toto ſuis moribus viverent, religionis cultum mutare non cogerentur, jura civitatis haberent, ſignum ferrent, in ſigillis rubrâ cerâ uterentur, tributi nomine ſingulis annis ſexagenas decem penderent. Sed cùm nefandas eorum conſvetudines Sigismundus accepiſſet, quibus illi circa rem divinam uterentur; quinquennium haud quaquam expectaturum ſe dixit, ſed correpturum propediem ſcelerata civitatis inſaniam.* Initio menſis Julij, Sigismundus Egram diſceſſit, commiſsâ Regni curâ Meinhardo: ibi Principibus Imperij, qui ad eum magnâ frequentiâ confluxerant, certas *ditiones per VVoitlandiam, Miſniam, Franconiam, Noricum & Bavariam, ad Coronam Regni Bohemia ſpectantes, tanquàm clientelares, in feudum, conſveto more ſolenni, contulit.* Poſt hebdomadas circiter ſex, Pragam redijt, à Prælatis & Canonicis, tum etiam à Nobilitate & Pragenſibus, qui proceſſionaliter ei obviam prodierant *ad Album Montem* uſque, magnâ pompâ exceptus, & *in templum Metro-*

Taborium in civitatem erigitur.

Sylv. in Hiſt. Boh. c. 52.

Cæſar Egram diſcedit:

inde Pragam redux, cum proceſſione ſolenni excipitur.

Baro, (ſed latro) Rohacz in caſtro Sion obſidetur,

Metropol. Divi Viti introductus. Arx interea *Rohaczij Baronis de Duba*, quam non longè Kuttnâ, intra ſylvas, in edito colle exædificaverat, montémque *Sion* appellârat (aſſerens ex *eo loco veritatem aliquando exituram, quâ gentem Bohemam aureâ libertate donet*) obſidebatur. Itinera námque ab ea parte omnia, quotidianis ſuis excurſionibus infeſta reddebat, homines hinc inde, præſertim *ex Moravia itinere Iglavienſi Pragam commeantes* intercipiendo, ſpoliando, & ſi quiſpiam vel modicè reſtitiſſet, occidendo; tantâ audaciâ, ut quâdam vice, etiam aliquot armenta boum, multáque plauſtra vini Hungarici, quod vehebatur pro menſa Cæſaris, intercipere & diripere non dubitaret. Durabat obſidio â die III. Maji, ad VIII. Septembr. quo tandem, *Hynkone Ptaczek de Pirgſtein & Ratag*, (patruele licèt Rohaczij,) ſummis viribus adnitente, arx vi occupata eſt, & diruta: *Rohaczius* Pragam adductus, & more latronum ad furcam condemnatus, laqueo pœnas dedit, cum complicibus ſuis, *numero*, ùt refert Sylvius, *nonaginta*. Drahonicius, *ipſum in catena & cingulo deaurato ſuſpenſum eſſe ſcribit*.

capitur & ſuſpenditur. *Sylv. cit. Drahonicius ſuſpenſos ſcribit. LIII Hagek. LX.*

Seditioſi in Moravia Carthuſiam prope Olomuc. noctu occupant:

Dum hæc per Bohemiam aguntur, in Moravia, *Carthuſia Vallis Joſaphat, ad pagum Dolany, uno ab Olomucio lapide*, parem fere, & ab ijsdem, prout ante quinquennium *cœnobium Hradiſtenſe*, ſubijt calamitatem. Nam *Smilo de Moravan*, de quo ſuperiùs, *Huſſitarum, qui in Olomucenſi Provincia graſſari non deſiſtebant, facilè princeps*, obſervatâ nocte, quæ feſtum *Purificat. Deiparæ Virginis* præcedebat, anno 1437. clauſtrum ex improviſo occupavit; ac inde ſocietate initâ cum præſidiarijs, qui *Przeroviam, Domazelicium & Chropinam* tenebant, & qui ejuſdem factionis erant, viciniæ toti, præſertim *Olomucenſibus, Lipnicenſibus, & Kremſirienſibus*, ſuburbanas eorum ædes excurſibus infeſtando crebris, gravis admodùm eſſe cœpit. Quamvis autem *Olomucenſes* indignum rati proſpicere ab urbe hoſtilia latronum ſigna, ita ex propinquo inſultantia prælicenter, coactis viribus novum hunc illorum nidum, binis vicibus expugnandum ſuſceperint; & tertiò tanto conatu, *ut duabus ampliùs horis æquo Marte certaretur, & plurimi utrinque caderent, aut vulnerarentur*: adverſa tamen fortunâ, virtuti illorum eâ malignitate illuſit, ut repulſi ac rejecti, nôn ſine cruenta cæde retrò compellerentur, multique ex ipſis, milites & cives, deſiderarentur. Quare eo conatu fruſtrati, incluſos lentâ obſidione fatigare decernunt: priùs tamen præſidij præfectum, quem *Smilo* ſui loco reliquerat, ſi quo modo illius animus pecuniâ & largitione expugnari poſſet, tentandum cenſent. Neque ille (*ùt ſunt auri cupida mortalium pectora*) ab ejuſcemodi lucroſa conventione abhorrere videbatur: deligitur ergò hora diei ſequentis tertia, quâ utrinque convenirent ad paciſcendum. Sed inter hæc monitus â ſuis, qui ejuſmodi conſilia vehementer improbabant, ne quidquam eorum *abſque ſupremi ducis ſcitu* ageret facerétve; cùm deinde ad colloquium ventum, ac diu multúmque de deditione clauſtri agitatum eſſet, mutato conſilio, ſe priùs ea, quæ eſſent ultro citróque tractata, *Smiloni*, ad cujus ſcientiam neceſſariò id pertineat, relaturum aſſeruit: induciæ interea ad octo dies pactæ, donec de toto ex integro tranſigeretur. Cùm dein-

vicinos infeſtant.

ab Olomucenſibus obſidentur; ſed fruſtra.

conventione tandem factâ,

Digitized by Google

deinde nuncij *à Smilone* redijſſent, deditionem clauſtri fore pollicentes, *ſi decem aureorum millia* in parato exhibeantur, reſumpta eſt tractatio; eóq; tandem res deducta, *ut præſidiarij acceptis ſex aureorum millibus, clauſtro excederent:* quod nè deinceps officeret urbi nocumento pari, ſolo æquatum eſt, & Religioſis in præurbio locus alius pro domicilio aſſignatus. Et hæc quidem ad primi veris initia *in Moravia* geſta eſſe conſtat.

aurôque placati, Monaſterium deditione cedunt, quod Olomucenſes diruunt.

MS. Carthuſiæ Olomuc. & Brunenſ. à Paulo Zagnero Priore Brunenſ. an. 1660. 25. Martij Authori communicat.

MS. Archivi Curiæ Olomuc.

Aliud ſeditioſorum facinus: quorum præcipui Moravi.

Porrò autumno ſubeunte, aliud rurſum emerſit malum, quod tamen brevì, & ùt proverbio dicitur, *in ipſa herba*, curatum eſt. *Pardus ab Horka, cum Victorino de VVedanicz, Genikonis* qui quondam, ùt ſuprà retulimus, *Litomyſſlium* tenebat, filio, & alijs complicibus, conſilio inito; cùm *in Moravia* tuta omnia eſſe viderent, ac neminem ibi quicquam adverſi timere, cunctis ſecurè agentibus, ad occupandam *Litoveliam*, quam tunc divitijs repletam noverant, ire ſimul *cum militibus Bedrzichonis* decreverunt. Ad condictum igitur diem, ante Calend. Nov. iter aggreſſi, cùm die quâdam manè, jam propè oppidum veniſſent, & craſſiore matutinâ nebulâ aër denſior eſſet, adeò, ut oppidanis, (qui tamen nihil minus, quàm hoſtẽ expectabant) omnem conſpectum eriperet; præmiſſi ſunt nonnulli ſub ruſticorum habitu, at occultè armis ſolidè inſtructi, qui portam, quam intrarent, ocyùs occuparent, cæſis vigilijs: quos reliqui ſilenti agmine ſequebantur. Nec mora, adventanti jam cum omnibus copijs *Parduſo*, porta occupatur, ſociíque omnes uno impetu, magnis ſublatis clamoribus, in oppidum irrumpunt, clamante ipſo duce, & ad ravim uſque vociferante, ut ſe omnes primo in agmine progredientem ſequantur. Ibi cives conſternati, quò ſe vertant, non ſatis explicare: &, *ùt ſubita quæque ac incerta, æſtimari atrociora ſolent*, pars conjuges & liberos, pars fortunas tueri; nonnulli latebras quærere, pars quantum poterat ſumptis armis reſiſtere & pugnare. Sed ùt fieri in re inopinata ſolet, attoniti & palantes, nec pugnando, nec ſeſe tuendo ſatis rationis habere, fœminarum & puerorum clamor ſuorum opem implorantium, & rapinis cædéſque paventium, nec non ejulatus multus ubique eſſe. Cæterùm hoſtes cùm diſperſiſſent profligâſséntque, qui reſiſtere conabantur, ad expilandas domos ſeſe converterunt; ubi *recondita veſtis, pecunia, auri atque argenti, ſimul & panni ê lana confecti, vis magna reperta eſt ac direpta:* aliqui civium confugerunt cum charitatibus ſuis, in turrim quandam, ex qua lapidibus & telis ſeſe fortiter tuebantur. Cùm autem ab hoſtibus omnia paſſim loca perſcrutantibus, *magna vini diverſi generis copia, in ſubterraneis penuariiſque cellis, inventa* eſſet, avidiùs & intemperantiùs ei hauriendo incubuêre; ità ut poſtremò neque ullis ducum imperijs obtemperarent, neque excubijs per ſtationes conſtitutis vigilare, nec teſſeris more militiæ uti, nec civium ulteriora conſilia explorare, nec vicinos *Olomucenſes* circumſpicere vellent, ſed omnia per ocium & ſocordiam transmitterent. Erant aliqui prudentiores qui conſilium dabant, cùm copioſa & locuplete præda, ipſo adhuc veſpere retrocedendum, ac ſecundæ fortunæ modum imponendum; *ſani videlicet hominis eſſe*, & prudentis, *non nimiùm unquam ſerenitati præſentis fortunæ credere, quæ lubrica &* incon-

Litovvelliam ex inſidijs occupant:

domos expilant omnium rerum abundantiâ refertiſſimas:

ſed dum vino & crapulæ avidiùs indulgent,

inconſtans ſæpiùs triſtes rerum exitus adferre conſuevisſet: ſed ê contra illi hos protervé & petulanter conviciando irridebant, meticuloſos appellando, & ſi tuti ſecuríque eſſe vellent, domum cum præda, nec viſo vel audito hoſte, remearent hortando.

Olomucens. vicinis auxiliatum accurrunt,

Diſtat *Olomucium Litoveliâ* non niſi duobus milliaribus: *Olomucenſes* igitur â profugis civibus de capto oppido edocti, etſi de numero hoſtium ignorarent, nihil tamen cunctati, fortiſſimos quoſque ex ſtipendiarijs, & ê civibus, ad ſuccurrendum vicinis ſeligunt; præmiſſis ad oppidanos idoneis nuncijs, qui eos de ferendis quamprimùm auxilijs benè ſperare docerent; atque rurſum alijs, qui horam noctis mox ſequentis, ut & ipſi, ad eximendum ſe præſenti hoſtium jugo parati eſſent, indicarent. Noctu poſtea circa ſecundam vigiliam, *Olomucenſes* propè ſuburbana oppidi tacito agmine pervenerunt; & adjuti gnaviter ab oppidanis; qui eos ſuperato flumine, naviculis piſcatorijs ad muros civitatis perduxerunt, appoſitis ſcalis, ſummo cum ſilentio mœnia tranſcenderunt, id vel maximè â ducibus obſervare juſſi, ut quàm celerrimè proſequerentur rem, *nec hoſtem conglobari in cumulos permitterent*; porrò antea jam diſpoſitum erat, *quem quisque locum teneret*, *qui domos adorirentur*, *qui in foro & vicis conſiſterent*, *& qui occupandis portis* operam darent. Signo poſtmodùm ad proſequendum cœpta dato, primo omnium procurſu ſtationes vigilum petitæ, qui intra portas ſomno vinóque ſepulti, & idcirco oportuni injuriæ jacebant: cæſi itaque facilè omnes, & ijsdem locis ſtatim alij ex *Olomucenſibus* ſuffecti. Quod dum fit, eodem quoque tenore impetus in domos factus, præeuntibus oppidanis, qui ſeſe liberatoribus ſuis adjunxerant; & tum effractis clauſtris, multi ſubitaneâ irruptione oppreſſi ac jugulati ſunt. Tandem creſcente tumultu excitati hoſtes confluebant ad arma, prout furor nóxque concedebat: ac prodeuntes in forum, conflare aliquam agminis ſpeciem conabantur, ut vel laudabiliùs caderent, vel inhibito pauliſper hoſte, prorumpentes ad portam fugâ ſe ſalvarent. Occluſis tamen vijs omnibus, & præoccupatis portis, re utráque fruſtra tentatâ, paſſim jumentorum more mactabantur. Cùm igitur neque fugæ ſpes ulla, neque reſiſtendi adeſſet modus, augente inſuper pavorem nocte; clamore valido, *compellare nomen civium* (hos námque ſolos ad arma concitatos furere arbitrabantur, ignari Olomucenſes adeſſe) *orare*, *obteſtari*, *ut finem cædi faciant*, *malintq́ vivos ſervare pretio redimendos*, *quàm fœdare omnia cadaveribus occiſorum*; *jam ferrum & arma deponere ſe*, *atque ſupplices victoribus tendere dextras*. Ità conſternatio rerum ingens, clamor, gemitus, ululatus, querelæ, minæ, lacrymæ confusè ubique reſonabant. Et duces quidem, in quantum poterant, in illo furore ſuorum, ac præſertim civium ardore, nunc verbis revocantes milites, nunc ſigno dato cives, deprecantium rationem habebant, ad ortum diei reliquum differentes. Tum ordinatis ſummâ ratione manipularibus, iisque aſſignatis certis ſtationibus & locis, diligenter obſervari juſſum, ne aliquid per fraudem moliretur hoſtis; miſſi quoque curſores expediti *Olomucium*, qui nunciarent recuperationem oppidi, & quæ agerentur. Inter hæc

In oppidum taciti penetrant;

& accuratâ in omnibus diſpoſitione præmiſſâ,

hoſtes ex improviſo adoriuntur,

& promiſcuè cædunt, qui rebus ſuis deſperatis ſupplices gratiam vitæ petunt:

multi

Digitized by Google

multi hoſtium, velut *in deſperationem acti*, cùm oppetendæ jam mortis ſpecies ante oculos obverſaretur, reſumpto ferro, viam ſibi quibusdam locis per medios ordines aperire nitebantur: irrito tamen conatu, diſpoſitis per aditus oppidi armatorum manipulis, ac fortiſſimè egreſſum omnem prohibentibus. Hinc cùm effugere non poſſent, decertantes hàc illàc, *veluti ſepimento occluſæ feræ*, *ſingula oppidi compita oberrabant*, & non inventâ effugij viâ, cùm deinde illuceſceret dies, aut â ſuperveniente cive opprimebantur, aut præcipitio ex muro in profluentem ſeſe ipſos perimebant. Alij in penetralibus latitantes, etſi tantiſper ſagacitatem inveſtigantium fefelliſſent, extracti tamen paulò poſt, ceu victimæ, *ab avido ſanguinis & vindictæ cive* immolabantur.

Aliquî tamen ultimâ deſperatione acti reſiſtunt fortiter: ſed & illi diſſipantur.

Pardus nihilominùs in abſtruſa quadam parte oppidi, *cum VVedanicio*, & alijs viginti, obſcuræ præſidio noctis, aliquandiu latens, ac demum ſcalas nactus, murum tranſcendit, ínque vicinam inſulam incolumis evaſit; & ſqualentium peritiâ locorum adjutus, in ſylvam, quæ *Loſticium* versùs protenditur, ad unum usque milliare antequàm dieſceret, pervenit: ubi cùm iter proſequi de die nollet, metuens, ne ab inſequentibus retraheretur, quieſcere potiùs, & noctem præſtolari conſtituit. Intra oppidum verò, *orto jam Sole*, qui ê latebris emerſerant, prout in mitiora inciderunt ingenia, ſervati aliqui in vinculis, cùm reſtitutionem prædæ, & pecuniam adhuc ingentem pro vita pepigiſſent: alij occiſi extemplò. Ad *Parochialem Eccleſiam* quoque ſatìs magnus confugerat numerus, *ut ſacri exemptione loci, quoadusque liceret, periclitantis vitæ ſuæ terminos prorogarent*: & *Olomucenſes* depoſitâ jam cum armis irâ, licèt indignum aliquâ miſeratione cenſerent prædonum agmen, conſpectantes tamen inermes, & ſupplices tendentes dexteras, *tacti etiam reverentiâ loci*, ab ulteriori abſtinuerunt cæde, & egreſſos vitâ donatos in vincula conjecerunt. At *Litovelienſes* longè magìs ſævierunt in victos, quotquot ſuis deprehenderant manibus; adeò, ut qui non ſuccubuerat ferro in furore primo, infami poſtea mortis genere luit pœnas, nempe laqueo.

Dux ſeditioſorum fugâ cladem evadit: Captivorum alij ſervati, alij ê veſtigio trucidati: alij in furens acti.

Id unicum ad victoriæ cumulum deeſſe videbatur, quòd *dux hoſtium* non ſubierit parem cum cæteris ſortem: quem cùm diu ſatìs etiam in intimis domorum receſſibus fruſtra quærerent, neſciente quonam deveniſſet ullo, rectè ſub id ipſum adducuntur ex comitatu ejus, duo juvenes foris ab agreſtibus, neſcio quo caſu capti: â quibus ubinam lateret, edocti, confeſtim promptiſſimi quidam ad circumveniendum illum, intercipiendúmque expediuntur. Favit fortuna inſtituto, ad integritatem victoriæ & hoc accumulare volens: quamvìs enim *Pardus*, vel per ſe, non ſatìs tutum ratus, ſi uno loco diu maneret, aliò in tempore ſeceſſerit; â multitudine tamen indagantium, cùm & agreſtium acceſſiſſet manus, *ad veſperum ſub rupe quadam cum ſuis repertus, captus, â fuga retractus, & Litoveliam unà cum VVedanicio, & alijs adductus, mirum victoribus præbuit ex ſe gaudium*: qui non diu cunctati, cum captivis omnibus numero plusquàm CL. & cum eorum ducibus, *Pardusô & VVedanicio*, Olomucium triumphabundi reverterunt. Ita *Pardus* ad propriam ruinam feſtinatò pervenit, qui impotenter gradiebatur ad alienam: dum

Pardus ê fuga retrahitur, & Olomucium ſub cuſtodia abducitur.

Digitized by Google

dum nimiùm civitatis caſui intentus, ſuo non ſatis cavit. Hæc ex ſcriptis *Adalberti Baronis de Pernſtein, & Drabonicij* majori ex parte excerpta retulimus. Paulò aliter de eo memorat *MS. Archivi Curiæ Olomuc.* mihi communicatum; quod *ex Teutonico in Latinum* translatum, hìc quoque apponere lubet.

Hagek: ad an. 1437. MS. Drabonic. an. eod. MS. à Pernſtein. an. eod.

ANno à Chriſti Naſcentis exordio 1437. *Pardus* cum *Bedrzichonis presbyteri* latronibus, aliiſque conſimilis farinæ prædonibus, numero pluſquàm trecentorum benè armatorum equitum inſtructus, ex limitaneis Bohemiæ erumpens, *nocte diem Omnibus Sanctis dicatam ſequente*, horam circiter ſextam, oppidanis altùm dormientibus, ſuperato per ſcalas breves, (quarum tamen altera alteri inſeri & jungi potuit) muro, tanto ſilentio, ut nemo è civibus adverteret, irrupit in civitatem *Litoveliam*: & foro ejuſdem potitus, ut terrorem ſomno ſopitis majorem incuteret, magno ſublato clamore, tubas inflari, omniàque tumultu impleri juſſit. Quo facto, pavor cæcus & trepidatio nocturna talis cœpit animos civium, ut pars è muris ſeſe dare præcipites, pars fugâ ſibi ſalutem quærere, pars ab hoſtibus pulſi ſtationes ſuas tumultuariè occupatas deſerere; adeò ut civitas jam propè tota in hoſtium poteſtatem redacta fuerit, unâ ſolùm turri, *ad molam Kyttel*, ex qua fortiſſimi quique civium, omni telorum genere ab oppugnantium furore, ſtrenuè tutabantur ſe, in noſtrorum adhuc poteſtate relictâ; quam ſi prædones occupâſſent, mens fuerat, urbe præſidio firmatâ, adjacentem viciniam totam ſuæ facere poteſtatis, & incolas ad homagium ſibi præſtandum, vel invitos compellere; jam enim etiam è pagis quibuſdam vicinis abegêre pecora, & ad id genus ſacramenti dicendum, haud paucos de plebe agreſti compulêre. His acceſſerunt, qui ſtationem *in Kralitz oppido*, paulo ante fecerant, *equitum Polonorum ſexcenti*, eo animorum propoſito, ut conjunctis viribus, *Unczoviam*, *Hanſtadium*, *Schönbergam*, aliàque cum arcibus, quæ capturi eſſent oppida, validioribus præſidijs firmarent. Cúmque jam *Mirovia* quoque, haud diſſimile immineret periculum, talis ubique confuſio rerum, & deſperatæ ſalutis erat facies, ut conclamatum jam de libertate earum partium diceres: niſi *Dei Opt. Max. ſingularis miſericordia*, potentiáque, ſic rebus afflictis, contra peſtem hanc, per *cives Olomucenſes* clementiſſimè proſpexiſſet; qui disjectis, majori ex parte verò contrucidatis hoſtibus, ex hac periculi flamma vicinos ſuos eripuêre. Nam *ut primùm rumor, de capta ab hac latronum colluvie Litovelia, Olomucium pervenit*, non aures minùs, quàm animos primorum urbis penetravit. Itàque nihil cunctandum rati, ſubitò ad arma conclamare, in ædium ſacrarum turribus, ære campano ſignum dare, è domorum ſingulis cives ſingulos exciere, armis probè inſtructos in turmas & cohortes agere, *& Litoveliam versùs*, quà datâ portâ, (ordinibus tamen ſervatis) ruere. Eo ubi ventum, repertus ibidem eſt *Unczovienſium manipulus* exiguus ad portam ſuperiorem, & lucum quendam conſiſtens: à proruentibus è civitate hoſtibus, haud dubiè facili negotio, obterendus, nì eidem peroportunè *Olomucenſium cohors* ſuppetias & auxilium tuliſſet. Quorum acceſſione cognitâ, prædones è veſtigio receptui dare, ſèque in urbem retrahere cœperunt. Sed illi fugientium tergis junctâ manu inſtitêre acriter, tantâ audaciâ, tàmque felici eventu, ut etiam nonnulli ſuperato flumine, muros turri jam dictæ vicinos, quæ adhuc in poteſtate civium exiſtens, jactu lapidum & balliſtarum impulſu, hoſti vel in defendendo ſe, vel in impetu contra noſtros faciendo maximè officiebat, conſcendere non dubitarent. Facto poſtmodùm inſultu in antemurale, & aucti ſociorum numero, procurrunt per pomarium ad portam usque, vigilias & cuſtodes facto impetu fundunt, fugántque: pòſt effractis portæ repagulis, cæteris foris ante illam præſtolantibus, aditum in urbem pandunt. Atrox hìc inter utróſque prælium, hoſtibus qui loricis & galeis tecti, & ad pugnandum parati, in medio fori denſo agmine conſtiterant, ſummâ pertinaciâ & contentione ſeſe tuentibus: donec tandem ab altera porta, ſubſidio accurrit, alia noſtratium

Litoveliæ oppidi in Moravia direptio,

ab Olomucenſibus ſingulari fortunâ, uno minori virtute vindicta.

Prælium utrinque cruentum:

Digitized by Google

tium cohors; tum hoſtes videntes ſe jam ex omni parte, à tergo & fronte circumfuſos, tametſi adhuc aliquandiu acerrimè, ùt rebus deſperatis fieri ſolet, pugnâſſent, poſtremò tamen majore ex parte conciſi; reliqui foro pulſi, quò quis potuit, diffugerunt:

prævalentibus tandem Olomucenſibus, hoſtes diffugiunt;

aliqui per abdita domorum, ac ſubterraneas cellas occultati, non ſine cæde & vulneribus inde extracti: alij *templo Parochiali* in aſylum electo, in eodem, non ſecus, quàm ſi in campo certaminis captivi eſſent, ad arbitrium victoris in deditionem accepti, móxque *Olomucium* abducti; nec multò poſt *ex ijs 63. in uno de induſtria erecto ferali patibulo, laqueo ſtrangulati.*

qui partim capti,

partim laqueo ſuſpenſi.

Quo diro infamis ſupplicij genere, reſidui quoque àfficiendi erant, ſi non *Subcamerarij autoritas*, qui inſcio *Marchione Moraviæ*, in cæteros, qui è præcipuis erant, non ita ſæviendum exiſtimabat, interveniſſet. Eam ſcilicet ob cauſam, ut *cùm hoſtes arces non paucas in Bohemia occupatas, & limiti Moraviæ vicinas de facto ſuis firmatas præſidijs tenerent, ab ipſis diuturniori carcere detentis, illas extorquere, atque etiam arcana ſecretorum, & conſilia quocùnque tandem modo explorare, poſſent:* quos poſtea *Marchio Albertus* Viennam abduci juſſit. Hunc in modum *Litovelia* ope divinâ, per *Olomucenſes*, ab hoſtium jugo, & interitu vindicata, in *Marchionis* poteſtatem ceſſit: qui *Olomucenſes* ob navatam publicæ neceſſitati, tam ſtrenuam operam, & ſervatos cum urbe cives, equis, phaleris, galeis, catafracturis, aliiſque id genus donarijs, exornari fecit.

Olomucenſium virtus.

Pardus conſpectâ ſuorum fortunâ, quos jam penè omnes, vel conciſos, vel captos in urbe conſpexerat, projectæ vir audaciæ, è muro civitatis cum paucis deſilijt; & per ſubjectum flumen, quod jam tranſitu ſuperaverat, fugam arripuit. Sed fruſtra: nam de *Pauli Epiſcopi Olom.* clientibus & famulis, haud contemnenda manus, qui noſtris cum hoſte dimicantibus, ſuppetias laturi, *Litoveliam* citatis paſſibus contendebant, perceptâ noſtrorum de hoſtibus victoriâ, & *Pardi* fugâ cognitâ, extemplò perſequendum perquirendúmque ſuſcipiunt, quem ex fuga retractum cum ſocijs, in cuſtodiam & tutiora abducunt.

Pardus ex fuga retractus, & abductus Olomucium.

Atque ita *Omnipotens & Juſtus Deus*, ob violatam à nefarijs hominibus *SS. Omnium Feſtivitatem & reverentiam*, ſicut etiam *Fidelibus Defunctis ab Eccleſia decretam diem:* tum quòd *vaſa ſacra in templis, calices, cruces, imagines, veſtes*, cæterámque ejuſmodi ſacris deſtinatam ſupellectilem omnem, ſacrilegè diripuiſſent, ad plectendum hujuſmodi deteſtabile ſcelus, *infra decem & non ampliùs horas, quibus tenebant civitatem*, Olomucenſes delegit.

Hoſtium ſacrilegia promeritò puncta.

Occiſi vel capti penè omnes: pars ſed admodùm exigua evaſiſſe dicitur. Pro tam ſingulari victoria non ſine Divini numinis benignitate parta, par eſt & æquiſſimum, ut Provincia hæc tota, dignas Deo gratias rependat, cùm tam grande ac grave impendens malum averterit à cervicibus noſtris, & profligandos in manus noſtras dederit hoſtes tales, quibus cum, *ſi juſtâ acie dimicâſſemus, habuimus nobis longè numero & viribus ſuperiores.* Unde etiam meritò præfatus *D. Paulus Epiſcopus, in perpetuam geſta rei memoriam, & gratitudinem erga Numen ſupremum æternam, ab hac parta victoria, non modò Divinam illius Majeſtatem, in civitate Olomucenſi, multis Miſſarum ſolemnijs, laudúmque & jubilorum Canticis celebrandam decrevit; ſed etiam ſanxit in perpetuum, ut quotannis deinceps, die Fidelium Defunctorum, poſt peracta pro Defunctis ſacrorum officia, in templis omnibus, juxtáque Monaſterijs, Hymnus S. Ambroſij Te Deum Laudamus, & Miſſæ ſacrificia, de Aſſumpta in Cælos Virgine ſolenniſſimè decantarentur;* ſuperadditis Indulgentijs, ijs, qui ſacris adeſſent. Inter alia hoſtium ſpolia, erat unum militare vexillum, quod in Curia Olomucenſi in hujus victoriæ monimentum hodiéque ſervari dicitur.

Victoriæ monimentum.

Sub id tempus *Turcæ*, aliquot locis in *Servia* potiti, ſenſim etiam, *Culpenico, Baritzio*, aliiſque in *Sirmio* urbibus & caſtellis, magno virium conatu imminebant; jámque tractum illum fæcundiſſimæ Provinciæ penè omnem, usque ad *VVaradinum Petri*, quod ad dextram Danubij ripam, præalta in rupe ſitum eſt, ferro & flammis defædârunt crudeliter, Hungaris ſerò nimis ad arma concurrentibus. Præviderat hoc *Sigismundus*, tum ſtatim, dum

Turcæ per Serviam graſſati, ſenſim etiam Hungariæ imminent:

Digitized by Google

Amurathem Turcarum Imp. è Caramania ſeu Cilicia, compoſitis cum Ibrahimo partium illarum Domino rebus, Adrianopolim præterito autumno rediiſſe, totámque hyemem in apparatu belli inſtruendo conſumpſiſſe, ſuiſque copiarum præfectis in mandatis dediſſe, ut parati eſſent, ſe iturum brevi contra hoſtes; famam autem conſtantem ſpargi, eum velle in Hungariam transferre bellum, tam ex literis Franciſci Fuſcari Reip. Venetorum Ducis, quàm ab exploratoribus certis didiciſſet.

contra quos Sigismundus Hungaros paratos eſſe jubet:

Ideóque tanto iminente periculo permotus, ac certus, nullam vel diligentiſſimam curam & diligentiam adversùs Turcas ſuperfluam eſſe, cùm ipſemet venire non poſſet, rebus adhuc Bohemicis firmandis, & in ſecuriorem ſtatum reponendis intentus, *Palatinum*, qui tunc erat *Laurentius de Hedervara*, vir ſtrenuus, frequentibus literis & nuncijs monere non ceſſabat, ut cuſtodiendorum finium diligentem curam haberet, ſerióque conatibus hoſtium avertendis invigilaret. Et ille quidem animadverſo periculo, exercitum jam antea convenire juſſerat, deſignatâ certâ quoque die & loco, ad quem omnes convenirent: ſed tanta fuit Nobilitatis Hungaricæ arrogantia, tanta ſegnities, ut vix aliquis ad præſtitutum diem locúmque compareret: *eſſe è libertate Hungarorum* dicebant, *ut non niſi cum ipſo Rege, prodire in bellum teneantur*, cum Palatino minimè.

iis verò tardiùs ad arma concurrentibus:

Unde data hoſti celeritate uſo, tanto major graſſandi quaquaversùm poteſtas, ita ùt brevi pulcherrima illa, ac rerum omnium abundans, quæ Savum & Dravum interjacet, Regio in prædam ei ceſſiſſet tota, niſi *Bohemorum & Moravorum copiæ validiſſimæ, quas Sigismundus proprio ære conduxerat*, opportunè accurriſſent: quod factũ initio Julij an. 1437.

Bohemos & Moravos conducit, & in Hungariam properare jubet:

Tum repreſſi ſunt ſemel atque iterum cum clade barbari, tertiò autem in inſidias præcipitati, ac penè ad internecionem profligati adeò, ut ex quadraginta millibus vix tertia pars evaſerit incolumis; multi ex illis, dum fugerent, & Savum tranſire feſtinarent, ac trepidi conſternatíque unus poſt alium, inſtar ovium perterritarum, ſeſe cum equis in flumen præcipites darent, aquarum vorticibus hauſti; alij iterum in vicinas paludes & lacunas delapſi, merſíq; miſerabiliter perierunt.

quorum virtute, & Hungarorum, qui promptiores erant ad obviandum hoſti,

Captivorum exiguus numerus fuit, eò quòd *Palatinus* neminem in prælio vivum capi, ſed interfici omnes juſſerat: ſolùm illi, quibus â fuga retractis *Bohemi & Moravi* vitã conceſſerant, *ut haberent, quos in Patriam reduces, oſtentationis gratiâ, & in ſignum reportatæ victoriæ, adducerent.*

Victoria obtenta.

Victoriæ hujus prima laus *Pangratio de Zenthnyklos*, ſive *Sancti Nicolai*, eximiæ jam tum virtutis ac fortitudinis adoleſcenti, *cognato Palatini*, qui hoſtes in inſidias egregio ſtratagemate induxit, & primus â tergo invaſit, meritò data eſt: ſecundam *Bohemi & Moravi*, quòd ſummâ adhibitâ celeritate, productis curribus, & in utrámque partem longè extenſis, latera hoſtium circumdederint, ac totius ſui exercitûs pondere & robore incumbentes â fronte, aciem illorum primi turbârint disjecerintque, haud ambiguè reportâſſe viſi ſunt.

Duces Bohemorum:

Bohemorum duces erant, *Joannes Giskra de Brandeys, & Petrus Komarovvsky*, viri pugnaciſſimi, conſilióque & manu promptiſſimi, ex gregarijs militibus, ſolâ virtutis commendatione, ad ſumma militiæ decora evecti.

Duces Moravorum:

Moravorum, Joannes Telephus Baro de Rziczan, Dominus in ſuperiori Dunago-

nagovvicz in Moravia, & *Joannes Tettaur*: ambo quoque virtute, domi militiæque viri inſignes: qui in ea expeditione, rebus præclarè ac fortiter geſtis, tantum nominis exiſtimationíſque apud Hungaros ſibi comparârunt, ut poſtmodùm etiam *Albertus, qui Sigiſmundo ſucceſſerat*, dum bellum inferret Turcis, illos ad ſuam militiam, oblatis ſtipendijs ampliſſimis, invitare non dubitaret. Atque hi fuêre, qui deinde mortuo Alberto, *Eliſabetha Reginæ viduæ, ejúsque filio poſthumo Ladislao* fortiter adhæsêre; ùt narrabimus paulo poſt. Quorum fidelitatem, & heroica facta mirè deprædicant, *Æneas Sylvius*, *Miechovius*, *Cromerus*; tum etiam ſcriptores *Hungarici*, *Thurocius*, *Bonfinius*, *Enſius*, *Callimachus*.

quorum etiam in poſterum glorioſa geſta in Hungaria.

De hac Hungarorum victoria, auxilio *Moravorum & Bohemorum*, ùt plurimum obtenta, altum eſt apud Hiſtoricos noſtros, & alios, qui typis editi proſtant, ſilentium: ego quæ retuli, *ex MS. Drabonicij*, *Pernſteinij*, & cujusdam *Anonymi* deſcripſi. Aliquid eorum legitur in *Chronico Turcico*, per *Joan. Levenclajum*, ex Arabico in Latinum, & per *Joan. Kocynum*, ac *VVeſlavinum* ex Latino in Bohemicum tranſlato. *Cochlæus* etiam & *Krantzius* aliquid paucis inſinuant, ex ea occaſione: quòd cum *Sigiſmundus* haberet *ex Bohemis & Moravis* non paucos ſuſpectos, præſertim illos, *quibus in armis duntaxat, & bello ſpes erant*; metuerétque ne ſucceſſu temporis, arreptâ vel minimâ anſâ, denuò rebellarent: ideóque ſublatos potiùs in tempore quocúnque tandem modo cuperet; apertâ autem vi id inſtituere non poſſet, eâ arte uſus fuerit: *ad militiam contra Chriſtiani nominis hoſtes Turcas invitavit, ſtipendijs ſuis, ijsq; opimis conduxit, & in Hungariam miſit.* Addit Cochlæus: *ceciderunt ibi ex Bohemis multi: ſapienti nimirum Imperatoris inſtituto, ut vel vincentes, vel cæſi prodeſſent.*

MS. Drabon. & Pernſt. an. 1437. MS. Anon. Chron. Turcar. apud Lévencl. ad an. 1437. Cochl. lib. 8. an. eod. Krantz. in VVandal. l. 11. cap. 4.

Eodem anno *Sigiſmundus Imp.* omnibus probè adminiſtratis, & Pragâ valetudine dubiâ digreſſus, in itinere, cùm *Znogmam* veniſſet, morbo ingraveſcente moritur, VI. Id. Decembr. anno ætatis LXX. poſtquàm *annos unum & quinquaginta Hungariæ*, (notabili ævo, raróque exemplo) *ſeptemdecim Bohemiæ*, *Imperio viginti ſeptem*, variâ fortunâ, præfuiſſet. Corpus regio apparatu *VVaradinum*, uti vivus ipſe conſtituerat, tranſportatum, & ibi ad *D. Ladislai tumulum* honorificè ſepultum eſt: quod templum ita opibus, numero Cleri ac Sacerdotum auxit, ut deinceps divina officia, (*Laus Deo perennis*) continuatis diebus ac noctibus, in eo decenter peragi potuerint. Ædificavit etiam Budæ, ante Regiam, ſacellum perelegans *Divo Sigiſmundo* dicatum: & illud ſimiliter ampliſſimo Sacerdotum Collegio donavit. *Poſt mortem*, ait Bonfinius, *ab omnibus deploratus, ut adhuc Germani gemant, Hungari defleant, Bohemi lacrhyment, Catholica Eccleſia prædicet: atque univerſa denique Reſp. Chriſtiana, cum omni poſteritate, ſummis laudibus efferat ac commemoret.* Fuit Princeps humaniſſimus, ob ídque ſingulariter charus exteris nationibus: proceræ ac inſignis ſtaturæ, pulchrâ facie, crinibus criſpis, barbâ prolixâ, quam exemplo *patris ſui Caroli* nutrivit. Ingenio excellens, liberalis, munificus, multarum linguarum peritus, facundus & facetus. Sed in

Sigiſmundus Imp. moritur Znogmæ, anno 1437. die 8. Decembr.

VVaradini in Hungaria ſepelitur.

Bonfin. rer. Hung. dec. 3. l. 3. Thuroc. in Sigism. cap. 24. Naucler. gener. 49. Roo in Hiſt. Auſtr. lib. Remeſſ. Klat. 6. in Vita Sigiſm. Cuſpin. etc.

Ejus laudum præconia.

in hoc potiſſimùm laudabilis, ac in omne ævum memorandus: quod ſchiſma Chriſtiano nomini calamitoſiſſimum, ſuâ induſtriâ & ſolicitudine ſuſtulerit: per pauci ſanè Cæſares in bello, ut de hoſte triumpharent, tot labores adiêre, quot *Sigiſmundus*, ut Eccleſiæ reſtitueret pacem. Omnes ferè totius Europæ provincias peragravit, eáque in cauſa etiam Regem Hiſpaniæ, *Perpiniani*; quinimò & ipſos *Pontifices, qui tum erant tres*, adijt: *toto denique triennio ante Concilium Conſtant. laboravit fideliſſimè*: memoriâ vel propter hoc æternâ digniſſimus. Ejus laudes breviter ſimul & copioſè enumerat *Tritbemius Abbas* hiſce: *Anno prænotato, in menſe Decembri, obijt in Moravia, Sigismundus Imp. Romanorum, Rex Hungariæ & Bohemiæ: Princeps Chriſtianiſſimus, amator Dei, defenſor Cleri, & pauperum Advocatus; ſepultus cum magno honore, non ſine opinione ſanctitatis.* Nam acta, ſi quæ fuêre quondam minùs laudabilia, vitámque juvenilibus in annis lubricam & laſcivientem, ætate demum provectiore, & pœnitentiâ, magníſque in Eccleſiam, pauperes viduas, & pupillos meritis, correxiſſe diluiſſéque creditur.

Tritbem. in Chron. Sponhtim. an. 1437.

In eo omnes conveniunt, *bello & conjugio infælicem fuiſſe.* Et quis mortalium, *ex omni parte Beatus?*

Nemo ex omni parte Beatus.

CAPUT VI.

Bella & ſeditiones, aliæque id genus turbæ, ſub Alberto Auſtriaco; & mortuo illo, Interregni tempore.

POſt mortem Sigismundi, rurſum *Bohemia* civili bello arſit, occaſione cujus etiam *Moravia* haud leve incendium tulit. Nam quùm *Proceres Bohemi*, cooperantibus ùt plurimùm *Roſenbergenſibus*, *Novodomenſibus*, *Rizembêrgenſibus*, ſeu *Sſvvibovvijs, Guttenſteinijs, Kolovvrataïs, Waldſteinijs, Talmbergijs, Malovecijs*; itémq; *Pragenſibus, Plſnenſibus, Kaurzimenſibus, Kuttnenſib. Slanenſibus*, aliiſque Civitatib. præter Hradecium Reginæ, Taborium & Coloniam; *Albertum Archiducem Auſtriæ & Marchionem Moraviæ* in Regem, ſtatim poſt obitum Sigismundi, eodem anno & menſe, in Comitijs Pragæ celebratis elegiſſent; ac demum anno ſequenti, jam tum *Imperij* quoque *Germanici, die 26. Aprilis, & Regni Hungarici* ipſis Cal. Januarij, diademate inſignitum, ritu ſolemni ſuſcepiſſent, coronâſſéntque; ùt mox dicemus: contra verò alij, utì *Hynko Ptaczek de Pirgſtein, Alexius Holiczky de Sternberg, cum Petro filio, Georgius de Podiebrad, Victorini* ſive *Boczkonis ſenioris*, cujus ſuperiùs meminimus, initio anno 1427. Pardubicij, defuncti filius, *Petrus de Zvvirzeticz Czenek VVartembergius*, & *Przibyk Klenovius*, pertractis in ſuam ſententiam civibus Hradecenſibus & Taborienſibus, itémque *Bedrzichbone*, qui ſub id tempus Kolinam receperat, *Czapkone, Joanne de Ruſſinovv, Benesſio de Mokroſaus*, & alijs ſeditioſis non paucis, qui non niſi perturbatâ Republicâ bellum

Albertus in Regem eligitur:

VVeleslaV. in Calend. Hiſtor. ad diem 27. Decembr. MS. Laudæ an. 1437. Hagek Kutten. an. 1438. Daubraſ. l. 28. Æn. SylV. in Hiſt. Bob. c. 55. Roo in Hiſt. Auſtr. lib. 5. Cuſpinian. in Alberto II. MS. Drabon. an. 1438. diem habet 29. Junij, prout VVeleslaV. in Calend.

bellum expetebant; *in Cazimirum VVladiſlai ejus nominis III. Poloniæ Regis fratrem, adoleſcentem* inclinarent, ipſo jam etiam in Regnum vocato; res ad arma venit: utráque enim factio, ſententiam ſuam, vi & armis proſequi decrevit. Et quoniam etiam *ex Moravis* non pauci adhæſerunt factioni adverſæ, inter quos *Bertholdus de Lippa, Joannes à Pernſtein, Kravaræi atque Cymburgij* potiores habebantur, iram indignationémque Cæſaris, primò omnium in ſe concitârunt. Hinc exſtat apud Gerardum de Roo, in Hiſtoria Auſtriaca iſtud: *Cùm verò Auſtriacorum copiæ, quæ per Moraviam rebelles aliquot multaverant, advenisſent, Cæſar Iglaviâ diſcedens Kuttnam venit.* Ita lubrica paucorum fides Patriam novis implicuit ærumnis & cladibus. renitentibus fruſtra ſeditioſis. Civile bellum exoritur. Roo ſupra citat.

Anno itáq; 1438. *Albertus* ex Germania redux, in Bohemiam venit, *Roſenſibus, Svibovijs, Hazmburgijs, Kolovvratæis*, aliísq; fidelibus comitatus. Kuttnæ proceſſioni ſolenni in *Feſto Corporis Chriſti* interfuit: ac inde poſtea, ſtatim die ſequenti Pragam versùs movit: ubi die 29. Junij, qui erat SS. Apoſtolis Petro & Paulo ſacer, adferente Regalia Meinhardo, *ab Epiſcopo Olomuc. Paulo de Miliczin*, aliàs *de Talmberg, Sede Archi-Ep. tum vacante, præſentibus Philiberto Conſtantiæ Magnæ*, (ità ſcribit Drahonicius) & *Litomiſlenſi Epiſcopis, in templo Metrop. D. Viti coronatus eſt*, unà cum conjuge Eliſabetha. Coronam portârunt ùt idem narrat, ſub umbella, quatuor primarij Regni Proceres: *Ulricus de Roſenberg, Meinhardus de Nova Domo, ſupremus Burggravius, Nicolaus Zagicz de Hazmburg, ſupremus Judex, & Hanuſsius de Kolovvrat*, aliàs *de Kraſſovv*: ſceptrum tulit *VVenceslaus de Michalovvicz*, tum Ord. Cruciger. Rhodiorum grandis Prior; gladium *Kruſsina de Kumburg*; pomum aureum *Joan. de Rizmberg aliàs de Rabi*, ante & poſt coronationem. Albertus in Bohemiam venit: Pragæ ſolemni ritu coronatur. Primarij tunc Regni Proceres.

Tali Bohemiæ ſtatu, bellum inteſtinum facilè exortum eſt, *tam Bohemiæ, quàm Moraviæ*, ac imprimìs *provinciæ Olomucenſi*, ab ea parte, quâ regionem attingit *Oppavienſem*, ſummè pernicioſum. Enimverò *Poloniæ Rex*, ut factionem fratris in Bohemia adjuvaret, Palatinos duos, *Cazimirum Oſtrorogum Poſnanienſem*, & *Joannem Tencinium Sendomirienſem*, cum duobus millibus equitum, ùt *Cromerus* ex Bonfinio refert, (*Drahonicius* quinque millia numerat) in Bohemiam miſit, ſpe datâ, ſubſequuturum brevì cum majoribus copijs fratrem *Cazimirum*: & hi conjuncti Bohemorum copijs, quas *Ptaczek, Bedrzich & Czapko* ductabant, primò omnium ditiones *Ulrici Roſenſis, & Meinhardi* vaſtandas ſuſceperant, *Sobieslaviâ* captâ & incensâ: profligati deinde, *Taborium* ſeſe receperunt. Quam urbem non multo poſt *Albertus, Friderici Ducis Saxoniæ, & Chriſtophori Ducis Bavariæ, qui etiam præſentes aderant, adjutus auxilijs*, gravi obſidione per dies ferè quadraginta tenuit, nec tamen obtinuit. Crom. de reb. Polon. lib. 21. Drahon. ad an. 1438. Polonorum conatus in Bohemia irriti:

Inter hæc *Poloniæ Rex* coacto exercitu, in ſuperiorem Sileſiam, unà cum fratre, ex improviſo irruit; quâ longè latéque pervaſtatâ, Principes vicinos, uti *VVenceslaum, Przemyslum, & Joannem Oſvencimenſes; Bernardum, Joannem & Nicolaum Opolienſes; VVenceslaum Ratiborienſem ac Oppavienſem*, vi metúque adactos, in verba *Cazimiri* jurare coëgit. Jámque ad Oppaviam at per Sileſiam feliciores utcúnque:

viam caſtra poſuit; & ut eò citiùs diſtraheret Cæſaris vires, progredi inde in Moraviam conſtituit, præmiſſis aliquot equitum catervis, quæ adhibitâ celeritate, priusquàm tale quid â Provincialibus animadverti poſſet, obvia quæque vaſtarent. Sed *cognitâ ſuorum in Bohemia clade*, quam incerta primò attulit fama, deinde *profugus Tencinius*, rem *Cazimiri* haud dubiè jam in Bohemia perditam demonſtrans: inſuper cùm & nuncij accurriſſent certi, majorem Poloniam ſummo in periculo verſari indicantes; Germanis, *duce Alberto* (hic erat *Brandeburgi Marchio, cui ob invictum animi pariter ac corporis robur, Achillis Germanici cognomen â Pio II. Pontifice Maximo tributum eſt*) impunè vaſtantibus univerſa; conſilio mutato, retrò quâ venerat viâ, reverti maturè in tutiora haud diſtulit. Pari ratione equeſtrium copiarum duces, per celeres nuncios revocari ex Moravia quantocyùs juſſit; qui tamen non niſi expilato ad extremum penuriæ toto illo, circa *Fulnekam, Podſtatam, Vetero Gitczinium, ad Beczvam usque tractu*, cùm benè expleti ditatique prædâ eſſent, reverterunt. Adnitentibus poſtea *Concilij Baſilienſis* legatis, quorum princeps fuit *Rodericus Burgenſis Epiſcopus* natione Hiſpanus, vir ſcientiâ & virtute magnus, induciæ aliquot dierum factæ ſunt, intra quas *VVratislaviæ*, quò deinde Cæſar, die 18. Nov. per Luſatiam iter faciens venerat, de pacis conditionibus diſceptaretur. Conveniri tamen non potuit, quòd fortaſſe Cæſar non ſatis ex ſua dignitate futurum eſſe duceret, injuriam tam inſignem, tótque *Bohemiæ, Moraviæ & Sileſiæ flammâ ac ferro illatas clades*, bello non ulciſci. Induciæ nihilominùs aliæ quadrimeſtres pactæ, quarum ſpatio tractatio pacis rurſum tentaretur: *Alberto* interim, *in Amurathem Turcarum tyrannum ejus nominis II.* magnâ ſolicitudine intento: quem moliri hoſtile aliquid, vel *in Hungaros*, vel *in vicinos Boſnas atque Servios*, ex apparatu bellico, quem toto hyemis tempore *Adrianopoli* adornabat, haud vanè ſuſpicabatur. Qua de cauſa etiam, cùm aſſiduis penè nuncijs & literis revocaretur in Hungariam, commiſsâ *Alberto Brandeburgico* pacis & belli per Sileſiam curâ; *Ulrico* verò *Comite Ciliæ*, fratre Barbaræ Imper. quem ante ſuum *in Luſatiam & Sileſiam* diſceſſum, Regni Bohemiæ gubernatorem conſtituerat, quòd rebus novandis ſtudere haud obſcurè videretur, amoto, & loco ipſius, *Ulrico Roſenſi & Meinhardo*, viris expertæ fidei, Regno præeſſe juſſis; die S. Stanislai Wratislaviâ diſceſſit, & itinere ducto *per Glacium, Brunam & Hodoninum*, citatis paſſibus in Hungariam contendit.

coactis aliquot Principibus ad obſequium;

& initio per Moraviam quoque.

MS. Pernſt. ad an. 1438.

Albertus VVratislaviam venit, ibique per hyemem manet:

imminente bello Turcico,

Sylvius. Cochlæus. Dubrav. Curæus. Cromerus.

in Hungariam revertitur.

Jam Turcæ emenſi viam per aſperrimas *Hæmi montis* fauces, *in Myſiam ſuper.* torrentis inſtar ſeſe effuderunt; & cùm nemo reſiſteret, aliqui in Syrmium usque vaſtabundi penetrârunt, ut uno tempore *Hungari & Boſnæ* ancipiti bello, & duobus in locis diſtracti, tanto magis haberent, quod rebus ſuis timere cogerentur. *Georgius* provinciæ regulus (*Deſpotem* Græco vocabulo nominant) viribus impar, trajecto *Savo & Danubio*, in Hungariam, ad imploranda vicini Regis auxilia, cum *Lazaro filio* conceſſit: poſt cujus abitum *Epiſcopus Samandrienſis*, aliique *viri Illuſtres*, attonitis ſimiles, cùm nulla penitus ſuppeterent media ſeſe defendendi, & ipſi conclamatis vaſis, quâ majo-

Turcæ Serviam invadunt:

majori quiſque potuit feſtinatione, varias in partes diſceſsêre. In ea tamen trepidatione *Stephanus & Gregorius*, Georgij minores natu filij, generoſo ſuſcepto conſilio, *Samandriam*, ſeu (quemadmodùm noſtrates linguâ Slavonicâ vocant) *Smideroviam*, primariam totius Provinciæ urbem, quarto lapide *Belgrado*, ſeu Albâ Græcâ diſſitam, *à S. Andreæ templo ibidem primo*, luxato nonnihil vocabulo, denominatam, tuendam defendendámque, ſive patris juſſu, ſive proprio motu, uti erant ſpectatæ virtutis adoleſcentes, ſibi ſumpſerunt: quam etiam *contra Amurathem*, per duos continuos menſes ſtrenuè defenderunt.

Chron. Turc. apud Lebencl. Bonfin. Thuroc. Ens. Sylvius. Samandriam obſident, an. 1439.

Albertus Budam veniens, & Hungaros, in tam vicino periculo, ſegniùs quàm putâſſet, ad arma concurrere videns, ac rei indignitate commotus, Palatino & primoribus alijs, non parum ſuccenſuit. Nec mora, ad omnes provincias nuncios mitti jubet, cum novis mandatis, ut poſthabitâ omni cunctatione, arma expediant, & majori quo poſſint numero, cùm neceſſitas id requirat, *ad Peſtum inferius*, quod ad Danubij ripam, propè Tybiſci confluentem ſitum eſt, ſub ſignis conveniant. Ut porrò alijs oſtenderet in ſe exemplum, eò ipſemet modicis ſtipatus copijs, nec expectatis reliquis, magnâ celeritate properavit. Verùm *Amurathes*, qui jam *Samandriam* oppugnabat, quò propiùs Hungarorum auxilia adventare didicit, eò arctiùs & inſtantiùs urbem obſidione preſſit, dies noctésque oppugnationem continuando: donec tandem, cùm plurimi â paucis, & recentes ac integri, â feſſis & ſaucijs ſuſtineri ampliùs non poſſent, urbs unà cum arce regia, furori hoſtium ceſſit; in qua Victores, pro ſuo more, in omnes cujusvìs ætatis & ſexûs, cædibus & ſanguine graſſabantur immaniter; paucis juvenibus ſervatis, qui in ſervitutem abducti, & in caſtris ſub haſta divenditi fuêre. *Stephano & Gregorio* captis, tyrannus vitam quidem conceſſit, (fors aliquo affinitatis affectû motus, *nam ſororem illorum habebat conjugẽ*) ſed ut redderet illos ineptos ad fortiter gerendum deinceps quidquam, oculorum uſu privavit, admotâ pupillæ, candenti æneâ pelvi; ut ſic oculi fervore exſiccati, videndi uſum amitterent, formam retinerent. Captæ urbis fama, toti viciniæ, non ſolùm *Servijs*, *Boſnis & bulgaris*; ſed etiam *Hungaris*, *VValachis*, *Moldavis*, *Tranſylvanis*; & ab altera parte, *Dalmatis*, *& Albanis Epirotiſque* magnum incuſſerat pavorem; metuentibus vicinitatem tam diri & præpotentis hoſtis, qui omnia vincere & ſub jugum dare conſveviſſet, futuram aliquando ſibi perniciosâm; & proximam, ut alijs circumcirca populis ab eo devictis, ipſi ultimò domi ſuæ, pro aris & focis dimicantes, neque ampliùs ad reſiſtendum ſufficientes victima ejùs fiant. *Amurathes* tametſi in animo habuerit aggredi etiam *Belgradum*, quò jam præmiſerat *Beglerbegum Romaniæ* cum valida copiarum parte: cognito tamen Hungaros maximo numero in armis eſſe, mutato conſilio, nihil ampliùs tentandum duxit, ſed *Samandriâ*, & quibusdam alijs locis præſidio firmatis, *Sophiam*, ac inde *Adrianopolim* receſſit.

& Hungaris ſegniùs auxilia ferentibus,

oppugnant & expugnant, *in Auguſto.*

filios Deſpotæ exoculant: *Gerard. de Roo in Hiſt. Auſtr. lib. 5. Bonfin. dec. 3. lib. 4.*

vicinis Regnis & populis magnum incutiunt metum:

in Myſiam infer. cum triumpho redeunt.

Albertus quoque, cùm præter ſeditionem in caſtris ortam, aliáſque difficultates, magna militum pars, varijs vulgatíſque morbis, potiſſimùm verò pro-

Albertus quoque domum revertitur:

profluvio ventris, ex immoderato autumnalium fructuum eſu, lanqueret; multíque duces, & ad extremum etiam ipſemet, ejusmodi malo admodùm gravi & periculoſo, ſimiliter ex melopeponum eſu nimio, laboraret; ulterioris belli gerendi cogitationes omittere coactus, Budam unde venerat, repetendam, reducendáque caſtra decrevit: priùs tamen copias, quas proprio ære conductas habebat, in opportuna loca diſtribuit, ac imprimìs *Belgrado Slanokameno*, *Varadino Petri*, *Vilaco*, & quibusdam etiam *in Syrmio* oppidis atque arcibus, majora præſidia impoſuit; quòd ex ijs locis vigilando & agendo, excurſiones hoſtium, quæ *à Samandria* impoſterum erant haud dubiè expectandæ, averti poſſe viderentur. *Budam* delatus, cùm morbum ingraveſcere ſentiret, *Viennam* ſe portari juſſit; vel quòd aërem in quo fuerat nutritus, morbo remedium allaturum ſperaret; vel ſi omnino moriendum eſſet, in patria potiùs quàm alibi mori vellet. Diſſvadebant iter medici; meliùs eſſe, & valetudini commodiùs, quietè ſeſe continere, demonſtrantes, *cùm omnis agitatio inteſtina exulceret:* ſed ille omnibus medicorum placitis, patriæ deſiderium præferens, ita eam anhelabat, ut palam diceret; ſe non dubitare, ſi *in Auſtriam* eò tantùm pervenire, unde *Vienna* videri poſſit, liceret, quin ſanitatem eſſet recuperaturus. Itáque iter ingreſſus *Strigonium* venit, ubi ad tempus ab agitatione conquievit: mox refectis pauliſper (ùt videbatur) viribus, quùm in pagum quendam *Neſmiel* dictum, veniſſet, vi morbi victus, & Chriſtianis ſacris munitus, *piè in Domino obijt, VI. Cal. Nov. anni 1439.* Cujus obitus eò acerbior viſus eſt, quòd in optimo ætatis flore, dum maxima de virtutibus ejus eſſet expectatio, repentè deceſſit; & magìs adhuc, quòd nullam melioris ſexûs prolem ſuperſtitem reliquit, præter filias duas: *Annam*, quæ Wilhelmo Duci Saxoniæ; & *Eliſabetham*, quæ Cazimiro Poloniæ Regi, poſtea nupsêre; & præter *uxorem Eliſabetham utero gravem.* Corpus *Albam Regiam* conſveto funebris pompæ ordine delatum, ínque Regum conditorio honorificè ſepultum eſt. Juſta deinde funebria ſunt ei ubique per Regna & provincias, magno apparatu perſoluta: *Brunæ in Eccleſia S. Petri* die 9. Novemb. *Pragæ*, die 22. vel ùt habent aliqui 24. ejusdem menſis; non ſine luctu multorum, reputantium, quantum ſuperioribus annis malorum pertuliſſent, *durante Interregno!* indéque ex præteriti temporis recordatione, ſequentis ſtatum metientium.

arcibus limitaneis priùs bené proviſis;

gravi dyſenteriâ corripitur:

moritur, die 27. Octobr. relictâ conjuge, prole gravidâ.

Sylv. cit. c. 56. Dubrav. l. 28. Bonfin. dec. 3. lib. 4. Roo in Hiſt. Auſtr. lib. 5. Hagek. Kutten. Dmhon. ad an. 1439.

Eodem anno, morbus popularis, *per Bohemiam & Moraviam*, ac potiſſimùm in Nobilium & doctorum virorum capita, vehementer ſævijt. Primò omnium *Philibertum Epiſcopum Conſt. Adminiſtratorem Archi-Ep. Prag.* die 20. Junij ſuſtulit; deinde *M. Chriſtannum de Prachaticz*, virum in Theologia & diſciplinis Aſtrononicijs, ínque Medicina, per ea tempora excellentem, die 5. Septembr. præter alios multos viros Illuſtres. Author *Chronici Regino-Hradec.* qui tunc vixit, ſcribit: *à pluribus retrò annis non fuiſſe auditum, ut tot Barones, Nobiles, aliíque viri egregij utriusque Ordinis Eccleſiaſtici & Politici, intra hoc breve anni ſpatium, tam præproperè obijſſent, ſicuti anno iſto, quo immites Parcæ, quaſi in illos præcipuè, conſpiràſſe videbantur.* Memoratu

Peſtis in Bohemia & Moravia, ut plurimum Nobilibus & Doctis infeſta.

MS. Chron. Regin. Lupac. VVeleslav. in Calend. Hiſt. an. 1439.

ratu dignum eſt Chriſtanni jam nominati vaticinium de Bohemiâ, quod ex antiquo MS. Codice Novodom. Biblioth. Coll. S. J. deſcriptum mihi nuper dederat P. Balbinus, nempe: *Bohemiam non ita exterorum vi aut potentiâ, ſicuti conſpiratione & conſilijs domeſticorum, ac ipſorummet Bohemorum, qui ſuam operam exteris oſoribus nationis Bohemicæ commodaturi ſint, ad incitas & ſummam paupertatem redigendam*, &c. Quod ego non credo. *Divi Patriæ Tutelares* avertant iſta, ut *inimici Patriæ, ſint domeſtici ejus!* aliàs *ubi Pietas? ubi priſca fides?* ubi Patriæ amor?

Vaticinium de Bohemia.

non credo, quia Verificari

Poſt Alberti mortem *recruduerunt, in coactis de Rege optando Comitijs, procerum Bohemorum acres contentiones.* Erant, qui expectandum cenſerent, dum *Regina* partu levaretur: alij contrà diſputabant, eum eſſe Regni ſtatum, qui præſentem Regis, ac talis, qui ſeditioſos compeſcere, maximè verò collapſam religionem erigere, ac in priſtinum decus reſtituere poſſit, opem requirat; ne dum ut infante nondum nato, & incerti ſexûs, ulla publica rei ſpes collocari queat; & hi *Albertum Bavariæ Ducem*, quòd Bohemicæ linguæ gnarus eſſet, apud Wenceslaum Imp. Pragæ quondam nutritus, *& quia nationem Bohemam amare dicebatur*, in Regnum vocabant: multi *in Polonum*, ſicut antea inclinabant. Tandem, cùm *Bavarus* diſtractum religionibus regnum ſuſcipere abnueret, & *Poloniæ Rex*, Hungariæ coronâ ſibi oblatâ, Bohemicis rebus interturbari nollet, fratri potiùs Lituaniæ Ducatum cedens, placuit univerſis *Ladislaum*, quem inter hæc Regina enixa erat, *Regem deſignare:* & nè qui pernicioſi motus, priusquàm is adoleſceret ſuborirentur, Regnum Eparchis ex procerum corpore delectis duobus (ij erant *Meinhardus de Novadomo, & Hynko Ptaczek*) committere. *Eques de Drabonicz*, qui tum vivebat, ùt jam toties monui, ſcribit: Ordines Bohemiæ, circa feſtum S. Joannis Baptiſtæ, an. 1440. comitia habuiſſe, in iiſque *duodecim Barones, octo milites ſeu Equites, & quosdam de civitatibus, unà cum M. Joanne Rokiczana delectos eſſe, qui Regem nominarent, ab iiſque pluribus ſuffragantium votis electum Albertum Bavarum.* Idem confirmat Chronicon MS. Regino Hrad. & aliud MS. incerti Authoris, & ex illis Hagek. *Cúmque is ſingulari animi moderatione alienum Regnum, cum injuria tertij, acceptare nollet, & per hoc reverà ſe majorem ſpreto Regno, monſtraret, à Bohemorum legatis, ex ſtatu Procerum primarijs, ea de cauſa Kaubæ conventus & ſalutatus; in Fridericum III. Cæſarem Ladislai patruelem convertiſſe animos: ſed dum & ille Regnum pupilli, cujus tutelam gereret, ſuſcepturum ſe negaret, tum primò Ladislaum, eo modò, quo jam diximus, in Regem ſuſcepiſſe.*

Interregnum.

Diſceptatio de Rege eligendo; alijs in Bavarum, alijs in Polo- inclinatis.

Ladislaus naſcitur, an. 1440. die 22. Febr. & in Regem Boh. deſignatur.

Dux Bavariæ ad Coronam Boh. vocatus, deſiderari maluit, quàm venire.

MS. Drabon. an. 1440. MS. Regino-Hrad. an. eod. MS. Anon. an. eod. Hagek. an. eod. Sylvius in Hiſt. Boh. c. 57. & 58. Cochlæus in Huſſit. lib. 9. Daubrav. l. 28. Adlzreit. in Annal. Boj. part. 2. l. 8. n. 7.

Cæterùm *Moravi*, poſt peractas Alberto exequias, & deploratam non absq; publico omnium luctu ejus mortem, Comitijs ad diem S. Luciæ indictis Brunam, quùm conveniſſent frequentes, ante omnia, *uti boni Reip. cives*, de remedijs pro conſervanda communi omnium pace neceſſarijs, conſultare cœperunt. In quem finem, *Confœderationem ſolennem* (vulgò **Landfryd** nuncupatam) inierunt; vigore cujus, *pacem & concordiam inter ſe conſtantem & inviolabilem ſervarent, alter alterius damna averterent, unus pro omnibus, & viciſſim omnes pro uno ſyncerè ac fideliter ſtarent; idque toto Interregni*

Confœderatio Moravorum.

tempore, donec iterum Deo Opt. Max. auſpice, Regem & Dominum acciperent. Quam confœderationem, alijs demum Comitijs, VI. Cal. Febr. an. ſequentis, ibidem Brunæ celebratis repetierunt, eámque etiam tabulis, ſeu diplomate ſolenni, omnium manibus ſubſcripto, omniúmque ſigillis munito confirmârunt. Nomina eorum qui ſubſcripsêre ſunt: *Paulus Dei Gratiâ Epiſcopus Olom. Joannes de Lomnicz, Joannes de Lichtemburgo & Corſtein, Albertus à Sternberg & Lukovv, Dobeß de Mezerzicz & Trnavvka, Chriſtophorus de Lichtenſtein, Joannes de Kragko & VVranſtein, Rumprecht de Novadomo, Petrus de Kaunicz, Heralt de Kunſtat & Liſicz, Laczek à Sternberg, Joannes de Bozkovicz & Luka, Joannes & Miroslavv fratres à Cymburg, Beneß & VVenceslaus de Bozkovicz, Hynek de VValdſtein, Stephanus de VVratinovv, Paulus & VVok de Sovvinecz, Proczek de Kunſtat & Opatovicz, Joßt de Roſicz, Smil Berka de Moravan, Nicolaus de Tuorkovv, Proczek de VVilemberg, Jaroslaus de Schelmberg, Nicolaus de VVlaßim. Et VVenceslaus de Kukvicz Subcamer. Joannes Kuziel de Zieravicz, Marquardus de Zvvole, Borzek de Ottoslavicz, Joannes de Oppatovicz & Dlaube Wſy, Oſvaldus de Hradek, Czeniek de Moſſnovv, Zdeniek de Svabenicz, Marquardus de Dubnian, Nicolaus de Milenicz, Petrus de VVitovicz, Blaſius de Borotin, Beneß de Svvonovicz, Joannes Racek de Mrdicz, Joannes Tlaczifvviet de Biſtricz, Nicolaus Cikan de Raczicz, Petrus Nebogſe de Sebradicz, Ctibor de Hluk, Andreas de Bukovicz, Bobunek & Cunradus fratres de Miroslavv, Gevvl de Hruſſovva, Joannes Zub de Zdietin, Joannes Svvinka de Schardicz, Mendlyk de Kraſinburg, Henricus de Podbradi, Geſſek de Pitimovv, Mirek de Drazevvagicz, Zavviß de Kunßicz, Protivecz & Hermannus fratres de Paulovicz, Lvvik de Lezan, Joannes Kepina de Zvvole, Nicolaus de Nevogicz, VVenceslaus de Dobotin, Stephanus de Paulovicz, Hynek de Augezdce, Zdislavv de Ochab, Meſſek de Koſtelecio, Paulus de Utenczicz, Joannes de Sskrbna, Sigismundus de Reiſperg, Andreas VValach de Przestavvlk, Boguſſe de Bitovv, & Sokolnik, Jacobus de Marſſovv, Joannes de Katerzinicz, Joan. & Hynek fratres de Rokitnicz, VVenceslaus de Zieravicz, Aleß de Wrabovicz, Zych de VVolfenberg, Archleb de Wiczkovv, Bohdal de Dedkovicz, Henricus de Buczicz, Stach de Kokor, Ctibor de Hoferzicz, Mladota de Pruſſnovicz, Pan de Podſtata, Milota de Morkovicz, Archleb de Zienikovicz, Racek de Cetechovicz, Beneß de Zaſtrzizl, Philippus de Augezd, Henricus de Zibovvka, Henricus de Jaromirz, Zdislavv de Nakle, VVenceslaus Papiß, Andreas & Joan. fratres de Walkovicz, Joannes Kuziel junior de Zieravicz, Buſſek de Melicz, Archleb de Placlavicz, Archleb de Kunovicz, Procopius de Domamislicz, Slavek de Sochovicz, Sigismundus de Weitmille, Stephanus de Slavikovicz, Joannes de Koſſnik, Joannes de Opomislicz, Blaſius de Przezkovv, Hanuß de Wadikovv, Smil & Joan. fratres de Nemoticz, Stephanus de Dobrokovicz, Chriſtophorus de Scheroſel, Iacobus de Drzinovv, Petrus de Zvvole. Et Conſules atque Senatores Civitatum, Olomucij, Brunæ, Znogmæ, Iglaviæ, Hradiſtij, Uniczovij, Litoveliæ & Evanczicij. &c. Dat. Brunæ an. 1440. Feriæ*

Nomina Dominorum, ſeu Baronum.

Nomina Equitum.

Omnes hi Reipublicæ amantes.

Ctibor. de Cymburg. in libello de regim. Polit. Moraviæ, propè init.

Nomina Civitatum Regiarum.

Digitized by Google

ria V. poſt Feſtum Converſionis S. Pauli Ep. Talis armorum & animorum Unio, pro conſervanda pace publica, facta eſt etiam inter Bohemos, eodem anno & tempore.

At in Hungaria, *Ladislaus Alberti poſthumus*, vix quatuor menſes natus, cunis regio ſolio impoſitis, more ſolemni coronam, quantùm immatura infantis ætas ferebat, ſuſcepit, jurante pro eo in leges *Ulrico Cilienſi Comite, tanquàm cognato:* Quâ ſolemnitate peractâ, mater Regis, cùm non ſatis Hungarorum animis, quos majori ex parte *in Wladislaum Poloniæ Regem* propenſos haud obſcuris indicijs animadvertebat, confideret, *ad Fridericum* Cæſarem confugit; ac ne quis alius poſt filium Regno inaugurari poſſet, coronam, deceptis Proceribus ſecum aſportavit. Interea *Wladislaus* inſigni cum comitatu in Hungariam venit: & cùm decretâ ejus coronatione, non inveniretur corona, Reginæque dolus appareret; ne longior ſolemnitati huic mora obijceretur, alia *corona S. Stephani Regis*, quæ erat in ſacello Albenſi, inter reliquiarum ornamenta, ſubſtituitur, eâque coronatus *Wladislaus, Hungarorum Rex proclamatur:* tum *Poſthumi* coronatio, ceu vitio facta, irrita eſſe jubetur, ac ne quis eum pro Rege agnoſceret, edicitur. Hinc bellum civile exarſit, proceribus in duas factiones ſciſſis, *in Germanicam & Polonicam*, quæ demum utriſque magno incommodo, Regno etiam exitio fuêre. In Regem verò Romanorum, Alberto defuncto, concordi omnium conſenſu, electus eſt, quem jam nominavimus, *Fridericus Tertius* (Quartum numerant, qui *Fridericum Pulchrum* æmulum Ludovici Bavari in ſerie Impp. ponunt) *Archidux Auſtriæ, Erneſti filius*; juvenis 26. annorum, pietate inſignis, quâ ductus *in Terram Sanctam* viſitavit, (ante Electionem) paciſque tuendæ ac promovendæ adeò amans, ut Pacifici cognomen obtinuerit. Electus *Francofurti* III. Cal. April. vel ùt quidam notârunt, IV. Nov. Febr. anno 1440. & poſt biennium primò *Aquisgrani* coronatus XVII. Junij.

Ladislaus Poſthumus infans, coronatur Rex Hungariæ.

Cui factioſi opponunt VVladislaum Regem Poloniæ.

Fridericus Archidux Auſtriæ fit Imperator.

Per id tempus multi *per Moraviam*, uti etiam *per Bohemiam*, latrocinia exercendo, rapinis & cædibus, non modò vias publicas, ſed pagos etiam opulentiores, & oppida infeſta reddebant: quos cùm vagos & latibula captantes per vias & compita, ſylváſque perſequi difficillimum fuiſſet, eorum domicilia & receptacula, quædam *Ioannes de Cymburgo Capitaneus Moraviæ*, alia *Bertholdus de Lippa*, conjunctis viribus cum *Ioanne Lichtenburgo*, alia *Pernſteinij Wilhelmus & Albertus*, vi expugnârunt, diruerunt; & latrunculos partim ê medio ſuſtulerunt, partim exilio mulctârunt. Et quia de Nobilitate etiam non pauci ejuſmodi flagitij inſimulabantur, qui munitiora loca tenebant, quàm ut â tumultuario milite expugnari poſſent, conſcribi juſſus eſt ex provincialibus juſtus exercitus: ſicque in unum coactis totius Provinciæ viribus, juxta confæderationem nuper initam, de qua jam dixi, ad purgandam rapinis Provinciam itum eſt; multique ê pertinacioribus ferro cæſi, qui vivi in manus venerunt, ſuſpenſi: cæteri in Hungariam daturi militiæ operam profugerunt. Eorum poſtmodùm acceſſione *Ioannes Giskra Bohemus*, qui tunc Regis poſthumi partes, adversùs factionem VVladislai ſtrenuè defendebat, acer-

Latrocinia per Moraviam, invaleſcunt,

quæ etiam nonnulli ê Nobilitate fovenda ſuſcipiunt:

ſed publico armorum & legum conſenſu tolluntur.

Digitized by Google

Philip. Callim. de reb. geſt. à VVladiſlao Polon. & Hung. Rege lib. 2. ad init.

Giskræ Bohemi encomium.

acerrimi, inquit Callimachus, *vir ingenij, ducúmque illius temporis, militaribus artibus & robore virium facilè princeps, raptor, largitor;* & ut bello optimus, ita in pace haud aſpernendus, multum virium ſuarum incrementi ſumpſit; & adhuc multo plus, cùm Joannes *Telephus de Rziczan Baro Moravus, Petrus Radkovvecz, Nicolaus Komarovvsky, Uderczky, Kersky, Czegka, Akſamitek & Rybald, Bohemi* ſeſe ei adjunxiſſent. Hic *Caſſoviam* & oppida multa, in ſuperiori Hungaria occupavit, eáque ſtrenuè defendit: profligatis Marte felici non ſemel Hungarorum exercitibus: ipſo etiam *Ioanne Hunniade*, viro forti, ac diſciplinæ militaris ſcientiâ clariſſimo, anno 1451. die 7. Septemb. gravi prælio fuſo, ac totis caſtris exuto. *Habebat tunc Corvinus*, ſeu *Hunniades 16000. militum Hungarorum, ùt refert Cromerus, Giskra ſolùm 4000. Bohemorum & Moravorum.*

in Bohemia latrunculorum receptacula expugnantur.

Anno 1440. in Bohemia, cùm inſolentiores quidam, occupatis nonnullis arcibus, non ceſſarent â maleficijs, furtis, rapinis & latrocinijs, ſed continuarent vicinis omnibus, ac imprimìs viatoribus eſſe graves; vim tandem publicam in ſe concitârunt. Expugnata illorum, receptacula & diruta: inter alia, arx W*aldſtein*, nunquam deinceps inſtaurata, cujus rudera hodiéque extant; & ſequenti anno, caſtrum *Hus* in diſtrictu Prachenſi; *Lopata* jam ſecundò, & *Skala*, in Plſnenſi; *Nachodium, Troska, Dubeneczium, Skurovv & Czernikovicium*, in Regino Hradecenſi.

Amurathes Turca Belgradum obſidet.

Interea *Amurathes*, cui poſt occupatam *Samandriam*, & majorem *Serviæ Boſniæq;* partem, Hungarici quoque ſoli bonitas ſalivam movebat, & ſuperiores hactenus expeditiones *Marte propitio* adminiſtratæ, ejus ſubigendi ſpem faciebant, præſertim *auditâ Alberti morte;* ſtatim poſt prima [illegible]is initia anni 1440. cum toto ſuo exercitu, Hungariam versùs movit, & *Belgradum*, quod tunc erat primarium ab ea parte *Hungariæ propugnaculum*, obſedit. Addebat rei gerendæ animum, Regnum in ſe diviſum, & ſtudia procerum in partes ſciſſa: utendum ergò eâ occaſione ratus, totis viribus urbis hujus longè omnium celeberrimæ oppugnationem ſuſcepit. Situm eſt *Belgradum*, ſeu *Alba Græca*, (olim *Taurunum* â Tauris incolis) *ad Danubij & Savi confluentem*, dirutum quondam ab Hungaris, dum bellum *cum Græcis & Thracibus, ac Bulgaris* ſubinde gererent: poſtea, ùt narrat *Nicolaus Iſthuanffi*, celebris rerum Hungaricarum ſcriptor, â *Stephano Nemania, Boſniæ Rege, ac Serviæ Deſpote*, cognomento *Bano*, ſeu *Pano, Ludovici I. Regis Hung. ſocero* reſtauratum fuit. *Sigismundus demum Imp. ejusdem Ludovici gener, opportunitate loci & ſitûs allectus, factâ cum Georgio Deſpote, Nemaniæ ſucceſſore permutatione, & traditis illi ampliſſimis in Pannonia ditionibus, illud Regno ſuo Pannonico addixit. Habet in eo confluente, velut in extremo promontorij angulo Urbem antiquâ ſtructura, multis turribus, & duplici muro munitam, quæ duabus ex partibus, ijs quos dixi fluvijs alluitur; arcem verò, quâ terra jungitur, edito in colle, excelſis turribus, quadrato ê lapide conſtructis, iiſque complurisbus ſatis firmam; quarum, quæ præcipuè ac munitiores erant, altera* Nebogſe / *quæ vox intrepidam ſignificat: altera â milio, quod ibi magna copia*

Belgradi ſitus, & varia fortuna.

Iſthuanf. Hiſtor. de reb. Hung. lib. 7.

munitionis deſcriptio.

ad.

Digitized by Google

ad varios uſus recondi ſolebat, *Miliaria* vulgò Jagelka (nam milium Slavi Jagly appellant) *vocabatur*.

Præerat Belgrado *Ioannes Hurain*, *Matthiæ Bani Croatiæ frater*, è Raguſio oriundus, vir patricij ordinis; cujus pater multis antè annis, ad merenda ſtipendia Sigismundi ſe contulerat, navatáque illi omnibus in locis forti fidelíque operâ, magnas ab eo opes, bona, & honores obtinuerat. Hic igitur prudenter conſiderans, non de uno oppido, ſed *de porta totius Regni* in præſens agi, animo & viribus ad defenſionem cum ſuis omnibus paratus, & alijs quoque tolerandæ obſidioni neceſſarijs abundè proviſus, ita ſtrenuè proſperéque per quinque continuos menſes, Turcarum impreſſiones excepit, ut *Amurathes* poſtquàm vim externam nequaquam procedere vidit, ad occultas artes & cuniculos, in quibus ſpem ultimam collocabat, converti debuerit. Sed & illi, divinâ, ùt credi par eſt, providentiâ, ſucceſſu caruerunt. Viginti hominum millia uno eodémque tempore, in effodiendis ſubterraneis ſcrobibus laborâſſe dicunt; jámque ita patentem & latam foſſam usque ad mœnia fuiſſe factam, ut quatuor equites penes ſe uno eodémque ordine, facilè ſubequitare potuerint, obſeſſis nihil eorum animadvertentibus; & etiam ne quid tale ex egeſtâ terrâ colligerent, monticulo quodam, qui in eam partem, quâ cuniculi ducebantur, proſpectabat, impeditis. Donec Chriſtianus quispiam in Turcarum caſtris militans, & pio cordis affectu erga Remp. Chriſtianam tactus, per epiſtolam brevem ſagittæ alligatam & emiſſam, ijs, quonam in diſcrimine verſarentur, patefecit. Itum ergò obviam ſine mora occultæ machinationi hoſtium, delusíque Turcæ, & cum clade ſemel atque iterum rejecti, usque adeò ut *Amurathes* duobus iterum menſibus fruſtra conſumptis, graſſante jam etiam in caſtris fame, obſidionem ſolvere compulſus fuerit, amiſſis octo circiter hominum millibus, & ex illis quibusdam præcipuis. Relictâ igitur Hungariâ, ad inſtaurandum exercitum, & comparanda ſupplementa in Thraciam hybernatum ſe recepit. Abeuntem *Ioannes Corvinus*, *VVeyvvoda Tranſylv.* cum ſelectiſſimâ militum manu inſequutus eſt, & deprehenſum *Iſachum Samandriæ præfectum*, quem Amurathes ante ſuum diſceſſum, cum prædatorijs equitibus, ad vaſtandum Syrmium miſerat, & qui tardiùs (fortaſſe prædarum ſarcinis, ſicut & captivorum multitudine gravatus) carpebat iter; clade ingenti profligavit. Præda omnis recepta, captivi liberati, Iſach Samandriam fugâ evaſit. Quâ victoriâ *Corvinus*, Turcas haud inſuperabiles eſſe, primus oſtendit. Erat *Ioannes Corvinus*, Turcis & alijs *Ianek* nominatus, natione *Walachus*, non adeò altis, honeſtis tamen & nobilibus natalibus ortus, matre Græcâ, patre VValacho ſtrenuo viro, & Sigismundo Imp. ob virtutem charo, â quo etiam *Hunniadum* arcem, in extrema Tranſylvaniæ parte, & inde cognomen ipſe & filius accepit. *Vir*, ùt inquit Sylvius, *ingenio dextro & animo ſublimi; & virtutis amator*: cujus nobis erit infrà ſæpiùs mentio.

Belgradenſes ſeſe ad defenſionem præparant:

Turcas repellunt:

Cuniculis actis obviant;

à Chriſtiano quodam apud Turcas militante admoniti.

Turcæ obſidionem ſolvunt.

Bonfin. dec. 3. lib. 4. *Collimach. de reb. VVlad.l.2.* *Cromer. l. 21.*

Joannes Corvinus Turcas profligat.

Sylv. in Europa. c. 1.

Hungaria nihilominùs bello inteſtino agitari & lacerari non ceſſabat: quod quidem *Moravia & Bohemia* utcúnque opportunum fuit ac ſalutare;

Digitized by Google

Moravi & Bohemi in Hungaria militant ſub Giskra duce,

eò quòd hoc modo, ab inquietis & turbulentis hominibus, quibus in armis duntaxat ſpes erat, & qui non niſi rapto vivere aſſueverant, ideóque vocati â *Giskra* in Hungariam, haud gravatè militiæ Hungaricæ nomina dabant, ſenſim evacuabantur. Quorum viribus auctus *Giskra*, toto illo anno, & ſequentibus etiam, Hungariam ſuperiorẽ, *contra* W*ladislaum & Polonos* egregiè tutatus, in obſequio *Ladislai Poſthumi*, rebus ſemper proſperè geſtis, exercitibus VVladislai, ſub Joanne Perenio duce, ſemel atque iterum magnâ cæde profligatis, *Epereſſio*, *Kremniciâ*, *Podolinecio*, *Lubloviâ*, *Biſtricio*, *Richnoviâ* expugnatis, *Caſſoviâ* fortiter defensâ, continuit. *Corvino* ſub id tempus, poſt debellatos & in partes VVladislai reductos, *Dalmatas & Croatas*, bello novo cum Turcis occupato *in Tranſylvania*; cum quibus hoc anno, qui erat 1441. binis vicibus conflixit, & ſecundò prælio omnium graviſſimo, quo *viginti millibus Turcarum cæſis*, ipſum quoque ducem illorum *Meſythem Begum* cum filio interemit.

pro Ladislao Rege.

Corvini novæ victoriæ de Turcis obtentæ.

Anno 1442. *Julianus Cardinalis*, ab *Eugenio IV.* in Hungariam miſſus, poſtquàm propoſuiſſet Summum Pontificem, utì communem Patrem, valde dolere, Hungariam nobiliſſimum Regnum, & totius Chriſtianitatis Europeæ propugnaculum inteſtinis diſcordijs labefactari, & immaniſſimi Turcarum tyranni prædæ exponi; cœpit agere, ſi quo modo diſſidia, inter Reginam viduam & VVladislaum componerentur. Résque ità demum poſt multas utrínque conditiones adductas & rejectas, tranſigebatur: *ut Regina ambas filias deſponderet duobus fratribus; majorem natu eidem VVladislao, cum dote ducentorum millium aureorum; alteram Cazimiro Lithuaniæ Duci, cum dote centum & viginti millium aureorum. VVladislaus mox ſeſe regio titulo abdicaret, procurationem & tutelam usque ad legitimam pupilli ætatem retineret. Quod ſi inter hæc, aut quandocúnque poſtea, ſine liberis Poſthumum decedere contingeret, cum regio titulo jus quoque & arbitrium Regni ad VVladislaum reverterentur. Cæterùm compenſandis ſumptibus in bellum factis, ager Scepuſienſis perpetuo jure adjungeretur Regno Poloniæ: inſuper Hungari bonâ fide renunciarent cuique actioni & juri, quod aut in Podoliam, aut in* W*alachiam habere ſe crederent.* Has conditiones, utpote Regno ſuo commodas, non aſpernabatur W*ladislaus*: ſed Hungaris non placebant, quæ *de Scepuſio & VValachia* proponebantur; *Corvino* vel maximè, qui tametſi pacem domî, ob imminens â Turca bellum, quocúnque tandem modo parandam exiſtimabat; conditiones tamen penitiùs conſiderans, & præſertim duâs ultimas manifeſtè iniquas videns, aliàs commodiores exigendas cenſebat. Nihil igitur ultimatò concluſum fuit. Venerat deinde *VVladislaus ipſe ad Reginam Jaurini tum commorantem*, experturus, an fortè præſentia, & mutuum colloquium ad concordiam & pacem, alijs conditionibus ineundam eſſet efficacius, quàm alienæ perſvaſiones. Ubi primi congreſſus, ùt fit, querelas & excuſationes mutuas habuêre, aſſeverantibus utriſque; contra jus fásque ſe ab altero violari, arma â ſe ſumpta neceſſariò; non ſuâ ſponte. Quùm dies aliquot de concordia agendo conſumpſiſſent, præſente Juliano, ſic diſceſſerunt, ut

De pace agitur inter Reginam viduam matrem Ladislai, & VVladislaum:

Callimach. ſupra cit.

Conditiones proponuntur:

rejiciuntur:

Colloquium Reginæ & VVladislai, causâ pacis.

ut conciliatos appareret. Regina paulo poſt Budam venit, Ulricus Comes Ciliæ nuper à Polonis captus, dimiſſus, pax confirmata: quibus tamen conditionibus, nemini conſtabat. Compoſitis Budæ rebus, Regina Jaurinum redijt, levitérque ægrotare cœpit; ac triduo poſt correpta torminibus, vivere deſijt, die 24. Septembr. non ſine veneni ſuſpicione unde unde porrecti, propter tam ſubitam mortem. Ejus obitum *VVladislaus* dolenter tulit, adeò, ut quotiescúnq; demum fieret ejus mentio, triſtis appareret & lachrymabundus; *prævidens*, ùt ſcribit Callimachus, *ſublato velut obſide ac ſtabilimento pacis, Bohemis & Moravis novarum rerum cupidis, non de futuras cauſas machinandi contra fœdus, ut bellum reſtauraretur. Nec ſecus accidit*, addit idem, *paulo enim poſt, cum oppidis ſimul omnibus, quæ præſidijs eorum tenebantur, ad Cæſarem Ladislai tutorem, deſecêre, rursúmque non ex inſidijs, ſed vi apertâ cœperunt regijs partibus inſultare*; verè fideles per hoc Regi ſuo Ladislao ſeſe oſtendentes. quæ tandem tranſigitur; ſed Reginâ mortuâ omnia turbantur. Bonfin. dec. 3. l. 6. c. Callimach. cit.

Eodem anno *Corvinus* non habens niſi quindecim millia militum, ſed ſelectiſſimi roboris, *Baſſam Abedinum Beglerbegum Romaniæ* cum octoginta militum exercitu, *VValachiam* ingreſſum, & ſævâ populatione in obvia quæque graſſantem, poſt acerrimum prælium, caſtris totis omníque prædâ, imò & vitâ exuit. Cæſa hoſtium triginta millia; inter quos, præter Baſſam, etiam ex alijs primarijs ductoribus non pauci: capta quinque millia: *Myſia ſuperior* penè tota recuperata. Quâ victoriâ ſupra humanas vices partâ, *Corvinus* tanto poſtea hoſtibus fuit terrori, ut audito ſolùm ipſius nomine, percellerentur animis; & nutrices matréſque familias, volentes pueris plorantibus imperare ſilentium, nunquam citiùs dicto obtemperantes habebant, quàm dum *Jankonem venturum* minarentur, vel jam *præforibus eſſe* dicerent. Corvinus denuò Turcas cædit: cujus nomen Turcis terrori fuit.

Poſt mortem Reginæ, pleríque ex Hungaris, qui adverſæ factionis erant, ad VVladislai fidem & obſequium redierunt, paucis exceptis; & imprimìs *Bohemis atque Moravis*, quos *ſub Giskra & Telepho* præcipuis ducibus, *Caſſoviam* & vicina oppida occupâſſe, ſuprà docuimus. *Hi námque*, ùt narrat Bonfinius, *nihil bello vehementiùs appetentes, ſtatim ac de morte Reginæ intellexerunt, veluti carceribus & vinculis emiſſi, in regios pagos & oppida eruperunt, vaſtis cladibus, rapinis, populationibus & cædibus, multo ferociùs quàm antea ſævientes.* Idem de Giskra memorat Sylvius, qui hominem, ùt ipſemet alicubi fatetur, de facie noverat, & cum eo ſæpiùs egit. *Reginâ mortuâ*, inquit, *omnes penè Hungariæ Optimates ad Polonos defecêre: ſolus Giskra Bohemus rei bellicæ peritiſſimus, & manu promptus, Ladislai partes in Hungaria tutatus eſt, qui ſæpè cum parva militum manu, ingentes Hungarorum Polonorúmque copias vicit, fudit, delevit: bisque Joannem Hunniadem* (Corvinum) *magnis exercitibus cinctum caſtris exuit.* Juliano demum agente, per *Simonem Rozgonium Epiſcopum Agrienſem*, cujus neptim *Giskra* hoc ipſo anno duxerat uxorem, cùm & *Cæſar, quà Ladislai tutor*, pacem ſvaderet; ceſſatum fuit à mutuis injurijs damnis, rapinis & cædibus: & ſingulari omniū conſenſu, contra Turcam, (quod unicè cupiebat *Julianus*, vir conſervandæ Reip. Chriſtianæ Bonfin. rerum Hung. dec. 3. cap. 5. Æn. Sylv. in Europa c. 1. Giskra Bohemus ſtat pro Ladislao fortiter. Bonfin. Callim. cit. Thuroc. Ant. Rec. Crom.

Expeditio VVladislai & Hungarorum contra Turcas.

ſtianæ Zelantiſſimus) arma verſa. Circa Calendas Majas, Rex Budâ movit cum exercitu probè inſtructo; & trajecto *Danubio ad Slanokamenum*, *Savóque ad Belgradum*, & *Moravâ* flumine, qui ad *Samandriam*, in Danubium evolvitur, rectà *Bulgariam* petijt: cui ſeſe adjuxerant jam antè aliquot voluntariorum millia, in tam pium bellum ſponte accurrentium *ex Moravia, Bohemia & Polonia.* Ad *Sophiam urbem*, quam antiqui *Sardicam*, Concilij *ſub Conſtantio Imp.* celebratione inſignem eſſe volunt, dum appulit, repentino ſuo adventu conſternatam negotio facili occupavit. Et quia plùs operæ in ea tuenda conſervandáque inſumendum, quàm capienda inſumptum apparebat, direptam priùs â militibus ſuccendi juſſit. Pugnatum deinde cum Turcis acerrimè; qui â *Corvino* (hunc *VVladislaus* cum decem millibus præire juſſerat) ſæpè profligati ſunt; & quâdam vice matutinâ ſubitáque irruptione ad internecionem penè cæſi, rejectique ad *Hæmum* usque. Inſtitit fugientium veſtigijs Victor, & commiſſo iterum prælio, cum recentibus Turcarum copijs, quas *Caſſanes Baſſa*, (qui & *Carambegus*) ex Aſia adduxerat; Martéque propitio uſus, hoſtes novâ eáque multo majori clade affecit, occiſis ſex millibus, captis quatuor millibus, tum & ipſo *Caſſane*, & alijs duodecim præcipui nominis: reliquis beneficio fugæ, intra vicinas Hæmi valles ſeſe recipientibus. Ea res fertur Amurathi tantum incuſſiſſe terrorem, ut de morte ſibi ipſi ex deſperatione conſciſcenda cogitaret: ſed ab *Halibego* homine aſtuto, & conſilij expediti erectus, aliam inivit belli gerendi rationem, ut præcluſis obſeptisque ad *Rhodopen* Hæmo *vicinum montem* anguſtijs, eluderet cunctando circumducendóque, *Fabij Maximi contra Hannibalem exemplo*, artes & conatus *Corvini.* Quo animadverſo *VVladislaus*, cùm bellum videretur futurum longius, ac difficilius propter inſidas valles, & aſperitatem itinerum, urgente etiam hyeme, & commeatuum inopiâ, in Hungariam reduxit exercitum. Budam veniens, ut *Deo Opt. Max.* pro Victoria perſolveret grates, primò *Eccleſiam Beatiſſimæ Dei Genitricis* diſcalceatus nudisque pedibus ex uoto petijt; in qua etiam ad perpetuam rei feliciter geſtæ memoriam, ſigna hoſtium appendi juſſit.

Sophia Urbs occupatur,

Turcæ ſemel,

atque iterum cæduntur.

VVladislaus cum triumpho Budam revertitur.

Nova Expeditio adversùs Turcam decernitur.

Poſt hæc captâ modicùm quiete, Comitia Regni, *pro Dominica Lætare*, atque iterum alia *pro Feſto S. Georgij*, Budam indixit: in quibus de proſequendo bello adversùs Turcas, vindicandáque ab eis Rep. Chriſtiana, communibus ſuffragijs conſultatum fuit. Aderant etiam Bohemi & Moravi, qui in Hungaria conſederant, â Rege ſub fide publica invitati; ac imprimìs *Giskra* eorum princeps, Magiſtratúsque civitatum, quæ ab illo dependebant. Quos quidem vocandos *Cardinalis* minimè cenſebat: ſed interveniente *Franko Bano Dalmatiæ*, vocati ſunt tamen & admiſſi. *Nihil enim ſatiùs* (dicebat Banus, ùt narrat Callimachus) *in adeò ingenti non hujus tantùm Regni, ſed totius quoque Chriſtiani nominis opportunitate, quàm uti operâ quorumcúnque: & imprimìs Bohemorum, qui ad manum eſſent, & in priori Expeditione, (quo ad tuendam Religionem pertineret) non ſolùm pij, ſed etiam conſtantes cogniti eſſent.* Addebat: *Nec totidem volonos Cruce ſignatos, ex reliquis omnibus Chri-*

Ad quam etiam Bohemi & Moravi invitantur.

Callim. cit. l. 3. Bonfin. dec. 3. lib. 6.

Digitized by Google

Chriſtianis nationibus accurriſſe, quot ex unica, & haud ſanè numeroſa, ipſorum Gente.

Parum tamen abfuit, quin in eo Conventu, publica fides in *Giskra* violaretur â quibusdam inſolentioribus Hungaris, apud quos odium in eum, propter illata ſibi damna plùs valuit, quàm datæ fidei ſanctitas, & liberi Conventûs, Regiſque præſentis reverentia: niſi Rex ipſemet, ubi multitudinem vehementiùs concitatam vidit quàm ut monendo hortandóque â nefario auſu cohibere poſſet, nonnullos Polonos confeſtim ſubmiſiſſet, qui per poſticum eductum, mutatis veſtimentis, *Iaurinum* incolumem perduxerunt. Abhinc *Giskra* memor beneficij, nunquam Regem nominavit ſine reverentia & præfatione honoris, cùm ſalutis ſuæ auctorem, vindicem, Servatorémque appellaret. Giskra in periculo; Callim. & Bonfin. cit. quod tamen evadit.

Interea Amurathes tot prælijs fractus, & novo iterum eôque duplici bello, hinc â *Georgio Caſtrioto Albaniæ Duce*; illinc ab *Imbrahimo Ciliciæ*, ſeu *Caramaniæ principe*, petitus: quorum vel uni ſuſtinendo imparem ſe ſciebat, niſi totis viribus eò ſe converteret, & unum poſt alterum componeret; animum ſtudiúmque omne ad pacem cum Hungaris ineundam adjecit. Erat *Georgius* (ùt de illo, pro Slavonici nominis gloria, pauca hìc dicam) *Ioannis Caſtrioti*, in *Epiro* & ea *Macedoniæ parte*, quæ ad Adriaticum vergit, *Albaniæ nomine hodie celebris*, regnantis filius: quem parens *ab Amurathe* bello preſſus, & tandem petere pacem coactus, cùm eam alijs conditionibus obtinere non poſſet, niſi *Crojâ urbe primariâ* cederet, & filios ſuos obſides daret, Amurathi tradidit (reclamante licèt matre *VVogislavâ*) unà cum fratribus majoribus natu, *Repoſio*, *Staniſa*, ſeu *Stanislao*, & *Conſtantino*, â tyranno poſtea veneno ſublatis. Priùs tamen omnes quatuor, ſuis inſtitui legibus, nefandisque Machometiſtarum ſacris initiari, circumcidi, aliáque ipſis nomina imponi *Amurathes* juſſit. Cúmque heroica prorſus indoles *in minimo natu Georgio* eniteret, corporiſque egregium decus eum ſummoperè commendaret, ità ut non obſcura ſummi futuri Ducis indicia, vultu geſtúque præberet; tantam præ cæteris apud Amurathem inijt gratiam, ut eum in aula ſua liberaliter educari, inſtruíque literis, ſicut & militaribus omnis generis exercitijs curaverit; & tum propter ingenij præſtantis, atque expediti conſilij vigorem, qui in certaminibus ludicris conſpiciebatur, tum propter ſingularem vim corporis proceri atque robuſti, quo ſuperabat cunctos æquales, *Scanderbegum*, id eſt, *Alexandrum Dominum* cognominârit. Cui poſtea vix dum decimum octavum annum agenti, regias præfecturas, & diverſas expeditiones militares commi ſerat. Quarum prima erat in Aſiam, *advèrsùs Cilicem:* quo bello cùm alijs rebus fortiter geſtis, tum devictis atque proſtratis duobus ex hoſtili exercitu provocatoribus, ſingulari certamine, *uno Scytha pedeſtri*, *altero Perſa equeſtri*, eam conſequutus eſt nominis celebritatem, ut deinceps bellicâ laude, & peculiari Amurathis gratiâ, facilè cæteros antejerit. Ea porrò præter tam excellentem animo inſitam magnitudinem, fuit *in Scanderbego* clementia, & ergà afflictos commiſeratio, (*quæ duæ virtutes niſi conjunctæ fuerint*, *immeritò* Amurathes ſupplicat ab Hungaris pacem. Georgij Scanderbegi origo, & educatio; Specimina virtutis ac fortitudinis â teneris. ab Amurathe præficitur exercitibus.

Kkkk *ſibi*

ſibi viri fortis, vel magnanimi nomen aliquis uſurpaverit) ut in omnibus bellis & victorijs, eam tenuerit rationem, ut humani cruoris quàm minimum effunderetur: præſertim quando contra Chriſtianæ religionis homines ei pugnandum fuit. In *Græcia* vel maximè, & *Hungaria*, viciniſque Regnis, ſemper in eam curam incubuit, quomodo cum minimo Chriſtiani ſanguinis detrimento bellum conficeretur. Mortuo patre, petijt ſibi reſtitui ditionem paterni imperij, matre adhuc ſuperſtite cum filia *Mamicza*: cujus petitioni dum jam annueret *Amurathes*, jam abnueret, *Georgius* ſe ludificari ſentiens, dedit operam, ut perfidum hominem falleret viciſſim. Miſſus igitur anno præterito contra Hungaros, & cum viginti millibus præire juſſus, *Baſſâ Romaniæ*, ùt illum nominant, cum 80. millium exercitu ſubſequente; cùm poſtmodùm ventum eſſet ad prælium, retroceſſit cum ſuis, ſive *Corvini* ſubitâ irruptione perculſus, ſive ut eò faciliùs Chriſtiani victoriâ potirentur; utrúmque enim ſcribitur. Hinc ergo nactus occaſionem rebus ſuis conſulendi, quod jam diu mente conceperat, jugum Turcicum excutere decrevit; ſummáque induſtriâ & celeritate uſus, *Crojam* paternæ ditionis caput, per adulterinas literas, ſpontaneâ deditione reliquas *Epiri & Macedoniæ urbes*, ejectis Turcicis præſidijs, recepit: & coactis non magnis copijs, ſed ſelectis, ſummâque voluntate militantibus, Imperij ſui fines ità tutatus eſt, per multos annos; ut complures & penè invictos *Amurathis*, & qui ei ſucceſſerat, *Machometis* exercitus profligârit; dignus, qui *Pyrrho*, aliiſque prædeceſſoribus ſuis, *Epiri quondam Regibus* comparetur.

> petit ſibi reſtitui Regnum paternum:
>
> quo negato,
>
> à Turcis deficit, &
>
> egregio aſtu paternam ditionem recuperat.

Novo igitur bello hinc exorto, & alio in Aſia, *à Cilicibus* (ùt dixi,) *Pontum & Bithyniam vaſtantibus* illato, *Amurathes* pacem ab Hungaris petere conſtituit: cujus cùm eum pro ſuperbo & arroganti ingenio puderet, per *Georgium Deſpotam* aggreditur *Corvinum*, & per utrúmque Regem & Proceres. Decretum quidem erat ab Hungaris magno conſenſu in Turcas bellum, cui etiam multi *Bohemi & Moravi*, voluntariam militiam pro Chriſtiani nominis gloria profeſſi, nomina dabant: ipſe imprimìs *Giskra*, duo millia peditum, & trecentos cataphractos equites ſe miſſurum, eiſque ad belli usque exitum, ſtipendia ex *auri fodinis Kremnicenſibus*, quarum reditum tunc percipiebat, perſoluturum pollicitus eſt. Juſſu quoque regio, mandatum ubique locorum, delectum fieri, copias cogi, novis ſupplementis augeri; præfectis & caſtrorum ducibus, ut parato inſtructóque exercitu adeſſe feſtinarent, & *pro Cal. Iunijs*, omnes *ad Segedinum* convenirent. Verùm diſpoſitis jam ad profectionem cunctis, dum inter hæc *legati Turcarum* ſeſe *per Deſpotam* inſinuant petentes pacem, & *Wladiſlaus* à perfido hoſte dolum ſibi intentari ſuſpicans, rem hanc ad Corvinum deffert, & quid facto opus eſſet, an bellum proſequendum, vel pacem ineundam, ab eo ſollicitè exquirit: ille verò ſeu *à Deſpota*, cui *Amurathes filiorum & Principatùs reſtitutionem promittebat*, perſvaſus; ſeu quietis, ut poſt tot labores & prælia, licèt eventu felici plerúmque geſta & confecta, parto ocio aliquantùm reſpiraret, cupidus; ſeu etiam, ùt voluêre aliqui, oblatâ quâdraginta millium aureorum ſummâ, *pro Carambegi*

> *Marin. Barlet. de Vita & geſt. Scanderbegi, lib. 1. & ſequ.*
>
> Turca pacem urget.
>
> Bellum nihilominùs decernitur,
>
> *MS. Pernſt. ad an. 1444.*
>
> cui etiam Bohemi & Moravi ſuâ ſponte dant nomina.
>
> Sed inſtantibus pro pace Turcis,

begi liberatione, & quibusdam oppidis, *quas Deſpota tenebat, Belgradi locò* in Hungaria, promiſſis illectus & corruptus, (quod tamen ego de *Viro Clariſſimo, & de Rep. Chriſtiana optimè merito*, pro certo affirmare non auſim) oblatam pacis mentionem minimè aſpernendam, propoſitáque belli ſtudia in aliud tempus differenda cenſet: facilè & Rex ipſe mutato conſilio, ad pacis cogitationes amplectendas animum applicuit, cùm eas nec *Corvino*, nec alijs *Proceribus Hungaris & Polonis* diſplicere animadverteret. Addebat haud modicam cauſam *fluctuans tunc in Polonia rerum ſtatus*; cùm ſeditioſi quidam & licentiâ effrenes, res novas haud obſcurè moliri dicerentur, & *Tartari Podoliam Ruſſiamque* infeſtarent excurſionibus crebris: tanto igitur faciliùs ac promptiùs ad tractandum cum Turcis de pace, aut inducijs inclinavit. Tulítque ipſemet Rex conditiones: *ut Amurathes totâ cederet Serviâ, deductis præſidijs Samandriâ, Holubecio, Czarnoviâ, Kruſſoveciâ, Severino, Stribrniko, Zelenigrado, & ex alijs arcibus, quas tenebat: redderet Georgio Deſpotæ liberos, redderet fortunas: abſtineret ab injurijs impoſterum: non repeteret Moldaviam, nec amiſſam Bulgariæ partem.* Cùm verò Turcæ ſolam ſibi Bulgariam relinqui peterent integram, VVladiſlao annuente, *pax concluſa eſt in decennium*, & jurejurando confirmata: *Rege ſuper Evangelij libro, Turcis ſuper Alcorano jurantibus*; dolente ad hæc vehementer *Iuliano*, ſed contra omnium unanimem conſenſum, ceu contra torrentem ire, & eniti poſſibile ei non erat. In Moraviam redeamus.

& Deſpotâ Corvinóque pacem ſuadentibus; *Bonf. Callim. cit. Cromer. Dlugloſſ. Curæus. Touroc. ad an. 1444.* VVladiſlaus mutato propoſito, ad pacem quoque inclinat, & cum Turcis tranſigit.

Circa finem anni 1443. *Bertholdus à Lyppa*, junctis cum *Ioanne Lichtenburgo, & Beneſſio de Czerna Hora* viribus, in Auſtriam ex improviſo irruptionem fecit: (incertum, qua de cauſa,) ac circumlato paſſim terrore, pagos complures diripuit, & injectis ignibus ſuccendit; caſtellis & arcibus, quòd illinc eminùs peteretur, intactis relictis. Atque eo modo prolatis *ad Danubium* usque armis, cùm nemo eſſet, qui reſiſteret, prædam inde non modicam egit: majorem acturus, nî aſperrimæ pluviæ multâ nive permiſtæ, ulterioribus ejus conatibus reſtitiſſent. Redeuntem cum præda *Ulricus Eitzingerus, & Ioannes Bucheimius*, ac cæteri arcium finitimarum præfecti inſequuti ſunt, ac contento gradu inſtiterunt abeuntium veſtigijs. Non dum *Bertholdus* Auſtriæ finibus exceſſerat, cùm ab coactoribus agminis conclamatur, adeſſe hoſtium antecurſores, eóſque carpere noviſſimos ordines, & jam laceſſendo inſtandóque univerſum poſtremum agmen demorari. Quo audito *Bertholdus*, tametſi currus prædâ onuſtos libenter in tutiora præmiſiſſet, quia tamen profundo in cœno pertrahi celeriter, utì cupiebat, nequaquàm poterant, pluvijs nihil intermittentibus, cæptum iter cum primis agminibus ità proſequutus eſt, ut validiore equitum & peditum præſidio à tergo relicto, ipſe cum curribus, eo quo poterat greſſu, præcederet. Porrò Auſtriaci mox ubi noviſſimum *Moravorum agmen* ſub *Stozeko caſtro* attigiſſent, acerrimo cum impetu illud aggreſſi ſunt. Nec Moravis etſi à continuato itinere utcúnque feſſis ac debilitatis, defuit reſiſtendi animus; qui obverſâ in Auſtriacos fronte, vim irruentium fortiter exceperunt, *Lichtenburgo*, qui tuendo poſtremo agmi-

Proceres aliqui Moraviæ hoſtiliter in Auſtriam irrumpunt; ſed dum onuſti prædâ in Moraviam redeunt, ab Auſtriacis inſequentibus deprehenſi, prælio decertare compelluntur;

agmini invigilare juſſus erat, ſuos ad ſtrenuè agendum multo clamore adhortante. Ipſo autem pugnæ initio, *Lichtenburgus* viribus ſuis diffiſus, expeditiſſimum equitem *ad Bertholdum & Beneſſium*, qui præcedebant, jámque *Teyam* attigerant, mittit: nuncians hoſtes majore numero, quàm eis reſiſti poſſit, adeſſe, certamen acre contractum, & niſi ſuppetias quantocyùs ferant, rem in diſcrimine fore. *Bertholdus* primò quidem cogitabundus paululùm ſubſtitit, remiſſóque nuncio reſpondit: *ſe difficultate itineris, & quòd ſuos planè defeſſos haberet, omnino impediri, ut revertendo laborantibus ſubveniat; ideóque ſi Lichtenburgus imparem ſe hoſti videat, maturè intra currus ſe recipiat:* mutato tamen conſilio, & curribus nonnullis jam *ultra Teyam* in tutum utcúnque perductis, cum expeditiore manu ad ſuccurrendum periclitantibus, unà *cum Beneſſio* revertitur: ſed antequàm acceleràſſet, jam *Lichtenburgum* prælio fuſum obvium offendit.

Fit pugna:

Auſtriaci prævalent:

Moravi funduntur:

Redeundum itáque, priusquàm â victore è veſtigio inſtante, pari afficeretur clade, neceſſarium duxit, & quâ poterat celeritate uſus, *Teyam* remenſus eſt; ac ponte, cujus beneficio tranſierat, dejecto, amnem per id tempus inflatum & exundantem, hoſti inſequenti objecit, eóque ſe quoadusque currus omnes in tutiora deducerentur, tutatus eſt. Hinc ingentium *Auſtriacos inter & Moravos* diſcordiarum erupit fomes, quarum furorem potiſſimùm confines utriúsque Provinciæ populi perſensêre. Quippe *Auſtriaci*, ut accepta ulciſcerentur damna, conſociatis viribus & animis, haud multò poſt, rigente licèt hyeme, plenis agminibus effuderunt ſeſe *in tractum Znogmenſem*, eúmque ad ſatietatem populati, ſuccenſis etiam aliquot villis (ut par pari referrent) non niſi onuſti prædâ, reverſi ſunt. Ex adverſo *Moravi*, novâ rurſum excurſione in Auſtriam factâ, in obvia quæque majore adhuc ferociâ, vaſtando populandóque ſævierunt. Hunc in modum perſtringebant ſeſe mutuis excurſibus, per totam ferè hyemem: donec *Imperator Norimbergâ tum temporis in Auſtriam redux*, ac rebus Hungaricis pro Ladislao ſollicitè intentus, adnitentibus etiam ut plurimùm proceribus Bohemis & Moravis, *Ulrico Roſenſi*, *Meynhardo Novodomenſi*, *Hanuſſio de Kolovvrat*, *Ioanne de Cymburg*, *Henrico de Lichtnſtein*, *Ioanne de Cornſtein* aliíſque, transactione partium factâ, diſſenſiones omnes ſuſtulit: quod factum circa ſolemnia Paſchæ, an. 1444.

majorem tamen partem prædarum in tutum perducunt.

Auſtriaci Znogmenſem Provinciam vaſtant.

de pace tranſigitur.

Rov. lib. 5. MS. de Pernſt. MS. ex Archivo Baronum de Lippa.

Nihilominùs eo adhuc anno, novi rurſum exurrexiſſent brevì civiles belli motus. Cùm enim proceres Moravi, publicis in Comitijs, Auguſto menſe, magnâ Ordinum frequentiâ Brunæ celebratis, *Heraltum Baronem Kunſtataum de Liſſicz*, quòd literas quaſdam, antequàm cæteri conveniſſent, aperuerit, capite plecti juſſiſſent, nocturno tempore ad candelã; indignũ adeò præcipiti ſupplicio rati, *Boczko Smilheimenſis à Kunſtat*, aliàs *de Braumovv*, defuncti patruus, *Georgius* item *Kunſtataus de Podiebrad*, *Bernardus Drnovicius*, *Ioannes Zagimacz*, *Smilo Daubravicius*, *Marquardus Lomnicius*, *alíique propinqui*, qui eâ tempeſtate multùm viribus & authoritate, tam *in Moravia*, quàm *in Bohemia* valebant; deploratâ cædis enormitate, ad ulciſcendam illam animos viréſque converterunt. Jámque res gliſcentibus odijs, penè

In Moravia propter ſublatum unum de Kunſtat,

Cognati Kunſtatæi tumultuantur,

Digitized by Google

penè ad arma ſpectare videbatur, ultionis cupidine de tam gravi injuria flagrante, vel maximè *Georgio Podiebradio*, qui ſingulari adhibitâ diligentiâ tum è clientelis, quas in obſequio & poteſtate habebat, tum è ſtipendiariorum promptiſſimis congregabat exercitum, profectionem in Moraviam quantocyùs ſuſcepturus: cui etiam multi alij illuſtres ac potentes in Bohemia viri, operam ſuam certatim offerebant, ad conſocianda arma, (præ alijs verò *Ioannes Czabeliczky* virtutis & fortitudinis eximiæ heros, militaríque virtute nec non animi magnitudine inſignis, cum centum & quinquaginta equitibus) dum vellet, dum juberet, parati. Verùm dexteritate conſiliorum & prudentiâ *Ioannis de Cymburg Capitanei Moraviæ*; tum etiam, quòd ſub id tempus *Georgius, in præfectum Regni locò Ptaczkonis* hoc ipſo anno die 25. Aug. defuncti, â factioſis electus, firmandis potiùs ſuis rebus domî manere cogeretur, feralis hæc & exitioſa belli civilis fax, priusquàm oriretur incendium, extincta eſt, & *Proceres Kunſtatæi* bono modo placati. Jámque tunc *Georgius*, Huſſitis plusquàm Catholicis addictus, non aliud quærebat, quàm ut *Meynhardo Novodomenſi* partium ſuarum vehementi adverſario ſublato, ac veluti obice amoto, (quod demum effecerat) minorem ad parandum ſibi regimen ſupremũ difficultatem experiretur; ad quod bonis malisque artibus aſpirabat.

armis ulciſcendam mortem ipſius conſtituunt. Sed interveniente Capitaneo Moraviæ, *Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. c. 53. Hagek. ad an. 1444.* componuntur. *Hagek. an. eod. VVeleslaw in Calend. Hiſt. ad diem 20. Auguſti*

Eodem anno, IV. Idus Novembr. VVladislaus Hungariæ & Poloniæ Rex, ad VVarnam Bulgariæ oppidum, ab Amurathe cruento prælio cæſus occubuit. Liceat mihi iterum parumper in Hungariam excurrere, & hanc *VVladislai cladem* (aliàs *Varnenſem, â Varna Myſiæ infer. ad Pontum Euxinum oppido*, ad quod acciderat, nuncupatam) carptim deſcribere; cùm ab ea trahant ſua principia, omnia mala, quæ deinde *Hungaria*, vicináque Regna paſſa fuêre; & quorum haud poſtremam partem dolorum, ſuo tempore etiam *Moravia* ſenſit; & ne majorem impoſterùm ſentiat, metuendum.

MS. de Pernſt. MS. de Lippa. VVladislai Regis Hung. & Polon prælio â Turcis cæſi interitus, an. 1444. Clades VVarnenſis

Suprà dixi *VVladislaum* pepigiſſe cum Turcis *inducias ad decennium*: quas tamen ſicuti præproperè inijt, ità citò violavit: Cognito enim *Amurathem pace Hungaricâ ſecurum*, cum omnibus copijs trajeciſſe in Aſiam *contra Caramanum*, juvenis alacer ac ferox, incertæque belli gloriæ, quàm ſecuræ pacis avidior, & ex *Amurathis abſentia*, in non dubias *recuperandæ Bulgariæ, Græciæ* verò vindicandæ ſpes erectus; primùm dubitare cœpit, num deberet ſtare pactis, per dolum & fraudem hoſtium tranſactis. At poſtea â *Iuliano Cardinale*, qui apud ſuſpenſum ipſius animum occaſionem ſuam adeſſe ratus, magno eloquentiæ vigore, quo excellebat, ad rumpendam pacem perſvaſus; præſertim cùm idem *Summi Pontificis authoritate*, fœdus illud qualecúnque eſſet reſcinderet, Regémque & cæteros, quorum intererat, â juramento quo Turcis obſtricti eſſent, abſolveret, ſubdens: *fas omnino eſſe publicæ ſalutis gratiâ, neque ſtare pactis, quæ illi ſint contraria, neque perfidis fidem ſervare*: bellum ſine cunctatione Turcis inferendum decrevit. Diſſvadente licèt *Corvino*; ſed paulo poſt, cùm intellexiſſet idem facturum *Imperatorem Conſtantinopol. Venetos* autem *cum Genuenſibus Burgundionibusque*, præcluſuros Amurathi *fauces Helleſponti*, ut in Europam redire tam facilè non poſſet:

VVladislaus Rex Hung rupto pacis fœdere, *Bonfin. dec. 3. lib 3. Callimach. de geſt. VVladisl. lib. 3. Thuroc. in Chron. Hung. part. 4. c. 41.* bellum Turcis infert:

Digitized by Google

quod Corvinus primò reprobat; deinde aſſentit.

ſet: ne ſolus ipſe videretur deeſſe communi cauſæ; quùm inſuper *Regnum Bulgariæ* ei promitteretur poſt victoriam, conſentiente. Accedebat adhuc aliqua cauſa, quòd Turcæ ad præſtitutam diem, neque captivos omnes (præter *Deſpotæ filios*, & paucos quoſdam) dimiſerint; neque arcibus & oppidis, quibus juxta pacta conventa debebant, ceſſerint: tametſi demum (ſeriùs licèt) cùm jam *VVladislaus* in procinctu eſſet, ea reſtituerint, violatæ pacis nondum gnari.

Igitur urgente expeditionem *Juliano*, Rex die 21. Septembr. *Segedino* movit: ſed copijs aliquanto paucioribus, quàm anno ſuperiore, & quàm magnitudo belli poſtularet. Nam *ex Voluntarijs*, ſeu ſuâ ſponte militantibus, ferè omnes, ſtatim ac de pace cum Turcis inita intellexiſſent, cum indignatione abiverunt, domum quiſque ſuam reverſi; neque poſtea tam citò revocari potuerunt: multi etiam terrore juramenti retinebantur. *Bohemi* imprimìs & *Moravi*, qui utì non temerè dandam fidem hoſti barbaro, ità datam minimè violandam eſſe dicebant. *Giskra* certè (aliàs Turcis infenſiſſimus) audito hoc, diu in ancipiti ſtetit, num aliquos ex ſuis mittere deberet, prout antè deſtinaverat; eò *quòd tanti perjurij* (ùt ille cenſebat) *nollet reddere ſe, ne in minimo participem.* Ad magnas tamen preces *Epiſcopi Agrienſis*, cui affinitate, ùt dixi, conjunctus fuit, *trecentos pedites cum Czegka præfecto*, & *centum cataphractos equites* miſit; quos eidem Epiſcopo regendos tradidit.

Bohemorum & Moravorum de hoc bello judicium.

VVladislaus per Bulgariam adverſùs Turcas progreditur.

Iſtrum Rex tranſijt primùm die 3. Octobr. ductóque per Bulgariam exercitu, conſtituerat recto itinere, *per extremam Bulgariæ oram, quà Macedoniæ conjungitur, petere Helleſpontum*; ut ſeſe cum claſſe Italica, quæ ad Gallipolim ſtare dicebatur, conjungeret. Verùm quia *per Hæmi fauces*, cum curribus tranſire ipſi erat difficile, aliud *per inferiora Bulgariæ*, verſùs *Pontum Euxinum*, iter arripuit: maluítque illac exercitum modicùm circumagere, quàm ſe nudare curruum munimentis. Ad *Nicopolim Bulgarorum Metropolim*, cujus ſuburbana diripuerat, copias recenſenti præſtò fuit *VVladislaus Dracula VValachiæ Montanæ Princeps*: qui viſâ exercitûs regij paucitate, Regem obteſtari cœpit, ne committeret ſe periculo, néve ultrà contenderet cum tam exigua militum manu, contra tantæ potentiæ hoſtem, *qui cum majori ferè ſervorum numero venatum prodire ſoleret, quàm Hungaricæ nunc eſſent copiæ.* Inſtare etiam hyemem, tempus gerendo bello minimè idoneum. Sed nihil movit Regem, quaſi ſyncerè & ex animo non loqueretur, propter fœdus, quod ei cum Turcis erat. Nihilominùs ille, ne ſuo quoque obſequio Regi deeſſe videretur, *quatuor millia equitum cum proprio filio*, copijs regijs adjunxit.

Dracula VValachorum Principis ſalubre conſilium: ſed non acceptatum.

Amurathes ex Aſia citatis itineribus revertitur:

Amurathes ubi rem comperit, ſine mora ex Aſia provolans, cum exercitu ſexaginta millium, (cæteris ibi relictis) quantis potuit itineribus ad Helleſpontum properavit: & tentato fruſtra ad Gallipolim tranſitu, *quò citiùs Itali* (ità narrant Annales Turcici, contra quàm alij ſcribant, qui eum ad Gallipolim transmiſiſſe memorant) *magna cum claſſe appulerant*, & *quò minùs in Europam transfretare poſſet, impediebant*; aliud dextram partem verſùs,

per

per Bithyniam iter arripuit, *& è regione illius loci, ubi nunc Arcis nova ſtructura cernitur*, uno milliari ſupra Conſtantinopolim, *mercatorum* (an *Genuenſium*, ùt ſcribunt aliqui, certò non conſtat) *navigijs uſus, in Romaniam*, i, Thraciam *trajecit*; adjunctiſque ſibi ex itinere copijs Europæis, quæ ad *Iſthmum Cherſoneſi Thraciæ*, viginti circiter millium numero tumultuariè convenerant, *Adrianopolim* primò, ut eam novo validioríque præſidio firmaret, deinde rectà *adversùs VVladislaum*, jam tunc *ad VVarnam*, obſcurum id temporis (ſed quod paulo poſt clade Hungarorum, ac ipſiuſmet Regis inclaruerat) in littore *maris Euxini* oppidum, hærentem, citatis paſſibus contendit. Leſuncl. in Chron. Turcar. ad an. 1444.

Fuit hoc maturè nunciatum Regi, tum *ab Imperatore Conſtantinopol.* tum ab ijs, qui littora Helleſponti ad Gallipolim ſervabant: *Amurathem tranſijſſe in Europam*: ideóque Rex, VVarnâ occupatâ, *Conſtantinopolim*, quæ forteaſſe viginti tantùm milliaribus noſtris diſtabat, ſeſe recipere, ſvadente hoc ipſum *Juliano*, & alijs (*excepto Hunniade*,) in animo habuit: ſed dum iſta cogitat, & VVarnam priùs muniendam aggreditur, hoſtis adeſt. Non deſpondit tamen animum, ſed utì erat juventâ ferox, tametſi aliquantùm ab enato in coxendice furunculo malè valens, confeſtim ſuos ad prælium paratos eſſe juſſit. Pugnatúmque mox die ſequenti, qui erat *X. Novembr.* acerrimè, Hungaris vim Turcarum, ab omni parte ſummo cum impetu irruentium, tantis animis viribúſque ſuſtinentibus, ut victoria diu in ancipiti eſſet; quæ demum etiam, poſt primos Turcarum ordines diſturbatos, & in fugam actos, ipſúmque Amurathem trepidantem, ac deſperabundo ſimilem, ad Chriſtianos inclinare viſa eſt: ſed cujus extrema ſubitò, nimia temeritas, & ex ea conſequens interitus Regis miſerabiliter corrupit. Cùm enim Rex in eo fervore prælij, cæco quodam furore, in confertiſſimos hoſtiũ cumulos irrueret, & occiſo ſuâ manu Baſsâ Aſiatico, magni nominis viro, ultimò jam phalangi Janiczerorum, qui ſunt prætoriani pedites, ubi ipſemet Amurathes conſtiterat, majori auſu quàm conſilio immineret, ex equo lethaliter ſauciato prolapſus, & â ſupervenientibus quantocyùs Janiczeris oppreſſus, telorúmque multitudine non tam confoſſus eſt, quàm obrutus. Et tunc, qui de ſalute ſua, ſuíque Principis deſperaverant Turcæ, reſumptis animis fugantes ſe fugare cœperunt, plenáque tandem victoriâ, quaſi neſcientibus oblatâ, miro fortunæ luſu, potiti ſunt. Multi ê proceribus Hungaris & Polonis in fuga cæſi; quos inter, Epiſcopus Agrienſis affinis Giskræ, cum Czegka, & Bohemis Moravíſque: aliqui dum fugerent per loca paluſtria, cæno ſuffocati interierunt. *Corvinus* vix evaſit. *Iulianus* inter fugiendum, incertum quo caſu, ab hoſtibus, an ab amicis perijt: vir aliàs incomparabilis, & propter excellentem virtutem, morúmque probitatem, & vitam in omni ætate nitidam integrámque; tum denique propter Religionis zelum, ùt qui omnia pro Chriſto, etiam mortem ipſam ſvaſiſſet, fato meliori dignus: nec ullus dubito, quin ad eum tranſierit, cujus cauſam tutabatur. Incuſatur quidem â multis, quaſi primarius inau-

contra Hungaros ad VVarnam.

Prælium committitur:

in quo Hungari primò Victores;

ſed Rege occiſo, victi, profligati, in fugam acti.

Cæſi quàm plurimi:

inter quos Julianus Cardinalis in fuga.

inauſpicatæ expeditionis author: juſtè, an ſecùs? judicij non eſt mei; ceſſat quippe omnis ratio judicij, dum res ab eventibus judicantur.

Sylv. in Europa cap. 5. Bonf. Callim. cit.

Alij quibus belli fortuna initio pepercerat, evaſerunt quidem hoſtium manus; ſed fame, frigore, vigilijs, laſſitudinéque, vel enecti in ſylvis perierunt, vel ità omnibus malis afflicti, ut doluerint, quòd non hoſti potiùs ſe jugulandos præbuiſſent. Sed neque Turcis incruenta victoria ſtetit, qui uti erant numero plures, ſic etiam plures ceciderunt, ita ut triginta millia & ampliùs cæſa fuiſſe pro comperto ſit; hinc *Amurathis* dictum: *nollem hoc modo ſæpiùs vincere.* Captivi ex Chriſtianis fuerunt perpauci, nec niſi juvenes aliqui; inter quos *duodecim ingenui adoleſcentes Poloni*, formâ corporis præ cæteris eximij: de quibus memorabile eſt, quod apud Cromerum legimus. Cùm enim *ab Amurathe*, ex omni captivorum numero ſelecti eſſent, ut circumciſi ſervirent fædæ libidini Tyranni, ſenſímque animadverterent, quæ & qualis eſſet futura ipſorum conditio; priusquàm circumciderentur, generoſo ſuſcepto conſilio, *in mortem Amurathis* conjurârunt: peracturi omnino facinus ingens, niſi inter hæc *à Bulgaro*, quem *ob lingua Slavonicæ commercium, ſocium conſilij*, (ſed minùs cautè) adhibuerunt, proditi fuiſſent. Re igitur patefactâ, ut crudelibus ſupplicijs, quæ parari non dubitabant, ſeſe eriperent, foribus cubiculi, in quod convenerant, obſeratis, armati inter ſe concurrerunt, & mutuis vulneribus ſeſe confecerunt. Atque hæc eſt illa *VVarnenſis clades;* quæ ſicuti rebus Chriſtianis detrimentum maximum, ita Turcis ad acquirendum ſtabiliendúmque totius Orientis Imperium, ſummam opportunitatem attulit: ab eo námque tempore, robur & authoritas Chriſtiani nominis, hoſtibus immaniſſimis deſpectui eſſe cœpit, & potentia illorum, quæ exinde magìs ac magìs crevit, vicinos quoque populos facilè in ruinam traxit.

Victoria tamen Turcis cruenta fuit.

Cromer. lib. 21. ad fin. Dlugoſſ. Curæus.

Inſigne juvenum Polonorum facinus.

Miſerabilis clades VVarnenſis.

Ladiſlaus Poſthumus Rex Hungariæ declaratur.

Hoc modo *Hungari Rege deſtituti*, Comitiiſque novi Regis optandi causâ, ad Peſtum, *in feſto Penſtecoſtes* habitis, patentibus in campis, unâ omnium voce, ſuffragióque (ùt par erat) *Ladiſlaum Alberti Poſthumum*, quinque annorum tunc puerum, ſed ingentis expectationis, Regem declarârunt. Qui quòd & abſens *apud Fridercum Cæſarem* detineretur, & per ætatem rebus gerendis nondum eſſet idoneus, *Joanni Corvino*, ſeu Hunniadi, qui cæteros omnes bellicâ virtute, recentibúſque in Regnum meritis, citra cujúſque invidiam eminebat, & quem unum acceptam â Turcis cladem vindicare, & convulſum Reip. ſtatum in priſtinam faciem reſtituere poſſe, omnes ſperabant, Regni adminiſtratio commiſſa eſt. Dubitare non poſſum, Lectori haud ingratum futurum, ſi *de Ladiſlao* ea, quæ *Æneas Sylvius*, Friderico Cæſari tunc â ſecretis, *ad Dionyſium de Czeech Archi-Ep. Strigon.* ſimul & *Cardinalem*, paulo antè ſcripſerat, & quæ in illo tum parvulo, *Gracij in Styria*, ubi educabatur, præſens obſervârat, (mira ſanè & talia, ex quibus clarè eluceſcebat, etiam in tenera ætate, regia ipſius indoles,) hìc recenſuero. *Styriæ fluvius eſt,* (ità ille) *qui in Alpibus præcipitatus Dravum influit amnem: ac exinde per Danubium fertur in Pontum: quem Muram incolæ vocitant. Propè hanc ripam oppidum jacet gentile, nomine Gratium dictum. Hic ex medio camporum*

Corvinus Gubernator Regni.

Thuroc. part. 4. c. 44. & ſeq. Bonfin. dec. 3. lib. 7. Sylvius in Hiſt. Boh. cap. 58. In Europa c. 5. Dubrav. l. 28. Cochl. Cromer. Ens. Æn. Sylv. in Epiſt. XIII. data Gracij in Styria, an. 1444.

porum

porum equore ingens cumulus ſurgit, prӕruptis undique ſcopulis liber. Cujus cacumen arx tenet, & naturâ loci, & opis humanӕ prӕſidio munita, ad regiam quoque faſtigiata magnificentiam. Hic ſpes Auſtriӕ, Hungariӕ deſiderium, & Bohemorum cura nutritur Rex Ladiſlaus puer; quem Idibus Septembris, in aula regia, coram Friderico Cӕſare patruele ſuo, magnâ baronum ſtipante catervâ ſum contemplatus. Adhibe obſecro aures, tibiq; & puerum, & mores deſcribam, nec ſine voluptate (ùt opinor) quӕ referam audies. Annos natus tres erat puellus, jamque attigerat quartum, ſed ӕtatem maturiorem, tum proceritas pueri, tum intellectus mentiebatur. Tu eum aliquando in ulnis habuiſti, quando coronam regio imponens capiti: Nunc dimitte Domine ſervum tuum, dixiſti; quia viderunt oculi ſalutare tuum. Sed alia nunc pueri facies eſt: aſpectus ejus omnes, qui aderant, incredibili voluptate replevit. Incedebat namque per aulam, tanquam ſciret ſe Regem eſſe, deberique ſibi ab omnibus reverentiam: oculósque nunc huc, nunc illuc, non ſine majeſtate deflectens. Candidulam manum porrigebat adſtantibus, tantáque lucebat in eo puero gratia, ut ſӕpe minorem grandӕvi Reges prӕ ſe ferant. Antequàm patruelis adeſſet, nutricem percontatus eſt ſӕpè, ubi nam eſſet? At ùt venientem didicit, in honorantis modum ſuapte caput ſuum inflexit, & tanquàm ſciret, Ducalis dignitas, quantum ab Imperiali diſtaret. Aliter Sigiſmundo Duci: aliter Cӕſari ſe obviam dedit. Dum hinc atque hinc in circulo interpellaretur, Æthiopem fortè vidit, móxque in Cӕſaris fugiens ſinum: heu, quàm inquit, deformis. Demiratus eſt Cӕſar confugientis ad ſe pueri confidentiam, qui priori tempore nunquam in eum dirigere lumina voluiſſet, lӕtúsque novitatem circumſtantibus exponebat.

Ladiſlaus Rex, Grӕcij in Styria educatur.

Ejus in tenera adhuc ӕtate indoles admiratione digna.

Tum magnificus Cancellarius Caſpar: ne mirère, inquit, Imperator, Numen in puero eſt: nec regius ſanguis divini ſpiritûs tutela caret. Matrem habuit, cùm te ante ſprevit: nunc illâ defunctâ, prӕter te habet neminem. Ideóque tibi tanquam patri alludit. Tu illi pater, tu mater, tu avus es: in te illi ſpes, in te ſubſidium, in te ſalus eſt. Scit hoc puellus: & quia pupillus eſt orphanúsque, auxilium tuum implorat. Te ſibi patronum petit; tutorem, advocatum, protectorem. Ego deſertus ſum, ait: hinc Poloni Ungariam occupant, hinc Bohemi novas res moliri ſtudent: ӕtas mea contemnitur; & quia annos non habeo, nec jus credor habere. At ſi tu me Cӕſar juveris, maxima hӕc duo Regna mihi obediunt: nec prӕter te majorem Regem, quàm ego ero, Europa videbit. Sin deſeris, ex Rege coronato, parvulus fiam dux: ex quibus rebus, altera domum noſtram tollet in altum, altera in profundum merget. Sed obſecro, ut curam mei habeas Cӕſar, ut Familiӕ noſtrӕ honori conſulas, & tuam ſerves dignitatem: ne jus meum alieni uſurpent, meáque abutantur ӕtate. Hoc vult puer, ô Cӕſar, cùm ad te venit, hoc illӕ blanditiӕ poſtulant. Hoc eſt, quod ad te confugit, non ſine aliqua divinitatis inſtigatione. Tu pueri, tu pupilli, & Orphani, & ſanguinis tui miſerere.

quam Cӕſari diſertè explicat Caſparus Schlik Imperialis Cancellarius;

addens; Cӕſarem ei, tanquam pupillo, eſſe nunc Patrem & Matrem.

Moverunt Cӕſarem, tum pupilli blandimentâ, tũ Caſparis verba; & poſt mo-

Per quod Cæſarem movet in affectum:

rulam: Non deſeram, inquit, Caſpar ſanguinem meum, nec ſi Romanum imperium, aut Auſtria quidquam deberet periclitari; juſtitiam pueri ſuſtinebo. Sicque locutus patruelem brachijs elevans mediâ fronte ſuaviatus eſt. Erat

Phyſiognomia parvuli.

puer ultra quàm dici poſſit formoſus, naſum avi materni & frontem ſuſceperat: oculos ex patre mutuatus fuerat, pectus & humeros ex utroque, cætera matris erant; ore parvo, malis ad gratiam tumeſcentibus, ſucci plenus, & plus lactis habens, quàm ſanguinis. Capillis criſpis & in auri fulgorem nitentibus: viſu cum verecundia mixto. Nihil in puero emendâ dignum. Si nudum ſolúmque in nemore quis reperiſſet, regium genus in puero cognoviſſet. Nec aut illi canis, aut lupa defuiſſet nutrix, ſicut de Cyro referunt atque Romulo. O ſi puerum hunc viderent Hungari tui, qui tecum in fide manſerunt! O ſi eum tangere, aut audire poſſent! quos animos ſumerent? quas acies ducerent? quæ bella gererent? quas ederent hoſtium ſtrages?

Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. c. 58. In Epiſt. 81.

Dignum memoratu eſt, quod de illo idem Æneas, in Hiſtoria Bohemica, atque iterum in Epiſtola, ad Leonardum Epiſcopum Pattavienſem memorat ferè verbis iſtis. *Venère plurimi ex Bohemis ad Fridericum* Neapoli in Auſtria tum commorantem, *viſendi Ladislai Regis gratiâ: inter quos Georgius* (alij Joannem nominant) *nomine Giskra, armorum gloriâ clarus, qui partes ejus unus ferme defenderat in Hungaria, cùm Rex Poloniæ Regnum invaſiſſet: prædones ſæpe acie fuderat, Joannem Hunniadem bis caſtris exuerat, rebellantes Hungaros magnis cladibus affecerat. Is ubi ad conſpectum Regis intromiſſus eſt, apud Novam Civitatem, quo in loco tunc aderamus, adſtantibus plurimis, illacrymans Ladislai manum exoſculatus, in hunc modum verba fecit. Video te tandem teneóque, mi Rex; ſi ſcires, quæ pericula propter te adivi, quibus me laboribus implicui, quot adverſo corpore vulnera accepi. En cicatrices teſtimonio ſunt: patri ego tuo, tibique vitam devovi; nulla vis eſt, nulla fortuna, quæ alienare animum à te meum poſſit: officia mea, ſola tibi auferet mors. Sed tu hæc per ætatem non intelligis: utinam tantum mihi vitæ detur, quòd tu ſenſatè loqui poſſis, & qui tibi cum fide ſerviverunt, cognoſcere. Et ſubridens: quod ergo mihi, inquit, præmium fidei ac laboris erit? & quod das militi tuo ſtipendium? Nonnulláque munera puero obtulit. Tum Joannes magiſter Cameræ imperialis, qui tùnc fortè aderat: hic, inquit, Sereniſſime Princeps, diu tuas partes in Hungaria tutatus eſt; hic tuus dux, tuus tutor, tuus defenſor, tuúsque rector eſt: Cur non ei ſtipendium præbes? Sextum tunc annum agebat Ladislaus, qui poſtquam Giskra, & poſt illum Joannes finem dicendi fecit, divino quodam ſpiritu ductus, oculos huc atque illuc circumvolvens, loculos Joannis ſuſpiciens ex philacteria pendentes, quâ ille nummos more Teutonico pauperibus erogandos aſſervabat, hanc tacitus arripuit, aráque ſex tantùm, neque enim plura invenit, illinc deprompta Giskræ dono dedit. Admirati omnes pueri factum, & providum ac liberalem futurum judicavère. Giskra innexos poſtmodùm auro nummos è collo ſuſpendit, regiæ gratitudinis monimentum.* Accidêre hæc anno 1445.

Bohemi Regem ſuum Ladislaum videre, ac venerari deſiderant:

Inter quos Giskra, labores pro illo ſuſceptos enumerat:

& honorariũ ab eo reportat.

Daubr. in Hiſt. Boh. lib. 28.

Eo-

Eodem anno, exorto *Fridericum inter & VVilbelmum*, fratres Saxoniæ Duces civili bello, *Bohemi & Moravi* à VVilhelmo ad ſtipendia vocati, atque militaris virtutis, ac fortitudinis oſtendendæ ſuopte ingenio cupidi, magno numero ſub ſigna confluxerunt. *Metuendum tum nomen Bohemicum erat,* ait Fabricius Saxo, *& aſſvetus armis populus, inclaruerat non pautis, neque obſcuris victorijs.* Bellum hoc duravit quinquennio, per intervalla licèt, cum magna provinciarum *Myſniæ, Thuringiæ & Saxoniæ* ſuper. clade. Anno 1447. *VVilbelmus*, inducijs ſemeſtribus cum fratre pactis, *ſelectiſſima ex Bohemis, Moravis & Saxonibus LX. ſigna* miſit in auxilium, *Dietricho Archi-Ep. Colonienſi*, contra rebelles cives *Suſatenſes.* Bohemis præerant, *Petrus junior à Sternberg, Alexij filius: VVenceslaus de Donina, & Henricus Liebſteinsky à Kolovvrat:* Moravis, *Ulricus junior de Kaunicz*, & *Joannes Zieleticzky.* Ex itinere, ùt narrat Fabricius, arcem quandam *Herciniam*, latronum domicilium occupârunt & everterunt, *ab Embaccanis* pecuniam extorſerunt, *agrum Langavium* vaſtârunt; tùm *Oſnabrugenſes* coëgerunt, ut Præſulis ſui fratrem, annos aliquot carcere detentum, dimitterent. Cùm flumen *Viſurgim* tranſijſſent, magnâ gratulatione excepti à præfectis *Colonienſis Archi-Epiſcopi*, rectà in ditiones hoſtiles proceſſerunt; *Herfordam* oppidum diripuerunt, *Blumenbergam* incenderunt, *Lippam* obſederunt, ac tandem caput rei *Suſatum.* Præerat civitati *Joannes Adolphi XI. Cliviæ Ducis filius, Bellicoſus* poſtea dictus, qui ut civibus adderet animos, paſſus eſt obſideri ſe: cui viciſſim cives fide datâ, omnem induſtriam, omnémque laborem, quinimò ſuas fortunas omnes, vitámque ipſam ſeſe impenſuros, eique, ſi ſors tulerit, etiam commorituros juravêre. Concutiuntur integro penè menſe tormentis mœnia, jámque erat pars muri ità labefactata, ut per illam aditus facilior dari poſſet: juſſu ergo ducum diſponuntur ad irruptionem neceſſaria cuncta, diéque 20. Julij invaditur civitas; ſed egregiâ virtute reſiſtentibus propugnatoribus; omnes enim etiam parvuli, qui vel lapidem levare poterant, ad defenſionem concurrebant; fœminæ picem liquefactam & cineres bullientes, ferventémque pollinem, in armatos ſcandentes per mœniorum ruinas effundebant: irritus fuit oppugnantium labor, qui poſtquàm ultra tres horas, fruſtra deſudâſſent, ad extremum magno cum detrimento pedem referre coacti fuerunt. Ultimò *Archi-Epiſcopus* imbecillitatis virium ſuarum, inopiǽque ærarij conſcius, cùm videret ſe non habere ſumptus, qui erant in tantum exercitum faciendi; mutato ulterioris belli gerendi propoſito, obſidionem ſolvit, militémque dimiſit. In perſolvendo autem ſtipendio auxiliaribus copijs, cùm non ſufficeret, *Capitulum Colonienſe, pro duabus*, ùt vocant, *tonnis auri & dimidiâ*, ſeſe ipſius locò, *Wilbelmo & Bohemis* obligavit. Addit Fabricius, *Bohemos viribus diminutos domum rediſſe:* quod confirmat Hagek; qui etiam dicit, *Moravos in reditu tranſiſſe Pragam, Dominicâ poſt feſtum Aſſumpt. Beatiſſimæ Virginis, cum curribus vacuis; niſi quòd ſaucij aliqui & infirmi ijs veherentur: cùm tamen eò pergentes babuerint omnibus rebus neceſſarijs benè oneratos.*

Bohemi & Moravi in Saxonia militant.

MS. Anon. ad an. 1447. MS. Pernſt. an. eod. Fabric. in Orig. Sax. lib. 7. an. eod. Dreſſer. in Dominenſ.

Suſatum in VVeſtphalia obſident;

oppugnant.

ſed irrito ſucceſſu. Hagek. an. 1447. Langius in Chron. Zitic. an. 1445. & ſequ.

Domum redeunt viribus fracti.

ab obſidione Suſati divinitùs repulſi.

Sunt qui *Bohemos*, eorúmque commilitones *Moravos* divinitùs ab oppugnatione *Suſati* eſſe repulſos, & infectis rebus, inglorios redire in Bohemiam coactos affirment. Rem geſtam *Bernardus Wittius Lisbornenſis cænobij haud Suſato procul ſiti monachus*, illis temporibus proximus, ab oculatis teſtibus acceptam fideliter commemorat, *in MS. Weſtphaliæ Chronico*, quod *P. Joannes Bollandus Soc. JESU*, in Vitis Sanctorum, in Appendice *ad Januarium menſem* refert. Ita ergò ſcribit *Wittius*.

Colonienſis Archi-Ep. Bohemos ſuis conducit ſtipendijs,

Comes à Sternberg dux Bohem.

formidabile tunc apud exteras Nationes nomen Bohemorum;

à quibus VVeſtphalia vaſtatur.

Anno 1447. Theodoricus præfatus Colonienſium Archi-Epiſcopus, tantam pro tunc cum Romanorum Rege Frederico familiaritatem contraxerat, ut imperialibus ſignis Epiſcopo validâ manu miſſis, licentiaverit omnibus & ſingulis, qui Epiſcopum, regalia quoque ſigna, ſi qui vellent, Regiâ authoritate fulti licitè poſſent. Amicitiam inſuper cum quibusdam Bohemorum Nobilitatis, & Huſſitarum Proceribus contraxit; unde Comes de Sternberg Bohemus, eadem ex regione 26000. Bohemorum ac Huſſitarum exercitum contrahens, in Weſtphaliam movit, habens & Marchiones Brandeburgenſes & Miſnenſes, Ducésque Saxoniæ; multos inſuper alios Principes & Nobiles, ſingulis cum exercitibus belli ſocios; nomen autem Bohemicum à multitudine, magis autem à feritate, totus ſibi uſurpavit exercitus. Tanto igitur agmine circumfuſus, magno belli apparatu exercitum in Weſtphaliam duxit Epiſcopus, & penè ſine Marte victor ad tempus evaſit; Lippienſem Comitatum diſcerpſit, nam ſolo aſpectu hoſtium incolæ attoniti torpeſcebant; quidam etiam ſolo barbarorum adventu audito, fugâ ſalutem quæſierunt: grandis enim cunctos Bohemici nominis timor invaſit: quòd armis diffuſi, nutantes urbes & oppida in itinere decurrentia, tumultuoſo agmine devaſtârunt, Eccleſias, Oratoria, utriúsque ſexûs monaſteria rapinis inboneſtârunt, non vis modò, verùm timor barbaricus incolis circumquaque incuſſit. Acceſſit quòd jam pridem Bohemos fidem orthodoxam deſeruiſſe auditum eſt. In primis igitur Duſſmoldiam, Blombergam, Brakel, ablatis ſpolijs ſolo æquavit. Lengo, Hornam oppida durè exactionavit, & ad præſtandum hominum compulit. Valckenburgum vallavit; ſed animoſiùs exceptus infecto negotio, maximâ jacturâ obſidionem ſolvit: Heruordia quoque Imperiale oppidum, maximo auri pondo, Præſulis impetum redemit.

Suſatum obſeſſum:

pluribus in locis oppugnatum:

ſed Clero orante,

Deinde narratâ Lippiæ irritâ obſidione, de Suſato hæc ſubdit: *Hinc Præſul tanto agmine ſtipatus, Suſatum obſtrepentibus machinis acceſſit; quem cives Principis ſui præſentiâ animati imperterriti exceperunt. Erat autem juxta civitatis mœnia Sanctimonialium fœminarum monaſterium, in quo Joannes Clivenſium Dux ſe collocaverat, quod primo aggreſſu, expulſo Duce Præſul expugnavit; ac eo ſe loco recipientes, uti triumphatores tripudiârunt. Poſt menſem itaque cùm ſcalis muros aggredi tentant noctu, tribus in locis ſcalas cum exercitibus applicant, tanto ululatu, ut ſe ultro muros accedentium vocibus obruere poſſe crederent. At cives non viribus ſuis confiſi, nec humano ſe ſubſidio tueri poſſe ſcientes, frequenter ad Deum fundere preces, Clerum ac Religioſos urbis ſuæ poſcebant. Unde inter pugnandum nocte Clerus, à ſecundâ noctis horâ, usque ad quintam ſequentis diei, ante S. Patrocli reliquias proſtrati,*

tanti

tanti ſui Patroni auxilio liberari optabant. Et, (dictu mirum!) inter orandum & pugnandum, crepitus ingens ex Arca Sancti Viri ab omnibus auditus eſt, quo ſe præſentem auxiliatorem ſignificaret. Animati ob hoc cives, tantiq́ auxilio Viri roborati, ſpe præſumptâ animoſiùs hoſti reſiſtebant. Verùm incaſſum laboratum eſt ab hoſtibus: fecit hoc tum ſcalarum brevitas, tum illorum qui intus erant animoſitas; qui non clamore, ſed armis viribúsque introitum prohibere noverant. Abire igitur coacti cederéque compulſi, magnam ſuorum ſtragem perpeſſi ſunt. Mille enim quingenti & octo viri, ante urbis mœnia, de Bohemorum Huſſitarum, cæterorúmque, qui Præſulem comitabantur, occiſi ſunt, octo tantummodò de civibus interemptis. Addit *Bolandus:* Feſtivus is plebi deinceps dies fuit; donec ab avitis ſacris univerſa ferè deſcivit civitas. *Canonici* tamen, qui Catholicam Religionem conſtanter retinuêre, pro occiſorum expiatione Sacra peragere ſolent, & vulgò *Feſtum Bohemorum* appellant. — audito crepitu, è S. Patrocli arcâ, — ejus ope pulſi cum clade hoſtes. — *Bolland. in Actu Sanctor. ad Append. ad Januar. Tom. II. pag. 1144.*

Hanc Hiſtoriam, vel idcirco huic loco inſerere volui, quòd ex Scriptoribus noſtris in lucem editis nemo ipſius mentionem facit; & quia etiam *Moravos Bohemorum in ea Expeditione ſocios* tangit, qui inde, ùt jam dixi, cum clade redierunt. Juvabit audire adhuc Anonymum Pragenſem Scriptorem coævum, de illorum reditu narrantem hiſce: *Eodem tempore*, nempe Auguſto menſe, *reverſi ſunt Bohemi ex inferioribus partibus Germaniæ, referentes ſe deſertos fuiſſe â Marchione juniore* (Wilhelmo Friderici II. Elect. Sax. fratre) *& â juniore Holiczky, ità ut in maxima paupertate, & rerum victui neceſſariarum penuria conſtituti, fuerint coacti equos, arma, veſtes & alia divendere, nolentes ulli, quà tranſibant, vim inferre, aut rapinas agere, nec interea perire fame. Fuitque miſeris quotacúnque pars ſolatij, quòd Henricus de Kolovvrat, aliàs Liebſteinsky dictus, manſerit cum illis conſtans; qui ſeminudos penè ac ſemineces Pragam reduxit, & quantum poterat ex proprio, in itinere fideliter juvit. Redierunt brevì etiam Moravi inopes & laceri, quorum numerus vehementer erat imminutus: multi ſiquidem, (præter caſos, & hinc inde in oppugnationibus civitatum interfectos) cùm fame urgente, obvia quæq́ arriperent ad manducandum, febribus inde contractis, aut alijs vulgaribus morbis correpti interierant. Et hi ſimiliter ſe ſtipendijs & commeatu deſtitutos, inſuper à ſocijs deſertos, impendio magis querebantur.* — Scriptoris coævus narratio de hac Expeditione Bohemorum & Moravorum. — *MS. Anon. Prag. ad an. 1447.*

Nihil tamen eo infortunio moti *Bohemi atque Moravi*, brevì iterum eidem *VVilhelmo Saxoniæ Duci*, & eodem *Petro Holiczky* duce, navare operam, & novis periculis ſeſe objicere, quòd fortaſſis opimioribus ac certioribus ſtipendijs invitarentur, minimè dubitârunt: de quo ſuo loco. — Bohemi & Moravi belloꝛum avidi.

CAPUT VII.

Diſſidia & turbæ ulteriores Interregni tempore. Ladislai Poſthumi in Regem Bohemiæ coronatio, breve Regnum, & præpropera inopinatáque mors.

Bohemi & Moravi de Rege Ladislao in Regnum vocando conſultant:

DEclarato Rege ab Hungaris *Ladislao Poſthumo*, Bohemi & Moravi, ne in eodem in Regnum inducendo viderentur poſtremi, qui in aſſumendo renunciandóque priores fuiſſent, ſæpiùs ea de re inſtituebant Conventus, anno 1445. conſultando de tempore, medijs & conditionibus; ſed ſine ulla determinatione ſolida; ità ut illud Sylvij, de diætis Principum Imperij, ſub id tempus crebrò quoque habitis dictum & ſcriptum: *fœcundas eſſe omnes Germanorum diætas; quamlibet in ventre aliam habere; & ſicuti phœnix avis, dum fatum ſibi inſtare ſentit, rogos ſuos inſtruit, ex cujus cineribus mox altera ſurgit, & ſemper unica phœnix eſt; ita neque diætam fieri, quæ diætam non pariat:* applicari congruè potuerit etiam Conventibus Bohemorum, jam *Pragæ*, jam *Bohemo Brodæ*, jam *Kuttnæ*, jam *Pelhrzimovij*, jam *Melnici*, jam iterum *Pragæ*, majore ſemper contentione & tumultu, quàm fructu celebratis. Ultimò poſtquàm ſatìs datum eſſet privatis & publicis jurgijs, placuit indîci *Comitia generalia Pragam*, pro 11. Nov. an. 1446. ad quæ invitati ſunt etiam Ordines, ex provincijs Coronæ Regni unitis; ut quod omnes tangeret, ab omnibus deliberaretur. Et tùm convenerunt ex *Bohemia*, *Moravia*, *Sileſia*, *utráque Luſatia* frequentes: ex Moravia aderat ipſemet Capitaneus Provinciæ ſupremus, *Joannes de Cymburg & Tovvaczovv*, cum *Alberto à Sternberg*, *& Lukovv*, *Chriſtophoro de Lichtenſtein & Niclſpurg*, *Hynkone jun. de VValdſtein*, *in Sadek & Brtnicz*, aliiſque tribus ex Ordine equeſtri, quorum nomina *Pernſteinius* meus apponere omiſit. Ibi poſt multa in deliberationem ſuſcepta, diûque agitata, ultimò communi omnium conſenſu fuit decretum, ut mitterentur legati ad Cæſarem, qui nomine Regni & Provinciarum peterent *Regem Ladislaum* ſibi extradi in Bohemiam ducendum, & Pragæ educandum. Miſſíque ſunt ex Bohemis, *Henricus de Straz*, *Albertus de Kolovvrat*, *Joannes Malovecius*, *& Matthias Chlumczansky*. Ex Moravis, *Henricus de Lippa*, *& Chriſtophorus de Lichtenſtein*. Sed nihil impetrârunt. Conſtantiam illorum & fidem laudavit Cæſar, eámque ipſis perpetuam precatus eſt; at puerum regium nullibi meliùs ac convenientiùs, quàm apud ſe tutorem & patruelem educari poſſe, addidit: Regnum interim & Provincias ipſimet regerent, utì hactenus, donec Regis ætas capeſſendo regimini idonea eſſet. Quæ quidem Bohemis & Moravis parum grata fuêre.

Hagek. ad an. 1446. MS. Pernſt. & Amon. an. eod.

Comitia generalia Pragæ celebrant:

Legatos ad Cæſarem mittunt:

nihil impetrant.

Idem petebant, ſimul & *reſtitui Coronam Regni*, Hungari; ſed tumultuoſiùs, usque adeò, ut quod precibus impetrare non poſſent, bello & armis extor-

extorquendum tentarent. Vaſtata idcirco Auſtria, potiſſimùm verò regiones *Novæ Civitati*, in qua tum morabatur Cæſar, viciniores: rapinis & populationibus omnia complebantur, quæ ferri aut agi non poterant, flammis corrumpebantur. Ad extremum *Corvinus*, qui præſens aderat, cùm Novam Civitatem fruſtra tentâſſet, & hyems acerrima ingrueret, neque â Cæſare quidquam extorquere poſſet, domum redijt. *Jaurino* deinde, quod præſidio Teutonico pro Ladislao tenebatur, Hungaris reſtituto placatus, & bello potiùs in Turcas transferendo, ſaniori conſilio intentus, inducias ad biennium cum Cæſare pepigit; eóque modo Auſtria ab incurſionibus Hungarorum aliquandiu liberata fuit.

Idem Hungari efflagitant: quo non impetrato, Auſtriam vaſtant: cum Cæſare inducias paciſcuntur. *Bonfin. dec. 3. lib. 7. Gerard. de Roo lib. 5.*

Circa hæc tempora, aut paulò antè, multi rurſum *per Moraviam & Bohemiam* prædones facinoroſi & egentes, aptiſſima hominum manus, ad perturbandam publicam tranquillitatem, agros viáſque infeſtabant: quorum recèns extructa latibula *Moravi*, in ſuperiori parte Diſtrictûs Brunenſis vi expugnârunt, ac ſolo æquârunt, latronibus vel diſperſis, vel captis, & ſuſpendio enectis. *In Bohemia Joannes Kersky, caſtrum Pabienicze in Czaslavienſi diſtrictu* occupavit; ex quo viciniam totam infeſtabat excurſionibus crebris, prædas agendo, & viatoribus more latronum inſidiando. Obſeſſus deinde *à Nicolao Trczka*, Domino in Lipnicz, & per duas ſeptimanas continuas acriter oppugnatus, cùm videret ſe diu ſubſiſtere non poſſe; & maleficiorum pœnas veritus, de fuga maturè inſtituenda cogitare cœpit; nactúsque occſionem, nocte feſtum *S. Margaretæ* præcedente, cum ſeptem alijs, ad caſtrum *Janowiczky* profugit. Arx poſtea die tertiâ vi capta, direpta & incenſa: ſocij verò *Kerskÿ*, quotquot deprehenſi, ſunt ſuſpenſi. Quia verò *Kersky*, in jam nominato caſtro, ad quod profugerat, deliteſcens, nec adhuc â furtis, rapinis & latrocinijs abſtinere voluit, *Trczkam* & alios Nobiles, quos varijs malefactis infenſos ſibi reddiderat, denuò contra ſe provocavit: qui repentè in eum nec opinantem arma verterunt, & caſtrum obſidione cinxerunt. At ille paucitati ſuorum diffiſus (haud multo enim antè, aliquos prædatum emiſerat, qui nondum redierant) tametſi aliquandiu vim oppugnantium forti animo ſuſtinuerit, poſtremò tamen, periculo magìs ac magìs appropinquante, de evadendo, ſicut ante, conſilium inijt. Quod tamen ei non ſucceſſit, ſed â fuga retractus, & *Czaslaviam* ductus gladio pœnas luit.

Latrocinia per Moraviam repullulant.

In Bohemia ſimiliter.

quorum authore primario obſeſſo, *MS. Pernſ. ad an. 1444. Hagek. ad an. 1446.*

capto & ſublato aliquandiu ceſſant.

In Hungaria quoque *Pancratius*, cujus ſuprà meminimus, unus ex Magnatibus Hungaris (*Gerardus de Roo* malè Polonum nominat) oppido *Skalicio*, quod in confinijs *Hungariæ, Moraviæ & Auſtriæ* ſitum eſt, occupato, multis primò Auſtriam afficiebat incommodis, nec ullis pactionibus, ut ab injurijs ſuperſederet, adduci poterat. Contra hunc Cæſar, *Ulricum Comitem Cilienſem*, juſto cum exercitu, & machinis bellicis, alióque apparatu egregiè inſtructo miſit: qui diſpoſitis tormentis, poſtquàm oppidi muros validis & continuis ictibus diruere cœpiſſet, *Pancratius Corvini* Pro Regis opem implorans, ejus fidei & tutelæ ſe ſubmiſit. Hic ergo datis ad *Cilienſem* literis, quibus promittebat, nihil impoſterùm damni Auſtriacis, ex eo loco illatum iri,

Pancratius Hungarus Skalicio occupato, infeſtat Auſtriam & Moraviam.

oppi-

Digitized by Google

& hanc quidem magis ac diutiùs.

oppidum ſuo præſidio munit. Non ceſſavit tamen à maleficio, latrocinandique libidine *Pancratius*, ſed deguſtatâ ſemel prædarum dulcedine, viribúsque auctus, crebros *in Moraviam* faciebat excurſus; pagos & oppida viciniora diripiens, pecoris majoris minoríſque greges abigens, itinera infeſtans, tot denique ac tantis injurijs obvios quosque afficiens, ut *Proceres Moravi* tandem arma corripere, & contra, ad vim vi propulſandam, ire maturè cogerentur. Junctis itáque viribus, *Skalicium* obſidione premendum decernunt: nec mora, ubi in conſpectum oppidi veniſſent, illud extemplò aggrediuntur, quod non adeò firmis, & à præcedenti oppugnatione concuſſis mœnibus munitum, facilè ac primo impetu capi poſſe exiſtimarent. Nihilominùs præceps hæc audacia talem habuit exitum, ut qui ferociùs procurriſſent, oppidum majore temeritate quàm conſilio adorti, à præſidiarijs, qui ſummis viribus arcebant aditum, multis interfectis, multíſque vulneratis, non ſine ignominia reijcerentur. Poſtero die militibus nonnullis ſecures bipennésque ſunt diſtributæ, quibus portæ diffringerentur, pugnáque denuò reſtaurata: edicto quoque imperatum, ut ſclopetarij ac ſagittarij ijs, qui diſſecandis portis incumberent, auxilio eſſent, impetendo à parte alia muros, quò faciliùs defenſores diſtrahi, & à tuendis portis avocari poſſent. Cùm igitur procurrentes *Moravi* celeri ſtudio portas perrupiſſent, nilque ad patefaciendum aditum obſtaculo ſupereſſet, præter ferreos crates, ſupernè ex turri demiſſos; cives metu præſentis exitij territi, de deditione proloqui cœperunt; renitente licèt *Pancratio*. Qui ultimò videns plebem periculo ingruente turbatam, ideóque in ſententia deditionis jamjam faciendæ perſiſtentem prævalentémque, ut ſe præſenti diſcrimini eximeret, equo conſcenſo, quem eum in finem habebat paratum, per portam, quæ minùs obſervabatur, foras erupit, & evaſit cum paucis. Occupato oppido, *Moravi*, quotquot ex commilitio *Pancratij* deprehenderunt, ad unum omnes laqueo, furum & latronum inſtar ſuſtulerunt; utque tutelæ limitis ab ea parte tanto ſecuriùs proſpicerent, oppidum ſuo præſidio firmârunt.

Moravi ad arma concurrunt: Skalicium obſident,

oppugnant; ſed reijciuntur,

denuò fortunam tentant, eáque meliore uſi,

partim vi, partim deditione capiunt.

Pancratius fugâ evadit.

Nec multo poſt, eundem Pancratium hominem turbulentum, ac inſolentem, etiam *Giskra* bello perſequendum compeſcendúmque ſuſcepit; de quo Sylvius: *Interea Giskra*, inquit, *vir magnificus*, *noſtrique ſeculi non parvum decus*, *qui partem Ladislai apud Hungaros*, *aut ſolus*, *aut certè cum paucis*, *usque in hanc diem tutatus eſt; cùm Pancratius ſtantibus inducijs*, *quoddam ſibi caſtellum per inſidias eripuiſſet*, *ulturus injurias exercitum collegit*, *atque cum octo millibus pugnatorum Pancratij territorium*, *quoddámque munitiſſimum ejus oppidum obſidione cinxit*. Quo facto, Pancratius haud mediocriter perculſus, tantóque bello impar, ad *Nicolaum VVeivodam*, poſtea *Sirmij ducem*, quem Bohemi & Slavi *Friſtaczkium*, ab oppido ejus vocabant, alióſque Proceres Hungaros confugiendum, rebúsque ſuis in eo periculo verſantibus, opem implorandam duxit. Unde qui antea literis ſecuritatis multoties accerſitus, conventum Hungarorum accedere recuſaverat, nec centum ſigillis credere volens, (eò quòd jam ſemel, vivente adhuc VVladislao,

Giskra Pancratium bello perſequitur: *Æn. Sylv. Epiſt. 93. data 1446. in Martio.*

cui ſuſtinendo ille impar,

ùt

ùt narrant *Callimachus & Bonfinius*, fidem ſibi datam, per ſeditionem multitudinis, eodem loco & tempore, quò id ipſum Giskræ accidiſſe ſuprà docuimus, in ſe violatam meminiſſet) nunc *poſtbabito timore Hungarorum, cùm major ab Giskra inſtaret metus, cum ſeptem comitibus Albam perrexit, in manus Procerum ſe tradens. Queritur ſe Giskra conatibus opprimi, petitq́ auxilium; ſe Regi Ladislao fidem dare promittit, nec ſe alium velle habere teſtatur, quàm Ladislaum, poſtquàm mortuus eſt Rex Poloniæ, cui ſeſe adſtrinxiſſet. Similiter & Oratores ad Regem Romanorum deſtinat, ſe pacem cum Auſtria perpetuam habiturum, nullique alteri, quàm Ladislao in Hungaria, nunquàm Regi pariturum aſſerit; rogátque ſcribi Giskræ, ne ſe infeſtet.* Pacem deinde impetravit, quando Giskræ caſtellum, & alia quædam oppida, legitimis ſuis poſſeſſoribus reſtituit. Ita periculo ille ſapuit ſuo, reſipuitque.

Callim. de reb. VVlad. lib. Bonfin. dec. 3. lib.

ad primaſtos proceres Hungaros, & ad Cæſarem confugit:

pacem impetrat.

Anno 1448. Calend. Maji, venit Pragam *Joannes Carvajal* Cardinalis S. Angeli, *Legatus Nicolai V.* qui Eugenio nuper defuncto ſucceſſerat, ab *Ulrico de Roſenberg*, & *Meinhardo de Novadomo* comitatus. Obviam ei prodierunt *proceſſionaliter*, ùt ajunt, extra urbem usque ad pagum *Krcze*, Clerus & Studiorum Univerſitas, ingénsque populus; &, ùt narrat, qui præſens aderat, *præter Canonicos & monachos, etiam Doctores, Magiſtri, baccalaurei, Studioſi, civésque omnes. Studioſi & Sacerdotes præcedebant; hos immediatè ſequebantur Conſules & Senatores totius Triurbis, cum argenteis baccillis, pro veteri ſua conſvetudine: ultimò opifices, una quæq́ tribus cum ſuo vexillo. Exceptum ſub baldachinum duxerunt in urbem honorificentiſſimè, cantantes: Adveniſti deſiderabilis, Pater amabilis; quem expectabamus in tribulationibus, noſtris. Adveniſti cum donis ſpiritualibus & cæleſtibus, ut benedicas omnibus bonæ voluntatis hominibus.* Rectáque Eccleſiam Teynenſem, quæ eſt in Urbe veteri primaria, & quam tunc regebat *M. Joannes Papauſſek* Sacerdos Catholicus, *vir*, ùt de eo teſtatur Sylvius, *bonus & doctus*, petierunt: ac inde poſt peracta conſveta laudum cantica, *Canonici, Senatores & Doctores* præcipui, ad hoſpitium, quod *ad Elephantem*, ùt vulgò appellant, paratum erat, eum deduxerunt.

Legatus Pontificis Pragam venit,

MS. Anon. ciſis Prag. ad an. 1448.

publicâ omnium Ordinum ſupplicatione exceptus.

Auditâ deinde oratione Bohemorum, (videatur apud *Cochlæum*) quâ præmiſſis laudibus in Sedem Apoſtol. ejúsque *Pontifices Eugenium & Nicolaum*, nec non *in Sigiſmundum Imp.* ſimul & expoſitis breviter, quæ circa Communionem ſub utráque ſpecie, cum *Concilio Baſil.* & delegatis ab eo geſta fuiſſent; duo petebant: unum, ut Compactata nomine Summi Pontificis confirmaret; alterum, ut *Rokytzanam in Archi-Epiſcopum Prag.* conſecraret. Reſpondit, de Compactatis acturum ſe poſtmodùm: de Rokytzana verò, antequàm is conſecrari poſſet, reddenda eſſe *bona Eccleſiæ Pragenſis*, unde ſuſtentationem honeſtam haberet. Cui cùm repoſuiſſent, difficilem nimis fore bonorum Eccleſiæ reſtitutionem, ſed proviſuros ſe ei aliunde, & cumulatè: quomodo id præſtare vellent, ſcire petijt: nec deinceps ulla mentio hujus mota fuit. Et quia Rokytzana, qui tunc Regino Hradecio Pragam advolârat,

Cochl. in Hiſt. Huſſit. lib. 10. ad init.

Bohemos petentes Compactatorum confirmationem audit:

reſpondet.

Rokytzanus diſputationem de fide proponit:

 homo

homo ſcientiâ tali quali inflatus, & ad impudentiam usque jactabundus, Legatum aſſiduò penè ad diſputationem provocabat, ne videretur Fidei Catholicæ in tanta expectatione diffidere, conſenſit. In magno igitur Regni Conventu, cœpit Rokytzana ab his verbis: *Æterni Patris Verbum:* ſed mox Deo prohibente obticuit, nec ultra progredi valuit, mirantibus ad hæc univerſis, qui aliàs ipſum nequaquàm dicendi rudem noverant. Nihilominùs conatu toto reſumpſit iterum eadem verba; ac poſt intervallum aliquod iterum, ſed iterum obmutuit. Cùm ergo omnes ſtuperent, tum Legatus ipſa eadem verba aſſumens, tam copiosè & præclarè diſſeruit, ut multi divinum opus mirati, poſito errore, ad Catholicam Religionem redierint. Auſi tamen fuerunt Huſſitæ canere ſine victoria triumphum, ſed thraſonicè; & ſicut jactanter, ità falsè. Ultimò Cardinalis cùm in neutro vellet condeſcendere Bohemorum votis, rebus infectis, Pragâ abijt, die 22. Maji. Narrat idem ipſe, quem paulo antè, introductioni huic ſolemni interfuiſſe dixi; *Cardinalem petiſſe oſtendi ſibi Compactata, iisque acceptis, & non reſtitutis Pragâ diſceſſiſſe: ſed cùm Pragenſes, cognito hoc, illum inſequi juſſiſſent, cum mandato, ut ſi ea reſtituere nollet, Pragam retraheretur, deprehenſum Beneſſovij ea quidem reſtituiſſe, ſed ſimul adjeciſſe; benè, benè; reddam vobis; veniet tempus, quando ea nec monſtrare audebitis.* Idem memorat Hagecius; ſed duobus annis citiùs, & non *Joanni*, ſed *Paulo Legato,* id accidiſſe vult. Ego credo teſti oculato.

Spondan. in Annal. Eccl. ad an. 1448. obmuteſcit.

Legatus potentiſſimè perorat, & cum fructu.

Diſcedit Pragâ, & tabulas Compactatorum unà tollit:

quas reſtituere cogitur. *Anon. Prag. cit. Hagec. ad an. 1446.*

Poſt diſceſſum Legati, inter quosdam Pragenſes, qui in amicitia Rokytzanæ præ alijs habebantur flagrantiores, & qui eum ad Eccleſiam Teynenſem reſtitui deſiderabant; multi ſermones ultrò citróque jactati fuêre, pleni irarum & contumeliæ *in Meinhardum*, & paucos quosdam Regni Proceres; uti *Ulricum Roſenſem, Hanuſſium & Fridericum de Kolowrat, Burjanum de Guttenſtein, Zbynkonem de Hazmburg, Joannem ſeniorem de Swamberg:* quaſi per illos tunc Pragæ congregatos ſtetiſſet, quò minùs poſtulatis ſuis à Legato ſatisfactum fuerit. Sed *in Meinhardum Regni Gubernatorem* vel maximè odijs & calamnijs invehebantur privatim & publicè; usque adeò, ut illum diutiùs in eo ampliſſimo Officij munere nequaquam tolerandum, ſed quocúnque tandem modo deturbandum conſtituerint: *Georgio à Podiebrad* hoc ipſum probante & ſvadente, qui eo amoto, tanto faciliùs ſe rerum potiturum ſperabat; ſicut & factum. Ità *ſi ſerpens non devorat ſerpentem, nunquam fit draco.* Nec mora, eorum primarij, & de Nobilitate etiam, qui contrahi repentè & in ſilentio potuêre non pauci, quales erant *Sigismundus junior de Wartmberg & Dieczin, Joannes Czabeliczky, Treczka, Hertwig, Koſtka junior;* conveniunt occultè Kuttnam; ubi jam ex condicto eos expectabat *Georgius* factionis caput; *Meinhardo* horum omnium, quæ in contumeliam ac perniciem ejus cudebantur, prorſus ignaro: è contra verò, *Georgio* omnium etiam ſecretiſſimorum dictorum & factorum Meinhardi conſcio, cui abdita quæque conſilia Catholicorum Procerum, per idoneos homines pecuniâ corruptos patefiebant; ita ut quâdam vice prandens *Sauticij* apud *Czabeliczkium*, glorietur ſit (in loquendo aliàs cautus) *nullum prodire è Meinhardi ore verbum*;

Conſpiratio Huſſitarum contra Meinhardum,

magis ac magis augetur:

Kuttenbergæ in ſeditioſorum conventiculo confirmatur;

MS. Familiæ Koſtkarum.

Digitized by Google

bum, ſeu privatè ſeu publicè, quin ad ejus aures fideliter afferatur. Quid porrò in eo conventu actum, quid ſtatutum fuerit, brevì occupata â Georgio per proditionem civium Praga, captúsque *Meinhardus*, & Podiebradium in cuſtodiam ductus oſtendit. Rem exactè deſcribit *Æneas*, prout â fide dignis, qui hæc oculis ſuis ſpectabant, relatum habuit. erumpit.

Sylv. in Hiſt. Boh. cap. 58. Cocbl. Hagec. MS. Anon. Prag.

Ptaczkone, inquit, *defuncto, pars adverſa ad Georgium Podiebradium ſe contulerat: eúmque ſibi ducem elegerat, jam tum rei militaris peritiâ rebúsque ſtrenuè geſtis inſignem. Orare igitur, ne jacere ſuas partes ſinat; Meinhardum indiès creſcere, Pragam in poteſtate habere Regni Metropolim, Sacerdotes qui Romanum ritum introducant magnificare, qui veritates Patrum ſequerentur, perſequi. Occurrendum temeritati hominis, qui peregrinos mores Patriæ anteponat, Pragam ei auferendam: neque id eſſe difficile, civibus non placere Meinhardi regimen, Rokytzanam multos habere amicos, qui excitato tumultu arma capeſſant: audendum eſſe fortibus viris, fortunam ipſam aperire victoriam. Georgius ipſe, qui ſvapte naturâ magna cuperet, collaudatis ſvaſoribus, nonnullis in urbem ire jubet, qui pertentatis civium animis, quæcúnque invenerint, ad ſe referant. Poſtquàm multi aures adbibent, conjuratione factâ, invadendæ urbis dies* (hæc erat 3. Septemb.) *conſtituitur. Conjurati incendium, in parte urbis admodùm remota excitant, concurritur ad reſtinguendum ignem: interea Georgius ex adverſa parte cum copijs muros invadit. Nec mora, proditores in inſtanti portas aperiunt;* (portulam quandam obſoletam ſub VViſſehrado, ad amnem Boticz, vulgò w Sſupjch) *extollitur clamor, ùt in capta urbe ſolet. Hinc tremor ſuprema timentium, inde exultatio victorum exaudiri: trucidantur reſiſtentes: Meinhardus in eo tumultu captus,* & Podiebradium abductus. Hanuſſius de Kolovvrat Capitaneus Pragenſis, per poſticum *domûs Marchionatus Moraviæ*, quam tunc in habitabat, evaſit, & non ampliùs Pragæ tutus, Zbirohum ad ſuæ ditionis caſtrum profugit, & cum illo *Papauſſek* parochus Teynenſis: cujus locum paucos poſt dies Rokyczana obtinuit; qui omnium mortalium impudentiſſimus, brevì etiam juriſdictionem Archi-Ep. ſibi arrogare non dubitavit.

Georgius â Podiebrad caput ſeditionis,

Pragam proditione civium occupat:

Meinhardum captivat:

Hunc in modum occupatâ â Georgio Pragâ, & amoto Catholicorum præcipuo munimine Meinhardo; invaleſcentéque Huſſitarum potentiâ, magnum certè Religioni Catholicæ Pragæ inflictum eſt vulnus, vexati Catholici, non pauci etiam urbe pulſi; infirmi cùm peterent SS. Euchariſtiæ Viaticum, compellebantur per Sacerdotes Rokytzanæ, ad communionem utriúsque ſpeciei: qui verò nolebant bibere de calice, mortuis non permittebatur ſepultura Eccleſiaſtica, ſed efferebantur extra civitatem, ſepeliebantúrque ſepulturâ aſini. Nec Religio ſolùm, verùm etiam ſtatus Regni univerſus, qui nonnihil â præteritis malis reſpirare videbatur, novâ hâc ſeditionis tempeſtate ſubitò exortâ, haud mediocriter *per Bohemiam & Moraviam* turbari cœpit: de quo aliquid paucis; ubi priùs de nova *Hungarorum, Bohemorum & Moravorum*, adversùs Turcas expeditione, & ſequuta gravi iterum clade, aliquid brevibus quoque narravero.

quo amoto res Catholicæ Pragæ vacillat:

Huſſitarum potentia invaleſcit.

Digitized by Google

Corvinus cladem VVarnenſem ulciſcendam ſuſcipit: auctúsque Bohemorum & Moravorum ſubſidijs,

Hærebat Corvino *clades VVarnenſis* altè in animo: qui idcirco dies noctésque meditabatur, quonam pacto ignominiam hanc abolere, & accepta damna ulciſci reſarciréque poſſet. Inito ergò cum *Scanderbego Epirotarum Duce* fœdere, & delectu Hungarorum habito, acerſitiſque Bohemorum & Moravorum auxilijs, cum exercitu viginti duorum millium contra Turcas movit. Dedêre ei nomina *Legatus imprimis Apoſtolicus Coronenſis Epiſcopus, Emericus VVeyvvoda Tranſylv. Ladislaus frater ejus, Thomas Czeech, Reinboldus Roſgonius, Georgius Cziaki, Stephanus & Nicolaus Banffi*, aliíque Regni Proceres, viri militares: qui ſinguli adduxerant copias tum pedeſtres, tum equeſtres, idoneis armis probè inſtructas, inter quas erant veterani milites complures. Sequutus eſt poſt aliquot dies *Francus Dalemicz, Dalmatiæ & Croatiæ Banus*, cum tribus millibus equitum, & mille ducentis peditibus: quibus ultimò *Joannes Zeckel Corvini à ſorore nepos, VVeyvvoda VValachiæ*, cum octo millibus acceſſit. Trajecto *ad Severinum*, ubi hodiéque ſpectantur rudera pontis Trajani, Danubio; quùm *Myſiæ ſuper.* ſeu *Raſciæ*, vel *Serviæ* (tot enim nominibus appellatur ab Authoribus) *Deſpotam Georgium* in bello ſocietatem vocaret; ille verò pactis cum Amurathe inducijs, quas violare nefas eſſet, ſeſe excuſaret: per ejus Regnum haud aliter, atque per infeſtam regionem *Corvinus* iter in Bulgariam proſequutus eſt: ſperans alibi idem facturum *Scanderbegum*, quem ea de cauſâ frequentioribus urgebat nuncijs, ut approperaret, cùm jam ipſe hoſtili terræ immineret. Ità quippe convenerant, ut iſte cum Hungaris *è Raſcia Bulgariaq;*, ille *ab Illyrico* Turcis occurrerent, quò citiùs â tergo & fronte preſſos opprimerent. Sed Turcis maturè id ipſum ſubodoratis, ideôque itinera omnia, quà Epirotis tranſeundum erat, præoccupantibus, res uti inſtituta ordinatáque fuit, non ſucceſſit.

Bonfin. dec. 3. lib. 7. Thuroc. part. 4. cap. 44. & ſequ. Æn Sylv. in Europa c. 5. & fœdere cùm Scanderbego inito;

qui tamen à Turcis præpeditus fuit,

Non tamen vel hoc conſilium ad diſtrahendas Turcarum vires fruſtra ſuſceptum, vel quidquam deterruit *Corvinum*, quin ulteriùs progrederetur, & fortunam prælij, ubi primùm occaſione foret, tentandam ſuſciperet. Concurrentibus igitur Hungaris & Turcis, in quadam planiciê ampliſſima, Raſcianis & Slavis 𝔎𝔬ſ𝔬𝔴𝔬 𝔓𝔬𝔩𝔢 / id eſt, *Campus merulæ* dicta; quam *Zitnicza* fluvius, priusquàm *Moravæ* commiſceatur, interfluit: *Feriâ V. præcedente feſtum S. Lucæ Evang.* ingentibus animis pugnatum eſt, *Amurathe* ipſo præſente, ità ut prælium, non niſi nocte ſuperveniente, cum magna tamen *Turcarum clade*, dirimi potuerit. Poſtero die rurſum, ab hora diei tertiâ ad noctem usque, haud minori ferociâ, & tunc pari utrinque cum clade, dimicatum eſt. Donec *die Sabbati*, primâ luce redintegrato certamine, poſt multam ubique cædem, immiſſis ab Amurathe in Chriſtianos triduano labore feſſos, ac penè confectos, cunctis uno impetu agminibus ſuis, ij tandem in fugam verſi ſunt: cæſo imprimis *Zeckele, & Legato Apoſtolico*, qui acriùs invehebantur in hoſtes, ac demum cæteris Proceribus, & totâ fermè Nobilitate. *Corvinus* fugâ evaſit. *Cæſa Chriſtianorum* in campo, prout *Amurathes* ipſe, eodem menſe Corinthijs ſignificavit, *octo millia*; præter ingentem lixarum calonúmque, & ejusmodi hominum, qui caſtra ſequuntur, multitudinem, qui ultimò

cum Turcis pugnat, per triduum:

ac ultimò pugnando feſſus vincitur:

multis cæſis, ipſe fugâ evaſit.

in

in caſtris invaſi, cùm ſeſe aliquandiu defendiſſent, ad unum omnes occiſi ſunt. Multo tamen ſanguine emptam hanc victoriam *Amurathes* domum retulit, *quâ quatuor & tringinta millia ex ſuis amiſit:* & ne tanta ſuorum cædes appareret, Nobilium continuò ſepeliri, gregariorum verò militum cadavera in profluentem projici juſsit; ex quo factum, ut *Zitnicza fluminis accolæ, diu ejus piſcibus abſtinuerint.*

Non procul aberat, & ùt Bonfinius ſcribit, *non niſi viginti millibus paſſuum* loco, *Scanderbegus,* (qui videtur quomodocúnque penetrâſſe, & mutato conſilio, arreptóque alio itinere â Turcis minùs obſervato, voluiſſe ſe *Corvino* adjungere) quando de clade intellexit. Unde ſi *Corvinus* paulo lentiùs ad pugnam properâſſet, & vel biduum expectâſſet, meliori haud dubiè fortuna certare potuiſſet. Cæterùm *Scanderbegus* ex itinere & fuga, non paucos *Hungaros*, prout & *Bohemos Moravósque* poſt prælium dilapſos, & hinc inde palantes benignè excepit, juvítque ut per *Illyricum & Dalmatiam*, in Hungariam reverterentur incolumes. Unde quicúnq; ex illis per varia diffugientibus lævam tenuêre, ſalvi plerique redierunt: qui verò per *Raſciam*, quà venerant, reverti contendebant, ſic infeſtam ubique latrocinijs provinciam invenêre, ut pauci evaſerint, quin aut ſpoliati, aut cæſi fuerint.

Bonf. cit. lib. 7.

Scanderbegus ſerò advenit:

Chriſtianos fugientes excipit, & in Patriam quemque ſuam remittit.

Sed cum *Corvino* vel maximè fortuna mirabiliter luſit. Hic etenim ad meliora ſe reſervans, ubi inclinatas ſuas acies, ſigna jam pleráque capta, Zeckelem & alios occiſos, reliquos diſperſos animadvertit, fugam quoque equo velociſſimo uſus arripuit; & ultimò equo dimiſſo, abjectiſque armis, tres dies per avia devia impaſtus ambulavit. Dúmque ità ſolus & inermis oberraret, quarto die incidit in duos latrones; qui ignoto veſtimenta primùm, inde auream Crucem ê collo pendentem detrahunt: mox, utì inter homines rapaces, de tam ſpecioſa præda altercatio oritur; utróque eam ad ſe trahente, ac ſenſim ad manus ventum. Quo viſo *Corvinus*, ne occioſus ſpectator eſſet, uni eorum gladio erepto, proximùm immediatè conficit, alterum in fugam vertit. Hoc modo Crucis occaſione, *vir Clariſſimus*, ſe â rapina mortéque redemit; non ſine ſpeciali Divinis Numinis providentiâ ac benignitate: *ut qui pro Cruce, & affixi Servatoris nomine dimicaret, Crucis quoque auxiliô liberaretur.* Nec tamen hìc fortuna ejus ſtetit. Progreſſus ulteriùs, *Raſcianum* quendam obvium habet, & ipſum latronem: cùm utérque tacitus diu conſtitiſſet, tandem *Corvinus* nutu ad ſe vocatum rogat, ut *Belgradum* ſe deduceret, magnâ promiſsâ mercede. Qui ex vultu cognoſcens hominem eſſe non poſtremæ ſortis, ac demum auditâ ipſius fortunâ, commiſeratione aliquâ actus annuit, & in proximam caſam duxit, panem cum cepis, & aquam appoſuit hoſpiti feſſo, faméque jam penè abſumpto: qui in jucunda deinde miſeriæ hujus commemoratione, nunquam lautiùs ſe quàm ibi cænâſſe, ſæpe affirmare ſolebat. In hoc tamen *Corvinum* fefellit, quòd non *Belgradum*, ùt petebatur, ſed *Samandriam*, ubi Deſpota tunc degebat, eum deduxit: cujus adventu cognito *Deſpota*, nec virtutem viri dignitatémque reveritus, nec beneficiorum in ſe exulem memor, captivum detineri juſſit, gravia damna ab ipſius exercitu in tran-

Corvini fugientis varia & mirabilis fortuna:

occaſione Crucis evadit periculum.

Bonfin. cit. Ens Rer. Hung. lib. 4. Cromer. lib. 22. Miechov. lib. 4. cap. 65. Flor. Hungar. lib. 3. cap. 11.

à Deſpota Serviæ ſub cuſtodia detinetur & dimittitur.

tranſitu ſuis illata cauſatus; nec aliter dimittere voluit, quàm obſide certorum pactorum dato majori filio Ladislao. Quem tamen brevì, poſtquàm in Hungariam, circa finem anni, magnâ omnium gratulatione exceptus rediijt, & modicùm quievit, petitâ deinde armis Deſpotæ provinciâ, & ipſo Deſpotâ ad alias pacis leges coacto, recepit.

Meinhardus in captivitatem abductus, & dimiſſus moritur.

At in Bohemia turbatis, ùt jam diximus rebus, propter *Meinhardum à Georgio* per ſummam injuriam captum, & *in carcerem arcis Podiebrad*, conjectum, ac brevì poſtea, dum gravi morbo preſſus, & idcirco dimiſſus, *Carlſteinam* (hanc nulli, nec captivus exiſtens, cedere voluit, Regalium cuſtos ad mortem usque fidelis) pergeret, *Rzicžanij* ex itinere mortuum (veneno alij ſublatum, alij ſquallore carceris, annis, ſenio & curis temporibus difficillimis confectum volunt) etiam *Moravia* eandem obcauſam, aliquam tumultuum procellam ſenſit. Pro parte *Meinhardi*, vel jam potiùs filij ejus *Ulrici*, ultoris patris ſui, ſtabant in Bohemia Roſenſes omnes, tanquàm cognati; *Hanuſs*, *Fridericus*, *Henricus & Albertus Kolovvratai*, *Petrus & Zdenko de* Konopiſst, *Sternbergici*, tam illi, quàm iſti Heroës præſtantiſſimi, & Catholicæ Religionis præ alijs tenaciores: *Joan.* item *Kolda de Nachod* vir ſtrenuus & pugnax, *Joan. de Smirzicz*, *Puta de Zampach*, *Svvogſſe de Opoczno*, *Arneſtus de Leskovvecz*, *Kuneſs de Koſtelecz*, *Bedrzich*: (quod miror) & alij. Pro parte Georgij, *Bobuſſe & Zdenko Koſtkovve de Poſtupicz*, *Trczka de Lipnicz*, *Joan. de Sauticz*, *Praga*, & omnes penè civitates regiæ, *Plſnâ*, *Budvicio*, *Piſekâ*, *Ziatecio*, *Launâ*, *Brixiâ & Cadanâ* exceptis.

Proceres in Bohemia & Moravia, in factiones ſcinduntur:

aliqui pro parte Georgij;

In Moravia favebant Georgio, *Kunſtatai & Drnovicij* omnes, utpote ejusdem originis, *Pernſteinij*, *Kravarai*, *Matauſs à Sternberg*, *Joan.* *Kragirius*, *Joannes & Carolus VVlaſſimai*, *Archleb de VViczkovv*, *VVanko de Sſvabenicz*, *Pardus ab Horka* liberatus jam dudum ex Olomuc. cuſtodia, beneficio ſupremi Provinciæ Capitanei *Joannis de Cymburg*. Contrarij erant, præter *Joannem ſenior. de Novadomo*, *Dominum in Telcz & Slavonicz*, *Meinhardi patruelem*, *Hynko & Stephanus Lichtmburgici*, *Joannes & Marquardus Lomnicai*, *Czernoborenſes ſeu Bozkovvicij* pleríque, *Smilo de Rotenſtein*, *VVanko de Zabradka*, *Hynko de VVydrzi*, *Joannes de Zieletavv*, & plures alij.

alij pro parte Ulrici filij Meinhardi ſtant:

hinc pax publica turbatur,

Tali rerum ſtatu, ſciſſis in diverſa ſtudia Proceribus, novi rurſus, iique periculoſiſſimi inteſtinarum ſeditionum motus ſubitò exorti fuêre, qui turbatâ Reipublicæ tranquillitate, jamjam deſituri erant in grave ac pernicioſum civile bellum, niſi Capitaneus Provinciæ *Joannes à Cymburgo*, *Lippai Bertholdus & Henricus*, *Ctibor de Landſtein*, *VVok de Sovvinecz*, *Archleb de Kunovvicz*, *Hynko de Pruſſinovvicz*, tum Provinciæ Moraviæ Notarius, vir magni conſilij (ùt ſcribit Adalb. de Pernſtein) *& tam Religionis*, *quàm ſapientia famâ inſignis*, & præcipui quidam Proceres Moravi, jactatæ jam antea tot malis patriæ charitate permoti, opportuna remedia adhibuiſſent. Qui *publico conventu Brunæ habito*, quò convenerant etiam ê ſeditioſis frequentes, ſtatuerunt unanimi conſenſu: ut ſi quis contra pacta publica, nuper pacis conſervandæ causâ inita, vulgò *Landfrid* dicta, feciſſent, (inter quæ erat, *ne ullus fortio-*

interveniantibus tamen Proceribus, boni communis, quàm privati amantioribus,

in Moravia paulo poſt reſtituitur.

factionibus aut armis privatis, *pacem & tranquillitatem publicam turbare audeat*) eorum bona fiſco addicerentur, ac ipſi liberique eorum, aut perpetuo exilio, ſi capi non poſſent, aut capti præſentiſſimâ extremi ſupplicij pœnâ plecterentur. Atque hoc modo malum imminens, priusquàm in nervum erupiſſet, *mox*, ùt ajunt *in berba*, oppreſſum fuit, páxque Provinciæ reſtituta.

MS. Pernſt. ad an. 1449. Anon. Regino-Hr. an. eod.

In Bohemia tamen atrocioribus odijs fervebat ſeditio: quò dum quidam *Smilo de Drnowvicz* ex Moravia, collectâ ex vagis & errabundis militibus haud contemnendâ manu, & *VVanko de Trnavvka* viro quidem militari & impigro, ſed â rapinis, populationibus & latrocinijs infami, unà aſſumpto, feſtinarent *Georgio* in auxilium, cujus copias jam ternis vicibus *â Kolda* profligatas inaudierat; itérque *per Treboviam Moravorum*, *Liticium versùs*, arcem Georgij hæreditariam, teneret; ab eodem *Kolda* & *Ziampachio*, in pago quodam, *Treboviam inter & Landskronam*, dum fortaſſe curandis corporibus operam daret, ſubitâ irruptione oppreſſus, tantam cladem tulit; ut amiſſis ſuis penè omnibus, & vel captis, vel cæſis, ipſemet pernici uſus equo, vix inſequentium manus evadere potuerit. *VVaniek* poſtquam fortiter, & diu ſatis pugnâſſet, ultimò ab acceptis & illatis vulneribus feſſus, vivus in poteſtatem *Zampachij* venit: quem ille memor veteris injuriæ, ditioni ſuæ per frequentatos ipſius hoſtiles ac prædatorios excurſus quondam illatæ, duriter habuit; conjectúmque in profundam turrim *arcis Potenſtein* partim dolore â nondum curatis vulneribus, partim inediâ & ſquallore carceris miſerabiliter necoegit.

At in Bohemia augetur ſeditio:

cui dum inſolentiores quidam Moravi, ſeſe admiſcere conantur:

Clade pœnas luunt. VVanko unus ex ductoribus capitur, &

in carcere fame mori cogitur.

Meliori aliquantùm fortunâ uſus fuit *Pardus ab Horka* cum collegis ſuis *Zdenkone de Sſwabenicz*, & *Joanne de Honbicz*: qui initâ vel renovatâ potiùs armorum ſocietate cum *Bohuſſio ſeniore Koſtka*, qui *Litomyſlium*, ditionem quondam Epiſcopalem ampliſſimam tenebat, fratréque ejus *Zdenkone*, qui *Landſperga & Brunduſij ad Aquilam* dominabatur, operâ eorum negotio facili in Bohemiam penetrârunt: ubi furore ſuo potiſſimùm in Bona & poſſeſſiones illorum, quos contrarias ſequi partes noverant, effuſo, igne & ferro graſſabantur immaniter. Maximam cladem tunc ſenſerunt ditiones, ab una parte *Richmburgenſis*, *Koſſumbergensisque*; ab altera *Potenſteinenſis*, *Czaſtolovicenſis*, *Czernikovienſis*, *Opocznenſis & Nachodenſis*. Ad *Czernilovium* exigui nominis caſtellum, quòd oppugnandum fruſtra ſuſceperant, atque iterum *ad Koſtelecium ſupra Nigras Sylvas*, quod conatu quoque irrito obſidione aliquandiu premebat, ſtetit illorum impetus & fortuna: quæ pro ſua volubilitate ad ultimum egregiè ipſis illuſit. Solutâ námque *obſidione Koſtelecenſi*, dum ignominiâ & dolore rei malè infelicitérque geſtæ exacerbati, in vicinum *Kolinenſem agrum* populabundi excurriſſent, & in obvias *Bedrzichi*, qui tum temporis *Kolinam* tenebat, villas, rapinis, cædibus & incendijs ſæviſſent crudeliter; ità ut magnam ubique formidinem incuterent: jámque ſuburbanis prædijs imminerent, cives & ſtipendiarij milites, quos habebat *Bedrzich* ad omne militare facinus inſtructiſſimos, non multùm cunctandum rati, erumpere quantocyùs in hoſtem decreverunt. Præmiſſis itáque duobus

Alia Moravorum Georgio faventium in Bohemiam irruptio:

MS. Chron. Regino-Hrad. ad an. 1449. MS. Anon. an. eod.

qui diſtrictum Chrudim. & Regino-Hrad. longè latéque vaſtant:

Koſtelecium fruſtra obſidione tentant:

Kolinenſem regionem populantur:

ſele-

ſelectiſſimorum militum manipulis, qui hortos ex utráque parte viæ regiæ occuparent, tacitique intra ſepimenta & macerias laterent tantiſper, usq; dum alij majori numero erumperent, tum â tergo vel lateribus, prout ſors ferret, hoſtes invaderent: cæteri non multo poſt duplici agmine & viâ eruperunt, hoſtêsque jam ſuburbanas ædes vaſtantes, magno illato impetu aggreſſi ſunt: ac trucidatis non paucis, dum & illi, qui in inſidijs intra hortorum muros latebant, ſubitò erumpentes, rem ſuam prout juſſi fuerant, ſtrenuè agerent, perterriti, hoſtes eo repentino civium excurſu (neque enim, *Bedrzicho abſente*, qui ſub id tempus *VVeliſſium* diſceſſerat, auſuros egredi putabant) præſertim dum ex utróque latere, & â tergo invaderentur, ingenti pavore perculſi, conſiliique inopes ſenſim retrocedere, pedémque ê ſuburbanis referre cœpere; ac ultimò civibus ingenti animo ac totis viribus â tergo inſtantibus, effuſâ fugâ dilabi, & quam quíſque viam invieniebat, profugere. *Cæſi ducenti & ſeptuaginta: captivi centum quinquaginta:* inter quos erat *Honbicius*, laboribus & vulnere non tamen lethali debilitatus & fatiscens: *Pardus* cum *Sſvabenicio* ægrè evaſit, & ille quidem etiam infronte, grandi aliquâ machærâ ictus, maléque notatus: quod vulnus poſtea K*uttnæ*, in *urbe tum Georgio amica*, quò ſeſe receperat, adhibitis remedijs curavit. *Pardus* vulneratus fugâ quoque Kuttnam ſeſe proripuit. Inter manubias de hoſtibus captas, erant etiam quindecim currus benè onuſti prædarum cumulis, â civibus magno cum triumpho in urbem retracti.

dúmque incautiùs ipſi quoque civitati imminent, in inſidias præcipitati, magna ex parte profligantur. Cæſorum & captivorum numerus. MS. Anon. cit.

Interea tentatæ fuêre pacificationes frequentes, anno 1449. & ſequ. datis ſubinde inducijs, intra quas de omni controverſia, inter *Ulricum de Novadomo, & Georgium Podiebradium*, corúmq; fœderatos tranſigi poſſet: ſed fruſtra. Narrat *Cochlæus*, dum quâdam vice tractaretur ſeriò de concordia & pace, poſt *Octavam Paſchæ* an. 1450. *Pelbrzimovij*, & nuncium paulo poſt, nempe Feria V. ante *Dom. Jubilate*, quam ſequebatur immediatè *feſtum S. Marci Ev.* allatum eſſet Pragam, de concordia partium; Rokytzanam exinde fuiſſe ità turbatum ac triſtem, ut die ſequenti, nullam voluerit facere, prout aliàs in Eccleſia, ex inſtitutione S. Gregorij Papæ, moris eſt, Proceſſionem. Sed eo ipſo veſpere adveniente *Georgio*, & referente, ***nullam eſſe concordiam, nullam pacem***, tantá exultâſſe lætitiâ, ut etiam Dominicâ ſequ. inſtituerit, præter morem, ſolennem Supplicationem, *cum Venerabili Sacramento*, per fora & plateas utriúſque Civitatis, cum cantu & inſtrumentis Muſicis, hymnóque Gratiarum actorio, *Te Deum laudamus*. Vide malignitatem hominis!

Tentatur pax & concordia, ſed fruſtra. Cochl. cit. MS. Anon. Prag. ad an. 1450.

Statim deinde *Georgius* ſuppeditantibus pecuniam ad ſtipendia militũ, *Antonino Conſule Pragenſi*, homine prædivite, & alijs quibusdam civibũs, cauſæ ſuæ faventibus, die 18. Maji K*oſtelecium ad Nigras ſylvas*, quod tunc ſpectabat ad K*uneſſium* K*luſa*k (alij *Rozkoſſium* nominant) obſedit, illúdq; *in Vigilia Pentecoſtes* obtinuit, diripuit & ſuccendit. Inde mox ſequenti die, non curatâ feſti celebritate, cum omnibus copijs contra *Fridericum de* K*olovvrat* movit; cujus arcem *Buſſtiebrad*, tribus modicis milliaribus Pragâ diſſitam, *in Slanenſi diſtrictu*, ſimiliter obſidione premendam ſuſcepit. Cognito autem *Ulricum*

Georgius adverſam factionem perſequitur:

de

de Novadomo, & *Henricum juniorem Roſenberg*, aliòſque eorum fœderatos, congregari *circa Plſnam*, & expectare etiam auxilia à *Friderico II. Electore Saxoniæ*, Meinhardo quondam amiciſſimo; priusquàm illa convenirent, relictâ obſidione, vim potiùs totam contra illos vertit: qui tamen, cùm ſe viribus inferiores animadverterent, vitandum omne prælij diſcrimen rati, Plſnam maturè ſeſe receperunt. *Kolovvrat* verò, videns ſe omni auxilio deſtitutum, & â ſocijs deſertum; ſpem etiam ſubſidiorum *à Miſnenſibus* omnem ſublatam, & *Georgium* propediem ad continuandam obſidionem rediturum, ſibi porrò tantum virium, ut reſiſtere poſſit, minimè in promptu eſſe: poſitâ hoſtilitate, Georgij partibus acceſſit.

& evadit ſuperior.
Hagek. ad an. 1450.
MS. Anon. an. eod.
Cochleus L. 10.

Nec multo poſt, interponentibus ſeſe gnaviter Regni Proceribus primarijs, & alijs, quales fuêre: *Ulricus de Roſenberg* cum *Henrico* filio, *VVilhelmus Sſvvibovvsky de Rabi*, *Divviß Slavata de Koſmberg*, *Zbynko de Hazmburg*, *Aleß & Petrus* filius *â Sternberg*, *Zdenkones duo â Sternberg*, *Nicolaus de Lobkovicz*, *Haſſek de VValdſtein*, *VVaniek ſenior de VVrtby*, *Orlyk & Stiepanovv*, *Jacobus VVrzeſovvecz*, *VVilhelmus Czernin*, *Henricus de Straz*, *Hanuſſius*, *Albertus & Henricus Kolovvratai*, *Jaroslaus de Zierotin*, *Zdenko VVratislavv de Tloskovv*; *Zdenko Koſtka*, *Joannes Malovecz de Paczovv*, *Ctibor de Svvogkovv*, *Litmir de Obitecz*, *Burgardus Kamaryt de Zierovvnicze*: qui tanquam boni Reip. cives, dolebant, quòd per ejusmodi diſcordias privatas magìs ac magìs invaleſcentes, publica Regni quies turbari debeat; pax generalis per Bohemiam & Moraviam, interventu induciarum, â feſto S. Jacobi Ap. usque ad feſtum S. Georgij anni 1451. cum *Podiebradio*, & ipſius aſſeclis inita, ac demum pleniùs compoſita fuit.

De pace iterum agitur.
MS. Anon. Prag. ſupra cit.
& negotium totum feliciter componitur.

Dum hæc aguntur, *Taboritæ* collectis quibus poterant non modicis ſuorum reliquijs, ne Ziſkianum prædandi morem oblivioni traderent, circa feſtum S. Jacobi Ap. excurrerunt vaſtabundi in confinia *Milczini*, *Prczicij & Beneſſoviæ*, Sacerdotes & ditiores ruſticos invadendo, rapinas agendo, torquendo, domos & templa expilando. Quos apud Milczinum ſubito impetu aggreſſus *Zdenko Konopiſtsky â Sternberg* internecione penè delevit, ità ut vix quatuor aut quinque evaſerint cladem. Victor currus ſpolijs onuſtos recepit quadraginta quinque, & tormenta quinque bellica abſtulit.

Taboritæ excurrunt prædatum;
cæduntur graviſſimè à Zdenkone de Sternberg & Konopiſstie.

Poſt hæc recrudeſcente *inter fratres Saxoniæ Duces* bello, cùm *à Wilhelmo* vocarentur Bohemi in auxilium contra *Fridericum Electorem*, Georgius non diu cunctatus, primò *Petrum Holiczky*, tanquam militiæ Saxonicæ, & locorum jam antea gnarum, cum aliqua parte copiarum eò properare juſſit: quem deinde poſtquàm domî firmiùs curâſſet omnia, commiſſâ Regni cura *Czabeliczkio*, (huic námque præ alijs fidebat) die IV. Sept. cum reſiduo exercitu ſequutus eſt; tanto alacriùs, quòd privatis etiam de cauſis odiſſet *Fridericum*; fortaſſe quia nuper, factionem *Ulrici Novodomai*, in ulciſcenda morte Meinhardi, fovendam promovendámque ſuſcepiſſet. Erant in ea Expeditione cum Bohemis, etiam *Moravi*: *Smilo Drnovicius*, Georgio cognatione junctus, *Joannes junior de Pernſtein*, & quidam nomine *Matucha de Roznovv*, vir

Expeditio Bohemorum & Moravorum in Miſniam & Saxoniam;
MS Pernſt. ad an. 1450.
Fabric. in Orig. Saxon. lib. 7.

vir acer & militaris; quiſque eorum cum valida manu peditum. Scribit *Fabricius*, Bohemos irruentes in Miſniam, poſt Calendas Septembr. *tranſitum ferro & igne ſibi feciſſe: oppida Veterodrezdam,* W*illansdorffium, Lomacium, Mitbedam, Dobellam, Bornam diripuiſſe & exuſſiſſe: Boſenam monaſterium, in fundo Citizenſi, in colle ſitum, omnibus ornamentis, etiam campanis ſpoliâſſe; pecuniâ verò placatos, ædibus peperciſſe.* Bekoviâ tentatâ, ſed brevì relictâ, quòd valido præſidio teneretur, nec facilè ejus capiendæ affulgeret ſpes; W*ilbelmus*, ut injurias damnáque ſibi & ſubditis illata *ab Epiſcopo Naumburgenſi*, qui Friderici partes ſequebatur, (*familiâ Schleinitius*) Naumburgum, populoſam tunc urbem, & divitijs repletam obſidere decrevit. Sed mordacibus & contumelioſis quibusdam dictis, & ſcriptis *Henrici junioris Baronis Gerenſis* exacerbatus & provocatus, vim belli omnem contra eum vertit, Geræque tunc morantem obſedit. Durabat obſidio per aliquot dies: donec *Bohemi & Moravi*, ſpe prædæ objectâ, ſi oppidum expugnaretur animati, recepto in ſe ſcandendorum mœniorum periculo, & ſcalis ex duabus partibus admotis, incredibili audaciâ, conſertâ per muros, & intra ipſas foſſas pugnâ, pulſi pellentéſque, quindecim tantùm ex ſuis deſideratis, & paulo pluribus vulneratis, oppido demum & arce potiti ſunt; magnâ civium & militum ſtrage editâ, ex quibus trecenti & ampliùs, in eo primo irruentium furore, ceciderunt.

ibíque eorum res geſtæ.

Geræ civitatis obſidio,

oppugnatio,

Fabric. citat. Paul. Long. in Chron. Zitiez. ad an. 1450. ac tandem expugnatio.

Fabricius ſcribit cæſa fuiſſe ultra quinque hominum millia: ſed ego plùs fidei dandum exiſtimo, ipſimet Bohemorum duci poſt Georgium primario, tum præſenti, *Petro Holiczky*; qui de hac Geræ expugnatione, patri ſuo Alexio in Bohemiam ſcribens, inter alia habet: *Venimus cum omnibus copijs ad Geroviam, & hodie oppugnavimus civitatem acerrimè, in qua vi occupatâ cœpimus D. Gerovienſem juniorem, D. Hanuſſium de Dona & Avenſpach,* W*ilbelmum Comitem de Orlamund, Hanuſſium Comitem de Kirchberg, Cunradum de Kaffung, & plures alios viros illuſtres, ad centum & quinquaginta; de civibus & ſtipendiarijs quadringentos circiter: cæſis trecentis plùs minùs. Et quamvis reſiſtentiam aliquandiu gravem ſuſtinuerimus, tamen ex noſtris non niſi quindecim occiſi ſunt: inter quos, amicus meus antiquus, Dobeſs de Radim, Jaroslaus de Stebno famulus D. Burjani, & Camerarius veſter Hermannus: pauci etiam inveniuntur læſi. Cras expectamus Conſiliarios Cæſaris, qui agere volunt de reconciliatione fratrum. Dabam in campo ad Geroviam, Feriâ V. ante feſtum S. Galli Abb. anno 1450. Petrus à Sternberg.*

Cæſorum & captivorum numerus.

Ex Bohemis pauci cæſi.

Hunc in modum *Baro Gerenſis*, imminentem Naumburgo tempeſtatem, procacitate ſuâ contra ſe vertit: qui deinde in Bohemiam abductus, brevì obijt. *Usque adeò de Principibus viris honeſta ſemper, & minimè procaci linguâ loqui decet.* Noſtrâ hâc ætate ſpectavimus aliquid ſimile, in *grandi viro*, quem cæteris eminentem fortuna procul evexit, ínque ſummo honorum gradu diu fovit; ſed ultimò *lingua perdidit*: cui tacere, (quod poterat,) profuiſſet, nocuit eſſe loquutum. *Honor & gloria*, ait Syracides, *in ſermone ſenſa-*

Baro Gerenſis in Bohemia captivus moritur.

Eccleſ. cap. 5. Ovid. lib. 2.

Digitized by Google

ſenſati: lingua verò imprudentis, ſubverſio eſt ipſius. Et ille: *Eximia eſt virtus, præſtare ſilentia rebus: ac contra, gravis eſt culpa, tacenda loqui.*

Redux in Bohemiam *Georgius* triumphanti ſimilis, negotio facili, impetravit, ut in publicis Comitijs, in Gubernatorem Regni, cum ampliſſima poteſtate eligeretur promulgaretúrque: cùm enim arma & exercitum in promptu haberet, quis contradicere ei voluiſſet? Officio nihilominùs ille ſuo, cum laude & commendatione ſatis fecit, *pacem ubique in Regno procurando, & jus ſuum cuique tribuendo*; ut nemo ferè eſſet, *etiam è Catholicis*, qui non dignum eo honoris atque muneris gradu judicaret. Tametſi non defuerint, qui eum, utpote hominem prævallidum, ſuíque obtegentem, atque etiam ijs, cum quibus familiariùs agere conſveviſſet, inacceſſum, per ejusmodi artes altiora intendiſſe, eóque collineâſſe dicerent, ut ſibi hoc modo viam ad majus decus authoritatémque adſtrueret, & ſi quid deinceps ſuper hæc fortuna obtuliſſet, arriperet. Augebat æſtimationem & dignitatem, rei domeſticæ ſplendor, famulorúmque & clientum multitudo, *Roſenſibus Novodomaisque* par, ſi in quibusdam non major; tum militum atque civitatum promptum ſtudium, paratúmque ſemper obſequium. Ad hæc laborum in tanto faſtigio, diurna nocturnáque, etiam quandóque ubi neceſſe foret, ſine cibo, ſine ſomno tolerantia: animus continuò promptus, & conſiliorum ferax, etiam in rebus ſubitis. Sed illud præprimìs Nobilitati & Pragenſibus totique populo, in eò ſummè gratum ac commendabile, quòd initio anni 1451. *conſilia de Ladislao in Regnum accerſendo, denuò agitanda ſuſcepit*: cùm alius in tali gradu ac poteſtate conſtitutus, de Rege inducendo, ne cogitâſſet quidem, niſi ad ſpeciem duntaxat, ut aliorum ſcænæ ſerviret, & velle idem ſimularet, quod tamen nequaquam eventurum cuperet.

Georgius in Gubernatorem Regni ſolus eligitur.

officio ſuo ſatisfacit cum honore.

Georgij ingenium & mores.

Famâ itáque increbreſcente, *Fridericum Cæſarem* profecturum Romam quamprimùm, ad accipiendam de manu Pontificis Imperialem coronam, mittuntur iterum ex Bohemia ad eum legati: *Henricus Roſenſis, Zdenko Sternbergius, & Joannes Malovecz*, qui Regem ſibi extradi poſtulent, ſine cujus præſentia Regni ſtatus conſiſtere diutiùs nequeat; cum addito: *niſi id fiat, non imputandum deinde fore Bohemis, ſi alium ſibi Regem quærant.* Nondum tamen quidquam impetrârunt, Cæſare per ætatem Ladislai, Regno adminiſtrando minimè adhuc idoneam, ſeſe excuſante. Id ergo *Bohemi iniquè ferentes*, itá Cochlæus ſcribit, *indixerunt generalem Regni Conventum Pragæ celebrandum, pro die S. Margaretæ. Cæſar verò metuens, ne fortè alium ſibi Regem eligerent, niſi mos eis gereretur, miſit ad eos ſplendidam Legationem.* Quatuor viri erant præſtantiſſimi, & primarij Aulæ ipſius Miniſtri: *Æneas Sylvius*, factus jam *Epiſcopus Senenſis*, cùm fuiſſet antea Tergeſtinus; *Procopius de Rabenſtein Baro Bohemus*, poſt Caſparum Schlik anno 1449. die 5. Julij defunctum *Cæſaris Cancellarius; Albertus de Ebersdorff, & Henricus Truchſeſius* Auſtriaci. Quia verò ſub id tempus ſæviebat Pragæ, in hominum capita tam gravis peſtilentia, ut ſingulis diebus penè ducenti efferrentur ad ſepeliendum, Proceres Bohemi tranſtulerunt *Comitia Beneſſovium*, quinque milliaribus

Nova legatio Bohemorum ad Cæſarem pro Ladislao.

à quo repulſam, ſicuti antea, paſſi.

Cochl. lib. 10. Sylv. cap. 58.

Comitia generalia celebrant:

 Pragâ

Digitized by Google

ad quæ Cæſar legatos mittit,

quorum princeps Æneas Sylvius.

Pragâ diſtans oppidum: quò dùm conveniſſent frequentes, paulo poſt adfuêre Cæſarei Legati. Et tunc pleno in conſilio, cui præſidebat *Georgius, tanquàm ſupremus Regni Gubernator*, Æneas verba Latino ſermone fecit, quem Procopius patrio interpretatus eſt: &, oratione admodùm gravi ſimul ac leni uſus, *Georgio & Proceribus* Bohemis, ac Moravis tum quoque præſentibus perſvaſit, ut non ſolùm conſenſerint regium puerum adhuc gubernationis egentem in poteſtate Cæſaris permanere; verùm etiam decreverunt ex ſua Nobilitate primarios juvenes deſtinare, qui Cæſarem in Italiam comitarentur, ſimul & Regi ſuo inſervirent. Narrat hæc, idem ipſe *Æneas in ſua Hiſtoria Bohemica*, ubi etiam propriam Orationem refert; quæ cùm multùm faciat ad Gentis meæ gloriam, meritò huic loco inſerendam exiſtimavi.

Ejus ad ſtatus Bohemiæ Oratio, digna lectu.

Laus Bohemorum à bellica fortitudine, & victorijs.

Cauſæ enumerantur,

propter quas Ladislaum accerſere in Regnum nondum expediat:

ſed relinqui adhuc ſub tutela Cæſaris præſtat.

Petiviſtis ex Cæſare, viri Bohemi, Ladislaum Regis quondam veſtri filium ad vos mitti: idem Hungari, idem Auſtrales importunis precibus exigunt. Si vobis mox geritur, illos offendere neceſſe eſt: ſi preces aliorum audiantur, contemnere veſtras oportet: ſi neceſſarium ſit alterum ex duobus, veſtram amicitiam præferet Imperator. Vetus enim majorum ſuorum cum Bohemica gente fœdus, & acceptorum ultro citròque beneficiorum memoria recens. Sin virtus claritasque penſitanda eſt, quis Bohemico nomini non invideat, cujus victorias tempeſtate noſtrâ plures numerare licèt, quàm reliquæ gentes omnibus ſeculis comparare potuerint? Verùm Cæſari hoc tempore in hanc electionem deſcendere haudquaquam neceſſarium videtur, quando ea pueri ætas eſt, quæ neque vobis neque Hungaris uſui eſſe poteſt. Eſtò, veniat in Bohemiam Ladislaus, quod inde Regno emolumentum cedet? Illene jus litigantibus dicet? ſtatum Reipublicæ reformabit? adversùs hoſtes copias ducet? belli, pacisque munia obibit? Nihil horum præſtare poteſt, cui rectè tutelâ opus eſt. Illud in primis ejus adventus faciet, Regis pompa ducenda eſt, ornanda regia, adhibendi miniſtri, curia more progenitorum apparanda. Ad hæc grandi pecuniâ opus. Vobis nullum ærarium eſſe audio, nullos cenſus, nulla vectigalia publica. Ad veſtras igitur opes recurrendum, vos præſtare ſumptus, vos Regem alere, vos inexplebilem curiam, & inſatiabiles miniſtros explere oportebit. Video præterea inter vos non paucos eſſe proceres, conſilio, authoritate atque opibus benè pares. Cura Regis uni committenda erit, non omnibus: ille Dominus, ille Rex veſter judicabitur, qui Regis corpus in poteſtate habebit. Et quis veſtrum eſt, qui non eum honorem ſibi, quàm alteri malit? Semina inter vos diſcordiarum petitis, niſi priùs in unum conveneritis, qui Regis curæ præſit. Vos his incommodis Fridericus liberat, qui ſuo ſumptu pupillum regni gubernans, diſſenſionum vobis fomitem aufert. Nec vos latet, quandoquidem tenera Regis ætas eſt, corpus ejus in poteſtate Cæſaris rectiùs eſſe, quàm in alterius cujuspiam. Ille enim conſanguineus eſt, ex eadem Familia natus, & Imperator. Et quis pupillo Regi convenientior tutor detur, quàm Princeps principum? Si ſit inter vos & Hungaros contentio coram extraneo judice, de cuſtodia corporis Regis, par cauſa veſtra atque illorum judicabitur. Utriq; Regem petitis, utriq; fidelitatis documenta præſtatis. Verùm in hoc illi ſuperiores erunt, quia natum apud ſe Re-

gem

gem coronatùmque dicent. Apud Cæſarem veſtra cauſa longè juſtior eſt, quàm Hungarorum: ſe ipſum tamen in cura patruelis vobis præfert. Curate regnum, pupillum ſibi dimittite, quem poſtquàm pubes fuerit, vobis in primis credet. Quod verò Oratores veſtri dixère, alium Regem accerſendum à vobis eſſe, id magis terroris incutiendi cauſâ dictum Imperator exiſtimat, quàm quòd animo veſtro ea ſententia ſedeat. Neque enim veſtra fides incorrupta priùs hoc repromittit, neque progenitorum Ladislai in vos collata beneficia hoc exigunt, nec innocens ejus ætas quicquam demeruit. Ceterùm volvite animo priùs, ùt ſapientes decet, quèmnam Ladislao præferre poſſitis? cujus ſanguinem, ſi matris originem memoriâ tenetis, quatuor Romanorum Imperatores produxère. Si paternam proſapiam exquiritis, quinquies Imperatoria dignitas in Auſtrali domo reſedit. Obſcuritatem quærat neceſſe eſt, cui tanta claritas non ſatisfacit. Addite potentiam, amicitias, clientelas, Auſtriam vobis vicinam poſſidet; Moravia, Sileſia illi parent: Hungari, & ſi res novas moliri videantur, ab officio tamen non recedent. Imperator à quo regnum veſtrum dependet, ſanguini ſuo non deerit, nec jus Familiæ ſuæ negliget. Bojoariæ Saxoniæq; duces, Marchiones quoque Brandeburgenſes, & omnes fermè Germaniæ principes, Ladislaum propinquâ neceſſitudine attingunt. Non poteſt hic pupillus offendi, niſi & tota Germania lædatur. Hæc ſuperfluè vobis commemorari non ambigo, verùm ità juſſit Imperator. Ille in Italiam pupillum ſecum adducet: reductum, puberèmque factum, ſi perſtiteritis in fide, ad vos primùm mittet. Vos intereà pro gravitate integritatéque veſtra, quod in rem Bohemici regni pupillique ſit, conſulere admonet.

Apud Cæſarem poſtulata Bohemorum juſtiora quàm Hungarorum.

Alium Regem, quàm Ladislaum, aſſumere minimè convenit; & quæ inde incommoda, bella, aliaque mala ſequerentur, oſtenditur. *Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. c. 58. Cochl. in Hiſt. Huſſit. l. 10. ad an. 1451. Gerard. de Roo in Hiſt. Auſtr. lib. 5.*

Quartâ die, ſoluto Conventu, *Æneas* cupiens in aliquo etiam Religioni prodeſſe, occaſionē quæſivit, ut cum *Georgio* familiariùs colloqui poſſet; haud ignarus, ſi *magnum illum & potentem virum*, ùt ipſemet ſcribit, *quem Regni pars maxima ſequebatur, concordiæ cupidum inveniſſet, adduci ceteros facilè poſſe.* Colloquio igitur habito, varia fuère ultro citróque propoſita: de Communione ſub utrâque ſpecie, de Compactatis, de reſtitutione Bonorum Eccleſiaſticorum, de Archiepiſcopatu Rokytzanæ, déque alijs ad religionem, & diſcrimina inter Catholicos & Huſſitas vertentia ſpectantibus, Procopio inter ipſos interprete: in quibus *Georgius* viam concordiæ, & unitatis Eccleſiæ minimè aſpernari viſus eſt. Quod colloquium in formam Dialogi, idem Æneas, epiſtolâ ad Joannem Carvajal Cardinalem ſcriptâ, retulit lectu dignum. Inter alia, dum fieret ſermo *de reſtitutione Bonorum Archi-Epiſcopatûs Prag.* & aliarum Eccleſiarum, Georgius addit: *De Bonis Eccleſiaſticis non eſt apud me grande pondus: nam qui occupant, nullo ſe jure defendunt, neque his Regnum favet. Verùm quia nonnullis præſcripta ſunt hæc Bona, & multa pro paucis jacent pignori; cùm Regni mos ſit, quæ Bona ſingulis annis quinque ſexagenas habent censûs, ea centum ſexagenis emi: hi autem pro centum ſexagenis, & decem, & viginti, & ampliùs impignoratas habent. Compelli poterunt, quos ſupra conſuetudinem cenſus occupant, hos ut è veſtigio reſtituant; reliquos teneant, donec redimantur. Sic mox Eccleſiæ reſtaurabuntur, brevèque poſt*

Æneæ colloquium cum Georgio;

Epiſt. 130.

Georgij de reſtitutione Bonorum Eccleſ. conſilium:

 tem-

Digitized by Google

tempus omnia vendicabunt. Vel ſi placuerit, melior modus inveniretur. Et de electione Archi-Epiſcopi: *Vetus conſvetudo Regni eſt, eligit Archi-Epiſcopum, rogante Rege, Capitulum; Papa confirmat.* Ità Georgius.

& de Electione Archi-Ep. Prag. ſententia.

Quid verò Æneæ ipſi ac Collegis, ad prædictum conventum euntibus Novadomo Beneſſovium versùs contigerit, quoniam relatu haud injucundum eſt, breviter hìc referendum cenſeo. Ait igitur in eadem epiſtola ad Cardinalem data: *Cum per hos dies de Novadomo versùs Pragam iter agerem cum Collegis meis, ex uſu viſum nobis eſt (quia raptores & inſidias timebamus) ad Taboritas potiùs, quàm in apertis villis pernoctare, ac luporum magis quàm leporum ſequi fidem. Præmiſimus igitur qui Taboritas accederent, atque ab his jus hoſpitalitatis expeterent: qui acceperunt hæc lætis animis, dederúntque fidem, atque obviam venerunt. Res ſpectaculo digna fuit, ruſticanum & incompoſitum vulgus. Frigus utcúnque erat, & pluviale tempus: (nam Bohemia ſæpè miſcet æſtati hyemem) ex illis aliqui nudi erant, ſolis tecti camiſijs; alij pelliceas tunicas induerant; alij ſellâ carebant, alij freno, alij calcaribus: alteri crus ocreatum fuit, alteri nudum: huic oculus defuit, illi manus. Incedendi nullus ordo, loquendi nulla modeſtia, barbaro & ruſticano ritu nos exceperunt: obtulerunt tamen xenia, piſces, vinum & cerviſiam. Sic oppidum ingreſſi locum vidimus, quem niſi hæreticorum arcem aut aſylum vocem, neſcio, quo appellem nomine: ubi tot ſunt hæreſes, quot capita, & libertas eſt, quæ velis credere. In exteriori civitatis porta, duo fuerunt ſcuta: in altero pictura erat Angeli calicem tenentis, quaſi Communionem ſub ſpecie vini ſvaderet populo; in altero Ziſka pictus fuit, homo ſenex, & utroque lumine caſſus; quem olim Taboritæ non ſolùm monoculum, ſed cæcum quoque ſequuti fuerant ducem.*

Æneas cum ſocijs ſuæ Legationis Taborium divertit:

cui Taboritæ obviam prodeunt,

& humaniter excipiunt.

Epiſtola ſupra cit.
MS. Anon. Chron. Tabor. an. 1451.

Pergit deinde *Æneas*, & res Ziſcæ, & Taboritarum hæreſes, nec non ſitum urbis ac munitionis, numerum moréſque incolarum deſcribere copioſè. Addit manè facto, antequam abirent, voluiſſe, ne ij gloriarentur legatos Cæſaris ſibi communicâſſe, aliqua ijs loqui, quibus ſcirent, non ipſarum facta ſibi placere: verùm nonnullis ſui itineris comitibus, & ùt expreſsè nominat, *Auſtralibus terrore plenis, & leporino corde præditis*, hoc perſvadere non potuiſſe. Abijſſe ergo, & licèt dies Dominicus eſſet, Divinum tamen Officium intermiſiſſe, ne cum ijs communicarent. Narrat poſtea, quæ ei acciderant in reditu. *Solutâ* inquit, *Congregatione, acceſſit nos Henricus de Roſenberg, dixítque ſe patris ſcripto monitum, ne ullo pacto domum redeat, niſi & nos ſecum adducat: oneravitque nos multis precibus, extorſitque tandem, ut ſecum iremus. Cùm prope Tabor iter faceremus, eſſetq́; hora prandendi, exeuntes Taboritæ, Henrico ut ad ſe divertat, ſecúmque prandeat, preces accumulant. Is quærit ex me, iturúsne ſim? dico, nolle me ampliùs apud hoſtes Fidei divertere. Triſtatur Henricus: nam & viſere civitatem cupiebat, & me ſolum relinquere non audebat: & accuſabant me omnes, duúmque dicebant & inurbanum, qui nollem Nobili Domino morem gerere. Tum Procopius: quin tu, inquit, ingredêris civitatem? nunc ea facultas erit dicere, quæ priùs voluiſti; nunc tua conſcientiæ ſatisfacere poteris. Moverunt me verba Procopij, intravique civitatem,*

Redux Beneſſovio divertere ibi denuò, primùm non vult;

poſtea divertit tamen:

tem, & neque comedi quicquam ibi, neque bibi. Repetivi tamen vetus hoſpitium, ibique manſi, dum cæteri prandebant; vixq; curru deſcenderam, cùm Sacerdotes oppidi ad me venerant: Nicolaus, quem dicunt Epiſcopum, plenus dierum malorum, Joannes Galeth, qui nuper ex Polonia fugerat ignem timens, & VVenceslaus Koranda vetus diaboli mancipium, qui Sacramentum altaris, ſolam figuram ſignificationémque eſſe contendit. Cum his fuerunt ſcholares, & cives plurimi, Latinum edocti ſermonem: nam perfidum genus illud hominum, hoc ſolùm boni habet, quia litteras amat. Horum conſalutatio in hunc ferè modum fuit, qui præſcriptus eſt. Gaudemus Pater, quia civitatem noſtram introiſti, nósque viſere dignatus es; ſuſcipimus te libentibus animis, utq; noſtris bonis utaris, cupimus: cùm priùs hic fuiſti, non te acceſſimus, quia non eramus præſentes; nunc cùm te videmus, precamur aliquid nobis conſolationis ediſſeras, fructúmque ut nobis aliquem tuus adventus pariat. Narrat poſt hæc prolixam diſputationem, cum ijsdem, de authoritate & infallibilitate Romanæ Eccleſiæ, déque eadem Communione ſub una & utráque ſpecie, habitam interim, dum ſocij Legationis prandebant. Sed ſine fructu, ùt communiter fit cum obſtinatioribus hæreticis. Finitis ſermonibus, aſſurrexit quidam de primoribus Taboritarum, & animo ſatis inflato, cœpit invehi in ventres Eccleſiaſticorum: erat autem ipſemet homo ventroſus, craſſus, multóque abomine pinguis. Cui Æneas, pulſato leviter ejus ventre, ſubridens dixit: *miror quòd hic tam parum ſit de ventre; cur te jejunio maceras, & affligis inediâ?* quod dictum, omnibus cachinnum, ventripotenti illi ruborem excuſſit. Nihil itáque profecit apud eos: hinc teſtatur, viſum tunc ſibi fuiſſe inter barbaros, inter anthropophagos, aut inter monſtroſas Indiæ Libiæque gentes: â quibus dum exiſſet, ex inferno reverſum ſe putaret. Ad noctem *Sobieslaviam* venit, inde *Budvicium*, ac tandem *Krumlovium*; additque de Budvicenſibus & Ulrico Roſenſi: *Budvicenſes nullis hæreſibus inquinati ſunt, & Ulricus acerrimus hoſtis hæreticorum, verus Eccleſiæ filius, & inter alios Bohemiæ principes, qui Fidem Catholicam verbis armiſque tuentur, anterior eſt; & dignus, quem Sedes Apoſtolica inter charos habeat, & inter primos honoret. Dat. ex Nova Civitate Auſtriæ, XII. Cal. Septembr. anno 1451.*

nihil tamen comedit, neque bibit:

â Sacerdotibus Taboritarum ſalutatur,

cum illis diſputat:

ſed ſine fructu.

ex itinere Ulricum Roſenſem viſitat Krumlovij.

Eodem anno bellum fuit *Corvino* cum Bohemis & Moravis, eorúmque ducibus *Giskrâ & Telepho*, in ſuperioribus partibus Hungariæ: quo propè *oppidum Loſoncium*, magnâ clade profligatus, caſtríſque exutus vix fugâ evaſit. Reſumptis nihilominùs armis, quædam caſtra ipſorum inopinatò aggreſſus, partim vi, partim deditione occupavit; ac poſtmodùm pactis cum *Giskra* inducijs, ad uſque adventum Regis, vires denuò omnes in Turcas convertit. Præter ſtipendiarios *Giskra & Telephi*, erat in ijsdem partibus adhuc alia, non militum, ſed potiùs prædonum manus; qui mutuò *Fratres* ſeſe appellabant, multáque caſtella vel occupârant, vel noviter in locis opportunis erexerant; ex quibus quaquaverſùm excurſiones faciebant, potiſſimùm vero in eas Hungariæ partes, quæ Moraviæ, Sileſiæ & Poloniæ ſunt conterminæ: ità ut nemo tutus ibi terram incoleret, aut illac iter faceret, ultimò etiam Moraviæ graves.

Corvini bellum cum Bohemis & Moravis in Hungaria:

Thuroc. in Chron. Hung. part. 4. c. 48. & 49. an. 1451. componitur.

Prædones quidam *Fratres* dicti, graſſantur per Hung. & Moraviam.

ves. *Facinoroſum & ignobile hoc genus hominum*, (ità ſcribit Bonfinius,) *è gregario milite conflatum, monachorum ritu ſe Fratres appellabant, ferinis tamen moribus utebantur: quippe quibus nil aliud placere videbatur, quàm rapto vitam ducere, vaſtare agros, latè populari, cædes paſſim agere, nihil æqui ſanctiq; dignoſcere. Duces creabant, quibus in agendis latrociniјs ritè parerent; & quicunque apud eos majori facinorum gravitate claruerant, hi potiores habiti. Finitimas igitur regiones cædibus, flammis & populatione infeſtabant: vexabant omnia, & ad pendenda ſtipendia, aut ad emigrandum colonos adegerant. Gubernator compertâ Optimatum invidiâ, qui ſuperiores Hungariæ oras incolebant, à defendendis eorum oppidis, inhibendisq; injuriјs animum aliquantulùm avertit; & ut per ſe quandoque reſipiſcerent, proprio & alieno facinore eos vexari permiſit.* At *Giskra* è contra, ne vaſtarent amicorum terras, *Moraviam & Sileſiam*, ſub interminatione, ſe hoſtem aliàs futurum ijs, inhibuit.

per illam impunè

per hanc prohibentur.

Bonfin. dec. 3. lib. 7.

Joannes Capiſtranus,

Hoc eodem anno venit in Germaniam miſſus â Nicolao V. *Joannes Capiſtranus Ord. Minorum S. Franciſci de Obſervantia*, diſcipulus S. Bernardini, Magiſter in Theologia, & Juris utriusque Doctor, & quondam ſupremus Judex Curiæ Ladislai Regis Neapolitani; vir cùm doctrinæ, tum virtutis ſanctitatisque laude inſignis: quem Nicolaus de Cuſa Cardinalis, & Epiſcopus Brixienſis, in ultima ad Bohemos epiſtola an. 1452. data appellat *hominem utique à Deo miſſum, virum religioſiſſimum, potentem opere & ſermone.* Æneas quoque elegantibus litteris ad eum, dum Viennæ ageret, ex Nova Civitate ſcriptis, teſtatur & declarat, *quanta fuerit homini divinitùs collata ad prædicandum gratia.* Miratur *Cochlæus*, quòd vir 66. annôs natus, tantum itineris, hinc inde per Regna & provincias facere, tantum laboris ferre, tantum vocis & ſpiritûs in debili, macilento & exhauſto corpuſculo habere potuerit. Nam qui eum Norimbergæ viderunt, affirmabant, hominem fuiſſe corpore puſillum, aridum, exhauſtum, ſolâ cute nervíſque & oſſibus compactum; lætum tamen, & in laboribus indefeſſum, ſine intermiſſione ſingulis diebus prædicantem, tali cum pronunciatione, ut etiam non intelligentes ad lacrymas, & vitæ emendationem provocaret. Latinè autem ad populum dicere ſolebat, quod poſtea interpretes populo explicabant. Dum *per Carinthiam & Styriam veniret in Auſtriam*, tanto hominum concurſu, tantâque populi veneratione excipiebatur, ut etiam Sacerdotes proceſſionaliter, cum vexillis & Sanctorum Reliquijs, ei obviam prodirent.

Æn. Epiſt. 405. Cochl. lib. 10. Miecho. lib. 4. cap. 59.

vir doctrinâ & ſanctitate vitæ inſignis,

venit in Auſtriam;

in Moraviam:

Cùm autem præcipuè invigilaret *reducendis Moravis & Bohemis*, â ſuis erroribus, in Moraviam divertit; manſitque Olomucij *per Auguſtum menſem & Septembrem*, â novo tunc Decano *Bohuſtio de Zvvole*, viro Catholicæ Religionis zelantiſſimo, Epiſcopo poſtea Olom. hoſpitio exceptus, & ab omni injuria tutatus: docens populum tantâ celebritate frequentem, ut illum vel capaciſſimum templum non caperet, ſed neceſſe habuerit in area ante Cathedrale templum, vel in foro urbis, ſubinde etiam extra urbem, vulgò na Bělidlach / ubi nunc eſt *monaſterium S. Bernardini*, concionari; duobus ſemper aſſiſtentibus interpretibus, altero Bohemo, altero Germano, qui ea,

ubi brevi permagnos fecit in erudiendo populo profectus:

quæ

Digitized by Google

quæ Latinè diceret, vernaculâ linguâ explicarent. Eóque modo non paucos, per Dei gratiam, ad Eccleſiæ unitatem reduxit; ùt teſtatur ipſemet epiſtolâ ad Univerſitatem Viennenſem datâ, ubi ait: *Poſtquàm banc patriam Moraviam ſum ingreſſus, ùt debui, ſemper pro viribus contra Bohemorum damnatas hæreſes egi: neque minis, neque ullo timore unquam â prædicationis officio deſtiti, ſed palam locutus, omni quo valui ſtudio, ad repellendam illorum damnatam opinionem, qui dicunt;* neceſſariam eſſe ad ſalutem ſub utràque ſpecie Communionem, *me contuli. Quo factum, ut non ſolùm multi Barones, & Nobiles, ſed etiam Sacerdotes ab omnibus Compactatis, ultra quatuor millia, meis in manibus omnes Huſſitarum errores abjuraverint: ut ſileam multos alios converſos, qui ſub ipſorum Baronum converſorum dominio degunt.* &c. Daubravius verò ſcribit: *Quæ audiens VVenceslaus â Bozkovicz & Letovicz, inter proceres Moraviæ magnæ authoritatis, vale Huſſitis dicto, rurſus veritatem Romanæ Sedis, cum duobus ſubditorum millibus amplexus eſt. Hujus poſtea filius, nomine Protbaſius, omnibus ad unum ſuffragijs Pontifex Olom. declaratus fuit.* Et quia Sanctus Vir iſte, invehebatur etiam in luſus alearum, chartarum, taxillorum, &c. quibus præter alia mala, tempus ocioſè inſumitur, (prout & *S. Bernardinus* contra hæc ardentiſſimè invehi ſolebat) accidit, ut quâdam vice *Olomucenſes*, ingentem ſimilium inſtrumentorum cumulum in forum comportârint & combuſſerint.

crebras conciones publicè in foro & areis habere ſolitus.

Sylv. in Europa cap. 23. Daubrav. l. 29. propè init.

in erudienda multitudine magni profectus.

Hoc fieri videns Rokytzana, & ſectæ ſuæ timens, ne relictis Compactatis redeant ad unitatem Eccleſiæ in Moravia omnes, quæſivit adversùs eum unde unde occaſionem criminandi; primúmque per literas, Pragæ Sabbato ante feſtum Exalt. S. Crucis, anno 1451. datas invitavit ad diſputationem de Communione Calicis. CúmqueCapiſtranus eam ſe percupere reſpondiſſet, ac locum, tempus, modum & perſonas interventuras, ſeu arbitros, ſibi indicari poſtulâſſet, reſponſo Brunæ 20. die Septembr. dato: Rokytzana verò locum primò *Treboviam Moravorum*, vel *TeutoBrodam*, vel *Pelbrzimovium*; deinde agentibus duobus Baronibus Moravis, Joanne â Pernſtein, & Wenceslao de Bozkovicz, *Krumlovium Bohemicum*, apud Dominum de Roſis, indicâſſet; quò tamen Georgius Capiſtranum admitti interdixerat: facilè dolus patuit tam *Georgij*, quàm Rokytzanæ, qui ſeſe benè intelligebant hac in parte apparebat. *Capiſtranus* nihilominùs poſtquàm per Moraviam, adhuc menſe Octobris, Brunæ, Znogmæ, Slavonicij, Iglaviæ prædicâſſet, Krumlovium venit; & ſequenti anno, *Pliſnam*, *Egram*, *Cadanam*, *Pontum ſeu Brixiam*; paratus ad diſputandum, & comparendum Pragæ etiam, ſi modò ſecuritas bonâ fide ſibi promitteretur. Dederat tunc, & dabat impoſterum quoque frequentes literas *ad Georgium*; quibus tamen nihil profecit, utpote cujus aures & cor perfidus Rokytzana poſſidebat.

Rokytzana Capiſtranum ad diſputationem provocat.

Cochl. in Hiſt. Huſſit. lib. 10.

Capiſtranus in Bohemiam venit.

Dum adhuc in Moravia prædicaret *Capiſtranus*, maligni quidam, & haud dubiè inſtinctu Rokytzanæ, concitaverunt in eum *Supremum Provinciæ Capitaneum, Joannem de Cymburg*: qui in hæc verba ad eum ſcripſit. *Frater Joannes, licèt ſcripta tua dulcia canunt blandimenta, tamen venenum aſpidum*

Supremi Capitanei Moraviæ literæ ad Capiſtranum ſatis ineptæ:

Oooo

Cochl. citat. *dum includunt pulchro ſub colore: cùm ex ſcriptis tuis apertè cognoſco, quia fideles Evangelicæ ſeducere ſatagis à veritate. Quare certus eſſe potes, doctrinam tuam fallacem non ſuſcipiam: mallem potiùs reverà extingui in corpore, quàm ad aliqua, quæ dogmatizas, ùt refertur, in oppoſitum Evangelicæ veritatis conſentire. Datum Tovaczoviæ, Feriâ III. poſt Bartholomæi, anno 1451.*

Capiſtrani mite reſponſum. Cui Capiſtranus modeſtè reſpondens, ait: *Graves, periculoſas & pernicioſas recepi literas. Ignorans tamen, ſi ex tuo pectore talia proceſſerint, quod ex famoſiſſima intelligentia tua, & circumſpecta diſcretione mihi credendum non autumo. Video tamen intentionem tuam non paſſim, non diſtinctè, non diſcuſſivè ad Compactata innixam, & totaliter converſam. Quamobrem tanto magìs compatior, ac dolore cordis affligor, quanto magìs tantum virum ignorare, qualem Compactatores, in his, quæ ſpeciale mandatum requirebant, authoritatem habuerint, aſpicio.* Et in fine. *Vale interim, dum te proprijs oculis inſpexero, ad finem gloriæ ſempiternæ. Ex Olomucz 3. Septembr.*

Ladislaus Rex cum Cæſare, Italiam petit; Ad finem anni, *Cæſar Romam petijt*, ducto ſecum *Ladislao:* quem honoris & obſequij gratiâ, non pauci *ex Bohemia & Moravia*, viri Illuſtres comitati ſunt. Ex Moravis, præter alios complures: *Joannes de Novadomo Telczenſis lineæ, VVilhelmus junior de Pernſtein, Tobias de Bozkovicz, & Carolus de VVlaſſim.* Ex Bohemis primarij; *Zdenko à Sternberg & Konopiſt, Petri ad VViſſehradum* occiſi *filius, Getrzich Slavata, Joannes de Lobkovicz, Fridericus & Hanuſſius juniores Kolovvratai*, &c. Ipſis demum Calend. Jan. anni 1452. Italiam intravit, *à quatuor Senatoribus Venetis*, ſummo honore exceptus, & per omnes eorum ditiones lautè ac liberaliter habitus. Inde per *Ferariam, Bononiam, & Florentiam Senas profectus*, Leonoram doctiſſimam ſuam Sponſam, Regis Luſitaniæ filiam, poſt longam & periculoſam maris jactationem, ex Piſano venientem portu excepit; cùmque ipſa Romam pergens, duobus comitatus Cardinalibus, quos Florentiæ, nomine Pontificis obvios habuit, die IX. Martij, obviam prodeuntibus tredecim Cardinalibus, totiúsque urbis Clero, & Magiſtratu, ac honorato quoque, *Romam ingreſſus eſt*, Mareſchallo nudum ei enſem præferente. Et ſub aureo umbraculo ad gradus S. Petri deductus, poſtquàm Pontificem, qui eum ad portam Templi, ſede eburneâ ſedens, & Pontificabilibus indutus præſtolabatur, pedum oſculo veneratus eſſet, maſſam auri pro conſveto more ei obtulit; & tum Æneas, qui Cæſarem comitabatur, nomine Cæſaris ſermonem ad Pontificem habuit. Quâ finitâ, etiam *Ladislaus Rex*, Latinam ſuam orationem, *puer tunc duodennis*, exprompſit, quam memoriter & audacter dixit, *de laudibus Pontificis, deque Majeſtate & authoritate Sedis Apoſtolicæ*; cui in obſequium, ſéque Regnáque ſua obtulit & commendavit. Eam verbatim refert *Cochlæus*.

Æn. Sylv. c. 59. Daubrav. l. 28. Gerard. de Roo in Hiſt. Auſtr. lib. 5.

Romam venit: an. 1452.

perorat Latino ſermone coram Pontifice.

Cochl. lib. 11. ad an. 1452. propè init.

Interea in abſentia Cæſaris,

Idibus deinde Martijs, Cæſar coronatus eſt *in Regem Longobardorum*, in Baſilica S. Petri; (quod aliàs *Mediolani* peragi ſolebat, ſed tunc propter peſtilentiam ibi graſſantem, & quædam alia, non poterat) & quinto die poſt, cum nova nupta, *in Romanorum Imperatorem*. Quâ ſolennitate peractâ, cùm poſtmodum Pontifici, ad proximã Eccleſiam S. Mariæ equitanti, officium ſtratoris exhi-

exhibuiſſet, *Lateranum* ſe contulit cum toto ſuo comitatu, ibique ſplendido convivio exceptus eſt. Dehinc cum conjuge *Neapolim* divertit, ad *Alphonſum Regem* conjugis avunculum inviſendum, Ladislao Romæ relicto, ſub cura Æneæ. Neapoli manſit totâ hebdomadâ ſanctâ, & ſequenti Paſchali, â Rege ingenti magnificentiâ ac liberalitate cum ſuis omnibus tractatus. Romam redux, fit certior ex Germania, *Hungaros & Auſtriacos*, res novas moliri: quare reditum in Auſtriam maturandum ratus, valedicto Pontifice, eodem itinere quo venerat, domuitionem ſuſcepit. De ijs verò novis in Auſtria tumultibus, abſente Cæſare exorientibus, inſinuat tantùm aliquid *Cuſpinianus*, in Friderico III. Imp. ubi ait. *Quàm gravia autem moliti ſunt provinciales, adverſùs Cæſarem abſentem, ſi quis ſcire deſiderat, hiſtoriam Auſtriæ, de Friderici geſtis, Sylvij Æneæ legat, quæ nondum edita, paucis eſt cognita* (extat hodiéque MS. in Bibliotheca S. Cæſ. Maj. Viennæ) *Quartum item librum Thomæ Haſelpach Theologi, de rebus Auſtriæ; qui Auſtralium partes ſequutus, ubique in Fridericum invehitur indignè, immemor ſuæ profeſſionis & honeſtatis.* Florentiæ dum eſſet Imperator, parum abfuit, quin *Ladislaus Rex*, ab Hungaris & Auſtralibus abriperetur, præceptore ipſius *Caſparo Sacerdote* conſcio: qui poſtea videns non ſucceſſiſſe fraudem, jámque etiam Imperatori ſuſpectus ideóque pœnas veritus, dum in tutiora evadere conatur, â fuga retractus & in cuſtodiam miſſus eſt. Narrat ea de re, longâ epiſtolâ *Æneas Sylvius*, jam tunc Summi Pontificis per Bohemiam, Auſtriam, Moraviam, Legatus.

Auſtriaci res novas moliuntur:

Cuſpin. in Cæſarib. in Frid. III.

quorum dolo & fraude Ladislaus vix non abripitur é poteſtate Cæſaris.

Epiſtol. 4 ... *Cochl. lib. II.*

Redeuntem in Auſtriam Imperatorem, dum jam confinijs appropinquaret, turbulentiſſima aëris facies excepit; haud dubiè turbulentas res Auſtriæ, quæ paulo poſt in nervum erupêre, prænuncians. Admonebatur ſubinde in eo itinere Imperator ab amicis, *inſidias ut caveret*: quibus ille, *ſe non videre, cur periculum timere debeat*, ſciátque *Ladislaum unum peti*; hunc ſi tandem neceſſitate cogente in medium producat, fore, ut Hungari, Bohemi & Auſtriaci, *perinde atque olim, projecto Erydis pomo, tres Deæ*, arripiant anſam digladiandi inter ſe: tum verò ſe ſpectatorem futurum hujusmodi ſcenæ. Securus igitur quacunque ibat, primò dum in Auſtriam venit, domeſticos ipſos, hoſtes ſuos reperit: ubique antea per civitates Italiæ honorificentiſſimè habitus, â ſolis Auſtriacis ità malè exceptus, ut de vi ſibi illata, tanti faſtigij Monarcha, queri cogeretur. Unde Scriptor ille. *Quanti tum fuerit Imperator apud ſuosmet Auſtrios, ex eo intelligitur: quòd ubi ex Italia revertit, cùm petitum Ladislaum dimittere nollet, obſederint eum intra Novam Civitatem, & prælio victum compulerint invitiſſimè Ladislaum ijs tradere.*

Auſtriacorum rebellio contra Cæſarem:

quem tam pulchrè exceperunt Româ reducem.

Spondan. in Annal. Eccl. ad an. 1452.

Pertraxerant in ſuas partes Auſtriaci rebelles, *Ulricis duobus, Comite Ciliæ, & Eitzingero*, tanquã rebellionis principibus, ut plurimùm ſollicitantibus, præter Hungaros, etiam quoſdam proceres Moravos; nominatim *VVenceslaum de Kravarz in Gitczin, Geſſkonem de Bozkovicz in Luka & Svvoganovv, & Chriſtophorum de Lichtenſtein*; Bohemos item, *Roſenſes, Leskovecios & Kaplirzios.* Qui ſtatim ac erupiſſet ſeditio in apertum adversùs Cæſarem, juxta conventionem & *ingentia Auſtriacorum promiſſa*, cum ſuis copijs ad-

alios in partes ſuas trahunt,

Hagec. MS. Anon. ad an. 1452.

etiam Moravos & Bohemos; ſed paucos:

adfuêre; contra mandantibus licèt *Capitaneo Supremo* in Moravia, & *Gubernatore* in Bohemia; qui aliter, quàm armis ſeu bello, *Ladislaum à Cæſare petendum*, tempúſque aliud magis opportunum præſtolandum exiſtimabant. Primi omnium *Moravi* Auſtriacis ſeſe conjunxerunt; tum brevi etiam *Henricus de Roſenberg* cum octingentorum peditum cohorte, & ducentis equitibus: qui occupato ex itinere *Myslpachio* & direpto, caſtra ulteriùs, versùs caſtellum quoddam, infra Wiennam, ad ripam Danubij ſitum, *Ort* nomine (ità illud *Cuſpinianus*, *Hagecius* & *MS. Authores* nominant) quod ab Auſtriacis & Moravis obſidebatur, promovit. Quò paulo poſt *Arneſtus Leskovecz*, juniorum filiorum Meynhardi Novodomæi, *Henrici* & *Hermanni* (*Ulrico* fratre ſeniore, juvene eximijs dotibus corporis ac ingenij præſtante, hoc ipſo anno, die 24. Jan. præmaturâ morte defuncto) quorum agebat tutorem, nomine: & *Nicolaus Kaplirz de VVintrberg*, *cum Piſecenſibus* & *Budvicenſibus* pervenêre, ab Auſtriacis benignè excepti, & liberaliter tractati.

quorum acceſſione magis inſoleſcunt,

Cuſpin. in Frid. III. Hagec. ad An. 1452.

fideles Cæſari perſequuntur.

Moravi in præſidio ſtrenuè ſe defendunt:

Erant inter præſidiarios caſtello impoſitos, etiam quidam *Moravi*, ſub ductu & imperio *Stankonis de Kokor*, viri ſtrenui, à Cæſare jam dudum ſtipendijs conducti: qui conatus & vim oppugnantium egregiè, & diu ſatis ſuſtinuerunt, ità ut *Auſtriaci* eos animis & viribus paratiores conſtantioréſque, quàm putârant, experirentur. At ultimò, cùm aſſiduis ictibus tormentorum muri perforarentur diruerentúrque; obſeſſi, ne arcem quam jam retinere non poterant, ſimul cum vita amitterent, ſed potiùs fortunæ meliori ſe ſervarent, rebus deſperatis, è turri clamare, & de conficiendis deditionis legibus conferre cœperunt: quibus ſine mora propoſitis acceptatíſque, & *ab Eitzingero* cæteríſque ducibus confirmatis, datáque fide, arce exceſſerunt. Inventi in arce ſunt, præter arma & commeatum diverſi generis, equi ephippiati centum ſexaginta quatuor; & alius adhuc apparatus, pro inſtruendis quingentis equitibus.

MS. Pernſt. MS. Anon. Prag.

coacti tandem deditionem faciunt.

Auſtriaci rebelles,

Itum poſtea *Viennam*, ac inde, cùm *Viennenſes* acceſſiſſent cum quatuor millibus peditum, mille equitibus, cúmque duobus grandioribus tormentis, rectà *contra Cæſarem*, *in Nova Civitate tunc unà cum conjuge*, & *Ladislao commorantem*. Præviderant hæc Cæſariani, *Rudingerus de Starenberg*, *Joannes à Stubenberg*, & alij Cæſari fideles, quibus tuendæ urbis cura concredita fuit: ideóque de omnibus ad defenſionem, tolerandámque obſidionem neceſſarijs maturè proſpexerunt. Mox demum, ad primum ſtatim adventum rebellium, commiſſum eſt ante portam urbis atrox & cruentum prælium; pugnatúmque aliquandiu æquo Marte: donec Cæſariani numero pauci, cùm ampliùs vim multitudinis, & imprimìs tormentorum, quibus edebatur ingens ſtrages, ſuſtinere non poſſent, ſeſe intra mœnia receperunt. Tum inchoata eſt obſidio, oppugnatáque civitas: foris autem súſque déque agebantur omnia, & obvia quæque populationibus, rapinis, cædibus & incendijs infeſta reddebantur; cuncta denique ſeditione & bello æſtuabant. Magnam profectò cladem, & detrimenta maxima tunc perpeſſa eſt Auſtria: ſed quæ ipſa ſibi peperit, ut rebellionis nulla juſta de cauſa motæ, & tam protervè ac ſcele-

Cæſarianos profligant:

Cæſarem obſident; & poſt multa,

ratè

Digitized by Google

tatè vexati Imperatoris, Domini ſui, pœnas daret. *In hoc rerum diſcrimine*, narrat Cæſareus Hiſtoricus, *Cæſari fidum ſe ac amicum præſtitit Georgius Podiebradius Bohemiæ Prorex: qui obſeſſum audiens, undecim millium exercitu coacto, ad opem illi ferendam accelerabat. Cùm verò in itinere audiviſſet, jam de pace inſtitutam eſſe actionem, retroverſus, in terras Dominorum de Roſis exercitum duxit, & latè populatis eorum agris, ultus eſt Cæſarem.* Nam ultimò Cæſar furenti populo, & adverſanti fortunæ cedendum exiſtimans; intervenientibus etiam *Sigismundo VVolkensdorffio Archi-Ep. Salisburg.* & *Carolo Marchione Badenſi*, legatiſque *Ludovici Bavari*, & *Alberti Brandeburgici*, tanquam pacis mediatoribus, *Ladislaum* dimiſit; *Auſtralibus* (ait Sylvius) *multa promittentibus, quæ poſtea barbarâ fide negârunt.*

Gerard. in Hiſt. Auſtr. lib. 6.

ad extradendum Ladislaum compellunt.

Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. c. 60.

Inter alia transactionis capita erat, ut *Ladislaus* interim Berchtolsdorffij maneret privatus, neque Rempublicam antè capeſſeret, quàm in publico Conventu, per Principes cognatos, & Hungarorum Bohemorúmque legatos, de tutela atque Provinciarum adminiſtratione definiretur: diéſque Conventui Viennæ ad tertium Idus Novembris indictus eſt. Sed *in Auſtriacis conventorum fides deſiderata fuit:* quamprimùm enim in ſua poteſtate Principem habuêre, non expectato Conventu, eum Viennam duxerunt; ubi ſtatim adminiſtrationem Provinciæ (haud dubiè ex conſilio illorum) ſuſcepit, magiſtratus novos creavit, præfecturas inſtituit, Sacerdotia contulit, atque alia Principis munia obire cœpit. Viennam dum pergeret (ut id paucis attingam, cùm lectu dignum nec non jucundum ſit) jámque monti Viennenſi appropinquaret, *obvios habuit pueros ad quatuor millia: eorum ſinguli vexilla manibus præſentabant, in quibus gentilitia Principis inſignia depicta erant, feſtiſque eum cantilenis excipiebant. Ex monte in planiciem deſcendenti, occurrit Eliſabetha ſoror, cum frequenti lectiſſimarum virginum, ac matronarum aulicarum comitatu: Ladislaus equo deſiliens, ſororem amplexus, tentorium illinc tenſum ingreditur; ubi nonnihil refectus, cùm ulteriùs paulò progrederetur, Viennenſium civium uxores, ſertum quoddam ex unionibus artificiosè concionatum ei obtulêre. Poſt eas præſtò fuit Academiæ Rector cum ſuis: quos longo ordine ſequebantur Eccleſiaſtici, cum infinita hominum multitudine.* Itâ inter fauſtas gratulantium voces, per mediam urbem, primò ad D. Stephani Eccleſiam, deinde poſt decantatas laudes, votáque pro ejus ſalute nuncupata, in Palatium deductus eſt.

Auſtriaci contra pacta conventa.

Ladislaum Viennam adducunt.

Solemnitas introductionis.

Gerard. cit.

Admonuerat quidem Auſtriacos, *Summus Pontifex Nicolaus V.* juſſerátque *ſub pœna Excommunicationis*, ne Cæſarem in Ladislai tutela impedirent: ſed fruſtra. Cuſpinianum, qui Hiſtoriam Auſtriæ ab Ænea conſcriptam, cujus ſuprà meminimus, legerat, audiamus. *Non poſſum*, inquit, *me continere, quin indignum facinus hoc loco Provincialium in medium afferam. Accuſârant clam Auſtrales Imperatorem, coram Pontifice Romæ, dum coronaretur, multáque conficta objecerunt crimina: quæ cùm Fridericus dilueret, peterétque, ut ſub anathematis crimine Provinciales ipſum in ſua tutela permitterent, conſenſit facilè Max. Pontifex, pœnámque Excommunic. ſi aliter facerent, in-termi-*

Summus Pontifex ſtat pro Cæſare.

Cuſpin. ſuprà cit.

contra cujus mandata Apoſtolica, Schola Viennenſis proteſtatur.

& ſtudio *Petri Lambecij S. Cæſ. Maj. Conſiliarij & Bibliothecarij*, Viri lectionis magnæ, & Hiſtoriarum ſcientiſſimi; maximè verò primum Exemplar, quod in flagranti, dum res agerentur, Æneas ſcripſit. Promiſerat in eodem Conventu, Comes Ciliæ, (hic námque unus omnia poterat, Regem in poteſtate habens) Hungaris & Bohemis, *Regem ad eos propediem venturum.* Corvinus autem, qui tunc munus Gubernatoris Regi reſignavit, â Rege patris nomine appellatus, & non ſolùm Regno, ùt antè, præeſſe juſſus, verùm etiam titulo & dignitate Comitis Biſtrzicenſis honoratus.

Bohemi & Hungari Regem ad ſe venturum petunt.

At *Georgius*, poſtquàm *ab Ulrico Roſenſi*, & altero ejus filio *Joanne* fuiſſet placatus, arma contra *Budvicenſes & Piſecenſes* eandem ob cauſam vertit: quibus ſimiliter ad obſequium reductis, in diſtrictum Ziatecenſem movit, ut civitates ibidem primarias *Ziatecium & Launam*, nonnihil contumaces compeſceret, & ad officium quoque reduceret. Quo mirâ celeritate peracto, neque enim erat, qui reſiſteret, Pragam circa finem Septembris, ovanti ſimilis reverſus eſt. Acceperat ille, priusquàm expeditionem in Auſtriam ad eximendum periculo Cæſarem, literas â Pontifice Max. quibus paternè requirebatur, ne præſentibus Auſtriacorum tumultibus favere, aùt rebellibus vel in minimo aſſiſtere, causâmque eorum probare vellet. Igitur ad demerendum ſibi, & Pontificem & Imperatorem, homo circumſpectus, & omnia proprio ex uſu metiens, nefarios ejuscemodi conatus rebellium non tantùm improbavit, verùm etiam defendendum hac in parte Cæſarem ſeriò ſuſcepit. Breve Apoſtolicum, quod cùm nullibi legatur, hìc apponere volui, ſic habet.

Georgius â Podiebrad, reſiduos in Bohemia ſibi dicto minùs audientes, compeſcit.

Cochl. lib. 11. Sylv. cit. Theobald de bello Huſſ. part. 2. cap. 19.

Nicolaus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilecto filio, Nobili viro, Georgio de Podiebrad. Salutem & Apoſtol. Bened. Gravis & intolleranda novitas viſa eſt nobis, quam ſuperioribus diebus, nonnulli Barones & incolæ Ducatûs Auſtriæ attentârunt. Qui licèt chariſſimo in Chriſto Filio noſtro, Friderico Romanorum tunc Regi Illuſtri, nunc verò Imperatori Auguſto, tanquam legitimo & indubitato Tutori, chariſſimi in Chriſto filij noſtri, Ladislai Hung. & Boh. Regis Illuſtris, ſuper regimine & adminiſtratione dicti Ducatûs; ſicut ad eum dictante jure, & antiquâ ſvadente conſvetudine pertinebat; obedientiam ac fidelitatem promiſſent, & per aliquot annos ſine controverſia præſtitiſſent. Nuper tamen dum Rex ipſe Romanorum ad nos pro Imperiali diademate profecturus, de modo regendi terras & dominia prædicti Ducatûs in ejus abſentia diſponeret, conventicula facientes, conſpirare, ac ſuperbâ temeritate rebellare ſunt auſi: adhærentésque ſibi, diverſis machinationibus, pleròsque Prælatos Eccleſiaſticorum, & oppidorum diverſorum Conſulatus ac Rectores fecerunt; & promiſſorum ac juramentorum ſuorum contemptores, de gubernatione Ducatûs minimè veriti ſunt ſe intromittere, & ea facere, quæ ad ſolos Principes Auſtriæ pertinent, exigentes vectigalia, & officiales pro ſuo libitu deſtituentes & inſtituentes. Quæ res non Imperatori ſolùm, cui & homagij, & obedientiæ, & fidei jura violata ſunt; ſed nobis quoque & Apoſtolicæ Sedi injurioſa eſt: cùm eo tempore hæc rebellio cœperit, in quo propter tranſitum ad Imperiales infulas, de noſtris manibus ſuſcipiendas, idem Romanorum Rex, ſub

Literæ Summi Pontificis ad Georgium, in cauſa Imperatoris.

& Auſtriacorum rebellium.

Digitized by Google

ſub noſtra & dicta Sedis protectione conſtitutus noſcebatur. Nolentes igitur tantam, & tam enormem inſolentiam ſub diſſimulationis velamine pertranſire, ne deteriora ſuccreſcant, omnibus Baronibus & incolis Ducatûs Auſtriæ, qui præfatæ rebellionis vel autores, vel participes quovis modo noſcuntur; ſub anathematis & aliarum Cenſurarum pœna mandamus, ut infra certum eis aſſignatum tempus, à tali novitate deſiſtentes, plenam & integram Imperatori obedientiam & reverentiam cum omnimoda ſatisfactione reſtituant: ſicut in alijs literis noſtris, quarum copiam tibi mittimus cum præſentibus, hæc omnia pleniùs continentur. Quod idcirco tuæ Nobilitati inſinuare decrevimus, ne verbis illorum circumventus in periculum incidas; ſi forſitan aut favorem, aut aſſiſtentiam, aut fœdus à te exquirerent. Nos enim intelligentes ſynceram mentem Imperatoris, erga dictum Regem Ladislaum patruelem ſuum, quem veluti filium diligit, & ut Regium ſanguinem ſuum decuit, educari curavit, ipſiúsque bono intentus eſt: non dubitamus, quia tunc Regi Ladislao favemus, quando Imperatori aſſiſtimus, adverſùs rebelles prædictos, & alios eis adhærentes. Quibus Apoſtolicæ Sedis præſidia, donec reſipiſcant illi, mandatiſque noſtris obtemperent, non ceſſabimus impartiri. Datum Romæ apud S. Petrum, anno 1452. X. Cal. Maji, Pontificatûs noſtri anno VI.

quibus eum admonet, ne ſeditioſorum cauſam fovendam ſuſcipiat.

Initio anni 1453. cùm denuò *Bohemi*, Regis ſuis præſentiam, non minùs quàm *Hungari* efflagitarent, Comes Ciliæ, in cujus poteſtate Rex erat, conſultiùs fore putavit, priùs illum in Hungariam, ubi & natus, & coronatus fuerat, deducere. Sub finem igitur Januarij, Rex auſpicia Regni Hungarici facturus Poſonium venit: receptiſque in fidem Hungaris, *Corvinum*, qui regio nomine Rempublicam curaret, Regni Præfectum (ſub titulo Capitanei, non ampliùs Gubernatoris) conſtituit. Multi ibi dies feſtivè & hilariter tranſacti ſunt, in publicæ lætitiæ monimentum: actúmque potenter, ut Rex Budam quoque, Regiam ſedem ſuam inviſeret; ſed Cilienſis itinere Bohemico, quod propediem apparandum eſſet, Regem excuſans, non ultra progrediendum cenſuit, Viennam redijt. In Bohemiam tamen non uſque adeò properare viſus eſt, quò primùm poſt octo menſes venit; *die S. Michaelis* pro coronatione indictâ, ſed quæ primò in *feſto SS. Simonis & Judæ* peracta fuit, ut narrabimus paulo poſt.

Ladislaus Rex auſpicaturus Regni Hung. gubernacula, Poſonium venit: Viennam revertitur. Æn. Syl. Cochl. Gerard. tit. Theobal. c. 20.

Interea dum Bohemi ad excipiendum pro dignitate Regem ſeſe parârunt, *Joannes à Smirzicz*, unus è proceribus primis, ad Regem ſcribere auſus fuit, vir aliàs cautus, ſed hìc incertum cujus conſilio dementatus, *ne Rex dubiæ Bohemorum fidei ſe committeret, neu periculo caput objiceret.* Rex epiſtolam Comiti reddidit, qui cognito tenore, Georgio eam remiſit. Ille convocato Senatu, in quo *Smirzicius* non poſtremus erat, literarum ſenſum, ſuppreſſo ſcriptoris nomine, recitat, & quid mereatur talia in contumeliam *totius Nationis Bohemicæ* ſcribens, interrogat? Dignum morte omnes pronunciant, tanquam proditorem Patriæ: nec *Smirzicius* ſuo loco ſententiam dicere juſſus, adverſari audet, ſed afficiendum talem ſupplicio, & ipſe cenſet. Profertur ergò epiſtola manu ejus ſcripta, ſigillóque notata: damnatus ore proprio

Joan. Smirzicsky diſſuadet Regi adventum in Bohem. cum gravi totius Nationis injuria:

Digitized by Google

prio comprehenditur miſer, eíque duarum horarum tempus conceditur, in quo, ſi velit, & animæ ſuæ ſaluti, & domeſticis rebus conſulere poſſit. Neque diutiùs vivere permiſſus gladio percutitur, in foro urbis Veteris Prag, *in Vigilia Nativitatis Beatiſſimæ Virginis. Sic vir magis eloquens*, ait Sylvius, *quàm cautus, dum alienam ſervare vitam ſtuduit, ſuam perdidit.* Minabatur ille haud multo antè *Capiſtrano*, ſe ei majorem tonſuram facturum, poſtquàm in Bohemiam venerit: & ecce! juſto Dei judicio, ipſemet priùs capite tonſus eſt. Innuit eorum aliquid *Capiſtranus*, in epiſtola ad Georgium data: *Tuus*, inquit, *Joannes Smirzicky, qui mihi coronam majorem pro ſalvo conductu minabatur facere, priùs ipſe tuo juſſu capite minutus, cruore proprio forum Pragenſe irrigavit.* Et infra: *Illud non inficior, fuiſſe ſolummodò me invitatum, (deriſoriè quidem) à quodam, qui occupavit neſcio quod monaſterium, Jakaubek, non ad Pragam, ſicuti petebam, ſed ad quoddam caſtellum, ubi ſunt multi boves, & oves. Similiter fuiſſe non ad me, ſed ad Conſules Pontenſes ſcriptum à Smirzicsky, qui gladio ſuum diem clauſit: quòd ſi ego voluiſſem accedere ad illud caſtrum, ipſe me conduceret; adjiciens, quòd ſi tamen illuc accedere attentaſſem, (ut ſuis proprijs verbis utar) ad habendam majorem tonſuram me præpararem. Vidi igitur mi Georgi, &c.*

& idcirco capite plectitur:

Sylv. in Hiſt. Bob. c. 60. in fin.

pœna hæc ei divinitùs inflicta.

Ep. Capiſtrani ad Georg. Podiebr. data Cracoviæ an. 1454. XXIX. Jan.

Interea Proceres Moravi, qui flagrantiores in obſequio *Ladiſlai* præ cæteris videri cupiebant, clam egerunt cum Cilienſi; ut, quandoquidem in Bohemiam iter de die in diem differatur, in Moraviam ſaltèm, quam vicinam haberet, priùs ſe conferre vellet Rex; & receptis in fidem Moravis, *Alberti patris exemplo, qui ſimiliter priùs Moravos, quàm Bohemos regendos ſuſcepiſſet*, ſuprema Marchionatûs gubernacula, quod felix fauſtúmque eſſet, capeſſeret. Quorum poſtulatis haud gravatè aſſenſit Comes, ut qui nihil magis deſideraret, quàm ut Bohemis domî negotium aliquod faceſſeret; quod occaſione præſenti ſe effecturum non dubitabat, ſi eos cum Moravis committeret: quò demum ipſemet tanto ſecurior, & prout vellet, rerum potiretur, axiomatis illius pſevdopolitiæ haud ignarus: *divide, & impera.* Nec multâ interjectâ morâ, decernitur dies profectionis in Moraviam, paratiſque ad iter neceſſarijs, & ijs, quos *Cilienſis* intereſſe volebat, admonitis, *Ladiſlaus* viæ ſe dedit, rectâque *Brunam petijt*, pridie Non. Julij: ubi à Nobilitate Senatúque, & omnibus Ordinibus, qui ad medium usque milliare ei obviam proceſſerant, honorificentiſſimè eſt exceptus, & ſub umbella, ſuſtenſtantibus eam Nobilium primarijs, *in urbem, & in templum S. Petri*, fauſtis omnium acclamationibus, & applauſu deductus. Sequenti die, poſtquàm jusjurandum de ſervandis tuendísque vetuſtis Provinciæ legibus & privilegijs, de more præſtitit, etiam ab Ordinibus univerſis Sacramentum fidelitatis exegit. Brevique poſt urgentibus Comitijs novis Hungaricis, *Poſonium ad Calendas Auguſti indictis*, ſed primò circa finem ejusdem menſis celebratis, Viennam redijt.

Moravi Ladiſlaum ad ſe venire petunt:

& impetrant.

Ladiſlaus Brunam venit,

MS. Pernſ. MS. Anon.

& Moravos in fidem ſuſcipit.

Quamvis autem hęc ſummo ſilentio tegerentur, ne in vulgũ emanarent antè, *quàm Ladiſlaus Brunam veniret*, ut hoc modo inauguratio abſolveretur citiùs, quã de ea futura Bohemis aut alijs innoteſcere poſſet: plures tamen fuêre ê

Pppp Pro-

reclamantibus licèt Bohemis.

Proceribus Bohemis, qui, & imprimis *Georgius*, ea ſubodorati, monuerunt in tempore Moravos, ne quid tale inſolens & inuſitatum, ac contra leges, attentare vellent; *cùm priùs Ladislaum in Regem Bohemiæ coronari neceſſe ſit:* futurum aliàs, ut dum ſuæ & provincialium quieti & tranquillitati ſeſe conſulere putent, nova belli civilis ſemina, quo rurſus omnia cædibus & incendijs miſceantur, ſubminiſtrent. Quæ tamen dehortamenta *Capitaneus Provinciæ, & qui potiores erant*, taciti transmisêrunt, atque in propoſito perſtiterunt.

MS. Anon. Prag. Anon. VVrzeſovec.

Ladislaus in Hungaria Conventum agit, *Epiſtol. 140.*

Comitijs Poſonij habitis, Ladislao jam ſecundò ibidem præſente, quid potiſſimùm fuerit agitatum, narrat Æneas in epiſtola ad Nicolaum V. Pont. Max. hiſce: *Hungari ad feſtum S. Bartholomæi proximum conventum habituri ſunt, apud Poſonium cum Rege ſuo. Ibi tria dicuntur agenda: primùm, danda eſt opera, ut pax cum Cæſare tractata ratificetur: ſecundum, ut Axamit ex Hungaria eliminari poſſit, qui multas ſtrages Hungaris dedit; fertúrque jam IV. millia hominum in armis habere. Tertium, de medijs, per quæ Turcarum conatus, ne ulteriùs ſerpant, comprimi poſſint. Gracij in Styria die XII. Aug. anno 1543.* Et alibi: *In Hungaria ſurrexit quidam latro, nomine Axamit, qui cum magna prædonum manu Regnum vexat, neque Gubernator potens eſt eum Regno pellere. Ob eam cauſam habet per hos dies Rex Ladislaus, omnes Regni Proceres apud Poſonium congregatos; cúmque his conſultat, quonam pacto Regnum expiare latronibus poſſit.* Ubi addit: *Idem Rex, in Calendis Octobris proximis, Bohemiam intrare promiſit, ibi Coronam recepturus; magni ob eam rem apparatus fiunt. Ituri cum eo feruntur Albertus Auſtriæ, Ludovicus Bavariæ Duces, ac Albertus Marchio Brandeb. Bohemi offerunt quæcúnque bona ad Coronam ſpectant, Regi reſtituere: partémque bonorum Eccleſiaſticorum redimere ab his, qui ea poſſident, & pro Regis arbitrio Eccleſijs ſatisfacere. Gracij III. Sept.* Fuſiùs porrò de Akſamitko, ad eundem Pontificem Max. in alia epiſtola.

tribus potiſſimùm de cauſis. *Epiſtol. 151.*

Bohemis ſe brevi ad eos quoque venturum promittit.

Epiſt. 162.

Novus latro, nova prælia miſcet: nempe inter montes & ſylvas, quæ Poloniam Hungariámque diſterminant; diu latrocinatus eſt Bohemus quidam obſcurâ domo ortus, ſed audax, manúque & ingenio promptus, laboris patiens, periculique contemptor; cujus multa facinora referuntur. Qui cùm ſericeam diploidem, Domino cui ſerviebat, olim furatus eſſet, cognomento Axamit appellatus eſt, quod Latinè villoſum ſericum ſonat. Hic poſtquàm Giskram acceptâ pecuniâ Sepuſinis oppidis ceſſiſſe audivit, terrámque milite vacuam agnovit, congregatâ non parvâ latronum manu, quaſi in ejus locum ſuffectus, regionem invaſit: duabúsque arcibus naturâ & arte munitis, partim vi, partim dolo receptis, mox ruricolas in apertis villis commorantes, ferro atque igne territos, miniſtrare victui neceſſaria, pecunias dare menſtruas, ad omnémque nutum præſtò eſſe coëgit. Cúmque munitiones aliquot locis opportunis conſtruxiſſet, atque in his præſidia collocâſſet, civitates quoque munitas ſibi tributarias reddidit. Deinde aſtutus homo, quia in potenti Regno diu graſſari, ſine magnis copijs, ſe non poſſe intellexit, ad ingenium Bohemicum rediens, pulchram

Bohemi quidam & Moravi, denuò infeſtant Hungariam:

quorum dux Akſamitek.

falla-

fallacem commentus eſt, quâ latrones univerſos ex proximis regionibus ad ſe traberet. Omnibus enim, qui ſub eo militare vellent, ſtipendia publicavit: homini equeſtri in hebdomadam aureum nummum, pedeſtri mediam partem, ac tributorum & ſpoliorum omnium, æquam cuique deſtributionem. Quidquid enim ex tributis rapiniſque corraditur, in communi reponitur: cúmque præfinitum diviſionis adeſt tempus, emerita cuique ſtipendia perſolvuntur; quod ſuperat, viritim dividitur. Atque ùt mos Bohemorum eſt, ad Evangelij codicem cuncta referre, tantum conſequuntur, qui ultimâ die menſis in ſocietatem belli veniunt, quantum qui menſem integrum arma tulerunt: ſic enim Evangelium velle ait, in quo ultimi venientes, qui primâ horâ venerant operarijs comparantur. Quâ re cognitâ, omnes quos flagitium, egeſtas, conſcius animus domo propellit, ad Axamit confugiunt: ex quibus ille jam quinque millium pugnatorum conflavit exercitum; ac jam non Sepuſinis tantùm, ſed univerſis Hungaris terribilem formidabilemque ſe præbet. Neque Joannes Hunniades Gubernator, hujus hominis impetum compeſcere poteſt; qui etſi majores ſæpè motus ſedaverit, majoréſque hoſtes Regnum ingreſſos deleverit, non tamen modò hujus conatibus obviare audet: cui & nonnulli Regni Barones clam manus porrigere perhibentur.

ſtipendia: prædarum diviſio: accurſus undique; & potentia, Corvino etiam formidabilis.

Ob quam rem interpellatus eſt Rex Ladislaus, ut in Hungariam adversùs latrones proficiſcatur, niſi Regni magnos motus, ſubditorúmque clades audire velit: qui etſi Bohemis iterum ſe Pragam promiſerit, tamen quia majori periculo priùs occurrendum putavit, exercitum totâ Auſtriâ atque Moraviâ congregari mandavit, publicè dictitans, adversùs Axamit perſonaliter ſe velle proficiſci. Perſvaderi tamen populo non poterat, Regem puerum, adversùs latronem, ducturum exercitum: ſed opinabantur nonnulli, hanc eſſe Comitis Ciliæ, & Joannis Gubernatoris techmam, qui pacem cum Cæſare tractatam, habere ratam nequaquam volunt; nec militem congregare poſſunt, cupientibus ocium Auſtralibus: ideo quaſi Axamit exterminaturi, ingentes habere copias ſtudebant, quas congregatos in Cæſarem verterent. Quidam verò altiori conſilio rem penſitantes, in caput Joannis cudendam fabam exiſtimabant; cujus locum appetere Comitem judicabant, neque poſſe ad eum perveniꝛe, niſi Joannem fraude circumveniat. Eum igitur commentum eſſe, ut convocentur omnes ex Hungaria, Auſtria, Moraviáque Barones in exercitum, ad præſentiam Regis. &c. Addit de Bohemis. *Interea Bohemorum legati Viennam venêre, petiverúntque Regem ad eos quamprimùm iter facere, coronámque Regni accipere; niſi hoc ageret, mutationes in Bohemia timendas dicebant. His reſponſum eſt, Regem ad feſtum S. Michaëlis iturum; priùs etſi maximè velit, non poſſe: multis in Auſtria, Moraviáque negotijs occupatum, auróque excuſſum, non habere comeatum Regi convenientem; cum tempore fieri omnia. Gracij XII. Julij.*

Contra hos, Ladislaus copias per Auſtriam &. Moraviam congregat: quod tamen alij aliter interpretabantur. Bohemi, Regis adventum urgent.

Appetebat jam tempus, quo Ladislaus ſe in Bohemiam iturum promiſerat. Cùm verò iter illud apparandum pro dignitate Regis omnes cenſerent, indigerétque res magnis ſumptibus, & ærarium vacuum eſſet: Comitia idcir-

Auſtriaci ſumptus ad iter nec. ſſarios permittunt:

Digitized by Google

co omnium Ordinum habita ſunt *Kornaburgi*, decretáque pecunia quantocyùs exigenda. Ubi præterea actum & concluſum de exauthorando Cilienſi; cujus elatos ſpiritus, & ſuperbum dominatum tyrannidi proximum, nemo ampliùs æquo animo ferre poterat. Et hic non multo poſt, *Rege Viennam reverſo*, aulâ ejectus, Viennáque abire juſſus eſt; â plebe dum excederet, vix non lapidatus; probris certè & maledictis ſummè affectus. Inconſtantis fortunæ ſingulare documentum. *Nam qui paulo ante tutor Regis, & ſecundum in Auſtria caput erat, in quem oculi omnium reſpiciebant, qui belli pacisque munera ſolus agebat; unico Regis verbo, omni poteſtate privatus, inops conſilij, & animo confuſus abijt.*

priùs tamen efficiunt, ut Comes Cilienſis aulâ amoveatur.

Sylv. in Hiſt. Boh. cap. 61. Roo lib. 6.

Ladislaus Iglaviam venit:

Ad finem Septembris, *Ladislaus* in Bohemiam movit, & per Moraviam ducto itinere Iglaviam venit, die III. Octobr. ubi â *Georgio Gubernatore* & Proceribus, magna cum lætitiæ ſignificatione exceptus eſt; & poſt tres hebdomadas, ordinatis intereà rebus cunctis, & fide utrinque datâ, tabulísque firmatâ, Pragam ductus. Quatuor equitum millia, (inter quos nobiliſſimi quique ex Moravis) cum Rege iviſſe narrantur: nec minor erat Bohemorum numerus. Die XXVIII. qui erat Dominicus, & *SS. Simoni & Thadæo App.* ſacer, in Baſilica D. Viti, coronam Regni Bohemici ſolemni ritu accepit, *â Joanne Epiſcopo Olom.* adſtantibus alijs quatuor Epiſcopis, *Petro VVratislavienſi, Dionyſio Strigonienſi Archi.-Ep. & Cardinali, Paſſavienſi & VVaradinenſi;* Prælatis item & Canonicis Prag. ab exilio revocatis, *Benedicto Priore monaſterij Svitavienſis in Moravia, Ord. Præm. Epiſcopatûs Litomiſſl. adminiſtratore;* Principibúsque multis, Comitibus, & Baronibus magno numero congregatis. In ſumptus contulerunt Bohemi, unusquiſque cenſuum ſuorum tertiam partem, adeò liberaliter, ut ſuper fuerit, quo arces nonnullæ regiæ oppignoratæ redimerentur. Die ſequenti, *Ladislaus* regali diademate ornatus, & generoſiſſimo vectus equo, redijt ex Arce Prag. in urbem Antiquam, in Regiam ſuam, pecuniâ in vulgus quaquaverſùm ſparsâ largiter.

inde Pragam ducitur,

& coronatur ab Epiſcopo Olomuc.

Sylv. cit. c. 62. Roo cit. Hagec. Kutben. an. 1453. Daubrav. l. 29. MS. diverſa.

Jurgium Bohemos inter & Moravos,

Dixi ſuprà, *Ladislaum* jam antea â Moravis, *in Marchionem & Dominum*, maximo omnium applauſu, fuiſſe ſuſceptum. Ægrè id tulerunt Bohemi: qui ne inauguratio hæc præpoſtera vim legis obtineret, néve apud poſteritatem locum haberet; ſed veluti exorbitans, & contra leges Regni, privilegiáque, quinimò contra vetuſtam, quæ optima legum interpres cenſeri debeat, conſvetudinem ipſam, ac obſervantiam diuturnam, quæ Regem, priusquàm inauguraretur Regno, â Provincijs Coronæ unitis ſuſcipi vetat, annullaretur; per nuncios ultro citróque commeantes, per literas, ſolennésq; proteſtationes diu multúmque egerunt. Jámque res ex longa trium ferè menſium diſceptatione, venit ad acerrimas contentiones, jurgia & minas; deventura brevì etiam ad arma, niſi ſub coronatione Regis, intervenientibus Hungaris & Auſtriacis, ê partium compromiſſo, amicè de controverſia omni transactum fuiſſet, in eum modum: *ut quod factum eſſet, ratum maneret; ita tamen, cùm ejusmodi intempeſtivus ac inſolitus actus, ſit ciendis tantùm invidiæ ac impatientiæ motibus opportunum alienandarum voluntatum inſtrumentum*

MS. Anon. Prag.

propter Ladislaum, priùs in Marchionem ſuſceptum, quàm in Regem coronaretur, exortum,

tum

tum, ne deinceps traberetur in exemplum; aut ſi tentaretur, ipſo facto irritus acnullus redderetur. De his nihil habent Scriptores noſtri, præter *Ctiborium de Cymburg & Tovaczovv*, Joannis Supremi Capitanei filium, qui *in libello de regimine Politico in Moravia, Bohemicè conſcripto*, prolixè ſatis mentionem eorum facit; ubi etiam introducit pro parte Bohemorum coram Rege loquentem, *Alexium Holiczky à Sternberg*; pro parte verò Moravorum, *VVankonem de Bozkovicz.* Sylvius etiam aliquid de Ladislai in Moraviam priùs quàm in Bohemiam profectione inſinuat, occaſione nunciorum â civitatibus Pruſſiæ ad Cæſarem miſſorum, & in Moravia captorum, hiſce: *Pars adverſa Oratores ad Cæſarem miſerat; ſed illi apud Moraviam intercepti ſunt, ſpoliatique bonis omnibus in vincula conjecti; neſcio, an poterunt in brevi reddi libertati. Rex enim Ladislaus, ſub cujus ſalvo conductu capti, ad eorum liberationem obnixè operam dat: petivitque jam Brunam perſonaliter, propinquúsque eſt ei latroni, qui illos detinet. Dat. Græcij, XII. Cal. Aug. 1453.*

componitur.

Knijžka Páně z Towačowa.

Epiſt. 155. ad Nicolaum Cuſanum Cardinal & Epiſcop. Brixienſ.

Inter hæc grave Reipublicæ Chriſtianæ â Turcis inflictum eſt vulnus, *Conſtantinopoli* urbe omnium pulcherrimâ, & Imperij Orientalis ſede, *â Mahomete II.* qui Amurathi crudeli patri, multo crudelior filius ſucceſſerat, poſt obſidionem dierum LIV. vi & armis expugnatâ captâque die XXIX. Maji, an. 1453. *Conſtantinus XV. Imp.* intra mœnia urbis manu propria fortiſſimè dimicans, ultimò â Turcis jam antemuralia occupantibus acerrimè preſſus, & â multitudine ſuorum ad portam properantium abreptus, cadens reſurgénsq;, ac denuò relapſus, in conferta hominum turba proculcatus interijt; cùm pridiè *in auguſtiſſimo Sapientiæ templo*, SS. Euchariſtiæ perceptione, ad felicem exitum ſeſe cum pluribus alijs præparâſſet. Corpus poſtea inter alia cadavera, quorum in ſola porta octingenta reperta ſunt, ex calceamentis, in quibus *aquilæ aureæ* de more pictæ erant, agnitum fuit: alia námque Imperij inſignia abjeciſſe dicitur ſtatim, ac vidiſſet prævalere hoſtes; ne Majeſtas imperialis irriſui & ludibrio Turcarum exponeretur. Quod tamen evitare non potuit: ſiquidem Mahometes invento corpori caput demi, & conto infixum per urbem & caſtra, ad terrorem & ludibrium circumferri juſſit. Cæterùm quæ ad expugnationem urbis, & Turcarum crudelitatem, miſerandámque civitatis afflictiſſimæ faciem ſpectant; fusè referunt *Phranzes* ejusdem Imperatoris familiaris, & *Leonardus Chienſis Archi-Ep. Mitylenenſis* teſtes oculati; quique tunc pariter vixerunt, *Chalcondyles, & Æneas Sylvius*, paulo poſt *Pius II. Pont. Max.* atque ex ijs plurimi poſteriores. Ego id ſolùm addo: quidquid miſeriarum unquam, quidquid cladium & calamitatum, vi captæ direptáque urbes â barbaris pati ſolent, id omne infelix *Conſtantinopolis* abundè ſenſit, dimota penè ac convulſa ſuis ſedibus, & in ſuorum civium ſanguine natans. Itá urbs præſtantiſſima, quæ ampliùs mille annos floruit, in poteſtatem barbarorum venit. Parem miſerandam ſortem, haud multo poſt, etiam altera in Aſia Imperij Orientalis ſedes *Trapezus* tulit, quam *Mahometes* anno 1461. terrâ maríque infeſtiſſimè oppugnatam cepit, potitus & theſauris regijs, & ipſo *Imperatore Davide*, filiísque duobus, & *Calo Joanne* patruele: quos præmiſſos Conſtanti-

Urbis Conſtantinopolitanæ expugnatio â Turcis: quam fusè deſcribunt: *Æneas Sylv. in Europa, cap. 7. Epiſt. 131 155. 162. Iſidor. Cardinal. de expugn. Conſtant.*

ac præterea etiam Græci Scriptores; nempe:

Phranzes lib. 3. c. 7. & ſequ. Gennadius. Chalcondyl. l. 8. Levencl. Hiſtor. lib. 15. Æn. Sylv. in Epiſt. 155. 156.

Trithem. Naucierus, Krantzius Bonſin. Dreſſer Spandugin. Miechov. &c.

ſtantinopolim ad triumphum deinde crudeliſſimè, cum pluribus alijs Ponticæ oræ & Cappadociæ Principibus interemit, exciſâ cum his tota *Comnenorum ſtirpe.* Iſtud porrò memorabile, & notatu dignum, quòd quemadmodùm *Conſtantinus Helenæ filius*, primus Imperator Conſtantinopoleos fuerat; ità & ille, qui poſt annos ab eo M. C. XXII. ultimus extitit, *Conſtantinus Helenæ filius* fuit. Simili quodam fato, ſub *Dario* cœperat & creverat Regnum Perſarum; ſub altero ejusdem nominis corruit, ac deſijt. Romana Majeſtas ſub *Auguſto* effloruit; ſub *Auguſtulo* deceſſit. *Heraclius Cæſar*, Crucem de Perſis receperat; *Heraclio* Patriarchâ Jeroſolymitano, iterum amiſſa eſt. *Urbano II.* Pont. Max. Jeroſolyma ſervitute barbarâ liberata: *Urbano III.* eadem oppreſſa eſt. Sed ad noſtra.

Fatalia quandóque nomina.

Cromer. lib. 22. Miechov. lib. 4. cap. 59. Hagec. MS. Anon. an. 1454. Lupac. ad d. 10. Febr.

Anno 1454. poſt feſtum Converſionis S. Pauli Ap. *Henricus de Roſis*, & *Zdenko à Sternberg* Brunam profecti, inde *Eliſabetham*, Ladiſlai Regis ſororem, magnificentiſſimè deduxerunt in Poloniam, Cazimiro Regi uxorem. Nonà Februarij, nova nupta Cracoviam venit, â Rege ipſo unà cum matre obviam egreſſo, maxima cum ſolennitate deducta, & poſtridie ei in matrimonium collocata, ínque Reginam uncta & coronata. Ex quo connubio natus eſt *S. Cazimirus*, & quatuor Reges: *VVladislaus Boh. & Hung. Rex*, *Albertus*, *Alexander & Sigismundus Reges Poloniæ*; *Fridericus item Cardinalis*, & Archi-Ep. Gnezdnenſis. *Anna* ſoror Ladiſlai altera, jam antea deſponſata fuerat *VVilhelmo Duci Sax. & Landgravio Thuringiæ*; ex qua nata *Anna*, conjunx poſtea *Hynkonis Ducis Münſterberg.* mater *Annæ conjugis Henrici de Novadomo*, â qua *Novodomai*, & bis per fæminas *Slavatæ*.

Slavatæ ex regio ſanguine, per fæminas.

Familiæ Roſenſis præſtantia.

Cochl. Paproc.

Die XVIII. Febr. *Henricus Dux Glogoviæ maj. in Sileſia*, jus ſui Principatûs, quod fevdum vocant, Pragæ in Curia Antiquæ Urbis, ſolenni ritu accepit, â *Ladislao Rege.* Quo tempore etiam filia ejus *Anna*, deſponſata fuit *Joanni de Roſis:* quam ille non multo poſt, adjunctis ſibi, *Henrico fratre*, & *Zdenkone Sternbergio*, ê Polonia redeuntibus, in Bohemiam ſplendido cum comitatu adduxit.

Captâ Conſtantinopoli, Europæi populi turbantur:

Cæterùm captæ *Conſtantinopolis* fama, longè latéque *per Europam* diffuſa, cunctis Chriſtiani nominis populis magnā incuſſit formidinem, ac imprimìs periculo vicinioribus *Hungaris*, *Dalmatis*, *Ruſſis*, *Polonis*; tum etiam *Italis*, *Germanis*, *Bohemis*, ſeriò reputantibus, an non idem ſucceſſu temporis, & ipſis evenire poſſit, ut ſubactis totaliter *Græcis*, & ſenſim alijs, ipſi demum pari fortunâ domi ſuæ, cum hoſte immaniſſimo dimicare cogantur, prædáque ejus fiant; niſi maturè, & conjunctis viribus ei obviam eatur, modúsque imponatur, ne ultra ſerpat. Eam ob rem frequentes per Regna & provincias, agebantur populorum Conventus: *Germaniæ Principum Ratisbonæ*, menſe Martio, ubi præter alios complures Principes, aderat etiam *Philippus Dux Burgundiæ*, bellatorum eâ tempeſtate præſtantiſſimus, & religione pius; *Nicolaus Cardinalis Cuſanus Epiſcopus Brixienſis*, *Joannes Epiſcopus Papienſis à Nicolao Pontifice miſſus:* Cæſarei legati, *Æneas Epiſcopus Senenſis*, & *Ulricus Epiſcopus Gurcenſis.* Æneâ nomine Cæſaris perorante, ac oſtendente, quanto in

Conventus agunt:

Germani Ratisbonæ,

in periculo Reſpublica Chriſtiana verſetur, nemo fuit, qui non expeditionem in Turcas quantocyùs ducendam cenſeret. Quæ ut tanto validior inſtitui poſſet, Comitia iterum alia *Francofurtum* pro III. Cal. Octobr. indicta ſunt; eóque invitati etiam *Bohemi*, *Poloni*, *Itali*, *Hiſpani*, *Galli*, *Angli*, *Dani*, *Sveci* aliíque, ut in commune, *de bello Sacro*, déque vindicanda Republ. Chriſtiana conſultarent. Copioſè de his *Æneas*, in epiſtola ad *Leonardum* popularem ſuum data, *Neoſtadij in Auſtria*, die V. Julij ejusdem anni, dignâ ſanè lectu; quâ totius penè Chriſtiani Orbis, ùt tunc erat, ſtatum repræſentat. Inter alia habet de diſcordijs Principum, & domeſticis hinc inde turbis: *Svitzenſes*, i, Helveti *cum ducibus Auſtriæ vetus odium tenent. Comes Palatinus, Moguntino Archi-Ep. infeſtus eſt. Ducatûs Lutzelburgenſis inter Regem Boh. & Ducem Burg. litigioſus pendet; quamvis ſunt ad Calendas usque Nov. in eam rem induciæ. Duces Saxoniæ de ſexaginta caſtellis cum Bohemis litem habent. VVratislavienſes requiſiti per Bohemiæ Regem, homagium facere recusârunt, niſi ad ſe Rex proficiſcatur. Pruteni qui religioni S. Mariæ Teutonicorum ſubjecti fuerunt, excuſſo priori jugo ad Regem Poloniæ defecerunt: iisque nunc regionem ingreſſus, cum conjuge Sacramenta fidelitatis accipiunt. Lignicenſes, quos Ladislaus Rex gubernatori Bohemiæ dederat, ſubire jugum recuſant. Nec Budvicenſes parere Domino de Roſis voluntarij ſunt; quamvis dono Regis ad eum pertineant. In Auſtria nihil quieti eſt: Baronem Eintzinger dominantem ſpernunt, civitates amant, ſeditiones frequentes aguntur: VVanko Bohemus cum duobus millibus latronum, regionem longè latéque vexat: Viennæ crebra fiunt incendia. In Hungaria Prælati & Barones infenſi ſunt Joanni VVaivodæ. Giskra Bohemus inveſtitus à Rege de territorio Scepuſienſi in Hungaria, ad poſſeſſionem venire por Joannem impeditur.* Et ex his aliísque concludit, ſe parum vel nihil boni ſperare poſſe, tum ex hoc Ratisbonenſi, tum ex futuro Francofurtenſi Conventu: verba ſolùm, & promiſſa magnifica dari, effectum non eſſe, nec fore ullum. Et vatem hac in parte egiſſe eum, tempus poſtea oſtendit; quandoquidem poſt tot conſultationes iteratò ſuſceptas, nihil penitùs operæ pretij ſequutum fuit.

atque iterum Francofurti ad Mœnum.

Epiſtol. 117. Spondan. in Annal. Eccl. ad ad an. 1454.

Domeſticæ Principum & Civitatum turbæ.

cauſa, propter quam nihil factum,

quod erat in Comitijs conclusum.

Meliori cum fructu conſultabant eadem de cauſa *Bohemi & Moravi:* qui Comitijs, initio menſis Julij Pragæ habitis, in præſentia Regis, unanimi conſenſu decreverunt mittenda quamprimùm Hungaris, pro tutela limitum auxilia, *ſex millia peditum, & mille ducentos equites cataphractos.* Quorum acceſſione *Corvinus*, in ſpem rei gerendæ erectus, contra Turcas, anno ſequ. Serviam infeſtantes duxit, & de ijs memorabilem victoriam reportavit. Altum eſt apud Scriptores Hungaricos de hac victoria, quod miror, ſilentium: Æneas tamen in epiſtola ad Capiſtranum Viennæ tum commorantem clarè ejus mentionem facit, dum ſcribit: *Joannes Comes Biſtricenſis, qui nunc gubernat Hungariam, unicus Turcarum metus, ac fortiſſimus noſtræ religionis gladius, XXXII. millia Turcorum, ſuperioribus diebus apud Smederovum*, i, Samandriam, *conflixit. Fritzbegum ducem exercitûs vinctum abduxit, cædem magnam fecit, agros hoſtium usque ad ipſam Sophiam, ferro & igne vaſtavit.*

Efficatior Bohemorum Conventus:

auxilia Hungaris miſſa;

quorum acceſſione.

Digitized by Google

Epiſt. 405. MS. Anon. Prag. an. 1455.

Corvinus inſignem de Turcis reportavit victoriam.

vit. Machometus autem Turcarum Imp. hoc accepto vulnere, magnum conflavit exercitum, jámque intra Bulgariam in campo ſedet, ut proximo vere Regnum Hungariæ populetur. Hæc noviſſimè ſcripſit Joannes iſte, Cæſareæ Majeſtati. Novoſtàdij, V. Cal. Nov. an. 1455. Meminit eorum aliquid etiam Anonymus Prag. dum narrat *Zdenkonem à Sternberg* Viennâ à Rege, pridiè S. Martini anni 1455. rediiſſe, attuliſséque nuncia læta de Turcis, ab *Hollodiano* (ità *Corvinum* nominat à vico *Hollos*, in quo is natus eſt; *hollos* nàmque *corvum* denotat) & Hungaris, eorúmque ſocijs Bohemis atque Moravis, gravi prælio ſuperatis: ità ut triginta millia hoſtium, & ampliùs cæſa numerarentur. Ex Bohemis verò periiſſe præcipuos *Paulum Udrczsky*, & *Chvvalum de Proſtiborz.* In ijsdem Comitijs Pragæ celebratis adfuêre: *Joannes Epiſcopus Papienſis*, de quo ſuprà, *Papæ legatus*, *Fridericus Archi-Ep. Magdeburg. Caſpar Ep. Miſnenſis*, *VVilbelmus Dux Saxoniæ*, *Fridericus Landgravius Haſſiæ*, *Fridericus Marchio Brandeb.* & plures alij. Ex Moravia; *Henricus de Lippa*, *Chriſtophorus de Lichtenſtein*, *VVaniek de Bozkovicz*, *Joannes de VValdſtein*, & ſex alij. Nominati quoque tunc legati, qui Francofurtum proficiſcantur; *Jodocus de Roſis*, Henrici, Joanníſque germanus frater, *Præpoſitus Metropol. Prag.* ſimul & *Grandis Prior Strakonic.* Equitum Rhodiorum, brevì poſtea *Epiſcopus VVratiſlav. Zdenko de Rozmital*, *Chriſtophorus de Liechtenſtein*, & *Joannes Malovecz de Paczovv.*

Legati Bohemorum ad Comitia Francofurtenſia.

VVratiſlavienſes & Sileſij, novo Regi jurare nolunt, niſi præſenti.

Cùm verò per totum ferè annum, quo Ladislaus Pragæ morabatur, fruſtra cum Sileſijs actum eſſet, de præſtanda Regi fide, nolentibus jurare, niſi Regi præſenti, & intra regionis ſuæ limites, juxta antiquum morem, & privilegia à *Joanne*, *Carolo IV. VVenceslao*, & *Sigismundo* Bohemiæ Regibus conceſſa; tandem profectio in Sileſiam indicta eſt. Die 25. Nov. *Ladislaus*, Georgio gubernatore unà aſſumpto, & interim Regni curâ, *Zbynkoni de Hazmburg*, *Henricóque de Straz*, commiſsâ, Pragâ diſceſſit. Invenio in uno MS. codice Bibliothecæ noſtræ Capitularis, in folio quodam à parte notatum: eum ex itinere divertiſſe *Boleslaviam veterem*, ad *Divam Thaumaturgam*, cujus patrocinio ſe ſuáque Regna ardentiſſimis votis commendare ſolebat; tum ut *locum D. VVenceslai cenotaphio nobilem*, in hoc ſuo è Regno diſceſſu, veneraretur: indéque per Luſatiam ſuper. (*Zborzelecij*, ſeu *Gerlicij*, ùt nunc vocant, ſtatione factâ, & ibi Luſatijs in fidem acceptis) Sileſiam petiiſſe. VVratiſlaviam die 6. Dec. *in feſto S. Nicolai* venit, â Clero, Senatu & univerſis Ordinibus quàm honorificentiſſimè ſuſceptus. Aderant illi præter Sileſiæ Principes omnes, multóſque ex utróque Regno, *Moravia*, Auſtriâque proceres, *Wilbelmus & Otto Bavariæ Principes*, *Albertus & Fridericus Brandeburgi Marchiones.* Die 11. Dec. in area publica fori juratum eſt in verba Ladislai, in præſentia legatorum Regis Poloniæ, quorum princeps fuit *Joannes Archi-Ep. Gnezdnenſis.* Eo deinde in Natali Domini, Miſſam ſolennem in Eccleſia Cathedrali celebrante, præſente Rege & Proceribus, accidit illud memorabile colloquium, inter *Georgium Podiebradium*, & hiſtrionem quen-

Ladislaus in Luſatiam, ac inde

MS. Anon. an. 1454.

VVratiſlaviam venit:

Ordines Sileſiæ in fidem recipit.

Curæus in Annal. Sileſ.

quendam nobilem, ex ijs qui ſtultitiam ſimulantes alios ſtultos faciant, Regi oppidò gratum, nomine *Kilianum*; quod refert Æneas.

in Hiſt Bohem. cap. 62.

Interea atrocibus odijs fervebat in Pruſſia bellum, Polonos inter, & Crucigeros Tevtonici Ord. cui etiam non pauci *Bohemi & Moravi* dabant ſua nomina, pro parte Polonorum, viri ſtrenui ac fortes. Eorum præcipui â Cromero nominantur: *Joannes Kolda de Nachod*, & *Ulricus Czervenka de Ledecz*, tantæ exiſtimationis apud Cazimirum Regem, ut ijs præfecturas ampliſſimas, illi totius inferioris Pruſſiæ, huic Marieburgi arcis & urbis præſtantiſſimæ, committere non dubitaret. *Joannes* item *junior Czabeliczky*, vulgò *Czabelka*, Cromero, *Scubelka*, Fridlandiæ præfectus: *qui*, ùt narrat Cromerus, *ubi adventare hoſtes*, nempe Crucigeros ad oppugnandam civitatem, *accepit, ſimulatâ negligentiâ, ad ipſa usque mœnia oppidi pertingere eos paſſus eſt: deinde ſubitò bombardis, quas opportuno loco collocârat, in confertos diſploſis, magnâ clade, majore verò perturbatione eos affecit: confeſtimque in trepidantes cum ſuis erumpens, longè eos propulit, & quingentos ex eis cecidit, centum & ultra vivos cepit.* Ex Moravis *Georgius Stoß de Kaunicz*, qui poſtea anno ſequ. ob non ſoluta ſibi ſtipendia, hoſtilem irruptionem in Poloniam fecit, ac imprimis agrum *Ilkuſſenſem*, *Slaukovienſem*, *Volunensémque* vaſtavit: ubi Ilkuſsâ direptâ, Slaukoviâ incensâ, *Kempnum arcem naturâ loci munitam, agreſtium* (ità Cromerus) *cenſum Domino afferentium habitu ingreſſi*, ſocij Georgij, *illicò ceperunt, & Virsbentam loci Dominum in Moraviam abduxerunt.* Quæ tamen arx non multo poſt obſeſſa diu, â Volunenſi nobilitate, & militibus Archi-Epiſcopi *Gnezdn.* Epiſcopiq; Poſnanienſis, & ad deditionẽ coacta, præſidiarijs liberè cum ſuis rebus excedentibus, recuperata eſt. Addit Cromerus: *cauſa latrocinandi eis, fuerunt emerita pridem in Pruſſia ſub Rege ſtipendia; quæ cùm non numerarentur ob inopiam ærarij, illi ex profeſſo, quovis modo ea ſe â Polonis repetituros eſſe denunciârant.*

Cochl. lib. 11.
Bohemi in Pruſſia militant pro Polonis:
Cromer. lib. 23. Herburt. Hiſt. Polon. lib. 16. cap. 8. 9. MS. VVenceslai à VVrzeſobicz.
ex Moravis, Baro Stoſs de Kaunicz.
Cromer. cit.

Ladislao in Bohemia adhuc agente, denuò tentata eſt cum Imperatore concordia: & adnitentibus ſyncerè cùm Auſtriæ, tum Moraviæ proceribus, quibus pax, quàm diſcordia potior viſa, propè erat, ut controverſijs omnibus diu deſideratus finis imponeretur; niſi inſolentiores quidam Auſtriaci, pacta conventa, priusquàm â Ladislao approbarentur, interturbâſſent: *qui*, ùt ſcribit Cuſpinianus, *eò dementiæ venerant, ut non erubeſcerent, abſente Cæſare, Imperatricem puerperam in Nova Civitate, flammâ, incendijs, atque expugnatione terrere.* Comes Cilienſis quoque ſub id tempus res novas moliebatur, quæ dum non ſuccederent, *Venetis* in Franciſcum Sfortiam bellum parantibus operam obtulerat ſuam: venturum ſe ijs in auxilium *cum inſtructiſſimo Bohemorum & Moravorum exercitu* pollicitus, ſi modò de ſtipendio condigno ſibi caveretur. Æneam audiamus: *Senſit hæc Ciliæ Comes*, fortunam nempe Venetorum inclinari, *atque hinc ſuæ miſeriæ finem ſperare cœpit: miſſisque ad Venetos legatis, venturum ſe cum ingentibus Bohemorum copijs, auxilio pollicitus eſt; & finem bello impoſiturum, ſi ſtipendia darentur. Neque id erat difficile: nam Bohemi novarum rerum cupidi, & in armis educati,* nullo

Auſtriacorum procerum inſolentia deteſtanda.
Cuſpin. in Frid. III.
Æn. in Europa cap 22.
Bohemorum gloria,
Æn in Hiſt. Boh. cap. 61.
à militia.

nullo imperio domi teneri queunt, ſi quis militantibus mercedem offerat. Adbibuerunt aures Veneti: ſed cùm longinqua militia multùm auri expoſceret, oblatam potiùs cum hoſte pacem accipere, quàm dubium emere bellum voluerunt.

Ladislaus VVratislaviâ in Auſtriam redit,

Cùm igitur & hìc Comitem ſpes fefelliſſet, *Ladislai* gratiam quocúnque tandem modo recuperare ſtatuit, ſvadentibus hoc ipſum *Viennenſibus*, eique ſtudium ſuum omne promittentibus; qui reſtitui ipſum in priſtinum locum maximè deſiderabant, ut haberent, quem proceribus opponerent, quorum acerbum ac impotentem dominatum ferre ampliùs non poterant. Et hæc cauſa fuit, propter quam *Ladislaus*, ex Sileſia non in Bohemiam, uti aliàs *Podiebradius* volebat, ſed rectâ in Auſtriam, & quamprimùm, redeundum duxit: ut videlicet gliſcentes turbas, priusquàm in ſeditionem, aut aliquod atrox civile bellum erumperent, præſentiâ ſua componeret.

ducto per Moraviam itinere.

Die ergò ultimâ Januarij, an. 1455. Wratislaviâ diſcedens, *per Svidnicium, Glacium, & Moraviam, Viennam redijt:* ubi brevì etiam *Comes Ciliæ*, per amicos Regi reconciliatus, & ad priſtinos honores revocatus comparuit. Huic venienti cum mille equitibus argento & auro fulgentibus, Rex extra urbis mœnia, ad mille fermè paſſus exijt, omníſque Nobilitas redeunti gratulata eſt: major in recipiendo illo honor, quàm in ejiciendo ignominia apparuit.

Comes Ciliæ ad Aulam recipitur.

In Europa cap. 22.

In Hiſt. Boh. cap. 63.

Plebs quæ paulò ante, lutum ac lapides in fugientem jactare tentavit, inquit Æneas, *ſternere viam floribus, quâ redeunti tranſitus fuit, minimè dubitavit, ùt eſt in utramque partem immodica, ſive amaverit, ſive oderit. Mira rerum mutatio, & ludentis fortuna jocus!* Tametſi Comiti longè ſalutarius fuiſſet, ſi Aulam non ampliùs repetijſſet.

Hungari Ladislaum ad ſe venire petunt:

Vix *Ladislaus* Viennam rediens commodè ex itinere quieverat, jam adfuêre Hungari, petentes, ut in Regnum veniat. Et is voto eorum omnino, ſtatim poſt Paſchæ ſolemnia, ſatisfaciendum exiſtimavit: quod quidem & Comes, benignè ad ſpeciem cum Hungaris agens promittebat, licèt clam Regi diverſum ſvaderet.

quod Cilienſis impedit,

Priùs enim, uti erat homo ſanguinarius & crudelis, *Corvinum* de Rep. Chriſtiana optimè meritum, ê medio tollendum niſu valido cupiebat; id ſæpiùs in Conſilio, præſente Rege, aſſeverare auſus, ſalvum Regem diu eſſe non poſſe, *Corvino ſalvo*; ut qui diutinâ dominandi aſſvetudine inſoleſcens, non facilè quieturus ſit, donec & ſceptra Regi ê manu eripiat, ultimò ſi aliter voti ſui compos eſſe nequeat, Turcarum viribus & auxilio in hoc uſurus.

& Corvinum priùs ê medio tollere fatagit:

Hinc tot machinationes, doli & inſidiæ â Comite, *Corvino* ſtructæ leguntur apud Æneam, & alios: quas tamen ille ſingulari Divini Numinis ope evaſit omnes. Ad extremum Rex ipſe perſpectâ viri innocentiâ, & Comitis malignitate, mitiùs cum eo agendum ſtatuit; quem etiam in præfectura Regni confirmavit.

quod tamen efficere nequit.

Iter tamen in Hungariam differebat de die in diem, toto illo anno, (varia cauſatus) usque in ſequentem, quo primùm circa Cal. Februas illud ſuſcepit.

Ladislaus Budam venit:

Budam veniens *Corvinum* arctè & amanter complexus, benè de ſe ſperare juſſit: alij ſimiliter, qui cum Rege erant, virum tot rebus præclarè geſtis celebrem venerati, omni officiorum genere excoluerunt: ſolus Cilienſis irâ

atque

atque odio flagrans ingenti, transverſis eum oculis aſpiciebat. Ingruente demum à Turcis metu, *Corvinus* in inferiorem Hungariam, ad defenſionem finium diſceſſit. Nam *Mahometes*, poſt devictam *Conſtantinopolim*, ſuperbiâ elatus, & nihil jam, quod viribus ſuis poſſit reſiſtere, uſpiam eſſe putans, ad Hungariam invadendam, & ſub jugum pariter redigendam animum adjecit: quem in finem, anno præcedenti, & per hyemem totam, magnum inſtruebat belli apparatum, ut ſtatim ad proxima veris initia, expeditionem adversùs Hungaros ſuſciperet, & primò omnium *Belgrado* in poteſtatem redacto, *Budâ* deinde, & cæteris urbibus, Regnóque toto, uno eodémque impetu potiretur. Jámque menſe Majo, *Adrianopoli* egreſſus cum centum quinquaginta hominum millibus, ſuperato Hæmo, per Servios, (*Samandriâ*, quam Deſpotes nuper receperat, intactâ relictâ,) *Belgrado* appropinquabat. Cujus adventu *Ladislaus* maturè cognito, & non ſatis tutam Budæ ſtationem ſuam videns, Cilienſis ſvaſu, ſimulatâ venatione urbe egreſſus, citatis itineribus in Auſtriam ſeſe recepit.

ubi per trimeſtre moratus;

audito denuo Turcarum in Hungariam adventu,

Viennam redit.

Per ea tempora *Calixtus III.* qui *Nicolao V.* ſucceſſerat, miſit in Germaniam, Cardinalem S. Angeli *Joannem Carvajal*, ut Septentrionis vires in Turcas concitaret. Hic uti erat vir induſtrius, eloquens, & inſigni zelo ac pietate præſtans, promiſſâ peccatorum indulgentiâ omnibus, qui contra Turcas arma ſumpſiſſent; & Capiſtrano per *Moraviam, Auſtriam & Hungariam* pijs exhortationibus adjuvante, ſpatio temporis brevi, tantam multitudinem Voluntariorum militum *ex Bohemis, Moravis, Polonis, Auſtriacis & Hungaris* collegit, ut facilè ad XL. millia numerarentur: licèt plerique inopes, partimque tecti armis: *gladijs & haſtis tantùm hiſpidi*, ùt ait Æneas, *verùm ferocitate animi, & cœleſti auxilio tuti.* Quos Cardinalis, *Capiſtrano* Belgradum ducendos tradidit; ipſemet verò *Budæ*, ad colligenda majora auxilia ſubſtitit. *Corvinus* quoque non parvas ex præſidijs collegit copias, eáſque cum *Capiſtrano & Voluntarijs*, ſeu *Cruceſignatis* (ità dictis, quòd ſigna Crucis geſtarent in vexillis, veſtibus & armis) *Belgradum* duxit. Jam urbs erat à Turcis undique circumdata, & aquâ terráque vehementiſſimè oppugnata: hinc Cruceſignatis primùm aquâ pugnandum fuit, ut in urbem penetrarent. Tantâ autem ſtrage utrinque certatum eſt, ut fluvius totus cruore infectus cerneretur; *Corvino* armis, *Capiſtrano* manu, voce, ad hortatione, & *erectâ Crucifixi effigie*, rem impigrè gerentibus; donec fugatis hoſtibus urbem ingreſſi ſunt, jam penè ad extremum redactam.

Turcæ Belgradum, ſeu Albam Græcam obſident:

ad cujus defenſionem *Corvinus & Capiſtranus* cum Cruceſignatis accurrunt:

& poſt acerrimum prælium in urbem penetrant:

Tum *Corvinus* priſtinæ virtutis, partæque bello gloriæ memor, arcem & urbem munire, loca omnia inſpicere, eam partem murorum, quæ tormentis diruta erat, continuatis diu noctúque laboribus inſtaurare, præſidia & bellicas machinas idoneis locis diſponere, nihil denique ad optimi ducis, & præfecti munus reliqui facere. *Capiſtranus* exhortari, orare, obſecrare, æternæ ſalutis præmia certantibus promittere. Pugnatum igitur magnâ contentione, & ſummâ vi utrinque; modò Chriſtiani, modò Turcæ pedem referre: ſed omnium acerrimè, die 22. Julij, *in feſto B. Magdalenæ*; atque iterum 6. Aug.

urbem, ubi opus erat, muniunt:

ſtrenuè defendunt:

Aug. Nam *Mabometes* ægerrimè ferens, quòd urbeculam tam exiguam, toties repetitis conatibus, tantáque cæde & ſanguine ſuorum, in poteſtatem redigere non poſſet, decernere tandem, & omnibus ſimul copijs, ac ſupremo totius exercitûs conatu, oppugnationem urgere ſtatuit; eo conſilio, ut ſuccedentibus ſemper in vulneratorum & fatigatorum integris, defenſores, qui virtute ſuperari non poterant, numero & laſſitudine vincerentur. Duobus muris cincta erat civitas; quorum anteriore vi tormentorum diruto, Turcæ magno impetu ſeſe infuderunt in eam pomerij partẽ, penetraturi brevi in forum ipſum, niſi *Cruceſignati* egregiâ virtute, ac præſentibus animis reſtitiſſent. Cruentiſſima fit interim pugna intra mœnia, quâ nunc hi, nunc illi fugientes fugantéſque, victi victoréſque diu extitêre: donec Turcæ *ope Divinâ* ſuperati, pulsíque foras ejicerentur, compluribus præcipui nominis & dignitatis cæſis, alijs verò ponè ſequentibus, magnâ confuſione ordinum perturbatis. Quo felici rei ſucceſſu *Chriſtiani* magìs animati, fugientes extra mœnia usque inſequuti ſunt, fortunâ quidem & eventu meliore, quàm conſilio; dum ſeſe in numeroſiſſimos hoſtes, licèt nonnihil turbatos, ſed tamen adhuc validos, dubio regreſſu conjeciſſent. Ibi igitur patenti in campo, denuò atrox cum hoſte conſeruêre prælium; in quo *Mabometes*, accepto in pectore ſub papilla vulnere, caſtris incendio corruptis, & machinis bellicis relictis, fugam dare coactus eſt.

Turcas repellunt.

Atrox prælium.

Chriſtianorum victoria.

Turcarum fuga.

Occiſa fuiſſe dicuntur *quadraginta hoſtium millia*, & ex ductoribus promptiſſimi quique, unà cum *Caratze Baſſa*, equitum Europæorum præfecto, viro apud Turcas magno, & Mahometi ſummè charo. Narrat *S. Antoninus Archi-Ep. Florentinus: divinitùs factum eſſe, ut Turcæ, præ nimia conſternatione, in fuga ſeſe mutuò ingenti numero caciderint.* Et *Bonfinius:* Turcas ipſos faſſos eſſe, plures ex ſuis divinâ manu, quàm humanâ cecidiſſe; ex eo, quòd multorum cadavera ſine vulnere reperta eſſent. *Thurocius* verò: cùm vulneratus *Mabometes*, â ſuis longè â caſtris ſemi mortuus, nihílque ſentiens deductus fuiſſet; ubi ad ſe redijt, de belli exitu percontatum, cùm audiſſet ſuorum fugam & ſtragem, procerum necem, tormentorum omnium amiſſionem, tanta cum indignatione infremuiſſe, ut de morte ſibi conſciſcenda cogitârit. *Æneas:* Mahometem ab eo tempore nunquam poſtea ejus cladis meminiſſe, quin mentum barbámque manu demulcens, quaſsánſque caput, ei diei maledixiſſet, quâ pugnam *ad Belgradum* conſeruit. Sed illud imprimìs memorabile, quod de milite Bohemo referunt MS. Authores, qui tunc vivebant, & ex ijs Daubravius Epiſcopus Olom. *Inter autem duces*, ait ille, *reddendus eſt militi quoque Bohemo debitus gloriæ titulus: qui cùm vidiſſet Turcam, cum ſigno vexilloque Turcico murum jam conſcendiſſe, eóque metu pleróſque militum perculſos, fugam in arcem parâſſe, complexus luctâ Turcam, rogat Capiſtranum inferiùs ſtantem: ſi, inquit, ſponte meâ, cum cane iſto me de muro præcipitavero, illi commoriturus, quid de anima mea cenſes futurum? Illo reſpondente, ſalvam ſine dubio fore: ejecit ſe protinus, & Turcam; mor-*

Cæſorum hoſtium numerus.

Victoria divinitùs obtenta.

S. Anton. l. 22. cap. 14.

Bonfin. decad. 3. l. 8.

Thuroc. in Ladislao. Chal. cond. lib. 8.

Mahometis deſperatio.

MS. Perſt. & Anon. Prag.

MS. VVrzeſoſec.

Daubraſ. l. 29.

Hieron Zeigler de Viris Illuſtr. Germ. cap. 98.

Militis Bohemi in oppugnatione Belgradi facinus memorabile.

Faber in Dom. VI. poſt Paſcha Conc. VIII. lit. D.

Paproc. in Hiſt. Bob. lib. 1. part. 2. pag. 14.

témque

teque hoſtis & ſuâ, vitam ſocijs incolumem reliquit. Magnum facinus, & priſcis, quæ apud veteres *Græcos* atque *Romanos* celebrantur, meritò comparandum. Nomen herois inclyti haud proditum; unde tota ipſius gloria in patriæ Nationíſque decus ceſſit. *Bonfinius* Hungarum fuiſſe nominat: ſed minùs rectè, & contra aliorum omnium Scriptorum teſtimonia.

Corvinus piè in Domino obit:

Nec multo poſt *Corvinus* morbo ex fætore cadaverum Turcicorum contracto, & calidâ febri accedente, piiſſimè obijt, trigeſimo ab hac victoria die, nempe 10. Sept. adſtante, eúmque Sacramentis omnibus muniente *Capiſtrano*. Nec paſſus ad ſe deferri SS. Euchariſtiam, ſed ipſemet in templum ſe deferri curavit: ubi ritè confeſſus, & *Sacroſancto Viatico* refectus, inter Sacerdotum manus expiravit. Ejus obitum univerſa ſanè deploravit Europa: & *Caliſtus Papa*, non paucis fuſis lacrymis, ſolemnia juſta, *in Baſilica S. Petri*, Chriſtianæ fidei ac Reip. fortiſſimo defenſori perſolvit. Defuncto *Corvino*, *Capiſtranus nunquam ampliùs ridere viſus eſt*, ac brevì etiam in languorem incidens, graviſſimè ægrotare cœpit: quem in ea infirmitate *Ladiſlaus Rex*, qui ſub id tempus in Hungariam venerat, viſitavit, jubens ei miniſtrari medicamenta, etiamſi totius Regni aurum exponi deberet. Magnates manus ejus deoſculabantur perfuſi lacrymis, lamentantes, ſe Sancto Patre privari. Ante mortem benedixit Hungariæ, & toti Chriſtianitati, ſanctéque deceſſit die 23. Octobr. in oppido *Villak* provinciæ *Sirmienſis*, atque ibi in *æde S. Franciſci* ſepultus eſt: cujus annuam celebritatem, cùm *Willaki*, tum in territorio *Capiſtrani Aprutij* oppidi, propè *Aquilam Marſorum* urbem in Italia, unde nobile genus ac cognomen ducebat, ſervandam *Leo X. Pontifex* decrevit: licèt nondum publicæ canonizationis honor ei exhibitus fuerit. *Caliſtus* verò, in memoriam hujus *ad Belgradum* victoriæ, *feſtum Transfigurationis*, antea ſolùm apud Græcos celebre, per univerſum Orbem, ſub officio duplici, die VI. Auguſti, celebrari præcepit.

Thuroc. in Ladislao. Bonfin. decad. 3. l. cit. Æn. in Hiſt. Boh. cap 65 In Europa cap. 8.

quem non multo poſt *Capiſtranus* ſequitur, vir omnium opinione *Beatus*, & miraculis ante & poſt mortem celebris.

Feſtum Transfigurat. Domini inſtitutum.

Publica lætitia ex victoria Belgradenſi.

Fama liberatæ ab obſidione *Albæ*, ſeu *Belgradi*, cæſique & fugati Turcarum exercitûs, omnes vicinos populos, præſertim *Hungaros*, *Moravos & Auſtriacos* mirificè exhilaravit. Rex ipſe *Ladiſlaus*, quamprimùm læta hæc nuncia accepit, Viennæ tum agens, illicò de ijsdem ſuos quoque *Bohemos & Moravos*, per ſpeciales literas, reddidit certiores, ad communem exinde lætitiam eos hortando. Ad *Moravos* datæ ſic habent: *Ladiſlaus Dei Gratiâ Hungariæ & Bohemiæ Rex. &c. Fideles dilecti. Humiliavit clementiſſimus Deus ſuperbiam infeſtiſſimi hoſtis noſtri Turcorum Imperatoris, & erectam ejus cervicem dejecit. Operâ enim ac virtute magnifici Joannis de Hunniad, fidelis noſtri dilecti, exercitus ejus multitudine & potentiâ, inſtrumentiſque bellicis munitiſſimus apud Nandoralbam, quam obſidebat, cum multa ſtrage, prælio terrâ ac fluvio ſuperatus eſt: & ipſe Turcorum princeps cum his, qui ſibi ſuperfuerunt, rebus ſuis in pugna amiſſis, in fugam ſe fœdè convertit; ùt literæ ipſius Joannis, his incluſæ demonſtrant. Quia verò noſtris proſperitatibus vos plurimùm lætari, pro veſtra erga Majeſtatem noſtram firma fide, & magna dilectio-*

Ladiſlai litteræ ad Moravos,

quibus victoriam de Turcis obtentam ijs ſignificat. *MS Anon. MS. Pernſt.*

lectione, non ambigimus: ideo voluimus hanc noſtram Victoriam, & commu-nem noſtræ Religionis lætitiam, vobis, noſtris literis nunciare, & vobiſcum, quos inter alios ſubditos noſtros, præcipuo amore diligimus, gratulari. Vos cum aliis, qui felices ſucceſſus noſtros amant, lætamini, & in jucunditate eſto-te, ac Omnipotenti Deo gratias magnas habete, qui ſuâ benignitate, exiguis viribus validum & trucem hoſtem nobis expugnare conceſſit.

Ladiſlaus in Hungariam profectus, Belgradum venit.

Brevì poſtmodùm Rex in Hungariam profectus, & locum victoriâ ce-lebrem, ſpoliâque & manubias Turcarum videre cupiens, Albam usque de-ſcendit. Tenebat tunc *Albam*, & inferioris Hungariæ partes, *Ladislaus Cor-vini filius*, eâdem quâ pater poteſtate: qui fidâ amicorum relatione admoni-tus, ut ſibi â *Cilienſi* caveret: Regem cum aulico comitatu in urbem intromi-ſit, ſed exercitum quatuor millium militum, quem *Cilienſis* adduxerat, & cui duo Bohemi, *Joannes Giskra de Brandeys*, & *Joannes Obiteczky* cum Lamber-gio Auſtriaco præerant, excluſit: ne verò id Rex ægrè ferret, eum ſupplex acceſ-ſit, claves arcis & urbis obtulit, ſéque & omnia in ipſius poteſtate fore dixit, cũ addito: *Cilienſis odio & inſidiis vitam ſuam peti, quod metuens, armatos ex-cludere neceſſe habuerit*, orare proinde Regem, ne ſe deſerat. Rex clavibus redditis, bono illum animo eſſe juſſit. Eâ interim occaſione uſus Comes, La-dislaum apud Regem acerbè criminari non ceſſabat, haud ſecus ac inſidiato-rem vitæ regiæ. Dum hoc modo gliſcunt odia, adferuntur literæ Cilienſis, ad Deſpotam ſocerum ſcriptæ, & ab equitibus Ladislai ex itinere, neſcio quo caſu, interceptæ: quibus ſignificabat, *ſe propediem ei miſſurum duos globulos, quibus ludendo oblectari poſſit*; duo Corvinorum capita hoc ænigmate in-nuens. Tum Ladislaus magis exacerbatus, déque vita ſua ac fratris ſollicitus, amicos ad ſe vocat, ipſíſque ſuam & fratris ſalutem commendat; quóve mo-do inſidiatori peſſimo obviare poſſit, anxius exquirit. Quorum majori ex parte conſilium erat: *trucidandum eſſe inimicum, & in eo, quod meditaretur ipſe, præveniendum.*

Dubrav. l. 30. MS. Eliæ Pergeri.

Odia Cilienſem inter & Ladislaum Corvini filium,

in nervum tandem erumpunt: utrique pernicioſa.

Bonfin. cit. Roo in Hiſt. Auſtr. lib. 6.

Ladislaus Corvinus cum Hungaris in necem Comitis conſpirant:

Die ergo S. Martini, dum Rex ſacris intereſſet, *conſilium de morte Comi-tis*, ùt narrat Æneas, *in abdito conclavi Proceres ineunt. Vocatus eò Comes, an iret, aliquandiu hæſitavit: exin diploide vix penetrandâ ferro indutus, pro-ficiſcitur. Venientem Ladislaus proditorem compellat, qui patri ſæpè necem paraverit, infenſúmque ſibi Regem reddiderit; nunc diem veniſſe, quo ſcele-rum pœnas luat. Sunt, qui Comitem priùs arguiſſe Ladislaum dicant, tanquam Regi rebellem, qui ejus armatos intrare oppidum vetuiſſet.* Cæterùm *Comes*, dandum aut hauriendum eſſe ſanguinem videns, arrepto è manu armigeri gladio, *Ladislai caput* petiit, ita ut quibusdam interjicientibus manus, digitos eo ictu amputaverit; quem & ipſe *Ladislaus*, eductо gladio, ſemel atque ite-rum percuſſit, fruſtra licèt, utpote loricâ tectum: donec Hungari ſatellites ad clamorem exciti, Comitem ſtrenuè obluctantem, multis confoſſum vulne-ribus obtruncârunt. Rex tam atroci facinore vehementer quidem erat com-motus, dolorem tamen, iram, metúmque, ſupra quàm ferret ætas, com-

Æn. cit.

Comes occiditur.

Rex caſum diſſimulat:

preſſit;

Digitized by Google

preſſit; tantùm dixit; *non debebat hoc fieri.* Et cùm amici circumſtantes innuerent, ut caſum hunc æquo ferret animo, reſpondit: *omnino ferendum eſſe, quod mutari non poteſt.*

Albâ relictâ, *Temeſuariam* venit, ubi *Eliſabetham Corvini defuncti viduam*, cum *Matthia* filiorum altero obviam habuit, ac ſupplicem *pro Ladiſlao.* Quam conſolatus benè ſperare juſſit, filióque patratæ cædis crimen, verbo regio, & cum juramento remiſit: imò utrúmque filium, ob præclara merita patris, fratrum locò ſe habiturum pollicitus eſt. Quibus blandimentis allecti fratres, nihilque malè ſuſpicati, aulam Regis ſequuti ſunt. Cùm perventum eſſet *Budam*, Rex tametſi ab aulicis, quibus vetus cum Cilienſi neceſſitudo fuerat, aſſiduò incitaretur, ne mortem illuſtris Principis, & avunculi ſui ſineret inultam; corripiendum eſſe audacem juvenem, ne impunitatis licentiâ tandem etiam in ipſius Regis caput, tale quid audeat, qui Regi proximum obtruncare non ſit veritus: diu tamen hæc conſilia, uti erat naturâ manſvetiſſimus, & ingenio minimè crudeli, noluit admittere, obtendens fidem â ſe datam, quam violare nefas eſſet. Ultimò demum ab ijs perſvaſus, ac penè coactus, utrúmque juvenem, dum minimè putarent, comprehendi & in carcerem rapi mandavit, cum aliquot viris Illuſtribus; inter quos erat *Joannes Witiez Epiſcopus Waradinenſis*, cujus viri præclaras dotes, *Æneas* aliquot locis mirè deprædicat. Nec mora, urgentibus Corviniani nominis hoſtibus, tertiâ ſtatim captivitatis die, quæ erat XXIII. Martij, an. 1457. *Ladislaus quatuor & viginti annos natus*, verba ſunt Æneæ, *egregio corpore adoleſcens, flavis de more crinibus ſuper humeros paſſis, revinctis poſt tergum manibus, talari atque aureâ veſte indutus, & eâdem quam ſibi paulo ante Rex donaverat, in publicum producitur: erectâ cervice, oculis huc & illuc ſpectantibus, impavidus atque intrepidus ad ſupplicium pergit. Ubi ad locum ventum eſt, quo cervix amputanda erat, juſſus genua flectere, pauca priùs pro ſui excuſatione loquutus, paruit. Carnifex religatâ Ladiſlai comâ, ne collum impedirent, juſſus percutere reum, nutans labánsque, vix tandem quatuor ictibus candidam cervicem abſcidit. Atque ità nobilis adoleſcens occiſo Comiti parentavit: frater ejus in vinculis retentus eſt.* Addit verò de Rege in Auſtriam redeunte: neque enim diutiùs Budæ morari auſus eſt, propter Nobilitatem & plebem univerſam, (paucis exceptis proceribus, qui Corvinos ex æmulatione, odio habebant) ad ſeditionem usque tumultuantem. *Quùm per Strigonium iter faceret, vocatum ad ſe Joannem VVarad. Præſulem, bono animo eſſe juſſit, his verbis uſus: quùm eſſem Budæ, feci quod voluêre Barones, neque enim mei juris eram. Quod te capi, illorum fuit; quod te ſupplicio culpáque libero, meum eſt: ſpectata mihi tua virtus, nihil de te ſiniſtrum credere ſinit; abi, & quem geſſiſti hactenus Epiſcopatum, gere.*

Ladiſlao veniam cædis promittit:

ſed incitatus ab aulicis, non ſervat promiſſum:

Ladiſlaum duci in carcerem jubet,

Æn. in Hiſt. Boh. cap. 68. Epiſt. 271. 365. 365. 370. VVeleſl. ad d. 10. & 13. Martij.

& capite damnat.

Ladiſlai miſerandum ſupplicium:

ad quod decernendum, ſicuti & ad alia, ſe coactum fuiſſe, Rex fatetur.

Dum hæc in Hungaria fiunt, per *Moraviam* interim *Bohemiamque* pax & tranquillitas rerum talis fuit, qualem non meminerunt ſenes: nihil uſpiam hoſtile, quieta omnia, viæ quaquaverſùm ſecuræ, pacatus tam agrorum cultus,

Interea per Bohem. & Moraviam ſumma tranquillitas,

cultus, quàm commerciorum curſus. Id quod meritò prudentiæ & dexteritati Regentium attribuebatur: in *Moravia*, ſupremo Provinciæ Capitaneo, *Joanni Cymburgio*, viro religione quidem Huſſitæ, ſed in regendis populis induſtriæ ac peritiæ ſingularis: in *Bohemia*, Regni Gubernatori, *Georgio Podiebradio*, in civilibus juxta ac militaribus rebus, magni uſûs & conſilij viro,

procurata Rectorum prudentiâ,

provido & undequáque circumſpecto. Eſt apud me *Breve*, ùt vocant, *Apoſtolicum*, â Caliſto III. Papa datum ad Georgium: quo ei de procurata feliciter, poſt tot bellorum turbines, pace in Regno publica, amanter gratulatur,

Summi Pontificis ad Georg. Podiebradium literæ:

ità ſcribens: *Caliſtus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilecto filio, Nobili viro Georgio de Kunſtat, Gubernatori Regni Bohemiæ. Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Ad præcipuam tuæ virtutis laudem adſcribitur, quòd ex ſumma bellorum inquietudine, inclytum iſtud Regnum Bohemiæ, ad ſummam quietem traduxeris. Quod etſi donum Dei cenſendum ſit, qui Auctor eſt cunctorum operum bonorum: tamen quia te miniſtro eſt factum, meritò tibi congratulandum putamus.*

quibus ei de pace publica gratulatur,

Hortatur deinde, ut pacem quoque Religionis procuret, & Bohemos, gentem aliàs glorioſam & famoſiſſimam, ad unitatem Eccleſiæ reducere ſatagat. *Cùm itáque relatum nobis ſit, Conventum quendam Regnicolarum propediem in civitate Prag. congregari debere, in quo de hujusce*

& ut pacem quoque in Religione procurare velit,

rei deliberatione erit tractandum: Nos ſcientes, quantum tua Nobilitas apud omnium animos, conſilio & auctoritate ponderis habeat, nec de voluntate ambigentes; hortamur in Domino Generoſitatem tuam, téque per ſalutem Regni prædicti, cujus debitor Deo es maximus, rogamus: ut ſpiritum ſani conſilij ſumens, ſtudio tuo ſic efficias, ut Oratores prædicti tandem ad nos veniant, &

paternè hortatur.

alia decernantur, per quæ concors idemptitas conſequi valeat. Nos enim nil aliud quærimus, niſi ut grex Dominicus in fide recta ambulet, & ſalvetur, Regnúmque Bohemiæ S. Sedem Apoſtolicam integrè reſpiciat, nec extra Eccleſiam

Ex Archivo Pernſt.

cenſeatur. Quicúnque autem venient, paternè â nobis accipientur, & cum charitate nobiſcum erunt. Velit modò tua Nobilitas, quæ ipſi Bohemiæ pacem temporalem dedit, dare etiam ſpiritualem: ut tuâ potiſſimum operâ, tantum in fide bonum prædicetur ſequutum. &c. Dat. Romæ apud S. Petrum, an. Incarnat. Dom. 1456. Calend. Dec. Pontificatûs noſtri anno ſecundo. Ad Regem Ladiſlaum revertamur.

Ladiſlai ſponſalia cum Regis Galliæ filia:

Hic cùm jam accederet ad annum ætatis duodevigeſimum, ſvadentibus utriúsque Regni, & Provinciarum ijsdem annexarum Proceribus, ad ducendam conjugem primo quoque tempore animum adjecit; ut hoc modo ſuſceptis liberis, Regnis tam ſibi quàm poſteris ſtabiliendis proſpiceret. Delecta igitur eſt *Magdalena Caroli VII. Galliarum Regis filia*, virgo cùm

Pragam pro nuptijs celebrandis venit. *Cochl. in Hiſt. lib. 11. Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. c. 70. MS Anon. Prag.*

regij ſanguinis excellentiâ, tum elegantiâ formæ & moribus præſtans: conſtitutus quoque pro nuptijs celebrandis locus, *Praga*: poſtquam Hungari pro *Buda*, Auſtriaci pro *Vienna*, fruſtra egiſſent. Die 29. Septembr. qui Divo Michaëli Archangelo ſacer eſt, Pragam venit; móxque adornata legatio ſplendidiſſima pro abducenda Sponſa. *Die 10. Octobr. in feſto S. Gereo-*

nis

Digitized by Google

nis (verba ſunt Cochlæi) *DCC. equites Pragâ profecti ſunt versùs Franciam: inter quos ſanè multi fuère Barones & Proceres, tum utriùsque Regni, & nobilium Provinciarum Auſtriæ & Moraviæ: & cum ijs duo Epiſcopi, Ulricus Pataavienſis, & Joan. VVaradin.* (ego autem invenio * fuiſſe etiam *Stephanum Archi-Ep. Colocenſem*, unà cum Comite *Ladiſlao de Palocz*, Judice Curiæ Regis Hung.) *quadriga præterea aurata, & in ijs matronæ & Virgines nobiles cum ſplendido apparatu, quæ Sponſam ducerent: veſtes item pretioſæ, & dona tanto matrimonio digna ſimul miſſa: ducebantur etiam LXXX. equi candidiſſimi Sponſæ offerendi.* Primas partes legationis geſſit, poſt præfatos Epiſcopos, *Zdenko à Sternberg* Supr. Regni Boh. Burggr. Nobilitati Moravæ tum præfuiſſe lego, *Stephanum de Lichtmburg, & Geskonem ab Hórka.* Invitati ad nuptias *Cæſar cum Eleonora Auguſta, Rex Poloniæ, VVilbelmus Dux Saxoniæ affines Regis; Bavariæ item, Brandeburgici, Sileſiæ, Rhenique Duces, & Comites* quàm plurimi. Sed dum hæc magno ſtudio, nec minoribus impenſis parantur, *Ladislaus* die XXIII. in feſto S. Clementis, moritur, magno omnium luctu; ità ut cùm deinde corpus defuncti ex Aula Regia, quæ eſt in urbe Veteri, in qua obijt, ad Arcem ſolenni pompâ elatum ſepeliretur, *totum Templum Divi Viti* (ùt refert Daubravius) *lamentis & planctibus perſonaret.* Aliqui peſte, alij veneno ſublatum dicebant, & præ alijs omnibus *Podiebradium* diri hujus facinoris ſuſpectum habebant: quod tamen probari nunquam potuit. Et quia falſi hujus rumoris potiſſimùm Medici Viennenſes, qui Regi adſtiterant, authores fuère; *Senatus Viennenſis* (inquit Sylvius) *ubi vulgari eam famam animadvertit, medicorum ſermonem probibuit, ne Bohemorum adversùs ſe ferociam provocarent.* Quin & ipſe Georgius ſuſpectum habens hac in parte Baronem quendam Auſtriacum nomine Eitzingerum, *preſſit bello Auſtriam* (ità narrat Miechovius) *nec priùs deſtitit, donec certa fierent pacta, per quæ illi Ulricus Eitzinger, de venenatione Regis Ladislai inſimulatus traderetur.* Cæterùm melioris notæ Scriptores omnes, quales ſunt: *Cochlæus, Hagecius, Kuthenus, Theobaldus, Nicolaus Liſtius Regis defuncti Secretarius, Joan. Thuroczius, Procopius de Rabſtein* Cæſaris tunc Cancellarius, qui ſub id tempus Pragam venerat, & plures alij, peſte extinctum Regem aſſerunt.

His accedit Author *Anonymus*, coævus quoq; & teſtis oculatus, cujus narrationem de infirmitate & morte Regis, è Bohemico in Latinum translatam, dignam cenſeo, ut hìc commemorem. *Die Dominicâ* (inquit) *poſt feſtum S. Eliſabethæ, id eſt, 20. Novembr. manè Rex perrexit ad Arcem, ubi poſt peracta Divina Officia in templo S. VVenceslai, levavit de fonte, Zdenkonis à Sternberg tum abſentis filium recens natum, cui nomen Ladislai juſſit imponi. Veſperi dum reverteretur ad Aulam Regiam, cœpit laborare dolore capitis, ex quo noctem fere inſomnem duxit: die verò ſequenti eruperunt in ejus ſinu duo venenati carbunculi (peſtis enim tunc ſubitò exorta Pragæ graſſabatur potenter, & bonus Rex promiſcuè omnes admittebat ad ſe) nec tamen id revelare voluit ſuis Medicis, pudibundus adoleſcens, dolorem tantùm capitis, & ſubinde tormina ventriculi obtendebat. Medici omnem adhibuère operam, ut minuerent*

Legatio in Galliam, ejuſque ſplendor.

* MS. Codex lit. publ. f. 68. in Arch. Cap. M. Prag.

Invitati hoſpites ad nuptias.

Ladislaus ſubito morbo corripitur, & moritur.

Daubrav. l. 30. Gerard. de Roo in Hiſt. Auſtr. lib. 6.

Aliqui peſte, alij veneno eum perijſſe dicunt.

Sylv. in Hiſt. Boh. cap. 71. ſupra cit.

Curæus in Annal. Sileſ.

Miechov. lib. 4. Hiſt. Polon. c. 66. & 67.

Credibilius tamen, peſte extinctum eſſe.

Theobald. in Hiſt. Huſſit. part 2. cap. ultimo & part. 3 cap. 1.

Thurot. in Chron. Hung.

Nicol. Liſtius in Epiſtola ad Æneam Sylv. Cardinalem.

Procop. in epiſt. ad eund.

Hagec. Kuthen ad an. 1457.

MS. diverſa: imprimis Anonymi Prag. Lupac. & Veleslav. ad d. 23. Nov.

Narratio fidelis de infirmitate, & morte Regis.

peſtis tunc Pragæ ſubitò exorta graſſabatur: quâ correptus Rex Ladislaus, idque tardiùs revelavit.

rent dolorem, jam per ſudorem, jam per vomitum, jam per medicamenta lenitiva purgativáque, ultimò etiam per miſſionem venæ; ſed in vanum. Adhuc die 22. ſederat pro tribunali, componens litem Podiebradium inter & Joannem de Cymburgo (alijs de Czerna Hora) *Moravum, cauſâ præcellentiæ & Nobilitatis, quòd unus præ altero ſe Nobiliorem genere & ortu aſſereret, magnâ contentione agitatam; fuitque totus triſtis. Noctu deinde deteriùs habuit, & die ſequenti: donec tandem placidè obdormivit in Domino. Luctus ubique fuit, & ploratus ingens, qualis non erat ex morte Regis, ab obitu Caroli IV.* Ita ille. Deſcribit deinde pompam funeris; ſed quam recenſere longum eſſet.

ac tandem invaleſcente,

Rex moritur an. 1457. die 23. Nov.

Iſtud prætermittere non poſſum, nec debeo: perperam ſentire eos, qui *de pomo intoxicato, eidem Ladislao ab amaſia porrecto* ſcribere audent. Neque enim quidquam tale in optimum adoleſcentem cadere potuiſſet: quem ſanctiſſimè, & procul ab hujusmodi ineptijs vixiſſe, teſtantur omnes; & cujus corpus in templo Metropol. Pragenſi hodiéque incorruptum requieſcere dicunt, qui viderunt.

Cominæus l. 10. Borek in Hiſt. Boh.

Schickfuſ. in Hiſt. Sileſ. lib. Pontan in Boh. Pia. VVeleslaV. in Geneal. Regum Boh.

Hic porrò meretur ſuam laudem, *Lucas Hladek Ord. Præmonſt. cœnobij Strabov. Pragæ profeſſus*, vir ſolers, & cùm doctrinâ, tum rerum agendarum uſu atque peritiâ, maximè verò in obeundis legationibus, iísque peragendis, ſingulari dexteritate, induſtriâ & fide præſtans. Qui â *Ladislao* paulò ante obitum ad *Summum Pont.* miſſus, cùm jam Romæ ageret, triſtéque nuncium de Regis morte eò allatum eſſet; & ex Auſtriacis proceribus quidam, datis ad *Æneam* jam tunc Cardinalem, & alios quoque, literis, id aſſeverare non dubitarent, *Regem â Bohemis veneno ſublatum eſſe:* injuriam hanc gravem, calumniæ proximam, quam videbat per ejusmodi falſa narrata inferri ſuæ Nationi, minimè tolerandam exiſtimavit, ſed generoſo ſuſcepto conſilio, tam *Cardinales*, quàm ipſum *Pontificem Max.* acceſſit, & ne talibus fidem adhiberent, verbo & ſcriptis ſæpiùs repetitis inſtitit. Ex literis *VVenceslai Rectoris Eccleſiæ S. Pauli ibidem Romæ*, ad *Georgium* hac de cauſa datis, id pleniùs intelligere poterimus: quæ ſic habent.

Religioſus Præm. â Rege Boh. Romam mittitur legatus:

qui calumniatoribus Bohemorum egregiè contradicit:

Ex Archivo Capit. Metrop. Prag.

Egregio, Nobili, Excelsóque viro, Domino Georgio Gubernatori Regni Boh. multa cum laude, & bonore fulgenti. VVenceslaus presbyter, orationum ſuarum precamina, quamvis indigna, indefeſſa tamen peroptat, & cum omni felici ſucceſſu Regni Boh. Patriaq; noſtræ, nec non patriæ Nationis. Ex relatu multorum fide dignorum percepi, qualiter magna cum tranquillitate, ac pace Regnum Bob. per vos diſponitur, regitur & gubernatur: quod ſumma cum lætitia & gaudio, gratulando & exultando audivi. Et quàm maximè ex relatione chariſſimi & fideliſſimi Fratris Lucæ: qui ob zelum & amorem, quem ergà noſtram Patriam, Bohemámque Nationem gerit, murum ſe ipſum poſuit, clypeúmque ac ſcutum defenſionis, contra quàm plurimos Alemanos, infamare ac denigrare nitentes famam Bohemorum, affirmantes, eos eſſe reos in morte Regis. Quibus omnibus F. Lucas ſolus reſtitit & contradixit, coram Summo Pont.

Germanos, qui imputabant Bohemis mortem Regis, refutat,

Pont. Sanctiſſimo D. noſtro Papa Caliſto; conſtanter & viriliter ſe opponens, & obligans ad pœnam talionis; in carcerem ire paratus, aut mortem, aut quamcunque pœnam ſuſcipere, ſi hoc veraciter probaretur, cùm falſum eſſe ei probè conſtaret. &c. Inſuper noverit Veſtra Serenitas, quòd ego presbyter Wenceslaus, XLVI. annis extra Patriam ſuam jam abſens, & maneo Roma XLIV. annis jam completis: & hoc propter multa diſturbia Regni noſtri; & quàm maximè propter ea, qua fidem tangunt &c. Datum Roma, an. 1458. die 20. Martij. VVenceslaus presb. Rector Eccleſia S. Pauli, in Urbe, de regione Regula.

& falſa eorum narrata oſtendit.

Bohemus presb. agit Roma Parochum.

Juvat & alterius hìc referre literas, eadem in cauſa, & ad eundem datas: *Generoſo & Inclyto Principi & Domino, Domino Georgio Gubernatori Regni Bohem.* (videtur nondum innotuiſſe, Georgium fuiſſe jam electum Regem.) *Noverit Veſtra Magnificentia, quòd nuper pia memoria Sereniſſimi Boh. Hung. Dalm. Regis Ladiſlai, & præſertim Veſtra Magnificentia nuncius ſecretus, Mag. Lucas Hladek Ord. Pram. benignam à Sanctiſſimo Domino noſtro, in mei & plurium Dominorum Sacri Palatij officialium praſentia, audientiam obtinuit; & in omnibus ſuis propoſitionibus, de honore veſtri Inclyti Regni, pluribus vicibus, ſcripto & ſupplicationibus, contra diffamatores occultos prædicti Regni egit; & coram ſua Sanctitate dixit, ſi aliquis Prælatorum, aut quicunque alius, de morte Regis talia dicere præſumeret, ſe velle ei reſpondere, & contrarium probare, ſub pœna incarcerationis & duriſſima mortis, niſi hoc efficeret, & liquidò monſtraret falſa eſſe, qua de cauſa mortis illius, ab oſoribus nationis Bohema ſcribuntur & narrantur. Sanctiſſimus noſter exinde maximam complacentiam habuit, & totaliter eidem Luca credidit; & coram omnibus reſpondit: vobis credimus, & ubique honorem veſtri inclyti Regni defendere volumus; & de prædictis ſilentium impoſuit. &c. Etiam ſæpè Reverendiſſimus D. Coſmas de Monte ferrato, eidem Magiſtro Luca audientiam dedit; & in die Paſcha ſecreto modo in Bibliotheca ſua, per longi temporis ſpatium, ei de honore veſtri inclyti* Regni *Boh. & Veſtra Excellentia ſancto propoſito, atque de futuris maximis honoribus (præſens enim ſteti, eàque omnia audivi) locutus fuit; & in fine ei benedictam Roſam oſtendebat; pariterque de gladio benedicto & deaurato eidem locutus erat, quem Veſtra Magnificentia, poſt obedientiam regalem, mittere Sanctiſſimus in animo habet. &c. Datum Roma in Palatio Apoſtolico III. die April. an. 1458. Devotus & humilis orator, Joannes Liechtenfelſer, Rector Baſilica Beata Maria Agri Dei, in ſacra urbe Romana, familiaris & continuus commenſalis Sanctiſſimi Domini noſtri.*

Ex Archivo citato ſupra.

Idem Religioſus Præmonſtr. zelat Patriæ decus & honorem.

atque efficit, ut Papa ſiniſtros ejusmodi rumuſculos de Bohemis, inhibuerit ſpargi.

Honores parati pro Georgio, ſi à Compactatis recedere voluiſſet.

Eodem anno, *Henricus de Roſis*, & *Wenceslaus de Kravarz*, aliàs *de Gitczin*; ille *Bohemus*, hic *Moravus*; utérque bellicâ virtute inſignis, dum initio Januarij redirent ex Hungaria, quò Regem comitati fuerant, Viennæ ad convivium quoddam invitati, & *veneno*, ùt narrat Scriptor coævus, *in rubro vino propinato intoxicati*, obierunt: *Wenceslaus* die 24. *Henricus* die 26. Jan. Et unà cum illis, paucos poſt dies, *Wenceslaus Hodiczky*, *Henricus à Diebilovv*, & *Cyrek Paczbard à Wodierad*, Equites Moravi, *viri*, ùt idem ait ſcriptor,

Heroum præſtantiſſimorum Bohemor & Moravorum veneno ſublatorum, obitus Viennæ.

MS. Anon. Prag.

MS. Hiſt. Roſenſ.

MS. Pernſtein.

ptor, *ſtrenui.* Extat epiſtola Æneæ Sylvij Cardinalis, Romæ data ad Ulricum de Roſis, quâ lugubre nuncium, de tam ſubitanea morte filij ejus, ſibi accidiſſe teſtatur. *Magno mœrore*, inquit, *affecerunt nos litteræ amicorum, quibus Clariſſim. & ſpectatiſſimum filium tuum Henricum, diem clauſiſſe extremum cognovimus. Doluimus certè illum in flore ſuæ juventutis, ex hac luce migraſſe, cùm multa & pro Domo tua, & pro inclyto Regno Bohem. facere poterat: tum verò iſtud moleſtiſſimum fuit, quòd ſenectuti tuæ & baculum, & ſolamen ereptum eſſe videamus. &c. Itaque quamvis non dubitamus Magnificentiam tuam, quieto eſſe animo, & ea velle, quæ Deus voluit: tamen pro noſtro officio rogamus, ut hæc humana æquâ mente feras; & quod reſtat ævi, cum reliquis filijs tuis, dulciter ac ſuaviter traducas. &c. Datum Romæ Calend. Auguſti, an. 1457.*

Æneæ Sylvij Cardinal. ad Ulricum de Roſenberg litteræ: quibus eum ſolatur, ne mortem filij ægrè nimiùm ferat. *Epiſt. 364.*

Cochlæus ſcribit, hanc poſtea fuiſſe cauſam, propter quam *Georgius à Podiebrad*, ſequenti æſtate, ad Regem in Auſtriam profectus cum octingentis equitibus, *Viennam intrare noluerit, tanquam ſuſpectam ſibi civitatem*; ſed tentorijs non procul urbe, ad ſiniſtram Danubij ripam poſitis, Regem ad colloquium invitavit; quod per quadriduum duravit, Rege ad noctem ſeſe in urbem recipiente: de quo *Sylvius* in Hiſt. Boh. & idem *Cochlæus* in Hiſt. Huſſitarum, *Gerardus de Roo* in Hiſt. Auſtriaca, *Daubravius*, aliíque fuſiùs referunt.

Cochl. in Hiſtor. Huſſit. lib. 11. Georgius à Podiebrad, alieno periculo cautus. *Æn. in Hiſt. Boh. c. 69. Cochl. cit. Gerard lib. 6. Daubrav. l. 29.*

MAR-

MARTIS MORAVICI

Liber VI.

RES Moravorum Bohemorúmque maximis paulò ante ſeditionum procellis agitatæ, ad extremum verò compoſitæ, priſtinæque tranquillitati propemodùm reſtitutæ, denuò *ſub Georgio Rege* turbantur; & civile bellum, quod utcúnque ſopitum videbatur, rurſum religionis pariter ac regionis causâ invaleſcit atrox, ac ſummè pernicioſum. Unde nova prælia, novæ *Cadmeæ cædes*, funeſtæ populorum vaſtitates, Urbium & oppidorum ruinæ, agrorum deſerta, pagorum incendia, templorum & caſtrorum buſta; omnium denique malorum lerna, & vix non Regni & Provinciarum interitus.

CAPUT I.

Georgius â Podiebrad & Kunſtat, Baro Bohemus, Gubernator antea Regni, eligitur in Regem Bohemiæ, & coronatur: cujus regimen ſtatim initio turbulentum, religionis causâ.

EXtincto, ut jam narravimus, in ipſo ætatis flore *Ladislao*, convenerunt Pragam Bohemi Ordines, ad diem 7. Januarij anno 1458. magno numero; decretúmque omnium ſuffragijs, ut Comitia novi Regis creandi causâ, ad Feriam IV. poſt Dominicam I. Quadrag. ſive, pro die 2. Martij, in Curia Veteris Urbis Prag. celebranda indicerentur. Et quia multi, magníque competitores erant Regni: ex inclyta Domo Auſtriaca tres, *Fridericus Imp. Albertus* ejus frater, & *Sigismundus*

Poſt Ladislai obitum.

Comitia de Rege creando inſtituuntur, in Curia Antiquæ Urbis Prag.

Magni & multi Candidati Regni. Alij in filium Regis Galliæ, alij in alios inclinant.

mundus patruelis, Rex Galliæ pro filio *Carolo*, Rex *Cazimirus* pro ſe vel filio, *Wilhelmus Dux Saxoniæ*, *Ludovicus Dux Bavariæ*, *Albertus Marchio Brandeburgi*, *Fridericus Marchio Miſniæ*: magnis & diverſis ſtudijs, antequàm dies electionis adveniſſet, in Rege deſignando certatum fuit. Potentem aliqui Regem, qualis erat *Rex Galliæ*, qui poſſet Regnum tot calamitatibus deſolatum, ſuis proprijs & alienis opibus adjuvare, ínque priſtinum decus reſtituere, cupiebant; ſollicitantibus id ipſum *Galliæ legatis*, ingentibus promiſſis: qui ſi in publico Conventu, ante Electionem auditi fuiſſent, perſvaſuri omnino putabantur. Alij è contra, iique numero potiores, ab alienæ gentis & originis Rege prorſus abhorrebant, & non niſi Patriotam, qui ſyncerâ mente, & fortibus conſilijs concuſſam & labantem dulcem Patriam erigere poſſet, velletque, eligendum cenſebant, & tantùm non clamabant. Atque hi tandem, Rokytzanâ ut plurimum adnitente ac perſvadente, prævaluerunt: electúsque eſt *Georgius de Podiebrad Baro Bohemus*, antea Regni Gubernator, invitis quidem non paucis, præſertim *Roſenſibus*, *Novodomæis*, *Sſvvambergijs*, *Kolovvratæis* &c. ſed reſiſtere non auſis.

Sed excuſſis omnibus, eligitur plurium ſuffragijs,

Georgius à Podiebrad, anno ætatis 38.

Rokytzana pro eligendo Bohemo laborat; & ne quis Germanorum Principum in Regem eligeretur, has cauſas & rationes Bohemis inculcat; & perſvadet. *Cochl. in Hiſt. Huſſit. l. 12. ad init.*

Inter alia ad perſvadendum, ne ullus externæ nationis, ac imprimis Tevtonici nominis Princeps eligeretur in Regem, argumenta, habebat *Rokytzana* in ſermone publico, ante ipſam Electionem, in templo Teynenſi, præſentibus Statibus, & iſtud, ùt refert Cochlæus Decanus Wratislav. *Si*, inquit, *Tevtonicum elegeritis, ipſe longè majorem habebit reſpectum ad Tevtonicos, quàm ad Bohemos. Ipſe Regiæ Cameræ, aliisque officijs publicis, Tevtonicos, præteritis Bohemis, præficiet: ipſe per civitates Regni, Tevtonicos, neglectis Bohemis, ad magiſtratus & publicos bonores evebet: ipſe conſiliarios, advocatos, capitaneos, præfectos, & id genus cujuslibet officij utilis & lucroſi adminiſtratores ex Tevtonicis eliget, tum in Regno, tum extra Regnum: ipſe Bohemicæ linguæ ignarus, nullum Bohemorum vel in conſilium admittet, vel in judicijs & cauſis per ſe audiet: ipſe non tam de nobis juvandis, quàm de rebus noſtris auferendis curam habebit.* Addidit: *Vidiſtis, quæ ſub Ladislao contigerunt, quibus ille vijs & modis Tevtonicos, repudiatis Bohemis, ad ſe traxit, ac prætulit; altiúsque prætuliſſet, ſi auſus fuiſſet: nec dubium erat, quin multa Bohemis mala illaturus eſſet, ſi ad plenum regimen perveniſſet. Quod ſi ab iſto, qui hæres Regni erat, & linguam noſtram callebat, tantum oppreſſionis nobis imminebat; quanto magis ab alijs metuendum nobis eſt, qui linguam noſtram juxta & ignorant, & oderunt, fidémque noſtram velut hæreſim deteſtantur.* Peractâ Electione, vocati ad ſuam legationem proponendam Galli, comparere noluerunt, cùm viderent rem non ampliùs eſſe integram. Coronatio deinde Regis ſolenni ritu peracta, die 7. Maji, Dominicâ ante Aſcenſionem Domini; & die ſequenti, Reginæ, *Joanna de Roſmital*, per *Auguſtinum Jaurienſem*, & *Vincentium Vacienſem* Epiſcopos Hungaros, Sede Archi-Epiſcopali Prag. tum vacante, & *Protaſio Epiſcopo Olomuc.* præſente quidem, ſed nondum â Sede Apoſtolicâ confirmato.

Georgij, & Joannæ ejus conjugis coronatio. *Æn. Sylv. in Hiſt. Boh. cap. ultimo. Miechov. lib. 4. cap. 67. Gerard. de Roo in Hiſt. Auſtr. lib. 6. Cromer. lib. 23. in fin. Theobald. part. 3. cap. 4. & 5. Lupac. VVeleſl. ad d. 2. Martij. & 7. Maji. MS. Anon. diverſa.*

Ut porrò coronam *Georgius* legitimè accepiſſe videretur, & tam *Bohemos*,

mos, quàm *Moravos*, cæteróſque ejuſdem coronæ populos, Orthodoxæ fidei tenaciùs inhærentes, ad præſtandum ſibi Sacramentum eò faciliùs adigeret, pridie Coronationis, juramento publico, quod recitat *Hagecius*, ſe Romanæ Religionis fore tutorem atque vindicem, & Romano Pontifici obedientem ſpopondit. Unde factum, ut etiam Romanus Pontifex *Caliſtus III.* coronationem ipſius ratam habuerit, datis ad eum literis, quibus *titulus Regis* ei tribuebatur. Ferunt, in ejus coronatione, lapidem de Corona è pretioſiſſimis unum, ultro decidiſſe, neque ullâ induſtriâ reperiri potuiſſe: quam rem tum ſtatim in diverſum trahebant multi, & uti malè ominatam interpretabantur.

Georgius ante coronationem, Sedi Apoſtolicæ obedientiam juravit.
Hagec. ad an. 1458.
Dubrav. l. 30. propè init.
Cochl. cit.
Caſus ſub coronatione ominoſus.

Peractâ Coronatione, Epiſcopi Hungariæ, & qui cum ipſis erant Proceres, â novo Rege muneribus exculti, & *Joanni Slavata* (hic Regis ſororem nomine *Lidmillam* habebat conjugem) *Zdenkonique Koſtca*, qui eos in Moraviam usque deducerent, commendati, ſumpto per *Podiebradium*, *Koſſmbergam* & *Litomyſſlium* itinere, *Kremſirium* pervenerunt ſalvi & ſecuri. Ultra verò progredi non auſi, quòd *in confinijs Moraviæ*, aliquos latrones vias publicas obſediſſe, & inde in omnes partes excurrere, obvios quóſque ſpoliare, rebus fortunísque omnibus exuere, & ſi vel minimùm quis reſiſtat, trucidare intellexiſſent; datis *ad Capitaneum Provinciæ* litteris, ab eo de ſalvo conductu, ſecuróque tranſitu, in tutiora usque, ſibi & Collegis ſuis provideri petierunt. Tenor litterarum erat iſte: *Magnifice Vir, frater & amice. Quales labores, fatigationes & viarum diſcrimina ſuſtinuerimus, ut mandato Domini noſtri Regis Hungariæ &c. bonor debitus coronationi Domini Georgij Regis Bohemiæ &c. impenderetur; ubi etiam adfuiſtis. Laus Deo, omnia peracta ſunt feliciter, quæ per nos impleri debebant. Venimus Deo auxiliante ſalvi, usque in locum hunc: jam turbamur ex rumoribus diverſis. Et quia Serenitas D. Regis Bohemiæ, ſecuritatem plenam redeundi ad propria nobis pollicita eſt, requirimus idcirco Magnificentiam V. ut tanquam Capitaneus Moraviæ, nobis optimè de ſecuritate tutò redeundi provideat, jubendo aſſurgere tot & tantos, qui ſufficere poſſint noſtræ ſecuritati. Nec dubitamus, quòd M. V. pro bonore utriusque Regni id aget & faciet, quod noverit expedire noſtræ tutelæ. &c. Et quidquid in bis facientes decreveritis, nos ad boc oppidum Kromierziz velitis reddere certiores. Datum in Kromierziz, Sabbatbo ante feſtum Pentec. anno 1458. Auguſtinus Jaurienſis, Vincentius Vacienſis Eccleſiarum Epiſcopi; Nicolaus de Wyllak Wayvvoda Tranſylv. & Oſvaldus de Rosgon Comes Siculorum.*

Epiſcopi & Proceres Hungari, dum in propria redeunt, Kremſirij ſubſiſtunt; & non ſatis in via ſecuri,
datis ad Capitaneum Moraviæ literis,
Ex Archivo Pernſtein.
Ex Archivo Capit. Metrop. Prag.
Codex MS. literar. fol. 190.
armatos, qui ſe comitentur ad tutiora usque, ſibi mitti petunt.

Eodem anno etiam *Matthias Joannis Corvini filius*, qui Pragæ captivus tenebatur, Viennâ adductus, eo die, quo *Ladislaus* obierat, Rex Hungariæ eſt electus, die 22. Jan. Hunc *Georgius* ſtatim â deceſſu *Ladislai*, propter merita patris, cum quo ſibi ſemper benè conveniſſet; non ùt captivum, ſed ùt amicum tractavit, â cuſtodia Germanorum liberavit, in domum ſuam recepit, menſæ ſuæ adhibuit, atque adeò benignè & amanter in omnibus proſequutus eſt, ut plus amoris & benevolentiæ proprijs filijs præſtare vix potuiſſet:

Matthias Corvini filius Pragam adductus, &
â Georgio reſtitutus,

exi-

Digitized by Google

Libertatique reſtitutus,

eximiam ipſius indolem, perſpicax ingenium, verba dictáque, & prudentiſſima ad quæſtiones ſibi propoſitas, etiam ſubitas, reſponſa ſæpè miratus. Quinimò arctioris amicitiæ ineundæ causâ, filiam *Catharinam*, natam ex priori conjuge *Catharina Sternbergica*, ei in matrimonium deſponſavit: quod factum, adhuc ante ejus electionem, prout ipſemet *Matthias* publicis fatetur litteris, contra quàm alij ſentiant, qui *Georgium*, primò dum cognoviſſet *Matthiam eſſe in Regem Hung. electum*, eum carcere eduxiſſe, mensæque ſuæ, & quidem præcipuo in loco adhibuiſſe, ac filiam ei deſponsâſſe memorant. Magna quoque pars fuit, agendo apud Hungarorum primores, per *Joannem Vitiez Epiſcopum* Warad. qui pro ejus liberatione Pragam, in feſto S. Luciæ venerat, ut in Regem eligeretur. Nam mater Matthiæ *Eliſabetha*, de filio ſollicita, quamprimùm Ladislaum obijſſe intellexit, *Joannem*, cujus jam meminimus, *Epiſcopum* Warad. utpote partium ſuarum fidum aſſeclam, in Bohemiam miſit, ut Matthiæ liberationem quocúnque tandem modo procuraret, offerens *Georgio*, pro fideli cuſtodia, honorarij locò, quadraginta millia aureorum: quibus deinde, cognito filium tam hoſpitaliter, támque lautè & liberaliter â *Georgio* habitum, alia inſuper viginti millia adjecit, pactáque connubialia lubens rata habuit, haud ignara, affinitate tanti viri, & apud Bohemos ſummæ authoritatis, partibus ſuis, magnum virium pondus, adverſùs filij æmulos acceſſurum. Et reverà conjunctio hæc, *Matthiæ* non parvum momentum ad ſceptra Hungarica attulit: præſertim, dum *Waradinenſis* in Hungariam reverſus cæteris retuliſſet, ex ijs quæ Pragæ, inter Proceres, quorum benè introſpexerat ſenſa, homo in penetrandis aliorum arcanis valde ſagax, occultè agitari didicerat: *fore nimirum, ut propediem etiam Georgius in Regem Bohemiæ eligatur*.

Eligitur, Pragæ adhuc agens, Rex Hungariæ.

Æn. Sylv. in Hiſt. Bob. c. 71. Thuroc. in Chron. Hung. part. 5. cap. 63. & ſeqq. Bonfin. dec. 3. lib. 9. Daubraw. l. 30. Cromer. lib. 23. in fine. Roo in Hiſt. Auſtr. lib. 6. Cochl. in Hiſt. Huſſit. lib. 11. Curæus. Lupac. VVelesl. Hagec. Kuthen. ad an. 1458.

Georgius Matthiam, ſplendido cum comitatu, ad Hungariæ usque fines, deduci curat.

Auditâ poſtmodùm electione Matthiæ *Georgius*, & aſſiduis penè nuncijs atque litteris, jam â matre novi Regis, jam ab Optimatibus Hungaris, jam ab utrisque ſimul ſollicitatus, ut quàm ocyſſimè poſſet, *Matthiam* ad Regni fines adduceret, promittentibus fide juratâ, ſe pacta omnia cum Rege inita, rata ac firma habituros, & alia quoque ex ejus ſententia ſe facturos: non diu cunctatus, Matthiam ſplendido cum comitatu, cui filium ſuum majorem natu *Victorinum* præeſſe juſſerat, *per Bohemiam & Moraviam*, ad *Straznicium* usque oppidum, quòd Hungariæ finibus eſt proximum, omni exhibitâ cùm honoris, tum liberalitatis teſtificatione, deducendum curavit. Ad *Moravam* è regione Straznicij ubi ventum, jam in oppoſita fluminis ripa Hungarorum plena erant: qui videndi & ſalutandi novi Regis causâ, maximo numero eò confluxerant, præeuntibus *Michële Zylagi Regis avunculo*, *Joanne Ep.* Warad. *Thomâ Zechel Priore Aurana Equitum Rhodienſium*, *Sebaſtiano Rosgonio*, *Ladislao Caniſa*, *Pancratio Zentniclai*, aliisque. Et hi ſtatim ac *Matthiam* eminùs conſpexiſſent, ingeniculati Regem ſuum ſalutârunt adorâruntque. *Plauſus cum lacrymis*, inquit Bonfinius, *ex immodica lætitia exuberantibus, tam ingens per horam editus, & tantus tubarum clangor, ut cœlum collidere videretur: his quoque militaris clamor adjectus, & fauſta cohortium acclamationes*.

Hungari ad Straznicium, Regem ſuum magno cum gaudio excipiunt.

Bonfin Daubr. Cochl. Hagec. citati ſupra. MS. Pernſtein. MS. VVenc. VVrzeſov. MS. Anon. Prag.

tiones, congratulationes geſtientium inſolentes audita; certatim lætitia cum plauſu aliquandiu edita. Quæ ubi paulùm expleta eſt, Proceres ſeſe propiùs admovêre: id ipſum fecêre Bohemi, ut mutuum faciliùs colloquium exaudirent. Tunc Joannes VVitieſius Varadin. veluti pater patratus, hæc in ripa fluminis verba fecit: Salve Matthia Rex Pannoniæ, quem publicis votis, quod nemini unquam contigit, omnibúsque ſuffragijs, Senatus populúsque Hung. principem & Regem ſuum eſſe juſſit. Salve ſpes unica Pannonicæ gentis. &c. Tuum tot periculis, clementiſſimi Gubernatoris Regni Bohemiæ prudens animus occurrit; qui mirâ calliditate ex Alemanorum te manibus eripuit, ut te Hungaris conſervaret. Ne igitur de ingratis benè merita eſſe videatur Hungaria, id auri pondus dono dat; & quùm res tulerit, majora datura eſt: perpetuam Bohemis amicitiam defert, & immortale Podiebradiorum beneficium, nunquam apud ſe interiturum pollicetur. Quodcúnque Matthia, vos Bohemi Proceres, cùm veſtro Gubernatore convenit, id univerſa Hungaria ratum ac firmum eſſe jubet: quin etiam, quòd Regem noſtrum incolumem præſtitiſtis, & cum tam magnifico apparatu, ac nobiliſſimo equitatu honeſtatum adduxiſtis, ne parùm quidem huic benignificentiæ veſtræ nos debere profitemur. Proinde Matthiam reddite, &c.

Joannis VVitiez Epiſcopi VVarad. ad Regem ſermo,

& ad Bohemos, Moravósque; quibus pro deducto tam ſplendidè Rege, gratias agit.

Itum deinde, trajecto flumine, *Straznicium*; ut priora pacta & ſponſiones, inſtrumentis authenticis, eam in rem conficiendis, & ſubſcriptione non tantùm Regis, ſed Optimatum quoque utriúsque partis, debitè roborandis confirmarentur. Quod dum fit, accurrit inopinatò manipulus equitum, *Georgium* advenire, jámque haud procul abeſſe nuncians. Incerto námque rumore percrebuerat Pragæ; *Matthiam* propter inſidias ſibi ex itinere, circa confinia Moraviæ & Auſtriæ præſtructas, *Brunæ* morari, nec audere ultra progredi, abſque majore comitatu, & præſidio, ſi opus foret, ad reſiſtendum ſufficienti: famámque ſpargi, *eas juſſu Cæſaris parari, Matthiæ electionem ægrè ferentis*, ùt qui haud obſcurè ipſe Regnum nobile, & tam vicinum opportunúmque ambire videatur, cujus Coronam in poteſtate habeat, & ad quod capeſſendum etiam ab Hungaris non paucis invitetur. Hoc igitur audiens *Georgius*, & de ſalute Matthiæ impensè ſollicitus; ſine mora, aſſumptis trecentis equitibus, & ſexcentis alijs, quos *Pragenſes* quantocyùs colligendos ſuſceperant, ſe citatis paſſibus ſequi juſſis, *in Moraviam* properavit, diu noctúque continuans iter, Iglaviam usque. Ubi tandem cognovit inania eſſe omnia, quæ de inſidijs & periculo jactarentur: *Matthiam* Brunæ ſubſtitiſſe quidem, ſed expectâſſe, donec *Proceres Hungari*, qui veniebant obviam, audirentur appropinquare finibus Moraviæ: â Cæſare nihil in præſens hoſtile metuendum eſſe, qui ſatìs negotij domi habeat, ut cum fratre *Alberto*, patruéleque *Sigismundo*, controverſiam hæreditatis Auſtriacæ cauſâ exortam, pacificè componat.

Straznicium Matthiæ hoſpitium.

Fama (ſed vana) de periculo Matthiæ Moraviam tranſeuntis, *MS. Anon. Prag. Pernſt. Trebic Koſtkarum. VVrzeſoſ.*

motus Georgius, in Moraviam cum feſtinatione pergit;

Iglaviam venit: ubi falſo rumore cognito,

Tum Georgius diu anceps, deberétne proſequi iter, an reverti? ad extremum, ſvadentibus hoc ipſum *Zdenkone Koſtkâ, Joanne jun. Czabeliczsky, & Joanne de Raupovv* (hi duo poſtremi fuerunt equitum ductores) captâ per

& dubio, num ulteriùs progredi deberet, ſoluto,

Brunam verſùs, ac inde Straznicium movit.

per unum diem quiete, ſequenti mox viæ, *Brunam verſùs*, ſe dedit; miſſis priùs in Bohemiam curſoribus, qui equitatum ſe ſubſequentem monerent, ut reverteretur. *Straznicium* die 6. Febr. appulit; ubi admirationi fuit omnibus, ità improviſus ipſius adventus, maximè Hungaris, qui eum haud dubiè cum aliquibus novis poſtulatis venire exiſtimabant; ità ut quidam magìs ſuſpicioſi habuerint in animo ſvadere Regi, ut ſeſe inde *Skalicium*, vel in aliud vicinum caſtrum reciperet: quò demum liberiùs ad propoſita reſpondere, & vel conſentire, vel negare poſſet. At cognitâ adventûs ejus causâ, omníque ſuſpicione amotâ, cum ſingulari amoris & benevolentiæ ſignificatione ſeſe invicem exceperunt, ac certatim in amplexus ibant: *actæq́; denuò gratiæ Georgio ab Hungaris*, cum magna præfatione honoris, *quòd Regem è poteſtate Germanorum eripuiſſet, & libertati redditum, benignéque habitum Regno ſervâſſet.* Die ſequ. cùm & *Matthias in Hungariam*, & *Georgius in Bohemiam* (ne quid per abſentiam ſuam domî turbaretur, metuens) reditum maturaret, viſum utríque eſt, ut quamprimùm conficerentur fœderis ac connubij tabulæ: quæ in hunc modum confectæ ſunt.

Hungari ex ejus adventu primùm turbantur: poſtea acquieſcunt, & cum Bohemis atque Moravis feſtum diem agunt; ac tandem tranſigunt.

Copia tranſactionis Matthiæ Regis Hung. cum Georgio Gubernatore Regni Boh. *Acta publ. ſub Georgio Rege, in archivo Capit. Metrop. Prag. MS. Codex litter. publ. major. fol. 665. MS. Codex lit. publ. minor. fol. 51. & 127.* vigore cujus amiciam cum Georgio initam confirmat:

Nos Matthias Dei Gratiâ Electus Rex Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ, &c. Notum facimus univerſis præſentes literas inſpecturis. Quòd cùm Nos poſt illam captivitatem, in qua per Sereniſſimum D. Ladislaum quondam Regem Hungariæ, usque ad ultimum diem vitæ ſuæ tenti fuimus; demum ad manus Magnifici Domini Georgij de Cunſtat & Podiebrad, Regni Bohemiæ Gubernatoris deveniſſemus: ipſe D. Georgius nobiscum amicè & fraternaliter egit, nósque in hujusmodi neceſſitate noſtra & turbatione, cum omni benevolentia tractavit, & ex hujusmodi captivitate liberavit, & libertati reſtituit; imò etiam, quantum in eo extitit, fautor noſter fuit & adjutor, ut ad dignitatem regalem eligeremur. Nos volentes hujusmodi benevolentiæ ſuæ vicem reddere, & etiam de tali beneficio grati eſſe, promiſeramus eo tempore, dum adhuc ad dignitatem Regalem electi non fuimus, cum eo amicitiam & individuam fraternitatem & affinitatem inire, contrahere, confirmare. Ut igitur ipſe D. Georgius Gubernator, & alij has literas viſuri cognoſcant, priorem intentionem noſtram & voluntatem, per hoc, quòd poſt illam promiſſionem noſtram, ad dignitatem regalem electi ſumus, mutatam non fuiſſe, nec eſſe; ſicuti priùs in verbo veritatis promiſeramus unionem, amicitiam ac fraternitatem, cum præfato D. Georgio Gubernatore inire & firmare; ac cum egregia Virgine Catharina, alio nomine Cunegundis appellata, ſecundùm ritum & legem S. Romanæ & Chriſtianæ Eccleſiæ, ſponſalia & matrimonium contrahere. Ità nunc maturâ deliberatione præhabitâ, & in libertate noſtra conſtituti, habendo reſpectum ad favores & beneficia, quæ ab ipſo D. Georgio in noſtra neceſſitate percepimus; cum eodem, & filijs ſuis, tenore & vigore præſentium, perpetuam amicitiam & fraternitatem, inimus & firmamus. Ità videlicet, quòd nos amodò impoſterum, eidem fideliter, & conſilio & auxilio adhærebimus; illisque, qui amici ejus ſunt, & erunt, amici erimus; ijs verò qui fuerint ejus inimici, unà cum eo erimus inimici. In quorum confirm. illa Sponſalia, quæ cum præfata Catharinæ filiæ

inſuper & affinitatem; uti promiſerat jam antea,

deſponſatâ ſibi ipſius filia Catharina.

filia ipſius, contrahere promiſeramus, nunc ſponte, omni viâ & modo meliori quo poſſumus, per præſentes præſtito juramento, contrahimus; ipſámque puellam Catharinam, cujus formam, faciem & corporis integritatem vidimus, nobis in Sponſam more Chriſtiano accipimus, &c. Datum in caſtro Straznicz Feriâ V. poſt feſtum S. Dorotheæ, an. 1458. Appreſsêre ſigilla, Proceres Hungari primarij novem, & ante omnes ipſa *mater Matthiæ Eliſabeth; Michaël Zylagi Regni Hung. Gubernator, Joannes VVarad. Vincentius Vacienſis Epiſcopi, Joannes de Roſgon VVayvvoda Tranſylv. Michaël Orczag magiſter janitorum, Joannes filius VVayvvodæ de Marczali Comitis Simigienſis, Emericus de Hedervara, aliàs Banus Machovienſis, Sebaſtianus de Roſgon magiſter agozonum, Stephanus de Bathor magiſter dapiferorum.* Ac niſi *Catharinam* in conjugem, adveniente recto nubili tempore, id eſt, completis XIII. annis, accipiat, centum aureorum millia, *ſub fide*, ait, *Chriſtiana*, & *ſub verbo regio*, perſolvendi reum ſe obligavit. Inſuper propriâ manu, ſtatim ad initium litterarum, appoſuit verba hæc: *Matthias Electus Rex Hung. fatemur omnia infra ſcripta eſſe de noſtra voluntate. Scripſimus m. propr.*

Nomina Procerum Hungarorum, qui in teſtimonium præmiſſorum fuêre adhibiti.

Georgius Gubernator viciſſim, alijs litteris, in eodem Caſtro, eodẽ die datis, promittit perpetuam amicitiam & fraternitatem in eundem modum. Et in horum omniũ confirmationem, ut ad hujusmodi amicitiæ & benevolentiæ unionem, etiam vinculum affinitatis accederet, addit, ſe intra unum annum filiam ſuam, jam Matthiæ Sponſam, *Poſonium* ad manus regias traducturum; ſub eadem pœna centum millium aureorum. *Et in majus*, inquit, *teſtimonium præſentium, quas ſigillo noſtro majori conſignavimus, infra ſcripti Domini, videlicet D. Georgius de Kravarz & de Straznicz, D. Joannes de Pernſtein, D. Joannes Zagimacz de Kunſtat, D. Joannes de Lichtemburg & Bitovv, D. Matthæus de Sternberg & Lukovv, D. Joannes de Cymburg & Gitczin, D. Zdenko de Poſtupicz & Litomyſſl, D. VVolfgangus de Krayk & Landſtein, D. Bernardus de Cymburg & Brumovv, D. Jeſſko de Bozkovicz, & D. Henricus de Bozkovicz, ſua ſigilla ad noſtram petitionem & requiſitionem appoſuerunt. Dat. in caſtro Straznicz, Feriâ V. poſt feſt. S. Dorotheæ, an. 1458*

Georgij viciſſim obligatio.

Nomina teſtium è Proceribus Moravis & Bohemis.

Nihil habent de his Scriptores noſtri, ſicut nec Hungarici, qui ne mentionem quidem faciunt Georgij, ut rebus tunc actis Straznicij interfuiſſet: ſolùm *Victorinum*, patris nomine, tranſegiſſe cum *Matthia* & Hungaris memorant. Ego quæ retuli, ex *Actis publicis*, quibus utique major, quàm alijs ſcriptis, habenda eſt fides, excerpſi. Sunt enim mihi præ manibus *duo MS. Codices*, pleni litterarum publicarum, concernentium ut plurimùm *acta Georgij*: unus à P. Balbino mihi commodatus, cujus nuper in *Nuncupatoria Prodromi Moravographiæ* memini; alter minor, (ſic etiam eos deinceps nominabo; illum *majorem*, hunc *minorem*) ex *Biblitheca MS. Librorum Capituli Metropol. Prag.* quorum utérque copiam tranſactionis hujus inter Matthiam & Georgium initæ exhibet. Et ne dubium ullum ſit de *Georgio*, num ibidem perſonaliter adfuerit, alter eorum, alias adhuc binas *Matthiæ* litteras ad *Georgium* (jam tunc quoque electum Regem Boh.) datas, refert: ex quibus li-

Altum eſt de his ſilentium apud Hiſtoricos.

ſed ex Actis publicis Georgij,

& diverſis MS. Authoribus eruuntur.

quidò conſtat, *Georgium* interfuiſſe præſentem. Delibare placet ex ijs ſaltèm aliqua.

Nullum dubium eſt, Georgium adfuiſſe Straznicij, & cum Matthia ultimò tranſegiſſe.

Matthias Dei gratiâ &c. Sereniſſimo Principi Domino Georgio, eâdem gratiâ electo Regi Boh. &c. patri & fratri noſtro chariſſimo. Salutem & proſperos ad vota ſucceſſus. Sereniſſime Princeps. Credimus vos non immemores eſſe diſpoſitionis illius, quam dum vobiscum in Straznicz conſtitueremur, inter nos & Joannem Giskram de Brandeys, Serenitas Veſtra firmaverat; quámque pro rata habentes hactenus, nos immutabiliter pro noſtra ſyncera fide tenuimus. Verùm ille dolum, quem in corde habebat, quibùsque actibus huc usque uſus eſt, celare non valens, rejectâ ipsâ compoſitione Serenitatis V. hoſtiliter nobiscum, & cum noſtro Regno agere intendit. Scribit enim ad nos literas ſuas diffidatorias, &c. Datum Budæ, die 27. Martij, an. 1458. Et iterum.

MS. minor Codex lit. publ. f. 180. & ſequ. Archib. Capit. Prag.

Matthias Dei gratiâ, &c. Sereniſſimo Principi D. Georgio eâdem gratiâ, &c. Noviſſimè ſcripſimus Serenitati V. quemadmodùm contra diſpoſitionem S. V. quam cùm in Straznicz conſtitueremur, eadem V. S. inter nos, & Joannem Giskram de Brandeys, pro qua tractanda illuc nuncios ſuos miſerat, firmaverat. Idem Giskra iniquè nobis agere conatur, accumulatis ſibi pluribus latronibus. Audimus etiam, quòd & Rex Poloniæ, falsâ quâdam opinione, jus ad ipſum Regnum noſtrum Hung. prætendens, ſimiliter contra nos hoſtiliter ducere velit. &c. Quare rogamus S. V. multùm affectuosè, quatenus Excellentiſſima S. V. ad noſtras expenſas, quingentos equites, viros electos, ad pugnam aptos, & benè armatos ac fideles, nobis quantocyùs mittere velit: quibus talem belliductorem præficiat, ut ejus directione valeat res noſtra, ad noſtrum commodum, & S. V. honorem dirigi. &c. Dat. Budæ 29. Martij, an. 1459. Ad mandatum Domini Regis, Albertus electus Nitrienſis, ViceCancellarius. Jam ad alia progrediamur.

Matthias à Georgio auxilium militum petit.

Æneas in Hiſt. Boh. c. ultimo. Matthiæ Regis res præclarè geſtæ.

Hoc modo *duo potentiſſima Regna*, ùt loquitur Æneas, *eodem tempore, Rege orbata, ex nobiliſſimo atque altiſſimo ſanguine, ad mediocres homines pervenêre.* Quod tamen natalibus deerat: virtus & induſtria in utróque Rege, id abundè ſupplevit. *Matthias* certè Rex ille fuit, qui anteceſſores omnes, & magnitudine animi, & rerum geſtarum gloriâ facilè ſuperavit. *Georgius* verò rebus multis præclarè geſtis, *tantam comparavit ſibi authoritatem & gratiam*, verba ſunt Cochlæi Decani Wratislav. *ut ſi una defuiſſet labes Huſſitica ſectæ, quam infeliciter à puero imbiberat, & Rokytzanæ perſvaſionibus, firmatam mordicùs tenebat, inter optimos Reges haud immeritò commemorari poſſet. Quis enim fuit eo, vel in conſilijs circumſpectior, vel in armis expeditior, vel in judicijs æquior, vel in regia poteſtate moderatior? Quamvis enim Huſſitarum ſectæ adhæreret, Catholicos tamen imperio ſuo ſubjectos, à ſacris & ritibus Eccleſiæ non arcuit, neque in ſectam ſuam coëgit. Quin etiam Sedi Apoſtolicæ obedientiam, & in coronatione ſua juravit, & in literis legationibúsque publicis exhibuit.* Ita ille.

Georgij laudes.

Cochl. lib. 12. Theobald. part. 3. cap. 5.

Sed quùm *Georgius* maleſanis Rokytzanæ, qui ſe pro Archi-Epiſcopo Prag. quoad vixit, gerebat, conſilijs nimiùm tribuens, in defenſione *Compa-*

Ctato-

ctatorum tenaciùs perſiſteret, & obedientiam jurejurando promiſſam, quæ ab eo exigebatur, & quæ cùm in alijs, tum potiſſimùm in renunciatione *Communionis ſub utráque ſpecie* conſiſtebat, Sedi Apoſtolicæ integrè præſtare nollet; fruſtra toties â Proceribus *ſub una* communicantibus, fruſtra ab ipſo quoque Pontifice Max. officij admonitus: quidquid aliàs præclari fecit geſsítque, totum id pertinaciâ ſuâ corrupit. Fatebatur quidem ille, ſe promiſiſſe ante & ſub Coronatione, *quòd Eccleſiam Catholicam, ejúsque ſacros ritus defendere, & hæreſes omnes toto Regno eliminare vellet pro viribus;* per hoc tamen non intellexiſſe, nec ſibi id unquam in animum juranti occurriſſe, ut *Compactatis* renunciaret: cùm probè ſciret, ea â Concilio Baſil. ſummo Patrum conſenſu fuiſſe data, & ab *Eugenio* confirmata, & *declaratos Catholicos, verèque Eccleſiæ filios, qui ijs uterentur.* Excuſatione aliquâ idcirco dignus: in eo tamen juſtè culpandus, quòd in cauſa Fidei noluerit audire *Eccleſiam Matrem*, ejúſque ſanctiſſimis inſtitutis ſeſe conformare; ſed ſuum duntaxat caput ſequi, & Rokytzanæ pravis ſuggeſtionibus obſtinatè inſiſtere maluerit. Evenítque tandem, ut inteſtinarum ſeditionum turbulentiſſimæ tempeſtates, quæ ipſo authore paulò ante nonnihil conticuiſſe videbantur; ſubitò iterum cauſâ ipſius exortæ, Regni & Provinciarum tranquillitatem perturbarent, magno malo, quod non *Bohemia* tantùm, ſed & *Moravia* ſummè pernicioſum ſenſit.

Georgius ad obedientiam Sedi Apoſtolicæ præſtandam, paratus quidem,

Sed ità, ut Compactata maneant ſuo in vigore:

â quibus nullo modo recedere vult.

Primò omnium *Iglavienſes*, quòd Schiſmatici, (ſic illum nominabant) Regis detrectarent imperia, molem exorti belli in ſe devoluerunt. Nam *Georgius* videns *Moravos* â partibus ſuis haud obſcurè adverſos, ut qui de more invitati ad cohoneſtandam & ornandam regiæ inaugurationis celebritatem comparuiſſent pauci, & ex Civitatibus prorſus nulli; ſolus tantùm *Capitaneus Provinciæ*, licèt jam ætate gravis, cum duobus filijs *Ctiborio & Joanne*, & quibusdam alijs exiguo numero: illos ante omnes ad officium reducendos ſtatuit. Mox igitur Feriâ III. poſt feſtum SS. Trinitatis, die 6. Junij, convocato ſub ſigna milite, & Regni curâ *Henrico de Straz*, & *Henrico Bercæ* commiſsâ, (*Joannem de Roſis*, Sileſijs; & *Zdenkonem â Sternberg* Burggravium Prag. Luſatijs invigilare juſſit,) in Moraviam contendit. Ubi ex itinere *Telczio*, *Slavonicio*, *Gemnicio*, *& caſtro VVranovv*, nullo ferè negotio in poteſtatem redactis, unà cum locorum Dominis, *Znogmam* rectâ perrexit; ut ab ea parte, vel maximè res ſuas firmaret, nec deinceps haberet, quod ab Auſtria metueret. Exceptus eſt *â Znogmenſibus*, præter omnium expectationem, ſingulari, incertum tamen, an non ſimulatâ lætitiâ, vel metu tanti exercitûs perterritis; vel aliorum, qui ipſum jam antè, quà tranſibat, *in Dominum* ſuſcepiſſent, exemplo. Quibus in fidem receptis, & privilegijs eorum confirmatis, *Brunam* petijt: emiſſo priùs decreto, & *per totam Moraviam* publicato, cui etiam *Capitaneus Provinciæ*, *Znogmam veniens*, nomen appoſuerat ſuum; quo mandabatur univerſis, ut pro IV. Non. Julij, *Brunam* ad ſe convenirent, Sacramentum dicturi, & ab ipſo viciſſim accepturi: ſecùs contumaces ſe hoſtium ac perduellium loco habiturum.

Georgium in Moraviam profectus. *VVeleslav. in Cal. Hiſt. ad d. 6. Junij.*

Civitates ac reliquos Status, ad obſequium reducit. *Cochl. lib. 12. Theobald. in Hiſt. Huſſit. part. 3 cap. 6. Hagec. Kuthen. ad an. 1458. MS. Anon. Prag. Pernſt. VVrzeſov.*

Brunam venit; ubi in Marchionem & Dominum ſuſcipitur.

Nihilominùs *Brunenſes* auſi fuere ei adventanti occludere portas: die tamen

men ſequenti, dum viderent Regem parare oppugnationem, ad pacis conſilia reverſi, veniámque precati, eum magno cum honore intromiſerunt, & *in Regem, Marchionem ac Dominum* ſuſceperunt. Idem & *Olomucenſes, Hradiſtenſes, Unczowvienſes, & Litovelienſes* fecerunt, nolentes in officio propenſioris voluntatis & ſtudij eſſe ultimi. Juratum deinde in verba Regis, poſtquàm & ille fide ac Sacramento ſe obſtrinxiſſet, quòd *Religionem Catholicam*, omnéſque Ordines in ſuis libertatibus defenſurus eſſet, ac jus æquabiliter dicundo, omnibus ex æquo juſtitiam adminiſtraturus. *Primarios Moraviæ proceres*, qui aderant, recenſet ipſemet Rex *in confirmatione Privilegiorum Marchionatûs*, propoſita quidem *Znogmæ*, die 16. Junij, ſed *Brunæ* pleniùs deliberata & confecta. Eorum nomina: *Przemko Dux Tieſſinenſis, Joannes de Cymburg, aliàs de Tovvaczovv, Henricus de Lippa, Georgius de Kravarz & Straznicz, Beneſſius de Bozkovicz & Czerna Hora, Kuna de Kunſtat & Polebradicz, Joannes de Pernſtein, VVanko de Bozkovicz & Letovicz, Przemko de Kunſtat, Smil de Lichtmburg & Bitovv, Joannes de Kunſtat cognomento Zagimacz, Marquardus de Lomnicz, Carolus de VVlaſſim, Joannes de VValdſtein, Stephanus de Lichtmburg & Corſtein, VVok de Sovinecz aliàs de Helfenſtein,* &c.

Confirmat Privilegia Moravis.

Nomina primariorum tunc Procerum Moraviæ.

Hoc modo civitates omnes, tum & alij *Moraviæ Status*, ad obſequium Georgij ſunt reducti, exceptis ſolis *Iglavienſibus*; qui non modò oblatam à Rege pacem & veniam ſuperbè rejecerunt, ſed accepto *ab Archiduce Auſtriæ Alberto*, occultè militari præſidio, paratiſque ad defenſionem armis & animis, quinque ferè menſium obſidionem tulerunt, pari Bohemorum, ac vitæ fortunarúmque ſuarum contemptu. Nam Rex hanc eorum contumaciam ægerrimè ferens, & quòd ipſi ſoli ex Moravis imperata facere obſtinaciùs abnuerent, irâ atque odio exardens, vi compeſcendos, armíſque illatis ad officium reducendos decrevit. Statímque filio *Victorino* in mandatis dedit, ut præter eas copias, quas ſub ſignis haberet, primo quoque tempore, ac majori quâ poſſet celeritate, quatuor adhuc millia peditum conſcribenda curaret, & cum ijs ad obſidendam rebellium urbem proficiſceretur. Exiſtimabat enim, ſi non vi, fame certè, ac rerum neceſſariarum penuriâ, cùm nondum maturæ eſſent ſegetes, & quidquid erat veteris commeatûs, id potiori jam ex parte conſumptum eſſe putaret, ſi modò tempeſtivè arctior obſidio inſtitueretur, eam utpote multitudine populi ingenti refertam facili negotio, & citra ſanguinem expugnare poſſe. Cùm tamen his difficultatum caſibus oppidani, convectis ex ſuburbanis prædijs omnis generis commeatibus, qui à præterita adhuc æſtate ſupererant, cæteríſque tolerandæ obſidioni neceſſarijs, abundè tempeſtivéque proſpexiſſent. Duravit obſidio *à III. Idus Julij, uſque ad Calendas Decembris*, creſcente indiès obſidentium copiâ; adeò ut ad extremum, cùm *Joannes de Roſis*, cum mille & ſexcentis peditibus, & ipſe Rex *Regino Hradecio*, quò *Brunâ* ſtatim diſceſſerat, ibique *maximo applauſu pompâque*, (ùt narrat, qui viderat) *uno quoque opificum collegio, cum ſuis vexillis, ei obviam procedente, à Senatu verò ſub umbella protenſa, magnâ veneratione*

MS. Pernſt. MS. Trebic. MS. Ctiborij de Cymburg.

Soli Iglavienſes, eum pro Rege & Domino agnoſcere nolunt:

quorum contumaciam caſtigandam Rex ſuſcipit,

& civitatem obſidere jubet.

Civium ad defenſionem animi.

Cochl. Hagek. Kuthen. Theobald. citati. MS. tit. Danbr. lib. 30. MS. Iglavienſe, apud me fol. 8. & ſequ.

ratione exceptus fuerat, redux, cum prætoriano milite acceſſiſſet, decem millia peditum, ac mille & ducenti equitum, numerarentur. Sub id tempus exoritur inter *Fridericum Imp.* & fratrem ejus *Albertum*, propter Auſtriæ hæreditatem diſſidium grave, *Alberto & Sigiſmundo* patruele æqualem Auſtriæ diviſionem urgentibus; è contra verò Cæſare, contra pacta legésque patrias eam eſſe dicente, ſibíque ſoli, tanquam majori natu ex Auſtriæ Principibus, Provinciæ totius adminiſtrationem arrogante: ità ut ad arma tandem ventum fuerit, *Viennenſibus* in hoc diſturbio egregiè frigidam ſuffundentibus.

Georgius ſtat pro Cæſare, adversùs Albertum Archid. & Vienenſes:

Georgius ergò, ut in tam dubijs ſuis rebus, inſigni aliquo beneficio Imperatorem ſibi demereri poſſet, & etiam in *Albertum*, propter miſſa Iglavienſibus auxilia, & quædam alia, malè animatus; relictâ ad continuandam obſidionem parte exercitûs, cum reliquis *in Auſtriam*, quò aſſiduis penè nuncijs vocabatur, citatis paſſibus contendit: dúmque jam ad *Kremſium* tertijs acceleráſſet caſtris, certâ delatione didicit, Imperatorem cum fratre tranſegiſſe controverſiam omnem, & *Viennenſes* prioris juramenti religione, quâ *Alberto* & patrueli ejus *Sigismundo* ſeſe temerè obſtrinxiſſent, ſolutos, Imperatori ejúsque hæredibus fidem obſequiúmque præſtitiſſe. Caſtris igitur in loco fixis, ipſemet cum ſelectiore manu propiùs *Viennam* acceſſit: ubi cum *Joanne Ungnodio*, & *Joanne Rorbachio*, Cæſareis legatis, ſecretò loquutus, diem nominari petijt, quo præſentiam Cæſaris venerari, eíque obſequia ſua, ad Danubij pontem, ſi Majeſtati ejus commodum videretur, deferre poſſet. Nec diu poſt, *Imperator Novoſtadij Auſtriæ* moratus, *Viennam* appulit, colloquióque habito, (etſi ſint, qui hæc non inter ipſos, ſed per Oratores acta fuiſſe narrent) non tantùm amicitiæ fœdus cum Rege pepigit, ſed cùm is oſtenderet ſe nequaquàm abhorrere ab obedientia Sedi Apoſtolicæ conſveto more præſtanda, etiam quò faciliùs â Pontifice Compactatorum confirmationem obtinere poſſet, fideliter ſe adlaboraturum ſpopondit. Aderant ibi è proceribus Moravis, *Henricus de Lippa*, *Carolus de Wlaſsim*, *Ctiborius & Joannes fratres Cymburgij* ſeu Tovaczovij; quorum operâ interveniente, Imperator etiam Iglavienſibus Regem placatum reddidit, his ferè conditionibus; quæ tamen primò *in feſto S. Andreæ Ap.* fuère Pragæ concluſæ, & tunc quoque obſidio ſoluta: *Ut cives fidem Regi jurejurando præſtarent; liceret tamen ipſis ſub una tantùm ſpecie ſacram Synaxim percipere. Et quoniam præpoſteris ſuis conſilijs auctores erant Regi, expenſas in bellum faciendi, mulctæ loçò, viginti millia ſexagenarum Moravicarum deponere, ac præſidium Regis in urbem ſuſcipere tenerentur.* His transactis, cùm â Cæſare numerata eſſent Regi ſedecim aureorum nummûm millia, ſive donativi locò, pro ſibi adducto militari ſubſidio, ſive, ùt referunt Scriptores Auſtriaci, pro Cunrado quodam Holczelio, qui Pragæ captivus tenebatur, pacta; Rex diviſo, uti conventum erat, in tres partes exercitu, quò minùs Provinciæ damni inferretur, finibus Auſtriæ exceſſit.

ideóque cum parte exercitus, in Auſtriam movet:

ad Kremſium ſubſiſtit:

Viennam versùs progreditur:

Cæſarem convenit, & cum eo fœdus amicitiæ init,

Cæſare interveniente, & quibusdam proceribus Moravis, *MS. Ctiborij & Cymb. Pernſt. Ex Archivo Lippæo. MS. Prag.* cum Iglavienſibus tranſigit.

à Cæſare remuneratur: in Bohemiam revertitur. *Roo l. 6. ad fin. VVeleslav. in Calend. Hiſt. ad diem XIII. July.*

Paulò citiùs, quàm veniſſet *Georgius* in Moraviam, quidam ex contubernio, ſeu *fraterna*, de qua ſuprà, *ſocietate Akſamitkonis*, vir ad omnia prom-

nova in confinijs Moraviæ & Auſtriæ latrocinia;

promptus & audax, nomine *Martinus de Koberzicz* Eques Moravus; ſed â commilitonibus ſuis vulgò nominatus *frater Ledvinka*, quòd præ alijs cibis frequentiùs, & libentiùs ſoleret comedere animalium *renes*, qui â Moravis Slavíſque **Ledwiny**/ & in diminutivo **Ledwinky** vocantur: congregatâ forti manu ex audaciſſimis quibúſque, & *Rabenſpurgo* caſtro, *Cabnoviáque* oppido, in confinijs Moraviæ & Auſtriæ, ad flumen Moravæ ſito; ac brevi etiam *Idenſpacho*, *Divi Ulrici fano*, aliíſque vicinioribus in Auſtria caſtellis, partim vi, partim dolo occupatis, totam Auſtriæ oram illam amœniſſimam, *Marckfeld* dictam, *ad Viennam usque*, graviſſimis excurſionibus infeſtare cœpit, ac in obvia cuncta rapinis, furtis; & ubi contentiùs reſtitiſſent, cædibus & incendijs graſſabatur immaniter: ità ut *Kornaburgenſibus* quoque, niſi imperatam pecuniam, intra præfinitum tempus, tributi loco ſolvere, eáque ſeſe & ſuburbanas villas redimere vellent, parem cædis ac ignis cladem, & extrema quæque minari, denunciaréque non dubitaret: ultimò etiam *Viennenſibus* gravis, quibus, & præſertim viatoribus, qui ultro citróque commeabant, multùm incommodi inferebat.

ſed Auſtriæ ut plurimum infeſta.
MS. Pernſt. Ex Archivo Lippæ. Cuſpinian. in Frid. III.

Alberti Archid. expeditio contra graſſatores, feliciter ſuſcepta;

Contra hunc *Albertus*, copias militares ad tria millia peditum, & ſexcentos equites in promptu habens duxit, præmiſſo *Georgio Pottendorffio*, cum una cohorte peditum, & ſexaginta equitibus, qui obſervaret, ne quid inſidiarum in via lateret. Hic cognito per exploratores, hoſtes ex *Divi Ulrici fano* prædatum exiviſſe, versùs *Kornaburgum*, magno numero, faciléque per abſentiam illorum, oppidum occupari poſſe, quòd exiguo teneretur præſidio, ſi modò celeritas & modus aliquis opportunus adhibeatur; eò ſine mora properavit. Et quia *linguæ bohemiæ gnaros* habebat inter ſuos, non paucos, poſtquàm ad oppidum obſcurâ nocte acceſſiſſet, ſéque *Cabnoviâ* venire ſimulando portas aperiri poſtulâſſet, quòd Illuſtres aliquos viros ex itinere captos duceret; & deceptis hoc aſtu cuſtodibus intromiſsúſque, ſine cæde, ſine ſanguine, oppidum & arcem occupavit. Statimque id *Alberto* per expeditos equites nunciavit, rogans ut accelerarét, priusquàm redirent hoſtes, aut alij ê propinquis locis congregarentur ſuis in auxilium: qui haud multo poſt maximâ adhibitâ celeritate, & feſtinandi diligentiâ advenit.

Divi Ulrici fanum, vulgò **Ulrichskirch**, *ab Auſtriacis recuperatur aſtu.*

Capti ex hoſtibus Viennam abducti.

Capti ex hoſtibus octoginta quatuor, mox nocte ſequenti *Viennam* ſunt ducti, laqueo deſtinati: *Pottendorffius* verò iterum miſſus cum idonea equitum peditúmque manu, ut illorum qui *Kornaburgum* versùs excurrerant, conatus & facta exploraret, viderétque ut alicubi inſidijs exceptos, inſigni aliquâ clade afficeret. Qui denuò fortunâ propitiâ uſus, hoſtes, quibus jam aliquid de profectione *Alberti* innotuerat, domum citatis paſſibus, ſervatis tamen ordinibus properantes, in valle quadam ſummo impetu invaſit; & inopinato ſuo adventu perculſos perturbatóſque, poſtquàm per mediæ circiter horæ ſpatium, dubio aliquantùm Marte dimicâſſet, disjecit tandem, & vel occidit, vel captivos abduxit: ità ut damna hactenus ab ijs accepta, egregiè vindicâſſe reſarcijſſéque exiſtimaretur. Capto *Divi Ulrici fano*, & præſidio munito, *Albertus* ulteriùs progreſſus, *Mislbachium* ab hoſtibus relictum facili negotio cepit: ac demum flexo dextrorsùm itinere, rectà versùs *Cabnoviam*

Nova latronum clades, quam

ſequuntur oppida, & caſtra ab Alberto recepta;

viam curſum direxit, quam ab hoſtibus ſimiliter deſertam, ſine ſuorum vulnere in poteſtatem redegit. Reſtabant arces *Rabenſpurgum* & *Idenſpachum*; & illa quidem jugo editi montis imminens, atque præſidio perquam valido munita, cui ipſemet *Martinus* præerat, ideóque expugnatu, cum tam modica copiarum parte, difficilis. *Albertus* igitur eâ relictâ, & promotis aliò caſtris contra *Idenſpachum* duxit. Hoc â *Joanne de Rziczan*, Telephi patruele, juvene ſuperbij ingenij, projectæque audaciæ cuſtodiebatur: qui cùm ab Auſtriacis moneretur, ut arce deditâ, ſe & vitam ad meliora ſervaret; Albertum cupere ei, propter Familiæ præſtantiam, & cognatos, quos ſciret eſſe viros clariſſimos, ut ſalvus abire poſſet; reſpondit paucis, ſibi in animo eſſe, honeſtè potiùs occumbendi, quàm ut ab ipſo fraude circumventus in captivitatem redigatur, & catenis collum oneratus, *Viennam* in carcerem ducatur. Nec aliter fecit: poſtquàm enim per quatuor continuos dies ſuſtinuiſſet oppugnationem, ultimò in ipſâ arcis porta, inter primos acerrimè pugnans, haſtâque oblonga uno atque altero ictu transfixus occubuit; reliqui pari ſorte vel occiſi, vel captivi facti.

unicâ tantùm arce exceptâ,

poſtquàm Idenſpachum fuiſſet recuperatum,

tota Auſtria â latrocinijs expurgata.

Hunc in modum *Albertus* partâ victoriâ, & purgatâ utcúnque ab ea parte â latrocinijs Auſtria, ac curribus prædâ onuſtis, vexillis, impedimentiſque hoſtium potitus, cum captivis (ducentos & octo *Pernſteinius*, alij plures numerant) lentis paſſibus Viennam reverſus eſt. Æneas narrat brevibus hiſce: *Interea latrones trans Danubium in Auſtriam, ad Moravæ fluminis ripam, munitum locum occupavêre, omnémque circa regionem rapinis, atque incendijs vexare cœperunt. Adversùs quos profectus Albertus, latrones vi cepit, interfectiſque pugnando compluribus, quingentos & quinquaginta captivos abduxit; ex quibus octoginta furcâ ſuſpendit. Quæ res magnum ei apud Auſtrales, & nomen peperit, & favorem.* Et Cuſpinianus: *Cùm jam fratres concordati forent, trans Danubium latrones juxta Moravæ fluminis ripam conſederunt, in Auſtriam excurſiones facientes, duce archiprædone Ladvvencko. Albertus hoc cepit.* &c.

Albertus triumphanti ſimilis Viennam revertitur.

Æn. in Europa cap. 28.

Captivorum ſupplicia.

Cuſpin. in Frid. III.

Redux in Bohemiam *Georgius Rex*, & gratiâ Cæſaris multùm ſublimis, faciliùs demum reſiduos Proceres, qui minùs favebant hactenus, in partes ſuas traduxit; ità ut deinceps nemo fuerit, qui eum pro legitimo Rege non agnoſceret. *Luſatia* quoque *ſuperior* modicâ primùm, ſed nullâ poſtmodùm tergiverſatione, ejus fidei poteſtatique ſe ſubmiſit: *inferior* abalienata tunc ſub ditione *Frid. II. March. ac Electoris Brandeb.* fuit; cujus tamen partem, haud multo poſt *Georgius*, armis repetijt. *Sileſij* tantùm ſoli, parere ei pertinaciſſimè recuſabant: qui ſtatim poſt Electionem, conventu *Lignicij*, die 22. Martij, atque iterum alio *Wratiſlaviæ*, die 19. Aprilis habito, novo eóque arctiori fœdere ſeſe adversùs Regem conſociavêre; (ſi tamen ejuſmodi fœdera ſubditorum, contra legitimam Superiorum poteſtatem, dicenda ſint fœdera, & non rectiùs *conſpirationes*;) quem uno omnium conſenſu repudiârunt; lege latâ, ut pro hoſte haberetur, quiſquis eum ſuſpiciendum ſvaderet. Optabatúrque Rex & Dominus alius, â quibuſdam *Cazimirus Rex Poloniæ*; â quibuſdam *Wilhelmus Dux Saxoniæ*, ſororius utérque defuncti

Georgius Rex Boh. omnes tandem imperio ſuo ſubjicit,

præter Sileſios, qui nullo modo eum pro Rege agnoſcere volunt:

ſed potiùs aliosDominos quærint; fruſtra licèt. *Fabric. in Orig Sax. l. 7. Cremer. l. 24. Curæus.*

Ladislai Regis. Quorum tamen neuter oblatum acceptare voluit imperium; ille *Pruſſico bello* prohiberi ſe, ne Regni vires aliò diſtraheret: hic verò præ oculis habens ſuperioris tempeſtatis bella, cum Bohemis infeliciſſimè geſta, quorum ſupereſſent palam funeſta & luctuoſa veſtigia, *Bohemos amicos*, quàm hoſtes habere & conſervare maluit.

Georgij moderatio,

At *Georgius*, cujus moderatio & patientia, etiam in tanto Regiæ dignitatis faſtigio fuit eximia, nihil eâ ſeceſſione illorum motus, aut offenſus, id potiùs ſolicitè egit, quomodo pacatè, & ſine cæde, poſſet eos componere, ac reducere ad obſequium: neque enim exiſtimabat aſperiora, & dubia ægris admovenda, non dum ſpe ſalutis amiſsâ; omnia denique alia priùs, quàm bellum tentanda cenſuit. Miſſo itàque Cancellario Regni *Procopio de Rabenſtein*, ſvaviter eos officij admoneri juſſit, privilegiorum, jurium ac libertatum omnium confirmationem offerens; modò reſipiſcere vellent, & ſe Regem agnoſcerent. Idem fecerunt *Proceres Bohemi*; qui non ceſſabant interpellare eos literis legationibúsque, & hortari, ut ad tranquilliora conſilia animos converterent: docebántque, quæ paulò ante toleráſſent, & quæ impoſterum toleranda manerent eos bellorum adverſa, ſi obſtinaciùs perſiſterent in propoſito, & Regi legitimè electo parere nollent. Adjecerunt in ultimis, die feſto S. Joannis Evang. datis: Secùs *conabimur adjutorio eſſe Regi noſtro, ut jura Regni, & Coronæ amplitudo conſerventur, quæ felicioribus auſpicijs, per Divæ memoriæ Reges, atque majores noſtros, pro Regni incremento, diverſarum provinciarum eidem Coronæ incorporationem adaucta unitáque fuêre. Datum Pragæ in noſtra generali Congregatione, die S. Joannis Ap. & Evang. an. 1458.*

qui omnia priùs, quàm bellum experiri vult. Bohemi Proceres, Sileſios iteratò monent, ut Regem legitimè electum agnoſcant; ſecùs ſe illos hoſtium loco habituros.

Nomina Bohemorum Procerum commemorari hic placuit, ad poſteritatis memoriam. *Cochl. in Hiſt. Huſſ. lib. 12. Theobald. in Huſſit. part. 3. cap. 6. MS. diverſa.*

Nomina Procerum fuêre poſita ad initium literarum, hoc ordine, prout illa apud Cochlæum & Theobaldum legimus: *Nos Joannes de Roſenberg Capitaneus Sileſiæ, Zdenko de Sternberg Burggravius Prag. Henricus Berka de Dube, Joannes de Koldicz, Jaroslaus Plichta de Zierotin, VVilhelmus junior de Riſenberg, Theodoricus de Janovicz, Joannes de VVartmberg, Bobuslaus de Sſvamberg, Joannes Zagimacz de Kunſtat, VVilhelmus de Ilburg, Burjanus de Guttenſtein, Henricus de Kolovvrat, Jeſſek de Bozkovjcz, Sobieslaus de Pardubicz, Zdenko Koſtka de Poſtupicz, Magiſter monetæ montium Kuttnenſium; Joannes Czalta de Kamenna Hora, Burjanus Trczka de Lippj Scriba Regni, Jakubko de VVrzeſovicz, Joannes Malovecz de Paczovv, Nicolaus de Lobkovicz, VVenceslaus de VValeczovv, Subcamerarius Regni Bob. cæterique Barones & Nobiles in præſenti Dietæ congregati. Illuſtribus Principibus & Dominis, Domino Henrico Glogovienſi, Domino Baltaſaro & Domino Joanni Saganenſibus, Domino Conrado albo Olzinenſi, Domino Friderico Lignicenſi, Ducibus in Sileſia. Ac honorabilibus Adminiſtratori, & Capitulo Eccleſiæ VVratislavienſis; Vaſallis, & civitatibus VVratislavienſi, Novoforenſi & Namslavienſi. Dominis noſtris, & amicis. Servitiorum promptam voluntatem.* Sed fruſtra fuêre omnia. Tantus erat apud Sileſios tunc Catholicæ Religionis fervor! qui odio ſectæ Huſſiticæ, nullâ ratione adduci poterant, ut *Georgium*, quem ejuſdem ſectæ manifeſtum dicebant, pro Rege agnoſcerent, eíque vel in minimo obedientiam præſtare vellent.

Sileſiorum tunc in Catholica Religione zelus.

Per

Digitized by Google

Æneas Sylvius fit Pontifex Max. *Pius II.*

Per id tempus *Caliſto Papâ* mortuo, in feſto *Transfigurat. Dominicæ*, quod, ùt ſuprà narravimùs, in Eccleſia Latina celebre inſtituerat primus, ſuffectus eſt ſtatim decimo tertio pòſt die, miro omnium Patrum conſenſu, *Æneas Sylvius*, cujus jam antea fuerat mentio frequens, *Cardinalis tit. S. Sabinæ, patriâ Senenſis, gente Picolomineus*, annos natus quinquaginta tres: per omnium dignitatum gradus, ad ampliſſimum hoc munus Apoſtolicum evectus; doctrinâ, literis, rerum cognitione & uſu, fortitudine animi, dexteritate, conſilio, prudentiâ nulli ſecundus, ac imprimìs eloquentiâ præſtans: qui *cùm ſæpiùs ijsdem de rebus loqueretur, diverſa ſemper viſus eſt dicere*; tanta erat in eo elegantia, & copia. Paulò ante ſuam Electionem, dum *in balneis Viterbianis* valetudinis causâ ageret, *Hiſtoriam Bohemicam*, ùt refert Platina in ejus vita, *incboavit*, quam deinde Pontifex exiſtens perfecit: quod ſanè magno honori nobis eſt, *habere Patriæ ac Gentis noſtræ Scriptorem, Summum quondam in terris Eccleſiæ Principem*. Inthronizatus die 3. Sept. & nomine *Pÿ II.* ſuſcepto, totum ſe ad curam Reip. Chriſtianæ, & præcipuè ad bellum Turcis inferendum convertit. Ac probè ſciens, ad tam *grande Martis opus*, non unius aut alterius Regni vires neceſſarias eſſe, ſed omnium Chriſtianorum Principum, ac totius Europæ; ideóque conferenda eſſe priùs conſilia cum ijs, quorum auxilia adhibenda forent: Concilium Principum omnium, & liberorum populorum convocare decrevit, loco aliquo omnibus commodo, electis ad hoc *Utino* in Foro Julij ſubjecto Venetis, aut *Mantuâ* Galliæ Ciſalpinæ civitate ampliſſimâ, in ſolo fertili, & vicinâ tam Gallis quàm Germanis: ac per literas publicas conventum indixit ad Calendas Junias anni proximi.

Hiſtoriæ Bohem. Authore unde meritò gloriamur. *Platina in Vita Pÿ II.*

Hic ut ſecuritati Reip. Chriſtianæ adversùs Turcas proſpiceret,

Conventum Principum Mantuam indicit:

Inter alios per Europam Reges atque Principes, invitavit eò etiam *Bohemiæ Regem Georgium*: quem quia familiariùs noverat, â colloquij illius tempore, quod *in Comitÿs Bohemorum*, utì retulimus ſuprà, *Beneſſoviæ anno 1451. celebratis*, tunc in Aula Cæſaris ſecretiorum conſiliorum primarius arbiter, & ad eádem Comitia, Ladislai Regis causâ, legatus â Cæſare miſſus, cum illo habuit, ſperabat ad comparendum præ cæteris promptiorem futurum. Literis igitur ad eum Româ datis, anno 1458. Cal. Octobr. admodùm benignis, & cùm præfatione regij tituli, *Chariſſimo in Chriſto filio, Georgio Bohemiæ Regi Illuſtri*: amanter hortatus eſt, ut Mantuam, vel Utinam ad proximas Junij Calendas, perſonaliter venire vellet. *Habitus es ſemper*, inquit, *Chariſſime fili, devotiſſimus Princeps, & Fidei ac religionis cultor præcipuus. Accedit & potentia ſingularis, quâ ideò Deus omnipotens inſignire te voluit, ut eſſet, qui tempore neceſſitatis, qualis nunc immınet, illam ad protectionem ſui gregis conferret.* Addidit: quòd ſi fortè non poſſet venire, ſaltèm Oratores mitteret cum plena poteſtate, non ad decernenda ſolùm ea, quorum causâ Conventus hic indiceretur; ſed etiam ad componendam pacem, vel inducias cum ijs, cum quibus ei eſſet forſan contentio: ut demum placatis ubique Fidelibus, concordiùs cœptum opus promoveri poſſet. Ideò autem prædicta loca Germaniæ vicina ſe delegiſſe, ut tanto faciliùs, vel ipſamet Serenitas, vel aliqui Principes de latere ejus, eò accedere poſſent.

quò etiam Georgium Regem Boh. invitat,

datis ad eum literis admodùm benignis. *Cochl ſupra cit. MS. Codex min. liter. publ. fol. 137. Alius germain, in eodem Archivo Capit. Metr. Prag ſub tit. Epiſtola Joan. de Hrodna, Protonotary Regis Hung.*

Henrico juniori, alio nomine *Hynkoni Regis filio*, *Anna VVilhelmi Ducis filia*. Quâ affinitate, præſertim cùm alia adhuc, cum *Alberto Brandeb.* deſponſatâ filiâ ipſius *Urſulâ*, *Henrico ſeniori filio* acceſſiſſet, res ſuas plurimùm ſtabilivit.

ac demum etiam cum Electore Brandeburgi.

Recrudeſcentibus interea, & *gliſcentibus* majoribus indiès, *Fridericum Cæſarem inter & Albertum fratrem* diſcordijs, cùm eſſent ex Auſtriacis proceribus quàm plurimi, qui eas non modò foverent, ſed magìs ac magìs augerent, bellum parabatur: quod brevi etiam erupiſſet in apertum, niſi *Georgius Rex* inhibuiſſet *Bohemis & Moravis*, ſub læſæ Majeſtatis pœna, ne armis cum *Alberto* ſociatis, prout aliàs invitabantur ab eo ampliſſimis ſtipendijs, quidquam hoſtile tentarent adversùs Cæſarem. Actum deinde per legatos *Cæſaris & Regis* ultro citróque commeantes, ſi quo modo fieri poſſet, ut certo die & loco ambo convenirent, & in præſentiarum, de mutuis fœderibus, certâ pactorum lege confirmandis, inchoata jam nuper *Znogma* per internuncios conſilia, bono fine terminarent. Quo autem tempore, quóve loco colloquium inſtitueretur, totum id Cæſar arbitrio ac voluntati *Georgij* permiſit, dummodò nollet illud quàm longiſſimè protractum. Et hic quidem locum facilè nominavit, *invitando Cæſarem ad ſe Brunam*, in civitatem Moraviæ è præcipuis unam, & ab Auſtriæ finibus non usque adeò diſſitam: diem tamen nullum præfigere voluit, ſed in beneplacito Cæſaris reliquit, veniret, quandocúnque ei liberet; ſe interim præceſſurum, & pro feſto *S. Jacobi Ap.* Brunæ adfuturum. Venitque eo in pervigilio ejusdem feſti, & quadriduo pòſt, etiam Cæſar: quem *Georgius*, obviam ad usque medium milliare, cum tota penè Nobilitate Morava, quæ maximo numero eò confluxerat, foras progreſſus, venerabundus, & ſingulari cum lætitiâ excepit, atque in urbem deductum exquitiſſimis, ùt tantum decebat hoſpitem, honoribus proſequutus eſt. Transègere complures dies ſimul: interdum ſerijs negotiorum ſuorum conſilijs pertractandis operam dantes; interdum verò remiſſo animo, ludis & ſpectaculis intenti. Suus etiam dies Nobilitati utriúsque partis, ad vires, induſtriam & agilitatē oſtentandam, in equeſtribus decurſionibus, aliísque ludis, datus eſt: in quibus palmam tuliſſe ex Moravis, *VVilhelmum à Pernſtein*, *Albertum à Sternberg*, *Carolum de VVlaſſim*, *Jeſſkonem ab Horka*, *Ladislaum à* Weitmille, *Hoſtislaum à Zierotin*, *Georgium à Kauniсz*, *Duchoslaum à* Kunovicz, *Hynkonem de Pruſinovicz*, *Joannem Borzitam*, *Andream Konias*, *VVilbelmum Tettaur*, *Bobuslaum de* Kokor, *& Hynkonem de Zuvole*, ſcribit *Pernſteinius*.

Georgius ſtat pro parte Cæſaris, contra rebelles Auſtriacos:

& idcirco fœdus mutuum Cæſari offert:

quem in Moraviam invitat.

Cæſar Brunam venit, ad ineundam confœderationem cum Georgio:

MS. Pernſt. Trebic. Gold. in Append. Doc. in Comment. Regni Bob.

MS. Adalb. à Pernſt. in fragm. Hiſt. de bello Huſſit. & rebus per Moraviam geſtis, ad an. 1459.

Inter alia Cæſar, ut eò magis ſibi devinciret Regis & Bohemorum animos, Privilegia Regni, jura, libertates, & his ſimilia confirmavit per ſolemne Imperiale diploma, quod incipit: *Fridericus, Divinâ favente Clementiâ, Romanorum Imp. ſemper Auguſtus &c. Sanè ad noſtra Imperialis Celſitudinis præſentiam accedens, Sereniſſimus ac Illuſtriſſ. Princeps, Georgius Bohemiæ Rex, affinis noſter chariſſimus, S. R. Imperij Archipincerna, atque Princeps Elector, nobis humiliter ſupplicavit: quatenùs ſibi, uti Regi Bohemiæ, & eidem Regno*

Privilegia Regni Boh. confirmat.

MS. Codex min. liter. publ. in Bibl. Cap. Prag.

MS. Privileg. Regni Boh.

atque

Digitized by Google

atque Coronæ Bohemiæ, omnia & ſingula eorum privilegia, jura, literas, libertates, gratias, immunitates, donationes, conceſſiones & indulta, â Divis Regibus & Imperatoribus Rom. prædeceſſoribus noſtris, ipſi ùt Regi Bohemiæ, ac Regno Bohemiæ data & conceſſa, ſeu datas & conceſſas, de noſtra Imperialis Maj. clementia, confirmare, ratificare & approbare dignaremur gratioſè. Nos igitur &c. Datum Brunæ, die ultimâ Julij, anno 1459. Regnorum noſtrorum, Romani viceſimo, Imperij octavo, Hungariæ primo. Erat *Fridericus* â paucis quibusdam ſeditioſis Hungaris, quorum anteſignani fuère *Nicolaus Willacus*, & *Sigismundus S. Georgij Comes*, in Regem electus; unde ſe Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Regem paſſim in literis nominabat; ſed ad ſceptra Regni, Matthiâ ſtrenuè reſiſtente, nunquam pervenit: ultimò potiùs cum Rege legitimo amicè transegit. Porrò confœderatio, (ut revertar, unde digreſſus ſum) Cæſaris cum Georgio, *Brunæ* inita, & utrinque non tantùm ſcriptis, verùm etiam juramentis firmata, erat iſta.

Cur Cæſar titulo Regis Hungariæ uſus fuerit. *Bonfin. dec. 3. lib. 10. Roo in Hiſt. Auſtr. l. 6.*

Confœderatio Friderici III. Imp. & Georgij Bohemiæ Regis,

Brunæ in Moravia inita an. 1459. die 11. Aug.

Fridericus, Divinâ favente clementiâ, Romanorum Imperator ſemper Auguſtus, Hungariæ, Dalmatiæ, Croatiæ &c. Rex, ac Auſtriæ, Styriæ, Carinthiæ, & Carniolæ Dux, Comes Tyrolis &c. Et Georgius Dei gratiâ Bohemiæ Rex, Marchio Moraviæ, Sileſiæ, & Luxenburgenſis Dux, & Luſatiæ Marchio &c. Recognoſcimus & notum facimus tenore præſentium Univerſis: Quòd attendentes, quid & quantum pacis, unionis & amicitiarum fœdera, Sacro Romano Imperio, ac alijs Regnis & Principatibus noſtris, quæ invicem confines exiſtunt, & ipſorum inhabitatoribus fructus afferant; præſertim cùm orbis Dominus, Imperator videlicet Auguſtus; & Principum ſuorum potiſſimus & Elector, Rex ſcilicet Bohemiæ, ſe mutuò auxilijs, conſilijs, favoribus & ligis proſequuntur; ſano noſtrorum Conſiliariorum, & fidelium accedente conſilio, & deliberatione maturâ præviâ, atque pro noſtro, & noſtrorum utrinque, ſubditorum incremento, ligas, uniones, amicitias, paciſque fœdera inivimus, atque præſentibus firmiter inimus, in hunc videlicet modum. Quod ſi â quopiam, cujuscunque præeminentiæ, ſtatûs, gradûs, dignitatis, conditionis, meritivè fuerit, Nos, aut alterum ex Nobis, moleſtari, inquietari ſeu turbari, quovis modo, ordine, & quæſito colore, in Regnis, Dominijs, honoribus, dignitatibus & ſtatibus noſtris; aut conſpirationes, conjurationes, conventicula, & alia quæcùnque in damnum, offenſam & perturbationem noſtram, aut alterutrius noſtrarùmque ditionum, quicquid fieri ſeu attentari contingeret; quòd ex tunc quilibet ex nobis, ad requiſitionem alterius læſi, aut quomodolibet inquietati, eidem læſo ſeu inquietato, conſilio, auxilio, adjutorio & favori realiter & cum effectu, ad propulſandam, & oppugnandam hujusmodi injuriam & moleſtiam, aſſiſtere debebit totiens, quotiens id neceſſarium fuerit & opportunum. Et ſi, quod abſit, inter nos ambos, aut noſtros, differentia quovis modo inantea orietur: ut in eum eventum, differentiarum hujusmodi deciſio, amicabiliter, aut per juſtitiam; in defectum amicabilis compoſitionis, per conſiliarios, Principes ipſius rei, ad requiſitionem conquerentis, expeditè fiat; & eam fieri Princeps requiſitus efficaciter procuret, dolo & fraude in his procul amotis: quemadmodùm

vigore cujus concluſum: ut qui eſſet hoſtis unius eſſet & alterius:

ideóque ad ferendam ſibi mutuò opem,

contra quosquis hoſtes promiſerunt juratâ fide.

Cautum præterea, ſi quid differentiarum privatim oriretur inter Confœderatos; qualiter id componi pacificè deberet.

Digitized by Google

dùm & Nos id facturos, verbis noſtris Imperiali & Regio, bonâ fide ac jurejurando, firmavimus. In omnibus tamen prædictis, Sanctiſſimo Domino Noſtro Papâ, & Sede Apoſtolicâ duntaxat exceptis. Harum teſtimonio literarum, noſtrorum Imperialis & Regalis ſigillorum appenſione munitarū. Datum Brunæ, die 11. menſis Auguſti, anno Domini milleſimo, quadringenteſſimo, quinquageſimo nono, noſtri Friderici Imperatoris annorum Imperij octavo, Regnorum autem noſtrorum, Romani Viceſimo, & Hungariæ &c. primo. Noſtri verò Georgij Regis Bohemiæ &c. Regni ſecundo.

Goldaſt in Commentar. de Regno Boh. privileg. in Append. Docum. pag. 106. MS Cod. liter. publ. in Archivo Cap. Metr. Prag. f. 205.

Confectis in hunc modum rebus, *Cæſar*, ſtatim die ſequenti Brunâ *Viennam*, & inde *Neapolim Auſtriæ* conceſſit. In itu reditſque *Zidlocbovicium* divertit, ab *Hynkone jun. de Waldſtein* (*Hynko ſenior, Brtnicij* tum dominabatur) lautiſſimo exceptus hoſpitio. Actum Brunæ fuerat etiam de concordia *Cæſarem inter, & Matthiam Regem Hung.* Georgio conciliatore, quem utráque pars elegerat in mediatorem, & arbitrum compoſitionis; aut ſaltèm induciarum, intra quarum ſpatium de pace, pleniore cum deliberatione agi tractaríque poſſet. Quid demum auditis partibus, ſtatuerit *Georgius Rex*, ex decreto ipſius die 12. Aug. publicato patet, quòd ſic habet.

Georgius, Cæſarem quoque, & Regem Hung Matthiam pacificare conatur:

Georgius Dei gratiâ &c. Notum facimus tenore præſentium univerſis. Quòd accedentes præſentiam Majeſtatis noſtræ, Nuncij & Oratores Sereniſſimi Principis & D.D. Friderici Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti, & Hungariæ Regis nominati, ac Auſtriæ Styriæ &c. Ducis, Domini noſtri gratioſi & affinis chariſſimi, Georgius Kunacher, & Ulricus Gravenecker. Et Oratores ac nuncij Sereniſſimi Matthiæ nominati Regis Hungariæ, &c. Reverendus Pater Joannes Epiſcopus Waradinenſis, & Oſvvaldus de Rozgon, plenis cum mandatis, pro nonnullis differentijs Regni Inclyti Hungariæ ſedandis, & amicabiliter inter partes componendis. Nos unanimi conſenſu in amicabilem compoſitorem, authoritate quâ funguntur, elegerunt; promittentes omnia & ſingula inferiùs contenta, nomine & vice Dominorum ſuorum, rata, grata & accepta habere, & ea firmiter obſervare, quæ inter eos amicabiliter interloquuti ſumus, & ea literis Dominorum ſuorum, ſuiſque ratificare promiſerunt.

Copia literarum Georgij, ſuper facto trevgarum, inter Cæſarem, & Regem Hung. ſigillis Dionyſij Card. Archi-Ep. Strigon. ſupremi Cancellarij Regij, & Stephani Archi-Ep. Colocenſ. communita.

inter quos, inducias procurat:

Nos advertentes quot quantáque exitus bellorum incerti, & guerrarum triſtes conflictus, pericula parturiêre, & inteſtina bella, ad exterminium feſtinent Regnorum, deſolationéſque adducant, inter partes utráſque amicabiliter interloquuti ſumus hunc in modum. Primò & ante omnia trevgas & inducias pacis indicimus partibus, tam in terris & dominijs eorum, quàm in rebus, perſonis, fautoribus eorum, duraturas à feſto S. Bartholomæi Ap. usque ad feſtum Nativ. S. Joannis Bapt. proximè venturum. Secundò, ſic trevgarum pace utrinque firmatâ, auctoritate ejusdem commiſſionis, dietam communem in feſto Converſ. S. Pauli Ap. proximè affuturo, in civitate noſtra Olomucenſi, utrique parti indicimus: volentes, ut utriúsque partis Oratores, pleno cum mandato illuc transmittantur; ubi nos perſonaliter conſtituti, auctore Deo, tentabimus, quomodo partes prædictas, per amicabiles tractatus, componeri valeamus, &c. In quorum fidem, has noſtras literas fieri, & ſigilli noſtri

quarum ſpatio de pace agi poſſit, Conventu ea de cauſa indicto Olomucium.

MS. Codex lit. publ. min. fol. 185. MS. Anon. Prag. MS. Pernſ.

Digitized by Google

ſtri appenſione juſſimus communiri. Datum Brunæ, die XII. menſis Aug. an. 1459. Regni noſtro ſecundo.

Cæſar Brunâ diſcedit Glacium: Poſt hæc *Georgius Glacium*, ac inde quantocyùs *in Sileſiam* properavit. Jam enim pleríque *Sileſiæ Principes, Prælati, Urbésque*, videntes *Georgium etiam ab Imperatore ipſo agnoſci Regem*, ſenſim remittebant à contumacia, parati tranſire in ejus partes: præſertim literis ab eo requiſiti, benevolentiæ ac fiduciæ plenis; qui exinde erecti, quòd ſe priùs appellatos Rex invitaret ad obſequium, omniſſis fœderatorum cœtibus, gratiam ipſius promereri, quàm indignationem ultimò experiri maluerunt. Prima in aditu Sileſiæ urbs *Svvidnicia* (*Münſterberga* & *Franckſteina* jam antea erant ipſius ditionis, dono data à Ladiſlao Rege) eum honorificè excepit, cum univerſa Nobilitate, quæ eò convenerat, pridie Cal. Septemb. *Javorovia* deinde à Principibus, Prælatis, Baronibus & civitatibus Rex eſt ſalutatus. Soli *VVratislavienſes & Namslavienſes*, cum *Capitularibus*, & Dux Saganenſis *Balthaſar*, obſequium detrectabant; usque adeò, ut *Epiſcopum Jodocum de Roſenberg Joannis fratrem*, recèns tunc à Sede Apoſtolica confirmatum, qui illos ad ſaniora conſilia reducere conabatur, & ut ab inani pertinacia, nil profutura, ſed nocitura magìs, dum adhuc reconciliationi locus eſſet, animos averterent, ſvadebat, multis convicijs proſcindire non vererentur.

ac indè in Sileſiam pergit,

à Sileſijs in Regem ſuſcipitur;

Solis VVratislavienſibus contradicentibus;

MS. Prag. Reginoldmdet. Curæus in Annal. Sileſ. Theobald. part. 3. cap. 7. Cochl. lib. 11.

Rex igitur animadvertens clementiâ nihil profici, nec niſi bello rebellium obſtinaciam poſſe frangi, urbem obſidere decrevit; & priùs adhuc metu tentare magis, quàm vi atque armis premere, tædio fortaſſe ac fatigatione flectendam. Itáque præſidia diſtribuit, per varia loca, ut civibus commeatus intercluderetur. Cúmque hæc clementiùs, quàm opportuniùs inſtitui videret, nec ab urbe quidquam pacati, ſed omnia hoſtilia oſtenderentur, civésque ſæpiùs nocturnâ eruptione caſtris obſidentium inſultarent, adeóque bellum, quàm pacem mallent; vim tandem adhibere juſſit: & revocatâ copiarum parte, quas ad obſidendos viarum aditus, atque ad arcendas commeatuum ſubvectiones, diverſis ductoribus, ſparſim habebat; ſuburbium Eccleſiæ S. Vincentij proximum occupavit. Propéque erat, ut in urbem quoque penetraret, niſi multitudo defenſorum, ocyùs ad eam partem, quâ aſcenſus tentabatur accurriſſet, egregiéque reſtitiſſet; ità ut pluribus ex ſuis ammiſſis, nec paucioribus vulneratis, cum clade recedere, ac ultimò etiam prementibus civibus, ſuburbia deſerere, ínque caſtra ſe recipere compulſus fuerit. Cecidêre in conflictu ad muros, & inter fugiendum, ſexaginta duo: inter quos, *Milota junior de Morkovicz* (Zaſtrzizlianæ ſtirpis) & *Hynko de Hodicz*, Moravi; *Zdenko item de Dobalicz* & *Ctibor de Tereſſovva* (aliàs Korzensky) Bohemi, viri Equeſtris Ordinis.

quibus Rex offenſus, VVratislaviam obſidet, & oppugnat:

ſed cum clade rejicitur.

MS. Anon. Prag. MS. VVenc. à VVratiſlav.

Nihil tamen eo rei malè geſtæ eventu turbatus Rex, obſidionem continuavit, & acceptam hanc ignominiam, fortiori auſu, ac meliori fortunâ, delere cupidus, denuò civitatem aggredi conſtituit. Quod videntes cives, & recenti victoriâ elati, totis quoque viribus ſeſe ad defenſionem parabant. Acerrimum, uti antea, initur prælium: quo fervente, diúque in ancipiti ſtante, multis

Oppugnationem continuat;

Digitized by Google

multíſque ex utrâque parte cadentibus, ultimò cùm glande peti[illegible]s & trajectus eſſet *Wladiſlaus Dux Glogov.* qui Regis locò certamini præ[illegible]it, pugna dirempta eſt: ubi iterum ex regijs deſiderati ſunt quadraginta & a[l]iquot; & ex Bohemis centurio quidam, nomine *Joannes Horczicze*, vir illuſtris, & *Georgio* ob rei militaris peritiam & fidelitatem ſummè charus. *ſed iterum repulſam patitur;* Interv[e]nientibus deinde legatis Saxoniæ Ducum, & Electoris Brandeb. Rex obſidionem ſolvit: & *commiſſa Cunrado Olſſnicenſi, & Henrico Freyſtadienſi Ducibus, Sileſiæ inferioris; Boleſlao Opolienſi, & Przemkoni Tieſſinenſi Ducibus, Sileſiæ ſuperioris curâ;* Victorino autem filio *Svidnicij* relicto, in Bohemiam rediit. *obſidionem ſolvit;* Pragæ modicâ captâ quiete, *Egram* conceſſit: ubi die 11. Nov. cum *Electore Sax. Friderico, & Wilhelmo Duce*, pacta connubialia nuper inita, actu ipſo complevit, filiámque ſuam *Sidoniam*, puellam tunc novennem, *Alberto* ſponſo tradidit; viciſſim *Hynko filiam Wilhelmi,* quam parens, ſplendido cum comitatu, in quo tria millia equitum numerabantur, Egram adduxerat, in ſponſam accepit. Nuptijs peractis, inſigni magnificentiâ, ſuam quiſque ſponſam domum reduxit; educandas apud ſocrus, usque dum nubiles eſſent. *Egræ affinitatem cum Principibus Imp. confirmat.*

Interea *Pius II.* Mantuam petiturus, XIII. Cal. Febr. Româ exceſſit, datis adhuc eâdem die alijs ad *Georgium* literis, quibus illum ad comparendum hortabatur ſvaviter; *Hodie*, inquit, *in Dei & Domini noſtri JESU Chriſti nomine, almam urbem Apoſtolatûs noſtri Sedem relinquentes, ad civitatem Mantuanam, locum Dietæ indictum, iter dirigimus, perſoluturi fidelibus populis vim patientibus, quantum in nobis eſt eritque, paternæ pietatis & miſericordiæ debitum. Cùm itaque tam ex Hungaria, quàm ex locis Orientalibus, novæ indiès Chriſtianorum calamitates afferantur; nupèrque certiſſimis nuncijs accepimus, Turcas in tota Raſcia ſibi jam receptum paráſſe, & ſupra Danubium loca complura munita cepiſſe: ex quibus in Hungariam expeditum tranſitum habent. Quotidie inſuper in malum noſtrum, majoribus præſidijs ſurgere, & quod dolenter referimus, Peloponneſum totam, quàm Moream appellant, calamitoſis excurſionibus pervagatos, multa animarum millia in lacrymabilem ſervitutem abduxiſſe. Videntes hìs atque tantis malis, & quæ in futurum majora timenda ſunt, non niſi communi Chriſtianorum ſuffragio poſſe obviari; atque ad hanc rem moram omnem eſſe ſupra modum damnoſam: hortamur Serenitatem tuam in Domino, ut hæc piè conſiderans, paternam requiſitionem, per alias noſtras literas, Tuæ Celſitudini factam, maturè adimpleas. Cùm nos etiam, qui Chriſti locum in terris tenemus, non ætatis, non valetudinis, non curiæ noſtræ, non ſubditorum incommoda attendentes, tibi & cæteris, in obſequium Dei, obviam exeamus. &c. Dat. Romæ apud S. Petrum, an. 1459. XIII. Cal. Febr. Pontificatûs noſtri anno primo.*

Pius II. Pont. Max. dènuò invitat Regem Bohem. Mantuam.

Cod. min. literar. ſubſig. [illegible] in archivo Cap. Prag. [illegible]

Nondum quidquam ſcivit Pontifex de Georgij reſponſo, ad ſuas priores dato: primùm dum *Senis* eſſet, quò Mantuam petens diverterat, illud accepit, ex quo Regem domeſticis turbis, ac potiſſimùm *VVratislavienſium* inſolentijs & perduellione diſtractum eſſe, eáque de cauſâ *Mantuam* non venturum, miſſurum tamen Oratores, intellexit. Nec multo poſt, venerunt eò *Oratores VVratiſlavienſium ad Papam miſſi.*

etiam

etiam *VVratislavienſium legati:* qui multa proponebant ore & ſcriptis, contra Georgij electionem, quam inſtantiſſimè petebant â Pontifice declarari irritam; *nullo pacto ſe eum pro Rege ſuſcepturum conteſtantes, quem de fide ſuſpectum haberent, & qui jam pridem â Capiſtrano nuncio Apoſtolico hæreticus denunciatus & excommunicatus eſſet.* Ità illi. Indoluit Pontifex his auditis: *probè enim cognoſcebat*, (verba ſunt Cochlæi) *Girzikonem & conſilijs, & armis plurimùm contra Turcas poſſe, ſi domi pacem haberet.* Et idcirco omnibus modis egit, literis & legationibus, ut partem utrámque ad animorum tranquillitatem componeret, & tam Wratislavienſes ad officium, quàm Regem in viam rectam, mitioráque reduceret. Literas videre eſt apud *Cochlæum*, & binas adhuc alias in Codice noſtro minori: ſed quas referre hìc longum eſſet. Monet denique iteratò *Clerum & Communitatem VVratislav.* imò in virtute *S. Obedientiæ* præcipit, ut deſiſtere velint â calumnijs, Regémque agnoſcant, & ipſi præſtent ea, quæ ſibi jure debeantur: præſertim cùm ille ſcribat, *velle ſe devotum filium Sedis Apoſtolicæ eſſe, ac omnia facere & ſequi, quæ Catholicum Principem deceant.* Regem verò, ut cum Sleſitis mitiùs agat, & â via facti deſiſtens, controverſiam hanc patiatur componi per arbitros â Sede Apoſtolica brevì deputandos; cum addito: cùm ipſemet *Mantuam* venire non poſſit, nuncios ſaltèm ſuos mittat; *quos*, inquit, *honorificè ſuſcipiemus, nec aliter omnibus in rebus habebimus, quàm conſveverit Apoſtolica Sedes regios Oratores tractare. Datum Mantuæ ſub annulo Piſcatoris, XIX. Aug. 1459.*

queruntur contra Georgium.

Papa ſvadet pacem, datis ad Regem, & ad VVratislavienſes literis: *Cochl. lib 12. MS. Codex min. lit. publ. fol. 213. Alius ſub num. 126*

Miſit deinde in Bohemiam legatos, *Hieronymum Archi-Ep. Cretenſem, & Franciſcum de Toleto Archidiaconum Hiſpalenſem*, qui *VVratislavienſes*, & eorum fœderatos reconciliarent Regi, eáque agerent, quæ neceſſaria viderentur, ad ſtabiliendam etiam deinceps inter eos concordiam & pacem. Pragam venerunt die 25. Octobr. auditíque ſunt in feſto *SS. Simonis & Judæ*, coram Rege & Magnatibus, civiúmque primoribus, publicè in palatio Aulæ Regiæ, perorante *Hieronymo*, ſermone prolixo & gravi, qui incipit: *Inter cætera munera, quæ Majeſtati tuæ Omnipotens contulit, Sereniſſime Rex, non in ultimo locandum cenſemus; quòd in hoc Regiæ novæq; tuæ dignitatis exordio, Sanctiſſimum Patrem noſtrum, Pium II. Pont. Max. Chriſti Vicarium in terris, & Petri Apoſtoli ſucceſſorem eſſe contigit. &c.* Narrat ulteriùs, Pontificem veniſſe Mantuam, ad diem Conventui præfixam, & cum Principibus ac Oratoribus ibidem præſentibus habuiſſe pluriès conſilium; potiſſimùm verò die 26. Sept. peroràſſe potenter ac devotè, adeò ùt pauci eſſent, qui non provocarentur ad lacrymas. Et, ùt Deo placuit, ſcrutatis omnium votis, communi conſenſu bellum Turcis indictum eſſe. *Ubi*, ait, *quùm tuæ Serenitatis locus vacaret, nemòque inter tot Reges, Principes & Prælatos, ſive eorum Oratores & nuncios, tuæ Majeſtatis nomine reſponderet: Pontifex Max. tuam Celſitudinem, ùt decuit, Regni novitatibus excuſavit; affirmans non multo poſt, tuæ Serenitatis Oratores adfuturos: & ſic honori & dignitati tuæ Maj. pro loci & temporis conditione non defuit.* Inde hortatus Regem ad ejuſdem belli ſacri ſocie-

Legatos in Bohemiam mittit:

MS. Anon. Prag ad an. 1459.

qui Pragæ audiuntur publicè, præſente Rege, Baronibus & alijs. *Æn. Epiſt. num. 397. Codex liter. Joan. de Hrodna Proto Nat. Regu Hung. ad fin.*

Regem in armorum Societatem, cum alijs Principibus, adversùs Turcas invitant:

Digitized by Google

ſocietatem, addidit: *Quod cùm ità ſit, nihil eſt à tua Maj. prætermittendum, quò minùs, ac pro ſuſceptis muneribus gratus ſis Deo; & pro Fidei conſervatione, & Chriſtiani nominis dignitate, acerrimus propugnator exiſtas. Inter alia bona, quæ tibi Divina conceſſit Providentia, eſt, quòd non amico, aut avito, paternoque hæreditatis jure, ſed ſuâ clementiâ & bonitate Serenitatem Tuam in Regem evexit; & talis profectò Regni, cui pauca meritò æquari poſſe cenſemus, &c.* Ultimò recipi Wratiſlavienſes in gratiam petijt. Ad quæ Rex, per Cancellarium Regni paucis reſpondit: ſe â bello civili hactenùs abhoruiſſe, atque ideò pacis & tranquillitatis publicæ cupidum fuiſſe ſemper, quam etiam ſingulari Divini Numinis ope, per Regnum, & provincias eidem incorporatas feliciter procurâſſet; quin & *VVratislavienſibus* eam ſæpiùs obtuliſſe, ſed ab hominibus duræ cervicis, & extremè obſtinatis, non niſi contumacia dicta factáque reportâſſe: illos proinde ipſos fortunæ ſuæ fabros eſſe, jámque in eorum voluntate conſiſtere, ſi ſe Regem benignum & clementem, vel auſterum, & ſuo tempore gravem & ſeverum perduellionis ultorem experiri malint.

pro VVratislavienſibus gratiam reconciliationis petunt.

Regis reſponſum,

Hoc modo emollito utcúnq; Regis animo, & ad pacem diſpoſito, Legati Wratiſlaviam diſceſſerunt; ubi ſimiliter Canonicos & cives, ad ea quæ pacis eſſent, ſeriò hortati ſunt. *Sapientum eſt*, (dicebat *Cretenſis* publicè in Senatu, die 13. Nov.) *juxta rerum & temporum diverſitates mutare conſilium. Nauta non iiſdem & totidem ſemper velis, aut unâ eadémque velificatione portum petit: mutet, hæc illuc ponat, temperet, deponat vela, jaciat anchoram, & varietati conſulat temporis, neceſſe eſt. Novi partus, nova requirunt obſequia.* &c. Et de Rege: *multis licèt adverſantibus ille, ùt vidiſtis, Regno Bohemiæ potitus eſt: illud totum ſuo imperio ſubjecit. Moraviam etiam Regni membrum potens, licèt priùs voluntati ſuæ adverſam, recepit & tenet: hoſtes quoque haud debiles ſibi contrarios fudit & domuit. Alia Regni membra in ſuam redegit poteſtatem; inimicos omnes ſuâ dexteritate pacavit; Sleſia tota, vobis exceptis, hoc videns, ſuis non ſatis confiſa præſidijs, eidem adhærere ſatiùs eſſe duxit. Principes omnes Germaniæ quàm maximè ſibi conciliavit: cum Ducibus & Marchionibus finitimis & potentibus, indiès affinitate, ſanguine, fœderibus conjungitur, nectitur. Extra civitatis veſtræ muros omnia poſſidet: cui intra mœnia ſoli reſiſtitis. Quàm multùm porrò ab invicem diſtatis potentiâ! ille cum Regno & membris potens, vos ſine membris debiles intra muros: ille cum vicinis domì & foris colligatus, vos nullo favente, ſoli ſine præſidio: ille cum terris & locis ſuis liberis, vos cum civitate obſeſſa: ille in conſilijs capiendis, in rebus gerendis ſolus ſine mora, unitus, non diviſus; vos multi, &, ùt Communitatum mos eſt, in contrarias plerique verſi ſententias, in conſultandis rebus, & aggrediendis negotijs tardi. Ille pro rebus ſuis, poteſt expeditionibus perſonaliter intereſſe, & rem urgere præſentiâ; vos alienis, ignotis, & qui varijs poſſunt ſeduci medijs, ſtatum veſtrum, vitam, fortunas, charitatéſque ſuas, & omnem ſalutem Reipublicæq; permanſionem committitis.* &c.

& animus à pace minimè alienus.

Cod. min. lit. publ. f. 180.

Legati, VVratislavienſes hortantur ad pacem,

multis rationibus in medium productis;

Codex cit Joan. de Hrodna circa fin.

Jam Wratiſlavienſes bellorum incommodis fracti, & nullo commerciorum

qui tandem reſipiſcunt,

ciorum cauſâ, (quod vel maximè gravabat homines quæſtui & lucro deditos) egredi auſi, ad pacem inclinabant; exceptis ferventioribus quibusdam è Magiſtratu: ſed qui ultimò etiam â Legatis perſvaſi, ac prævidentes, ſi diutiùs bellum protrahatur, hæſurum haud dubiè ſemper in Sileſia, & intra eorum viſcera; ipsíſque liberíſque, conjugibúsque, ac fortunis ſuis exitiabile futurum; deſtiterunt â propoſito, & â pace nequaquam ampliùs ſe alienos præbuerunt, dummodò æquis conditionibus, Legatis mediantibus, componeretur, & Rex offenſarum ſyncerè oblviſci vellet. Legatis verò prona omnia & facilia apud Regem, belli quoque pertæſum promittentibus, unanimi omnium tam Cleri, quàm populi conſenſu deſtinantur Oratores, qui cum Legatis Pontificijs Pragam irent petituri pacem; cujus deſiderio usque adeò flagrabant omnes, ut compoſito ad Regem ſupplici libello affirmârint, promiſeríntque: *Quòd nunquam fuerint, nec ſint, nec futuri ſint in alia ſententia, quàm ut cum inclyta Corona Regni Bohemiæ uniti, eiq; incorporati permaneant nunc & ſemper. Regiam Maj. velle ſe agnoſcere, ſub Rege vivere: modò ſua Majeſtas veniam præteritorum clementiſſimè concedat, & pauca quædam eorum poſtulata haud gravatè admittat; quò fiat, ut deinceps non ex timore, ſed magis amore ei ſerviant; & ipſe illos, non tam ùt ſubditos, quàm ùt fideles Status, & ſuî amantiſſimos filios ſuſcipiat, & proſequatur.*

ad pacem inclinant,

Oratores Pragam ad Regem mittunt;

veniam præteritorum petunt,

Miſſi fuerunt nomine Cleri, *Andreas VVeiner S. Theol. Magiſter, Cancellarius, & Petrus VVartmberg Decretorum Doctor, Canonici Eccl.* Wratiſl. Ex parte civium, quatuor Conſules, unà cùm *M. Petro Notario*; tres mercatores, & duo cives: qui in *Vigilia S. Thomæ Ap.* cum Legatis Pragam venerunt, móxque tertiâ die, agi de conditionibus pacis cœptum eſt. Inter alia petebant Wratiſlavienſes; ne Regi teneantur homagium præſtare, niſi poſt elapſum triennium, *ut interea fatigata civitas*, (ità dicebant) *â perpeſſa huc usque magna clade, & impenſis graviſſimis reſpirare poſſit*: quaſi non eſſet commodum, ut caſtigati vel maximè, humiliatique jurare non poſſent. Quod licet non parum derogaret Majeſtati, utpote inſolens & ſuperbum â ſubditis: aſſenſit tamen Rex, & triennio illi, adhuc unum menſem addidit, cum proteſtatione, *amore pacis* hæc â ſe fieri. *Ità tamen*, verba ipſius ſunt, in diplomate regio, poſtea die 13. Jan. an. 1460. dato. *Quòd hujusmodi inſolita induciarum conceſſio, Nobis & Succeſſoribus noſtris, nullum poſſit præjudicium generare. Ipſi verò, Clerus & Communitates tenebuntur ea facere nobis, quæ de jure & conſvetudine, Regibus Boh. prædeceſſoribus noſtris faciebant, & facere ſunt adſtricti; ſalvis ſemper omnibus & ſingulis juribus, & privilegijs Regni Boh.* &c. Tam propenſus erat ipſius in pacem animus, ut quaſcúnque proponerent concordiæ vias, eas ſine cunctatione amplecti, & ad conditiones etiam Majeſtati regiæ graves, ac præjudicioſas deſcendere non abnueret; dummodò Regno & Provincijs ſibi ſubjectis tranquillitatem publicam ex toto reſtituere poſſet.

Codex min. lit. publ. fol. 149. Cochl. lib. 12.

& intercedentibus Legatis Pontificijs pacem impetrant.

Lupac. VVeleslaв. ad diem 13. Jan. Daubraв. l. 30. Theobald. part. 3. cap. 8. Curæus in Annal. Sileſ.

Regis in admittendis conditionibus, nimia facilitas,

amore pacis publicæ. *MS. Anon. Prag.*

Egerunt deinde Legati cum *Georgio* ſecretiori colloquio, ut *Compactatis Baſilenſibus* renunciaret, & abrogato calycis in ſacra Communione uſu,

Georgius, Compactatorum, & Communionis ſub utráque ſpecie tenax.

ſeſe

Digitized by Google

ſeſe potiùs communi ritui Eccleſiæ Romanæ, ab omnibus aliàs Chriſtiani nominis Principibus & Regibus ſanctiſſimè obſervato, conformaret; eóque modo, dato in ſe exemplo, cæteros quoque & Regnum univerſum, ad veram plenámque Catholicæ fidei unitatem, & obedientiam reduceret. Sed fruſtra: Rege *Communioni ſub utraque ſpecie*, & *Compactatis* pertinaciſſimè inhærente, quòd ſciret *à Concilio Baſil. eſſe data, & à Romanis Pontificibus confirmata.* Negavit proinde ſe vel latum unguem *à Compactatis* receſſurum: manſurum tamen, in alijs omnibus, fidelem & obſequentem Romanæ Eccleſiæ filium; & ad conteſtandum id, miſſurum ſe quamprimùm ad Pontificem legatum, qui regio ſuo nomine obſequium ei præſtet, obedientiámque promittat, interea privatim duntaxat, donec id per majores legatos commodiùs, & ſolenniori ritu peragi poſſet.

Cochl. lib. 12. MS. Regino-Hrad. VVrzeſovec.

His transactis, uno eodémque die, nempe 18. Jan. Pragâ diſceſſerunt, Nuncij Apoſtolici *Wratislaviam*, ac inde *in Poloniam*, ad componendam & ibi, *Cazimirum Regem inter & Cruciferos Teutonicos*, pacem: *Georgius* in Moraviam, ad terminandam Olomucij, quò idcirco, pro die Converſionis S. Paulo, conventum indixerat, *Cæſarem inter & Regem Hung. Matthiam* amicabilem compoſitionem. Romam verò miſſus *Joannes de Rabenſtein, Procopij Cancellarij frater, Præpoſitus VViſſebrad. Protonotarius Apoſt. Regis Conſiliarius, Decretorum Doctor:* qui nomine Regis Pontifici obedientiam (ſecretò tamen) exhiberet. Hic â Pontifice *Mantuâ jam Senas reverſo*, auditus quidem eſt in Conſiſtorio ſecreto; quia tamen juxta aliorum conſvetudinem Regum, non præſtabat in publico, quod faciebat in ſecreto, regijs mandatis ſe prohiberi cauſatus, diſplicuit id Pontifici & Cardinalibus; rejectúmque eſt privatum & clancularium ejusmodi obſequium, & aliud publicum, decens ac conſvetum, â Rege requiſitum. Atque hoc eſt, quod *Pius II.* quadriennio poſt, literis publicis queſtus fuerat: *dum*, ajebat, *eſſemus Senis ex Mantua reverſi, ùt videretur*, ſc. Georgius, *in aliquo ſuæ promiſſioni ſatisfacere, miſit ad nos Joannem de Rabſtein notarium noſtrum, ut nobis occultè obedientiam exhiberet. Audivimus illum in ſecreto Conſiſtorio, regio nomine obedientiam offerentem; verùm perplexam & captioſam: & dum voluimus, ut quod faceret in ſecreto, faceret juxta conſvetudinem aliorum Regum publicè; noluit, aſſerens id ſibi prohibitum eſſe. Ex quo manifeſtè apparuit, Georgium non rectè ambulare in his, quæ ſunt Fidei: cui proinde reſpondimus, nobis talem obedientiam non placere, publicè plenariêque obediendum eſſe, ſi velit inter Catholicos Reges numerari*, &c.

Legati in Poloniam, Rex in Moraviam, diſcedunt.

Præpoſitus VViſſebrad. mittitur legatus ad Pontificem, ad præſtandam nomine Regis obedientiam:

Cod. lit. publ. major. fol. 206. & ſequ. usque ad 316.

quæ tamen non acceptatur à Pontifice.

Venerat Olomucium, ad deſtinatum conventui locum *Georgius*, in feſto *Converſ. S. Pauli*; ac biduo poſt, adfuêre etiam legati Cæſaris. Hungarici non auſi in Moraviam progredi, propter *Matthæum de Sternberg, Dominum in Lukovv*, qui ſub id tempus *Matthiæ Regi*, causâ cujusdam *Slavvikovvecz* familiaris ſui, â *Sebaſtiano de Rozgon* capti, & in vinculis durè nimiùm habiti, bellum indixerat, *Trencziny* ſubſtiterunt, miſſis inde nuncijs ad Georgium, & literis, quibus petebant ſibi de ſecuritate itineris proſpici. *Sereniſſime Rex, &c.*

GeorgiusOlomucium venit: ubi comparent etiam legati Cæſaris.

Hungariæ Regis legati, Trenczinij ſubſiſtunt, in Moraviam progredi non auſi;

Miſſi ad V. M. â Sereniſſ. Principe ac D. D. Matthia, Dei gratiâ Rege Hung. &c. cum eadem V. M. tractaturi, omnes viæ labores, usque ad hunc locum ſuperavimus. Eſt autem hicè regione: Matthauſſ â Sternberg, cum quibusdam alijs complicibus ſuis, qui præfato Regi Hung. Domino noſtro gratioſiſſimo, ac toti Regno Hungariæ, bellum indixit; &, ùt audimus, auxilio Bernardi de Brumovo utitur, unde etſi V. M. ſalvum conductum habeamus, tamen quia ille intra metas Regni M. V. ſonat, periculum nobis ab eodem Matthauſſ, & alijs auxiliatoribus ſuis, per viam, usque ad confinia Regni noſtri imminet; nosq́, legatione magìs, quàm armis fulti, facilè per ipſum Matthauſſ, & ipſius adhærentes impediri

â Georgio, de ſecuritate itineris ſibi provideri petunt:

poſſemus. Qua ex cauſa ſuppliciter oramus M. V. quatenus ipſi Matthauſſ, & adhærentibus ſuis, qui omnes ſubditi ſunt V. M. & Regni ejusdem, mandare dignetur, ut ſalvi, usque ad V. M. pervenire valeamus. Super his gratioſum â V. M. reſponſum præſtolamur. Datum Trenczinij, in feſto Purificat. Mariæ glorioſæ Virginis, an. 1460. Ejusdem V. M. ſervitores, Albertus Epiſcopus VVeſprinenſis, & Joannes de Rozgon Thavernicorum Regalium Magiſter.

Cod. lit. publ. minor. fol. 189.

quod ille ſine mora facit,

Quibus cognitis Rex, illicò monuit *Sternbergium* ſpeciali edicto, ut ab omni hoſtilitate Hungaris intentata, ſub pœna perduellionis ceſſaret: dato quoque mandato ad Brumovienſem dynaſtam, *Bernardum de Cymburg*, alióſque vicinos, quos non dubitabat eſſe conſiliorum *Matthauſſy* participes, ne quidquam damni Regno Hungariæ inferre præſumerent; ſi qui contrà fecerint, perſequuturum ſe eos lege Majeſtatis, & pro turbatoribus ac hoſtibus Reip. habiturum edicit. Legatis verò obviam, majoris ſecuritatis gratiâ, *Borzitam de Martinicz* Marſchallum ſuum, cum prætoriana turma equitum, ire juſſit: qui cùm adveniſſent, ſtatim negotium tractandæ pacis aggreſſus eſt, inſpectis priùs & probatis fiduciarijs legatorum utriúsque partis literis ac mandatis. Nihil tamen eo congreſſu, qui per octo ferè dies durabat, transactum fuit; quòd fortaſſe â neutra parte, tolerabiles ſatìs conditiones proponerentur, ità ut convenire potuiſſent. Rex igitur viſo hoc, & quia Olomucij diu morari non patiebatur tempus, propter negotia quædam gravioris momenti, quorum causâ revocabatur Pragam; *Judicio* inſuper *terreſtri majori*, quod Feriâ VI. poſt Dom. Quadrag. celebrari ſolet, & cui ipſemet hâc vice intereſſe voluit, appropinquante: præſentem conventum dimiſit, & alium pro Cal. Majis proximè venturis indixit.

Eisque obviam Marſchallum ſuum aulicum mittit;

Nihil tamen in eo Conventu transactũ.

Alius proinde indicitur.

MS. Anon. Prag.
MS. Pernſt. VVrzeſov.

Meminit hujus Conventûs primi, Olomucij habiti, Rex ipſe *Matthias*, in literis credentialibus, ùt vocant, ſeu fiduciarijs, datis pro ſecundo Conventu legatis ſuis: *Nos Matthias Dei gratiâ* &c. *Memoriæ commendamus tenore præſentium, ſignificantes univerſis, quibus expedit. Quòd quia Sereniſſimus Princeps & D. D. Georgius Dei Gratiâ &c. tanquàm Mediator inter nos & Fridericum Rom. Imp. feſtum Converſionis S. Pauli Ap. proximè præteritum, pro tenenda dieta, in civitate ſua Olomucenſi, oratoribus noſtris, & ipſius Friderici Imp. deputaverat. Atque in termino & loco hujusmodi comparentibus coram eo utriùsque noſtrûm oratoribus, tandem certis de cauſis rationabilibus, alium terminum, puta feſtum SS. Philippi & Jacobi App. proximè venturum,*

Matthias Rex Hung. electus, pacis cupidus;

pro

pro reaſſumenda dieta ipſa, oratoribus noſtris, & dicti Frid. Imp. indixerat. Igitur Nos amatores pacis & concordiæ, volentes ſatisfacere his, quæ pertinent ad veram amicitiam & commoda Regnorum, miſimus hos fideles Oratores noſtros, R. in Chriſto P. D. Eliam, electum Eccleſiæ Nitrienſis, & egregium Matthiam Libak de Radovvſicz Caſtellanum caſtri noſtri Orozlankovv, ad præfatam dietam, & conſpectum D. Georgij Regis, dantes & concedentes per præſentes, eis ſimul, & cuilibet eorum in ſolidum, plenum mandatum. &c. *Datum Budæ in feſto S. Georgij M. anno 1460.* denuò legatos ſuos probè inſtructos, Olomucium ad transfigendum mittit. Codex min. cit. fol. 187.

Meminit ejuſdem Conventûs, etiam *Pius II.* in literis ad *Georgium* datis; quibus inſuper eum hortatur, ad continuandum hoc tam ſalutare pacificationis ſuſceptæ ſtudium, quò tandem pax inter Cæſarem & Hungariæ Regem coaleſcere, ac pernicioſi belli tumultibus, optatus finis imponi poſſit. *Chariſſime in Chriſto fili. Salutem & Apoſtolicam benedictionem. Accepimus literas Tuæ Serenitatis, & plenè intelleximus, quæ cum Imperialibus & Regijs oratoribus, in Olomucenſi dieta agi per te potuerunt. Commendamus imprimis ſalutare ſtudium Celſitudinis Tuæ, quòd hoc neceſſario tempore, ad tollendas diſſenſiones Fidelium, Deo & Chriſtianæ Religioni non defuit. Dolemus demum ſequuta inter eos non eſſe, quæ à te proponebantur, & nobis erant in præcipua expectatione ac voto. Laudandus in omnibus eſt Deus. Et nihilominùs Majeſtati Tuæ adnitendum, ut quod in præſentiarum minùs ſucceſſit, alio tempore, Te operante, feliciùs poſſit ſuccedere. Nam ſi quiſpiam eſt, qui pacem, vel trevgas ſtatuere inter illos, ſuo interventu poſſit, eſt certè, judicio noſtro, Serenitatas Tua; quæ ad ingenium, & rerum experientiam, adjunctam habet ſummam authoritatem.* &c. *Datum Senis, die 28. Martij. an. 1464. Pontificatûs noſtri II.* Pius II. hortatur Georgium, ut inchoatam tractationem pacis, inter Cæſarem, & Matthiam continuet; & ad finem feliciter perducat. Codex min. fol. 158. & ſequ. Georgij eximia laus.

Verùm neque hoc ſecundo Conventu Olom. de pace conveniri potuit, Cæſareis talia conditionum capita proponentibus, quæ Hungarici nequaquam concedenda eſſe arbitrabantur, & quæ etiam alijs non media, ſed extrema viſa ſunt; & Rex ipſe arbiter, jam tunc conjecerat, nihil iterum ex eo congreſſu ſperandum. Nam, ùt ſummatim aliqua referam, *Cæſarem redditurum Coronam utrámque cum SS. Reliquijs ſpondebant Hungaris, modò centum millia aureorum, in recompenſationem damnorum, quæ huc uſque causâ illius accepiſſet, & ſumptuum, quos pro Ladislao feciſſet, deponantur: modò etiam promittatur, quòd mortuo Matthiâ, aut ejus liberis, ſi quos eſſet progeniturus, Regnum Hungariæ ad Cæſarem ejúſque hæredes devolvetur, titulúſque Regis Hungariæ eidem & hæredibus permaneat: modò inſuper Ferrea civitas, Edenburgum, Guncium, Rebnicium; caſtráque, Forchtenſtein, Kabelsdorff, Hernſtein, & quædam alia minoris gentium, Cæſari & hæredibus ſuis Archiducibus Auſtriæ, prout jam tenentur, ità poſſeſſa relinquantur.* Nempe hæc proponebantur ab Auſtriacis eo tempore, quo Hungaris grave à Turcis imminebat diſcrimen, qui Hungariæ confinia, imò jám etiam *Syrmienſem* provinciam, membrum Regni nobiliſſimum, vaſtabant incurſionibus crebris: atque ità novo ac longè graviori bello implicitis Hungaris, credebant illi, poſ- Nihil iterum in eo Conventu peractum; Cæſareis non ſat tolerabiles conditiones proponentibus; quas Hungari admittere non poterant.

ſe

Digitized by Google

MS Chron. Hung. Eliæ Perger. MS Pernſt. Conventus infectis rebus dimittitur.

ſe eis quæcunque onera conditionem imponi. A *Georgio* demum admoniti, ut æquiora proponerent, mutârunt aliqua; pauca tamen, & ea ex poſtremis, principalioribus & primi momenti, in ſtatu priore relictis. Rex igitur, cùm videret concordiæ bis jam tentatæ, bis utrinque rejectæ, animis in diverſa trahentibus, non fore, neque hâc vice, finem ullum; diſſolvendum potiùs, quàm nullo cum fructu protrahendum Conventum exiſtimavit: & quia induciarum labebatur terminus, alias, quæ durarent ad Calend. Februar. anni ſequentis, indixit; dimiſsíſque legatis, in Bohemiam redijt.

Induciæ tamen prorogantur,

Lœwencl. in Annal. Turc. ad an. 1459. Comment. Pij II. lib. 3.

Hungaris vel maxime opportunæ ac gratæ:

quòd per id tempus convertere arma potuerint, adverſùs Turcas, Hungariæ finibus imminentes;

Hoc modo ſuſcepta pacis tractatio rurſum irrita fuit: induciæ tamen prorogatæ id commodi attulêre Hungaris, quòd potuerint vires ſuas eò majores convertere adversùs Turcas. Occupaverant illi præterito autumno *Samandriam*; (hanc Annales Turcici obſeſſam â Mahomete, & deditione acceptam; alij â filio *Stephani Regis Boſnæ*, pecuniâ corrupto traditam eſſe volunt,) quæ res non minùs Hungarorum animos turbavit, quàm perdita nuper *Conſtantinopolis*, eo quòd urbs hæc, idoneo loco, ad ripam Danubij ſita, ſit veluti porta quædam ex Raſcia in Walachiam, ad bellum Hungaris inferendum valde opportuna. Narravimus ſupra, eam *ab Amurathe Mahometis parte* captam *Alberti II. Imp.* tempore: ſed fuerat poſtea reſtituta *Georgio Deſpotæ Serviæ*, qui relictis Hungarorum partibus, Turcis adhæſit; poſt cujus ac *Lazari* filij ejus obitum, eam obtinuerat prædictus *Stephanus Rex Boſnæ*, Lazari gener. Hâc igitur jam ſecundò occupatâ Turcæ, & exinde multùm animati, haud obſcurè inſidiabantur etiam *Belgrado*: ſed quia prævalido tenebatur præſidio, nihil apertâ vi tentare auſi, excurſionibus ſolùm infeſtabant viciniam totam, usque adeò, ut non *Belgrado* tantùm propinquis pagis, ſed *Temeſſvaro* quoque, *Lippæ*, *Chanadio*, aliiſque remotioribus locis, magnam incuterent formidinem. Contra quos *Matthias*, avunculum ſuum *Michaëlem*, & *Pancratium*, cum parte exercitûs miſit: qui Turcas non modò repreſſerunt, ſed etiam in eorum ditiones, oblatis occaſionibus, excurrebant frequenter, par pari referentes; & ùt ſæpè victores, ità nonnunquam, uti fieri ſolet, repulſi victique evadebant.

& ad purgandum quoque â latrocinijs Regnum.

Alia etiam ex parte gratæ fuêre Hungaris *induciæ Olomucenſes*, quòd per id tempus Regnum domi turbatum commodè pacare, ac potiſſimùm ê diuturna Bohemorum & Moravorum ſervitute ſeſe vindicare potuerint; qui ducibus *Giskrâ & Telepho*, ùt ſuprà narravimus, *univerſam ulterioris Hungariæ plagam* (verba ſunt Bonfinij) *latrocinijs & populationibus aſsiduis ſic infeſtam planè reddiderant, ut ne domi quidem, ne dum foris, quiſquam tutus eſſe poſſet; quin & ſuburbana Peſthi quotidie incurſabant, diripiebántque: fumum Bohemicáque præſidia â Nova Buda proſpectare licebat.* Cum illis igitur bellum gerendum inſtabat. *Hujusce mali*, narrat ulteriùs Bonfinius, *Eliſabetham*

Bohemi & Moravi Hungaris graves per annos 28.

Ladislai Regis matrem, cauſam fuiſſe ferunt. Hæc prima Giskram & Telephum introduxerat: quos Caſſoviæ, Zolio, multis quoque oppidis in ulteriore Hungaria præfecerat. Annos circiter octo & viginti, peſtis iſta in Hungaria debacchabatur: univerſam regionem ad Peſthum usque latrocinijs infeſtam,

faci-

facinoroſa multitudo, planè reddiderat. Joannem Corvinum bis ibì fuſum fugatùmque fuiſſe ſcripſimus: nemo tanti fuit, qui hanc gentem extirpare, & hàc Regnum labe purgare potuiſſet, præter Matthiam. Bellum atrox arduùmque fuit, & quod vix annis quinque abſolvi quiverit: neque aliter, etiam poſt *Akſamitkonem* cæſum, *VValgatham* captum, *Telephum* & *Udrczkium* fugatos, *Raſinium*, *Miczanum*, & quendam *Matthiam* (Bonfinius *Pan Matthiam* nominat) in deditionem acceptos: donec & *Giskra* ipſe, qui ſolus ſupererat, *calliditate*, ùt ait Bonfin. *experientiâ & animi magnitudine præſtans*, ſua ſponte arma poſuit.

Bonfin. dec. 3. lib. 10.

diſſipantur tandem; & partim ſeſe Regi ſubmittunt.

Hic námque in Rege, licèt adoleſcente, altam ac divinam quandam indolem, cum pari felicitate conjunctam ſæpe miratus, ultimò non ampliùs quidquam hoſtile, in eum movere voluit, ſed potiùs, ſi æquis & honeſtis conditionibus cum eo tranſigere, eique reconciliari poſſet, animum adjecit. Miſſis itáque ad Regem nuncijs, recipi ſe in gratiam petijt; additâ ad eundem epiſtolâ, ſibi ac præſentibus rebus ſuis valde accommodatâ, quâ & ſuperiorum temporum facta excuſabat, & poſthac ad placitum Regis ſe facturum omnia, arces & præſidia redditurum, provinciâ ceſſurum pollicebatur. Gratum id accidit Regi, qui perlectis literis, ad eum continuò legatos miſit, qui oppida & caſtella reciperent, & ſi reditum in Bohemiam pararet, nomine ſuo remorarentur, conditionémque optimam, & ampliſſima ſtipendia donáque promitterent. *Legati mandata tranſigunt*, ità Bonfin. *compoſitisque rebus, ad Regem Giskram promiſſâ incolumitate ducunt. Gratiſſimo ac hilari â Rege vultu, his verbis excipitur: nunquam me beneficentiâ (crede mihi) Giskra ſuperabis; turpe eſt Reges acie vinci, ſed beneficio multo turpius: imò quidquid in Regem meriti confertur, fœneratorium illud eſſe debet, ut regia dignitas ritè ſervetur. Sat mihi tua fides virtúsque ſpectata eſt. Tu autem, quanto inter raros referendus es, ad aliena te ſervitia exire non patiar: ſub Matthia ductu & auſpicijs, eâdem, quâ ſub Ladislao quondam fide, ſtipendia facies. Quare quòd noſtra fine bello reddideris, quòd nihil ultra negotij facere decreveris, quòd liberalitate potiùs, quàm acie agendum eſſe cenſueris, hàc imprimis â Matthia duo nunc habeto: Lippam & Soliom oppidum tibi recipito, quinque ac viginti aureorum millia dono accipito. Honeſtiſſimâ deinde te cum proceribus Hungariæ affinitate conjugari tolerato, commodiſſimámque mecum militiam gerito.* Nec multo poſt, *Joannis Orzag*, unius ê proceribus Hungaris primarij, & ſibi quoque cognatione juncti, filiam ei deſponſavit: qui impoſterùm, in data Regi fide, ad mortem usque conſtantiſſimè perſeveravit.

Giskra Regi Matthiæ reconciliari petit;

quem Rex in gratiam recipit;

& non tantùm oppidis, pecuniâ & incolatu Hungarico donat;

verùm etiam in militiam ſuam ſuſcipit, &

conjugio præſtantiſſimo honorat.

Sed & Cæſari inducias illas, in annum ſequentem prorogatas, accidiſſe opportunas, palam omnibus fuit; quandoquidem brevì ſubſequuto tempore, *Viennenſis civitas* immemor juramenti, quo ſeſe ejus fidei paulo ante obſtrinxerat, novis ſeditionum procellis agitata, ab obſequio penitùs deſcivit: ac præter *Albertum fratrem*, etiam non pauci numero, *Proceres Auſtriaci*, maleſanis uſi conſilijs, eidem rebellârunt; quos inter fuêre præcipui, *Cunradus Fraunaverus*, *Eizingeri fratres*, homines præ alijs ſeditioſi, *Wilhelmus Thir-*

Viennenſes & Auſtriaci denuò inſultant Cæſari: Reo Hiſt. Auſtr. lib. 7.

ſteinius; Sigiſmundus, VVolffgangus ac Georgius Schavenbergici; Sigiſmundus & *Andreas Puechamij, Hartung Traunius, Hartvidus Loſenſteinius, Georgius Steinius*, & quidam alij. *Henricus* item *Goritiæ Comes*, videns Auſtriæ ſtatum denuò turbari, eáque occaſione in rem ſuam utendum ratus, & ſuâpte naturâ homo inquies ac turbulentus, nullâ priùs indictâ belli causâ, in apertam hoſtilitatem prorupit, *Greiffenburgum* vi expugnatum incendio delevit, pagos circacircum vaſtavit, *Ortemburgam* arcem obſedit. Et hunc quidem Cæſar negotio facili compeſcuit, miſſo cum idonea manu militum, *Joanne Obiteczsky Bohemo*, viro ſtrenuo; qui tum Cæſari militans, & *in Goricienſem provinciam* ire juſſus, magnáque ejus parte occupatâ, *Comitem*, ùt narrat *Gerardus* Hiſtoricus Cæſareus, *pacem petere coëgit*: quam is, non niſi quinque arcibus multatus, impetrare potuit, malo ſuo expertus illud Prophetæ: *Væ qui prædaris, nonne & ipſe prædaberis?* At cum *Viennenſibus*, & cæteris conjuratis, res multo difficilior fuit; qui ultimò exuti reverentiâ omni, eò usque temeritatis & audaciæ proceſſerunt, ut Cæſarem, Dominum ſuum clementiſſimum, unà cum Auguſta conjuge, & Maximiliano infante, intra urbem, in propria ipſius Aula, arctè concluſum hoſtiliter obſidere, machinis bellicis infeſtare, & oppugnare non erubeſcerent; ſcilicet, *Principibus ſuis ſemper fideles.* Jam ad eas rerum anguſtias redactus erat Imperator, â fratre & ſubditis, ut propè ei immineret ultimum fortunarum, vitæ ac libertatis diſcrimen; niſi *Georgius Rex* miſiſſet, ac deinde etiam ipſemet attuliſſet ei ſubſidium impendiò opportunum: de quo plura ſuo loco.

etiam Goritiæ Comes,

quem tamen brevì ad officium reduxit. *MS. Pernſt. MS ex Archivo Lipp. Iſaia 33. verſ. 1.*

Difficilius erat compeſcere Viennenſes, ad extrema prolapſos.

Ad annum 1460. redeo, quo per Germaniam ſunt denuò inſtitutæ, atque etiam celebratæ, de bello Turcis inferendo, conſultationes frequentes; & quidem tres ſolemniores: *Norimbergæ* una, & *Viennæ in Auſtria* apud Cæſarem duæ. Effecerat námque Pontifex, *Mantuæ in Conventu*, apud Imperatoris & Principum Imperij legatos, ut tandem in hanc ſacram Expeditionem, eum exercitum promiſerint, qui Francofurti olim ſub *Nicolao V.* promiſſus fuerat: peditum triginta duo, equitum decem millia. Quem in finem videbantur neceſſariò adhuc inſtituendi, alij duo Conventus; *Norimbergæ, & in Curia Cæſaris*, ut tanto meliùs res ordinari, & in effectum deduci poſſent; miſsúsque eſt in Germaniam *Cardinalis Beſſarion*, legatus de latere; qui conventa proſequeretur. Primum indictum invenio, pro Dom. I. Quadrag. alterum pro Dom. IV. poſt Paſcha; ad hunc etiam Bohemiæ Rex ſuos legatos miſit, *Henricum de Straz, Bernardum de Drnovicz Moravum, & Beneſſium de VVeitmille*, omnes tres linguæ Latinæ apprimè gnaros. Extant literæ Cæſaris datæ Viennæ, *die S. Gregorij Papæ*, quibus *Georgium* ad prædictum Conventum, pro *Dominica Paſsionis* invitabat: & aliæ, quibus dilationem Conventûs illius, certas ob cauſas, usque ad *Dom. Cantate*, ei ſignificabat, datæ *in feſto S. Benedicti.* Et quia in eo Conventu, nihil certi de modo & tempore indicendæ expeditionis, ſed ne quidem de expeditione ipſa, num adornanda eſſet, mutatis jam haud obſcurè Principum animis, ſtatui poterat; alius *pro Cal. Septembris* â Cæſare nominatus eſt, rursúmque invitatus *Bohemiæ Rex*, ſpecialibus literis, Viennæ 24. Maji datis.

Nova per Germaniam, de bello Turcis inferendo, conſultationes,

Norimbergæ, & Viennæ;

quò etiam Rex Boh. ſuos legatos miſit.

Cod. min. fol. 181. & ſequ. MS. Pernſt. MS. Anon. Prag.

Ib

Ibi demum *Cardinalis* luculentâ & eleganti oratione habitâ, quam præ manibus habeo, cùm Imperatoris, tum Principum ac Oratorum animos, ad conſociandas vires armáque præſedulò hortabatur: néve laboranti Chriſtianæ Reipub. deeſſe vellent, ſummis precibus orabat, quam *Summus Pontifex, Italique Principes, & Burgundiæ Dux potentiſſimus*, conjunctis viribus juvare conſtituiſſent. Idem *Hungari, Dalmatæ, Rex Boſnæ & Raguſiani*, per legatos impenſiùs ſollicitabant. Verùm ſine fructu omnia: deſignata quidem fuêre multa, ſed inefficaciter, & ad ſpeciem tantùm, Cæſare languidè nimis rem urgente, & domeſticis inſuper turbis, ùt narravimus, implicito: alijs verò Principibus, mutuis inter ſe odijs certantibus, ex quibus tandem prorupit bellum civile atrox, inter *Albertum Brandeb. & Ludovicum Bavarum; Fridericum item Palatinum, & Dietherum Exelectorem Mogunt.* eorûmque fœderatos, quo ſenſim flagrante, tota paulo poſt ſuperior Germania arſit. Alij verò ſua magis curare aſſveti, quàm aliena, parum vel nihil movebantur aliorum periculis, tanquam ad ſe nihil pertinentibus; qui præter locorum longinquitatem, etiam Religionis negotium inter aliena, ſe nequaquàm concernentia reputabant, cupidiores vicinis obeſſe, privati ſeu odij exerendi, ſeu commodi procurandi causâ, quàm remotis prodeſſe. Sic *Viennenſis Conventus* jam alter, tanto Principum concurſu & apparatu, tantâ ſpe populorum votíſque ſuſceptus agitatúſque, effectu prorſus nullo, finem habuit. Laudandus nihilominùs *Pius II.* qui nullis difficultatibus territus, ingenti animo tentavit omnia, etiam deinceps; quò tandem præclarum hoc opus, *Bellum* nempe *Sacrum*, contra communem hoſtem, *Deo Ter Opt. Max.* auſpice, & Chriſtianis Principibus ad priſtinam concordiam pietatémque revocatis, fulcipi poſſet.

Conſultatur ità frequenter, ità ferventer:

ſed ſine fructu.

Cæſare, & Principibus, domeſticis turbis, implicitis;

& ſua potiùs, quàm aliena, quam & ipſam Religionem curantibus.

Conventu rebus infectis diſſolvitur. MS. cit. ſuprà.

At *Georgius* conſtabiliendis rebus ſuis, ab omni parte jugiter intentus, & haud ignarus, multum adjumenti partibus ſuis accedere poſſe, ſi Regem Poloniæ faventem habeat, amicitiam ejus & ſocietatem expetere decrevit. Nec ille renuit, ùt qui jam dudum confœderationem ei offerre in animo ſtatuiſſet, ut fervente bello Pruſſico haberet potiùs amicum, quàm dubium vicinum, aut apertum hoſtem. Nuncijs igitur ultrò citróque commeantibus, ultimò *Bythomia*, oppidum Sileſiæ in confinijs Poloniæ ſitum, nominatum; quò utriúsque partis legati, pro feſto *S. Catharinæ V. & M.* convenirent, de modo & conditionibus fœderis acturi. Id porrò qualiter ictum ſancitúmque fuerit, cùm nullibi impreſſum reperiatur, deſumptum ex Actis publicis ſummatim tantùm, hîc audiamus. *Nos Zdeniek de Sternberg, Supremus Burggrav. Prag. Wilhelmus junior de Riſenberg & Rabi, & Joannes de Cymburg in Gitczin* (hic erat Baro Moravus, Joannis de Cymburg & Tovaczovv Supr. Capitanei Moraviæ filius) *nuncij & ambaſſatores Sereniſſ. Principis ac D.D. Georgij Dei Gratiâ Regis Bohemiæ, Marcb. Moraviæ.* &c. *ſignificamus tenore præſentium, qualiter pro feſto S. Catharinæ, & diebus ſequentibus, tenendo dietam in præſenti oppido Bythomienſi, cum nuncijs Seren. Principis & D.D. Kazimiri D. G. Regis Pol. ad infra ſcriptos articulos devenimus. I. Quòd D. Rex bob.*

Georgij Boh. & Cazimiri Poloniæ Regum confœderatio,

in oppido Bythom in Sileſia,

per legatos utriúsq; partis acta & peracta,

eâ potiſſimùm conditione; ut neuter alterius hoſtes ullâ ope adjuvaret.

 cum

cum D. Rege Pol. in pura fraternitate & amicitia ſeſe comportabunt mutuò; nec unus contra alterum, cum Regnis & Principatibus ſuis, (ſolo Summo Pontifice excepto) erit auxilio vel conſilio; ſed alter alterius bonum & commodum procurabit, ejusque damnum avertet fideliter, & ſine dolo. II. Si aliqua damna cuiquam contigerint â ſubditis, illa compenſabuntur, & violatores pacis publicæ pro merito caſtigabuntur. III. Si quæ controverſiæ inter ſubditos ambarum partium ſuborirentur, tenebitur pars læſa cauſam ſuam jure proſequi, & reum in foro ſuo convenire, cui debet juſtitia adminiſtrari. IV. Nullus rebellis hoſtisque publicus Regis, ac Regni Bob. in Polonia tolerabitur: nec viciſſim Rex Bob. Statúsque Bohem. talem, qui Regi Poloniæ rebellis ſit, tolerabunt. V. Tenebitur uterque Regum efficere, ut bona moneta cudatur, falſa tollatur, nec ampliùs in Regna importetur. VI. De gravioribus, quæ hic decidi non poſſunt, rebus, poſtquàm Reges ipſi convenerint perſonaliter, fiet proviſio. Conventio autem utriúsque Regis, debet fieri in majori Glogovia, initio anni 1462. Quod ſi aliquis ex Regibus pro illa die venire non poſſet, tenebitur alterum duobus menſibus antè de ſuo impedimento aviſare, & nihilominùs tenebuntur illo anno, primâ die Maji, ibidem Glogoviæ maj. convenire. VII. Omnes inſcriptiones antiquæ inter Reges & Regna, Bohemiæ & Poloniæ, debent renovari, confirmari & teneri. VIII. Super dote Eliſabeth Reginæ Pol. cùm in præſenti dieta convenire non potuerimus, deciſio ſuſpenditur ad usque perſonalem Regum conventum: ubi, dante Domino, huic rei juſtus quoque & bonus finis imponetur. Datum in Bytbom. Sabb. in Vig. S. Andreæ Ap. an. 1460.

addita quædam & inter alia,

ut uno anno exacto, Reges ipſi, confirmandæ amicitiæ gratiâ, Glogoviæ maj. convenirent, & ibi cætera concluderent.

Cromer. l. 24. Cod. liter. publ. min. fol. 194. & ſeqq.

Georgius ſalutari conſilio ſuſcepto,

Eodem anno 1460. *Georgius* rem inſignem, & Reip. perquàm utilem præſtitit, dum rem numariam, ſummè tum depravatam, ac prorſus deterrimam, ſapienti conſilio emendavit. Invaluerant eâ tempeſtate numi quidam, in Auſtria cuſi, & *Friderici Imp.* charactere ſignati, inque *Moraviam* & *Bohemiam* vi magnâ infuſi (vulgus noſtrum *nigros* vocabat) qui argenti penè nihil habebant. Horum exemplo moneta quoque domeſtica, monetariorum avarâ fraudulentiâ ſenſim, & dietim ferè evadebat deterior: veteres, puri, defæcatique numi ſollicitè ubivìs conquirebantur, & igne ſoluti in adulterinos convertebantur; quod homines non antè poterant animadvertere (fiebat enim res tam dextrè, & cum apparente qualiquali commutantium proventu) quàm argento ferè omni fuerint emuncti; tum primò eruditiores facti, non ſine magna rei familiaris jacturâ, rem deprehendere ac deteſtari cœpêre. Sequuta deinde, præter tumultus in populo frequentes, multa alia incommoda; *multa mala, & damna*, ùt loquitur Scriptor coævus, *incomparabilia, ità ut homines rerum periti dixerint, ſi media ex parte Regnum Bohemiæ exuſtum fuiſſet, non potuiſſe plus detrimenti Reipublicæ inferri, ſicuti illatum eſt per illos numos nigros. Per Moraviam ſimiliter fuit eadem de cauſa confuſio rerum ingens, ad ſeditionem usque: dum venale quid, ſeu frumentum, ſeu pecora, ſeu aliud quid, ruſtici adducerent, vel adferrent in civitates, aliam pecuniam noluerunt habere, niſi veterem argenteam bonam; cives autem & opifices non dabant,*

monetam falſam, in Auſtria cuſam, & in Moraviam atque Bohemiam ſenſim importatam; *MS. Anon. Prag. MS. Chron. Regino Hrad. MS. Pernſt. Trebic.*

unde exurgebant incommoda multa, & mala plurima;

dabant, niſi quam habebant in præſentiarum, adulterinam nigram. Hinc lamenta, queſtus, exercrationes, maledicta! Ita ille.

His igitur & alijs pluribus, populi ac Regni totius damnis, maximè autem coortâ inde annonæ, cæterarúmque rerum omnium caritate motus *Rex Georgius*; & permotus etiam Auſtriacorum procerum, magnis hac in parte de Cæſare querelis; negotium emendandæ monetæ ſuſcepit, novóſque nummos ex argento drachmales, & obolos, quorum quatuordecim numum illum valerent, cudi juſſit. Domum inſuper Pragæ deſignavit, in qua pecunia levis deponeretur, & nova melior reciperetur, eodem pretio manente. Atque ità depravatam rem numariam egregiè juxta ac ſapienter correxit; damno quidem ſuo, ſed animo verè regio, quo lucrum, quod habere poterat, contempſit, modò publico malo mederi poſſet. Memor haud dubiè illius regij moniti, dati quondam ab Gentis noſtræ principe *Boleslao Leni*, dum morti eſſet propinquus, filio ſuo cognomini: *Dilige denarium, ſed parcè, dilige famam. Res enim publica licèt ſit nimis ad aucta, per formam numiſmatis falſam, citò erit ad nihilum redacta. Eſt aliquid, fili mi, quod Carolus Rex ſapientiſſimus, & manu potentiſſimus, haud æquiparandus nobis hominibus valde humilibus, cùm filium ſuum Pipinum poſt ſe in ſolio ſublimandum diſponeret, eum terribili cum ſacramento conſtringeret, ne in Regno ſuo, ſubdola & prava taxatio ponderis aut monetæ fieret. Certè nulla clades, nulla peſtilentia, nec mortalitas, nec hoſtes totam terram rapinis & incendijs devaſtantes, magis populo Dei nocerent, quàm frequens mutatio, & fraudulenta pejoratio numi. Quæ peſtis, aut quæ infernalis Erynnis inclementiùs ſpoliat, perdit, attenuat Chriſticolas, quàm fraus in numo herilis? Atqui poſt hæc ſeneſcente juſtitiâ, & invaleſcente nequitiâ, ſurgent non duces, ſed fures; non rectores populi Dei, ſed nequam exactores, avariſſimi ſine miſericordia homines, Deum omnia cernentem non metuentes: qui ter vel quater in anno monetam mutando, ruunt in laqueum diaboli, ad perditionem populi Dei. Talibus tamen nequam artibus, & per legum inſolentiam coanguſtabant hujus Regni terminos, quos ego dilatavi usque ad montes, qui ſunt ultra Krakovv, nomine Triti, per Dei gratiam & populi opulentiam.*

imprimis verò annonæ caritas:

corrigit, extirpat, & ipſius loco meliorem fieri curat:

ſequutus hac in parte ſapientiſſimum quondam monitum Ducis Boh. Boleslai Pij.

Coſm. Dec. Prag. in Chron. Prag. l. 1. ad an. 999. Pulkawa an. eod. Hagec Kuthen. an. eod. Lupac. VVeleſl. ad d. VII. Febr. Ego in Phoſphoro Rad. VI. p. 49. 2.

CAPUT II.

Georgius ſopitis domeſticis turbis, & pace per Regnum & Provincias procuratâ, regnat aliquandiu glorioſus. Legatos ad Summum Pontificem mittit: cum Rege Cazimiro confirmat fœdus: Fridericum Imp. Viennæ obſeſſum, opéque omni ab Imperio deſtitutum liberat.

Georgius Olomucium Conventum indicit,

APpropinquabat jam tempus, quo juxta pacta, triennio antè, *Praga* inita, & *Straznicij in Moravia* tabulis firmata, *Georgij filia*, Matthiæ Regi in conjugem tradi debebat. Quod ut debita cum ſolemnitate inſtitui, atque etiam circa aſſignandam dotem pleniùs deliberari tranſigique poſſet, *Georgius Matthiam*, ad colloquium *Olomucium* vocavit. Et quia induciæ *Cæſarem inter & Matthiam* tendebant ad finem, ut eâdem occaſione prorogarentur diutiùs, vel ſi fortuna ferret, pax & concordia diu deſiderata componeretur; Cæſarem quoque ad illud, pro Cal. Januarij invitavit. Et *Matthias* quidem habebat in animo perſonaliter veniendi *ad Georgium*; ſed diſſvadentibus Magnatibus, quorum conſilijs utebatur, & qui in præſenti rerum ſtatu, Regem Regno egredi nequaquam expedire dicebant; ne turbulentis hominibus occultè latentibus non paucis, daretur per abſentiam ejus anſa tentandi aliqua pernicioſa: legatos mittere, ipſemet verò, ut nihilominùs Conventui vicinior eſſet, & ſi fortaſſe quid difficultatis in tranſigendo ſuboriretur, ei in tempore obviaret, *Trenczinium* venire decrevit. Ità invenio in Actis publicis.

ut cum Matthia, perlegatos, de tradenda filia ſua in conjugem, & de dote aſſignanda tranſigat.

MS. Pernſt. Cod. min. liter. publ. fol. 187.

quæ omnia Matthias,

Nos Matthias &c. Significamus per præſentes, quòd Nos, cum magnifico Zdenkone Koſtka de Poſtupicz, miſſo & deſtinato ad Nos, per Seren. Principem & D. D. Georgium Regem Boh. cum pleno mandato, ad tractandum nobiscum, ac Prælatis & Baronibus noſtris, de & ſuper articulis infra ſcriptis. Et devenimus in has concluſiones. I. Diſpoſitum eſt, ut pro dieta inter Nos, & dictum D. Georgium Regem Boh. tenenda, nos in feſto S. Thomæ Ap. proximè venturo conſtituamur in Trenczin, D. verò Rex Boh. in Olomucz. II. Quia præfatus Zdenko virtute plenipotentiæ ſuæ, nos certificavit, quòd illa amicitia nuptiarum, pro qua principaliter hac dieta tenebitur, effectui demandabitur, & ipſe D. Georgius Rex filiam ſuam Inclytam Cunkam, alio nomine Catharinam nobis matrimonialiter tradere intendat: ideò & nos certificamus eundem D. Regem, quòd ad prædictam dietam tenendam, ad præfixum terminum veniemus. Et ibidem Prælati & Barones amborum Regnorum, qui ad hoc eligentur, diſponent, quo die ipſa filia D. Regis in Hungariam adduci, nobis tradi, & qualiter, uti Regina Hungariæ, teneri debeat. III. Ijdem Prælati & Barones tractabunt etiam; ſi nos, (quod Deus avertat) ab hoc ſeculo priùs migrare contingeret,

rata & grata habiturum ſe pollicetur;

Digitized by Google

ret, quomodo ipſa Regina vidua proviſa eſſe deberet, more aliarum Reginarum Hung. ex parte dotalicij. IV. Iſdem concludent quoq;, ut Conventio illa Straznicij facta, inter nos & D. Regem Boh. & Regnum utrúmque, rata permaneat: & qualiter nos, & D. Rex Boh. contra quoslibet noſtros, & ipſius inimicos, debeamus nos mutuò, conſilio & aſſiſtentiâ adjuvare, unus alterum in nullo relinquendo. Et contra quoslibet hoſtes noſtros, & Regnorum noſtrorum, præſentes & futuros, nos & Regna noſtra defendere, & in bona amicitia permanere ſemper debeamus: & quia omnes iſti articuli debeant confirmari, in eadem dieta Olomucenſi. Et nos Matthias Rex Hung. promittimus, quòd omnia, quæ in ijs articulis expreſſa ſunt, firmiter obſervabimus. Dat. Caſſoviæ, in feſto B. Catharinæ V. & M. anno 1460. M. m. propriâ.

ſimul & renovari confœderationem, de mutuò ferendo ſibi auxilio, contra quosvis hoſtes, petit.

Jam parabat Olomucium iter *Georgius*, dum inopinatò veniunt Pragam, nuncij Electorum, *Moguntini Palatinique*; & biduo poſt, *Ludovicus Bavariæ Dux Landshutanus*, cum *Archi-Ep. Salisburgenſis*, *& Epiſcopi Bambergenſis* legatis. Quare differre tantiſper *Conventum Olom.* neceſſe habuit; id quod ſine mora *Matthiæ*, per celeres curſores ſignificari fecit, diémque alium, poſt *Calend. Jan.* proximum, ad conveniendum nominavit. Quid porrò egerint novi iſti hoſpites *Pragæ*, & quæ cauſa fuerit eorum adventûs, nemo tunc explorare potuit; ità occultè agebant ſua: primò poſt abitum illorum innotuit, alium celebriorem Conventum *pro Calendis Febr.* indictum eſſe *Egram*, ubi præter ipſos, & alios finitimos Principes, Rex quoque compareret præſens. Ex quo Conventu demum patuit, quid priùs in occulto Pragæ agitatum fuerit.

Principum Imperij inopinatus Pragam inventus, occultíque conſilia: *MS. Anon. Prag. MS. VVratiſlav.*

In feſto *SS. Innocentum* diſceſſerunt hoſpites Pragâ, & Rex illicò die ſequenti in Moraviam: qui *Chrudimij*, ob ingentem procellam nivium, ſubſiſtere coactus per ſeſquidiem, itinere poſtea per *Litomiſſlium*, *Treboviam & Litoveliam* continuato, *Olomucium* in Vigilia Epiphaniæ venit: quò jam antè appulerant legati Matthiæ, *Joannes Epiſcopus VVarad. Joannes de Rozgon, & Franciſcus Czáky Comes Biborienſis*; Cæſaris item, *Leonhardus Ep. Gurcenſis*, *Joannes Rorbachius*, & duo alij. Primò omnium cum Hungaris, de modo & tempore tradendi ac dotandi Sponſam regiam, & de cæteris actum; atque ità feliciter transactum, ut *Matthias* etiam ipſe cuncta, poſtquàm relata cognoviſſet, haud gravatè, & citra omnem cunctationem rata habuerit, confirmarítque verbo regio, & diplomate ſolenni; cujus potiora, cùm memoratu ſint digna, audiamus.

Pragâ diſceſſus. Georgius Olomucium venit: cum legatis Matthiæ feliciter tranſigit.

Nos Matthias &c. *Quandoquidem Seren. Princeps D. Georgius* &c. *habitâ inter nos utrinque, ex conſilio & diligenti operâ Prælatorum & Baronum utriúsque Regni, amicabili conventione, Inclytam filiam ſuam Cunegundem nobis deſponſavit, & ſe obligavit literis mediantibus, quòd eandem in feſto SS. Philippi & Jacbi App. proximè venturo, Trenczinij, ad noſtras, vel legatorum noſtrorum manus, præſentare velit: Nos volentes ipſum D. Regem certum quoque reddere, in ijs, quæ ad ſuſceptionem & conſervationem ejusdem, tanquàm Reginæ Hung. pertinent; ea omnia hic explicamus. I. Nos ad præfatum feſtum*

quæ Matthias Trenczinij agens approbat regio diplomate:

feſtum SS. App. ſi perſonaliter non acceſſerimus, legatos noſtros ad tantam rem aptos & dignos mittemus, qui Trenczinio deferant eandem Sponſam noſtram, Budam, honore quo decet Reginam: quam nos intra 14. dies, ab illo quo fuerit Trencziniy præſentata, in forma & facie Eccleſiæ, legitimè nobis deſponſabimus. II. Quanquàm ad communionem thori, cum eadem D. Cunegunde ſpatium temporis bienniy, à die deſponſationis excedere non debeamus; ſi tamen noſtrâ, & Illuſtris D. Eliſabethæ genitricis noſtræ, Prælatorúmque & Baronum noſtrorum maturâ deliberatione præhabitâ, memoratum tempus bienniy prævenire viſum fuerit, id nobis facere liberum ſit. III. Eadem D. Sponſa noſtra, ſtatim ac Trenczinium adducta fuerit, habebit pro dote caſtra, VeteroBudam & Dyosgevvar, Inſulam Chepel & Comanos Reginales, cum omnibus pertinentiys eorum: quorum poſſeſſionem adibit infra octo dies, à die, quâ Budam veniet, incluſivè. Alia item caſtra, quæ Barbara Sigismundi Imp. quondam pro dote habuit & tenuit, omnia: quorum nonnulla oppignorata ſunt, & illa redimemus; alia donata, & ipſorum locò, æqui valentia bona aſſignabimus. IV. Inſuper eidem D. Sponſæ noſtræ, pro honeſta ſuſtentatione Curiæ ejus, & libera diſpoſitione, dabimus ſingulis annis, ſeptem millia aureorum, de lucro Cameræ cultelli Caſſov. V. Si, Deo permittente, nos contingat decedere, ante communionem thori, vel etiam poſt; omnia ſupradicta caſtra, bona, poſſeſſiones, ipſa D. Cunegundis pacificè poſſidere valeat, usque ad mortem; ſimul cum proviſione annuali ſeptem millium aureorum. VI. Quâ die nos coronabimur, eâdem vel ſequenti immediatè, D. Cunegundem Reginam Hungariæ coronari faciemus. Quæ omnia Nos Matthias Rex ſupradictus promittimus, in verbo noſtro regio, firmiter & inviolabiter obſervare. Dat. Trencziniy in feſto Converſ. S. Pauli Ap. an. 1461. Subſcripſerunt nomina, ſed in alijs ſpecialibus literis, *Dionyſius Cardinalis, & Archi-Ep. Strigon.* cum quatuor Epiſcopis, & Præpoſito Albenſi Nicolao Bodo; & *Michaël Orczag Palatinus*, cum præcipuis tredecim Officialibus & Magnatibus Regni. Ibidem, die ſequenti.

[Margin: caſtra & poſſeſſiones opulentas conjugi in dotem aſſignat; — pecuniam quoque annuam. — *MS. ex Archivo Lippaeorum. Codex maj. lit. publ. fol. 657. & ſeqq.* — *Cod. min. fol. 117.*]

Rebus hoc modo circa connubium tranſactis, *Georgius* negotium pacis tractandæ inter Cæſarem & Matthiam aggreſſus, cum Hungaris, priusquàm *Olomucio* Trenczinium diſceſſiſſent, relaturi ſuo Regi, quæ concluſa eſſent, & legatis Cæſareis, ea de cauſa ſeriò agere cœpit. Sed Hungaris nullam facultatem hâc vice, nullum mandatum tractandi quid ſimile ſe habere, ideóque hæc conſilia, aliud tempus, aliam occaſionem poſtulare affirmantibus, nihil factum: induciæ ſolùm prorogatæ, ad usque *diem S. Georgiy.* Aderant & quidam provinciales Auſtriæ, *Friderico Imp.* contrarij & rebelles, quorum anteſignanus erat *Cunradus Fraunauer*, homo præ alijs turbulentus, contumax & protervus. Hungaris ergò diſcedentibus, *Georgius* animos iſtorum pertentandos ſuſcepit, ſi quâ viâ ad obſequium, debitámque legitimo ſuo Principi obedientiam reduci poſſent; repræſentando ijs incommoda, clades, vaſtitates, & alia mala, quæ hactenus ex civili diſſenſione toleraſſent, & quæ impoſterùm, longè deteriora eos manerent; niſi ommiſsâ inani pertinaciâ, redire in gratiam cum Cæſare maturaverint. Verùm & hìc opera ſtudiúmque Regis, ſuc-

[Margin: Georgius Cæſarem inter & Matthiam inducias prorogat: — conatur etiam Auſtriacos reducere ad obſequium Cæſaris; — ſed fruſtra. *Roo in Hiſt. Auſtr. lib. 7. MS. Lipp. Pernſt.*]

Digitized by Google

ſucceſſu caruit; eò quòd *homines cervicoſi, & ſuperbè ac ſtolidè ferocientes* talia proponebant, ſibíque concedi flagitabant, quæ manifeſtè adverſabantur Majeſtati Cæſareæ, quá Summi in Auſtria Principis; & quæ idcirco legati, nullâ ratione admittere poterant. Unde re infectâ diſceſſum eſt.

Georgius Pragam rediens, non niſi unum diem quieti dedit, mox *Egram* properavit; ubi ad initium Febr. ſolemnem Conventum egit. Adfuêre pleríque Imperij Principes, Electores, Epiſcopi, Comites, & ex civitatibus legati; quorum nomina videantur apud *Hagecium* & *Theobaldum*. Acta illius Conventûs nemo Scriptorum ſatis explicat. *Hagecius* brevibus inſinuat, de pace fuiſſe actum. Ego *in MS.* quodam codice lego, non tantùm de reducenda per Imperium, poſt tot civiles diſſenſiones, univerſali pace, verùm etiam de *Conſervatore* ejus, magno ſtudio conſultatum fuiſſe, idque muneris oblatum Georgio. Ità ſcribit Norimbergenſis civis & Syndicus *Gregorius Haimburg J.C.* qui tum præſens aderat, *Joanni Calta de Rabenſtein* Baroni Bohemo. *Hic modò tria potiſſimùm veniunt in deliberationem. I. de decima Clero, & triceſima omnium redituum Laicorum, per continuum triennium, nuper in dieta Norimb. indicta; num & qualiter colligenda, & quomodo in bellum Turcicum applicanda ſit? Nec deſunt, qui putent totum id commentum eſſe ad pecunias corradendas, ac deinde incertum quò convertendas. II. Si ſuſcipiendum ſit contra Turcas bellum, quisnam debeat conſtitui ſupremus Capitaneus totius exercitûs Imperialis? multi inclinant in Regem veſtrum, quòd præ alijs ſit bellicâ virtute inſignis, & non armis tantùm, ſed & conſilio animóque promptus, & apud omnes authoritatis ſummæ. Verùm domeſticis ille curis, & Regno non dum ab omni parte pacato ſe excuſat: in eventum tamen, ſi res ſuas domi in tuto locaret, etiam remotæ huic militiæ nomen dare, & quantum in ſe eſſet, pro Republ. Chriſtiana ſtrenuè decertare haud abnueret. III. Ut ſedatis omnibus guerris, & civilibus diſcordijs, optata tandem pax inſtituatur per totum Imperium, deputetúrque unus ex Principibus potentioribus, ejus protector & Conſervator. Omnium autem vota & animi feruntur in veſtrum Regem. Et meritò: nam quis eſt inter Principes Imperij, cujus authoritas & potentia tanta ſit, ut partam pacem conſervare, tantique nominis decus & famam cum dignitate tueri queat? ipſi vires opéſque, & contra turbatores pacis, miles in armis exercitatus in promptu ſunt; ſpectata quoque prudentia & magnanimitas, rerúmque geſtarum magnus uſus. Nec detrectat ille: ſed ſimul adminiſtrationem Imperij, ſumma cum poteſtate, ſibi conferri vult. Súntque multi, ac imprimis Ludovici duo, Bavariæ Dux, & Haſſiæ Landgr. Bambergenſis Epiſcopus, & Electorum Moguntini Palatinique, Archi-Epiſcopi item Salisburg. Comitis VVirtmberg. & civitatum Norimbergæ, Ratisbonæ, Auguſtæ legati: qui id ei attribuendum minimè dubitant; quùm Imperator nequeat ſatisfacere officio ſuo, domeſticis turbis implicitus, & vix ijs ſuſtinendis par. Sed diverſum ſentit Elector Brandeburg. cum quibusdam paucis: qui nequaquam exiſtimant Imperatoriæ Majeſtati, usque adeò derogandum, ut ei, veluti inſufficienti, ſocium Imperij, vel prorſus moderatorem adjungant. Quid tandem con-*

Egræ, vel Ogræ conventus Principum Imperij, præſente Georgio:

in quo actum de pace publica per Imperium: & præter alia quædam, etiam

MS. Cod. continens diverſas Epiſt. in Bibl. Cap.

de protectore & Conſervatore pacis:

quod ampliſſimum munus, Principes offerunt Georgio,

ceu Principi ac Regi præ alijs tunc potentiſſimo.

Id acceptat ille: ſed ſimul etiam in civilibus, vicariam adminiſtrationem Imperij ſibi conferri vult.

quod dum aliqui concedunt,

alij negant,

Digitized by Google

rebus infectis diſceditur, & res tota ad alium Conventum rejicitur.

concludetur, tempus dabit: puto omnino, quòd infectis rebus diſſolvetur Conventus, & ſimultas jam antea gliſcens inter Regem & Brandeb. propter Luſatiam inf. erumpet in bellum grave & cruentum. &c. *Dat. in Egra, die S. Valentini M. an. 1461.* Cùm igitur conveniri non poſſet, ſententijs variantibus, omnis ea res in medio relicta fuit, & dilata in aliud tempus, aliúmque Conventum, pleniùs deliberanda.

Ibidem rogatur Georgius, ut à Compactatis recedat.

In eodem Conventu, Principes quidam conabantur *Georgio* placidè perſvadere, ut â novitate illa communicandi *SS. Euchariſtiam* ſub utrâque remittere, Papæ conſilia juſsáque amplecti, & communibus Eccleſiæ Romanæ ritibus ſeſe conformare vellet. Quibus ille, uti nuper Legatis Apoſtolicis:

Reſpondet ille, ſe ſalvâ conſcientiâ non poſſe:

ſe Pontificem Romanum, velut ſupremum Eccleſiæ Caput agnoſcere & venerari: ſcire ſe, extra Eccleſiam nullam eſſe ſalutem. Hæreſim porrò nullam ſe tueri, minùs ſequi; verùm Compactata â Concilio Baſil. conceſſa, & â Summis Pontificibus approbata, vigore quorum Bohemis, præter alia, concedatur Communio ſub utrâque ſpecie, res non nova, ſed dudum in Eccleſia veteri uſitata, & ab ipſo Chriſto Domino inſtituta, ſibi cordi eſſe; nec ſalvâ conſcientiâ, cujus dictamen magis, quàm placitum alicujus hominis, ſequi oporteat, ab ijs recedere poſſe.

MS. Anon. Prag. Stransky Reip. Boh. c. 6. Regenwolsky in Hiſt. Eccleſ. Slavonic. Prov. lib. 1. cap. 8.

Pragámque redux, ut oſtenderet ſe Catholicum, & hæreticorum oſorem; edictum grave, adversùs hæreſes omnes, ac nominatim contra *Taboritas & Picardos* alióſque, qui neque Catholici eſſent, neque Compactata ſervare vellent, emiſit: quo veterem *Caroli IV.* conſtitutionem in hæreticos renovavit, & niſi vel ſub una, vel ſub utrâque juxta Campactatorum præſcripta communicarent, & alios Catholicos ritus ſequerentur, exuſturum ſe omnes minatus eſt. Ego non dubito, quin Principes, *Georgio* Imperium ſummo vicariæ poteſtatis jure regendum, tum ſtatim *Egra* commiſiſſent, ſi is conſilijs ipſorum aquieſcere, â Compactatis recedere, & in ſacris ritibus cum ijsdem ſeſe conformare voluiſſet.

aliàs ſi Principibus obſecundâſſet, certò Imperij adminiſtrationem obtinuiſſet.

Spondan. in Annal. Eccl. an. 1460. Gobellin. in Comment. Pÿ II. lib. 5.

Aliquid eorum innuit *Spondanus* in Annal. Eccl. ex Commentarijs *Gobellini*, ſeu *Pÿ II.* dum ait: *Beſſarion Cardinalis Nicænus, qui Mantuâ legatus in Germaniam perrexerat, cùm veniſſet ad Imperatorem in Auſtriam, bellis flagrare omnia reperit: inde Hungaris Imperatori minantibus, hinc Alberto ipſius germano, & Ludovico Bavariæ Duce. Quinimò â Rege Bohemiæ Podiebradio occultè Imperium ſibi quærente, tanquam Fridericus inutilis eſſet, corruptis promiſſis ingentibus, Electoribus Moguntino & Palatino: ſed Brandeburgenſi reſiſtente, diſſoluta conventio eſt. Ità Gobellinus.*

Filia Georgij Regis,

Georgius Pragam reversùs, curam & ſtudium omne, in comparanda neceſſaria, pro filia in Hungariam deducenda impendit: quam deinde cùm præfixum immineret tempus, *Zdenkoni â Sternberg, VVilhelmo de Rabi,* aliàs *Sſvvibovvskio, & Zdenkoni Koſtca* traditam, magno cum apparatu, addito Nobilium fœminarum virorúmque, quàm maximo lectiſſimóque comitatu miſit.

ducitur in Hungariam: ubi

Per *Iglaviam, Trebicium, Brunam & HunnoBrodam itum. Trenczinio* dum appropinquaret, excepta eſt magnificè ac ſplendidè â Proceribus Hungaris, quos *Matthias* ei obviam miſerat; indéque ducta, inter equitum

pedi-

Digitized by Google

peditúmque copias, aucto per ſingulas urbes comitatu, *Budam* felicibus auſpicijs pervenit. Ubi poſt junctas dextras, benedicente *Archi-Ep. & Cardinali Strigon.* nuptiæ, maximâ omnium Ordinum frequentiâ celebratæ ſunt; & tripudia, ludi, aliáque ſimilia, quæ in ejusmodi ſolemnijs adhiberi ſolent, per complures dies continuata. *Bonfinius* id memorat paucis: *Sub ijsdem ferè temporibus, regales nuptiæ celebratæ, cum filia Georgij Regis Boh. Hanc Matthias magnifico duxit apparatu, miróque amore dilexit. Bohemi proceres Trenczinium usque eam duxerunt: hinc regali pompâ Pontifices & Optimates Hungarici accepêre, Budámque duxêre, ubi nuptiarum ſolennitas celebrata.*

Nuptiæ ſolemniter celebratæ.

MS. Pernſt. Lipp. Anon. Prag.

Bonfin. rer. Hung. decad. 3. lib. 10.

Per id tempus gliſcebant rurſum odia inter fratres, *Cæſarem & Albertum*; quæ brevi, cùm non deeſſent ex Provincialibus, tum ipſis etim Viennenſium primoribus, qui diſcordias ſererent, eruperunt in grave bellum. *Albertus* ut partes ſuas redderet validiores, fœdus cum *Matthia Rege Hung.* inijt per legatos, Budæ, *in Vigilia Paſchæ*: quod ſubſcripſerunt ex parte Regis, *Joan. Varadin. Joannes Quinque Eccl. Albertus Chanad. Epiſcopi, Nicolaus Bodo Præpoſitus Alb. Cancellarius, Michaël Orczag Palatinus*, & alij quinque Magnates Hungari. Ex parte Alberti, *Euſtachius Fraunaverus, Nabochodonoſor Ankereuterus, & Georgius Marſchallus Richenovv.* Inter alia cautum erat in eo fœdere, *ne unus ſine altero, aliam confœderationem iniret, néve inducias cum Imperatore faceret, niſi conjunctim, & ex communi conſenſu.* Unde cùm ad magnas preces Cardinalis S. Angeli, inſtituta eſſet nova tractatio pacis inter Imperatorem & Regem Hung. Rex nôn priùs quidquam aggredi voluit, donec id ad Archiducem retuliſſet, datis ad eum literis. *Matthias* &c. *Illuſtri Principi D. Alberto Archiduci Auſtriæ* &c. *fratri noſtro chariſſimo. Victi precibus Reverendiſſimi in Chriſto P. D. Joannis Cardinalis S. Angeli, Apoſtolicæ Sedis Legati de latere, ne Sedi Apoſt. minùs obedientes, vel non amatores pacis videremur, conſenſimus tandem, ut inter D. Fridericum Rom. Imp. & noſtram Majeſtatem, in civitate Jaurienſi, una dieta, die feſto SS. Corporis Chriſti nunc venturi, per Oratores utriùsque noſtrûm, pro habendis tractatibus teneatur. Cùm autem nos non velimus ſine ſcitu veſtro, & præſentia Oratorum veſtrorum, quidquam cum eodem D. Imperatore concludere: rogamus Fraternitatem V. quatenus eò quoque mittatis Oratores veſtros, qui cum noſtris, quos hinc ex Prælatis & Baronibus noſtris mittemus, ſimul conſtituti, ſi qua tractanda vel concludenda eis cum eodem D. Imp. videbuntur, communiter tractent, & concludant. Valeat F. V. ad vota ſua feliciter. Budæ, Feriâ V. ante feſtum SS. Trinitatis, an. 1461.*

Odia Cæſarem inter & fratrem ejus Albertum recrudeſcunt.

Cod. maj. lit. publ pag. 776. & ſeqq.

quæ dum Legatus, Summi Pontificis, leniendà ſopiendáque ſuſcipit,

fruſtra agit.

Codex. min. lit. publ. f. 185.

Miſerat ad eundem Conventum etiam *Georgius* legatos ſuos, *Procopium de Rabſtein Cancellarium Regni, & Ctiborium de Cymburg Baronem Moravum*, pro faciliùs componenda pace: qui poſtquàm diu ſatis in conciliandis partibus laboráſſent, nec tamen quidquam efficerent, ad Regem, *Brunæ* tum agentem, & quem Conventus ille exitum habiturus eſſet, avidè expectantem, redierunt. Hoc modo ſpe pacis abjectâ, bellum effervuit, primúsque arma induit *Albertus*: qui luſtrato ad *D. Hippolyti fanum* exercitu, & rece-

Fruſtrà & Bohemiæ Rex in componendis fratribus agit.

Hinc bellum atrox efferveſcit.

ptis Procerum auxilijs *Tolnam*, ac inde ſub Cal. Auguſti rectà *Viennam* movit. Præerant *Viennæ* in abſentia Cæſaris, Græcij tum commorantis, *Ulricus de Graveneck*, *& Andreas à Paumkirch*, cum *Joanne Giskra Bohemo*, à Cæſare pro defenſione urbis conducto, & *Matthiæ Regi* non dum reconciliato: qui cum *Viennenſes* hortarentur, ut in fide Cæſaris manerent conſtantes, & *Alberto*, ſi vim pararet, reſiſterent, non niſi contumacia verba ab ijs reportârunt, taléque reſponſum, ùt narrat Hiſtoricus Cæſareus temporum illorum vicinus; *Alberti viribus ſe reſiſtere non poſſe*, *nec ſi poſſent*, *velle*. Inſuper miſſis obviam Alberto nuncijs, ſe ſuáque omnia in ejus poteſtate fore, promittebant. Exortâ deinde in ipſis ſuburbijs Viennenſibus cum Alberto pugnâ, Cæſariani, utì causâ, utì fortunâ ſuperiores, victores evaſerunt: de quo idem Cæſareus Hiſtoricus hiſce: *Sub initium menſis Auguſti*, *Albertus cum ſuis rectà Viennam pergens*, *ſuburbanum D. Nicolai cœnobium occupat. Vienna ad arma concurſum eſt*, *Cæſarianis populum utcúnque in officio continentibus*. *Praerant illis Giskra Bohemus vir impiger*, *Udalricus Graveneckerus*, *& Andreas Paumkircherus viri militares: qui urbe egreſſi*, *cum Alberti milite*, *propiùs muros ſubeunte*, *manum conſeruêre*, *& Albertum cedere coegêre. Pugnatum eſſe ferunt ad tres boras*, *in ponte. Paulo poſt Hungarorum auxilia in Alberti caſtra venêre: quatuor bominum millia fuiſſe dicuntur.*

Giskra Bohemus pro Cæſare militat.

Viennenſes denuò Cæſari rebelles.

Gerard. in Roo Hiſt. Auſtr. l. 7.

Prælium in ſuburbio Viennenſi.

Cæſariani victores.

Inter hæc venerunt legati Bohemiæ Regis, *Zdenko à Sternberg*, *Procopius de Rabſtein*, *Ctibor de Cymburg*, *& Hynko junior de Lippa*, miſſi ex conſtituto, ut partes componerent, aut ſi id difficile, ùt ante, factu foret, ſaltèm inducias ad aliquod tempus procurarent, intra quas de ſolida ac certa pace utrínque agi, & concludi poſſet. Qui ultrò citróque, jam in urbem *ad Cæſarianos*, jam *in Alberti caſtra* commeantes, poſt multas & graves difficultates utrínque propoſitas, & magnâ contentione agitatas, eâ conditione inter partes tranſêgere: ut donec firma ac ſtabilis pax iniretur, ab hoſtilitate utrínque ceſſarent, nec ſe invicem laceſſerent, ad diem usque *Calendarum Julij*, *anni ſequ.* Interim de locorum, quæ *Alberti* præſidijs tenebantur, quemadmodum & aliarum ditionum poſſeſſione dijudicanda; déque injurijs, damnis, rapinis, cœdibus, quæ diviſâ in partes & factiones Republicâ, inſolentiſſimæ ex utráque parte evenerant, jure decidendis, legati utrínque *Tolnam*, vel quocúnque aliò mitterentur: & quidquid ij, in præſentia legatorum Bohemiæ Regis, deliberarent, âb utráque parte pro rato ac firmo haberetur. Verùm neque tum de omnibus pacificè conveniri potuit; ac proinde brevì iterum res ad arma venit, multo acerbioribus quàm antea partium odijs.

Rex Boh. per legatos, agit mediatorem pacis.

MS. Prag. Pernſt. VVrzeſobec. ad an. 1461.

procurat inducias; quæ tamen non fuerunt diuturnæ.

Bellum recrudeſcit.

Initio anni 1462. *Georgius*, hortatu Cæſaris, & Catholicorum Procerum, tam *Bohemorum*, quam *Moravorum*, novam legationem Romam, ad Pium Pontificem inſtituit; miſſis *Procopio de Rabſtein*, *Zdenkone Koſtkâ* (Cochlæus *Burjanum Trczkam*, & Weleslavinus *Ulricum Malovecz* addunt) *M. VVenceslao VVrbensky*, *& VVenceslao Korandâ*, qui die 14. Jan. *Pragâ* diſceſſerunt: cùm paulo ante Cæſar, in eodem Regis negotio, Oratorem ſuum præmiſiſſet. Eâ legatione volebat Rex (ut in puncto Religionis minùs

Georgius legationem ſolennem mittit ad Pontificem Max.

minùs eſſet ſuſpectus Catholicis, maximè *VVratiſlavienſibus*, qui idcirco homagium ei præſtare recuſaverant) Sedi Apoſtolicæ, obedientiam ritu ſolemni exhibere, & acceptare Eccleſiæ unitatem; eâ lege, ut *Compactata Bohemorum*, præſertim quoad calicis in ſacra Synaxi uſum, approbaret Pontifex. Quod tamen ei abſolutè negatum eſt. Deſcribit id pluribus, *Joannes Rector Baſilicæ Beatiſſimæ Virg. in Agro Dei*, ibidem Romæ, teſtis oculatus, qui interfuit rebus omnibus, literis ad Epiſcopum Wratiſlav. *Jodocum de Roſenberg* datis:

Cochl. in Huſſit. lib. 12. VVelesl. in Calend. Hiſt. ad d. 14. Jan. Hagec. Kutben. MS. Anon. Prag. ad an. 1462.

Octavâ, inquit, *die menſis Martij, orator Domini Imperatoris, Urbem Romanam intravit; & poſt decimam diem, menſis ejusdem, ſecuti eum fuerant Oratores Bohemorum Regis, videlicet: Procopius de Rabenſtein, ùt aſſeritur fidelis Catholicus: Zdenko Koſtka, Wenceslaus Wirvensky Decanus Eccleſiæ S. Apollinaris Pragæ, & Wenceslaus Coranda archihæreticus, in ſatis turbida & pluvioſa aura; Saturni verò die 13. Martij venerunt Oratores Regis Franciæ*, &c. *Quibus peractis, Bohemis ipſe Sanctiſſimus ad diem Saturni, 20. Martij, audientiam dare, ac publicum Conſiſtorium pro ipſis celebrare deſignari fecit: quâ adveniente die, comparuerunt in Conſiſtorio Oratores Domini Imperatoris & Regis, ſervatisque ſolemnitatibus conſvetis, orator D. Imperatoris, ipſum Regem ſatis oretenùs Sanctiſſimo commendavit, ſupplicando, ut ipſa Sanctitas eum Regem ità ſuſciperet, quatenus ille intelligere poſſet, commendationem ipſius Imperatoris, apud Sanctitatem ſuam fuiſſe ſibi utilem. Poſtea verò Procopius de Rabenſtein, Regem pro eo, quòd diſtulerit hucusque ſolemnem obedientiam, excuſavit: at obedientiam ſolùm nomine Regis præſtitit. Unde interrogatus, an etiam faceret nomine Regni ac Regnicolarum, vultum vertens in collegas ſuos, qui forſan nomine Regni Procopio adjuncti fuêre, eis, ut ipſi reſponderent, dixit: ſed illi onus totum in eundem Procopium tranſtulerunt. Tandem ipſe Procopius ſatis lautè reſpondit, quòd nomine Regis & Regni facerent obedientiam. In cedula verò obedientiæ lecta per Procopium, continebatur ſolùm obedientia Regis, & non expreſſè etiam Regni, adjunxitque Procopius: prout cæteri Reges facere ſolent. Ad quod Sanctiſſimus Dominus: quòd non ſimiliter, quia Regna alia ſunt ſub plena obedientia Sedis Apoſtolicæ, nec admittunt novitates ullas, extra ritum Eccleſiæ Romanæ, ſicut in Regno Bohemiæ hactenus ſit: unde neceſſariam eſſe etiam obedientiam Regni ac Regnicolarum.*

Legatorum Cæſaris, & Regis Bohemiæ, Romam adventus.

Cod. maj. lit. publ. pag. 387. & ſequ. Codex tertius min. lit. publ. fol. 76.

comparent in Conſiſtorio publico, coram Pontifice [illegible] & audiuntur;

primò Cæſar[illegible], deinde Regij,

exhibentes obedientiam nomine Regis,

& Regni Regnicolarúmque:

per quod tamen Sed. Apoſtolicæ non ſatis faciunt plenè.

Receptâque obedientiâ tali per Sanctiſſimum, Wenceslaus Coranda mox incœpit perorare palam, ac omnem hæreticam pravitatem, & turpitudinem in publicum deduxit; præmiſſâ proteſtatione, quòd facerent obedientiam, citra receſſum à Compactatis, ipſis per Concilium Baſilienſe traditis: & coram Sanctiſſimo, & omnibus Reverendis Patribus & Dominis Cardinalibus, Viris Doctiſſimis, dicere non erubuit, Communionem utriùsque ſpeciei eſſe de neceſſitate ſalutis, atque ex præcepto Chriſti. Pluráque vana & inſana ac ridicula protulit. Ultimò Confirmationem Compactatorum & Communionis ſub utrâque, nomine Regis & Regni petijt. At Sanctiſſimus ità latè & exactè illis reſpondit,

Koranda unus ex legatis, religione Huſſita & Sacerdos, Communionem ſub utrâque ſpecie, mirè deprædicat; ideóque confirmationem ejus, & Compactatorum, petit:

Digitized by Google

quam tamen Summus Pont. neget;

ſpondit, ut vix duæ horæ reſponſioni ſuffecerint. Poſtremò die ultimâ Martij, in publico Conſiſtorio, in præſentia omnium DD. Cardinalium, & copioſa multitudine hominum, de omnibus mundi partibus, Bohemis dedit reſponſum negativum; declarans Communionem utriúsque ſpeciei, non eſſe de neceſſitate Salutis, ex Sacra Scriptura exponens Evangelia, & verba illa: NISI MANDUCAVERITIS &c. Et finaliter extinxit &, delevit Compactata, dicens nunquam fuiſſe uſa, ſicut conceſſa fuerunt: confirmavitque decretum Concilij Baſil. quod continet Communionem utriúsque ſpeciei non eſſe de neceſſitate ſalutis, & ſtatuit ità tenere, contrarium agentes hæreticos cenſendo. Nec vult obedientiam talem eſſe firmam & ratam, ac pro obedientia reputare, donec Rex Regnum ipſum ad unionem Eccleſiæ reduceret, ſéque Eccleſiæ Catholicæ in omnibus conformaret, ac verba factis comprobaret: & niſi hoc quantocyùs faceret, contra eum, ùt inobedientem, procedere non omittet. &c.

Compactatáq; annullat.

Georgium, ut ſe Eccleſiæ Catholicæ conformet, moneri curat: ſecùs, Regnum ejus ſtare diu non poſſe. *Codex maj. fol. 305. & ſequ. Gobellin. in Comment. Pij II. lib. 7.* Compactata Religionis, conceſſa Bohemis & Moravis,

Paulò aliter ſcribit ipſemet *Pius II.* in literis citatorijs, (de his infra) quibus *Georgium* citat ad comparendum coram ſe, infra centum & octoginta dies: ubi dicit, aſſeruiſſe legatos *Georgij*, non abſolutè, quòd Communio utriúsque ſpeciei eſſet de neceſſitate ſalutis, ſed ſubobſcurè & dubiè. Ait enim: *poſtea Compactata Regno Bohemiæ, & Marchionatui Moraviæ, ut confirmarentur, vel de novo concederentur authoritate Apoſtolicâ, petiverunt; multa in laudem Communionis ſub utrâque ſpecie aſſerentes, ità verbis captioſis utentes, ut in neceſſitatem ejus populo Chriſtiano & ponere, & non ponere viderentur; nunc ſalutiferam, nunc fructuoſam, & multis modis utilem affirmantes. Nos de conſilio Fratrum obedientiam acceptavimus, quamvis diminutam, & minùs ſufficientem eſſe diceremus. De Compactatis reſpondimus, ea annullata eſſe, quia non ſervârunt Huſſitæ, quæ in ijs continentur.* &c. Dimiſſis legatis additus eſt *Fantinus de Valle* Juriſconſultus inſignis, natione *Dalmata*, qui Regis Bohemiæ procuratorem aliquando egerat; ut quæ acta eſſent Romæ, non Regi ſolùm, ſed Baronibus quoque fidelibus nota faceret, ſi fortaſſe legati aliqua ſubtraherent. Pragam die 5. Maji omnes ſimul appulerunt.

Codex maj. cit. pag. 313. reſcinduntur authoritate Apoſtolicâ.

Legati Româ redeunt infectis rebus. Georgij cum Cazimiro Rege Pol. confœderatio,

Aberat tunc *Georgius*, in Sileſiam, colloquij cum *Cazimiro Rege Pol.* inſtituendi, & fœderis nuper *Bythomiæ* per legatos initi, confirmandi causâ profectus: qui ducto per *Budiſſinam* & *Gerlicium* itinere, & duobus millibus equitum, quorum potior numerus erat *de Nobilitate Bohema Moraváque*, ſtipatus; tum Epiſcopis duobus *Wratiſlav.* & *Olomucenſi*, quatuor item Sileſiæ Principibus comitantibus, die 15. Maji, *Glogoviam maj.* ad locum Conventui deſtinatum venit. Eò tertiâ die *Cazimirus* quoque cum præcipui nominis Magnatibus Polonis, & quinque millium equitum comitatu acceſſit: cui *Georgius* obviam ad unum milliare prodijt. Salutatione mutuâ ex equis factâ, *Cazimirus* in arcem deductus eſt, *Georgius* in prætorio divertit. Novem deinde dies dati colloquijs; ultimò amicitia, quoad viverent, inita & tabulis firmata, die feſto Aſcenſionis Dominicæ; quo etiam *Cazimirus*, *Georgium* magnificentiſſimo excepit convivio. Inter alia concluſum, *ne Bohemus, de Oſvanczino, Woleko, Zatoria, Zivecia, Scziecero, & Biervaldo cum ter-*

mutuúmque colloquium Glogoviæ maj. in Sileſia habitum. Summa confœderationis. *Codex min. lit. publ. fol. 196. & ſequ. Cromer. l. 24. ad fin. Curæus in An. Sileſ. pag. 167.*

ris,

Digitized by Google

ris, oppidis, villis, vaſallis, diſtrictibus, & ſubditis eorundem, Polono faceſſeret negotium; viciſſim verò Polonus, dotem Eliſabethæ uxoris ſuæ nomine, ne unquam à Bohemo repeteret. Proximus conventus Regum, ſi quis deinceps futurus eſſet, ut in Polonia ageretur. Antiqua pacta, literæ & inſcriptiones, inter Reges Regnáque Bohemiæ & Poloniæ confirmata. Ad extremum, armorum ſocietas contra Turcas inita, promiſſáque auxilia mutua, ſi alterutri vis à barbaris inferretur.

Poſt hæc *Georgius* aggreſſus eſt *Fridericum II. March. & Electorem Brand.* non dum ſibi affinitate, cujus ſuprà meminimus, junctum, ab eóque *Luſatiam infer.* repetijt, quam is (ſed illegitimè, & contra leges patrias) obtinuerat *à Ladislao Rege*; bellum aliàs minatus. Jámque *Zdenko à Sternberg* cum quinque millibus *peditum Bohemorum* in procinctu erat, *Luſatij* quoque *Superiores*, juſſu Regis, arma parabant: qui deinde omnes, cùm nihilominùs tergiverſaretur *Marchio*, & provinciam reſtituere nollet, ad *Chotiebuzium* confluxerunt, urbémque obſederunt. Duravit aliquandiu obſidio: donec *Marchio* ſaniora amplexus conſilia, tantóque bello impar, cum Rege tranſegit pacificè, in eum modum; ut Provincia rediret quidem pleno jure in ditionem Regis, & ſucceſſorum Bohemiæ Regum; pars tamen aliqua, nominatim *Chotiebuzium, Beſſkovv, Starkovv, & arx Piczinenſis*, manerent Marchiæ conjuncta incorporatáque; quæ ſingula in hodiernum usque diem, Marchiones Brandeburgici poſſident.

Georgius Luſatiam inf. à Marchione Brand. repetit: *Manl in Luſatia l. 6. ad an. 1462.* *Caræus cit.* quam partim vi, partim deditione recipit: paucis quibusdem locis exceptis. *Stransky Reip. Boh. cap. 7. §. 5.*

Reverſus Pragam *Georgius* Comitia ad excipienda legatorum, qui Româ redierant, reſponſa, cunctis Ordinibus *Bohemis & Moravis*, ut ſiquidem ea omnes concernebant, ab omnibus etiam audirentur, pro die X. Auguſti, qui in Eccleſia *Divo Laurentio* ſacer eſt, indixit. Cùm igitur conveniſſent frequentes, ac præter alios etiam *Epiſcopi Olomuc. & Wratislavienſis*; tum legati ea, quæ Româ attuliſſent, publicè coram omnibus ordine expoſuêre, id tanquàm præcipuum multo verborum pondere exaggerantes: qualiter Pontifex, pacis religioſæ, multorum hactenus ſanguine partæ, conditiones & leges, *Compactatis Baſilienſib.* comprehenſas, omnino jam irritas ac nullas feciſſet; ideóque authoritate Apoſtolicâ demandet Regi, ut à Communione ſub utráque ſpecie prorſus abſtineat, atque ad idem ſubditos compellat in futurum, ſi concordi Regno in pace frui velit. Quibus auditis Rex, mirari ſe dixit, quòd Pontifex Compactata tollat; cùm aliàs Regnum Bohemiæ turbatiſſimum quondam, poſt tot calamitates & ærumnas, nullâ aliâ viâ componi potuerit, niſi per Compactata; quæ ſi revocentur, reditura facilè præterita tempora turbulenta, & pejora quidem prioribus. Palámque poſtmodùm teſtatus eſt, ſe in religione & doctrina fidei, quæ uſum *Communionis Sacræ ſub utráque ſpecie* commendat, natum & educatum; ideóque nolle ſe, nec poſſe, â tradita ſemel ſanctis in religione puritate recedere, ſed perſiſtere ad extremum usque velle, in præſcriptis *â Concilio Baſilienſi*, cui tot ſacrati viri, ac totius Europæ doctiſſimi interfuerint, *Compactatis*, quæ robur habeant, etiam nolente Papâ; neque poſſe Papam, Concilij decreta reſcindere, quæ jam antea, & ipſemet

Georgius Comitia generalia indicit Pragam; in quibus legatos Româ reduces publicè audit: Compactata revocari, annullarique ægerrimè fert: & palam quid credat, crederéque velit, profitetur; *Theobald. in Hiſt Huſſ. part. 3. cap. 11. MS. Anon. Prag. MS. Regino-Hrad. Hagek. Kuthen. ad an. 1462. VVelesl. ad d. 10. Aug.*

ab Ordinibus Regni quærit, an Compactata defendere velint?

met *Eugenius IV. Pontifex Max.* rata habuiſſet. Quæ proteſtatio Regis tam vehemens, univerſum cœtum variè affecit: qui religione ſub utráque nuper inductâ imbuti erant, ejúſque tenaciores videri cupiebant, ſuper hac Regis eadem cum ipſis ſentientis conſtantia, & magnanimitate effuſè lætabantur. Cúmque interrogaret Rex Ordines, num Compactatis ſtare, ac unâ ſibi, in ijs defendendis, ſyncerè aſſiſtere vellent? clamoſis vocibus, præeunte *Zdenkone Koſtkâ* reſponderunt: *omnino ſeſe velle.*

Qui ſub utráque erant, omnem operam promittunt:

Alij verò, quorum animos hoc Regis dictum altiùs penetrabat, dolebant Regem, quem rediturum ad obedientiam, & placitis Romanæ Eccleſiæ ſeſe conformaturum credidiſſent, uſque adeò obſtinatum perſiſtere, mala exinde brevì ſequutura haud vanè præſagientes: & hi ſubmiſsè reſponderunt, *Zdenkone à Sternberg* perorante: *nihil ſibi cum Compactatis eſſe, neque illis uſos unquam fuiſſe, neque uſuros; malle ſe, uti hactenus feciſſent, paternis inhærere traditionibus, & Apoſtolicæ Sedis mandatis obedire: nihilominùs quantum ad Regis Regníque ſtatum, gloriam & commodum pertineret, manſuros ſe in officio, atque ea facturos, quæ fideles ſubditos deceant.*

Qui ſub una; ſibi Compactata data non eſſe, nec proinde ſibi defenſionem eorum incumbere; manere tamen ſe Regi fideles, reſponderunt.

Dúmque ſequenti Comitiorum die, legatus Pontificis Fantinus, verbis aliquantùm ſeverioribus inveheretur in Regem, & Compactata Sanctiſſimum annullâſſe, eáque nullius jam valoris eſſe, affirmans, ac inter alia etiam hoc ſemel atque iterum ingeminans: *ô Rex omnis tua promiſſio, & juramentum verbale eſt, non reale; aliud dicis, aliud facis.*

Georgius legatum Pontificis vehementiùs loquutum, à conſpectu abigit, eodémque furoris impetu, Podiebradium, ad arcem ſuam captivum mittit,

Codex lit. publ. maj. f. 6. & 7. Theobald. ſupra cit.

Excanduit Rex tanto magìs, iráque totus exæſtuans ità effervuit, ut poſtpoſitâ fide publicâ, juréque gentium, quod legatos violare vetat, eundem illicò abire è conſpectu juſſerit; quem deinde in Vigilia Aſſumpt. Beatiſſimæ Virginis, Podiebradium in cuſtodiam abduci mandavit, id cauſæ allegans: *quòd ille procurator Regius Romæ conſtitutus, certóque ſtipendio conductus, procul nimis à præſcripto ſui officij deflexiſſet, juſsúſque pro Compactatis agere, contra potiùs egiſſet; ideóque ſe in eum animadvertere, non ùt Nuntium Apoſtolicæ Sedis, ſed ùt prævaricatorem.*

non ùt Pontificis legatum, (ità dicebat) ſed, ùt ſuum olim procuratorem,

MS. Anon. Prag. ad an. 1462.

Literæ Procerum Boh. & Morav. ad Summum Pontif. in Cod. min. f. 156. & ſequ. data anno 1463.

qui cùm talem agere debuiſſet fideliter, ſtipendio conductus;

Ità ipſemet in literis ad Matthiam Regem Hung. Glacij datis, ea de re ſcribit. *Poſtquàm*, inquit, *annuente Domino, ſincero omnium judicio, ad regalis ſolij faſtigium provecti fuimus, procuratorem noſtrum apud Sedem Apoſtolicam habere, Chriſtianorum Regum more, decrevimus. Ad quod opus Fantinum ſupradictum pretio conductum adhibuimus, mittentes eum ad Curiam Romanam Pontificis Papæ Pij, cum viatico, & commeatu affatim abundéque proviſo. Et quia nihil tam cordi nobis haſit, quàm Regnum iſtud olim tam variè diviſum, componere in unum (quotquot enim arces & loca munitiora, tot reges in illo, vel ſummæ poteſtates eſſe cenſebantur) noſtrâ tamen operâ, Divinâ favente clementiâ, eò perductum, ut nil pacatiùs habeat Germania: & ut æquè operâ noſtrâ, ſub Apoſtolicæ Sedis obedientiam, in omni ritu ab Eccleſia conceſſo, unanimiter reduceretur, legationes idcirco quàm plurimas, ad Sedem Apoſtolicam fecimus. Quâdam ergo die, legati noſtri à Romano Pontifice redierunt, cum quibus unà venit Fantinus, non tamen ùt procurator noſter, ſed mantello revoluto, tanquam legatus Apoſtolicus. Ibi Sacri Concilij Baſil. Compactata damnavit, omnium eorum, quæ noſtri nomine* tan-

tanquam procurator in ſe ſuſceperat, factus prævaricator: qui etiam in eodem conventu Pragæ, palam noſtrum ſe procuratorem recognoſcebat, ac de culpa & exceſſu, pro eo â nobis ſibi objectis, privatim voluit reſpondere. Ibi nos palam dixiſſe meminimus: nos ſub ritu Communionis Euchariſtiæ ſub utrâque ſpecie, natum & educatum, in illo ritu, juxta Sacri Baſil. Concilij Compactata velle perſiſtere. Hoc certè non eſt hæreſim profiteri: nihil enim ſub æterna Salutis neceſſitate redigimus, ſed hoc ſub determinatione Sanctæ Matris Eccleſiæ relinquimus. Fantinum autem tanquàm prævaricatorem in cuſtodiam duci juſſimus; quem interventu Illuſtris Principis affinis noſtri Chariſſ. Domini Ludovici inferioris & ſuperioris Bavariæ Ducis, & ob reverentiam uſurpati Apoſtolicæ Legationis tituli, leniter tractatum curatûmque dimiſimus. Ipſe viderit, quâ fronte, quâ honeſtate, â noſtræ procurationis functione, ad Apoſtolicæ Legationis officium, in eadem cauſa, inſcijs nobis, transmigraverit. &c.

[non egit, ſed prævaricatus eſt. Gobellin. in Comment. Pij II. lib. 10. Papienſ. Cardin. in Comment. lib. 6. Cochl. lib. 12. Daubraſ. l. 30. Theobald. cit. MS. diverſa ad an. 1462. Lupac. in Ephemer. ad d. 10. & 14. Aug.]

Venerat tunc in ſiniſtram ſuſpicionem Regi, etiam *Procopius de Rabſtein Cancellarius*, quaſi & ille Romæ, præter inſtructionem ſibi datam, contra Compactata clam egiſſet: eò quòd cum Pontifice, cui erat in Aula Cæſaris quondam familiariſſimè notus, & in pluribus legationibus ſocius, ſecretiora ſubinde colloquia miſcuerit: atque ultimò etiam, dum cæteri abirent Româ, ille ſolus adhuc ibi aliquandiu ſubſtiterit; referente & prodente hæc omnia, & ultra modum exaggerante *Korandâ*, homine linguâ immodico; ideóque eandem cum *Fantino* fortunam ſubijt, officio & dignitate privatus, ſub cuſtodiam acceptus, & in arcem Podiebrad abductus. Interveniente demum *Friderico Imp. & Ludovico Bavariæ Duce*, ambo dimiſſi ſunt, *in Vigilia SS. Simonis & Judæ:* Fantino Rex comites itineris, nequid ei adverſi in via accideret, *Ratisbonam* usque aſſignavit, unde poſtea ille iter ſuum Romam direxit; (falluntur proinde, qui illum dimiſſum, ex veneno in carcere hauſto, Ratisbonæ obijſſe ſcribunt; Romam ſalvus & incolumis redijt, atque iterum annó *1466. â Paulo II. Pontifice* ad Comitia Norimbergam miſſus fuit, Cardinalis poſtea factus) *Procopio* quoque priſtina dignitas reſtituta.

[Procopius de Rabſtein Regni Cancellarius, Regi ſuſpectus, ex eo, quòd Romæ quædam cum Pontifice ſecretò egiſſet, alijs legatis inſcijs, pariter cum Fantino cuſtodiæ traditur, & officio privatur, utérque dimittitur. Fantinus Romam redijt; Daubraſ. in Hiſt. Boh. l. 30. Procopius officio reſtitutus eſt.]

Quo minùs autem *Pius Pontifex*, utì aliàs decreverat, cenſuris ageret contra *Georgium* ob ejusmodi contumaciam, violatúmque jus gentium, obſtitit interventione ſuâ Imperator, beneficio recenti â *Georgio* devinctus. Etenim obſeſſus anno 1462. menſe Octobr. in arce Viennenſi, in quam paulo ante ex Styria redux ſe contulerat, unà cum conjuge *Eleonora, & filiolo,* quem unicum habebat, *Maximiliano I.* juvene quinquenni: ſummáque vi, nec minori pertinaciâ per duos ferè menſes oppugnatus, â ſuis Viennenſibus, quorum anteſignani fuêre *Holczerus Conſul, & Kircheimer* quidam civium præcipuus: & ad extremum in arcto valde conſtitutus, cùm aliter ſe ſuósq; præſenti diſcrimine eximere non poſſet, & cum perduellibus inire compoſitionem, ſine honeſtioribus arbitris, infra dignitatem ſuam eſſe cenſeret, *ad Georgium* utpote ſibi fœdere junctum, quantocyùs confugiendum, ab eóque rebus ſuis tanto in periculo verſantibus, opem implorandam duxit. Qui confeſtim filium *Victorinum*, cum tribus millibus peditum & octingentis equitibus in

[Fridericus Imp. Viennæ, in Burgo, ùt vocant, à civibus obſeſſus & oppugnatus, Georgij Boh. Regis auxilium implorat: qui ſine mora Victorinum cum exercitu, ad ferendam Cæſari opem, properare juſſit.]

Digitized by Google

Auſtriam properare juſſit; cui, ut haberet, quorum conſilio & operâ, in occurrente difficiliori aliquo præſentis expeditionis caſu uteretur, *Zdenkonem à Sternberg*, & *Zbynkonem de Hazmburg*, viros rerum uſu & experientiâ militari præſtantes adjunxit.

cui ſeſe adjungunt Proceres Moravi, cum copijs *MS. Pernſt. MS. ex Arch. Lipp.*

Ad Znogmam Moravi quoque Proceres, *Hynko de Lippa* cum duabus cohortibus peditum, & una turma equitum, *Joannes de Pernſtein* cum totidem peditibus, *Joannes de VValdſtein*, cum *Zdenkone* patruele, nec non *Stephanus de Lichtmburg*, *Przibiko de Miliczin*, *Hanuſſius de Lichtnſtein & Niclſpurg*, *VVenceslaus de Bitovv*, multique alij Equeſtris Ordinis viri, cum peculiaribus ſuis copijs, ijs acceſsêre: ità ut ſumma omnium, quinque millia peditum ſupra trecentos, equitum verò mille & ducentos efficeret. Inde *Victorinus*, miſſis *Viennam* fecialibus, bellum omnibus arma in Cæſarem gerentibus, Regis nomine indixit; rectâque urbem in ſolentem ac contumacem petere decrevit, priusquàm *Albertus* ſubſidia civibus mitteret, aut ipſemet accurreret. Verùm *Zdenkone* & alijs ſvadentibus, feſtinaret ità, ut à tergo nihil hoſtile relinqueret: *eſſe Kremſium & Steinam civitates Viennenſium fœderatas*; illas oportere priùs redigere in poteſtatem, quò demum ſecuriùs profectio in ulteriora ſuſcipi continuarique poſſit. Mox igitur eò moveri caſtra juſſit: cui cives utriúsque loci obviam prodeuntes, pactíque rerum ſuarum incolumitatem, haud gravatè portas aperuerunt; inſuper & fœdus cum Viennenſibus initum renunciârunt. Idem *Korneuburgenſes* fecerunt. Trajecto poſtmodùm ad Ortham Danubio, *Joannes Obiteczsky*, *Ulricus à Schavenburg*, *Andreas de Paumkirch*, *Guilhelmus & Henricus Buchheimij*, qui exercitum ex *Styrijs*, *Carinthijs*, *Carnis*, & *fidelioribus Auſtriacis* tumultuariè collectum ducebant, ei ſeſe conjunxerunt; cum quibus ſine mora *Viennam* versùs movit, & propè *Inſesdorffium* caſtra poſuit, die XIII. Nov. miſſo occultè ad Cæſarem *Matthiâ Ziakavecio Equite Bohemo*, viro ſolerti, & Viennæ quondam, dum *Ladislao* à ſervitijs eſſet, diu verſato, linguǽque Tevtonicæ probè gnaro; qui ſub aliena veſte, in arcem quocúnque tandem modo penetraret, & Cæſarem de præſentibus auxilijs, déque Rege propediem majore cum potentia adfuturo edoceret, ſimul & benè ſperare juberet.

Victorinus Kremſium, Steinam, & Korneoburgum deditione occupat;

Danubium trajicit, cum Cæſarianis ſe conjungit;

propiùs Viennam accedit. *MS. VVrzeſov. MS. Codicilli de Georg. Rege.*

Cæſar obſeſſus penuriâ annonæ premitur.

Jam penuria frumenti vini ac aliarum rerum victui neceſſariarum, urgebat obſeſſos adeò, ut relicto Cæſari ejúsque conjugi, & filio, pane triticeo, reliqui hordeaceo, vel prorſus furfuraceo uterentur; vini vix erat uſus, nedum copia. Qui in arce cum Cæſare fuerunt viri illuſtriores, nominantur: *Udalricus & Hugo VVerdembergici fratres*, *Georgius Kunachius*, *Hartnidus Bucheimius*, *Matthias & Chriſtophorus à Spaur*, *Georgius à Tieffenbach*, *VVilhelmus à Saurau* &c. *Georgius* item *Prapoſitus Poſonienſis*, qui armatus inter primos viſebatur. Interea *Albertus* cum mille ducentis peditibus, & ſexcentis equitibus, cúmque duobus grandioribus tormentis bellicis, Viennam intravit: cujus adventu cives in ſpem rei meliori cum fortuna gerendæ erecti, animisque frementes, multo acriorem oppugnationem inſtituerunt; & tormentis illis duobus contra arcem collocatis, muros continuatis pilarum ictibus impe-

Nomina Procerum cum Cæſare obſeſſorum.

Albertus Viennam venit:

& admotis tormentis Cæſarem oppugnat.

impetierunt; ultimò etiam ſuffoſſionibus rem egerunt. Et tunc etiam *Victorinus*, adhibitâ celeritate, propiùs urbem acceſſit, occupatóque *D. Udalrici* ſuburbio, ut cives ab oppugnando Cæſare abſtraheret, ſtatim die ſequ. qui erat XVII. Nov. in muros civitatis, ſuos provolare juſſit, magno quidem auſu, ſed ſucceſſu nullo. Quippe cives, utpote numero plures ſimul cum militibus *Alberti*, ab omni parte, ubi res neceſſitásque poſcebat, reſiſtebant fortiter; ità ut oppugnatores, tametſi aliquantiſper urgerent obſeſſos acerrimè, multique ſeſe jam in foſſas haſtis innixi demitterent: ultimò tamen, quòd ſub id tempus pluvia multâ nive permiſta, ùt inclinante in hyemem autumno fieri ſolet, turbato cœlo decideret, quæ lubrico in ſolo firmare pedem non ſinebat, terga vertere, & neque ampliùs in ſuburbio tuti, *Gumpendorffium* usque ſe recipere cogerentur. Perierunt *ex Bohemis & Cæſarianis* centum & quadraginta duo. Sed neque *Viennenſibus* incruenta victoria fuit; ex quibus ſexaginta ferè deſiderati ſunt, nec multo pauciores ſauciati.

Victorinus civitatis mœnia adoritur; ſed prævalentibus civibus, cum clade repellitur: *MS. Pernſt. & VVratſol.*

Quanquàm autem *Victorinus*, & cæteri duces, urbem vi expugnari, aut cives ad deditionem compelli poſſe vix ſperabant: ne tamen properè nimìs ab incepto deſiſtere viderentur, (ad famam enim id pertinère ſentiebant) & ut ſaltèm ab arcis oppugnatione averterent ſeditioſos, tantiſper, donec Rex cum majore exercitu acceleraret, perſiſtendum in propoſito, tentandáque novo inſultu mœnia exiſtimabant. Cúmque captâ per triduum quiete, & *ſuburbio D. Udalrici* denuò in poteſtatem redacto, jamjam ad proſiliendum parati eſſent, repentè poſt ſecundam diei horam, præſtò adfuère *Pottendorffius* & *Traunius* miſſi ab Alberto, pro decem dierum inducijs impetrandis; ſimul & nunciantes adventare Bohemiæ Regem, jámque *Stokeraviam* attigiſſe, & ex literis ejus ad *Albertum* datis manifeſtum fieri, ipſum ejusdem mentis & conſilij eſſe, ut ab armis utrinque ceſſetur; quoadusque pertentarentur partium animi, ſi quo alio modo, quàm Marte judice, controverſia præſens componi poſſet. Quod dum *Victorinus* convocato militari Senatu in deliberationem accipit, poſt unius circiter horæ ſpatium, advolat *Ulricus ab Horocb*, ſeu, ùt nunc ſcribuntur, *ab Harracb*, vir cùm nobilitate generis, tum diſciplinæ militaris ſcientiâ, morum elegantiâ, literarúmque cognitione inſignis, cum trecentorum equitum ala, miſſus â Rege, atque idem de ceſſatione armorum referens; cum addito, Regem quidem venire, ut ſubſidium ferat Cæſari, ab omnibus alijs Principibus deſerto, Majeſtatémque Imperialem ab ipſis domeſticis ſpretam, vindicet ab injuria: malle tamen agere pacificatorem, quàm belli fautorem; eúmque in finem ſubſiſtere velle *Korneoburgi*, & experiri, num adhuc ſpes aliqua conveniendi ſuperſit, ità ut poſt tot fruſtra ſuſceptos hactenùs pacis tractatus, partes ad æquas tolerabiléſque conditiones, jam tandem adduci poſſint.

denuò ad oppugnationem urbis animum viréſque parat. Albertùs inducias petit: quos etiam Rex Bohemiæ, ſub id tempus veniens novo cum exercitu, dandas cenſet; ut interim de firma pace agi poſſit.

Pactis igitur armorum ferijs, primus *Albertus* ad Regem venit, cauſam ſuam, quibus poterat verbis, commendans: cui Rex, niſi audito priùs Cæſare, nihil ſtatui poſſe, reſpondit. Venerat Rex *Korneoburgum*, die 20. Nov. cum octo armatorum millibus, quæ ùt plurimùm conſtabant *ex Nobilitate Bo-*

Albertus ad Regem venit Korneoburgum, cauſam ſuam commendans:

 bema

Infecto negotio revertitur,

Rex majorem partem ſui exercitûs ad Victorinum mittit. Moravos in armis paratos eſſe jubet. Conventus Neoburgi: in quo de pace agitur,

bema Moravâque, & ex urbana juventute Pragenſi collecta: ſtatímque poſt *Alberti* diſceſſum, qui aliàs ad libitum ſuum, pacis capita cudenda ſperabat, *VVilhelmum jun. Sſvvibovvsky*, *&* *Henricum de Zvvirzeticz*, cum quinque millibus *ad Victorinum*, transmiſſo Danubio, ire juſſit; emiſſo quoque ad Moravos mandato, ut ad incerta belli, decimus quiſque ex colonis adſcriptitijs, & octavus ex urbibus, in armis parati eſſent. Quod inſtituiſſe videtur eo conſilio, ut *Alberto & Viennenſibus* majorem incuteret metum, & per hoc ad æquiora flecteret eorum animos. Conventu deinde habito *ad Neoburgum*, ubi adfuêre *legati Cæſaris*, *Albertus*, & Viennenſium nomine *Holczerus* conſul, homo ſupra modum callidus; poſtquàm diu ſatìs diſceptâſſent de conditionibus, nec convenire poſſent, ultimò Rex ipſe, penes quem reſidebat pronunciandi arbitrium, ſuſcepit in ſe onus, ex remiſſo utrinque & refracto partium rigore, temperatum aliquid mediúmque componendi; atque ità dictavit leges pacis; ut neque adverſæ factioni ſuccumberet *Cæſar*, neque injuriam

& concluditur, his conditionibus.

ſibi factam queri poſſet *Albertus*. Eæ potiores erant: *captivi utrinque dimittantur; Albertus arces, oppida, ditionésque omnes bello occupatas, Cæſari reſtituet: Auſtriæ inferioris gubernationem, vicario nomine, ad annos octo geret, & quatuor ducatorum millia quotannis fratri Cæſari ſolvet.* Addidit Rex: *tum demum rata fore bujus tranſactionis capita, quando Cæſar ipſe in colloquium veniet.* Cúmque id admittere nollet *Albertus*, *Holczero* quoque contradicente, magnâ verborum contentione, Rex oblatam compoſitionem ſe revocaturum, & Cæſarem aliâ viâ in libertatem aſſerturum, minatus eſt.

Cæſar ab obſidione liberatus, ad Regem venit, eique gratias agit. *Roo lib. 7. ad an. 1462. Gobell in Com. Pij II. lib. 10. Papienſ. in Comment. l. 6. Cochl. lib. 12. Daubrav. l. 30. Theobàld. part. 3. cap. 12.*

Itáque concedente Alberto, Cæſar arcem egreſſus, conjugem Eleonoram, cum puero Maximiliano, in D. Theobaldi ſuburbium cómitatus, Styrijs & Carnis Neapolim deducendam tradit: ipſe Korneoburgum ad Regem pergit, deducente eum Victorino cum mille equitibus. Cæſar ubi ad Regem veniſſet, ampliſſimas illi gratias egit, ſuam viciſſim operam promittens. Ibi inter mutuas gratulationes extractum eſt tempus: & licèt omnes jam articuli conſignati eſſent, nihiltamen eo die, præterquàm de liberandis captivis, tranſactum eſt. Sunt, qui Albertum multa dicere volentem, nec æquis auribus auditum, neque ullum à Cæſare reſponſum habere potuiſſe: tantum Georgium VVolckendorffium, ejus nomine verba feciſſe, referunt. Poſtridie Cæſar, ſummo manè, cum Rege Enſesdorffium, quod majus vocant, conceſſit: ubi poſt triduum in venatione ac convictu exactum, Rex in Bohemiam rediјt; Cæſar ad Pontem Leyta, atque porrò Neapolim ſe contulit. Ità Gerardus de Roo Hiſtoricus Cæſareus in Hiſt. Auſtr. lib. 7.

Nova Privilegia Regi Georgio, Regnoque Bohemiæ conceſſa ab Imperatore. *Gold. in append. Document. pag. 109.*

Cæterùm Imperator, ut beneficium Regis ſibi tam opportunè præſtitum, digno remuneraret prœmio, gratíque erga illum animi ſignum aliquod oſtenderet, nova eáque ampliſſima Indulta & Privilegia, ipſi & Succeſſoribus Bohemiæ Regibus contulit; quæ videantur apud Goldaſtum, in Comment. de Regni Boh. juribus & Privil. ubi inter alia habetur: *Inſignis Bohemiæ Corona, Cæſareæ Celſitudinis honori, fauſtóque ſtatui totis viribus invigilando, adeò fidelis & obſequens ſemper extiterat, ut non immeritò plurimis Privilegijs,*

gijs,

gijs, Libertatibus &c. *Deinde: poſtquàm Cives Viennenſes, & nonnullos Nobiles Ducatûs noſtri Auſtriæ, ſubditos noſtros, debitæ ſubjectionis immemores, & præſtitæ fidelitatis Sacramenta violantes, non ſine magna injuria, Nobis rebellare, & ſe inſolenter opponere, & crimen læſæ Majeſt. incurrere non puduit. Ex tunc Sereniſſimus Georgius Bohemiæ Rex* &c. *Affinis noſter chariſſimus, cum Regni ſui Baronibus, quantocyùs arma coadunare potuit, nobis ad ferendum auxilium, Auſtriam potenter, gratè & opportunè advenit: ubi de manibus infidelium noſtrorum ſubditorum, hoſtium immanium, felicibus auſpicijs, ſaluti & liberationi noſtræ prono animo ſubvenit.* &c. *Dat. in Nova Civit. die 31. Decembr. anno 1462.* Sed & filios ipſius, *Henricum ſeniorem*, & *Henricum juniorem*, ſeu *Hynkonem*, Sacri Romani Imperij Principes, Ducésque Münſterbergenſes, & Comites Glacenſes creavit: *Victorino* jam triennio ante, Brunæ, anno 1459. *in Ducem Münſterberg. & Comitem Glacenſem evecto*: prout complures MS. Authores teſtantur, id quod etiam ex diplomate Cæſareo, quo fratres ejus in Principes Imperijs creantur declarantúrque, liquidò patet: in quo *Victorinus* jam Dux Münſterbergenſis nominatur: illi primò tales creantur. *Cujus*, nempe Regis Georgij, *ejúsque filij Illuſtris Victorini*, (verba ſunt Cæſaris) *Münſterbergenſis Ducis ope & virtute ſingulari, Nos cum chariſſima Leonora Auguſta Conſorte noſtra, Ducéque Maximiliano filio noſtro chariſſimo, à vi armorum, inſultu turbulentæ obſidionis, quâ in caſtro Civitatis noſtræ Viennenſis, per ipſos Viennenſes* &c. *liberati, ad augendos & amplicandos veſtros*, (Henrici & Hynkonis) *honores, non immeritò afficitur & inclinatur noſtra Cæſarea Majeſtas.* &c. Ut tamen etiam nunc dignè compenſaretur *Victorini* ſtudium & labor, quem pro liberando Cæſare ſuſceperat, ſtrenuéque geſſerat, Cæſar ei *Comitatum Cattomelibocenſem*, poſt Philippum Comitem ſub id tempus defunctum, in feudum contulit: quem is deinde *Henrico Landgravio Haſſiæ* vendidit. Nec indonatus abivit *Zdenko à Sternberg*, qui Witorazum, ſeu Weitram, inſigne oppidum in Auſtria ſitum, & Bohemiæ proximum, donativi loco accepit. Alij ſimiliter donis diverſis, quidam etiam SS. Reliquijs â Cæſare donati ſunt. Videantur literæ Cæſareæ apud Paprocium, quæ incipiunt: Fridericus Romanorum Imp. *Attendentes grata & fidelia obſequia, nobis per Nobilem fidelem noſtrum dilectum Zbinkonem de Hazmburg, tempore, quo rebelles, & infideles cives noſtri Viennenſes, Nos & Sereniſſimam Contoralem noſtram, & Illuſtrem Principem Maximilianum filium noſtrum, in caſtro ibidem obſederunt, exhibita.* &c.

Inſuper quadraginta aureorum millia, Cæſar in expenſas belli Regi aſſignavit: & tum ſtatim habito Korneoburgi primò, deinde ùt dixi, Eneesdorffij familiari colloquio, mediam pecuniæ ejuſmodi ſummam numerari juſſit. Promiſit etiam, adlaboraturum ſe diligenter, ut Sedi Apoſtolicæ Regem reconciliaret; quam ob cauſam non multo poſt, *VVolffgangum de Roggendorff* Romam miſit. Hunc in modum Rex, ſtabilitâ ſibi gratiâ Cæſaris, tutum ſe utcúnque, interpoſitione ejus, â Cenſuris exiſtimabat; qui etiam, ut iram indignationémque Pontificis præveniret, legatos alios miſit cum literis humi-

Filij Georgij, Henricus & Hynko, creantur Principes Imperij;

Hagek. Cuſpin. MS. Pernſt. MS. Chron. Regino Hind. ad an. 1459.

Diplom. Cæſ. Datum Neoburgi forenſi, die 7. Dec. 1461.

VVeleslaf. ad d. 21. Febr.

Victorino majore natu, jam antea Principe creato, & in Ducem Münſterberg. Comitémque Glacenſem declarato: cui modò Cæſar, Comitatum Cattomelibocenſem ad Rhenum, donò dedit.

VVeleslaf. in geneal. Reg. Boh. in Victorino II. MS. Prag. VVrzeſovec.

Dubrau. l. 30. Roo lib. 7. Naucler in Chronograph. Volum. 2 part. 2 generat. 48. Cochl. de bell. Huſſit. lib. 12. Theobald.

Papa VVratiſlavienſes, à debito obedientiæ abſolvit.

litatis & obedientiæ plenis, quas recitat *Cochlæus* ſcriptas die 3. Martij, an. 1463. Contigit autem, ut priusquàm legatus Cæſaris, miſsique â Rege, appuliſſent Romam, jam Pontifex, pacta nuper *inter Regem & VVratiſlavienſes* inita, vigore quorum, intra præſcriptum tempus *VVratiſlavienſes* Regi ſeſe ſubmittere, homagiúmque præſtare obligaverant, revocavit, eósque ab eorum obſervatione penitùs abſolvit, & in ſuam Apoſtolicæque Sedis protectionem ſuſcepit: prohibens ſub pœna Excommunicationis, ne quis *Georgio* illos oppugnaturo aſſiſtat, ſub dato Romæ, annò 1463. IV. Calend. Aprilis.

Comitia Brunæ an. 1463.

Victorinus, ſupremus Capitaneus Moraviæ conſtituitur.

VVratiſlavienſes denuò Regi rebelles inſultant,

& à Rege bello vexati,

Porrò *Georgius* firmatis in Bohemia rebus, & in Moravia Comitijs frequentiſſimo omnium Ordinum conventu, *Brunæ*, menſe Junio feliciter, & ad votum terminatis, ſupremáque Provinciæ curâ ſeu Præfecturâ, *Victorino* filio traditâ, *Glacium* conceſſit; ubi per reſiduum ætatis & hyemem agens, in id incubit totus, ut *Wratiſlavienſium* denuò inſultantium graviter, pertinaciam caſtigaret. Quos multiplici malorum genere exagitavit, in tantúmque afflixit, ut ad extremum videntes ſeſe de die in diem acriùs premi, complures cives rerum neceſſariarum causâ hinc inde commeantes intercipi, ſpoliari, trucidari, commercia, quibus hactenus & publica & privata res ſteterat, prohiberi; prædia ſuburbana, totámque Provinciam ſibi ſubjectam, in extremam ſolitudinem & vaſtitatem redigi; ad Summum Pontificem, miſſis Romam legatis, confugere, rebúsque ſuis in tanto diſcrimine verſantibus opem implorare cogerentur. Quare Pontifex non ampliùs cunctandum ratus, ſeveriori modo & viâ, adversùs *Georgium* procedendum duxit; datíſque literis, & in valvis Baſilicæ affixis ac publicatis, 17. Calend. Julij, anno 1464. illum, ut coram ſe ad cauſam dicendam, infra centum & octoginta dies, ſuper accuſata, certíſque indicijs delata reſponſurus, ac judicium ſubiturus compareret, citavit. Bullam ipſam Pontificis, cùm ad cognitionem Hiſtoriæ non parum conducat, aut aliqua ſaltèm ex ea deſumpta audiamus.

ad Pontificem confugiunt ſub protectionem.

Pius II. Georgium citat, ad cauſam dicendam.

Teſtimonium Pontificis de Catholica Nobilitate in Boh. & Moravia.

Pius Episcopus, Servus Servorum Dei. &c. Hoc factum in diebus noſtris, prob dolor! in illo inclyto Bohemiæ Regno, ubi pauci hæretici magnos motus excitavêre, Regni & Marchionatûs Moraviæ non parvam partem ad ſe trahentes. Proceres tamen & Nobiles in ipſo Regno & Marchionatu, & civitates pleræq; ſanctiſſimè in fide permanſerunt: ità ut quamvis armata hæreſis, fidelibus vim facere ſtatuiſſet, nunquam tamen ab Evangelij veritate, Romanaq; Eccleſiæ obedientia divelli potuerunt; potiùs occumbere, ac omnibus tormentorum generibus affici, quàm illorum inſaniæ conſentire voluiſſent: ità ut multos Martyres noſtra ætas in Bohemia viderit. Narrat deinde de Concilio Conſtantienſi, déque Huſſij & Hieronymi hæreſiarcharum condemnatione & morte; tum de ſubſequentibus calamitatibus, de Ziſka & Procopijs; de Concilio rurſum Baſilienſi, de Compactatis. *Indulſit*, inquit, *Sancta Synodus, omnibus utriúsque ſexûs de Regno Bohemiæ & Marchionatu Moraviæ, uſum rationis habentibus, ut ſub utraque ſpecie, in nomine Domini, & authoritate univerſalis Eccleſiæ, communionem ipſam continuarent: eo adjecto, ut per Sacerdotes eorum, plebibus declararetur, & ſub utraque ſpecie, & ſub una, totum*

Laus Catholicorum, ex quibus multi Martyres.

uſus Commun. ſub utraque ſpecie, Bohemis & Moravis conceſſus, à Concilio Baſil.

Digitized by Google

tum & integrum Chriſtum contineri; ne plus meriti putarent accipere, qui ſub duabus ſpeciebus, quàm qui ſub una communicarent. Adjectum eſt, ne quo pacto infantes, aut mente captos, ad communionem Dominici Sacramenti adducerent; néve quempiam invitum ad bibendum de calice compellerent: in cæteris verò univerſalis Eccleſiæ ritum ſervarent. Indulta ergò eſt hujuſcemodi Communio, donec in Concilio definiretur, an communicare ſub utrâque ſpecie, ſit de præcepto Domini, & ad ſalutem neceſſaria? tunc verò S. Synodus, ſi videret Communionem ipſam expedire, petentibus ulteriùs illam indulgeret. Declaravit interea Concilium communionem ſub utrâque ſpecie, quoad laicos, non eſſe de præcepto Domini: ideóque conſuetudinem communicandi laicos ſub una tantùm ſpecie, in Eccleſia Latina à Sanctis Patribus laudabiliter introductam ab omnibus ſervandam eſſe.

ſed certis conditionibus,

Permiſiſſe tamen poſt hæc Synodum, Bohemis & Moravis communionem ſub utrâque, ex ſupra dictis conſtat: in eo ſolùm peccatum, *quòd minimè ſervatæ ſint leges conceſſionis. Infantulos enim & amentes ad communionem admittunt, & nolentes bibere ex calice, per ſubtractionem ſepulturæ, & aliorum Sacramentorum, pérque denegationem magiſtratuum & honorum invitos compellunt. Quod ſi ſervata fuiſſet lex appoſita, ut ſoli habentes uſum rationis communicâſſent ſub utrâque ſpecie, pauciſſimi nunc eſſent in toto Regno, & Marchionatu ejus communionis amatores; cùm in annis fermè triginta, renovata quodamodo ſit ætas, & perpauci illius temporis vivunt, qui tunc uſum obtinuerunt bibendi. Sed ipſi pueros admiſerunt: publicè itáque lex fracta eſt, & fraus indita Compactatis. Nec licèt objicere; propter paucos conventa violantes, concordiam & unionem, quoad obſervantes non ceſſare; prout cautum eſt in Compactatis; ſed ratam firmámque manere: nam univerſitas omnis Huſſitarum ab illis receſſit, uti evidentia facti palam docet. In cæteris verò Romanæ Eccleſiæ ritibus etiam diſcrepant; quemadmodum in minoribus conſtituti, cùm Bohemiam intrâſſemus, plenè didicimus.* Deſcribit ulteriùs Pliſnæ obſidionem, & tempora Sigiſmundi, Alberti Ladiſlaíque Regum; tum electionem, coronationem, juramentum, dicta factáque Georgij, ac ultimò:

quas minimè ſervârunt ſacerdotes Huſſitarum:

unde cauſa data, revocandi Compactata.

Georgij facta;

Decrevimus adversùs eum fulminare. Senſit animum noſtrum chariſſimus in Chriſto filius, Frid. Rom. Imp. Auguſtus: ſenſerunt & alij Principes, multiſque iteratis precibus apud nos inſtiterunt, ut à proceſſu abſtineremus; quoniam tractatu amicabili ſperarent Regem ad obedientiam noſtram reducere. Annuimus, proceſſum diſtulimus; expectavimus diu emendationem Regis, ſi fortè Imperatori auſcultaret, & alijs rectè monentibus. Ille verba dedit, nunquam facta: differre ejus ſtudium fuit, & in longum protrahere, ut interea, quantum poſſet, amicos ſibi pararet, ac Regnum ſuum & potentiam Huſſitarum magis ac magis firmaret. &c. *Differre ampliùs noluimus, ſed commiſimus duobus S. Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, ut ſe de prædictis informarent, & adversùs ipſum Regem viâ juris procederent. Deindè quùm Romam rediſſemus, cauſam ipſam ad nos revocavimus, & habitâ informatione de præmiſſis*

propter quæ, Papa eum excommunicare ſtatuit:

Cæſare tamen, & quibuſdam Principibus intervenientibus, differt.

cùm nihilominus perſiſteret in propoſito Georgius,

miſſis Regis operibus atque erroribus, ſuper quibus etiam vox & fama laborabat, ſtatuimus eum ad nos citari, ſuper hujusmodi delictis & exceſſibus reſponſurum, ac judicium S. Sedis Apoſtolicæ ſubiturum. Et ità in nomine Domini, auctoritate Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ac noſtrâ, Georgium ipſum aſſertum Bohemiæ Regem, ut coram nobis ubicunque fuerimus, infra centum & octoginta dies, quorum ſexaginta pro primo, ſexaginta pro ſecundo, ſexaginta pro tertio ac peremptorio termino aſſignamus, ſuper præmiſſis reſponſurus, ac judicium ſubiturus compareret, harum ſerie citamus: per quas in valvis Baſilicæ B. Petri affixas, ità eum ligari decernimus, ac ſi propriam in perſonam citatio facta fuiſſet; cùm aliquomodo ad eum, ea de cauſa non pateat tutus acceſſus. Dat. Romæ in Conſiſtorio publico apud S. Petrum, XVII. Cal. Julij, anno 1464. Pontificatûs noſtri VI.

proceſſum in forma juris, contra illum inſtituit,

Cod. maj. lit. publ. fol. 305. & ſequ. Codex min. in quarto, f. 110. & ſequ.

Pius II. Pont. Max. moritur: cui ſuccedit

Paulus II.

Interea priusquàm terminus citationis appropinquâſſet, Pontifex, *Anconæ*, quò ſe contulerat, Sacræ Expeditioni contra Turcas adornandæ magno ſtudio intentus, moritur XIX. Cal. Septembr. ipsâ nocte *Vigiliæ Aſſumpt. Beatiſſimæ Virginis*; anno ætatis 58. menſe nono, die 27. Sedis ſexto, minùs quinque diebus. Vir ſanè magnus, cujus virtutes *Cardinalis Papienſis*, *Platina*, *Campanus*, *Joannes Stella*, & alij, meritò celebrant. Succeſſit ei in Ponticatu, mox decimâ quintâ die, primóque, ùt vocant, ſcrutinio electus, *Petrus Barbus* tit. S. Marci presbyter Cardinalis, nobilis Venetus, *Paulus II.* nominatus.

Nova belli civilis ſemina, jacta cum obſidione caſtri Corſtein in Moravia.

Hynko de Lichtemburg caſtri Dominus, Regi contumax obſidetur à regijs; & in arcto conſtitutus inducias petit,

quæ primò ei negantur,

poſtea tamen conceduntur ad triduum: quibus ille in rem ſuam uſus fraudulenter, commeatum in arcem imimportari curat,

Hic omiſsâ curâ belli Turcici, initia regiminis â novo contra *Georgium* claſſico eſt exorſus, jacto belli ſemine, ab *Hynkone de Lichtemburgo* (Berkeæ Familiæ) Dynaſta Moravo. Is Regi ſuo contumax, & eam ob cauſam armis petitus, ínque caſtro Corſtein Auſtriæ proximo, validâ obſidione circumvallatus, & totâ penè æſtate anni 1464. oppugnatus, aſſiſtentibus Regi cunctis Bohemiæ & Moraviæ Ordinibus, cùm poſtmodùm in autumno, non inopiâ tantùm alimentorum, verùm etiam aliarum rerum defenſioni neceſſariarum penuriâ premeretur gravi, & deſperatio retinendæ diutiùs arcis major indiès creſceret, compoſito ad dolum animo, deditionem ſe facturum ſimulavit. Miſſis itáque ad *Victorinum*, qui oppugnationi præerat, legatis, ſeptem dierum inducias poſtulavit, intra quas de conditionibus, ac de modo reconciliandi ageretur. Quod cùm ille indignabundus nequaquam concedere vellet, quin ſe ne unum quidem diem ab oppugnatione ceſſaturum reſponderet, eique & alijs cunctis, ſi arx vi, uti ſperaret, capi poſſet, certam perniciem cædémque interminaretur; legati in arcem reverſi, cùm rejectas poſtulationes retuliſſent, iterum alijs conditionibus ad *Victorinum* remiſſi ſunt, ut tridui ſaltèm inducias impetrarent. Factúmque eſt, adnitentibus *Henrico de Lippa*, *Ctiborio de Tovvaczovv*, & *Stephano Hynkonis fratre*, aliiſque, ut poſt multa ultrò citróque agitata (non tamen Regis, ſed *Victorini* duntaxat nomine) ei concederentur. Quibus ille in rem ſuam uſus, tametſi in negotio deditionis ità ſe oſtenderet, ut ad ea, quæ pacis eſſent, omnino inclinari videretur; interea tamen, quia habebat in caſtris non paucos conſilij ſui participes, nocte primâ

Digitized by Google

mâ & ſequenti, per idoneos homines, commeatum aliáque neceſſaria, quorum maximè penuriâ obſeſſi laborabant, clam in munimentum inferri curavit. Atque ità erectis ad tolerandam ulteriorem obſidionis fortunam propugnatorum animis, & curâ arcis defendendæ *Joanni Sſarovecio*, viro nobili, manúque & conſilio æquè prompto, qui eam ad extremum usque ſpiritum tueretur, commiſsâ; ipſe *Neapolim Auſtriacorum*, ad Nuncium Apoſtolicum, *Dominicum Epiſcopum Torcellanum* conceſſit, protectionem ejus & Cæſaris requirens. Dúmque à Cæſare beneficijs Regis, ùt paulo ante retulimus, irretito & obſtricto, nihil tale ſe obtenturum animadverteret, Romam ad Pontificem profectus eſt. Interea *Victorinus* ab Hynkone, objectâ in hunc modum reconciliationis ſpe deceptus, & illusus, eò fortiùs continuandæ obſidioni, ſæviente licèt hyeme inſtitit.

> ſuos ad defenſionem, tolerandámque obſidionem inſtruit, ac ipſemet ad Cæſarem, poſtea Romam, implorandæ opis causâ abit. hinc obſidio arctior inſtituta.

Menſe demum Januarij, anni ſequ. *Rudolphus Ep. Laventinus*, natione Germanus, ſed linguæ etiam *Slavonicæ* gnarus, deſtinatus in has partes Legatus, juſſu Pontificis, literas Româ dedit ad *Prothaſium Epiſcopum Olomucen.* ſpeciales, & alias ad univerſos Bohemiæ & Moraviæ Status; omnes & ſingulos ſeriò commonens, ut copias ſuas ab obſidione caſtri Corſtein quantocyùs revocarent. Ad Epiſcopum Olomuc. fuère iſtæ. *Reverende Pater. Poſt commendationem. Inſtantibus Oratoribus Sereniſſimi Domini Imperatoris, Sanctiſſimus Dominus noſter deputavit nos Commiſſarium & Legatum.* &c. *Interea ſupervenit Nobilis Baro Hynko de Lichtmburg Dominus in VVetavv, qui Sanctiſſimo Domino noſtro lamentabili cum querela conqueſtus eſt, Pat. Veſtram Reverendiſſimam, ipſum, qui verus & perfectus ſemper Catholicus fuit, & eſt, diffidâſſe, gentes adverſùs ipſum, & Dominia ſua miſiſſe, & cauſam cum cæteris, ſuæ & ſuorum ſpoliationis & exterminij præbuiſſe: de quo Sanctiſſimus, & Reverendiſſimi Domini Cardinales plurimùm admirati fuère. Decreverat autem Sua Sanctitas ſerioſas valdè Paternitati Veſtræ, ſub plumbo mittere litteras, & illam diſtrictè requirere, ut diffidationem tolleret, gentes ſuas revocaret.* &c. *Hortamur igitur in Domino, atque cum ea, quâ decet reverentia, in virtute S. obedientiæ, quam Apoſtolicæ Sedi debet, requirimus Pat. Veſtram, quatenùs mox viſis præſentibus, diffidationem tollat, gentes, quas adverſùs ipſum miſit, revocet, ablata reſtituat*, &c. *Romæ ipsâ die B. Agnetis Virg. & M. Anno 1465.*

> Rudolphus Ep. Lavent. legatus Apoſtol. datis Româ literis ad Prothaſium Epiſcopum Olomuc. eum ſeriò monet, ut arma contra Hynkonem cum cæteris ſumpta deponat, & milites ſuos ab obſidione Corſteini quamprimùm revocet.

> *MS. Codix vaaj. lit. publ. fol. 354. & ſequ.*

Quod iterum iterùmque fecit, Româ in Auſtriam veniens, emiſſis ad omnes Ordines & Status acriori cum admonitione literis, quarum contextus ità habet: *Rudolphus Dei Gratiâ Epiſcopus Laventinus, Sanctæ Sedis Apoſtolicæ ad Alamaniæ, nec non Regni Bohemiæ partes Legatus miſſus, ſpecialiter deputatus. Univerſis & ſingulis Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, Plebanis, Viceplebanis, Capellanis, Presbyteris, Notarijs & Tabellionibus publicis quibuscunque, per Civitates & Diœceſim Pragenſem & Olomucenſem, ſalutem in Domino. Noveritis quòd nos pridem, pro parte*

> Idem facit ſecundò, veniens in Auſtriam, & univerſos Bohemiæ & Moraviæ Status,

Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, Reverendos Patres, Dominos, Epiſcopum, Præpoſitum, Decanum & Capitulum Eccleſiæ Olomucen. nec non Abbates, Conventus, tam Cathedralium, quàm Collegiatarum Eccleſiarum Prælatos & Capitula, ac Communitates, oppida, Conſulatus, cæteróſque Nobiles, milites, armigeros, &c. *per Diœceſim Pragenſem & Olomucenſem, per noſtra charitativa ſcripta, ut ab obſidione caſtri Cornſtein Diœceſis Olomuc. in Moravia, ad Nobilem & Magnificum Virum Dominum Hynkonem de Lichtemburg, Baronem & Nobilem Dominum de VVetau, ſpectantis quantocyùs recederent, ſuóſque armigeros ad ſe inde revocarent, charitativè commonuimus & requiſivimus. Cùm autem ſuprà præfatus Dominus Hynko Baro nobis propoſuit, quòd ipſi Prælati, Capitula, Communitates & oppida prædicta, ab obſidione caſtri prædicti minimè receſſerint, neque armigeros & familiares per eos miſſos, cum eorum armis ad ſe revocaverint, neque adhuc recedere, deſiſtere aut revocare intendunt: quare idem Dominus Hynko Baro, ſibi ſuper hoc, Authoritate Apoſtolicâ optimè provideri humiliter ſupplicavit. Nos igitur Rudolphus Epiſcopus & Legatus præfatus, quia intentio Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ eſt, ut omninò illa obſidio ſolvatur, & prætactus Dominus Hynko coram ſua Sanctitate profeſſus eſt, ſe velle ſtare Juri uniuſcujúsque; idcirco Auctoritate Apoſtolicâ, quâ fungimur in hac parte, vos omnes & ſupradictos, & veſtrûm quemlibet, tenore præſentium, in virtute Sanctæ obedientiæ, & ſub Excommunicationis pœna requirimus & monemus, quatenùs accedentes prælibatos Prælatos, etiamſi Pontificali profulgeant dignitate, Abbates, Conventus, Communitates,* &c. *moneatis & requiratis; quos & nos, eorúmque quemlibet requirimus, & monemus, eíque & eorum cuilibet in virtute Sanctæ Obedientiæ, & ſub Excommunicatione, & ſuſpenſione à Divinis; Communitatibus verò & oppidis, ſub Interdicti pœnis & ſententijs, quas ferimus in his ſcriptis, diſtrictè percipiendo mandamus, quatenùs mox & in continenti, poſt monitionem & requiſitionem Veſtram hujusmodi, per vos, aut alterum veſtrûm, eis & eorum cuilibet deſuper factam, ab obſidione caſtri Cornſtein recedant, ſuóſque armigeros, cum eorum armis & rebus bellicis ad ſe quantocyùs revocent. Contra verò facientes, præfatas noſtras ſententias incurrere volumus ipſo facto. Quas eos & quemlibet, ſi contra præmiſſa fecerint, incurriſſe, in veſtris Eccleſijs & locis publicis publicè nuncietis, & alijs nunciare faciatis. Abſolutionem verò omnium & ſingulorum, qui præfatas noſtras ſententias, aut earum aliquam incurrerint, nobis, vel ſuperiori noſtro tantummodò reſervamus. Datum in Nova Civitate Auſtrali, Salczburg. Diœceſis, ſub noſtro Sigillo. Anno 1465. die 18. Menſis Martij.*

[Margin: tam Eccleſiaſtici, quàm Politici Ordinis, acriùs hortatur, ut ab obſidione Cornſteini recedant, & ne Georgio, in oppugnando Hynkone de Lichtemburg aſſiſtant; Pœnas Eccleſiaſticas minatur, omnibus & ſingulis, niſi ab obſidione caſtri receſſerint, ſuóſq; armatos inde quantocyùs revocaverint.]

[Margin: *Cod. maj. tit. fol. 355. Codex maj. fol. 569.*]

Paulo ante, nempe ſeptimâ Martij, miſerat Rex ad Pontificem literas, gratulando ei de conſcenſo ſupremo Pontificatûs culmine, & ſe Regnum-

gnúmque *devotè* (hâc quippe phraſi utebatur) commendando: *Beatiſſimè Pater. Obedientiam cum veneratione, ad oſcula pedum beatorum. Superiori tempore, dum audivimus Sanctitatem Veſtram, ad Summum Pontificatûs apicem, aſſumptam eſſe, non parum lætati ſumus; cùm cenſuimus talem virum, ad Sedem Apoſtolicam eſſe ſublimatum, quem non ambigimus Divinâ ſorte datum eſſe, pro regimine pacifico, & felici Eccleſiæ Sanctæ.* &c. ac poſtea de Hynkone: *Denique ſignificari curamus Sanctitati Veſtræ, de Hynkone à Bitovia, qualiter ratione ſui caſtri Cornſtein ſit, quod à nobis oppugnatur. Accepimus ipſum, Sanctitatem Veſtram acceſſiſſe, & hujusmodi vindictam ſibi causâ Fidei inferri aſſeveraſſe: quod cùm minimè verum ſit, miramur, cùr talia coram Sanctitate Veſtra affirmari non ſit veritus. Ad idem quoque Reverendiſſimus in Chriſto Pater, Dominus Legatus, quem Sanctitas Veſtra pro præſenti miſit ad Curiam Imperatoris, litteras dedit ijs ſubditis, qui juſſu noſtro exiſtunt in obſidione dicti caſtri, ſignificando, quatenùs ab eadem obſidione diſcedant. Quod non putamus de mente Sanctitatis Veſtræ eſſe, ſed potiùs provenire arbitramur, ex importunitate dicti Hynkonis, qui causâ fidei, ùt diximus, hujusmodi obſidionem eſſe falsò affirmat; cui rogamus in eo fidem non velit Sanctitas Veſtra adhibere. Aliam enim juſtam cauſam ſuæ correctionis declaramus. Omnibus ille temporibus fuit nobis rebellis, & infenſus ſubditis noſtris, quemadmodum tempore felicis memoriæ Ladislai anteceſſoris noſtri, ſemper nobis importunus fuit & infeſtus, mala malis accumulando; inter alia clandeſtinè ignes & incendia, in villas & oppida noſtrorum ſubditorum, & plurima incommoda cauſabat & procurabat, prout nonnulli id ipſum in extremo vitæ ſuæ ſupplicio faſſi ſunt. Poſtquàm ad Regni culmen evecti ſumus, omnes & ſinguli Principes & Eccleſiaſtici, & Seculares, Comites & Barones, & cæteri Nobiles, atque Communitates univerſæ Regni & Coronæ noſtræ, nos in Regem & Dominum recognoverunt & recognoſcunt, nec non fidelitatis homagia nobis præſtiterunt, illo uno duntaxat excepto. Ideò meritò ab omnibus Regnicolis & ſubditis noſtris, qui in obedientia Sedis Apoſtolicæ, & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ perſiſtunt, rebellis & hoſtis publicus eſt declaratus. Quare ipſum, ùt hoſtem manifeſtum perſequi, deſtruere, ac de Marchionatu noſtro Moraviæ excludere dignum judicavimus; caſtrúmque prædictum ſuum expugnamus, aſſiſtentibus nobis Prælatis, Proceribus, & alijs Nobilibus dicti Marchionatûs noſtri Moraviæ. Hæc Beatiſſimè Pater, viſum erat Sanctitati Veſtræ ſignificare, ut intelligat, non in cauſa Fidei, ut præfatus Hynko aſſeverabat, ſed propter rebellionem & contumaciam, hanc vindictam ſibi infligi. Bene valeat Sactitas Veſtra, quam Pietas Divina, Eccleſiæ ſuæ ſervet ſalvam & incolumem. Pragæ 7. Martij. an. 1465.*

Georgius, dati ad Paulum II. Pij ſucceſſorem literis, rationes ſuſcepti contra Hynkonem belli fusè explicat.

Hynkonis contumacia

maleficia.

propter quæ læſæ Maj. reus, hoſtisque Reipubl. declaratus eſt;

ac proinde meritò armis caſtigandus.

Idem ſcripſit Nuncio Apoſtolico Rudolpho. *Reverendiſſimè Pater, Amice chariſſimè. Vidimus literas, quas Reverendiſſima P. V. direxit ſubditis noſtris, ratione caſtri Czornſtein Hynkonis de Bitovv, ut*

folio 394. Cod. cit. Item ſcribit Nuncio Apoſtolico,

Digitized by Google

& Hynkonem non propter fidem, ſed propter rebellionem pati oſtendis.

Alij omnes tam domeſtici, quàm exteri. Regem pro Rege agnoſcunt & venerantur,

ſolus Hynko pertinaciter inſolens.

ut ab eodem diſcedant. Non miramur, cùm intelligamus id provenire ex ſiniſtra informatione, ac importunitate ejusdem Hynkonis, qui ratione Fidei hanc ſibi vindictam fieri falsò affirmare non veretur: cùm tamen, ùt omnibus manifeſtum eſt, propter inobedientiam, & ſuum malum animum, quo nobis inſolenter rebellare auſus eſt, hac pœna ipſum ſequatur: prout noviter illud Sanctiſſimo Domino noſtro, & Collegio RR. DD. Cardinalium, unà cum Baronibus Regni noſtri ſignificavimus. Nam cùm omnes, ne dum Regnicolæ, verùm etiam in diverſis Alemaniæ partibus, Nobiles, Comites & Principes Vaſalli noſtri; ùt ſunt Comites de Wirtmberg, de Sſvvarzburg, de Wertheim, de Barbei, cœterique in Franconia, Thuringia, Bavaria, Miſnia, Saxonia; tacemus de Electoribus & Principibus primariys, qui fidelitatem nobis facientes, feuda ſua à nobis ſuſceperunt, ac nos in ſuum Dominum hodieque devotè ac reverenter recognoſcunt: ſolus hic Hynko cum uno caſtro, nobis ſemper rebellis, &c. *Pragæ die 1. April. 1465.*

Idem Prothaſij Epiſcopi Olomucenſis. *MS. Cod. lit. publ. fol. 61 7.*

de Hynkone teſtimonium!

Quòd homo ſtrictui capitis, pertinax, Regi rebellis.

ideóque mala hæc ſuo ſibi jumento, ùt proverbio dicimus, acceſſiſſe.

In eum ſenſum dederat etiam Prothaſius Epiſcopus Olomuc. Laventino reſponſum: *Redditæ ſunt nobis literæ Paternitatis Veſtræ, cauſam Hynkonis continentes: qualiter ille querulosè Sanctiſſimo Domino noſtro oppugnationem caſtri ſui, & direptionem Bonorum ſuorum propoſuiſſet; quibus Paternitas Veſtra etiam monuit, nomine Sanctitatis ſuæ, ut ex noſtris, qui numero ſunt viginti, ab obſidione tollantur, & ablata ei reddantur, indignum putando hac in virum Catholicum agi: & alia. Reverendiſſime Pater, factum Hynkonis eſt nobis notiſſimum: noluit obtemperare ſvaſionibus noſtris, ſed durâ cervice contumacem ſe in omnibus geſſit, ſuos tantùm præcipitantes motus ſequutus: per quod Patriam multis malis involvit. Imminente caſtelli obſidione, ſvaſum fuit fratri ſui germano Stephano, amico noſtro optimo, ut eum alloqueretur, quatenus Bona ſua cederet ſibi interim, cùm ipſemet nollet homagium præſtare Regi: noluit ille intelligere. Urgent denique antiqua contracta Regis & Hynkonis, tempore adhuc Ladiſlai Regis odia, & acceſſoriè tantùm Religio. Proinde vivente Rege, non ſolvi obſidionem* &c. *VViſſkoviæ Anno 1465. 27. Martij.*

Novæ Legati Pontif. ad Epiſcopum, & Capitulum Olom. datæ monitoriæ: *Cod. maj. f. 352. & ſequ. Cod. min. f. 219.*

melius eſſe, offendere homines, quàm non obedire Apoſtolicis mandatis.

Cùm igitur ſine intermiſſione duraret caſtri obſidio, ægrè id ferens Legatus, viâ tandem animadverſionis procedere in contumaces: & Eccleſiaſticos quidem Excommunicationis ſuſpenſioniſque; Communitates verò & oppida, Interdicti fulmine feriendos decrevit; præmiſſis iterum ad Epiſcopum Prothaſium literis, & alijs ad Capitulum Olomucen. ſub tenore iſto: *Venerabiles & egregij viri. In Chriſto ſalutem. Scripſiſtis nobis petentes conſilium, quid agere deberetis: timetis enim incidere in periculum perditionis Bonorum, ſi revocaretis veſtros ab obſidione caſtri Czorſtein, juxta mandata per nos Authoritate Apoſtolicâ emanata. Reſcripſimus vobis deſuper, atque conſilium Suſannæ dedimus dicentis: meliùs eſt incidere in manus hominum, quam derelinquere Legem Dei mei.* &c. Ac deinde: *Caveant igitur omnes non obedientes, nec blandiantur ſibi ipſis excuſationibus: maximè perſonæ Eccleſiaſticæ, quæ etiamſi juſta cauſa expugnandi aliquem ſubeſſet, non deberent tamen ſtipendiarios conducere & mittere, ubi multa frequenter homicidia committuntur.*

tiuntur. Neſcio quomodo irregularitatem excuſare poſſint. Et de Hynkone; *Dicant & ſcribant quid velint, quòd Dominus Hynko perſequutionem non patiatur propter obedientiam Sedis Apoſtolicæ. Iſtud eſt ubique verum, & conſtat nobis, quòd antequàm hujusmodi perſecutiones contra eum inciperentur, miſit ad feliciſſimæ memoriæ Papam Pium pro informatione, ſi ei qui Sedi Apoſtolicæ non obedit, pro vitanda perſecutione, obedientiam facere poſſet & teneretur? Et pro reſponſo habuit, quòd nullo modo id facere, quousque ille cum toto Regno rediret ad obedientiam Sedis Apoſtolicæ, ſed potiùs exterminium pati deberet. Modernus etiam Sanctiſſimus Dominus noſter, quando dictus Hynko apud pedes ſuæ Sanctitatis conſtitueretur, & querimonias ſuas lamentabiliter exponeret, nobis præſentibus, & hinc inde interpretantibus, quæ à Sanctiſſimo ad eum, & ab ipſo ad Sanctiſſimum dicebantur, commendavit & laudavit Fidelitatem & conſtantiam ſuam; & mandavit ei, ut in illis perſeveraret patienter, attendendo illud Evangelij: Beati qui perſecutionem patiuntur, propter Juſtitiam. Unde mandavit & nobis, ut illi omnibus vijs, & modis poſſibilibus aſſiſteremus. Ideoque proceſſus illos pœnales, contra omnes & ſingulos, qui prioribus noſtris charitativis requiſitionibus non paruerunt decrevimus.* &c. *Dat. in Nova Civit. Auſtriæ, Feriâ III. Paſchæ, an. 1465.*

Legatus Hynkonem excuſat, & quòd Georgium pro Rege agnoſcere noluerit, nolitque, probat. laudata à Pontifice Hynkonis conſtantia. *Matth. cap. 5.*

Interea obſeſſi, cùm rurſus tantâ neceſſariorum, ac imprimìs victûs inopiâ premerentur, ut canes, feles, mures, coria & ejusmodi alia in delicijs haberent; ad ultimam tandem famis neceſſitatem adacti, & ne cum ſupremo Principe ac Domino pertinaciùs quàm deceret, pugnare viderentur, de deditione proloqui cœpêre. Cum quibus haud cunctanter tranſactum eſt, deditâque arce, incolumes dimiſſi: eâ tamen lege, ne ampliùs ſub capitis pœna contra Regem Bohemiæ arma ferrent. Hunc in modum *Victorinus* arce potitus, die 24. Maij, confeſtim Regi, eam eſſe in poteſtate nunciat, & num diruenda eſſet, vel præſidio firmanda exquirit. Quo læto nuncio exhilaratus ille, eam ſolo æquari juſſit, quæ ad noſtram ætatem diruta & vaſtata, neque deinceps reſtaurata conſpicitur: partem verò bonorum, ſeu fundorum ad eam ſpectantium, *Hynkoni Kragirio*, cujus potiſſimùm eo obſidionis tempore enituit virtus, attribuit; reliquum cum caſtro Bitovv, *Stephano Hynkonis fratri* tradidit. *Hynko* rebus fortunisque ampliſſimis exutus, & aliquandiu Romæ quò ſecundò abierat, exilium tolerans, ſe certiori ſpe ſuſtentabat, fore ut benignitate auxiliisque *Summi Pontificis* adjutus, in ſuam ex qua impotentibus armis pulſus eſſet, ditionem reduceretur. Sed fruſtra.

Obſeſſi Corſteinenſes fame tandem compulſi, deditionem faciunt. Rex caſtrum dirui juſſit: partémque ditionis Kragirio tradit, reliquum Stephano fratri Hynkonis reſtituit. Hynko exul, Romam ſecundò abit.

His per Moraviam actis, *Matthias* de Corona Regni ſui recipienda ſollicitus, novâ iterum legatione Imperatoris animum pertentandam decrevit: miſsóque ad eum *Varadinenſi Epiſcopo Joanne* Witiez, & Regê Boh. ſimul cum Electoribus Imperij, Alberto Saxone, & Friderico Brandeb. efficaciùs quàm aliàs agentibus; ipsóque Cæſare jam tum exorabiliore, poſt multa ultrò citróque agitata, Coronam recepit; duris quidem conditionibus, ſed quæ & Regi, & Hungaris leviores videbantur, præ nimio eam recipiendi deſiderio, à qua Regni incolumitatem, ipsúmque Regnum pendere exiſtimabant.

Matthias Rex Hung. recipit tandem Coronam ab Imp. *Bonfin. dec. 3. l. 10 ad finem. Comment. Pij II. lib. 11.*

 Ex

Digitized by Google

ſed duris conditionibus: quas Hungari, ægrè licèt, admittunt.

Eæ fuêre ex potioribus, præter ſexaginta aureorum millia, quæ Hungari ſimul ac ſemel ſolvere Cæſari promiſerant; *ut Cæſar Regem pro filio, hic Cæſarem patris loco haberet; Rege ſine filijs aut nepotibus legitimis defuncto, Regnum ad Cæſarem, aut unum ex filijs ejus, quem Status Regni eligerent, devolveretur; interim oppida quædam intra Regni fines, cum titulo regio retineret. Veteres injuriæ abolerentur, concordia inter Principes populóſque firma eſſet, Hungarus & Teuto ſine ullo diſcrimine, ab utroque Principe tractarentur.*

Coronatio Regis.

Reginæ mors ante coronationem.

Lupac. VVeleſl. ad d. 8. Martij. MS. VVrzeſowec Anon. Prag.

Coronâ poſtmodùm in Hungariam maximo omnium applauſu allatâ, *Matthias*, poſt *Jaicam Boſniæ Metropolim* Turcis extortam, domum redux, ſolenni ritu, apud *Albam Regalem*, Regno inauguratus eſt, die Cœnæ Domini, vel, ùt alij habent, primâ die Paſchæ an. 1464. cùm quinque ſeptimanis ante, *Kunegundis* conjunx, phtyſi conſumpta, nullâ prole relictâ diſceſſiſſet; Budæ, in æde S. Sigiſmundi, in qua Bohemicæ Conciones peragi ſolebant, honorificentiſſimè, nec abſque luctu *Matthiæ* ſepulta. Cui juſta funebria fuiſſe Pragæ, & alibi per Bohemiam, juſſu Regis patris, peracta die 8. Martij, narrant *Lupacius*, *Weleslavinus*, *Anonymus Prag.* *Wenceslaus Wrzeſowecz.*

Turca Boſniam occupat;

cui Matthias, primariam Regni urbem Jaicam, vi extorquet.

Bonfin. dec. 3. lib. 10. Comment. Pij II. lib. 10.

Paulo ante Coronationem Matthiæ, *Boſnia*, & *Serviæ* reliquùm in Turcarum poteſtatem venit, *Stephano Rege Boſniæ*, & *Serviæ Deſpotâ*, â Machomete Jaicæ obſeſſo, ad colloquium ſubdolè evocato, & contra datam fidem necato. Aliqui vivum cute exutum; alij ſagittis militum, ad palum confixum fuiſſe ſcribunt. Receperat *Matthias*, ùt dixi, *Jaicam Regni Boſnenſis caput*, unà cum ſeptem & viginti circùm finitimis oppidis: & Machometem eam recuperare ſummis viribus conatum, jámque etiam actualiter oppugnantem, ſolâ adventûs ſui famâ depulit; qui ad extremum relictis impedimentis omnibus, & tormentis in *Verbanum* flumen merſis, fugam arripuit, obſidionémque ſolvit. Quo felici ſucceſſu animatus, brevì poſt coronationem, denuò expeditionem adversùs Turcas in *Raſciam*, ſeu *Serviam* ad occupandum *Stribrnikum* ab argenti fodinis celebre, unde oppido nomen, ſuſcepit: & tunc quidem fortunâ minùs arridente; ſed poſterioribus annis, quotieſcúnq; contra eoſdem arma ſumpſiſſet, ſemper propitiâ.

Bohemi & Moravi, ob non perſoluta ſtipendia, graſſantur per Auſtriam:

Roo in Hiſt. Auſtr. lib. 7. MS. Pernſt. Lippaum. MS. Anon. Prag. ad an. 1463.

Per id tempus, aut non multo priùs, *Moravi & Bohemi*, qui partim Cæſari, partim Alberto militabant ſpecialiter conducti, ſub imperio *Wenceslai Bitovvsky Equitis Moravi*, & *Joannis jun. Zdiarsky* (alio nomine *Smikovvsky* dicti) *Equitis Bohemi*, ob non ſoluta ſtipendia, ùt fit, valde licentioſè agere cœperunt. Quâdam vice, anno 1463. *Wenceslaus* cum ſuis, ſuperato Viennenſi monte, acerrimam irruptionem Viennam versùs fecit, & quos poterat, in agris & vineis, ultra quadringentos cepit: quos *Medlingam* adductos, & cellis vinarijs incluſos, tam diu tenuit, & diverſo cruciatuum genere, fame & ſiti afflixit, donec â ſingulis certam pecuniæ ſummam, prout quemque dare poſſe ab exploratoribus cognoverat, lytri nomine extorſit. Quo peracto, & oppido direpto, in agrum Tulnenſem movit, *Herczogburgum* cœnobium, cum pago adjacente occupavit, & agere ſeptíſque tumultuariè munivit: unde poſtmodùm excurrens frequenter per regionem vicinam, per pagos, vias,

ſal-

Digitized by Google

ſaltus, colles, in via ac pervia, furtis, rapinis, cædibus & incendijs graſſabatur immaniter. *Hæc cùm Viennam quotidie nunciarentur*, ait Hiſtoricus Auſtr. imò *ſub ipſis propè mœnibus, & in conſpectu urbis gererentur, nemo ultum injurias ibat.* Ultimò Albertus, Viennæ tum agens, cum *Wenceslao* pacificè transegit: ducentos ex ijsdem ipſis militibus Moravis, denuò pro peculiari ſuo præſidio conduxit; quibus ſtipendia exſolvit; cæteris *Ibiſſi* vectigalia, quoad ſolverentur, oppignoravit. Utriúsque deinde, & *Bitovvskij*, & *Smikovvskij* operâ uſus contra Cæſarem, fraterno diſſidio recrudeſcente, inſignem victoriam de Cæſarianis, ante portas Novæ Civit. obtinuit.

quos tandem Albertus Arch. placat, & novis ſtipendijs conducit.

Anno ſequ. poſt mortem Alberti, ijdem rurſus, propter non ſoluta ſtipendia, in obvia quæque per Auſtriam populabundi ſæviebant atrociter, planéque hoſtiliter. *Jam agros*, ità præmemoratus Hiſtoricus, *inter Viennam & Neapolim depaſti, ad Hungariæ fines, Edemburgum usque progreſſi, abſumptis quæ eſui erant, locum ſubinde mutabant, magnisque damnis & incommodis agreſtes totâ regione vexabant. Utq; latiùs prædas agere poſſent, in cœmiterijs nonnullis, aliisque opportunis locis, receptacula munita habebant; eò tandem audaciæ progreſſi, ut Cæſari, ac toti Provinciæ bellum palàm denunciarent. Cæſar æquas illis conditiones offerebat, perſoluturum ſe ſtipendia omnibus, qui ea ſibi deberi aliquo argumento probarent; reliquis, qui præter verba nihil adferebant, idem ut præſtaret, non teneri. Quod ſi æquo jure decidi vellent, vel Regis Bohemiæ, vel Auſtriæ procerum quorumlibet arbitrio rem integram permiſſurum. His conditionibus ſpretis, S. Crucis, & Mariæ Cellæ monaſteria ſpoliant, vinitores & ruſticos multos capiunt, pecuniâ & reliquis fortunis multant. Smikovius quidam ex eorum ducibus, aſſumptâ mille latrunculorum manu, Styriæ fines invadit: & priusquàm incolæ ad defenſionem concurrere poterant, prædas agit; quæq; agi & ferri nequibant, igne corrumpit. Intercedunt legati Bohemiæ Regis, & cum nonnullis ità tranſigitur, ut acceptâ certâ nummorum ſummâ, arces & munita quædam loca Cæſari redderent, ac ſine fraude provinciâ decederent. Reliqui verò, nihil de rapinis, & prædandi licentiâ remittebant: & qui ſtipendia acceperant, neque arma ponebant, neque abituri quopiam videbantur. Fridericus itaque, ne diutiùs illi in fortunas & corpora ſubditorum ſævirent, miſſis ad Provinciales literis, arma expedire, & ad diem dictum convenire imperat. Parent illi, & peractis Reſurrectionis Ferijs, cum non contemnenda equitum ac peditum manu, in campum procedunt: quosdam ex militibus, ad conditiones non omnino iniquas redigunt. Sed quòd plures eſſent illorum duces, uno conciliato, alij tergiverſabantur; & quod de Lernæ monſtro narrant fabulæ, uno reſecto capite, nova ſuppullulabant: neque cum infido hominum genere, pax diuturna fieri poterat.* Nec multo poſt *Smikovvsky*, dum arcem *Berchtolsdorffium* propugnandum ſuſcipit, & à Cæſarianis obſeſſus, foras incautiùs excurrit, glande trajectus perit. Jam ad nobis propiora redeamus.

Mortuo Alberto, iterum inſoleſcunt; & ob eandem cauſam, per Auſtriam prædas agunt: *Roo ſupra cit.*

hos Cæſar componere conatur; ſed fruſtra.

Quidam ex ijs, in Styriam usque vaſtabundi penetrant:

Cæſar cum nonnullis tranſigit: contra contumaces arma & vim expediri jubet:

primarij ipſorum ducis interitus. *Roo tit. MS. Lipp.*

CA-

Hæc cum *in Bohemiam & Moraviam* allata, privatim in circulis legerentur, ſagaciores omnes, qui talia ciendis majoribus in Regno turbis opportuna inſtrumenta eſſe non ignorabant, æquè attonitos & metu perculſos perterruerunt: alios verò, quibus fervidiora ingenia erant, belli quàm pacis cupidiores in novas res erexerunt: affecerunt denique univerſos diſſimiliter, ſic ut pro partium ſtudio & animorum habitu, mox undique rumores manarent. Nullibi tamen in Regno & Provincijs Coronæ unitis, ſed neque in alijs viciniorbus Regnis ac Provincijs (quòd omnes alij Principes mallent Bohemiæ Regem habere amicum, quàm hoſtem) hæc mandata Pontificia, eo ſtatim tempore, quo emiſſa erant, ſolenni, ùt fit, more publicata legimus; præter *Pilſnam & Wratislaviam*: quæ urbes pertinaciùs Regi obſiſtentes, iram indignationémque ejus, magìs contra ſe proritârunt.

Hinc nova turbationem, belli civilium materies. Bullæ Pontif. nullibi publicantur tam faciles; niſi Pilſnæ, in Boh. & VVratislaviæ, in Sileſia

At *Georgius*, hæc contra ſe moveri videns, & exinde non parum animo conturbatus, ante omnia ad Pontificem Max. literas dedit: in quibus primò agnoſcit & veneratur Romanæ Sedis auctoritatem: *Imprimis ſcimus*, inquit, *quòd Eccleſia Romana, & Sedes Apoſtolica, ob reverentiam B. Petri debeat honorari: quia Chriſtus eam ſupra petram Fidei mox naſcentis erexit, atque B. Petro æternæ Vitæ clavigero, & in perſonam ejus, omnibus ſuis ſucceſſoribus Romanis Pontificibus, terreni ſimul & cœleſtis Imperij jura commiſit.* Deinde ſtudia ſua pro Catholica religione ſuſcepta enumerat: *quod non ad noſtram, ſed ad Domini laudem dicimus, Clerum ſub juris dictione noſtra reſidentem, & ſub obedientia Sedis Apoſtolicæ exiſtentem proteximus hactenus & conſervavimus: Monaſteria de obſervantia regulari, in Regno noſtro de novo fundavimus & ereximus; laicis & vetulis, quibus à jure prohibita eſt diſputatio Fidei Catholicæ, regio edicto interdiximus; detractiones Sedis Apoſtolicæ ceſſare fecimus, & etiam ſub magnis pœnis prohibuimus: ad infirmos deſiderantes, palam & publicè, absq; alicujus impedimento deferri fecimus Sacramentũ Eucharistiæ ſub una ſpecie: hæreticos, qui Divinum officium in habitu ſeculari, & absq; ornamento, & ceremonijs ab Eccleſia inſtitutis celebrârunt, atque adeò deſipuerunt, ut non verum corpus Chriſti in Sacramento altaris eſſe contenderent: inſuper cadavera mortuorum in campis, cum beſtijs ſepelienda curârunt, & in omnibus locis, etiam non ſacratis, indifferenter Sacramenta conficere præſumpſerunt, aliaque deteſtanda commiſerunt; manu noſtrâ militari, cum copioſis exercitibus, & maximis ſumptibus punivimus.* &c. Poſt hæc, conatur oſtendere, nihil ſe adversùs juramentum ſub coronatione editum commiſiſſe; cupere tantùm, ut Compactatis ab Eccleſia comprobatis, ſibi & incolis Regni atque Marchionatûs Moraviæ, uti liceat. Promittit demũ, quòd Wratislavienſes, & omnes alios ſubditos ſuos, modò ſibi obtemperent, piè & paternè tractare, & in ritu Chriſtiano Catholico fovere & conſervare velit. Tandẽ petit urbẽ ſibi nominari Bohemiæ viciná, ſecurá & tutam, in qua Præſidentibus Apoſtolicæ Sedis legatis, ad accuſationis capita reſpondeat: velle ſe facere ſatis, oſtenſurúmque hæreticũ ſe non eſſe. Ultimò addit: *Cùm ſubditi noſtri, ùt manifeſtũ eſt, retroacto tempore, nec proceſſibus, nec pœnis, nec armis ad conformitatem Romanæ*

Georgius ad Pontificem literas. Cod. cit. f. 69. 74. Cod. min. f. 105. agnoſcit & veneratur Eccleſiæ Rom. authoritatem: opera ſua pro Catholica Religione conſervanda, promovendáque enumerat: Oſorémque hæreticorum ſe fuiſſe ſemper, imò perſequutorem quoque oſtendit. Stransky in Rep. Boh. c. 6. Adrian. Regenwolsky in Hiſt. Eccl. Slavonic. Provinc. l. 1. c. 8. MS. Anon. Prag. Reginæ Hist. Theobald. cit. part. 3. c. 10. nec quidquam ſe agere adversùs juramentum, cùm Compactata obſervet. Petit deſignari locum, ubi commodè audiri poſſit.

Gens Bohema & Morava, armis tractandis potiùs, quàm literis dedita.

Eccleſiæ reduci potuerint; timendum eſt, ne hoc jam minùs fiat, cùm ipſi multi ſint, in re militari expertiſſimi, machinis & alijs bellicis inſtrumentis benè muniti: propter quod contra longum uſum Ritûs ſui, armis & proceſſibus difficillimè poſſent averti. Reddite igitur, Beatiſſime Pater, nobis lætitiam Salutaris veſtri, proceſſus tollite, cauſam revocate; Dietam indicite, & paterno affectu nos reſpicite, atque malis, quæ aliàs ſuboriri poſſent, eo modo occurrite, nobis & noſtris ad gratiam ſingularem. Dat. Prag. menſe Martio 1466. diem apponere neglexit, qui deſcripſit.

Cod. maj. f. 571. Scribit ſecundo ad Papam audirique petit; ut oſtendat, ſe hæreticum non eſſe, ſed Catholicum & Catholicorum fautorem.

Alias iterum eodem anno, menſe Octob., dederat in forma penè ſimili, Dietam, in qua audiri poſſit, petens. *In qua Dieta,* inquit, *per S. V. indicenda patulè videri & palpari poterit, quàm falſa pro veris ad V. S. ſunt delata: ibi, ſi Religioſos evertimus & Monachos omnes: tunc videbitur, ſi Eccleſiaſticis viris temporale rerum Dominium interdicimus; ſi etiam Calix Domini omnibus promiſcuè præbeatur, & nolentes etiam & inviti compelluntur; & alia plura apparebunt ſterilia, & à veritate aliena. Dat. Pragæ IV. poſt Feſt. S. Galli 1466.*

Cod. maj. f. 60. & ſequ. Georgius ad Matthiam Regem Hung. ſcribens, facta ſua cùm pro bono Relig. Catholicæ, tum pro incremento Reip. recenſet. Compactatis utentes non eſſe hæreticos: impediri à Papa per citationem, & turbas, quæ exinde ſequuntur; quò minùs bellum Turcis inferre queat. *Cod. cit. fol. 1. & ſequ.*

Dederat etiam ad Imperatorem, & vicinos Reges Principésq; literas, querimoniarum plenas, id potiſſimùm dolens, quòd perjurij & hæreſeos damnetur, non convictus, & ne quidē auditus, cùm tamen audiri velit, ídq; ipſum continuis precibus efflagitet. In literis ad Regem *Matthiam*, Glacij, die 28. Julij datis, objectiones omnes novas & veteres fuſiſſimè refellit: primò, ait, *ſibi præcipuam ſemper fuiſſe Compactatorum curam, atque ut ea quæ præſcribuntur in illis, ſanctè ab omnibus ſervarentur; nec quicquam innovaretur, quod facilè quietem publicam turbare poſſet. Probat ſub regimine ſuo, Catholicam religionem floruiſſe, Catholicos Regni officijs & dignitatibus à ſe honoratos: pacem poſt longa bellorum diſcrimina, Regno reſtituiſſe ſtabilivisſéque, ſecuritatem attuliſſe, auri & argenti fodinas jacentes reſuſcitâſſe, commercia renovâſſe. Deinde oſtendit, non eſſe hæreticos cenſendos, qui Compactatis utuntur, modò ſeſe in alijs Eccleſiæ Sanctæ inſtitutis debitè conforment, prout ipſe facit; ac proinde veros Eccleſiæ filios, veréque Catholicos eſſe Chriſti Calice potientes. Addit, voluiſſe ſe magnum exercitum ex Bohemis & Moravis colligere, & contra Turcas educere: interea ſe eſſe Romam citatum ad cauſam dicendam, ſine omni titulo: cùm tamen Rex eſſet, coronatus, unctus, & talis à Sede Apoſtolica recognitus, ab Imperiali quoque ſplendore, & cunctis Principibus taliter honoratus: & quod longè ſeverius, non expectato citationis, nempe centum & octoginta dierum exitu, nec alia inſinuatione præmiſſâ, VI. Idus Decembr. immediatè ſequentis damnatum ſe, privatúmque omni regiâ dignitate, & ſubditos omnes ab omni ſubjectionis vinculo abſolutos.* &c.

Similia ſcribit Regi Galliæ, *Cod. maj. f. 25. 237. & ſequ. 212 505. 558.* Regi, Poloniæ Electoribus Imp. & pluribus alijs:

Eadem ſcripſit Regi Galliæ *Ludovico XI.* literis ad eū miſſis per Joannem Ord. Præm. ex Cœnobio Hradiſst. Eadem Regi Poloniæ *Caſimiro*; Regi Daniæ *Chriſtiano I.* Electoribus & Principibus Imperij; Duci Venetorū *Chriſtophoro* Mauro; Duci Mediolanenſi, *Franciſco Sfortiæ*, & pluribus alijs: qui omnes tot ac tantis ipſius querelis adducti, ſibi quidē hunc modū procedendi cum Rege, omnino diſplicere, contra tamē agere, factúmq; reprobare, minimè licere reſpon-

Digitized by Google

ſponderunt; ne plus Regi favere, quàm S. Sedem Apoſtolicam revereri videantur. Hoc unum, quod in poteſtate ſua foret, ei non denegaturos, ut legatos ad demulcendum, ac deprecandum Pontificem quamprimùm amandarent, quem, utì communem Patrem, mitem ac benignum, faciléque exorabilem non dubitarent.

qui ſeſe pro eo apud Papam interpoſituros pollicentur.

Electorum literæ pro Georgio, *Cod cit. fol. 65. 104. & 573.* ac imprimis Ruperti Colon. Friderici Palat. Ludovici Bavari: *Cod. fol. 36.*

qui in tranquillitate Regni Bohemiæ, ſuarum quoque Provinciarum reponunt ſecuritatem, & utilitatem.

Ante alios omnes, Principes Electores, metuentes ne ex hac cauſa denuò exoriatur in Bohemia de religione bellum, quo facilè, ſicut antea, corripi poſſet vicina Germania, literas ad Pontificem dederunt, rogantes, *ut clementiæ ſit memor, dietam conſtituat, Regem audiat, cùm id inſtantiſſimè petat.* Et alias iterum ſpeciales, *Rupertus* Archi-Ep. & Elector Colon. *Fridericus* Comes Palat. & Elector, & *Ludovicus* Bavariæ Dux; quibus inter alia id inſeruerunt. *Et profectò, Pater Beatiſſime, illius Regni tranquillitas, etiam ſtatum Dominiorum noſtrorum, quæ nos Fridericus, & Ludovicus, Principes ſeculares cum Regno Bohemiæ confinia, & quaſi permixta poſſidemus, in tuto collocavit: redditum quoque noſtrum non parum adauxit, quandoquidem pro eorum tutela & defenſione, non eſt opus ultra conſvetam cuſtodiam quidquam impendere; quæ tamen Dominia quondam, Regno fluctuante, parentibus noſtris, adeò fuêre onuſta, ut plus impendi requirerent, quàm importarent emolumenti. Sed nec parum intereſt Eccleſiæ Colonienſi, quam ego Rupertus adminiſtro, propter communionem Collegialem, quâ omnes Principes Electores adunati ſumus. Cui accedit, quòd præſens Rex Georgius, tunc Regni gubernator, in bello, quod Prædeceſſor meus,* (is erat Theodoricus) *in occidua Saxonia geſſit, tanta auxilia ex Bohemis adduxit, ùt ſi tantùm ipſe Prædeceſſor meus exercitum alere potuiſſet, omne bellum ſibi proſperè ſucceſſiſſet. Idcirco nos Principes, accitis Conſiliarijs noſtris utriùsque Statùs, Eccleſiaſtici & ſecularis, penſatisque ſingulis, pro ingenij modulo animis noſtris, talis ultimò nobis inſedit conſideratio; ſuper proceſſu facto, vel habito, nihil agitare, ſed Regni tranquillitatem, à qua noſtra quoque commoditas, ſed & totius Reip. Chriſtianæ utilitas, contra Turcorum rabiem, non parum fomenti ſumit, ſolicitiùs cogitare* &c. *Sanctitas Veſtra diem dicat, & locum deſignet rebus gerendis idoneum, ubi deformata reformentur* &c. *Dat. Feriâ IV. poſt Franciſci, anno 1466.*

Fortia Bohemorum facta olim, in Saxonia infer. uti narravimus ſuprà, pag 635. & ſequ.

Trithem in Chron. Sponheim. an. 1447. ſcribit fuiſſe 15. millia, unà cum Saxonib. magnâque clade affeciſſe Ducatum Montenſem. Fabric. in Orig. Sax. lib. 7. an. eod.

Erneſtus Elector Sax. ſupplicat ad Pontificem pro Georgio: *Cod maj. fol. 344. Cod. min. fol. 150. Theobald. ſup. pra cit.*

miratur hunc procedendi cum Rege modum: & teſtatur, in Bohemia eundem eſſe rerum ſtatum, in puncto Religionis,

Audaciùs nonnihil ſcripſerunt Duces Saxoniæ, *Erneſtus Elector, VVilhelmus & Albertus*; ſicut etiam *Albertus Brandeburgi Marchio Elector. Erneſtus* ſic habet: *Sanctiſſime in Chriſto Pater, Domine Clementiſſime. Poſt devota pedum oſcula beatorum. Quanto cordis dolore, quantaq; mentis amaritudine perfuſus ſum, ex illa diſſenſione, quæ per denunciationem Procuratoris, ſeu Fiſcalis Fidei ſuſcitata eſt, & cujus causâ citatio illa contra Sereniſſimum Bohemiæ Regem, Dominum & ſororium meum chariſſimum inſtituta, præfatum Dominum Regem, tam gravi & inſolitâ nuncupatione deſcribit: teſtis eſt mihi conſcientia mea, teſtisq; Deus, qui ſolus ſpiritum hominis novit, & cordium ſecreta ſcrutatur. Nempe multorum mentes in admirationem cogit, ac proſternit in ſtupore, illa tam vehemens & repentina in præpotentem Regem fulminata ſeveritas: in quo Rege tamen ejusq; Regno, circa Fide & Eccleſiaſtica inſtituta, nul-*

la palam eſt comperta novitas, ſed eo ritu, ijſdemque cæremonijs nunc vivitur quibus agi conſuevit, cùm Rex ipſe, Dominus & ſororius noſter, ad ipſius Regni gubernacula condeſcendit, ac ùt talis à S. Sede Apoſt. ac deinceps per Orbem Chriſtianum recognitus eſt: neque ſe aliter Regnicolis obligavit, ſeu Regno adſtrinxit, quàm olim Sigiſmundus, Albertus & poſtremò Ladislaus, ipſius Regni pro tempore Reges, fuerint adſtricti. &c. *Regnum hoc toties pertentatum armis fruſtra fuit, ità ut Principes finitimi, ac ipſe quondam Imp. glorioſiſſ. Sigiſmundus, Regni Rex, & plusquàm pro medietate poſſeſſor, fruſtrati defatigatique ab ulteriori oppugnatione deſiſtere cogerentur: Sacrum verò Baſil. Concilium, pio interventu, benigniſque tractatibus* (Compactatis) *gentem ferociſſimam, ſuaviſſimâ perſuaſione Patrum manſuefecit. Nunc autem permaximè verendum eſt, ne gens ipſa Regis aſtu perdomita, procliviore lapſu redeat in ferociam. Hoc quippe jam exploratum eſt mihi, quòd niſi Regia benignitas eorum cohiberet audaciam, profectò jam dudum ſæva repacitas, etiam ultra Regni fines, ſeſe porrexiſſet: ea ſola eſt, quæ domitos leones intra ſepta continet, leni quâdam perſuaſione, quam equidem ille maximè callet.* &c. *Nil video, quod repugnet, quò minùs Regnum usque huc armis invictum, nec ullâ unquam coërcione diſtrictum, ſed à Venerandis Patribus Concilij Baſil. in rebus & cauſis Eccl. primùm, ac deinde ſuper ſtatu totius Regni, à tribus Regibus ſucceſſivè perſuaſum, & illectum, ut duras cervices acclinârit, & ſublimia colla ſubmiſerit: modò quoque ſuavibus alloquijs attrectetur, piiſque adhortationibus potiùs, quàm hujusmodi* &c. *Me cum multis S. Rom. Imperij Principibus, eis præcipuè, quorum ſtatus pacificus, à pace & tranquillitate Regni Boh. plurimùm adjuvatur, tanquam devotiſſimum filium commendo.*

qui erat ſub Sigismundo, Alberto & Ladislao Regibus.

ſvadet, non eſſe irritandos Bohemos, quorum nuper armis tota fuerit concuſſa Germania.

laudat Concilium Baſil. quòd gentem ferociſſimam, benignis tractatibus, i, Compactatis, manſvefecerit;

idem ut nunc faciat Pontifex, orat,

Cod. maj. fol. 436.

Cod. min. fol. 152.

Elector Brandeburg. ſimiliter miratur,

talem procedendi modum cum Rege:

ideóque ſupplicat, ut mitiora adhibeantur remedia,

& Rex priùs audiatur.

Similiter Brandeburgicus: *Sanctiſſime in Chriſto Pater. Maximum mihi ſtudium ab ineunte ætate ſemper fuit, Romano Pontifici, tanquam Patri & Domino fideliter obſequendi: ſic enim à patre me puer edoctus, animum induxi meum,* &c. *Sereniſſ. Princeps, Dominus & ſocer meus clariſſ. Bohemiæ Rex, literas excuſatorias ſui, adversùs objecta per procuratorem fiſcalem ſibi crimina, ſed & præmaturati contra ſe proceſsûs, querulatorias (moderamine tamen obſervato) ad Regum & Principum Curias mittit: quarum copiam præſentibus inſerere me minimè piguiſſet, niſi jam compertum haberem, eas ſolo nomine mutato, etiam ad Principes, & Terras Italiæ jam pridem perveniſſe. Eas verò literas crebrò ipſe legi, & accerſitis viris doctioribus Juriſperitis, ac etiam induſtrioſis, quibus natura ingenium dedit, uſus autem & memoria humanæ prudentiæ mater, rerum & cauſarum peritiam fecit, eorum mentes ſedulò ſcrutatus ſum; qui omnes cenſebant, ſtupendum facinus eſſe, Regem potentiſſimum, vel etiam Principem, tam celeri velut memento, & tanquam fulminis ictu, taliter nuncupari, teneri ſeu reputari; & quod his majus eſt, regijs functionibus prohiberi & impediri; quemadmodùm Rex ipſe Dominus & Socer noſter, in ipſis Veſtræ Beatitudinis literis nuncupatur, reputatur, prohibetur & impeditur.* &c. *Ideoque Sanctitatem V. ſuppliciter interpello, quatenùs diem & locum, absque ulla difficultate, deſignet,* &c.

Rex

Digitized by Google

Rex verò Galliæ: *cùm Sancta Mater Eccleſia nunquam ad ſe redeuntibus gremium claudat, nec audientiam deneget, ut & Pontifex aures benignas aperire, & ſi quid ſiniſtri contigerit ex parte dicti Bohemorum Regis, benignis potiùs exhortationibus, lenitate & affabilitate, quàm nimiùm acribus & rigoroſis remedijs, reducere dignetur.*

Codex maj. cit. fol. 351. Idem Rex Galliæ petit.

Multo ferventiùs ſcripſerunt *Sileſiæ Duces*, profitentes ſe eſſe Regni Bohemiæ *Ligios Principes*, adeóque Sereniſſimo Regi Regnóque, fidelitatis debitæ vinculo, ſub juramentis adſtrictos. *Dum ſic ſtamus*, inquiunt, *quieti, pace & tranquillitate perfruentes, ſub hoc pijſſimo Rege, qualis à temporibus felicis recordat. Sereniſſimorum Principum, VVenceslai, Sigism. Alberti & Ladislai viſa non eſt; ecce, præfatus D. Epiſcopus Laventinus & Legatus adveniens, plurima ſe jactat in longum latúmque Apoſtolica diffundere mandata, quibus Cœlum, terram, aſtra, mariáque miſcere comminatur. Nos noſtra noſtrorúmque ſaluti proſpicere volentes, in unum locum ex condicto convenimus, inter nos tractare diſponentes, quomodo ſub inclyto Rege noſtro, tranquillitatem nobis ope Majeſtatis ſuæ comparatam, noſtrâ etiam proviſione concurrente, conſervare poſſemus; maximè cùm glorioſiſſimus Rex noſter, in omni cultu, rituque Sacrificiorum nos confoveat; prout præfati quondam Reges noſtri æquè fecerunt.* &c. *Nos præfatum Sereniſſ. & glorioſiſſ. Regem & Dominum noſtrum, tanquàm Catholicum, & Orthodoxum Principem reveremur, qui etiam ab alijs S. Rom. Imperij Principibus, ùt talis habetur, & colitur: nec quicquam in omni vita ejus deprehendimus, niſi quod Catholicum Principem decet. Sub cujus tutela nos omnes, Regnique Principes, pacis & concordiæ nexibus colligati, & ſub Majeſtatis ſuæ fide, & obedientia tranquillam vitam agentes, tantâ pacis ſvavitate potimur, quanta in hominum memoria nunquam eſt viſa. Denique ſua Serenitas neminem noſtrûm ſolicitat, compellit vel inducit, ut alio ritu, vel more vivamus, quàm patres & avi noſtri. Nos igitur attendentes, quò hujusmodi Apoſtolica præcepta reſpiciunt, maximè veremur, ne in noſtrum noſtrorúmque ſubditorum vergant exitium; Sanctitatem V. humillimè deprecamur, quatenus poſtulationibus noſtris, pro conſervatione pacis & tranquillitatis noſtræ, clementer acquieſcere, nec vanis ſuggeſtionibus ſacratiſſimas aures accommodare, neque fidem præbere dignetur: proceſſus ſupradictos contra pijſſimum Regem noſtrum emiſſos tollere, vel ſaltèm ſpe felicis ineundi tractatûs ſuſpendere, diem & locum rebus gerendis accommodum deſignando, ubi nos offerimus interventuros.* &c. Ultimò addiderunt: *Hoc etiam precibus noſtris adjicimus, quod ſi V. Beatitudo has preces noſtras, & Sereniſſimi Regis noſtri, quocúnque zelo vel ſvaſu ducta contempſerit, quod minimè ſperamus, tanquam ab humanitate & clementia penitùs alienum: nos nihilominùs veluti Duces Sileſiæ, præfatique glorioſiſſimi Regis, ac Inclyti Regni Bohemiæ, Principes & Vaſalli Ligij, juramentorum Regiæ Serenitati præſtitorum non immemores, eidem aſſiſtere, tanquam fideles & obedientes Regis Regnique Principes, non dubitabimus. Hæc veſtra Beatitudini, bono ſyncerôque zelo permoti ſcribimus, deprecantes devotéque rogantes, quatenus ea clemen-*

Duces Sileſiæ teſtantur, ſe majore pace, ſub Georgio Rege hactenus gaviſos eſſe, quàm antehac:

Jam verò turbari omnia, per Legatum Apoſt.

Laudant moderatum regimen Regis,

& fatentur ſe pacificè ab eo regi,

& relinqui, ut veteri more Catholico vivant.

Supplicant idcirco, ut Sanctiſſimus proceſſum contra Regem inſtitutum, vel tollat, vel tantiſper differat;

cum proteſtatione, ſe aliàs ab obedientia Regis, cui ſemel juratò obſtricti eſſent,

non receſſuros, ſed eidem fideliter adſtituros.

Digitized by Google

Codex maj. fol. 20. & 348.

ter ſuſcipere, & Sereniſſimo Domino noſtro Bohemiæ Regi, juxta vota ſua, noſtraſque petitiones, audientiam benignè concedere dignetur.

Cod. cit. fol. 39. Nomina Ducum Sileſiæ pro Georgio ſupplicantium.

Alias iterum dederunt in eandem ſententiam, ex Conventu Brigæ celebrato die 1. Septembr. an. eod. 1466. quas ſubſcripſerunt: *Henricus Glogovienſis, Conradus ſenior, & Conradus junior, cognomento Albus Olſnenſis & Kozlenſis, Nicolaus Oppolienſis, Przemyslaus Anſtracienſis ſeu Teſſinenſis, Fridericus Lebnicenſis & Brigenſis, Sleſiæ Duces.*

Jodocus de Roſenberg Ep. VVratisl. ſvadet non ſolos VVratislavienſes in Curia audiendos; ſed etiam alios, æquè Catholicos, qui propediem ſint venturi Romam, ad meliùs informandum Sum. Pontificem.
Cod. fol. 336. Ejusdem bona intentio, Codex maj. fol. 442.

Dederat etiam *Jodocus de Roſis* Epiſcopus Wratislav. ſuas speciales ad *Summum Pontificem, & ad Collegium Cardinalium*, eadem in cauſa, rogans, quatenùs *Sua Sanctitas* mitiùs agere velit; nec ſolos tantùm *Wratislavienſes* audiat, ſed ab alijs quoque Catholicis, & Romanæ Sedis obſervantiſſimis ſeſe informari patiatur. Ideóque intentionem eſſe Catholicorum Statuum, *de Regno bohemiæ, Marchionatu Moraviæ, Ducatu Sleſiæ & Marchionatu utróque Luſatiæ*, mittere quamprimùm Oratores Romam, qui Suam Sanctitatem, in negotio Fidei, aliiſque rebus probè informent: interim quòd cenſeat, â proceſſu contra Georgium inchoato ſuperſedendum, donec *Sua Sanctitas*, poſt habitam pleniorem de his omnibus informationem, ſeſe ultimò tandem reſolvat, prout in Domino judicaverit. Ad extremum Epiſtolæ addidit: *Quapropter ô Clementiſſime Pater! ô piiſſime Domine! ô benigniſſime Paſtor! animadvertat, quòd hæc non fiant in fraudem & dolum, quæ nemini patrocinari debent, ſed â Sanctitate Veſtra non ſatìs informata, ad pleniùs informandam recurritur: non aliud aſylum quæritur, præter Sedem Apoſtolicam.*

Cod. min. 215.

Extat alia adhuc, contra Apoſtolici Nuncij nimiam ſeveritatem, ad Sedem Apoſtolicam provocatio. Et ad *Zdenkonem Sternbergicum* addit linguâ patriâ: A to wyznawám a oſwědčugi/ že toho nečinjm z Pýchu a nebo Poſtupy/ ale ſewſſy vctiwoſti a poddanjm/ pro Cžeſt Stolice Papeiſké/ pro zachowanj Wjry prawé Křeſtanſké/ a pro dobré Wlaſti ſwé: Id eſt, *Et profiteor ac proteſtor, quòd hoc non faciam, ex aliqua inſolentia aut ex contemptu, ſed in omni reverentia, & ſubmiſſione, pro honore Sedis Apoſtolicæ, pro conſervatione veræ Fidei Chriſtianæ, & pro bono Patriæ meæ.*

metuentis, ne prorſus peſſum eat Religio, & Regnum. Bohemi Proceres Catholici rogant, ut Cenſuræ ſuſpendantur: ſtatum & ſecuritatem Catholicæ Religionis, ſicuti & Reip. explicant. Secùs, regias partes ſeſe deſerere non poſſe, propter jusjurandum, quod apud Bohemos ſemper ſacroſanctum eſſet, & inviolabile.

Addiderunt ſuos quoque ſupplices, Catholici Bohemi Procères, fidelitatem Regi juratam obtendentes, rogantêſque ut Rex audiatur, & Cenſuræ interim ac citationes ſuſpendantur. *Jam enim*, inquiunt, *per Dei Gratiam Bohemia cum omnibus Principatibus ſuis, ad eum ſtatum reducta eſt, ut ſi quis eam recenter aſpiciat, qui eam ante viginti & triginta conſpexerit, faciem ejus in Spirituali & temporali cultu, & Sacrificiorum cæremonijs dicet eſſe renovatam; ità ut ſi quid deſit in ritu Sacrificiorum, minimum eſt reſpectu ejus, quod fuit temporibus Sigism. & Alberti Regum: & idcirco non dubitamus id facilè componi poſſe. Cæterùm ſi hæ preces noſtræ, & Invictiſſimi Regis noſtri, auditæ non fuerint, & tunc ſi Sereniſſ. Rex noſter, contra perduelles aut rebelles, arma movere voluerit, nos paſſim & indiſtinctè, omni excuſationis obſtaculo poſtergato, Serenitatem Suam, & Duces quos Sua Maj. præfecerit, intrepi-*

trepidè ſequemur, eique usque ad ſanguinem & mortem parere minimè dubitamus; tanta eſt enim apud nos jusjurandi religio; neque nudo ſolùm præcepto, ad vanam narrationem procuratoris Fiſci & fidei, contra Regem non vocatum, nec auditum, nec defenſum quâlibet authoritate emanato, à fide Suæ Majeſtatis deficiemus. &c. *Dat. an. 1466.*

Cod. cit. maj. fol. 341. Theobald. part 3. c. 15.

Bohemorum & Sileſiorum exemplo, fecerunt etiam *Moravi*, pro Georgio ſupplicantes. Cúmque ſub id tempus nova rurſum allata eſſent Româ, ad Epiſcopum *Protaſium*, & ad civitates *Olomucium*, *Brunam*, *Znogmam* & *Iglaviam*, ad quamlibet earum ſpecialia mandata: ad Epiſcopum, ut à *Georgij hæretici* conſilijs, omníque penitùs commercio deinceps abſtineret; útque ſublato uſu Communionis ſacræ ſub utráque ſpecie, prohibitíſque ejus cultoribus, ſolam Romanæ Sedi conformem, Sacrorum, ac imprimìs Communionis ſub una ſpecie obſervantiam, in ſua Diœceſi inſtituere vellet; ad Cives verò, ne *Georgio*, *Plſnenſes*, alióſque Fideles aperto bello infeſtanti, ope vel conſilio aſſiſterent, non obſtantibus quibuſcúnque fidei datæ, quæ nullâ ratione homini hæretico ſervanda eſſet, juramentis: reſponſo rei ac præſenti ſtatui valde benè accommodato, quò minùs id ſibi liceret, ſeſe excusârunt. Juvat hìc priùs literas, ſeu, ùt vocant, Brevia Summi Pontificis, data ad Civitates referre, (datum ad *Protaſium*, quia nimìs prolixum eſt, intermittimus) & primò ad Olomucenſes: *Paulus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Dilectis filijs, Conſulibus ac populo Civit. Olomuc. Salutem & Ap. Bened. Accepimus jam pridem nonnullorum fide dignis relationibus, & nunc certiores redditi ſumus, qualiter Georgius ille de Podiebrad, inclyti Regni Boëmiæ occupator, ſuæ malitiæ germen cupiens augmentare, fidem & Romanæ Eccleſiæ devotam plebem Oppidi ac diſtrictûs Plſnenſis, ſuâ ferocitate ſupprimere, variíſque afflictionibus perſequi audeat: de quibus ex injuncta nobis paſtorali ſolicitudine non immeritò dolemus, cujus officium debitum eſt, ut ſupra gregem dominicum, ne à tam voracibus beſtijs lanietur, ſolertiùs invigilemus, atque facultatem illis nocendi, quantum poſſimus, præcludamus. Hortamur igitur Devotiones Veſtras in Domino, & etiam diſtrictè monemus, ne dicto hæretico contra Fideles ab ipſius obedientia recedentes, ac perfidiæ ſectæq; illius erroribus contradicentes, præſertim contra præfatos Plſnenſes, quicquam ſævire conanti aſſiſtatis, ſeu conſilium, auxilium, aut favorem verbo vel opere, quibuscúnque etiam juramentis fidelitatis, ſeu homagij per vos illi fortè præſtitis non obſtantibus, (quoniam eorundem prætextu perfido homini, Fidei Catholicæ ac Apoſtolicæ Sedi adverſanti, nullâ cenſemini ratione teneri) quoquomodo præſtetis, nec ab alijs, quantum in vobis erit, præſtari patiamini. Sed ut potiùs præfatis Fidelibus, in adverſando ipſi hæretico, vos conformantes, ipſos ne ab eodem peſſumdentur defendere, & juvare totâ poſſibilitate veſtrâ curetis, in virtute S. obedientiæ diſtrictè vobis præcipientes mandamus. Nam pro collocatis humanitatibus & præſidijs veſtris in eoſdem, ultra præmium, quod ab Altiſſimo maximum expectabitis, Nos ac Sedem Apoſt. vobis ad ſingula commoditati veſtræ conducentia favorabiles efficietis, & invenietis ad gratiam ſemper promptiores. Dat. Romæ,*

Idem Moravi petunt.

Nova Papæ mandata ad Moravos, Epiſcopum & Civitates,

de abolendo uſu Communionis ſacræ, ſub utraque ſpecie,

déque non ferendis, contra Plſnenſes, militaribus auxilijs.

Cod. cit. fol. 33. Breve Apoſtol. datum ad Olomucenſes,

quo monentur, ne Georgio aſſiſtant contra Plſnenſes,

nec contra alios Fideles ab eo recedentes;

cùm non teneantur ſervare fidem perfido.

Sed potiùs illos adjuvent, protegant & defendant.

Digitized by Google

Idem ſcribitur Brunenſibus, Iglavienſ. & Znogm. *Cod. cit. f. 611.*

Romæ, apud S. Petrum Anno 1466. VII. Cal. Junij, Pontif. noſtri anno ſecundo. Sub ijsdem verbis, nominibus tantùm mutatis, erant etiam ad alios; nempe *Brunenſes, Iglavienſes & Znogmenſes.* Jam qualia reſponſa dederunt audiamus.

Epiſcopi Olom. ad Papam literæ, quibus ſtatum ſuæ Eccleſiæ, præteritum & præſentem deſcribit.

Inter alia Epiſcopi Olomuc. reſponſoriæ iſta habent: *Sed ut Veſtra Beatitudo ſtatum Eccleſiæ Olomucenſis, uti ſe habeat, percipere dignetur, humiliter efflagito. Mortuo VVenceslao Bohemorum Rege, ac Moraviæ Marchione, cùm inclytæ memoriæ Sigismundus Romanorum Rex Auguſtus, Ungariæ, &c. Rex, VVenceslaique frater, ac Regni & Marchionatûs ſupradictorum ex ſucceſſione fraterna hæres unicus, ſe ritui Communionis Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie, totis viribus opponeret, & ob id bella atrocia crebrò inſurgerent; ſæpe etiam ad prælia veniretur, plerúmque pars Sigismundi ſuccubuit, vel bello ceſſit. In tantum ergò attritæ ſunt vires, tantaque Ungarica militia perempta eſt, ut Status Regni Ungariæ veniret in periculum. Itaque poſt cladem apud VViſſegradum, unam ex arcibus, quibus Praga tunc diſtringebatur, acceptam, ſeceſſit in Ungariam, omnibus caſtris & terris, quæ ipſum recognoverant, inter Barones Regni ſuæ partis, cum maximis pecuniarum ſummis deſuper aſſignatis & adſcriptis, largiſſimè diſtributis. Moraviam autem pro tanto quanto poſſedit, genero ſuo Alberto Duci Auſtriæ, tunc Principi opulentiſſimo, per manum tradidit. Silere malo, quàm referre calamitates reliquas, quoties exercitus externi fugati diſceſſerunt. Redeo ad Sponſam meam Olomucenſem Eccleſiam.*

Cæſo ad VViſſehradum propè Pragam Sigismundo, miſerabilis fuit per Bohem & Moraviam rerum ſtatus.

Ei tunc præfuit Joannes, antè Epiſcopus Litomyſſlenſis, vir armorum ſollicitior, ideóque Papæ Martino acceptior, à quo & Cardinalis creatus eſt, & inſignijs uſus, aſſiduè contra hæreticos militavit: ſed prævaluit partis contrariæ ſævitia in tantum, ut Olomucenſis Eccleſia omnibus ferè temporalibus exuta fuerit. Succeſſit illi vir pacificus Cuntzo de Zuola, tunc Auditor Cauſarum Rotæ, qui reſiduum temporalium tutari minimè confidens, in manus Ducis Alberti repoſuit, & Adminiſtratione Olomucenſis Eccleſiæ relictâ, ad Concilium Baſilienſe migravit. Quo mortuo, ſucceſſit Paulus de Milizin, vir Deo devotus, Auctoritate Sacri Baſilienſis Concilij ordinatus; cujus ac Legatorum ejus auctoritate, Sacerdotes, Levitæ, hypodiaconi, & aliorum ordinum perſonæ, ad Eccleſias & Eccleſiaſtica Beneficia fuère inſtitutæ ac ordinatæ; cuiq; ſcilicet plebi, juxta ritum ſuum, Euchariſtiæ Sacramentum miniſtrantes: prout jam à Sacro Concilio indultum fuerat, ac ordinatum. Idem fecit Joannes Haz, & Bohuſſius Joannis ſucceſſor; cui ego in Eccleſia deſolata ſucceſſi, ſpe fretus eandem, & Neceſſariorum meorum ope, & præcipuè quondam Regis Ladislai fomento, reſtaurari poſſe: nec me mea cura fefellit, nam plurimum ex ablatis quondam recuperavi. Nuper autem non dum octo menſibus elapſis, Rex noſter, Comitatum plùs annis 70. violentorum manibus occupatum, Eccleſia meæ in perſona mea reſtituit. Sunt autem in Diœceſi mea Barones ac Nobiles potiſſimi, ſunt & nonnulli plebei, quorum Parentes ac ipſi, Sacramentum Euchariſtiæ ſub utraque ſpecie ſumere conſueverunt: quos cùm adhortor & leviter obteſtor, ut ſe Romanæ Eccleſiæ ritui conforment, illicò reſpondent: ſe hâc Communione, Auctori-

Joannes de Praga Epiſcopus Litomiſſl. fit Olomuc.

cui ſucceſſit Conradus Baro de Zvvole,

huic Paulus de Miliczin;

Joannes Haz, Bohuſſe de Zvvole, & Protaſius de Boz kovicz:

cui Georgius, Comitatum Hochvvaldenſem, ad Eccleſiam Olom. ſpectantem, reſtituit.

Multi in Moravia, tam Nobiles, quam plebeji, ſub utraque ſpecie communicantes,

ctoritate Domini & Salvatoris Noſtri JESU Chriſti, veri Capitis, Sanctaq; noſtræ Eccleſiæ veræ Sponſæ ſuæ, & Sacri Concilij Baſilienſis, illam indubiè ac etiam expreſſâ Romanorum Pontificum profeſſione repræſentantis, ſub utráque ſpecie uti: nec ab ullo homine, quâcúnque dignitate profulgente, abigi vel diſterreri velle. Sequuntur de hinc minæ, ſtruuntur inſidiæ, ſubditi quoque Sponſæ meæ tremore concutiuntur, cum fletu gemitúque ad me concurrentes. His igitur anguſtijs circumvento quid ſupereſt, niſi ea quæ emendari non poſſunt, ferre patienter, reliquis verò paternè conſulere. Quare Sanctitati Veſtræ ſupplico humiliter & devotè, quatenùs Converſationem meam cum his, qui utriúsque ſpeciei Communione utuntur, ex bono zelo procedente, paternè ſuſtineat. &c.

quos revocare ad ritum ſub una, difficile;

cogere, periculoſum. Nihil melius, quàm ferre patienter, quod emendari nequit.

Urbes verò Regiæ; Olomucium, Bruna, Iglavia & Znogma, ſimul reſponſum dederunt tale: *Sanctiſſime in Christo Pater, & Domine Domine Beatiſſime. Poſt devotiſſima Beatorum pedum oſcula, & humillimam noſtri recommendationem, eidem Sanctitati Veſtræ cupimus eſſe notum, quòd allatæ ſunt nobis ſingulis Communitatibus, ſingulæ literæ, ſub Bulla Sanctitatis Veſtræ clauſæ; quibus monemur, nè Sereniſſimo Principi, Domino Regi noſtro pijſſimo, contra eos, qui â fidelitate, & obedientia Majeſtati ſuæ præſtita recedunt, aſſiſtamus; néve conſilium, auxilium præſtemus, ſeu favorem.* &c. *Beatiſſime Pater, hanc ob rem per nuncios noſtros convenimus, deinde habitis ſigillatim conſilijs, in talem conſiderationem devenimus; quòd hujusce monitiones & hortamenta, ſi ipſis ſecundaremus, nobis ac liberis noſtris, & univerſo Statui noſtro, honoris & famæ, ac rerum & facultatum omnium vergerent ad interitum. Hoc autem non eſſe de ſententia Beatitudinis Veſtræ, minimè dubitamus, quinimò ſperamus id nequaquàm nos commeruiſſe.*

Cod. maj. f. 87. & 338.

Civitates Regiæ Moraviæ, datis ad Papam reſponſorijs, ſe minimè ab obedientia Regis poſſe recedere, ſignificant; niſi exitium ſibi & ſuis comparare malint.

Sed ſi Veſtra Clementia de conditione & qualitate circumſtantiarum, quoad cauſam hujuscemodi, proùt defactò ſe habet, certiùs informata eſſet, nos ad defectionem â fide & obedientia, Sereniſſimi Regis Domini noſtri, ùt plenè confidimus, nullatenùs adhortaretur. Quippe Regia Majeſtas, nos & univerſam Moraviam, in tanta pace tutatur, quantàm de præterito non recolit hominum memoria: quod ùt illi glorioſum reputatur, ità nobis acceptum, quòd Principatus ille Moraviæ, exteris Regnis, dominijs & linguis, videlicet Auſtriæ, Hungariæ Poloniæq; circumſeptus (anguſtum eſt illud Sleſaticum, quod Moraviæ fines â Polonia diſterminat) totum tamen prudentiâ & potentiâ Regiæ Majeſtatis, ſub pacis ſuaviſſimæ legibus, vivit & quieſcit. Sub ejus autem pacis tranquillitate, nos in ritu Sacramentorum omnium, Romanæ Eccleſiæ morem imitamur: in quo etiam Regia Celſitudo nos & omnes, qui Romanum morem obſervant, potentiſſimè tutatur, & defendit; & nec quenquam â Romana Eccleſiæ ritu vel obedientia, cui ſeſe quoque obnoxium palam & conſtantiſſimè profitetur, ullis blanditijs, illectionibus, minis, aut ullius ſeveritatis auſteritate abigere, dehortari, cogere vel compellere tentat, vel conatur. Itaque reluctatio Plſnenſium adverſùs Regiam Majeſtatem, hoc colore defendi nullo pacto poteſt, quaſi Regia Majeſtas ipſos

Excuſant Regem, & ſe ab eo pacificè gubernari, in religione Catholica ſervari, neminem ad Com. ſub utráque ſpecie cogi.

Pilſnenſium cauſam aliam eſſe, quàm prætendunt.

 â fide

à fide & obedientia Romanæ Eccleſiæ avertere, vel in illa diſturbare, quærat. At pax & tranquillitas Regni ſervari non poterit, ſic cuique licebit Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, Sanctæq; Sedis Apoſtolicæ reverentiam verbotenùs prætendere, & Sereniſſimo Regi, ac Piiſſimo Domino noſtro rebellare, ac Regni Regnicolarúmque ſocietatem, & pacis publicæ fœdera diſrumpere & diſſociare.

Illuc denique tota eorum redit oratio: non licere ob quamcúnque cauſam, fidem Regibus datam frangere;

Quod autem in eiſdem literis ſubjicitur, nos prætextu Juramentorum fidelitatis ſeu homagii, Sereniſſimo Domino noſtro Regi præſtitorum, eidem velut perfido, & Sedi Apoſtolicæ repugnanti, nullâ ratione cenſeri obligatos. Beatiſſime Pater, & Domine Clementiſſime, hoc quidem capit ratio noſtra: quia ſi quis Rex, aut Princeps, Chriſti Fidem, aut Eccleſiam Romanam, cujus ſupra omnes Eccleſias Principatum recognoſcimus, in his quæ ad regimen ejus ſpectant, oppugnare, ſeu quemcúnque ab ejus obedientiâ, devotione, vel integritate divellere, abigere, ſepare vellet; profectò nemo ſubditorum, ſub cujuscúnque vinculi etiam jusjurandi prætextu, illi opem ferre debet. Nuper enim, Pater Clementiſſime, (ut familiariter loqui liceat, ſupplices oramus) dum feſtum Decollationis Baptiſtæ, quod apud nos celebre habetur, ageremus, edocti ſumus; Herodem tetracham, Herodiadis filiæ jurantem, quidcúnque illa poſceret ſe daturum, non idcirco capitis Baptiſtæ amputandi obnoxium eſſe factum. Sic itáque ad abigendum quempiam à Fide, & devotione Sedis Apoſt. Sanctæq; Romanæ Eccleſiæ, Rex noſter Inclytus, neminem nè verbo quidem ſolicitavit; nec unquam Domino propitiante conabitur, qui nos ſub ejus obedientia ritûs, & morum obſervantia, piiſſimè fovet. Turbatores verò pacis & unitatis Regni, fœdifragos, rebelles aut perduelles, ſi quando ad unitatem Regni reducere, vel audaciam eorum frenare & compeſcere, ubi publica utilitas ſvadebit, absque ulla violatione vel immutatione ritûs Sacramentalis, Majeſtas Inclyta voluerit, ac nobis adeſſe præceperit, quo pacto illi deeſſe, vel negare honeſtè poterimus? Nam in Vitis Martyrum Domini JESU Chriſti legimus, cùm ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, Præſidibus & Præfectis Provinciarum, juſſi eſſent thurificare ſimulacris gentium, illi omnem obedientiam ipſis recognoverunt, pro Imperii ſeu Reipublicæ gubernatione quomodolibet opportunâ: Sacrificium autem non Diis, ſed Deo vero, ſeque tandem usque ad ſupplicia immolaverunt. Ut igitur & nos, Pater Beatiſſimè, ſalvâ fide & unitate Eccleſiæ, Veſtræq; Sanctitatis, & Apoſtolicæ Sedis obedientiâ & reverentiâ, Glorioſiſſimo Regi noſtro fidelitatem, homagium & obedientiam ſervare valeamus, favere nobis dignetur Beatitudo Veſtra, quatenus Inclyto Regi noſtro jusjurandum ſervemus, ſicut obligati ſumus. Hoc enim arbitramur eſſe, quod Salvator præcepit, mandans reddere Cæſari, quæ Cæſaris ſunt, Deo, quæ ſunt Dei. Erat tunc Cæſar Idololatra, & in ſola Judæa notus verus Deus, (ubi in Iſraël magnum nomen ejus.) Sanctitatem Veſtram Altiſſimus ſervare dignetur, pro felici & longævo regimine Eccleſiæ ſuæ Sanctæ. Dat. Brunæ, in Crucis Exaltat. an. 1466.

alias ſequi poſſe exinde multa abſurda:

ideóque nec ſibi licere: ſed potiùs Regi ſuo, contra rebelles & obſtinatos, fideliter aſſiſtere, exemplo veterum Chriſtianorum, qui Ethnicis Principibus parebant.

Petere igitur, ut ſalvâ Religione Catholicâ, permanere poſſint in fide & obſequio Regis.

Matth. c. 22. verſ. 21.

In

In eundem ſenſum dederunt etiam Catholici quidam Proceres Moravi, qui id inſuper de Plſnenſibus appoſuerunt: *illos ipſosmet fabros eſſe præſentis ſuæ fortunæ, & incommodis iſtis omnibus, quæ tolerare cogantur, præbuiſſe, & etiamnum agendo protervè præbere cauſam; intempeſtivo ac impotenti ſuo Zelo, quo religionem ſub Utrâque, contra quàm præſcribatur Compactatorum legibus, diverſis contumelijs, cavillis & ſcommatibus afficiant; imò etiam Regem ipſum ludibrio habere, ejúsque dicta omnia & facta perpetuâ obtrectatione ſuggillare non vereantur. Ceſſarent proinde ab injurijs, ſeſéque gererent, prout alij, & ùt fideles ſubditos decet, habituros pacem.* Ex quo patet, Moravos eo fluctuante rerum ſtatu periculi pleno, ſua providè utcúnque geſſiſſe, circumſpectè & cautè, ne temerè quidquam agendo, Patriam diris involverent cladibus & ærumnis.

Idem petunt Proceres Moravi Catholici; cum addito, de Plſnenſibus:

quòd ipſimet ſint cauſa malorum, quibus premuntur.

Cod. tert. lit. publ. in Quarto fol. 250 & ſequ. in Archivo Capit. Metr. Prag.

Addidêre præfati Cives quandam ſchedulam, de Turcarum novo adversùs Chriſtianos bellico apparatu, quam hic Hiſtoriæ gratiâ legere placeat: *Beatiſſime Pater, dum hæc ageremus, ſupervenerunt literæ Sereniſſ. Regis & Domini noſtri, quibus ſcripta Sereniſſ. D. Rom. Imperatoris incluſa fuerunt: in his Imperatoria Maj. Regem noſtrum in ſubſidium Chriſtianitatis adversùs Turcas, qui denuò commoventur, interpellat. Earum copiam Sanctitati V. præſentibus incluſam transmittimus. Verùm Rex noſter, de ſtatu rerum aliunde factus inſtructior, metuénsque ne ante brumam Turci nos præoccupent, ac ſerò medicina paretur, nobis & cæteris fidelibus præcipit, ut quiſque ad arma ſeſe præparet, & ad bellum accingat, ut cùm primùm Majeſtas ſua rurſus denunciaverit, parati ſimus ad profectionem: ſtatuerat enim in tempore ſuccurrere, ne Rex Hungariæ, cujus potiſſima ſpes, in opibus & ſuffragijs Bohemicæ militiæ verſatur, anguſtijs preſſus, turpe fœdus cum Turcis inire cogatur.* &c.

Cod. maj. fol. 340.

Appoſuêre Cives Moravi, etiam quandam Schedulam de Turcarum novo apparatu.

explicántque, quantum auxilij detraheretur Regi Hungariæ, ſi militiâ Bohemorum, (quam laudant) non adjuvetur.

Imminebat iterum Hungariæ finibus *Mahometes* ex Albania redux, præmiſſóque *Ali Bego* cum valida copiarum parte, *Savum* versùs, ipſemet cum reliqua mole exercitûs *ad Niſſam* conſedit: ubi militare conſilium habuit, num *Samandriam* petere, ac inde *Belgrado* vim adhibere; vel eo relicto, *Ali Begum* ſequi, & *in Boſniam* progredi expediret. Quia verò jam æſtas in autumnum inclinabat, tempúſque breve, ac minimè opportunum, ad oppugnationem urbis probè munitæ, & toties jam fruſtra tentatæ, videbatur; omiſsâ *Samandrianâ viâ*, rectâ *Sabacium* itum. Id ubi in Hungariam allatum eſſet, ſtatim Rex, ùt in talibus periculis ingruentibus fieri ſolebat, ad omnes provincias Regni, nuncios miſit, cum mandatis, ut poſthabitâ cunctatione, maximo quo poſſent numero, *Eſſekum* accelerarent: ad quem locum, & ipſe cum prætoriano ſuo milite, contra hoſtem iturus, propediem venturus eſſet. Miſit etiam ad Cæſarem, ad *Victorinum Moraviæ Præfectum*, tum ad ipſum Bohemiæ Regem, auxilia flagitans, ac orans, ne quid moræ in ijs expediendis committant. Et *Victorinus* adhibitâ celeritate, bis mille pedites, & ſexcentos equites, qui ut plurimum ex ea ſocietate militum, quos Auſtriam, & confinia Hungariæ infeſtâſſe ſuprà docuimus, collecti erant, & quos *VVenceslaus*

Turcæ iterum finibus Hungariæ imminent:

Boſniam invadunt.

Rex Hung. ad arma conclamat;

auxilia à Cæſare, & viciniis petit.

Moravi in ferendo auxilio primi.

Bitovvsky, *Joannes Haugvvicz*, *Joannes Borzita* Equites Moravi; *Joannes* item *de Sulevicz*, *Caſparus Stampach*, *Hanuß de Bukovva*, & *Joannes Bubna* Bohemi ducebant, *Albam Regalem* versùs, properare juſſit.

Pernſt. & *Anon. Prag. ad an. 1466.* ſed interveniente frigidiore autumno, & pluvijs,

Quis porrò eventus fuerit hujus expeditionis, nullibi ſatis intelligenter expreſſum invenio: Hungarici nihil eorum memorant. *Pernſteinius*, & alius quidam *Anonymus* recenſent tantùm nomina ducum, quos jam retulimus; Addit tamen iſte; propter aſſiduas pluvias ſub id tempus obortas, viarúmque difficultates, non potuiſſe noſtros accurrere in tempore: interim verò cæſos fuiſſe Hungaros, in velitatione quadam ab antecurſoribus Turcarum, & nonnullos ex ductoribus occiſos captósque. Et hæc eadémque cauſa fortaſſe fuit, propter quam nec Turcæ leguntur in Annalibus ſuis, quidquam memorabile, eâ expeditione adversùs Hungaros geſſiſſe; ſed maturè receſſiſſe in propria: haud dubiè etiam pluvias, frigora, vias lutoſas & difficiles veriti, ne plus cum aëris & cæli injurijs, quàm cum Hungaris, luctari cogerentur. *Bonfinius* quidem narrat, circa hæc tempora, Hungaros cum Turcis malè pugnâſſe, captúmque eſſe *Michaëlem Zilagi*, Regis avunculum, & *Conſtantinopoli* capitis ſupplicio affectum; ſed id accidiſſe reor, non hâc, ſed aliâ expeditione, cui Rex non intererat. Rem dubiam, & ad nos parum pertinentem, in medio relinquamus.

viarúmque difficultatibus, nihil memorabile utrinq; factum. *Bonf. decad. 4. lib. 1. Ens rer. Hung lib. 4. in Matthia.*

Legatus Pontif. urget Georgij amotionem, apud Status Regni & Provinciarum:

Interea per Moraviam & Bohemiam, non ceſſabant *Rudolphi Epiſcopi Laventini* Legati Pontificij, adversùs *Georgium*, de ſolio Regni deturbandum conatus; qui non ſolùm *Epiſcopos Olomuc.* & *VVratislav. eorúmque Capitula*, ſicuti etiam Barones, & præcipuas civitates per Regnum & Provincias, ad defectionem varijs modis incitabat, id omnibus ad faciliùs perſvadendum inculcans; *hæretico*, *perjuro*, & *ſacrilego non eſſe ſervandam fidem:* verùm etiam apud Sedem Apoſtolicam aſſiduò penè inſtabat, *ut Summus Pontifex, poſthabitâ jam omni cunctatione, cùm nulla ampliùs effulgeat in eo emendationis ſpes, & mora omnis ſit Catholicæ Religioni, ejúsque cultoribus in Regno Boh. & Provincijs eidem annexis, ſummè pernicioſa, in illum tanquam incorrigibilem ſententiam Excommunicationis ferret, eúmque publicè, ùt ſit, in Conſiſtorio hæreticum declararet.* Quod & factum: adeò plus fidei Pontifex legato ſuo ejúsque conſilijs, quàm authoritati tot Regum atque Principum, pro *Georgio* magnis precibus intercedentium, tribuendum tunc in puncto Religionis exiſtimavit.

quod dum non ſuccedit, urget apud Sedem Apoſt. ipſius *Excommunicationem*, per ſententiam publicandam.

Epitom. rer. Boh. l. 5. c. 7.

Tametſi non pauci ſint Scriptores, prudentiæ & experientiæ opinione clariſſimi, qui *Rudolphum* nimiæ hac in parte præcipitantiæ, & ſeveritatis arguere non dubitant. Verba unius ſunt: *Et ſanè (ut iſtud ex ſenſu Catholicorum illius temporis, quorum plurimas hac de re literas legi, dicam) exiſtimârunt plerique, omnia feliciter & cum ſumma quiete, ac ſine ſanguine componi potuiſſe, ſi Rudolphus mitiùs agere voluiſſet, & cum Georgio inclyto & glorioſo Rege ſibi eſſe negotium, non cum aliquo abjecto homine & privato, recordatus fuiſſet: id quod ei, præter alios, aliquot Epiſtolis, quæ in Archivo Glacenſi leguntur, obijcere non dubitavit, vir prudens & perdoctus Michaël Præpoſitus*

Cujus nimia, & intempeſtiva adhuc ſeveritas,

Ca-

Digitized by Google

Canon. Regul. S. Auguſt. Glacij, cùm ei olei miraculoſi, quod de Arneſti I. Archi-Ep. Prag. tumulo profluxerat, ampullam VVratislaviam mitteret; nam addidit: ideò fortaſſe ſepulchrum Arneſti fluxiſſe oleo, ut Legatus Apoſtolicus meminiſſet, non ferro, ſed oleò Regni Bohemiæ cruenta vulnera eſſe ſananda. Similia ad eundem Rudolphum, imò & ad ipſum Pontificem Paulum II. ſcribit ſæpiùs Jodocus VVratislav. Ep. Sunt etiam apud me literæ Protaſij Ep. Olom. hoc anno 1466. die Jovis, poſt Cineres datæ VVratislaviâ, ad Regem Georgium: quibus ſignificat Rudolphum Nuncium ſibi dixiſſe, magnoperè ſe pœnitere, quòd quædam, antequàm Protaſium conſuluiſſet, in Regem ſtatuiſſet: animadvertere ſe errorem ſuum, & de nimia ſeveritate dolere. Hæc Protaſius. Sed jam negotium eò usque proceſſerat, ut remedium adferri non poſſet.

> cùm non deeſſent alia mitiora remedia, *Cod. maj. fol. 382. 392. fol. 453.* ab aliquibus reprobatur: quod demum ipſemet agnovit. *Cod. maj. fol. 312.*

Per id tempus *Georgius*, ut oſtenderet ſe hæreticum non eſſe, nec hæreticorum fautorem, uti dicebatur, ſed oſorem & perſequutorem; neque in Regno, aut Provincijs ſibi ſubjectis, pati velle ullam aliam Religionem, præter Catholicam tam ſub una, quàm ſub utráque ſpecie, juxta Compactorum præſcripta communicantium; denuò contra *Picardos*, qui rurſum invaleſcebant, alióſque omnes Compactatorum violatores, edictum ferre decrevit. Quod tamen primò poſt biennium tulit; exorientibus ſiquidem turbis, domi & foris, citiùs commodè non potuit; quæ licèt neque tum ceſſarent, differendum tamen illud diutiùs nequaquam exiſtimavit. Eo, ſicuti antea, ſacrorum ritus & celebratio â Catholicis diverſa, omnibus & ſingulis Sacerdotibus ſub pœna capitis inhibebatur; mandatum quoque laicis, tam Nobilibus quàm civibus, ne ullibi in urbibus, oppidis, caſtellis, pagis, ejusmodi homines, qui neque Romano ritu, neque ex Compactatorum formula ſacra tractare vellent, tolerarent, ſed in exilium pellerent; obſtinatos verò in carceres conjicerent, & pro arbitrio caſtigarent. Cúmque nonnulli ex ejusmodi farinæ hominibus *ad Rokytzanum* pro patrocinio confugerent, & ab eo, hoſte Picardorum acerrimo, facilè rejicerentur; auſi fuêre ultimò contumelioſè cum eo expoſtulare, eique malè precari, dicentes: *Rokytzane, mundus es, & cum mundo peribis.* Per quod ille irritatus, Regem adversùs eos multo magìs exaſperavit.

> Georgius hæreticos per Boh. & Morav. perſequitur: ijsque exercitium Religionis, ſub pœnis graviſſimis inhibet. *MS. Antn. Prag.* Bileǯowſký.

Hinc igitur acri in Picardos, ubique *per Bohemiam & Moraviam*, inquiſitione inſtitutâ, factum eſt, ut plerique illorum, præſertim primores, per montes & ſylvas diſperſi, ſpeluncas inhabitarent. Et ne ibi quidem loci ſatis tuti, focos in culinæ uſum, non niſi nocte, ne aſcendens fumus proderet, excitare fuerant auſi. Nive altâ, quoties ad comparandum neceſſaria prodibant, ne per veſtigia agnoſcerentur, omnes eadem premebant: ultimùs verò, fronde abiegnâ poſt ſe tractâ, nive illa opplebat, ut non niſi veſtigium ruſticelli, arbuſtum trahentis, videri poſſet. A quibus ſubterraneis latebris, poſtea Jámnicy/ vulgò nuncupabantur. In Moravia quidam *Jacobus Chulavva*, Picardorum anteſignanus, ab exilio redux, quòd non ceſſaret Catholicam Religionem ejúſque capita, publicè dictis & maledictis proſcindere, comprehenſus, & per triennium *VViskoviæ* in carcere detentus, ac tandem cùm reſi-

> Qui cùm apertè non poſſent, occultè in ſylvis & latebris, ſua exercebant. *Regenwolsky ſupra cit. lib. 2. Camerar. de Fratrib. Bohem. in Orat. pag. 113.*

 piſce-

Digitized by Google

piſcere nollet, vivus combuſtus fuit. Nec ullam potuerunt habere Picarditæ, aut alij hæretici, quietam ſtationem in Bohemia & Moravia, quamdiu Georgius vixit. Atque hoc eſt, quod *Bobuslaus Baro Haſſenſteinius à Lobkovicz* J. U. Doctor, Poëta & Orator inſignis, qui Wladislao Regi, Georgij ſucceſſori à ſecretis conſilijs fuerat, ſcribit. *Maximè*, inquit, *illud me angit, quòd perfidia hac*, nempe ſecta Picardorum, *quæ ſub Rege Georgio, & Joanne Rokytzano, quanquàm hæreſeos accuſatis, ne hiſcere quidem audebat; hoc tempore, ſub Rege Catholico, & radices egit, & ramos ſuos adeò latè protendit, ut vix humanis viribus extirpari, atque evelli poſſit.* Revertamur unde digreſſi ſumus.

lib. 4. Epiſtol. ad Joannem de Pibrn. pag. 96.

CAPUT IV.

Papa Georgium hæreſeos damnat, excommunicat, atque iterum Regno privatum declarat. Novæ Bohemorum, ac cæterorum Comprovincialium; tum etiam Electorum & Principum Imp. pro eo legationes, interceſſionésque: ſed in vanum.

Summus Pontifex ægrè fert, nullum eſſe ex Principibus,

DOlebat Pontifex, ultorem præteriti decreti *contra Georgium* lati, non poſſe hactenus ullum reperiri. In *Friderico Imp.* ocio ac quieti, quâdam naturæ ſuæ propenſione peculiari, addictiſſimo, nullam ſpem rei gerendæ eſſe: *Polonorum & Hungarorum Reges*, partim domeſticis diſſidijs irretitos, partim bellis externis, hunc cum Turcis ſæpiùs, illum cum Crucigeris Teutonicis continuò occupatos, hîc & nunc nihil agere poſſe: *Regni Proceres* tergiverſari, & pleróſque abſolutè nolle: alios verò remotiores Principes, longinquam militiam pluribus de cauſis ſubterfugere. Jacere autem præterita edicta, & nova ferre, nec eadem exequi; dum ille potentiâ & fœderibus invaleſcit; rem ludibrij eſſe. Hoc modo fluctuantem ipſius animum, unius *Cardinalis Portuenſis Joannis* incitatio erexit: qui magni conſilij vir, &, ùt de eo refert *Cardinalis Papienſis*, hæreſum ſemper oppugnator acerrimus, *non metienda omnia humanis judicijs*, dixit, *relinquenda magnis in rebus Deo eſſe aliqua. Si non adfuerit Imperator, aut Polonus, aut Hungarus; ſpondere ſe; adfuturum de excelſo ſancto ſuo Deum, & caput impium contriturum: ipſe juſta ſui muneris impleret, reliqua Deum ſuo tempore perfecturum.* Cujus ſermone, quòd magna hominis eſſet auctoritas, Pontifex erectus, & â *Laventino* inſuper continuis penè querelis in Georgium incitatus, convocato ad conſilium frequentiore Cardinalium ſenatu, die 23. Decembr. an. 1466. *Georgium* publicè in Conſiſtorio, hæreſeos manifeſtum declaravit, ſententiámque hujusmodi contra illum (præmiſſis præmittendis) tulit: *Ejusdem Salvatoris noſtri præſidio,*

qui decreta Apoſtolica tueretur & exequeretur, contra Georgium.

Papienſ. in Comment. l. 6. Spondan. in An. Eccl. an. 1466.

Erecto tandem animo,

& ab alijs quoque ad fortitèr agendum incitatus,

Cod. maj. fol. 175. & 318.

Digitized by Google

ſidio, & glorioſo ejus nomine invocato, de ipſorum Fratrum, Magiſtrorum, & Juriſperitorum nobis in hoc aſſiſtentium conſilio, unanimique conſenſu, per hanc noſtram diffinitivam ſententiam, quam in ſcriptis ferimus: & de certa ſcientia, promulgamus eundem Georgium, ſive Gerſicum, hæreticum pertinacem, hæreticorum fautorem, & hæreſum damnatarum defenſorem, perjurum atque ſacrilegum fuiſſe & eſſe. Nec non omnes & ſingulas ſententias, cenſuras & pœnas, â jure in tales relapſos in hæreſim, perjuros, & defenſores hujusmodi, generaliter promulgamus, damnabiliter incurriſſe. Ipſumque propterea Regiâ, Marchionatûs, Ducali, & ſiquâ præfulgeat aliâ dignitate, dominio, bonis & juribus univerſis privatum, & ab illorum occupatione & detentione amovendum: poſteros verò ſuos ad hujusmodi Regni, Marchionatûs, Ducatûs & cujuslibet alterius dignitatis, vel dominij ſucceſſionem, electionem, vel alio quovis modo delatam, vel deferendam, inhabiles fore, Auctoritate Apoſtolicâ, tenore præſentium pronunciamus, decernimus & declaramus. Ipſumque & ejus poſteritatem, præfatis, & alijs bonis, omnibus & ſingulis dominijs temporalibus ſententionaliter privamus. Abſolventes eâdem Auctoritate omnes Principes, Barones, Civitates, Vaſallos, ſubditos, atque alios confœderatos ligâ, vel alio quocúnque vinculo ſibi adhærentes, aut colligatos, in dicto Regno & alibi exiſtentes, ab omni ſubjectionis, homagij & fidelitatis juramento, vinculo & obligatione quâcunque, quâ nunc adſtricti ſunt. Nulli ergò hominum liceat hanc paginam noſtræ &c. Dat. Romæ apud S. Petrum, an. 1466. X. Cal. Januar. Pontificatûs noſtri an. 3.

Georgium latâ ſententiâ in Conſiſtorio publico, hæreticum declarat, ac denuò Regiâ, aliâque omni dignitate, bonis, & ditionibus omnibus, ipſum, & liberos ejus privat: ſubditos populos à juramento fidelitatis abſolvit.

Neque ſatis fuit ſententiam hanc publico in Conſiſtorio tuliſſe, ſed ad majus ipſius robur, etiam in ipſa *Solemnitate Nativit. Dominicæ*, poſt Miſſæ Sacrificium, Pontifex coram maxima populorum multitudine, marmoreum ſuggeſtum aſcendens, quod ante ſummum altare, in *Baſilica S. Petri* erat, ex diplomate eandem recitavit, regnóque malè olim, deteriùs inde parto *Georgium* privavit, noménque ejus *Albo fidelium* expunxit. Facta etiam mox literarum Apoſtolicarum complura transumpta, & *in Bohemiam, Moraviam*, vicináſque Provincias, ad publicandum, per celeres curſores miſſa. Additæ inſuper ſpeciales â Summo Pontifice ad Epiſcopos, Capitula, Principes, Barones, Civitates & Communitates Bullæ: quibus omnes & ſinguli jubebantur, Epiſcopi & Capitula, ut in Eccleſijs ſuarum Diœceſium, dictam ſententiam publicarent, publicaríve curarent; cæteri, ut exequutioni mandarent, Georgio ampliùs non communicarent, nec ulla auxilia, vel conſilia eidem ſuppeditarent, ſed ſeſe totaliter ab eo ſepararent. Juvat unam ad *Protaſium Ep. Olom.* atque alteram ad *cives Brunenſes* datam hìc commemorare.

Eandem ſententiam, in Feſto Natalis Dom. poſt Miſſarum ſolemnia, in Baſilica D. Petri, ipſemet ex cathedra publicat: & per Bohemiam atque Moraviam, alibíque in Eccleſijs publicari, & exequi mandat.

Paulus Epiſcopus Servus ſervorum Dei. Venerabili Fratri Protaſio Epiſcopo Olom. Salutem & Apoſt. Bened. Hodie noſtræ emanârunt literæ, ſuper quadam per nos lata & promulgata ſententia, Fidei negotium concernente, ſub hujusmodi tenore. &c. Volentes itáque literas prædictas, ac omnia & ſingula in eis contenta, pro evitandis animarum periculis, ad cunctorum Fidelium, præſertim in dicto Regno, ac illi adjacentibus partibus commorantium, deda-

Bulla Pontif. ad Protaſium Ep. Olomuc. *Codex.min. fol. 118. MS. Pernſt. ad an. 1467.*

quâ eidem ſeriò demandat,

deduci notitiam: ne Fideles ipſi præmiſſorum forſitan ignari, eidem Georgio, ſuis culpis & demeritis exigentibus, tanquàm membro putrido & peſtifero, ab ipſorum cætu & unitate Fidelium juſtè præciſo, & ùt præmittitur, penitùs ſeparato communicent; & ipſius, quod abſit, contagione infecti, ſententijs, cenſuris, & pœnis ſimilibus per ignorantiam innodentur; Fraternitati tuæ, per Apoſtolica ſcripta committimus, & in virtute S. obedientiæ præcipiendo mandamus. Quatenùs per te, vel alium, ſeu alios, ſententiam & literas antedictas ſolemniter publicari, & ad Fidelium notitiam deducentes, ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis, aut ubi, quando, & quoties expedire videbis, in Eccleſijs tuarum Civitatum & Diœceſis, maximè inſignioribus, atque alijs locis opportunis, dum major inibi populi multitudo ad Divina concurrit, campanis pulſatis, candelis accenſis, ac demum extinctis, & in terram projectis, eundem Georgium hæreticum pertinacem, hæreticorum fautorem & defenſorem, perjurum atque ſacrilegum, Regiâ, Marchionali, Ducali & quâvis aliâ dignitate, dominijs, juribus atque bonis temporalibus univerſis, privatum atque amotum eſſe, Eccleſiaſticas cenſuras incurriſſe; filios verò & poſteros ipſius ad Regni, Marchionatûs, Ducatûs, Dominij ſucceſſionem prorſus inhabiles declaratos eſſe. Omnes præterea Barones, Civitates & ſubditos, ab omni ſubjectione & juramento abſolutos. &c. *Ne ùlteriùs eidem Georgio aſſiſtere, favere, obſequi aut famulari præſumant, neque ipſum Regem ampliùs nominent*, &c. *Contradictores per cenſuras Eccleſiaſticas compeſcendo*, &c. *Dat. Romæ X. Cal. Jan. Pontificatûs noſtri, anno III.*

In virtute S. Obedientiæ, ut ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, in Eccleſijs ſuæ Diœceſis, coram populo, candelis extinctis, & in terram projectis, Georgium, hæreticum declaratum, & ex communic. publicet.

Alia Bulla ad Brunenses: *Codex maj. fol. 331. Codex min. fol. 271.*

Jam ad Brunenſes datam: *Paulus Epiſcopus Servus Servorum Dei. Dilectis filijs, Communitati oppidi de Bruna, Olomuc. Diœceſis, ſalutem & Apoſt. Bened. Georgio, aliàs Jerziko de Podiebrad, Bohemiæ Regni occupatorè, cujus converſionem ad Fidem Catholicam, paterno more, licèt quâdam intolerabili patientiâ, ut nôſtis, tanto jam tempore expectavimus perbenignè, magis ac magis in ſua damnata hæreſi, in qua natus, nutritus & educatus eſt, pertinaciter perſeverante, & nullum emendationis ſignum oſtendente, coacti nuper fuimus, cœptum ſuperioribus annis proceſſum continuare, contra eum; cujus ſalutem maluiſſemus. Et tandem ipſo proceſſu ad plenum instructo, ſæpiùsque cum matura deliberatione diſcuſſo, videlicet die 23. menſis Decembr. proximè elapſi, de Venerabilium Fratrum noſtrorum Sacroſanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinalium, nec non Archi-Epp. Epp. & aliorum tam Divini, quàm humani Juris Magiſtrorum, nobis in his aſſiſtentium conſilio, unanimique aſſenſu, pronunciavimus, & declaravimus, in publico Conſiſtorio noſtro, ipſum Georgium hæreticum pertinacem, hæreticorum fautorem, ac damnatarum jam hæreſum defenſorem, perjurum & ſacrilegum; privatum etiam Regiâ, & quâvis aliâ dignitate, ſi quâ præfulgeret; Dominijs denique & bonis ac juribus omnibus, ab ipsiſque amovendum: ſingulas quoque pœnas & cenſuras contra lapſos in hæreſim, perjuros, ac fautores & defenſores eorum latas incurriſſe, poſteróſque ſuos ad ſucceſſionem inhabiles. Privavimus etiam ipſum, & ejus poſteritatem omnibus bonis & dominijs, abſolvendo omnes Barones, Civitates, Vaſallos & ſubdi-*

quâ eis notificat, Georgium, propter hæreſim & contumaciam; cùm nulla præ ſe ferret pænitentiæ, ac emendationis ſigna, declaratum eſſe in Conſiſtorio publico hæreticum, perjurum & ſacrilegum: & idcirco dignitate Regiâ privatum, cenſuris Eccleſiaſticis innodatum. Subditos in Regno & Provincijs abſolutos ab homagij vinculo.

Digitized by Google

ſubditos in dicto Regno, vel alibi exiſtentes, ab omni ſubjectione homagij & fidelitatis juramento, ac vinculo & obligatione quacúnque, quâ tunc eſſent adſtricti: diſſolvendo etiam ligas, pacta & fœdera, per quoscúnque cum eo forſitan habita vel inita; prout in literis Apoſtolicis deſuper confectis, quas exinde, ipsâ die Nativitatis Domini noſtri JESU Chriſti, in Baſilica Principis Apoſtolorum in urbe, poſt Miſſarum Solemnia, coram maxima multitudine populorum, fecimus in noſtra præſentia publicari, pleniùs continetur. Unde devotionem Veſtram hortamur in Domino, vobis nihilominùs in virtute S. Obedientiæ diſtrictiùs injungendo mandantes, ut ſicut hactenùs, ità etiam deinceps, tanquam boni Catholici, obedientesque filij, conſtanter perſeverare, ſententiam & literas noſtras prædictas reverenter ſuſcipere, eorum exequutioni favere, nec non auxilium & conſilium præſtare, ac hæreticis quibuscúnque animosè reſiſtere ſtudeatis. Damnato illi hæretico ampliùs non communicetis, eum non audiatis, nec commercij aliquid cum eo habeatis, aut ipſum Regem vel Dominum nominetis, aut cujuscúnque alterius dignitatis titulo honoretis; nec quantum in vobis eſt, ab alijs fieri permittatis, ſeu conſentiatis; ſed tanquam excluſum à fidelium conſortio putridum membrum vitetis, & ab ejus impietatis jugo colla ſubtrahatis, ipſiúsque tyrannidi, quibus poteſtis viribus, cum alijs Catholicis intrepidè reſiſtatis; Omnipotenti DEO exhibituri gratiſſimum, ex quo conſequemini præmium felicitatis æternæ. Juvabimus præterea vos, quibus poterimus favoribus, & inter noſtræ Benedictionis filios habebimus. Datum Romæ apud S. Petrum, anno Incarnat. Dom. 1467. III. Non. Januarij, Pontificatûs noſtri anno, III.

Hortando fidelos, & in virtute S. Obedientiæ præcipiendo,

ut illum ampliùs pro Rege non agnoſcant,

ſed tanquam putridum membrum vitent; eique intrepide reſiſtant.

Præviderat hæc dudum, *Jodocus Ep. VVratislav.* ideóque malis imminentibus, per quæ non niſi vaſtitas Provinciarum, & pernicies Reipub. expectanda foret, in tempore adhuc obviare cupiens, Regem non deſiſtebat ſalutaribus interpellare monitis; & hortari, ut ad tranquilliora conſiliá animum adverteret, & Compactatis, ac Communioni ſub utráque, *cùm ità Summus Pontifex velit & mandet*, renunciaret; eóque modo ſeſe, hoc in ſacro Ritu, cæteris Chriſtiani nominis Principibus ac Regibus conformaret. Ut porrò tanto citiùs, & cum effectu id Regi perſvaderet, datâ operâ, & eum in finem unicè, in Bohemiam, initio anni 1466. atque iterum menſe Martio, & tertiò in Septembri excurrit; agendo hac in cauſa, primò cum *Joanne* fratre *Krumlovia*; deinde cum cæteris cognatis ſuis *Novædomi* & *Trebonæ*; ac tandem cum pluribus alijs *Strakonicij*, & *in Viridi monte*; quatenus & illi authores eſſe vellent Regi, ſaniora conſilia amplectendi: quod & factum. Miſſi itáque ad Regem, *VVilbelmus de Rizmberg*, *Adalbertus Kokorzovvecz*, qui communi nomine eum admonerent, ut ſi ſibi ſuæque dignitati, ſi paci tranquillitatíque publicæ, ſi ſubditorum ſuorum fortunis, ſi deníque ſaluti Patriæ optimè conſultum cuperet; juramento ſub coronatione ſua dato ſatisfaceret, ſacrorum obſervantiam Romanæ Sedi conformem amplecteretur, & hâc viâ in gratiam cum Summo Pontifice rediret. Sed difficile eſt errata Principum corrigi;

Jodocus de Roſemberg Ep. VVratislav.

hortatur Regem, ut Compactatis renunciet, cùm ità Sedes Apoſtolica velit, & jubeat.

Idem Proceres Bohemi, ſpecialiter eadem de cauſa congregati, *Dubrav. l. 30. MS. Chron. Anon. Prag. VVrzeſchec. ad an. 1466.* miſſis ad eum Oratoribus ſvadent.

quòd ſumma poteſtas, vel monitoris indiga, gratum non inveniat, vel impatiens non admittat.

Regis reſponſum, quo declarat ſe à Compactatis nequaquàm receſſurum: falliq; omnes, qui Compactata hæreſim continere putant, unanimi conſenſu Patrum Conc Baſ. conceſſa Bohemis; ut hoc modo reduci ad pacem, unitatémque Eccleſiæ poſſent. Quæ ſi revocentur, cauſam fore novarum turbationum. *MS. Anon. Prag. cit. Cod. tert. in Quarto ſ. 200.*

Ad ea Rex, paucis in deliberando horis interjectis, duriùs nonnihil reſpondit: ſe in alijs rebus omnibus Pontificem, Patris loco habuiſſe ſemper, & deinceps habiturum, agnoſceréque illum eſſe ſupremum Eccleſiæ caput; ſed *à Compactatis*, quæ ſciret *à Sacro baſil. Concilio* data, & â Pontificibus Romanis approbata, declaratóſque Eccleſiæ filios, qui ijs uterentur, nullis petitionibus, nullis minis, nullâ periculi denunciatione deceſſurum. Oſtendit deinde, nihil ſe contra juramentum hactenùs egiſſe, aut agere, *Compactata* obſervando, quæ hæreſim minimè contineant: juraſſe ſe, quòd Eccleſiam, ejúſque ſacros Ritus defendere, & hæreſes omnes eliminare vellet, id ſe præſtitiſſe, præſtaréque etiàm hodie. Sed ſi aliqui id ità interpretari velint, quaſi ipſe Rex abrogato calycis in ſacra Synaxi uſu, ſub una tantùm ſpecie Communionem inducere juraſſet, illos plurimùm falli: cùm ſibi iſtud ne in mentem quidem unquàm veniſſet; utpote qui probè ſciat, Regno antea per quindecim & ampliùs annos dirâ belli clade vaſtato, pacem non alio modo reſtitui potuiſſe, niſi hoc unico remedio *â Patribus S. Concilij Baſil.* piè & ſalutariter invento; nempe per Compactata. Quæ ſi aboleantur, propè forè, ut bellum civile, magìs quàm unquam exaſperatis partium animis, recrudeſcat; quod majore cum ferocia, humana divinis confundat, omnia ſurſum atque deorſum miſceat, ac tandem nobiliſſimo Regno ſupremam cladem & excidium adferat. Satiùs proinde eſſe, ſi ipſimet etiam Barones, prout antea jam feciſſent, denuò ſeſe interponant, & ad *Sanctiſſimum* ſupplicent; ut legatum ſuum, cum citationibus & proceſſibus, mitiùs agere jubeat, & Regem ad omnia paratum obſequia, audire priùs, quàm judicare velit.

Cui reſponſo Proceres, in Viridi Monte tunc congregati, acquieſcunt plerique; paucis exceptis, & ſolo ferè Zdenkone, à Sternberg, qui idcirco metuens Regem, in Auſtriam conceſſit. *MS. Codicilli de geſtis Georgij geſtis. Codex lit. publ. min. fol. 192. Anon. cit. MS. VVrziſoſec.*

Dimiſſi hoc cum reſponſo legati, cùm ad ſuos jam tunc in *Viridi Monte* apud *Bobuslaum de Sſvvamberg* congregatos, dicta Regis ordine retuliſſent, acquieverunt ijs omnes; ſolo & unico *Zdenkone à Sternberg* excepto, de cujus fidei conſtantia, Rex dubitare ſe dicebat antea ſæpe; qui ob privatas quaſdam ſimultates, cum Rege paulo ante (incertum unde) ſuſceptas, acquieſcere noluit, tametſi boni publici causâ, & Catholicæ religionis aſſerendæ, id ſe facere videri voluiſſet. Hoc tamen nō attento, cæteri omnes, præeunte *Jodoco*, fratréq; ejus *Joanne*, manſêre in obſequio Regis tum adhuc conſtantes. *Zdenko* non ampliùs in Patria ſecurus, *VVitorazum*, quod nuper ab Imperatore, ùt jam diximus, ob navatam adversùs *Viennenſes* fidelem operam, dono acceperat, ſeſe recepit, cum filijs duobus *Jaroslao* & *Zdislao*; tertio *Joanne* adhuc in obſequio Regis (quod miror) perſiſtente: fortaſſe ſic volente, datâ operâ, patre; ut ſi ipſe ſuis exueretur dominijs, & res Georgij ſuperior evaderet, eſſet, cui tanquàm legitimo hæredi, & culpæ paternæ innoxio, traderentur.

Comitia Pragæ habita, ad finem anni 1466. in quibus conſtituitur nova legatio ad Pontificem.

Haud multo poſt *Georgius* Comitia Pragam indixit, ad quæ etiam Ordines ex Provincijs Coronæ unitis convocavit. Comparuerunt frequentes, ac præter alios *Protaſius Olom. & Jodocus VVratislav. Epiſcopi*; ubi poſt multa pro ſalute Regni, & tranquillitate publica, acta fuêre: ac ultimò unanimi

omnium

omnium conſenſu deſtinata legatio, ad Summum Pontificem, Regis causâ; nominatíque *Joannes Tluxa de VVrabbi*, *Joannes Malovecz de Cheynovv* ex Bohemis, & *Joannes Tettaur* ex Moravis; viri cùm Nobilitate generis, tum morum elegantiâ, literarúmque cognitione præſtantes, inſtructi ex Comitiorum decreto, hiſce legibus.

MS. Chron. Scriptor. coævi ad an. 1466.
MS. VVrzeſowec.
Nomina legatorum.
Cod. lit. publ. major fol. 390. & ſequ.

Ante omnia ſolicitè inſiſtendum, ac inſtanter apud ipſam Piſcatoris Apoſtolici Cathedram precibus obſecrandum: quatenùs Sanctiſſimus Dominus noſter, paterna gerens viſcera erga populum Bohemorum, & ipſum inclytum Regnum, in capite & in membris bilari intuitu contemplando, ad laudem & gloriam Divini Nominis, nec non honorem & exaltationem Catholicæ Fidei, ſalutémque Fidelium, benignâ pietate proſequatur; nec patiatur tam nobile Regnum, ejúsque concorpores Provincias, ignobili & funeſtæ deſtructioni exponi; ſed paternâ ſolicitudine commotus, (ſi Sanctitati ſuæ placeat) Sacrum generale Concilium, aut Sanctam Synodum convocare dignetur, ubi & Illuſtri Regi Bohemorum ſecurus, nec difficilis pateat aditus. Idem enim Sereniſſ. Rex promittit ſe compariturum, ad objecta reſponſurum, & Fidei ſuæ rationem redditurum; & ſi quâ reprebenſione dignus invenietur, voluntarium ſe exhibet reprehendi, corrigi, reformari, & reduci per idem Sacrum Concilium; atque in omnibus & per omnia, Rex Catbolicus & fidelis, atque Apoſtolicæ Sedi obediens baberi, reputari, dici & inveniri. Quòd ſi Sanctitas Summi Pontificis, Sacrum Concilium, vel S. Synodum pro ea re convocare dedignetur, prout ex arbitrio ipſius Sanctitatis id dependet; petantur Legati, viri eximij & non ſuſpecti, & bi de Latere; vel ſaltèm alij cum ſpeciali mandato, & plena authoritate Apoſtolicæ Sedis, qui mittantur ad Provincias Regno vicinas, nec boſtiles, pro decidendo ac terminando tam ſalubri negotio. Quod ſi negetur Concilium, nec mittantur Legati, petantur Auditores, & bi non ſuſpecti: qui ad plenum audito & explorato, atque cognito negotio, quantùm perſonam Regiæ Serenitatis tangit, cauſam ad ipſam Apoſtolicam Sedem ſufficienter inſtructam remittant, ejus mandata & ſententiam deſuper bumiliter audituri & ſuſcepturi. Quantum verò res iſta tangit ſubditos Regiæ Maj. promittit, eadem Regia Serenitas, juxta ſalubre conſilium Concilij, vel Legatorum, vel denique Auditorum, eosdem ſubditos ad Ritum, Communionem, & unionem perfectam SS. univerſalis Eccleſiæ, pro viribus inclinare, flectere & reducere cum effectu.

Inſtructio data legatis circa ea, quæ proponi debeant Pontifici: primò, ut Concilium generale inſtituat, in quo audiri poſſit Rex; & deprebenſus in errore, corrigi. ſi difficultas ſit cum Concilio, mittat Legatos, cum plenis mandatis, vel Auditores, viros probos, qui eum audiant; & deinde Papæ referant.

Præterea valde utile & neceſſarium videtur, inſtantiſſimè ſupplicari, ut Sanctiſſimus Dominus noſter, omnes & quoslibet proceſſus hactenùs contra Regiam Serenit. inſtitutos, gratioſè velit ſuſpendere, ac omnes cenſuras & ſententias, ſi quæ, & in quantum ab Apoſtolica Sede, aut Legatis ejusdem defacto proceſſerint (receptâ ab Oratoribus Regiæ Maj. de parendo mandatis Eccleſiæ, idoneâ cautione,) relaxare dignetur cum effectu. Et ſi objiciatur aliquod de ipſius Serenitatis profeſſione, quam palam protulit coram Fantino: reſpondeatur, quòd de ipſa, quomodo Serenitas Regia eam intellexerit, vult & promittit ſub bona conſcientia, & de puro corde, reddere ratio-

Secundò, ut proceſſus contra Regem inſtituti tantiſper revocentur.
Regem paratum eſſe ad omnia, etiam quæ coram Fantino protulerat, reſpondere.

 nem.

Digitized by Google

Tertiò, cauſam Plſnenſium non eſſe, quàm illi prætendunt; ſed longè aliam:

nem. De rebellione ſubditorum Plſnenſium, ſi apud Sedem Apoſtolicam contingat moveri quæſtionem, deponere poſſunt juratò Oratores, quòd ipſi oppidani ſeditione quâdam inter ſe habitâ, ac perjurio temporalis fidelitatis rebellioneque plurium detectâ, poſtquàm ad notitiam Regiæ Seren. hæc res pervenit, ipſi oppidani formidine vindictæ ac metu, ultimò in deſperationem acti, obedientiam omnem Regiæ Seren. debitam exuerunt: fictis inſuper fabellis, ad Apoſtolicam Sedem, nec non ad cæteros Principes vicinos, hanc hiſtoriam detulerunt, quòd à Serenitate Regia, odio Fidei Orthodoxæ oppugnentur, inquientúrque propter adhæſionem & obedientiam S. Sedis: hoc tamen ità ſe non habere luce clariùs oſtendi poteſt. Quare S. Apoſtolica Sedes à patrociniis ipſorum, & quibusvis protectionibus conquieſcere dignetur. Et ſi facto opus inveniatur, ſuper iſto ultimo articulo petantur Auditores, vicinarum Provinciarum Epiſcopi, de quibus Regia Serenitas ſynceram gerit fiduciam, ut hi in veritate negotii exquiſita, pro juſtificatione Regiæ Serenit. Sanctam Sedem valeant pleniùs informare.

quam ſi diſcurere Sua Sanctitas mandaverit, per vicinos Epiſcopos, reperiet multo diverſam. *Codex lit publ. cit. fol. 98. M. Codicill. de geſtis Georgij.*

Legatio Bohemorum in cauſa Georgii fruſtra ſuſcepta,

Et benè quidem ac ſapienter, ad procurandum religionis & Regionis pacem publicam, hæc fuêre inſtituta; ſed quia nimiùm tardè, in vanum ceſſêre omnia. Jam alea jacta fuit, jam Bullæ Excommunicationis, contra Georgium latæ, *Rubiconem, Germaniam & Bohemiam versùs* tranſierant, jam etiam tranſgreſſis Alpibus, *per Tyrolim & Bavariam*, hinc inde volitabant, propediêm venturæ quoque *in Auſtriam & Bohemiam*; ità ut legati, viſis ex itinere iſtis, diu in ancipiti hæſerint, num proſequi legationem deberent, vel reverti? poſt multam demum deliberationem continuârunt iter, Romámque venientes in Vigilia S. Matthiæ Apoſt. & poſt triduum ad Papam introducti, atque ab eo auditi, adventûs ſui cauſas, & quæ habebant in mandatis, prolixè expoſuerunt, perorante *Tluxâ* Latini idiomatis apprimè gnaro: ſed, ùt dixi, in vanum.

rebus non ampliùs integris: hinc infecto negotio Româ revertuntur. *MS. Anon. Prag. ad an. 1467.*

Comitia Imp. Norimbergæ:

Brevì poſtea appulerunt in eadem cauſa Romam, legati Electorum & aliorum Principum Imperii, *in Comitiis Normbergenſibus* nuper in Novembri menſe, circa feſtum S. Martini celebratis, publico omnium conſenſu deputati: qui ſimiliter, licèt nihil ad ſingularem diligentiam reliquî facerent, & non ſolùm purpuratos Patres accedendo prehenſandóque, ſed & ipſum Papam iterum atque tertiò alloquendo, & quædam haud importuna, quæ ad conciliandum ipſius animum pertinere videbantur, in medium adferendo, induſtriam ſolertiámque ſuam omnem impendiſſent, fruſtra tamen omnia fuêre. Erant Comitia illa indicta novæ expeditionis adversùs Turcas inſtituendæ cauſâ, ad quæ ex toto Imperio convenerunt Principes, Comites, & alii magnâ frequentiâ. Rex quoque Bohemiæ miſit legatos ſuos, *Albertum Koſtkam, & Beneſſium de VVeitmille*, ac per eos, ſe in hanc expeditionem copias quoque Bohemicas, & militem contra Turcas probè exercitatum, educturum promiſit; ſi modò priùs Pontificis irâ delinitâ, ac inteſtinis motibus ſedatis, publicæ domî quieti proſpicere poſſet; actæque ſunt idcirco ei gratiæ, omnium Principum nomine, ac deſtinati legati, qui Romam pergerent, & Re-

in quibus actum de expeditione contra Turcas. Adfuêre etiam legati Bohemiæ Regis, promittentes daturum Regem ſuum nomen, huic ſacræ militiæ, ſi modò domi quietem haberet reſtitutam.

Regem Pontifici reconciliarent. Sed importuna *Fantini* legati Pontificij ibidem præſentis interpellatio, omnia hæc turbavit: qui tum anſam expoſtulandi, ac concitandorum Imperij Principum contra Georgium, occaſionem ſe nactum arbitratus, quòd authoritate Sanctæ Sedis cæteros anteſtaret, multa in contumeliam Regis audaciſſimè protulit; illum & legatos præſentes hæreticos appellando, diriſque omnibus devovendo, ac denique id Principibus perſvadere nitendo; ut ommiſſo bello Turcico, cui ferendo hìc & nunc ſufficiens eſſet Rex Hungariæ, in *Georgium* potiùs arma, vímque omnem converterent, eúmque tanquam indignum, hæreticum, perjurum & ſacrilegum de ſolio Regni deturbarent. Ægrè id tulerunt Principes, qui nihil tale â Legato expectâſſent, ut is Turcâ relicto, bellum potiùs uni Chriſtiano Regi inferendum cenſeret, & tantoperè ſvaderet: præſertim cùm haud obſcuris indicijs animadvertiſſent, Cæſareos quoque Legatos, *Ulricum de Graveneck* & alios, idem ſentire cum *Fantino*. Multi idcirco ſermones ultro citróque habiti fuêre, pleni irarum & indignationis in Cæſarem, quòd is Comitia ſub prætextu belli Turcici indixiſſet, omnêsque Imperij Status eam ob rem, quaſi unicè pro Reipubl. Chriſtianæ defenſione, adversùs Turcas, conſultatio inſtituenda foret, convocâſſet; interim verò occultè aliud bellum moliretur, quo Bohemiam perturbaret, & ex cujus perturbatione facilè & vicinæ Imperij Provinciæ in graviſſimum diſcrimen trahi præcipitaríque poſſent. Recenti adhuc eſſe in memoria *ſuperioris tempeſtatis bella, contra Bohemos ſummo ſemper cum Germaniæ detrimento ſuſcepta, infelicitérque geſta*; quorum veſtigia, tótque urbium oppidorum, arcium ac cænobiorum vaſtitates; tot inſuper populorum, tot nobiliſſimorum ac religioſiſſimorum virorum cædes, hodiéque admonent, cum Bohemis omnia alia priùs, quàm bellum experiri, illósque potiùs habere bonos vicinos & amicos, quàm hoſtes. Sícque demum Conventus ille, rebus infectis, diſſolutus eſt. Legati nihilominùs, prout conſtitutum fuerat, Romam miſſi, qui Electorum & omnium Imperij Principum nomine, *pro Georgio* ſupplicarent. Extat illorum Oratio ſatis prolixè ad *Paulum II.* dicta: quæ cùm ad pleniorem notitiam eorum, quæ diximus, & quæ dicturi ſumus, non parum faciat, potiora quædam ex ea hìc delibabimus.

Sanctiſſime ac Beatiſſime in Chriſto Pater, & Domine Domine clementiſſime. Humiles & devoti S. V. filij, Sacri Rom. Imp. Electores, cæterique Principes, in jam lecta pagina deſignati, eidem S. V. humiliter & devotè ſeſe recommendant, offerentes ſeſe ad pedum oſcula beatorum. Beatiſſime Pater. Cùm jam pridem Sereniſſ. Princeps & Dominus noſter, Dominus Fridericus Rom. Imp. Auguſtus, ſolennem conventionem in civitate ſua Nüremberg pro ſubſidio afflictæ Chriſtianitatis, Turcis contermina indixiſſet, &c. Ipſe quoque Sereniſſ. Bohemiæ Rex, primum ac præcipuum ipſius Imperij membrum ſeculare, cujus militares opes, ob inſignes pugnas â Bohemis militibus contra Turcas egregiè geſtas, & bellicæ gloriæ famam, per omnes Orientis Europæ angulos longè latéque diffuſam, toti Hungariæ conſolationi, Turcíſque formidini eſſe poſſunt,

Aderat etiam Fantinus legatus Apoſt.

qui inversâ belli causâ,

Principibus arma contrâ Georgium ſumenda ſvadebat.

Idem, ſed occultè, ſentiebant legati Cæſaris, qui jam etiam minùs favebat Georgio.

Ægrè id tulêre alij Principes,

qui Bohemos nequaquàm bello laceſſendos, ex eventu præteritorum; ſed potiùs amicos, & bonos vicinos conſervandos exiſtimabant.

Comitijs ſolutis, mittuntur tamen legati, nomine Principum, ad Pontificem in cauſa Georgij:

Codex maj. f. 198. & ſequ. 399.

qui ſermone exquiſito ad Sum. Pont. habito, oſtendunt, quàm expediat, ut Rex quoque Boh. ſit hujus Expeditionis Sacræ ſocius, propter militares opes, & ſuorum potentiam.

 Ora-

Digitized by Google

Oratores ſuos deſtinavit: quorum adventus cunctis pro Expeditione ſupra dicta piè zelantibus, lætificus admodùm fuit. Præcipuè autem ſingulari lætitiâ omnes exultavêre, quòd eorum votis, ipſius etiam armipotentis Bohemiæ Regis acceſſurum ſit militare robur, ejuſdem tutiſſimum firmamentum. Ejus enim militibus locorum atque itinerum aptitudo vel aſperitas, pabulandorúmque jumentorum facultas vel penuria, quod in traducendis exercitibus præcipuè ſpectandum eſt, notiſſima exiſtit: ſed & ipſum genus Perſicæ pugnæ ſæpiſſimè comprobatum & expertum. Solent enim Turcæ, more Perſico, pugnâ fugaci ſequentium pectora ferire ſpiculis, & equorum pernicitate; ſimul & armorum levitate terga hoſtium invadere. hanc artem Bohemi tum curruum munitionibus & gyris, tum aggeribus ſummâ celeritate congeſtis, mirâ & incredibili arte deludunt; quod enarrare prolixum foret nimis, attigiſſe autem oportuit, ut exinde vera conjectura ducatur, quantum interſit Chriſtianæ Reipubl. maximè autem Imperio Rom. ſi Regnum iſtud armis ſæpe tentatum, ſemper autem invictum, ſub Eccleſiæ Rom. conformitate reducatur.

& in modo bellando cum Turcis, locorúmque peritiam.

teſtimonio Principum Imperii: *Bohemia armis ſæpe tentata, ſemper autem invicta.*

Oſtendunt præterea, quàm ineptè fiat, quòd hoc rerum Statu incitetur Imperium, magis in Bohemiæ Regem, quàm in Turcas.

Sed dum manus ad aratrum mittitur, & jam de imponenda per omnes Ordines deſcriptione cogitatur, Fantinus quidam accerſitus comparuit, qui de expeditione in Turcas parum ſolicitus, ſed in Oratores Bohemiæ Regis, â quo totius rei ſumma pendebat, acer plus fuit, quàm rerum ac temporum conditio poſtulabat: & quod multis pro ridiculo habebatur, dicebat ſe miſſum, ut Apoſtolicæ Sedis auctoritate, Regem judicaret, & damnaret inauditum. Principes autem immoti ſteterunt, nihil horum attendentes, ſed rem ceptam conſtanter proſequentes: atque ibi viſa eſt Bohemiæ Oratorum perſeverantia palam profitentium, Regem ſuum Inclytum non eſſe velut arundinem, ut omni vento convitiorum exagitetur, moveatur & avertatur â ſententiâ, quam maturâ deliberatione amplexus eſſet, ſed eſſe in omni tali propoſito ſolidum & conſtantem. Tum Principes fortiùs inſtare, ac obteſtari regios Oratores, id ſæpe dicentes, & tantùm non clamantes: niſi Rex ipſe in expeditionem mittat, rem omnem in tantam formidinem & confuſionem deventuram, ut nemo Principum ire velit, ne ſe vel Principatum ſuum, aliò mittendo, armis denudet. Illi verò reſponderunt: Inclytus Rex noſter, pro ſubventione afflictæ Chriſtianitati, quondam dum Gubernator Regni, nudúsque miniſter eſſet, non centeſimum vel ſexageſimum, ùt nunc agitur, ſed ſextum virum armipotentem, ſéque perſonaliter in expeditionem profecturum obtulit; nunc Rex & Regnator minimè deficiet, ſed regias vires, Regníque gloriam, & Regnicolarum militare robur in perfidos liberaliter erogabit: ſed ſi talia adverſus eum machinamenta cudantur, magis expediet ſuæ Maj. fœderatos & juratos Regni in ſubſidium vocare ſibi, & externos ſtipendijs allicere, quàm Regnum ſuum armis exuere, & alijs ſubveniendo propriæ ſalutis oblíviſci. Tunc Principes, &c. Enumerant deinde Regna & Provincias Bohemiæ vicinas, & dicunt: *Omnes iſti Reges & Principes, Regno Bohemiæ tranquillo, ſuavi pace potiuntur: Regno autem illo turbato, etiam turbantur vicina omnia, & tanquàm validæ arboris ſtipite percuſſo, comæ ſingulæ tremunt, & ſylva denſiſſima concutitur, ſic omnes illæ Provin-*

Principes Imp. non ituros in Turcas, ſine Bohemis.

Regem aliàs paratum eſſe ire, cum ſua tota potentia;

modò non impediatur aliunde.

Addunt: turbatis Bohemiæ rebus, neceſſe fore, turbari & Germaniam; maximè Provincias vicinas.

vinciæ commoventur, Bohemiæ commotione: non quòd militum penuriâ laboret Germania, aut robur deſit virium, ſeu vis armorum; ſed quia univerſum vulgus Bohemicum, ex innata quâdam feritate, ſævis permiſceri gaudet, & arma ſemel apprehenſa non facilè reponit. Quò fit, ut per Hungariam, Poloniam, Pruſsiam, Auſtriam, ac finitimas Provincias, pacatâ Bohemiâ jam à viginti annis, ſub hujus viri primùm quidem gubernatione, deinde Regis potentiſsimi regnatione, reliquiæ bellatorum, quaſi quoddam ſeminarium militiæ, diſperſæ conſpiciantur, viresque ſuas militares, ad exterorum auxilia fiducialiter conferant. &c. *Inſtituti ſunt proceſſus Apoſtolicâ authoritate, indicantes Sereniſſ. D. Regem Bohemiæ in hæreſim relapſum, quem antea neque Sedes ipſa, neque ullus hæreſeos reum egit: in quibus proceſsibus Regium nomen ſupprimitur. Sed & aliæ literæ aſperiores, dilatione pendente, contra Regem emanârunt.* &c. *Poſtulat Sereniſſ. Bohemiæ Rex diem ſibi dici, locum deſignari, ubi de totius cauſæ conditione & qualitate poſsit agi. Procurator Fiſci vel Fidei Regem detulit, quaſi palam dixiſſet, Communionem ſub utraque ſpecie ab omnibus laicis, ex præcepto Salvatoris, inevitabiliter eſſe ſuſcipiendam: Rex verò pernegat, remittens ſe ad teſtimonia, & ſi quid dixiſſet erroneum, emendationi ſeſe ſubmittit.* &c. *Habet nunc Veſtra Clementia, Pater Beatiſsime, conſiderationes Illuſtriſsimorum tam Electorum, quàm aliorum S. R. Imp. Principum, quoad Sereniſſ. Potentiſſ. Bohemiæ Regem; ſi quo modo, Chriſtiani ſanguinis effuſio præcaveatur, Regnum ipſum Imperij Romani decus, Sanctæq́; Dei Eccleſiæ, & Chriſtianæ Reip. in Orientali plaga ſolamen, incolume ſervetur, & S. Rom. Eccleſiæ, Veſtræq́; Sanctitati reconcilietur.* &c.

Boheinos, dum ſemel arma corripiunt, non facilè ea deponere: eorum per vicina Regna res glorioſè & Provincias, ac fortiter geſtæ.

Ultimò petunt, proceſſus contra Regem inſtitutos revocari, Regémque, qui audiri petit, & ſe emendationi ſubmittit, in gratiam recipi.

Congruum video hìc apponere, etiam *Georgij* literas, eadem de cauſa ad Ducem Venetorum datas. *Cùm apud Nürmbergam de menſe Novembr. proximè præterito, de ſubventione Chriſtianis contra Turcas facienda ſolicitiùs ageretur, totáq; rerum ſumma, factionibus cujusdam hominis, qui ſe Apoſtolicæ Sedis legatum confinxerat, diſturbaretur; eóque Principes Imperij Rom. non putarent ullam expeditionem fore fructuoſam, cui noſtra ac Regni noſtri potentia non præeſſet, vel adeſſet, ideóque tractatus ille pro ea vice omnino fruſtraretur: quæ omnia in Oratione præſentibus incluſa, & apud Sedem Ap. recitanda latiùs continentur. Sacri autem Rom. Imperij Electores, cæterique Principes, ſanctum propoſitum ſuum non idcircò penitùs fatiſcere, ſed iteratis viribus rem aggrediendam rati, obtulerunt ſeſe ad interveniendum apud Sedem Apoſt. quò citiùs talis perturbatio de medio auferatur, & afflictæ Chriſtianitati Turcis viciniori, pro humanitatis, quinimò Chriſtianæ religionis debito piè ſuccurratur. Et idcirco nonnullos Oratores ſuos, ad eandem Sedem deſtinare ſtatuerunt: qui ex varijs locis, & à multis Principibus Coëlectoribus, cæterisque fœderatis noſtris egredientes, ad Dominicam, quâ Bacchanalia veteri ſuperſtitione vulgò celebrari ſolent, in Civitate Venetorum convenire, ac inibi alterutrum expectare debent, inde ad Summum Pontificem, annuente Domino, profecturi. Et quia Pontifex ipſe, veſtræ Civitatis civis oriundus eſt, Amicitiam Veſtram ſyncero rogamus affectu, quatenùs cùm Vobis inclyti Regni Hungariæ & con-*

Literæ Georgij ad Ducem Venetorum, *Chriſtophorum Maurum.* *Cod. maj. fol. 206* quibus, de rebus in Comitiis Norimberg. actis ei ſignificat, & de legatione Principum inſtituta ad Papam.

ad ſeriò promovendum contra Turcas bellum rogans, ut & ipſe ſuos Orares ad eundem mittat,

& confinium ejus, ubi Turcis conterminant, & Nobilium noſtrorum, qui in illis partibus crebrò militare ſolent, per Oratores veſtros, quos ibi ſæpiùs habuiſtis, bona notitia facta ſit, & veſtrum quoque intereſſe hîc verſari videatur, eò quòd non parum id veſtram Remp. in Peloponneſo, cæterisque Imperij veſtri finibus concernat; operam dare ac eniti velit, ut nos, & Regnum noſtrum, vijs & medijs in præmiſſa Oratione explicatis, cum Sanctiſſimo Domino noſtro, Sanctâque Sede Ap. reconciliemur. &c. *Dat. Pragæ 25. Jan. 1467.* Verùm, ùt ſupra dixi, fruſtra fuerunt hæc omnia, jam exorta contra Georgium tempeſtas usque adeò invaluerat, ut ampliùs ſedari non poſſet.

Et pro reconciliando ſe intercedat.

Factum; ſed in vanum.

Ex ijs porrò, quæ Electores & Principes Imperij, de communi omnium conſenſu, per legatos ſuos, Summo Pontifici proponi curârunt, patet, in quanta æſtimatione & authoritate apud eos fuerit *Georgius Rex*: ut non mirum, aliquos fuiſſe, qui ei adminiſtrationem Imperij, abſoluta cum poteſtate conferre, in animo habuerint; prout aliquid ſupra innuimus. Imò fuerunt, qui eum propter eximias corporis & animi dotes, & potentiam, tum propter admirabilem in regendo peritiam, quam hactenus ſatis ſupérque, bello & pace oſtendiſſet, coronâ Imperiali dignum exiſtimarent. Non auderem hæc tam fidenter aſſerere, niſi jam dudum alij ante me, iſta ſuis ſcriptis publicâſſent.

Magna authoritas Georgij apud Principes Imperij:

qui dignum ſolio Imperiali exiſtimant.

Narrat *Aventinus*, verba ſunt *Chriſtophori Manlij*, Luſatiæ Scriptoris egregij, *Ludovicum Bavarum Landshutenſem*, conatum fuiſſe *Georgium Bohemiæ Regem* conſocerum ſuum (filiam enim quintam, infantem adhuc, deſponſatam fuiſſe *Georgio filio Ludovici*, juveni tum 12. annorum, ſcribit idem *Aventinus*) ad Imperium provehere, dejecto *Friderico III.* propter ejus ocium. Et addit Georgium promiſiſſe, ſi id conſequeretur, Conſtantinopolim ſe recuperaturum. Idque etiam *Crato* innuere videtur; cujus verba ſunt: *Intercedit* (inquit, ſub an. 1464.) *apud Pontificem pro Rege Georgio, Ludovicus Bavarus, ejus virtutem ac fortitudinem deprædicans; & quàm ille poſſit communem Chriſtianorum hoſtem reprimere, ſi illi quis concedat, indicat. Creandum potiùs Regem Romanorum monet, quàm Regno Bohemiæ movendum.*

Manlius in Luſatia, lib. 6. ad an. 1462. Aventin. in Annalib. Bojor.

Bavarus expreſſè cenſet, potiùs creandum Imperatorem, quàm Regno Boh. privandum.

Petiiſſe autem *Georgium* à Pontifice, ut ſibi conferretur titulus Imperatoris Conſtantinop. narrat ipſe *Paulus II.* in litteris ad Ludovicum Bavarum, VIII. Id. Febr. an. 1465. datis, ubi ait: *Sed nunc, qualia ſunt reliqua, quæ poſcuntur, audiamus. Primum, ut ipſe titulo Conſtantinopolitani illuſtretur Imperij; quaſi homines non intelligant, quorſum titulus iſte expetatur: nimirum, ut de ſymbolo ad ſymbolum facilior ſit tranſitus. Sed quàm æquum foret, Romanam Eccleſiam, quæ cultrix eſſe debet juſtitiæ, jus Conſtantinop. Imperij legitimo eripere ſucceſſori: præſertim cùm duos nepotes ex fratre veri & Catholici Imperatoris filios, qui in ipſo Conſtantinopolis Urbis excidio, fortiter pugnando occumbere non dubitavit, apud ſe liberaliter enutriat; cujus nepoti majori natu, ſi quando, auctore Deo, Civitas eripiatur Turcis, jus Imperij ſucceſſióque debetur. Sed quid mirum, ſi Georgius Imperium petat, qui mox Capitaneatum totius Chriſtianitatis exquirit? ut videlicet ei expeditio adversùs Turcas, cum Cruciata & Indulgentijs committatur.* &c.

Georgium petiiſſe à *Paulo II.* titulum Imperatoris Conſtantinop.

teſtatur ipſemet Pontifex in literis ad Bavariæ Ducem datis.

Cod. maj. fol. 310.

At

At verò *Georgius*, nihil graviùs tulit, quàm quòd Imperator, ſub prætextu belli Turcici, contra ſe Imperij Principes concitare voluerit: ideòque diſſimulandum id nequaquàm ratus, datis ad ipſum literis *diffidatoriys*, ùt vocant, amicitiam omnem ei renunciavit. *Sereniſſime Imperator. A quovis homine contumeliam ſuſtinere piget & pudet: verùm id demum maximè urget, & cordis intima conturbat, ſi quis pro immenſis beneficijs in ſe collatis, ingratitudinis peſſimum vitium rependit. Cùm jam pridem Ser. V. ſub prætextu expeditionis militaris contra Turcas, ſolemnem Conventionem in civitatem Nürnberg. ad Idus Nov. indixiſſet, quò & Electores aliòsque Sac. Rom. Imp. Principes, Comites, Magnates, famoſarùmque Urbium Communitates duxiſſet evocandas. Nos quoq; velut primum & præcipuum ejusd. Imp. ſeculare membrum, tum precum inſtantiâ, tum admonitione ſolicitâ, ut ad eandem Conventionem mittere dignaremur, duxerit invitandos: quin etiam Ulricus de Graveneck belli gerendi dux & imperator deſignatus, quem etiam huic Conventioni & tractatui, omniq; negotio inibi gerendo præfeciſtis, primò ſcriptis ſuis, deinde per Principes nobis fœderatos, poſtremò per Oratorem ſuum, nobis ut illuc mitteremus, tandem perſvaſit; pollicens id ipſum nobis, & Coronæ Regni fore glorioſum: ſeq; velut Auguſtalem Capitaneum & Oratorem maturè proviſurum, ne ullus quidquam in dedecus noſtrum, aut Regni noſtri, in Civitate veſtra môliatur. Nos omnia ſyncerè agi rati, Conſiliarios noſtros illuc transmittere minimè dubitavimus, nullis parcentes ſumptibus, ut veſtra & Imperij Rom. gloria, ſimul & Regni noſtri, tanquam primi & præcipui membri ejusdem Imperij decus, tanto ornatiùs reſplenderet. Tantâ etiam facultate Oratores noſtros inſtruximus, ut non tantùm cunctis Principibus ſolatio eſſe, ſed & toti Hungariæ Regno, & afflictis Chriſtianis, qui habitant ad Turcarum confinia, ſpes maxima; ipſi verò Turcæ, qui noſtram militiam, & vim militum noſtrorum crebrò expertus eſt, terrori eſſe potuiſſet. Non enim centeſimum aut ſexageſimum hominem, ſed tantas vires conferre parati fuimus, ut etiamſi Turcarum Imperatoris univerſa bellica virtus, pugnâ publicâ excipienda fuiſſet, milites noſtri potiùs gaudio exultâſſent, quàm à facie eorum trepidâſſent, vel hoſti terga dediſſent: qui congreſſum Turcarum impetuoſum, ſed & fugacem Perſicam pugnam ſæpe probantes, plerùmque feliciter experti ſunt.*

Georgius ægrè ferens Imperatoris averſum erga ſe animum,

datis ad eum literis, id ipſum queritur graviſſimè.

ſe ad Comitia Norimbergum invitarum, novæ Expeditionis adverſùs Turcas reſtituendæ causâ,

ſyncerè egiſſe; Oratores miſiſſe,

talibus inſtructos mandatis, ut cuivis ſatisfactum videri potuiſſet: præſertim cùm profiteri juſſiſſet, ſe paratum mittere talia auxilia, quæ Turcis formidini eſſent.

Nec quicquam igitur ſimulatò egimus, qui quondam in minoribus conſtituti, dum perſonam veſtram, usque in Novam Civit. Auſtriæ perſonaliter ſequeremur, vóſque ad auxilium Chriſtianorum contra Turcas frequentiùs hortaremur, noſtram perſonam & totius Regni Bohemiæ ſextum virum, in talem expeditionem educendum largiter obtulimus: poſtea verò ad regalis ſolij faſtigium, Divinâ favente Clementiâ, vocati & aſſumpti, per Oratores noſtros, in ſolemni Conventu Nürmbergæ celebrato, id ipſum totis viribus, ſummóque ſtudio efficere conati ſumus. Sed & cum Sereniſſimo Fratre noſtro Poloniæ Rege, apud Glogoviam, non minori fervore tractantes, id aſſequuti fuiſſemus, quòd trium iſtorum Regnorum, Hungariæ, Bohemiæ & Poloniæ potentia, in Turcas converſa fuiſſet, niſi Prutenicum bellum, tam ſalutari propo-

Præterea commemorat, quàm ſyncerè & antehac ſemper cum Cæſare egerit, & quàm ſollicitus fuerit, ut Respubl. Chriſtiana juvaretur, eúmque in finem, etiam in armorum ſocietatem perducere Regem Pol. habuerit in animo.

ſito noſtro obſtitiſſet: ex quo perſpicuum ſit, & hanc noſtram oblationem Nürmbergæ noviſſimè factam, omni prorſus aſtu doloque caruiſſe.

Jam verò in iiſdem Comitijs,

ubi vel maximè agi ſeriò debuiſſet, de ſalûte Reip.

actum potiùs per quempiam de perdendo Rege Bohemiæ:

Principibus ſecularibus id deteſtantibus,

Interea dum nos pro debito Chriſtianiſſimi Principis, & tanquam primum S. Rom. Imperij membrum, veſtram miſerantes ignaviam, & Imperij Romani Statum, &c. *emerſit quidam, proditor conſiliorum noſtrorum & mandatorum prævaricator, cui nos antea interventu Illuſtrium Principum neceſſariorum & fœderatorum noſtrorum, & ob titulum Apoſtolicæ Legationis, cujus nomini reverentiam debemus, vitam Majeſtatis crimine reo, condonavimus. Is ſe primò Sedis Ap. legatum mentitus, poſtea nuncium vel Oratorem Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ confinxit, (nullius enim commiſſionis vel facultatis mandatum, licèt ab Oratoribus noſtris interpellatus, exhibuit) ſed undecúnque ſubornatus, Nos, noſtróſque legatos tot tantiſque affecit injurijs, ut nihil præter convitia ex ore,* &c. *Seculares Principes qui aderant, aliique bellicis virtutibus inſignes, pari zelo Eccleſiæ Catholicæ, ſacrique Imp. ſalutem nobiſcum quærentes, dolos & machinamenta hujuſmodi palam deteſtabantur, Fantino viriliter reſiſtentes, eique graviter exprobrantes, quòd in præſenti ſolenni Conventu, in quo de Chriſtianæ ac Romanæ Reip. ſalute tractatur, ſalus ipſa ſponte ſeſe offerens, à foribus Aulæ contemptibiliter arceatur. At veſtri Factores, totius navis anchoram tenentes, voluntatem Domini ſui ſcientes, convitijs hujuſmodi oblectati, nonnullos æquè Catholicæ pacis oſores, aſſeclas ſuæ vanitatis invenerunt. Quis, oro, tale phantaſma confinxit? quis hanc fabellam compoſuit? prætendamus honeſtam cauſam conventionis Chriſtianæ, in qua Regem armis invictum, fœdâ aliquâ ſorde maculemus, quatenùs ignavia noſtræ pudor, per univerſam Germaniam & Italiam diffuſus, novo aliquo recentiq; clamore obruatur.* &c. *Sed, ùt prædiximus, veſtrum deprehenditur hoc inventum.*

ſolis Oratoribus Cæſareis occultè juvantibus & applaudentibus.

Enumerat ſua beneficia Cæſari, in anguſtijs conſtituto exhibitâ:

recenſet etiã magnifica promiſſa, ſed quæ effectu careant:

ac tandem amicitiam renunciat, & ſe hanc ingratitudinem pro viribus ulturum concludit.

Cod. lit. publ. maj. fol. 189. & ſequ.

O Cæſar Auguſte! hanc pro tot noſtris in vos benè meritis gratiam rependitis nobis? hæccine gratitudo veſtra, pro reſtituta libertate, quam noſtro beneficio recuperâſtis? quando in anguſtijs caſtri Viennenſis conſtricti, per antra proſpexiſtis, velut avis caveâ concluſa cupiens evolare: fremuit in parvis fera nobilis abdita clauſtris. Noſtri verò, pugnâ ſuper mœnijs civitatis commiſſâ, licèt primo impetu victoriâ potiti non ſint, tamen rem eo perduxerunt, ut perſonam veſtram priſtinæ libertati, ac Imperiali ſolio reſtitueremus, à cunctis tunc ſubditis neceſſarijsq; derelictam. Tunc aliam cantilenam ceciniſtis. Ubi nunc ſunt illa promiſſa, quæ literis veſtris inſertâ, & ſigillo veſtro corroborata ſunt; ſi quid roboris ineſt, ubi fides abeſt, ubi gratitudo deeſt. &c. *Sed quid verbis immoramur, ubi opus eſt factis? Hoc vobis denunciamus, quòd neque cibus, neque potus, neque ſomni dulciſſima quies, aut quidquid humanis ſenſibus volupe ducitur, ſuave & acceptum nobis erit, donec injuriam à vobis, cæteriſq; tam callidè nobis illatam, glorioſis antidotis ulciſcamur. Dat. Pragæ an. 1466. in Decembri.*

Georgium inter & Matthiam Hungariæ Regem, novâ ſimultas,

Sub id tempus, etiam inter Regem Bohemiæ, & Regem Hungariæ (*Catharinâ* conjuge hujus, & illius filiâ, quæ inter eos veluti medium concordiæ pignus erat, ante ſeſqui annum, ùt narravimus jam, defunctâ, nullâ prole relictâ) oborta eſt ſimultas gravis; occaſione excurſuum, quos Hungari,

ri, duce *Bielyko de Ledenicz* in Moraviam, & viciſſim Moravi, duce *Matthæo à Sternberg Domino in Lukovv*, viro acri & injuriarum impatiente, in Hungariam, crebris vicibus, maximóque collimitiorum detrimento exercebant. Cujus odij acceſſit proritamentum majus, ab exſurgente ſub id tempus novâ in Hungaria hoſtilitate, quorundam de exercitu *Giskra*, *Bitovvsky* & *Snitkovvskij* ſuperſtitum. Hi námque latrocinijs & vivere rapto aſſveti, nactique alium ſuo genio opportunum ducem *Petrum Svehlam*, virum militaris rei peritum, manúque & conſilio promptum, *Fratrum* nomine uſitato jam dudum ante, â hominibus ejusdem farinæ, ſeſe nuncupârunt; & occupatis in *Provincia Trenczinenſi* aliquot munitionibus, & unâ validiore, nomine *Koſtolan*, non procul *Trnaviâ*, â fundamentis erectâ, vicinis omnibus cœperunt eſſe multùm graves, hoſtilia palam cùm in privatorum fortunas, tum in oppida arcésque nullo diſcrimine intentantes: & accurrentibus undique, quos dulcedo prædarum facilè alliciebat, ſpatio temporis brevi, evaſerunt in exercitum ſeptem millium armatorum fortem; ſicque viribus confiſi, eò usque audaciæ proceſſerunt, ut nullam pacis aut amicitiæ mentionem, niſi quas ipſi præſcriberent, conditionibus, admittere vellent. Interea per villas, compita & pagos excurrere, ac more ſuo, furtis & rapinis graſſari, homines rerum neceſſariarum causâ hinc inde commeantes, ſylvis, montibus, vallis, viisque omnibus obſeſſis, per inſidias intercipere, ſpoliare, ac reſiſtentes trucidare non ceſſabant. Moris autem habebant (uti memorat *Æneas Sylvius*, & nos ſuprà retulimus) prædas in fine cujúsque menſis viritim dividere; ex quibus non plus accepit, qui totum menſem, quàm qui diem unam, ante diviſionem, in caſtris fuit numero *Fratrum* adſcriptus: arbitrati, id ſibi innui ex illo Evangelij præcepto, quod in vinea Domini laborantibus, & qui primâ horâ, & qui undecimâ venerant, æqualem mercedem promittit.

[Margin: mutuis utriusque gentis excurſionibus hoſtilibus ſe-ſtim invaleſcit. — MS. Pernſt. ad an. 1466. — MS. ex Arch. Lipp. — Nova latronum ſub nomine Fratrum colluvies: — infeſtat Hungariam, — & circa Trnaviam quaquaversùm rapinas agit: — incolis & viatoribus multùm gravis. — Inſtitutum ſocietatis hujus. — Æn Sylv. in Europa c. 1. ad finem. — Suprà pag. 669.]

Quia verò ſocietas hæc *Fratrum* erat penè omnis, *de gente Bohema & Morava*, paucis Polonis exceptis, infamabat idcirco ſuſpicio Regem Bohemiæ, tanquàm ejus inſtinctu hæc fierent: & *Matthias* quidem Rex id ſæpe ſæpiùs aſſerebat: *ſi non jubente, vel inſtigante Rege, certè connivente fieri hæc, idq́ certis indicijs prodi:* qua in re num ſocero injurius fuerit; in medio relinquimus. Hoc conſtat, Regem Bohemiæ literis ſuis luculenter demonſtrâſſe, injuſſu ſuo fieri, quidquid ab ea colluvie perditiſſimorum hominum fieret, in quam penitùs nullam poteſtatem valeret exercere. Inter alia, tenor literarum circa initium menſis Decembr. datarum erat: *Etiam Frater ac Fili chariſſime, in ſcriptis veſtris ad Filium noſtrum Victorinum datis, inſolentias nonnullorum aliorum, quàm Matthæuſij à Sternberg, & ùt nos opinamur, illius ſocietatis, quæ vulgo Fratrum nuncupatur, commemorâſtis; quaſi nos in illos imperium habeamus, ex eo, quòd noſtræ linguæ ſint, & aliqui de noſtro Regno oriundi. Sed Serenitas Veſtra jam pridem comperit, quòd illi ipſi audaciam ſuam, etiam in ſubditos noſtros auſi fuerint extendere, inſultantes Stephano Eicingero in bonis ſuis, qui terrigena eſt Marchionatûs noſtri Moraviæ: quos neque precibus*

[Margin: Fratrum hæc ſocietas, ùt plurimum ex Bohemis & Moravis; unde Georgius, Matthiæ & Hungaris ſuſpectus, quaſi ſciente illo hæc fierent: — Cod. Maj. lit. fol. 698. — Georgius ſe excuſat; — & nullam ſibi poteſtatem eſſe in hanc fæcem hominum, oſtendit.]

 am-

amovere, neque minis deterrere potuimus, donec Filius noſter manu forti eos depulit & amovit.

Comitia Brunæ; in quibus *Victorinus* Moraviæ Capitaneus,

Jam antea *Georgius*, indictis ad Calendas Octobris *Brunam* Comitijs, *Victorino* dederat in mandatis, ut Ordinibus convocatis, in communi ſeriò conſulerent, quo potiſſimùm modo cohiberi poſſent hoſtiles in amicorum terras excurſus; ne in hunc modum temeritate paucorum, & impunitate ſequente, Reſpublica trahatur in diſcrimen: ineptum ſanè & præter rationem videri, gliſcentibus domî turbis & ſeditionibus, alias adhuc ab exteris quærere ultro belli cauſas. Aliquid eorum Victorinus Regi Hungariæ inſinuandum duxerat hiſce: *Ex mandato Sereniſſimi Regis Bohemiæ, Domini noſtri gratioſiſſimi, Brunam venimus, & Dominos Prælatos, Barones, Milites, cæteraſque Communitates Marchionatûs hujus Moraviæ, his diebus ibidem habemus nobiscum conſtitutos: de quorum conſilio, pro negotijs Matthæum de Sternberg contingentibus, tractare volumus, ut ipſe Matthæus ab hujuſmodi damni factionibus Regni Veſtri omnino ceſſet. Quod ſi id facere contempſerit, uti Veſtræ Majeſtati priùs ſcripſimus, in hoc facto, nos unà cum cæteris Marchionatûs hujus Terrigenis, qui ad hoc benevoli ſunt, eundem Matthæum armis compeſcere volumus; ut Majeſtati Veſtræ Sereniſſimæ evidenter conſtet, quòd ea, quæ per illum aguntur, fiant præter omnium noſtrum voluntatem. Dat. Brunæ an. 1466. VI. Octobr.*

Cod. cit. f. 693. juſſu Regis, & ex mandato ſpeciali,

excurſiones in Hungariam deinceps faciendas, lege latâ, prohibet.

Matthæus à Sternberg propter contumaciam hoſtis Reip. declaratur: contra quem idcirco Victorinus arma expediri jubet. *MS. Pernſt. ad an. 1466.*

Comitijs itàque *Brunæ* habitis, cùm *Matthæus à Sternberg* peculiaribus nuncijs vocatus minimè compareret, adeò exacerbavit *Victorini* animum, ut mox armis petendum conſtituerit. Dúmque ſententiam rogarentur Proceres, aliqui id ipſum haud cunctanter approbârunt, addiderúntque ad deterrendos cæteros, maturè facto opus eſſe. Alij verò, uti *Henricus de Lippa* ſupremus Mareſchalcus Regni Boh. Dominus Krumlovij Moravorum; *Joannes de Cymburg* Dominus in Gitczin Morav. *Joannes de VValdſtein* Dominus in Slavvkovv, & ipſe *Epiſcopus Olom.* conſilio priùs, ac æquabili, nec indecorâ compoſitione, quàm armis, rem experiendam eſſe contendebant: nihilominùs tamen, quicquid *Victorino* viſum decretúmque foret, paratos ſe ad omne mandatum eſſe, viréſque & induſtriam ſine mora conſociaturos. *Victorinus* igitur ſuis ſuſcipiendi belli conſilijs innixus, arma adversùs *Matthæum*, uti contumacem & rebellem, capienda promulgat, diémque indicit, & locum, ad quem exercitus conveniat. Quibus auditis *Matthæus*, à pertinacia reſipuit, & ne proſcriptionis atq; exilij pœnâ plecteretur, vel ipſam vim experiri cogeretur, ſaniora ſvadentibus obtemperans, *VViſſkoviam* venit; ibíque die 23. Octobr. mediantiantibus *Protaſio Epiſcopo Olom. Carolo de Wlaſſim, & Hynkone de Ludanicz*, quibus præ alijs pax cordi erat, ſuo & ſociorum ſuorum (hi erant *Podovvſtij*, Jeſſek & *Daupovvecz*) nomine, in eundem *Protaſium & Joan.* Witiez *Archi-Ep. Strigonienſem*, nec non *Michaëlem Palatinum Hung. & Henricum de Lippa*, vel ſi is non placeret Hungaris, in *Joannem de Cymburg* compromiſit, judicio illorum quatuor, ſeſe ſubmittens: ità ut quidquid illi ex æquo & juſto ſtatuerent, ratum & ipſe gratúmque habere vellet.

Quo cognito, Matthæus reſipiſcit:

& mediatoribus uſus Epiſcopo Olom. & alijs,

Victorini mandato ſe ſubmiſit,

Digitized by Google

let. Atque ità non ſolùm ab inferendis Hungariæ cladibus abſtinere impoſterum, ſed & fortalitia duo, quæ propè *Trnaviam*, ut ſibi ſuiſque in hoſticum excurrentibus receptaculo eſſent, exſtruxerat, in manus *Victorini*, qui ea vel diruat, vel *Regi Hungariæ* cedat, tradere ſtipulatâ manu, tabuliſque ſuper ejuſcemodi transactione confectis, pollicitus eſt. Tum demum *Victorinus* ſingulari humanitate, *Matthæum* ad colloquium *Brunam* invitavit, atque in gratiam receptum, convivióque adhibitum, ad præſtanda obſequia blandioribus verbis cohortatus eſt: móxque *Hynkonem de Ludanicz* ad fines Hungariæ proficiſci juſſit, qui nomine ſuo duo illa munimenta in poſſeſſionem ſuſciperet, Regi Hungariæ tradenda.

& ab hoſtilitate Hungariæ inferenda ſe ceſſaturum pollicitus eſt.

Cod. cit. fol. 694. & ſequ. Victorini erga Matthæum humanitas. *MS. Pernſt. cit.*

Omnia hæc clariùs patebunt, ex literis *Victorini*, tum ad Regem Matthiam, tum ad Joannem Archi-Ep. Strigonienſem, ſupremum tunc conſiliorum Regis moderatorem, datis. Ad Regem ſic habent: *Pridem nobis redditæ ſunt literæ Serenitatis Veſtræ, continentes querelas graves, contra Matthæum de Sternberg: quas quidem literas, ex eo, quòd dura & aſpera verba in ſe continerent, Sereniſſimo Domino noſtro Regi oſtendere, non erat nobis viſum; cùm non neſcius ſim, Serenitatem Domini noſtri Regis, ſuam complacentiam habere, in omni amicitia Maj. Veſtræ, & quæ idem Matthauſs cum cæteris molitur & facit, ſibi plurimùm diſplicere. Optat etiam Majeſtas V. quid in Conventu Brunenſi diſpoſitum fuerit, eidem Veſtræ Maj. ſignificari, non dubitamus id jam Veſtræ Maj. notum eſſe; nam Domino Archi-Ep. Strigonienſi dudum diſpoſitionis cum ipſo Matthauſs factæ ſeriem ſcriptis notificavimus. Quod ſperamus, eidem Maj. V. gratum erit & acceptum, cùm ex eo intelligi poterit, quomodo ipſius Domini Regis, & noſtrâ operâ non deeſt, circa hujusmodi res indignas compeſcendas. Velit etiam Seren. Veſtra providere, ut damna non inferantur per Marchionatum Moraviæ & Ducatûs Sleſiæ, quæ Bielykonem facere referunt.* &c. *Dat. in Spilmberg, Prid. Cal. Novembris.*

Victorini literæ ad Matthiam Regem, *MS. Cod. fol. 693.*

quibus ſignificat, Facta Sternbergij, neque Regi patri, neque ſibi placere: ideóque ſe iis brevi impoſiturum modum: petere interim, ut etiam Hungari ab incurſionibus in Moraviam, huc usque ſæpiùs factis ceſſent.

Cod. cit. cit. fol. 694. Victorini literæ ad Archi-Ep. Strigonienſem,

Ad Archi-Ep. Strigonienſem Joannem Witiez. *Reverendiſſime in Chriſto Pater & Domine. Sereniſſimo atque Glorioſiſſimo Domino Domino Regi Bohemiæ, paulò ante diebus præteritis, Sereniſſimus Princeps & DD. Matthias Rex Hung.* &c. *ut Matthauſs à populatione Regni Hung. cohiberetur ſcripſerat: Dominus autem noſter Rex habitis his ſcriptis & literis, nos in Marchionatum Moraviæ miſerat, deditque in mandatis, ut ipſe Matthauſs ad pacem tenendam induceretur. Nos verò & ex præcepto nobis injuncto, & pro debito officij noſtri, prout tunc omnes incolæ Marchionatûs ad hoc parati fuerunt, expeditione militari contra eundem Matthauſs procedere volebamus. Sed per tractatus Rev. P. Domini Protaſij Epiſc. Olom. Magnificorúmque DD. Caroli de Wlaſſim, & Hynkonis de Ludanicz, cum præfato Matthæo habitos, ad hoc ipſe Matthauſs inductus eſt: prout hâc ex ſchedula his incluſa V. Reverendiſſima P. clariùs intelliget. Rogamus ergo impenſiùs, dignetur P. V. operam dare, ut ea quæ cum Matthæo diſpoſita ſunt, à Regno Hung. ſuſcipiantur. Nam quàm ſubitò diſpoſitionem hanc DD. Hungaros velle tenere nobis ſignificabitis, mox ipſe Matthæus nobis, & vice noſtrâ, in manus D. Hynkonis de Ludanicz, qui*

quibus ſignificat, ſe voluiſſe jamjam bello petere Sternbergicum, ſed ipſum reſipuiſſe maturè, & pacem obtuliſſe:

nihil proinde reſtare, niſi ut Hungari ſe declarent,

 ex

Digitized by Google

ex mandato noſtro Broda Hungar. ſuper eo expectat, munitiones duas novas, per ipſum & ſuos factas in Regno Hung. debet condeſcendere, nóſque eaſdem in manus Regis Hung. aut veſtras tradere, aut dirui, vel incendio ignis faciemus comburi. Dat. Brunæ XVI. Octobr. 1466.

Transactio autem cum Matthæo fuit iſta.

Léta od Narozenj Syna Božjho 1466. ten Pátek po Swaté Kordule/ gednáno geſt w Wyſſkowě/ ſtrze Důſtogného w Bohu Otce/ Kněze Thaſa Biſkupa Olomuckého/ a Vrozené Pány/ Pana Karla z Wlaſſymě Podkomořjho Markrabj Morawſkého/ a Pana Hynka z Ludanic a z Kostytnice/ s Vrozeným Panem Mathauſſem z Sſternberka/ o tu Wálku/ kterau Pan Mathauſs do Země Vherſké wede. A on P. Mathauſs k tomu geſt přiweden/ a k tomu ſe poddal z ſwé dobré wůle/ že w celý Mjr a Pokog s Králem Geho Miľ: Vherſkým/ y s G. M. Zeměmi y Poddanými/ wſtaupiti má ſám od ſebe/ y od giných/ kteřjž wedle něho gſau/ o Sprawedliwoſt/ kterau ku Králi Geho Miľ: neb Koruně geho mjti chce; Item/ o ty Pře a Sprawedliwoſti/ kteréž on/ neb geho/ kteřj s nim w této Wálce gſau/ ze gména Popowſſtj/ Jeſſek/ a Daupowec/ y ginj/ mjti mjněgj/ mocně přeſtáwá na Neydůſtogněgſſým w Bohu Otcy/ Knězy Arcy-Biſkupu Oſtřehomſkým/ na Důſtogným Knězy Biſkupu Olomuckým/ na Welikomocným Panu Michalowi Nadrſſpanowi/ a na Vrozeným Panu Gindřichowi z Lippého Neywyžſſým Marſſalku Králowſtwj Cżeſkého/ neb Vrozeným Panu Janowi z Cymburku a z Gitčjna/ kterýž ſe gim Panům Vhrům, z těch dwau Pánůw, ljbiti bude: wckoliw to oni čtyři/ Strany přeſlyſſyce/ a gich Sprawedliwoſti/ obrátj/ že ſe w tom tak zachowati chce/ y s njmi. Wězně aby Rok z obogj ſtrany/ až do Wyřčenj měli. Item/ byllibj který ſſacowán/ ti Sſacuncy také od Wyroku nemagj bráni býti/ ale také to těmi čtyrmi má rozhodeno býti/ wedle ſprawedliwoſti. Item/ Oſwjcené Knjže Wiktoryn/ gakožto Hegtman Země Morawſké/ má toto Poddawánj do Vher dáti wěděti; a geſtliže ge přigjti chtěgj/ a wedle něho gjti/ a tak ſobě včiniti/ tehdy Pan Mathauſs Zámkůw těch dwau/ které geſt z nowu w Vhřjch vdělal/ na Krále Vherſkého G. M. mjſtě/ má poſtaupiti Oſwjcenému Knjžeti ſwrchu pſanému w Geho Miloſti Moc; a ten aby s njmi nakožil/ gak ſe Geho Miľ: neylépe bude zdáti. Také Pan Mathauſs má bezpečně ſe ſtěhowati s ſwými/ z těch Zámkůw/ nepřekážege žádnému/ a gemu také žádný/ a ſtěhowati ſe nemeſſkage/ když ſe gemu Smlauwa připowj.. Také Pan Mathauſs při tom Staupenj wſſeckny Holdy má propuſtiti/ y wſſechna na Lidj položená Obtjženj. Item Wýrok ten ſtáti má/ mezy čaſem tjmto/ a Středopoſtjm/ neb neydéle do S° Gjřj: pakliby ſe gemu a geho neſtal/ bude mocti Pán Mathauſs y ſwými/ ſwé Sprawedliwoſti dobýwati/ gak neyſluſſněgj bude vměti. A těch wěcý pro lepſſý Giſtotu/ k této Ceduly ſwau wlaſtnj Pečeť/ přidáwiti kázal; kteráž daná a pſaná/ Léta/ Dne y Mjſta; gakž ſe nahoře wykládá.

Huic

num illam iiſdem conditionibus acceptare, & tenere velint. *Cod. cit. f. 694.*

Transactio facta cum Matthæo à Sternberg. quâ conſentit, ut quatuor totius hujus controverſiæ arbitri deputentur; nempe, Archi-Epiſcopus Strig. Ep. Olom. Michael Palatinus (Bohemis, Nadrſſpan) & D. Henricus de Lippa, vel Joannes de Cymburg: horum quatuor arbitrio, ſe ſuóſque acquieturos promittit: captivi utrinque detineantur; nec ullum lytrum ullus pendat, donec ſententia ab Arbitris feratur.

Has porrectas conditiones Victorinus Dux Hungaris intimet: ut ſi eas acceptaverint, mox Sternbergus, duo illa fortalicia, quæ in Hungaria tenet, Victorino tradet: ità tamen, ut Sternbergicis ſecurè inde, cum rebus ſuis migrare liceat; ſed neq; etiam ipſi, ulli moleſti eſſe audeant. Simul etiam omnia onera & tributa Hungaris impoſita relevabit. Quodſi has conditiones Hungari non ſervarent, licitum erit Sternbergicis jus ſuum, alio quocúnque modo proſequi.

Digitized by Google

Huic tranſactioni, vel potiùs tranſactionis ineundæ diſpoſitioni, Rex Hungariæ nullâ ratione acquieſcere voluit; infra Majeſtatem ſuam regiam id reputans, ut cum *Matthauſio* conferatur, vel in compromiſſum trahatur, poſt tot illata Hungariæ damna ingentia, contra fœderis pacta: puniendum priùs, caſtigandúmque pro merito, ac deinde proſpiciendum utrinque, ne ſimilia accidant imposterum. Idcóque ſi antea acres *ad Victorinum* dederat literas, quarum *Victorinus* ipſe, ùt jam retulimus, mentionem facit, cum addito, ſe idcirco, *quia dura & aſpera verba in ſe continebant, noluiſſe eas oſtendere Patri*; jam ſecundò, atque tertiò, dederat multò acriores. Illæ erant: *non de ſolo Matthæo, noſtræ & noſtrorum querelæ ſunt, ſed de plurimis alijs ſubditis, ac familiaribus Domini Regis Boh. qui ſine ulla juſta cauſa, incurſant Regnum noſtrum, & omnia quæ attingere poſſunt, igne, ferro, rapinis, cædibus miſcent. Imò quod pejoris exempli eſt, jam à perfidis Turcis more uſurpato, homines, ruſticos, puellos & puellas, uti nobis certò relatum eſt, capiunt, vinciunt & in ſervitutem agunt; non parcentes Eccleſijs Dei, non ordini, non ſexui vel ætati. Quæ quidem quantum conveniant honori Chriſtiano, quantum honori D. veſtri Regis, & omnium veſtrum, & vos ipſe, & alij ſanæ mentis, facilè judicare poſſunt. Providendum eſt igitur, contra tales omnium bonorum hoſtes, injuſtos, fidei pudicitiæq; honoris, omniſque juris divini & humani violatores*, &c. Ità ille. *Data Strigonij in Vigil. SS. Simonis & Judæ, an. 1466.*

Matthias huic tranſactioni conſentire renuit. *Cod. cit. f. 689.*

conqueritur de damnis, & de crudelitate tam ipſius, quàm aliorum in Hungariam excurrentium.

Datis ſecundò, hæc enumerabat, poſtquàm alia multa præmiſiſſet. *Quod autem ad diſpoſitionem illam, mediantibus Domino Olom. & alijs Baronibus Moraviæ factam attinet, credimus indubiè, omne id, quod per illos hac de re actum fuit, bono animo, bonâque intentione, tanquàm pacis publicæ amatores, tractatum eſſe. Veruntamen optâſſemus laborem iſtum alibi impenſum eſſe, unde aliquid certæ ac tutioris pacis ſperari potuiſſet. Novimus ipſi jam hominem, cum quo res acta eſt; & ità novimus, ut nunquam putemus cum eo fidam & tutam concordiam haberi poſſe: ſemper enim calumniæ & factionis ſtudioſior fuit, quàm æqui & juſti. Quoties expulſus eſt ex Hungaria, quoties profligatus, ipſemet nagis novit: & tamen adhuc, attritâ licèt fronte, inſultat, & emendicari vult à ſe potiùs concordiam, quàm ultro ſuſcipere. Præterea non videtur honori communi noſtro, & D. Regis Boh. amicitiæq; mutuæ conveniens eſſe, ut nos hoc tempore cum Matthæo conferamur, vel in compromiſſum trahamur, dum ipſe priùs hoſtis Regni noſtri factus eſt.* &c. *Dat. in oppido Samariæ, die Domin. ante feſt. B. Martini, an. 1466.*

Codex cit. fol. 690. dicit, omnem compoſitionem cum Matthæo inſtitutam, eſſe fruſtraneam; eò quòd homo ſit inſtabilis, protervus ac verſipellis;

ideóque nullâ ratione cum Rege in compromiſſum trahendus.

Tertiò demum datæ, præ alijs duriores, fuêre tales: *Matthias*, &c. *Illuſtri Principi Victorino, Duci Münſterb. Comiti in Glatz, & Capitaneo March. Moraviæ, fratri noſtro dilecto. Salutem & mutuæ benevolentiæ incrementum. Illuſtris Princeps, Frater chariſſime. Poſteaquàm venimus in hunc locum, poſtridie redditæ ſunt nobis literæ Fratern. Veſtræ, quæ ſe cuſtodes benevolentiæ & affectionis mutuæ, indices eſſe palam oſtendere videbantur. Referebant enim, accepiſſe Fr. Veſtram literas noſtras, quæ continebant querelas graves, contra Matthæum à Sternberg, & alios ſubditos Regni Boh. damna inſe-*

Cod. cit. f. 691. Reſponſum Matthiæ Regis ad Victorinum, Capitaneum Morav. quibus refutando literarum ipſius capita,

Digitized by Google

in cauſa Matthæi à Sternberg,

inferentes Regno Hung. Sed quia in iiſdem literis noſtris, verba quædam dura & aſpera deprehendiſſet, maluit eas retinere, quàm Sereniſſ. D. Regi Boh. legendas transmittere, eâ ùt putamus ratione, ne fortè ex verbis iſtis, alicujus turbationis ſeminarium naſceretur: quâ in re non poſſumus non commendare magnoperè Fr. Veſtræ affectionem erga nos rectam. Verumtamen non oportebat tantoperè ſolicitam eſſe, ut putaret literas noſtras inconſideratè ſcriptas, aut ità aſperas fuiſſe, ut contegi magìs mererentur, quàm in lucem prodire.

acriter utcúnque eum perſtringit,

Nos & noſtri, non ſolùm dura & aſpera, ſed quod ampliùs, crudelia ac nefaria patimur, vos verò mitia verba & ſpecioſa habere vultis: neſcimus certè, quo pacto dura & aſpera facta aliter, niſi duris & aſperis verbis exprimi poſſint; verba enim rebus accommodata ſunt.

dum dicit: ſi nolit dura ſcribi, non permittat etiam Hungaris dura inferri.

Si igitur cupit Fr. Veſtra, ne dura loquamur, probibeat, ne nobis dura inferantur. &c. *Nihilominùs gratias agimus Benevolentiæ V. quòd tantum ſolicita fuerit de nobis, ne offenderemus in verbis: quia autem nos offendiſſe neſcimus, liberam damus facultatem Fr. Veſtræ, ut & illas priores, & has poſteriores literas noſtras, Sereniſſ. D. Regi Genitori Veſtro, & mittatis, & oſtendi jubeatis.*

Addit: projectum compoſitionis cum Matthæo ineundæ,

Scribit ulteriùs Fr. Veſtra, quòd ea, quæ in Conventu Brunenſi acta ſunt, jam pridem Domino Strigon. per literas veſtras, ac deinde per illum nobis patefacta ſint: fatemur quidem, notam factam eſſe nobis diſpoſitionem quandam, quam R. P. Dominus Olom. & quidam Barones Moraviæ, cum Matthæo de Sternberg tractaverant.

cùm honori ſuo, nec æquitati ſit conveniens,

Verùm quia diſpoſitio ipſa, nec bonori noſtro, nec juri publico, & neque tempori conveniens viſa eſt, remiſimus eam ad authores ſuos; poſteriùs libenter ſuſcepturi eandem, dum bono ordine ad id requiſiti fuerimus: nihil enim quod juſtum fuerit, ſubire recuſabimus.

ſe minimè probare poſſe, ſed alia expectare.

Expectamus autem juxta priorem requiſitionem noſtram, ut Fr. Veſtra ex debito fœderis, nunc nobis contra turbatores pacis potiùs adjutor ſit, quàm mediator: quoniam â parte cognovimus, quòd per mediatores quoscúnque, hoſtibus ipſis plùs tribuitur animi, quàm adimitur. Dat. Poſonij, octavo die feſti S. Martini, anno 1466.

Hinc compoſitio omnis in irritum ceſſit.

Itáque omnis illa tractatio concordiæ & pacis, *VViſkoviæ* habita, *Matthæi Sternbergici* causâ, quòd Matthiæ nonnihil durioribus conditionibus inita videretur, in irritum ceſſit. Quid autem *Victorinus* ad illas binas reſponſi dederit, iſtud fuit.

Reſponſum Victorini. *Cod. cit. f. 693.*

Sereniſſime Princeps & Domine &c. *Literas Maj. V. biſce diebus binas accepimus, quibus nobis ex parte diſpoſitionis inter Matthæum de Sternberg factæ, etiam prætextu damnorum Regno veſtro illatorum, pluribus verbis eadem Maj. Veſtra queritur & ſcribit: dando nobis etiam facultatem plenariam, ut & priores, & has Sereniſſ. D. noſtro Regi mitteremus. Nos intellectis Maj. Veſtræ literis, eas dem ſine mora Domino noſtro Regi miſimus, ſuper quibus intentionem â ſua Maj. expectamus.* &c. *Volumus præterea, & nos DD. Prælatos & Barones Marchionatûs hujus, literis ad nos, ut veniant, requirere ſine dilatione; qui cùm venient, ipſis ſcripta Veſtræ Maj. oſtendemus, & prout ex debito officij noſtri eſt, in tam arduis actionibus, eorum conſilium poſtulare.* &c. *Dat. in Spilmberg in feſto S. Catharinæ an. 1466.*

NB. Prælatos nominari ante Barones. Quis ergò dubitabit, Statum Eccleſ. in Moravia fuiſſe ab antiquo ſemper, *Statum primum?*

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

Simultas inter Georgium Bohemiæ, & Matthiam Hungariæ Reges, aucta novis Hungarorum in Moraviam, & viciſſim Moravorum in Hungariam excurſionibus invaleſcit; cui altera cum Frid. Imp. acceſſit; certi, ac paulo poſt ſequentis præludia belli.

ERat tum temporis *Georgius* Glacij, fidiſſima ſibi ſemper civitate, rebus ſuis etiam per Sileſiam non parum turbatis intentus: cúmque intellexiſſet ea quæ in Moravia agerentur, reſcijſsétque *Matthiam* ex Croatia reverſum, *Poſonij* morari, ibíque parare exercitum, ut inſolentias *Fratrum* (ſocietatis ſic dictæ militum, cujus ſupra meminimus) per villas, pagos, colles, ſaltus, invia ac pervia, circa *Trnaviam* & *Trenczinium*, ac per omnia loca, quæ *Trnam* inter & *Vagum* flumina interjacent, ad Danubium usque impunè graſſantium, armatâ manu compeſceret: illicò *Joannem Raſſin de Riſmburg*, virum tum Nobilitate præſtantiſſimæ & antiquiſſimæ in Boh. Familiæ, tum in rebus agendis perficiendísque ſolertem & induſtrium, ad eum miſit, ſignificaríque juſſit; ſe propediè̀m *Brunam* venturum, eam unicè ob cauſam, ut interpoſitione ſuâ tanto citiùs de omni controverſia transſigatur: placeret itáque eò etiam ad colloquium venire, aut ſi id non videretur ſibi commodũ, *Dominum Strigonienſem*, regijs mandatis ſufficienter inſtructum mittere; ut tandem omnes illi exceſſus, tam *Bielkonis Ledenicij*, quàm *Matthæi Sternbergici*, debitè corrigi utrinque, & componi poſſint. Sibi nihil magis in votis eſſe, quàm ut ipſimet Reges bonam amicitiam, per quam paci & tranquillitati populorum utriúsque Regni conſulatur, conſervent inter ſe; ac proinde ad componendos præſentes diſcordes motus, & ad pacem concordiámque, quibuscúnque tandem rationibus redintegrandam, ſe eſſe paratum. Tam propenſus erat *Georgij* in pacem animus; qui poſtea non diu cunctatus, *Brunam venit Sabbato ante Dom. II. Adventûs*: ubi convocatis mox Feriâ II. Prælatis & Baronibus præcipuis, cum illis de remedijs pacis & concordiæ publicæ neceſſarijs, ſeriò conſultabat; nihil eorum prætermittens, quæ bono communi ſtabiliendo, refrænandisque eorum conatibus, qui non niſi turbatis rebus delectarentur, congrua & utilia judicaret. Sed quùm neque *Matthias* Rex, neque *Archi-Epiſcopus* per totam illam ſeptimanam expectati venirent: ille bello, quod magno ſtudio apparabat contra *Fratres*, totus intentus, jámque tum *Trnaviæ* agens; hic verò, ſe in itinere quidem fuiſſe, ſed ob præſtructas ſibi inſidias, pervenire non potuiſſe, ſeſe excuſans: tractatio omnis in medio relicta fuit, & *Georgius* Pragam diſceſſit, *Victorino* cæteríſque Proceribus priùs ad-

Glacium fida Georgio civitas.

Societas fratrum (militum Boh. & Morav. ità nominatorum) Hungariæ gravis: ad quam compeſcendam, & pacem redintegrandam, Georgius Matthiam, invitat Brunam ad colloquium:

MS. Reginæ Hrad. ad an. 1466.

MS. Pernſt. an. eod.

MS. Cod. in quarto, in Archiv. Cap. M. Prag.

quò primus venit, & cum Proceribus de cohibendis tandem ſeriò excurſionibus mutuis conſultat.

Matthiam fruſtra expectat: qui nec venit, nec ille, quem miſit.

Georgius Pragam abit.

MS. Anon. Prag. VVrzeſoΒec. Codicill.

admonitis, ſedulò invigilarent, ne quid Provincia detrimenti ab inſolentibus Hungaris acciperet; *Matthæo* verò ab inferendis deinceps injurijs, ſub comminatione exilij, vel alterius ſeveriſſimæ pœnæ, penitùs abſtinere juſſo.

Nova Hungarorum in Moravorum excurſio,

glifcentem jam antea ſimultatem, inter utriúsque Regni Reges & populos, auget.

Accidit autem non multo ante, ut milites, quos *Huſſaros* vocant, Palatini Hungariæ (is erat *Michaël Orszag*, vir apud ſuos excellens, qui jam ſub quinto Rege magnis in Remp. meritis, ſimul magnâ cum laude & authoritate floruit) irruptione factâ in *Provinciam Brzedslavienſem*, complures expilarent pagos; & aliquos per obvia quæque ſine ullo diſcrimine graſſati, etiam ad ditionem *Henrici de Lippa* pertinentes. Unde alienatio animorum, *Moravos inter* & *Hungaros*, non modica incrementa ſumpſit; ità ut multi exiſtimârint, hinc factum eſſe, quòd deinde *Strigonienſis* non potuerit pervenire *Brunam*, ex itinere inſidijs à quocúnque tandem præſtructis impeditus: quòd ſcilicet non pauci bello potiùs, vi atque armis, quàm alio modo ſibi ſatisfieri maluiſſent. Exſtant literæ ejusdem *Henrici*, de hac injuria apud *Regem Matthiam* conquerentis: cui reſponſum ille dederat tale.

fol. 706.

Henrici de Lippa, ad Matthiam Regem, de illatis ditionibus ſuis, ab Hungaris damnis; querelæ: Matthiæ reſponſum: *Cod maj f. 706.* quo inter alia refert; plerúmque fieri, ut priùs conquerantur illi, qui inferunt, quàm qui patiuntur injuriam. nihilominùs ſatisfactionem ei, ex æquo juſtóque promittit.

Conqueſtus es, contra ſubditos Magnifici Michaëlis, Palatini Regni noſtri, quòd tibi per illos damna ingentia in Bonis illata ſint. Scias non fuiſſe hactenùs de voluntate & mandato noſtro, ut aliquid injuriæ, per ſubditos noſtros inferatur Regno, & Dominijs Sereniſſimi Domini Regis Bohemiæ. &c. *Sed ſi quid actum eſt, hoc certè proceſſiſſe debuit, quòd ex parte Veſtra provocati ſint, laceſſitique priùs injurijs: quo caſu haud illicitum fuit, eis quoque par pari referre.* Et infra: *Compertum jam habemus, eos ſolere priùs conqueri, qui inferunt, quàm qui patiuntur injuriam: nam quot & quanta ſunt damna & nocumenta, quot cædes hominum, quot vulnera & prædæ, quot denique alia diverſi generis gravamina, quæ Regno & ſubditis noſtris, per Bohemos & Moravos, quotannis & quotidie inferuntur, tu magis inter alios cognoviſti, quàm ſcribere expediat. Et tamen adhuc plures querelæ ab inferentibus ſuſcitantur, quàm ab ijs, qui patiuntur injuriam.* Demum: *Contenti ſumus, ut fiat rei hujus emendatio, tàm ex parte Palatini, quàm ſubditorum ejus, ſi culpabiles reperti fuerint: dummodò etiam tu è contra, in his, quæ tibi & tuis objicientur, ſimilem emendationem facere non negligas. Dat. Trnaviæ, in feſto S. Barbaræ. Anno 1466.*

Idem ei reſpondet ſecundò, *Cod. cit. f. 709. & ſequ.* compenſaturúmque ſe ei omnem injuriam, quicquid juſti viſum fuerit.

In eundem ſenſum ſcripſit illi, dum inceſſanter ſatisfactionem urgeret, ſecundò, die 11. Decembr. ibidem datis; atque iterum tertiò, hiſce: *Magnifice vir, nobis dilecte. Querelas tuas & petitiones ſuper una eademque re, jam tertiò ad nos delatas, æquo animo admitteremus, ſi contentus eſſe voluiſſes, ſuper juſto & honeſto reſponſo noſtro, quod jam binis literis tibi dedimus. Sed quia adhuc aliquid ſupra juſtum & æquum videris quærere, ſcripſimus Sereniſſimo D. Regi Boh. Domino tuo, ut ipſe videat & dijudicet, ſi quid ultra ea, quæ tibi obtulimus, pro communi pace conſervanda, ex parte noſtrî addi debeat. Nos enim omnia, quæ fœderibus initis, & concordiæ mutuæ convenientia videbuntur, libenti animo ſuſcipiemus. Dat. Trnaviæ, die 23. Decembr. an. 1466. Regni noſtri Nono, Coronationis tertio.*

Non

Non dum hæc controverſia ad integrum compoſita fuit, & iterum *Bielyk Ledenicius*, paulò ante Feſta Natalitia, gravem acerbámque incurſionem in Moraviam fecit; ſummâque celeritate uſus, cùm ditionem *Brumovienſem*, & aliquot clauſtri *Viſovicenſis* villas expilâſſet, tandem populabundus in *Lukovienſem* usque agrum penetravit. Poſtremò flexo ſiniſtrorſum itinere, ex *Zlinio*, *Orzechovio*, *Kunovicio*, & *Blatnicio*, pagísque in ſiniſtra Moravæ ripa ſitis, ingentem prædam egit; majorem acturus, niſi *Matthæus* & *Albertus Sternbergici*, junctis cum *Joan. Kuna de Kunſtat*, & *Joanne Haugvicio* armis & viribus, ulterioribus conatibus ejus reſtitiſſent. Quos cum adventare intellexiſſet *Bielyk*, séque numero & viribus inferiorem animadverteret, receptui in Hungariam maturè dandum duxit: ſed in itinere à Moravis, contento gradu veſtigijs ejus inſiſtentibus deprehenſus, primóque congreſſu in effuſam fugam conjectus, & captivos armentáque pecudum victoribus cedere compulſus fuit, & vim perſequentium etiam poſt ſe traxit: qui ſuperatis, per notos ſibi tramites montium jugis, & cohorte unâ validâ, de *commilitio Fratrum* ex itinere obviâ aſſumptâ, ut par pari referrent, ditionem ejus, quam ad *Vagum* flumen ſuprà *Trenczinium* habebat ampliſſimam, fœdè populati ſunt, concrematis compluribus pagis, multíſque captivis, præſertim *Gilavâ* oppido abductis.

Alia Hungarorum in Moraviam irruptio: *Cod cit. f. 698. MS. Pernſt. ad an. 1466.*

à Moravis reprimitur fortiter: qui ut par pari referent, factâ in Hungariam excurſione, obvia quæque populantur.

Unde exarsêre magìs partium odia, quæ in apertum brevì erupiſſent, prurientibus ad bellum *Moravorum* animis; quorum non pauci erant, qui ſuccurrendum *Svvebla* in tempore, antequàm ſuccumberet, exiſtimabant; id minimè tolerandum aſſeverantes, ut tam egregia veteranorum, & in pluribus bellis exercitatiſſimorum militū, & quod ampliùs eſt, popularium manus circumveniri ab hoſte, multitudine prævalente, permittatur, ac ultimò etiam opprimi & excindi: quæ aliàs ſervata incolumis, pro tutela & defenſione Patriæ, ſi quæ neceſſitas ingrueret, fortiter ſtare; aut ſi expeditio univerſalis adversùs communes Chriſtiani nominis hoſtes Turcas, prout jam dudum paratur, inſtituenda foret, multùm ſanè adminiculi, nec minus ſubſidij atq; roboris militaris, adferre poſſet. Verùm *Georgio* omnia alia priùs, quàm bellum experiri placuit: ideóque certare cum *Matthia* adhuc calamo potiùs, quàm armis maluit, datis ad eum literis utcúnque duriuſculis; quibus de non ſatìs fido atque ſyncero ipſius erga ſe animo, ſicut & de non ſervatis integrè pactorum conditionibus, cum eo ſeriò expoſtulavit.

Svvebla dux ſocietatis Fratrum premitur ab Hungaris; cui Moravi ſuccurrere, in auxilium, vires & animos parant, ut illum à clade conſervent: ſed à Rege & Victorino prohibentur.

Sereniſſime Princeps, Frater Chariſſime. Illuſtris Victorinus Dux Münſterberg. Comes Glac. & Capitaneus Moraviæ, Filius noſter chariſſ. nonnullas literas à V. Serenitate, ſuper ÿs, quæ per Matthæum de Sternberg, in Regnum Veſtrum, contra mutuum fœdus noſtrum, attentata eſſe dicuntur, ad ſe ſucceſſivè miſſas nuper, ad nos miſit. Quibus diligenter perpenſis, intelleximus priora reſponſa noſtra Serenitati Veſtræ, ſuper ea re à nobis data pungi, & notari, quaſi ſyncera ſatis non eſſent: quod profectò non congruit mutuo fœderi, amori & fraternitati noſtræ, ut aliter nobiscum verbis agamus, quàm mente concipiamus. Nam quod jam dudum reſpondimus F. V. moleſtum nobis plurimùm

Literæ Georgij ad Matthiam. *Cod. maj f. 696. Cod. mm. fol. 119.*

quibus dolenter fert, Matthiam ſua reſponſa aliter interpretari, quàm ipſe ſcribat, atque ſentiat.

mùm

Digitized by Google

paratum ſe fuiſſe, ad componendum Sternbergium, etiam vi & armis, ſi aliàs noluiſſet: ſed & illum ad transactionem condeſcendiſſe, & idcirco arbitros pacis delegiſſe. Matthiam oblata compoſitionis capita rejeciſſe: invitatum Brunam ad colloquium non veniſſe. Interea hoſtilem irruptionem ab Hungaris factam, in Moraviam; ab aliisque gravia damna illata: à Sternbergio juſtè vindicata. Ultimò hortatur ad conſervandam pacem.

mùm fuiſſe, multùmque diſplicuiſſe, ſi quæ mala vobis, & Regno veſtro, per ſubditos noſtros, præſertim per Matthæum illata ſunt: hoc certè reſponſum noſtrum ſyncero ex pectore datum fuit; & idcirco Victorinum filium noſtrum in Moraviam miſimus, tantâ mandatorum ſeveritate innixùm, ut niſi Matthæus prælibatus ab omni violentia deſiſteret, ipſe filius noſter, conatus ipſius manu forti compeſceret; quod & factum, bellùmque adversùs ipſum publicè proclamatum eſt. Matthæus igitur videns ſeveritatem noſtram, conſilioque Prælatorum & Baronum Moraviæ permotus, fortalitia quæ in Hungaria conquiſierat, ad manus filij noſtri, usque ad determinationem cauſarum & differentiarum, ſe obtulit deponere velle: ac inſuper in Reverendiſſ. D. Archi-Ep. Strigonienſem, Magnificum D. Palatinum. &c. *plenariè compromittere, & ex adverſo compromitti.* &c. *Veſtra autem Serenitas, has vias oblatas juri communi conſonas, & competentiæ fori per omnia conformes, usque nunc diſtulit acceptare.* &c. *impedivimus, usque ad noſtram cum Veſtram Seren. aut R. D. Archi-Ep. Strig. ſynceram, quam tunc præſtolabamur, Brunæ conventionem: quæ cùm non potuerit fieri, effecimus tamen, ut idem Matthæus ab omni perturbatione Regni, & Regnicolarum Hungariæ, penitùs & omnino ceſſaret, & abſtineret. Intereà & nos vim noſtris illatam non minori patientiâ ſuſtinuimus, qui non dum Brunâ Pragam reverſi percepimus, quòd iterum Bielko de Ledenicz Regni Hungariæ incola, Moraviam noſtram incurſando, præfatum Matthæum de Sternberg, & pupillos de Straznicz, & Monachos clauſtri VVizovvicenſis, gravibus damnis muliplicitèr affecerit, ſimiliter contra mutuum fœdus noſtrum: cui Matthæus par pari referens, impiger occurrit. Nec tamen idcirco de Frat. Veſtra quicquam ſiniſtri ſuſpicari voluimus, ſpei ſupradictæ de adventu Domini Strig. conſtanter innixi; qui ſi in aliquo convenienti loco, quem non recuſabimus, nobiscum convenerit, ùt cupimus, de præmiſſis omnibus ad pacem utriùsque Regni ſpectantibus, opitulante DEO, & Spiritu Sancto, pacificè conveniemus. Nec opus eſt, ut nos alterutrum verborum ſtimulis exagitemus: quippe verendum eſt, ne juvenilis ſanguinis veſtri flamma, noſtram juſtè commoveat gravitatem.* &c. *Datum Pragæ, menſe Decembr.*

Ejusdem literæ, in eadem cauſa, ad Archi-Ep. Strigon. *Cod. maj. fol. 699.* oſtendit, quàm pacis conſervandæ cupidus ſit! & cùm non potuerit convenire Brunæ, Pragam invitat.

In eadem cauſa, dederat etiam has ſpeciales ad Archi-Ep. Strigonienſem. *Reverendiſſime in Christo Pater, amice chariſſime. Scripſimus Sereniſſimo Fratri noſtro D. Matthiæ Hungariæ.* &c. *Regi, ſuper ijs, quæ ſua Serenitas nobis, & chariſſimo filio noſtro Duci Victorino, de factionibus, Matthæi de Sternberg, & nonnullorum aliorum, ſuperioribus literis commemoravit. DEUS novit, quanto deſiderio amicitiam V. apud Brunam, quantáque expectatione præſtolati ſumus: qui ſi adveniſſet, de omnibus illis, quæ tam à bielkone veſtro, quàm Matthæo noſtro acta ſunt, proviſum fuiſſet.* &c. *Ideò amicitiam V. ſyncerè adhortamur, quatenùs amicitiæ conſervandæ ſtudijs inhærentes, operam dare velitis, ut ad nos venire poſſitis.* &c. *Dat. Pragæ in Dec.*

Matthiæ reſponſum, plus ultra aſperum: *fol. 712.*

Cæterùm *Matthias*, ad illas *Georgij* duriusculas, ùt dixi, multo duriùs reſpondit hiſce: *Sereniſſime Princeps, Pater & Frater chariſſime. Non putabamus opera pretium decertare verbis, ubi factis opus erat: alienum eſt hoc à com-*

à commercio fraterno, alienum à neceſſitudine, quâ pater & filius copulati eſſe debent: quibus nullum prorſus aliud, ſed hoc unum & ſolum certamen congruit, ut ab utroque in alterutrum benevolentiâ, charitate, honore & officijs oportunis certetur. &c. *Proſequitur deinde Fr. V. nonnullos articulos: primus eſt, quòd Rev. D. Strigonienſis, ad F. V. miſſus non fuerit, pro componendis rebus communibus: ſecundus, de invaſione hoſtili per Bielykonem in Moraviam facta: tertius, quòd cum Matthæi de Sternberg in compromiſſum quoddam non acceſſerimus. Ad primum quid eſt, quod nobis imputetur, Dominum Strigon. ad F. V. non acceſſiſſe, & non imputatur potiùs ſubditis veſtris, qui eidem eunti palam obſederunt iter, & contra omne jus & fas hoſtiliter obvij cum armis interceſſerunt, ne illò accederet? Aut cur accuſatur Bielyko propulſans injurias, & non damnantur priùs illi, qui eum pluribus injurijs laceſſitum provocârunt ad arma? Quod autem ſuper injurijs per Matthæum, præter omnem juſtitiam Regno noſtro illatis, in quosdam judices compromitti non conſenſerimus, ſuperioribus jam literis ſufficientem rationem reddidimus. Reſpondebitur forſitan, quòd ille obtulerit cauſam ſuam judicio bonorum virorum: ſed cur non obtulit, priusquàm tuliſſet ſpolia? quid aliud reſponderi poteſt, niſi quia ſpoliare libuit, antequàm judicari? Si è contra dixerimus, non vim, ſed cognitionem cauſæ præcedere debuiſſe, priùsque judicio experiri, quàm armis: jam ſeriò quærendum erit, uter noſtrûm magìs juſtæ rationi innitatur. Inſeruit præterea F. V. articulum querelæ noſtræ, contra ſubditos ſuos, illius videlicet ſocietatis, qui ſe fratres appellant, & ſignificat ſe in eos nullam imperium, nullámque poteſtatem habere. Mallemus, ſi imperium ſuum in eos non negaret, ſed exerceret; manifeſtiúsque oſtenderet, eorum malefacta, vel probibere velle, vel ſaltèm approbare nolle: nam illud inficiari non poteſt, quòd ipſis liber fuerit, & tutus huc uſque ſit aditus, ad omnia penè loca ditionis F. Veſtræ; in his deliteſcunt, paſcuntur, congregantur; ibi nidos & ſedes ſibi conſtruunt, & dum eis oportunitas occurrit, illinc protinùs, quaſi quædam examina emittuntur. Repetit poſteriùs F. V. articulum, de miſſione Domini Strigon. ad quem breviter dicimus: mittetur, & ibit iteratò, apto tempore; modò ei ſecuritas detur, & non obſit, ùt priùs, impedimentum. Cæterùm, ubi verendum putat F. V. ne juvenilis ſanguinis noſtræ flamma, veſtram moveat gravitatem: modeſtiùs fuiſſet hunc locum omittere; quoniam ſi de gravitate dignitatis regalis vult intelligi, illam & in noſtra juventa contemnere non licet.* &c. *Dat. Trnaviæ, die penult. Dec. 1466.*

Archi-Epiſcopi porrò Strigon. reſponſoriæ erant tales? *Sereniſſime Princeps & Domine. Accepimus literas Seren. Veſtræ, quibus ſignificat ſcripſiſſe ſe Domino noſtro Regi, ſuper ijs.* &c. *Ubi autem S. V. ſcribit, magno deſiderio adventum noſtrum ad Brunam expectâſſe, non minori nos deſiderio venire affectabamus, jámque viam cœperamus, ſed intercluſæ erant nobis undique viæ, plurimis inſidijs.* &c. *Nos verò ne nunc quidem ire recuſamus, ſi modò tutè pertranſire poſſimus. Provideat itáque S. V. ne cùm ire voluerimus, rurſus redire cogamur: ſunt enim quidam, qui Veſtræ quoque Serenitatis ſalvum conductum*

quo dicit, præſtare, ut potius factis decertent inter ſe, quàm verbis.

refutat objecta de Strigonienſi, quòd impeditus fuerit, quò minùs Brunam venire potuerit:

de Bielykone, quòd injurias illatas meritò propulſaverit:

contrà Sternbergium, quòd cauſam dederit malorum; ideóque non poſſe cum eo tranſigere, niſi prius ſatisfaciat.

Georgium poſſe imperium ſuum exercere in eos, qui ſunt è ſocietate fratrum, ſiquidem ſubditi ſunt; & dum premuntur, in Moraviam recurſum ſuum habent.

Strigonienſem venturum ad Georgium; modò ei de ſecuritate proſpiciatur.

Literæ Archi-Epiſcopi Strigon ad Georgium. *Cod. maj. f. 719.*

quibus non potuiſſe ſe ad Regem venire nuper oſtendit: ventum tamen, ſi ſibi de ſecuritate itineris cavebitur,

Digitized by Google

& locus conveniendi vicinior Hungariæ deſignabitur.

ctum parvi pendunt, nos quoque eorum promiſſis nunquam credere volumus. Aliud eſt quod nobis neceſſarium videtur, ut propiùs alicubi circa metas Regni Hung. nobis locum conventionis S. V. deputet, ne longiori itinere detur occaſio malignandi ijs, qui obſiſtere vellent. Dat. Trnaviæ, ultimâ Dec. 1466.

Cod. cit. f. 703. Idem Archi-Epiſcopus ſcribit: vulgi famam eſſe,

quaſi juſſu, vel conſenſu Regis agerentur hoſtilia, ab ea ſocietate fratrum in Hungaros:

Et quia aliquot diebus antè, præmiſerat idem Archi-Ep. alias ad Georgium literas, in quibus præter alia hoc adjecit: *Benè jam cognovit S. V. quàm malè obſerventur ex parte ſubditorum S. V. fœdera & obligationes, tam priùs, quàm etiam noviſſimè inita & facta: qui quidem ſubditi S. V. jam non particulariter, ùt priùs, damna faciunt, ſed apertum bellum Domino noſtro Regi Regnóque inferunt, ſine omni juſta & rationabili cauſa. Imò quod gravius eſt, nonnulli ex eis aſſerere non verentur, quòd hæc faciant de permiſſione S. Veſtræ. Quod ſi ità eſt, nihil pejus contra fidem & fœdera actum eſſe poteſt. Qua in re non ſit meum, hæc veráne ſint, dijudicare; ea tamen, quæ fieri video, laudare non poſſum.* &c. *prout hæc & alia prædictus D. Joannes Gitczinsky de Cymburg* (hunc Georgius priusquàm Brunâ diſceſſiſſet ad Matthiam miſit) *Seren. Veſtra latiùs poterit explicare. Dat. Trnaviæ 19. Decembris 1466.*

quod Rex negat; Cod. cit. f. 706.

& oſtendit, ſe in illos non habere imperium ullum,

ùt qui etiam Moraviam infeſtare ſoleant excurſionibus crebris.

Non intermiſit ad illas quantocyùs dare reſponſum, quod tale fuit. *Reverendiſſime in Chriſto Pater. Amice chariſſime. Recepimus literas P. V. decimâ nonâ præſentis menſis datas.* &c. *Et quia pridie quàm illas accepiſſemus, alias noſtras reſponſales, ſuper quibusdam prioribus literis à Sereniſſ. Fratre noſtro, veſtráque P. ad nos datis, pleniſſimè reſpondimus.* &c. *Quod autem aſſeritis, quosdam Fratri noſtro palam inferre bellum, & quosdam ex eis ſe jactitare.* &c. *Quisquis ex illis ſe jactat, noſtro ſcitu & voluntate ſe bellum gerere, graviſſimam nobis infert injuriam. Et quia tales invaſores nobis non deſcribitis, non ſatìs clarè intelligere valemus, qui nam ſint illi: nam ſi fortè illos denotâtis, qui ſe fratres nuncupare conſveverunt, in eos certè non habemus imperium, qui & noſtros ſubditos in Moravia reſidentes invaſerunt; quos nullis literis, neque minis diſterrere poteramus, donec Illuſtris Dux Münſterb. filius noſter, ex mandato noſtro, bello publicè proclamato, eos tandem exegit. De qua re, & mente noſtra, Sereniſſ. Frater noſter, & P. V. per Conſiliarios noſtros, ad Feſtum Epiphaniæ, apud Hodoninum, vel Skalicium, cum Conſiliarijs ſuæ Serenit. comparituros pleniùs certiorabitur. Nos enim fœdus cum Fratre noſtro ictum,* &c. *Dat. ultimâ Dec. 1466.*

Georgius pacis conſervandæ cupidus, cum Matthia Rege:

ob quam cauſam locum deſignat, ubi legati utriúsque partis convenirent, tractaturi de firma pace,

Ex his patet, Georgium ad pacis conſilia, ommiſſis præcipitibus, fœdúsque cum Matthia inviolabili tenore ſervandum, inclinatiorem fuiſſe, quàm ad gerendum bellum; ídque ſummo egiſſe ſtudio, ut de omnibus illis controverſijs, quæ per mutuos hoſtiles excurſus, & illata utrínque damna, exortæ fuerant, amicè, & absque ſtrepitu armorum tranſigi poſſet. Quem in finem tantoperè petijt, ut ad certum locum, &, ſi Matthiæ videretur, *Hodoninum,* vel *Skalicium*, legati utriúsque partis convenirent; ubi ex æquo & bono, tam ſalubri & ſalutari operi, optatum finem imponerent. Cúmq; id obtinere non poſſet, Archi-Epiſcopum Strigon. ad ſe Pragam mitti petijt, tractaturus ipſemet cum illo ea, quæ facerent ad conſervandam pacem. *Neceſſarium*

maxi-

Digitized by Google

Cod. cit. f. 717. Ad Matthiam ſcribit, petitq; mitti ad ſe Pragam, Archi-Epiſcopum Strigon. cui de ſecuritate itineris per Moraviam & Bohem. promittit.

maximè eſſet (ità ad Matthiam ſcripſit) *nobisque gratiſſimum, ſi Rev. in Chriſto S. Archie-Epiſcopus Strig. ad nos usque mitteretur: niſi enim ardua & inevitabili noſtra, ac Regni noſtri negotia eſſent, quibus per totum inſtantem menſem Febr. ac deinde per plurimos dies ſequ. & per quatuor tempora, ad usque dimidium Quadrageſimæ occupabimur, nos profectò minimè piguiſſet in Moraviam perſonaliter excurrere; ſed hic & nunc id efficere commodè non valemus. Et ut omnis ſerupulus, quoad ſecuritatem D. Strigon. tollatur è medio, commiſimus filio noſtro Victorino, ut ad metas Moraviæ ſe conferat, & præfatum D. Strigon. ad nos usque conducat, quem etiam pro honoris noſtri debito, & ipſius merito, ſalvum reducere promittimus. Dat. Pragæ 10. Jan. 1467.*

Cod. cit. f. 720. Idem Archi-Epiſcopo ſcribit, eúmque Pragam invitat, deſignando ei itineris Comite, Victorino Duce, iíque pro majori ſecuritate.

Idem Archi-Epiſcopo ſcripſit. *Regnorum Hungariæ & Bohemiæ Status, veſtri conventionem, cum perſona noſtra multis de cauſis efflagitat: non gravetur itaque, oramus, perſonaliter ad nos Pragam accedere. Quod autem ad ſecuritatem attinet, Illuſtris gnatus noſter chariſſimus, Victorinus Dux Münſterb. & Capitaneus Moraviæ, de mandato noſtro, amicitiam V. in finibus Moraviæ ſuſcipiet, & usque ad nos perſonaliter adducet: Vos minimè deſerturus aut relicturus, donec ad nos perducat. Eritque officij noſtri debitum, pari proviſione P. V. in propria usque ſecurè reduci curare. Dat. Pragæ 10. Jan. 1467.*

Sed nihil impetrat; quod dolenter fert; & cum emendare non poſſit, diſſimulat.

Sed neque hoc obtinere potuit *Georgius*: quod ſanè ei grave imprimis ac moleſtum accidit, adeò ut poſtea de hoc apud Duces Saxoniæ, aliósque Germaniæ Principes, expoſtulando gravem querimoniam inſtituerit: ſic tamen, ut tempori neceſſitatíque cedere, & hæc omnia in præſentiarum diſſimulare cogeretur.

Exorta ſimultas Cæſarem inter & Bohemiæ Regem, augetur magis.

Supra narravimus *Georgium* ſuis innixum rationibus, *Friderico Imp.* per feciales literas, amicitiam renunciâſſe & pacem: unde gliſcebat utrinque magis odium, donec tandem accedentibus alijs adhuc cauſis, in apertam hoſtilitatem, ut poſtea commemorabimus, erupit. Ad alias offenſionum cauſas, propter quas Imperatori cum Georgio non ampliùs benè conveniebat, haud poſtremũ fuit: quòd *Georgius* reſiduum pecuniæ, quam ſibi *Fridericus* in præmium præſtitæ nuper adverſus *Viennenſes perduelles* operæ, ínq; refuſionem expenſarũ promiſerat, ab eo pecuniarum aliàs tenace, importunè aliquantùm exigeret. De quo Gerardus de Roo, Hiſtoricus Cæſareus: *Circa hæc tempora,* inquit, *miſſus à Bohemo Linzium, Joannes Sternbergius, pecuniæ reliquum exigebat, quam Cæſar ab obſidione liberatus, daturum ſe promiſerat, jamque præſtitutus ſolutioni dies ante biennium exijſſet. Fridericus per Gurcenſem præſulem reſpondet, bis ſe illius rei ſummam pecuniæ non pœnitendam perſcripſiſſe; magnis ſe poſtea damnis à Bohemo milite affectum eſſe, ad quæ connivere ipſum non obſcuris indicijs prodi. Omnibus paſſim res novas per Auſtriam molientibus, paratum in illo præſidium eſſe: paulò antè, Stephanum Eitzingerum, nunc verò Georgium Steinium ipſius famulatui addictos, ipſius auxilijs inſtructos, turbare quietum Auſtriæ ſtatum, nihil per ſe auſuros. Impediri ab ipſo, ne quod gravibus de cauſis faciendum erat, Romam ire poſſit: interim neque fidem Eccleſiæ datam ſervari, & pacem ejus ac tranquillitatem ſúsque deque ferri;*

Gerard. de Roo in Hiſt. Auſtr. l. 8. ad an. 1466. Georgius à Cæſare reſiduum pecuniæ ſibi promiſſæ petit, miſſo ad eum Joanne de Sternberg. Cæſaris reſponſum acre, quo Georgium tangit graviter:

quæ

quæ omnia, utì hactenus ſe ex ſingulari pacis ſtudio toleráſſe, ità ulteriùs, ferre nec velle, nec ſi vellet, poſſe. Commotior hoc reſponſo Sternbergicus, liberum, inquit, Bohemi Regem habemus, & qui in famulatum quoscúnque volentes adſumere poteſt. Cùm verò nihil ad poſtulata reſpondeatur, minaq́ tantùm & contumeliæ audiantur, nos hæc, uti quoque acta ſunt, referemus ad Regem noſtrum; cui & conſilium domî, & vires non eſſe defuturas ſperamus, quibus ſibi ſuisque pro eo atque debet, conſulat. Ità diſſimulata diu animorum inter ipſos diſſenſio erupit.

unde legatus commotior, Regis ſui honorem tuetur, inſolenti ad Cæſarem dicto.

Conventus, tractandæ pacis atque concordiæ Regem inter & Zdenkonem Sternbergium causâ, Novædomi habitus initio Febr. an. 1467. in irritum ceſſit.

Nomina Procerum, quibus pax cordi erat.

Quo facto, etiam conventus Baronum Bohemiæ & Moraviæ, *Novadomi*, tractatióque omnis, quæ eo conſilio inſtituta erat, ſi quomodo domeſticæ turbæ, quæ jam tunc cœperunt invaleſcere, *Zdenkone Sternbergico* authore, ſedari poſſent, in vanum deſijt; abjectâque prorſus pacis mentione, bello civili, non ſine magna rerum humanarum & divinarũ confuſione, paulo poſt exorto, materia relicta eſt; quòd aliàs, adnitentibus *Protaſio Ep. Olom. Conrado Duce Oleſnicenſi Wolavienſiq́, Joanne Roſenſi, Joanne & Henrico Novodomæis, Hanuſſio Zbynkone & Joanne jun. Kolovvratæis*, & alijs, qui pacis conſilia potiùs amplectenda ſvadebant, præcaveri potuiſſet. Et hoc videtur eſſe, quòd *Gregorius Heimburg*, Regi Bohemiæ â ſecretioribus Conſilijs, vir Jurisprudentiâ inſignis, & teſtimonio quondam *Æneæ Sylvij*, inter doctos Germaniæ facilè princeps, literis Viennam ad amicum datis, 20. Febr. an. 1467. perſtrinxit hiſce: *Tractatus noſter apud Novamdomum habitus, factionibus Cæſaris diſſolutus eſt, & rebelles Regis nimiùm ſuperbè ſeſe oſtentabant: fortaſſe propter cladem Fratrum, qui propè Trnaviam cæſi ſunt, non adſcribentes id opus fidei Regis noſtri; qui vix continuit ferociam Moravorum & Bohemorum, qui ipſis ſuccurrere cupierunt.* Et in alijs ad Archi-Epiſcopum Strigonienſem, 19. Febr. datis: *ne victoriola illa inſolentiam pariat, néve Panonij ſuperbiùs ſeſe exhibeant, quaſi Palladium Minervæ abſtulerint: ſed ſic exiſtiment, Regis Bohemiæ favore, qui feroces leones intra ſepta cobibuit, talem victoriam ſe nactos eſſe.* Et iterum ad eundem: *Teſtis ego ſum, quòd quando Sereniſſ. Rex veſter munitiones juxta Trnaviam congeſtas expugnabat, Rex noſter undique pulſatus, ut tacendo ſaltèm conniveret, quatenùs ijsdem obſeſſis, alij qui ſe quoque Fratres nuncupabant, ſubvenire poſſent. Erant enim tunc tam in Polonia, quàm in Pruſſia, & per Bohemiam Moraviámque, ejus ſocietatis fratres quàm plurimi, qui parati fuerant ſumptibus & periculo ſuis quidem proprijs, ſuccurrere ſocijs, in tanta neceſſitatis articulo conſtitutis: Rex verò noſter conſtantiſſimè reſpondit, ſe fœdus initum purè, ſyncerè ac fideliter obſervare velle.* &c. *Pragæ, 25. Julij 1467.*

Gregorius Heimburg, primò gratus Sylvio, poſtea excommunicatus.

Æn Sylv. in Alphonſi Comment. lib. 3. § 6. Epiſtol. 110.

Societas fratrum *Bohemorum & Morav.* in Hungaria cæſa & diſſipata:

Cod. maj. lit. publ. fol. 644. Cod. min f. 251.

cui dum alij ſuccurrere volunt,

Cod. maj. cit. fol. 251.

Georgius prohibuit; ne exinde haberent Hungari anſam criminandi ipſum, quaſi contra pacta fœderis ageret, & bellum ipſe priùs vellet.

Fratrum per Hungariam graſſantium clades, an. 1467. circa init. Febr.

Per id nâmque tempus, *ſocietas illa Fratrum*, ab exercitu *Matthiæ* Regis, prælio graviſſimo proſtrata diſſipatáque fuit: multi cæſi, ſed plures capti: inter quos dux ipſe *Svebla*, poſt iniquam prælij fortunam, in caſtellum *Koſtolan*, non procul *Trnaviâ* ſitum, ùt diximus ante, quod ſuo præſidio tenebat, ſe cum aliquibus recepit. Ubi circumvallatus undique â victoribus Hungaris, & ab ipſo, Rege *Matthia* (nam invenio literas ipſius ad Victorinum Du-

cem

cem Münſterb. *ſub fortalitio Koſtolan, in feſto S. Vincentij M.* id eſt, 22. Jan. 1467. datis) inque extremas redactus anguſtias, tametſi obſidionis incommoda aliquandiu forti patientíque animo toleráſſet; poſtremò tamen ſcelerum pœnas veritus, de fuga ſeriò cogitare cœpit. Jámque in proximas ſylvas ſilentio delatus, extra periculum ſe eſſe exiſtimabat, cùm inter hæc in lignatores quoſdam inauſpicatò, ac ſummâ ſuâ infelicitate incidiſſet, â quibus exemplò comprehenſus, & â fuga retractus, laqueo factorum pœnas luit. Fusè de hac *ſocietate Fratrum*, de *Svebla*, eorúmque ortu, progreſſu & interitu, refert Anton. Bonfinius tempori illi coævus: quem audire non pigeat.

Svvehla Bohemus dux illorum, in Koſtolan obſeſſus; cùm inde profugiſſet, tutiora petens, capitur, & ſuſpenditur.

Thuroc. part. 4. cap. 66.
Bonfin. rer. Hung. dec. 4. lib. 1.
Ens. rer. Hungar. lib. 4.

Rex igitur *Albam* primò venit, octo ibi dies egit, quibus equeſtres ludos exhibuit; ibi quoque *Svebla Bohemus*, vir impiger ac ſtrenuus, infeſtâ haſtâ pulchrè decertavit. Rex *Albâ* profectus, cùm *Zagrabiam* iter intenderet, ad tertium lapidem à quodam pago, pluribus à *Svebla* exoratur, ut miſſione donaretur. Remotam is militiam, & ſterilem cauſabatur: ut miſſionem impetraret, aut anſam quæreret abeundi, ab intempeſtivi ſtipendij efflagitatione rem inceperat, ut abnegato ſtipendio, etiam invito Rege, jure ſibi abire liceret. Duos in hac re ſibi ſocios fuiſſe memorant: *Georgium Batolczky Moraviæ regulum*, & *Franciſcum generum Boëmum*: verùm illa fuit deſciſcendi cauſa: ſperabat enim, abeunte Rege, Pannoniam veluti gubernatore deſtitutam, latrocinijs ſpolijsque patêre. *Svebla* demum, invito rege, cum ſocijs abijt. Reverſus in *Ungariam* ad graſſandum potiùs, quàm militandum; inprimis caſtellum Regis, quod *Coſtolan* appellant, occupavit: deinde ſocietatem illam *Boëmicam*, quæ ex cognomento *Fratrum* nomen acceperat, in *Moravia* tum æſtivantem, & *ab Imperatore Romano* inauctoratam, ocijſſimè convocat: (erat enim hæc hominum ferè ſeptem millium) & ad lucrum faciendum in Ungariam invitat, opulentas populationes, & commoda ibi latrocinia pollicetur. Fraternus hic exercitus *Sveblæ* pollicitis oneratus, *Poſonium* venit. De occupanda hìc *Trnavia* agi cœptum. E centurionibus unus erat Ungarus, cui *Blaſio Podmaniczky* nomen erat. Hic patriæ gentis charitate correptus, libero in medium animo prodijt: Quocúnque me (inquit) ſocij, noſtra (Societas) ire juſſerit, ſive *in Polonos* ire cogar, ſive *in Alemanos*, nulla unquam erit in me mora. Sed in patriam arma ſumere, quando præter fas & æquum eſt, id nullo modo præſtare poſſum. Deterret impietas, religio interminatur, patriæ charitas inhibet: & præſentanea ſupplicia, *Dij Penates*, patriíque proponunt. Proinde aut alio nunc arma vertite: aut, ſi pergitis, me ultro dimittite & exauctorate.

Svvehla primò Matthiæ Regis militans, ſtrenuè ſe gerit: à quo, licèt invito, licentiam abeundi impetrat, & adjunctis ſibi quibusdam ejuſdem farinæ hominibus, ad latrocinandum animum convertit; fratrum ſocietatem, (*quorum ſeptem millia*) ſibi adjungit: Trnaviam civit. in Hungaria divitem expilare conſtituit.

Cui Blaſius Podmaniczky Slavo-Hungarus, unus ex ductoribus fratrum, contradicit, & potiùs militiam ipſius deſerit,

Is acceptâ continuò miſſione, inſequenti nocte, cum ſuis contubernalibus, clàm *Trnaviam* conceſſit. Cùm eum cuſtodes admittere recuſarent, præfectum urbis ad ſe vocari juſſit: feſtinanti cauſam adventûs, & quantum periculi immineret, expoſuit, omni jubens eos ſuſpicione carere: cùm iſta retexiſſet, à præfecto urbano mox admiſſus eſt. Poſtremo die rumor paſſim increbuit, quicquid agri *Poſonium Trnaviámque* interjacet, id omne *à Boëmis* populatum iri. Hæc enim viginti quinque millibus paſſuum *à Poſonio* remota eſt. Atqui res ipſa rumorem anteceſſit: nam ad portas urbis, Boëmi ſtatim affuêre, & urbem ſibi dedi poſtulabant: huic exitium interminati, niſi portas continuò patefacerent. Dicere ad hæc, nil eſſe timendum, ſe præter commeatus, & hoſpitium nil aliud expoſcere, nil etiam ſine mercede accepturos: polliceri, ſi admiſerint, omnibus cum integra libertate incolumitatem. Contra à mœnibus extemplò ſe *Blaſius* prodidit: quì imperioſus eos abire jubens, minis ac vi nil ibi profecturos eſſe ſignificavit, quando ſat commeatibus, & præſidio Civitas munita foret; quin etiam, nî continuò receſſerint, pœnas interminatur. Ij poſtquàm *Blaſium* in urbe eſſe cognovêre, pedem continuò retulerunt: & ad decimum lapidem, ad *Divi Viti* fanum, caſtellum inſtaurârunt, quod *Coſtolan* appellabant, à *Svebla* priùs occupatum. Hinc mox, cùm locum foſsâ aggereque duplici, & crebris turribus com-

Trnaviam ſecretò abit, & præfectum urbis de periculo admonet.

Svvehla cum ſocijs ad Trnaviam venit, civitatémque ſibi tradi pro hoſpitio petit: quo negato, & cognito, Blaſium in civitate eſſe,

retrocedit, & caſtellum Koſtolan occupat, ac inſtauratum meliùs communit; indéque in regionem vicinam ſæpè excurrens, prædas agit, toti illi diſtrictui multùm gravis. Matthias Rex, ommiſsâ expeditione contra Frangepanos ſibi contumaces, transmiſsóq; Danubio, adversùs Svehlam movet, eúmque Koſtolani obſidet: qui non ſatis fidens caſtelli mœnibus, & commeatuum inopiam præſentiens, noctu cum ſocijs evadit, relictis in caſtello paucis, ut tantiſper diſtinerent Hungaros, uſque dum in tutiora evaderet. Quo cognito Rex, eos inſequi jubet; multi à fuga retrahuntur; aliqui ab iratis Hungaris è veſtigio occiduntur. Svehla per invia devia vagus, & à lignatore in ſylva deprehenſus agnitúsque, verbis primò contumelioſis ab eo excipitur, deinde ad vicinum caſtellum ducitur, ibique præfecto caſtelli cuſtodiendus traditur;

communiviſſent, in rapinas proximas effunduntur, pagos & oppida vimineo muro circumſepta incendunt, abigunt pecora, in captivitatem omne genus hominum aſſerunt, cædunt reluctantes, & cuncta diripiunt. *Svebla* indiès cum facinoroſa multitudine latiùs longiúsque graſſatur. Inſtaurata in ſuperiore Ungaria, priſtina eſſe latrocinia, omnes vociferantur: redintegrantur vicatim & oppidatim fæminarum hominúmque lamenta: ad revocandum è Dalmatica expeditione Regem nuncij mittuntur, qui *Sveblæ* facinus, & renovata Boëmorum latrocinia referant.

Vix *Zagrabiam* Rex fortè pervenerat, cum *Sveblæ* novitatem accepit. E veſtigio cum exercitu pedem retulit, continuatis itineribus *Strigonium* venit, & in ripa fluminis caſtra poſuit. Inſequenti die, coactis undecúnque licuit navibus, copias traijcere cœpit, transmiſſo Danubio, *Trnaviam* conceſſit: móxque *Coſtolan*, famoſum graſſatorum aſylum, obſidet. Caſtellum, quod vi facilè capi non poterat, magnam utrinque cædem ſibi poſtulabat: nullâque machinâ & ingenio citiùs, quàm inediâ capi, poſſe videbatur. Nam ingens multitudo, propter operoſam munitionem, & properam obſidionem, ne tantum quidem commeatuum, inferre potuit, quantùm ſat eſſe putaretur. *Svebla* igitur, cui laquei ſupplicium quotidie Rex interminatur, & ſuas nunquam manus evaſurum auſpicabatur, ad fugam animum primùm intendit: propoſitam ante oculos famem ſpectabat, cui tantum ſociorum numerum per inediam abſumptum iri ægrè ferebat, ab arte ſalutem exquirit. Proceras arbores, quæ murum ex materia & congeſta terra factum circumſtabant, nocte clàm ſubcidit: pontémque ex his conſtrui jubet, ut ab averſa caſtelli parte, jacto ſupra foſſam cæco ponte, proſiliant. Cùm omnia è ſententia fierent, per ſilentium noctis cum univerſa ferè ſocietate, *Svebla,* per actuarium pontem clam elabitur: ducentas meretrices, & trecentos tantùm homines in caſtello relinquit; quo præſidio, donec ipſi longiùs effugiant, conatus Regis eludant.

Rex contra, cùm hos maxima exparte exiluiſſe ſenſiſſet, immiſſo expeditiſſimo equitatu, multiſque cohortibus à tergo inſequitur, in fœda fuga cæduntur multi. Rex eâ nocte in caſtra redijt, magnam partem copiarum eos inſequi juſſit. In ſylvas illi ſe recipiunt, per cunctas latebras, & ſingula luſtra petuntur. Diffuſo rumore, ruſtici ſuperveniunt, qui multo ſagaciùs eorum veſtigia inſequuntur: multos inveniunt, quos repentè trucidant ſpoliántque. Latrociniorum pœnas ſeveriùs exigunt: & injuriarum haudquaquam immemores, pro furoris imperio ſæviunt. Ex his pauci evaſêre: ducenti & quinquagintà capti, ad regémque in caſtra perducti. Paucis poſt diebus *Svebla* captus adducitur: is enim ſolus equo inſidens, cùm per ſylvas erraret, ut *in Moraviam* effugeret, in lignatorem quendam incidit: oravitque hunc impenſiùs, ut ſeſe viæ ducem tantiſper accommodaret, quoúſque proximos *Moraviæ* fines attingeret. Pro mercede equum, arma, pecunias & perpetuam denique gratiam pollicebatur. Cùm nomen rogatus, *Sveblam ſe eſſe diceret*; ille continuò: *Ità, ſalve*, inquit, *Svebla, latronum Princeps facinoroſiſſimè: ô quoties mihi pecora & jumenta abegiſti? quot meam domum calamitatibus affeciſti? quòd de te aliquid pollicearis, non eſt opus: jam mei juris es, Svebla, equus & arma mea ſunt;* Mox apprehenſo equo, *Sveblam* cepit, qui trium dierum inediâ jam abſumptus, vix equo ſuſtineri poterat. Hunc ad caſtellum Cheithe duxit, caſtellique præfecto, cui *Ladiſlao Zenas* nomen erat, captivum aſſignavit; is mox ad Regem adhuc *Koſtolan* obſidentem, literas miſit, quibus & *Sveblæ* captivitatem, & quid de eo fieri vellet, planè ſignificabat.

Hoc nuncio Rex in caſtris admodùm exhilaratus, eum diligentiſſimè vinctum, fidiſque cuſtodibus aſſervatum ad ſe mitti præcepit. *Ladiſlaus Zenas* continuò mandata facit: *Sveblam* manibus pedibúſque vinctum, fidâque cuſtodiâ circumſeptum, ad Regem in caſtra miſit. In conſpectum ejus adducto: nonne tibi ſæpiùs (Rex inquit) interminatus ipſe prædixi, te manus meas, ſuppliciúmque crucis nunquam evaſurum? cùm forte rogatus, triginta te dentes habere dixiſſes: nónne meminiſti, con-

convivas tibi omnes affirmâſſe, crucis omnino pœnas te eſſe daturum. Scelus cum aſtro conſentiens, fatum tuum adduxit: te *Svehla* facinoroſa perfidia huc adduxit: quotiens te ſuſpendio dignum liberavi? ratus, viribus & virtuti bellicæ aliquid tribuendum. Significavi, ut ab adverſa præſidij porta clam elaberêris: ne cum cætera multitudine æquè mori cogerêre. Feciſti, aufugiſti quidem, manus meus evadere nequiviſti. Proinde quando perfidia, fatum & latrocinia tua ità jubent, laqueo cui es obnoxius, emorere, & moriendo malè mereri deſine. Fatum enim remorari, non tamen evitari poteſt. Fruſtra ſupplicantem, in carcerem rapi juſſit, facinoroſorum ſupplicio *Magyarum Blaſium* præfecit. Is in ſequenti die, pro caſtelli porta, cruces longo ordine diſpoſuit: ſuper has eminentiores quasdam inſtituit, ubi latronum Princeps ipſe præpenderet. Mox omnes ad ſupplicium educti: in inferiori, ſpectantibus ſocijs, qui in caſtello erant, ducenti & quinquaginta ritè ſuſpenſi: in ſuperiore verò ordine, qui magis erant inſignes; in medio, *Svehla*: à dextra Sacerdos ejus, à leva, puer, qui pòſt, enſem geſtare ſolebat. Cæteri, qui in præſidio remanſêre, tetro ſociorum ſpectaculo abſterriti, ad hoſtis arbitrium ſeſe dedidêre. Trecenti ibi capti ſunt: ducentæ verò mulierculæ, quæ pari ſcelere victum quæritabant. Ij omnes à *Stephano Bathore*, ſecundo amne, *Budam* deducti, & in turrim, quam *Mancam* ex cognomento dicunt, conjecti ſunt. *Michaël Czobor* eâ tempeſtate præfectus arcis erat, vir quidem haud infacetus, alioquin ſeverus in noxios, & non expers crudelitatis; is enim eſurientis faſtidio multitudinis exaſperatus, ſub prætextu liberationis, ſex octóve intempeſtà nocte excipere cœperat; quos alligato gutturi ſaxo, *Danubio* clam demergeret. Interpolatis id noctibus usque adeò factum, quousque univerſus captivorum numerus hoc ſupplicio abſumeretur. Ex ea igitur *Boëmica ſocietate*, quæ ſeptem millibus hominum planè conſtabat, perquàm pauci evaſêre; omnes enim aut fame, aut ferro, aut aquis ſunt abſumpti: hic *Fraternitatis* illius finis fuit.

qui ipſum ligatum ad Regem miſit. Regis tum adhuc Koſtolan obſidentis verba ad Svehlam. Svehla gratiam petit, ſed non impetrat: ſupplicio deſtinatur, & unà cum ſocijs ſuſpenditur.

Reliqui ex obſeſſis deditionem faciunt; Budam captivi ducuntur, & ſingulari crudelitate Michaëlis Czobor, arcis præfecti, vel fame necantur, vel in Danubium, noctu, alligato ad collum cujúsque ſaxo, præcipitantur.

Eâ victoriâ inſolentiores nonnulli ex Hungaris, tantum ſibi arrogabant, ut *de Bohemis & Moravis*, quinimò de ipſo etiam *Rege Georgio* victoriam ſeſe nactos palam aſſerere, & gloriari non dubitarent: eo potiſſimùm argumento ducti, quòd Fratres illi fuiſſent, ùt plurimum, *natione bohemi & Moravi*, adeóq; Regis ſubditi. Quæ res ad *Georgium* citiſſimè delata, vehementer animũ ejus ad indignationem usq; commovit; qui idcirco confeſtim literas, quibus oſtenderet talia non niſi alienandæ voluntatis, rumpendáque pacis eſſe proritamenta, ad *Matthiam* dandas exiſtimavit. In ijs dicit: *Poſtquam victoria ceſſit F. V. de hoſtibus, vel turbatoribus Regni veſtri, nonnulli ſubditorum Seren. Veſtræ minimè ponderantes, neque intelligere volentes ea, quæ acta ſunt, laxant linguas ſuas in nos, & ſubditos noſtros: propter quod perduellibus noſtris ſpes, & mala mens indiès augetur. Novit enim DEUS, & poſt hæc etiam S. V. reſciet, quàm ſolicitè reſtiterimus, ne ſociales cognati, affines ac neceſſarij ſocietatis illius, & omnes qui olim cum ipſis pericula ſubierunt, auxilio illis accederent: quoniam hoc fœdus noſtrum ultrò citróque percuſſum, & ipſum fidei ſacramentum exigebat, exigitque. Cavendum eſt autem, ne ſicut parvulus ignis aliquando ſylvam maximam ſuccendit, ſic parvum linguæ membrum ſubditorum veſtrorum, pectora taliter inflammet, ut ea vix reſtingui poſſint. Nam etſi de F. V. certiſſimum habeamus, quòd nihil in nos tale proferat, quod ſit vel ipſo prolatu indignum, vel nobis auditu contumelioſum: hoc tamen jam exploratum habemus, quòd nonnulli veſtræ ditionis Clerici & Laici victoriam veſtram, improbis verbis taliter elevare geſtiunt, ac ſi contra nos,*

Hungari victoriâ inſolentes, quaſi jam etiam de Rege ipſo Bohemorum triumpharent, gloriantur. Quod reſciens Georgius, *Cod. maj. f. 725.* ad Matthiam ſcribit, rémque iſtam ſe ægerrimè ferre pluribus oſtendit;

quid exinde ſequi poſſit, demonſtrat;

& ut ab ejusmodi ſermonibus abſtineatur, petit.

nos

noſtrámque factionem fuiſſet obtenta. &c. *Expedit igitur, ut vani hujuſmodi rumores arceantur*, &c. *Dat. Pragæ, die 21. Febr. an. 1467.* Quid reſponſi dederit *Matthias*, non invenio: credibile eſt, tale fuiſſe, cui *Georgius* acquieſcere potuerit: ſiquidem non multo poſt, idem *Matthias*, datis ad *Victorinum* literis amiciſſimis, captivos quosdam Hungaros ſibi reſtitui petijt, & impetravit.

fol. 729.

Nuptiæ Henrici filij Georgij, cum Urſula filia Alberti March. Brandeb.

Circa Calendas Febr. *Georgius* Egram venit: quò *Albertus* Marchio Brandeb. filiam ſuam *Urſulam*, jam dudum *Henrico ſeniori filio Georgij* deſponſatam adduxit, ac Sponſo tradidit. Confluxerant eò etiam vicini Principes, & Comites magno numero; præcipuè verò Regis Bohemiæ Regníque clientes & vaſalli, qui bona & ditiones jam olim Coronæ Regni Regibúsque obnoxias poſſidebant, titulo fevdi; tum *Electorum Saxoniæ & Palatini*, *Ludovici* item *Bavari*, *Ulrici VVirtembergici*, *Philippi Comitis Palatini*, & *Norimbergenſium*, *Erfurdenſiúmque* legati, ad nuptias invitati: quæ magnâ omnium, ac imprimis *Georgij* lætitiâ celebratæ ſunt, planè ut Rex oblitus videretur belli ac ſeditionum, quæ imminerent. Promiſerunt deinde pleríque Regi auxilia, contra quoscúnque hoſtes; id quod etiam, nonnulli occultè, ne offenderent *Papam*; alij, uti *Saxones & Brandeburgici*, apertè præſtiterunt.

Egræ celebratæ, in præſentia multorum Principum: an. 1467.

quas *Paulus II.* Pont Max. datis ad Albertum litteris, fruſtra diſvaſit;

Cod. maj. fol. 544. & ſequ.

Alberto ſeſe excuſante, & à data ſemel fide, minimè recedendum exiſtimante.

Throbald in Hiſt. Huſſ part. 3. cap. 17.

Conabatur quidem *Summus Pontifex*, avertere *Albertum*, ab hac cum Georgio affinitate, datis ad eum ſemel atque iterum litteris, ac ultimò *ſub pœna Excommunicationis latæ ſententiæ* præcipiens: ne filiam ſuam in Catholica religione natam & educatam, deſponſaret *filio Georgij*, *Regni Bohemiæ* (ità dicebat) *occupatoris*, & *ipſi paternæ impietatis imitatori.* Sed *Alberto*, ejúsque patri *Friderico Electori*, non videbatur ampliùs integrum, ut connubialia pacta dudum inita, & tabulis ſolemniter firmata reſcinderent; eò quòd res iſta tum indecora, tum periculi plena eſſet, utpote, quæ *Bohemos*, homines præferoces, â quibus tot clades, non ità pridem accepiſſent, jure meritò irritare, & ad arma ultionémq; provocare poſſet. Dato igitur ad Pontificem reſponſo, ſeſe appoſitis verbis, quantum potuêre, excusârunt: nec interea eſſe, cur de ſua fide & obſervantia Pontifex quidquam dubitet, quam ipſi ad extremum usque ſpiritum inconcuſſam inviolatámque, erga S. Sedem Apoſtolicam ſint retenturi. Addidit *Albertus*; *Henricum* generum ſuum, magìs eſſe veteris Orthodoxæ Religionis, ſacríque Romani ritûs cultorem; nec niſi ad ſpeciem (ne offenſum haberet patrem) adhærere Compactatis, ùt qui renunciare ijs quamprimùm paratus ſit. Quod & ſucceſſu temporis fecit.

Henricus magis Catholicus, quàm Calixtinus, ſeu Compactatiſta.

MS. Anon. Prag.

Scanderbergi obitus.

Barlet. de Vita Scanderb. l. 13. Jobius in Elog. Scanderb. Spondan. in An. Eccl. ad an. 1467.

Eodem anno, nempe 1467. die 27. Jan. fortis ille Chriſti athleta *Georgius Scanderbeg Albaniæ Princeps* obijt ex febri, *Lyſſi in Epiro ad Drillum* amnem, ubi & ſepultus eſt in Eccleſia majori *S. Nicolai*, anno ætatis ſuæ 63. Ferunt, Turcas capto poſtea *Lyſſo*, eruta de ſepulchro ejus oſſa, uti ſacra, veneratos eſſe, ac religiosè diripuiſſe; cùm quisque ſe bello invictum tutúmque fore crederet, ſi vel fruſtulum ex oſſibus ejus, quæ auro vel argento inſerebant, geſtaret. Filium reliquit adhuc puerum, nomine *Joannem*, ſub tutela *Venetorum*: qui

poſt

Digitized by Google

poſt occupatam tandem totam â Turcis *Albaniam*, profugit in *Apuliam*, ad paternam ditionem, acceptam olim â Regibus *Alfonſo & Ferdinando*; ubi aliquandiu ejus Familia claruit. Cujus obitûs meminiſſe hic placuit, quia & ſuperiùs mentionem ejus fecimus, ubi glorioſa ipſius geſta (tranſcurſim licèt) recenſuimus. Vir ſanè incomparabilis, & in prælijs adversus Turcas ſingulariter fælix; *malleus Turcarum* vulgò nominatus, *Slavonicæ noſtræ Gentis* præclarum Decus.

lib. 5. cap. 8. pag 625.

CAPUT VI.

Novæ in Georgium, & adhærentes ipſius cenſuræ publicantur: quibus territi Bohemi & Moravi non pauci, aut deficere omnino â Rege, aut nutare incipiunt. Quidam etiam de alio Rege creando conſilia miſcent: unde Regnum in factiones ſciſſum, diráque belli clade vaſtatum.

INter hæc afferuntur Româ novæ *Bullæ* (ùt vocant) *plumbatæ*, tranſumptáque ſententiæ nuper publico in Conſiſtorio adversùs *Georgium* latæ; quâ ille hæreſeos damnatus, omni *Regiâ*, *Ducali & Marchionali* dignitate privabatur, cunctis Regni Ordinibus, ut ei parere neceſſe non haberent, ab omni ſubjectione homagij ſolutis: cum denunciatione etiam *Apoſtolici fulminis* in eos, qui ab imperio ductúque illius ſeſe quantocyùs ſubtrahere nollent, ſed in obſequio ejus, fidéque obſtinatè perſiſterent. Quæ cùm omnium primò ad manus *Laventini* Wratiſlaviæ tum agentis veniſſent, ſine mora ille, miſſis quaquaversùm nuncijs, ea publicari juſſit: ſuis quoque ſpecialibus additis, quibus omnibus & ſingulis Principibus, Comitibus, Baronibus, & Communitatibus; præcipuè verò Epiſcopis, eorúmque Collegijs ſeu Capitulis, Prælatis, Canonicis, Parochis; omni denique ordini, exequutionem dictæ ſententiæ ſub comminatione cenſurarum Eccleſiaſticarum præcipiebat. Potiſſimùm verò *Epiſcopum Olomuc.* quòd illum *Georgio* propinquitate junctum eſſe haud ignoraret, ne deinceps quidquam conſortij cum eo haberet, admonendum duxit brevibus hiſce: *Reverendiſſime Pater. Intellexit, ùt puto P. V. ſententiam per Sanctiſſ. D. N. contra Gerſicum conſiſtorialiter eſſe latam: de qua ut certior fiat, copiam ipſius præſentibus incluſam transmitto. Conſulo, imò ex parte Sanctiſſimi D. S. requiro, ut R. P. V. à dicta, converſatione, conſortio declarati, relapſi, depoſitique ſe retrahat; ne nimiam indignationem, quæ occaſionem commiſſionis & privationis dare poſſet, ſuæ Sanctitatis incurrat. Aviſo etiam Dominos Barones de declaratione facta, & requiro, ut ampliùs cum eo non tractent*, (tractabant autem tum adhuc *Novadomi*, ubi aderat etiam *Protaſius*,

Decreta Pontificia in Georgium, & ipſius adhærentes, denuò publicari jubentur: *Cochl. lib. 12. Theob. part. 3. cap 16. Anon. Prag. ad an 1467.* quod Laventinus Ep. tanquam Legatus Apoſt. ſtrenuè exequitur; ac præter alios, ut idem faciant, hortatur Epiſcopum Olomuc. datis ad eum ſpecialibus literis, *Cod maj. f. 379. Cod min f. 223.* monénsque, ut partes Georgij deſerat, niſi aliàs incidere quoque in Cenſuras velit.

Digitized by Google

taſius, ùt ante diximus) *neque concordiam ineant. Fæliciter & ad vota valeat. Dat. VVratisl. Feriâ III. poſt Dom. Septuageſ. 1467.*

Georgius hoc cognito,

Non potuerunt hæc latere *Georgium*; qui metuens, ne *Protaſius* hâc admonitione, & minis Legati Pontificij victus, partes ſuas tandem deſerat, & exemplo ejus, *Moraviæ* quoque *Proceres*, ac præſertim *Urbes* deficiant, ſeſéque fidei & imperio, vel *Cæſaris*, vel *Matthiæ Regis* ſubmittant, prævenire in tempore conſtituit, eúmque officij debiti amicè commonuit talibus.

ſcribit ad Epiſcopum Olom. *fol. 547.*

eúmque fidei ſibi datæ admonet:

Venerabilis Princeps, devote, dilecte. (nota, Epiſcopos Olomuc. jam dudum Principis titulo uſos) *Novit devotio tua, quanto amore, quantáque mentis ſinceritate, pacem, unionem & tranquillitatem, Regni Bohemiæ adhuc in minoribus conſtituti, ſub Gubernatoris titulo, proſecuti ſumus, & etiamnum ſub poteſtate Regnativa, indefeſſis laboribus proſequimur,* &c. *Unde & tibi Eccleſiæ Olom. Sponſæ tuæ plurimùm commoditatis accrevit, & in futurum ſub fide & devotione noſtra, annuente Domino, magis acreſcet. Nunc autem clamosâ denunciatione ad nos perlatum eſt, quòd Romanus Pontifex, reſcito, quòd Illuſtres Romani Imp. Electores, cæterique Principes, ad ſe interpellandum iter arripuerint, ut ſuam expleret voluntatem, continuò maturet alias pœnales literas, ſub titulo & colore ſententiæ, vel decreti, contra nos efflare. Quod ſi fortè, vel factum eſſe conſtiterit, vel fieri contigerit, intelligat planè Devotio tua, id nullis ſubſiſtere viribus, nec ullius eſſe momenti. Devotionem itaque tuam requirimus, & rogamus, quatenùs, ſi quod tale ab irato Pontifice proceſſerit, tu velut ſolida columna Regni noſtri, nobis fidelitatis ſacramento aſtricta, hujus vanis & audacibus cœptis minimè acquieſcas: ſed memor fidei tuæ, ac jusjurandi nobis præſtiti, quemadmodùm & multorum beneficiorum tibi & Eccleſiæ, Dominæ & Sponſæ tuæ, liberaliter impenſorum, & egregij Comitatûs de Huchvalde, eidem Eccleſiæ per nos reſtituti, qui jam 40. circiter annis eidem ademptus fuerat, ſub obedientia & devotione noſtra firmiter ſubſiſtas; quatenus ſubtuitione & protectione noſtra, & integritate Regni noſtri, Eccleſia tibi commiſſa majora in dies ſuſcipiat incrementa. Cùm ſatis intelligas, nihil tibi & Eccleſiæ tuæ commodius evenire poſſe, quàm pacem, tutelam & defenſionem Eccleſiæ tuæ, ac feudorum ejus cum Regno Bohemiæ ſolidam & ſtabilem integritatem. Habet enim Eccleſia tua hanc cum Rege Regnóque Bohemiæ præcipuam familiaritatem, ut Epiſcopus Olom. pro tempore, quamvis ejus tota Diœceſis finibus Moraviæ concluſa ſit, tamen ipſius Regis Capellanus, & Regiæ Capellæ Magiſter eſſe cenſeatur, ſuaq; Eccleſiæ Regalia immediatè à Rege recognoſcit. In his te talem exhibere velis; ſiquidem jusjurandi præſtiti vinculum, & acceptorum beneficiorum ratio ſvadet.*

contra ſententiam Papæ, in ſe latam queritur;

& ne Epiſcopus eam curet aut exequatur, rogat:

Beneficia Eccleſiæ Olomucenſi à ſe præſtita recenſet; Comitatum Hochvaldenſem, qui 40. circiter annis abalienatus erat, reſtitutum à ſe dicit: tum etiam, quòd Regis Boh. Capellanus ſit, & Regiæ Capellæ Magiſter, adeóque pluribus titulus obligatus, oſtendit. *Cod maj. f. 552.*

Epiſcopi reſponſum; quo ſe parêre Apoſtolicis mandatis debere oſtendit: & quid de Compactatis ſentiat?

Cui *Protaſius* prolixè reſpondit, & inter alia: *De factis verò Summi Maximique Pontificis, non eſt meum, ùt cauſidici, diſputare, ſed ponere cuſtodiam ori meo. Meum enim eſt juſſa capeſſere, & ut filium obedientem decet, mandata exequi; & aliud de ea Sede non ſentire, niſi de his, quæ ab ea procedunt, equè, juſtè, & ſanctè proceſſiſſe affirmare.* Ac demum: *De Compactatis quid dicam? ſic enim per aliorum ſcripta, & noſtra Patriæ ac Regni facta, deſtructa ſunt, ut magis ſilere de his, quàm aliquid dicere libeat. Fateor inſuper Sereniſſime,*

me

Digitized by Google

me plura cum Eccleſia mea accepiſſe beneficia, ſed non minora feciſſe obſequia; & eum Comitatum, non niſi magnis redemiſſe pecunijs; utì eorum omnium recens habetur memoria. Ultimò addit: *Monet præterea Majeſtas Veſtra, ut non acquieſcam, imò refutem omnino acta Summi Pontificis, & in fide data & præſtita indurem. Sereniſſime Rex, ſingula in me Majeſtati Veſtræ, & Status, & conditio nota ſunt, & quantâ curâ hæc fecerim, & quanto periculo illa hucusque cuſtodierim: provideat modò Majeſtas Veſtra, ut hæc ſine graviori periculo, quod imminet, continuare valeam. Ecce, ùt ſemper Majeſtati Veſtræ Protaſius, ad omnia paratus. Datum VViſkoviæ, Feriâ IV. poſt Domin. Oculi, an. 1467.* Ex quo patet, *Protaſio* ſupremam Romanæ Sedis authoritatem, Regis gratiâ, ſanguinis cognatione, aliíſque temporalibus bonis & titulis fuiſſe potiorem.

Fatetur ſe Comitatum Hochvald. recepiſſe; ſed proprio ære redemptum. Addit: manſurum ſe in fide & obſequio Regis, modo ſit hoc absque offenſa ſuper. & periculo ſuo. Protaſius Ep. Olom amicus Regis, uſque ad aras.

Tametſi autem Excommunicationum Bullæ, & Laventini minæ, hinc inde per Regnum, & Provincias paſſim volitarent; hucusque tamen nullibi publicatæ erant: *Wratislaviâ* ſolùm, & *Plſnâ* exceptis. Eccleſiaſtici ſtabant *inter ſacrum & ſaxum*, non auſi declinare in partem mandatorum Legati, ob metum & potentiam Regis, eíque adhærentium Procerum. Pauci námque erant, & in Bohemia, præter *Zdenkonem à Sternberg*, *Burian de Guttenſtein*, *VVilbelmus & Joannes Hazmburgici*, *Bobuslaus de Sſvvamberg*, *Dobroboſt* z Proſſcho / ſeu *de Ronſperg* tantùm, qui *Georgio* ſeſe opponere audebant: alijs de Nobilitate, & Civitatibus Regijs pleríſque, in *Moravia* autem prorſus omnibus, tum adhuc in obſequio Regis inconcuſsè perſiſtentibus.

Cenſuræ in Georgium latæ, nullibi publicantur adhuc, in Regno & Provincijs, niſi Plſnæ & VVratislaviæ. Nomina Procerum, Georgio adverſantium.

Nihilominùs *Laventinus*, ad vulgandam & exequendam Pontificis adverſùs *Georgium* execrationem, hortari & urgere, non *Bohemos* tantùm, ſed etiam *Moravos*, *Sileſios* & *Luſatios* non ceſſabat, *ſub interminatione Divini Judicij, ac Excommunicationis latæ ſententiæ.* Audiamus, quid Olomucenſibus hac in cauſa ſcripſerit. *Rudolphus Dei Gratiâ Epiſcopus Lav. SS. Sedis Ap. ad Alamaniæ, & Regni Bohemiæ partes, Legatus miſſus. Venerabilibus & Honorabilibus in Chriſto nobis ſyncerè dilectis, Decano & Capitulo Eccleſiæ Olom. Abbati & Conventui Monaſt. Gradiſt. nec non Parochialium, & aliarum quarumcùnque Eccleſiarum Rectoribus, plebanis, vicepleb. Religioſis quoque Prioribus, Lectoribus, Quardianis & Fratribus Monaſteriorum, Conventuum & Ordinum quorumcùnque, etiam Mendicantium & de obſervantia, exemptis & non exemptis, cæteriſque Presbyteris, Clericis, Notarijs quibuscùnque, in civitate Olomucenſi. Nec non prudentibus & providis ProConſulibus, Conſulatui, & toti Communitati Civit. Olom. & eorum cuilibet in ſolidum. Salutem in Domino. Cùm pridem Sanctiſſimus in Chriſto Pater, & D. noſter D. Paulus, Divinâ Providentiâ Papa II. Georgium, aliàs Girſicum de Kunſtat & Podiebrad, Regni Boh. occupatorem, ob notoriam Huſſitarum hæreſim, & in eam relapſum, perjurum, ſacrilegum, & propter alia, juſto judicio, per ſententiam diffinitivam, in publico Conſiſtorio latam, hæreticum pertinacem declaraverit; Regiâ præterea, Marchionali, Ducali, & quâvis aliâ dignitate priva-*

Legatus Apoſt. non ceſſat hortari Bohemos, Moravos, Sileſios & Luſatios, & ſpecialiter *Olomucenſes*, *Cod. cit. f. 560.* tam Canonicos, & Regulares Prælatos, quàm Parochos, Religioſorum Superiores; Magiſtratum, ac totam communitatem Urbis: ut ſententiam contra Georgium latam, quâ ille hæreticus, & regiâ dignitate privatus declaratur,

Digitized by Google

quamprimùm publicent, publicarique in Eccleſijs faciant, ſub pœna Excommunicationis,

Suſpenſionis, & Interdicti;

privaverit: prout hæc omnia ſub Bulla plumbata præfati D. noſtri Papæ latiùs continentur, cujus tenor de verbo ad verbum ſequitur. Paulus &c. *Nos igitur auctoritate S. Sedis Apoſt. vobis omnibus & ſingulis Prælatis, & perſonis ſupradictis Spiritualibus, in virtute S. Obedientiæ, & ſub excommunic. pœna mandamus; quatenùs receptis præſentibus, præfatis Proconſulibus, & Communitati civit. Olom. & in parochialibus Eccleſijs, aliisque, prætactam ſententiam diffinitivam Domini noſtri Papæ, & hunc noſtrum proceſſum publicè intimetis: prout nos etiam vobis intimamus; & in Capitulo veſtro, Conventúque, per presbyteros & Notarios intimari volumus per præſentes. Et quidem præfatos Pro-Conſules & Communit. ſub interminatione Divini Judicij, & Excommunit. pœna latæ ſententiæ, quam facientes contrà incurrere volumus ipſo facto, quoad ſingulares perſonas: quoad Capitulum verò Conventus & Communitatem, ſub ſuſpenſionis à Divinis & Interdicti Eccleſiaſtici, nec non maledictionis æternæ pœnis & cenſuris moneatis.*

præfigendo illis tempus, ſat breve:

ſecùs Cenſuras minatur incurrendas ipſo facto.

Addit, ut Eccleſiaſtici hoc ipſum Nobilitati, & alijs quantocyùs notum faciant.

Quos etiam nos, & eorum quemlibet, ac vos DD. Prælatos, & Spirituales ſupradictos, ſub iÿsdem pœnis requirimus & monemus; quatenus infra ſex dierum ſpatium, poſt notificationem præſentium immediatè ſequentium: quorum ſex dierum duos pro primo, duos pro ſecundo, & duos pro tertio ac peremptorio aſſignamus, à prætenſa obedientia dicti Georgÿ hæretici, privati & depoſiti recedant, atque vos DD. Prælati & Spirituales recedatis ab eodem.&c. *Quòd ſi contrarium fecerint, ex tunc elapſo dicto ſex dierum ſpatio, ſententias & pœnas prædictas, tales incurrere volumus ipſo facto: eòsque & eorum quemlibet, ùt tales, ubique locorum ſub Interdicto Eccleſiaſtico, in ſingulis Eccleſijs civit. Olom. atque monaſterÿs ſtrictiſſimè teneri præcipimus. Et ut vos Spirituales, hos proceſſus noſtros, alijs Baronibus, Nobilibus & Catholicis vicinis, quibus poteritis, per miſſionem copiæ collationatæ intimetis, eòsque ſub pœnis iÿsdem requiratis, mandamus. Abſolutionem verò omnium & ſingulorum, qui præfatas noſtras ſententias, aut earum aliquam, incurrerint, nobis vel ſuperiori noſtro tantummodò reſervamus. Dat. VVratislaviæ, in hoſpitio noſtro ſolitæ Reſidentiæ an. 1467. die XXIV. April.* Ejuſdem tenoris erant datæ ad *Brunenſes, Znogmenſes & Iglavienſes*, quas in actis publicis lego: nec dubito fuiſſe ad plures alios datas, quas tamen in Codice meo non invenio.

Idem facere jubet *Brunenſes, Iglavienſes. &c.*

Cod. maj f. 363.

Qui ſeſe excuſant,

& ab obſequio Regis deficere, in hoc præſenti rerum ſtatu, eſſe rem periculi plenam reſpondent.

At illi ſeriò perpendentes præſentem rerum ſtatum, & haud ignari, quantis ſeſe induerent periculis, ſi Legati mandatis parendo, *Georgÿ* & adhærentium ipſi iras provocarent, maluerunt nupero exemplo ſeſe excuſare; & deprecari, ne ad ea inducantur, per quæ in extremum diſcrimen vitæ & fortunarum, imò & Religionis Catholicæ, in qua hactenùs abſque ulla ullius contradictione vixiſſent, præcipitentur. Iminere haud obſcurè toti Patriæ ſuprema mala, ac imprimìs civile bellum, quo nihil pernicioſius; ex eóque naſci ſolitas miſerandas clades, funeſtas urbium & populorum concuſſiones, vaſtitates, rerum omnium confuſiones, ac poſtremò interitum; ſi ſtudia ſua mandatis Pontificijs commodent, ſêque à fide & obſequio Regis abſtrahant. De cætero manere ſe, & manſuros ſemper fideles Eccleſiæ Sanctæ Dei filios, tantum-

Digitized by Google

tummodò ad ea non cogantur, quæ non niſi cum rerum & fortunarum ſuarum jactura, vitæque periculo exequi poſſint. Addiderunt: miſſuros ſe ea de cauſa Oratores ad Pontificem: rogare proinde Legatum, ut & ille intercedere, & Suæ Sanctitati bonum verbum pro eis ſcribere velit.

manere ſe fideles Eccleſiæ filios teſtantur. miſſuròsque ea de cauſa legatos ad Pontificem.

Ad quod ille. *Quòd Bullas & Brevia, mandatáque Sanctiſſimi D. N. ſuſceperitis, valde placet: quòd verò pericula rerum & corporum, atque etiam Chriſtianæ Religionis detrimentum pertimeſcitis, confortari oportet in Domino, & in potentia virtutis ejus, qui portas inferi, hoc eſt hæreſes contra Eccleſiam nunquam prævalituras prædixit; ſummèque cavere, ne propheticum illud improperium in vobis impleatur: trepidaverunt, ubi non erat timor. Hæc eſt victoria, quæ non modò damnatum & depoſitum illum hæreticum, ſed etiam totum mundum vincit, Fides noſtra. Et reverà mira res eſt, & magnum nobis dedecus, quòd hæretici ſuam hæreſim ne dum propugnare, ſed & propagare contendunt; & nos fideles pro Fide noſtra, imò JESU Chriſti, pro qua & ipſe animam ſuam poſuit, & nobis noſtras ponendi reliquit exemplum, labefactati, timoribúsque ſubacti pugnare, & ſi neceſſe ſit, etiam mori formidamus. Patrum veſtrorum inſignis eſt apud omnes gentes gloria, & inſigne magis meritum apud DEUM; quos allegatis, nec rebus pepercìſſe, nec vitæ, ſed Fidem Sanctam infatigabiliter tenuiſſe, & viriliter defendiſſe; quorum cùm ſitis filij & hæredes, meritò veſtigia ſolicitiùs obſervantes, tantò illis non modò pares, ſed glorioſi magis appareatis, & filijs veſtris ac poſteris, uti illi vobis nunc eſſe debent, eritis in exemplum; quanto in hac re Chriſtianiſſima, vos etiam inter pericula, magis ſtrenuos & conſtantes exhibueritis bellatores. Etenim non ocioſis, ſed laborantibus præmia, & militibus corona triumphi debetur: alioquin de patrum noſtrorum, quam ſi (quod abſit) non ſequeremur, gloria inaniter gloriaremur. Oportet primò in DEUM, cujus cauſa agitur, confidere: deinde attendere Clariſſimorum virorum, Principum, Baronum, Nobilium, tot denique Civitatum & populorum exemplum: qui, ùt nobis ſcribunt, velut alteri Machabæi, elegerunt pro Eccleſiæ legibus, aut glorioſo certamine triumphare, aut ſi oportuerit, honorabili morte, potiùs requieſcere in ſepulchris, quàm hæretico illi adhærere. Quorum exempla, ſi ſequi volueritis, prout confidimus & hortamur, etiam ſubſidia à Fidelibus alijs, & fortaſſe ab ipſo terrarum harum Principe atque Rege, quem in proximo inſtituendum ſperamus, expectare poteritis.*

Reſpondet acriùs ille, Cod. cit. f. 565. & pluribus argumentis ad perſuadendum uſus. Pſal. 13. 5.

ab exemplo hæreticorum, qui pro ſua hæreſi impenſe zelant;

ab exemplo item Majorum ipſorum, qui Catholicam Religionem ſtrenuè defendebant,

quos proinde imitari non pigeat: tum à fiducia in Deum,

& ab exemplo nonnullorum Baronum,

qui Georgium non ampliùs agnoſcere pro Rege ſtatuerunt.

Illas porrò, quas concepiſtis, de mittendis ad Apoſtolicam Sedem in hac parte legatis, & Oratoribus veſtris, cogitationes, conſulimus excutite; ſcientes eos magis obfuturos apud Pontificem, & aliquid, quod fortaſſe non ſperatis, accepturos: quippe ille non aliter, niſi in favorem hæretici hæc fieri, & de illius ſuggeſtione talia proceſſiſſe, præſumet. Unde neque literas aliquas eam in partem vobis dare poſſumus. Oportet igitur,

Conſilium mittendi legatos Romam, ad excuſandos ſeſe, reprobat;

& ut potiùs abſque ullà tergiverſatione, mandatis Apoſtolicis pareant, hortatur.

ſi graviora vitare velitis, & proceſſus, quos vobis miſimus, reverenter ſuſcipere, & illis, atque imprimis Bullis Sanctiſſimi D. N. ùt expedit, obedire & obtemperare. &c. *Dat. VVratislaviæ 1. Maji 1467. Providis & Prudentibus viris Magiſtris Civium, Conſulibus & Communitatibus Inclytarum & Catholicarum Civitatum Moraviæ, Olomucenſ. Brunenſ. Znogm. & Iglav. Amicis noſtris chariſſimis.*

Acriùs ſcribit ad Abbatem & Conventum Hradiſtenſem, Ord. Præmonſtrat. *Cod. maj. lit. publ. fol. 378. Cod. min. f. 272.* quos ſeriò admonet officij Sedi Apoſt. debiti,

Eadem in cauſa (multo tamen acriùs) ſcripſit Abbati & Conventui Hradiſtenſi. *Triſtis, & tam profeſſioni veſtræ, quàm Catholicæ Religioni contraria, & indigna plurimùm fama, non coram nobis modò, ſed & Sanctiſſimo D. N. de vobis præcipuè Patre Abbate, vulgata dudum jam eſt: quòd videlicet hæretici hujus, peſtiferique draconis favoribus inhæreatis.* &c. *Recordetur Pater Abbas Reverendus dignitatis infularis, quâ S. Sedis Apoſt. beneficio nitet. Meminerit juramenti præſtiti, & officij debiti paſtoralis, cujus non eſt filios lupis tradere, imò ſi qui capti ſunt, de faucibus, etiamſi oporteat cum vitæ periculo, liberare. Memores eſtote, quòd Nigros illos,* (Benedictinos intelligit, quos priùs Cœnobium illud tenuiſſe, ſuprà lib. 1. cap. 6. oſtendimus) *qui olim veſtrum poſſederant monaſterium, non propter S. Rom. Eccleſiæ inobedientiam, quæ apoſtaſia eſt maxima, ſed ob pravitatem morum, vindicta digna apprehendit. Et vos Candidos S. Sedis Ap. ſingularis induxit Clementia, & multis inſuper privilegijs, ac Spiritualium & temporalium dotavit muneribus gratiarum.* &c. *Agite igitur, ut ſicut Candidi fulgetis veſte, ità & magis clarioribus reſplendeatis operibus.* &c. *Dat. VVrat. 14. Maji 1467.*

ne aliàs fiat ipſis, ſicut antecesſoribus. Beneficia à Sede Ap. accepta, ijs repræſentat.

Inſtante Legato Apoſt. literis & minis, ſenſim plures deficiunt à Georgio,

Hoc modo cùm Legatus nihil â propoſito remitteret, ſed inceſſanter exequutionem ſententiæ in *Georgium* latæ, ubique per *Bohemiam & Moraviam* urgeret, emiſſo rurſum ad omnes Ordines & Status; præſertim ad Eccleſiarum moderatores, Prælatos & Parochos, ſicuti etiam ad Civitatum, ac oppidorum Communitates, novo edicto; quo illi dictam ſententiam in Georgij caput, publicè ê pulpitis detonare; cæteri verò converſationem cum eo omnem vitare, ſub pœnis & cenſuris Eccleſiaſticis graviſſimis jubebantur: accidit, ut ſenſim plures ex Bohemis primò, deinde etiam ex Moravis, partim Excommunicationum minis territi, partim per *Zdenkonem Sternbergium* inducti â Georgio defecerint. Ex Bohemis fuêre: *Henricus de Novadomo, Theobaldus de Sſwihovv* & *Riſmberg, Hanuß de Kolovvrat, Zbiroh* & *Kraſſovv; Leonardus de Guttenſtein* & *Klenovva, Hynko* & *Bohuslaus Sſwambergij, Henricus ſen.* & *jun. de Plavvna, Matthæus* & *Caſpar Comites Schlikij, ille de Cubito, hic de Oſtrovv, ſeu, ùt nunc vocant, Schlackenvverth; VVenceslaus de Bibrſtein* & *Dievin, Adalbertus Kokorzovecz, Joannes Wrabsky, Warlich z Bubna / Bohuſſe Kaplirz z Koſſtalowa / Burchard Kamaryt z Zerownice / Mareß Czegka*, & quidam alij. Ex Moravis: *Joannes de Novadomo, Telczij* & *Slavonicij Dominus, Joannes de Czernahora*, & *Bozkovitij* penè omnes; *Henricus de Lichtnſtein* & *Niclſpurg, Henricus* & *Puta Sovineczij, VVilhelmus* & *Sigismundus Pernſteinij, Joannes Comes â VVrbna*, primus **Bruntalſky** dictus, *Hynko de Pruſinovicz, Joannes de Sſwabenicz.* Ex qui-

MS. Pernſt. ad an. 1467. MS. Anon. Prag. Regino hrad. VVrzeſowec. an. eod. Nomina Procerum Bohemorum,

& Moravorum, qui à partibus Georgij receſſerunt. Ex quibus nonnulli de novo Rege creando cogitant:

Digitized by Google

quibus ferventiores quidam, *Zdenkone Sternbergio* incitante, jam etiam de novo Rege conſtituendo, miſcere conſilia non dubitârunt.

Conventu igitur ea de re *Iglaviæ* habito, primò omnium in Imperatorem, ut vel pro ſe, vel pro filio *Maximiliano*, eximiæ ſpei principe; Regnum capeſſeret, magno aſſenſu inclinabant: ad quem idcirco legatos, quorum *Zdenko â Sternberg* anteſignanus erat, miſerunt. Verùm ille penitiùs hæc conſiderans, nil aliud, reſpondit, niſi *negotium hoc arduum eſſe*, *ideóque magnâ deliberatione egere*. Verebatur enim, ne per hoc, novâ aliquâ ſe & ſubditos populos, jam â viginti & ampliùs annis, aſſiduis ferè bellorum incommodis afflictos, implicaret difficultate & clade; *Princeps togatus potiùs, quàm militaris*, idcóque belli, ſi quis alius, maximè pertæſus; qui id frequenter in ore habuiſſe dicitur: *arma, quàm facilè ſumuntur, tam facilè deponi nequaquàm poſſe*. Metus quoque erat â domeſticis, quæ adhuc gliſcebant turbis; ne ſi recrudeſcerent, utríſque ferendis impar eſſet.

aliqui in Frid. Imp. aut filium ejus Maximilianum inclinant, eique per legatos Regnum offerunt, qui tamen illud acceptare renuit, novas bellorum difficultates metuens, Princeps pacis, quàm belli amantior.

Quare Bohemi mutatis ſententijs, vota in *Cazimirum Poloniæ Regem* transtulerunt, arbitrati id ſuſcepturum ocyùs, quòd multùm abalienato diceretur eſſe *â Georgio* animo, propter cladem finibus Poloniæ, *â Ctiborio Tovaczovio de Cymburg*, *Barone Moravo* illatam. Is enim collectis in Moravia haud contemnendis copijs, in Sileſiam, ad compeſcendos rebelles, juſſu Regis profectus eſt; cæſóque ad *Paczkoviam*, Jodoci Epiſcopi Wratislav. milite, populabundus excurrit in Poloniam usque: ubi *Czenſtochoviam* oppidum (ùt refert Cromer. lib. 26.) & monaſterium, circumjacentésque pagos diripuit. Miſſo itáque *Petricoviam*, ubi tum Comitia celebrabantur, *Eliâ Litomyſſlienſis Epiſcopatûs Adminiſtratore*, ſceptra Regni ei obtulerunt, ut aut ipſe Regnum ſuſciperet, aut unum de filijs, vel cum mille equitibus, Regem ſibi mitteret, ſuis viribus Regnum ſe ipſi vindicaturos eſſe pollicentes. Quindecim ferè diebus ſuprà conſultatum fuit: ad extremum reſpondit Rex, ſe hoc rerum ſtatu acceptare Regnum, propter infrequentiam ſenatûs, cujus conſilijs niti oporteat, minimè poſſe, ad alia proinde Comitia id reijciendum. Sibi porrò nihil magìs in votis eſſe, quàm ut bellum civile inter Bohemos gliſcens, quocúnque tandem modo dirimatur, & *Georgius* in viam redeat, ac in poteſtate ſit Pontificis. Intereà quò minori negotio ea confici poſſint, ſibi curæ fore, ut â publicando Pontificio decreto, quo *Georgius* Regno privabatur, & *â militia Crucis* contra eundem, quantum ex parte ſua ſit, abſtineatur.

Bohemi ergò vota ſua in Cazimirum Regem Pol. convertunt, Cromer. lib. 26. Curæus in Annal. Sileſ. ad an. 1467. Cod. lit. publ. min fol. 281. MS. Prag. Reginohrad. miſſóque ad eum Eliâ Epiſcopatûs Litomiſsl. administratore, Cromer. lib. 27. Regni coronam ei deferunt: qui re in deliberationem acceptâ, reſponſum in aliud tempus diſtulit; ſed neque ſententiam contra Georgium latam publicare in Regno permiſit: licèt id urgeret Nuncius Apoſtol. omnibus modis.

Aderat ibi Pontificius Legatus: qui cùm *Cazimirum*, in Regno Bohemiæ acceptando tergiverſantem videret, petijt, nè ſaltèm pro fœderato, nec pro Rege, haberet *Georgium*; ſed pateretur *piam Crucis militiam* (Pontificia diplomata, quibus eis, qui contra Georgium ejúsque complices, arma ſuſcepiſſent, univerſorum criminum venia; qui verò decoram pro tuenda religione Catholica mortem obijſſent, æterna felicitas promittebatur) Regiâ ſuâ auctoritate, toto in Regno, quantocyùs promulgari, adversùs contumacem. Futurum ſanè, ut eum, & omnes, quotquot juſtiſſimâ fidei religio-

Miechov lib. 4. cap. 62. Wfeleslav in Calend. Hiſt. ad d. 28. Julij. quippe res periculo plena ei videbatur,

ſi Bohemiæ Regem, faceret ſibi hoſtem, quem probè ſciret eſſe viribus præpotentem.

niſque tuendæ causâ, divinitùs docti, pia contra hæreticum hæreticorúmque fautorem, ac manifeſtum Eccleſiæ hoſtem arma ſumpſiſſent, minimè pæniteat, ſed ejus pietatis digna apud Cælites præmia conſequantur. At Rex circumſpectus, in dato jam ſemel perſtitit reſponſo; neque enim ignorabat *Georgio*, præter domeſtica Nobilitatis ac civitatum ſubſidia, etiam auxilijs Principum & *Electorum Saxonis, Brandeburgicique, Ludovici* item *Bavari* apertè, aliorum verò occultè ſubnixo, nec vires nec fortunam adhuc deeſſe: propterea nil temerè agendum, ſed expectandos ulterioris fortunæ eventus, ex quibus tutiora demum conſilia capere, ſatiùs in præſens duxit. De injurijs verò per *Ctiborij* milites, finibus Poloniæ illatis, jam antea per internuncios *Bytbomiæ*, anno præterito, *in Decembri*, tranſactum fuit. Inſolentiores quidam ex Moravis, dum *Ctiborius* cum potioribus vaſtaret *Namslavienſem* agrum, factâ hoſtili incurſione, eáque ſubitaneâ *in Poloniam*, diſtrictum *Vielunenſem* magnâ affecerunt clade; ductóque itinere per confinia, (nam intrò ſeſe immittere non videbatur ſecurum) penetrârunt ſenſim populabundi, *Czenſtochovium* usque, non aliam prætendentes cauſam, niſi quòd *à Rege Poloniæ*, ſtipendia in nupero *bello Pruſſico* emerita, non fuiſſent ſibi integrè ſoluta. Quod quia injuſſu *Ctiborij* accidit, prout ipſemet ille, datis ad *Georgium*, tum etiam ad *Cazimirum* literis, ſeſe excuſavit, plurium teſtimonijs id comprobans, tanto citiùs deinde res compoſita fuit. *Hoſſek Zierotinsky, Nicolaus* W*lachovecz*, & *Hanuß Cykan*, authores & duces hujus facinoris, uſitatâ tum adhuc pro more veteri, in Equeſtris Ordinis viro, animadverſionis pœnâ, militari cingulo exuti, damnáque illata refundere juſſi.

Moravorum per Sileſiam graſſantium irruptio in Poloniam,

vix non cauſa novi cum Polonis belli. *MS. Pernſt. ad an. 1466. Archiē. Lip. Cromer. cit.*

At *Georgius* intellectis ſeditioſorum hominum de ſe amovendo conſilijs, eóque modo refricatis novâ contumeliâ veteribus odijs, in id incubuit totus, ex dolore juſto, ac diu antea preſſo, ut comparatis *in Triurbe Prag.* ac cæteris regijs civitatibus, quas ſuarum partium habebat omnes, *Pilſnâ* ſolùm, *Cadanâ, Budvicio* exceptis, (hæ tamen poſtremæ duæ, brevì redierunt ad obſequium) majoribus copijs, rebelles vi compeſceret; efficerétque fortunâ propitiâ, ut illi, qui capita ſeditionis haberentur, bonis omnibus exuti, & patriâ extorres ſolum verterent, aut in vinculis expirarent. Quem in finem, legiones antiquas recentibus ſupplementis augeri, alias verò ſub nova ſigna conſcribi mandavit: quas deinde in tres partes diviſit; *Victorino* quinque millia virorum, præter Nobilitatem Moravam, *Henrico* autem alteri filio, octo millia tradidit; ſibi non niſi duo millia veteranorum reliquit, ſed qui Nobilitatem Bohemam, & ex civitatibus regijs decimum quemque, dum neceſſe foret, ſemper in promptu habuit. Deſignavit etiam novos, qui vicario nomine exercitui præeſſent, duces: *Zdenkonem Koſtkam, Nicolaum Strzelam de Rokytz, Burjanum Treczkam*, W*enceslaum* W*lczek, Petrum Oſtrovecz*, & quendam *Genik*, alium item *Kdulinecz* nomine. *Strzelam* poſtea & W*lczek*, Henrici imperia ſequi juſſit.

Georgij bellici apparatus, ad compeſcendos rebelles.

Copias univerſas trifariam dividit: & partem unam Victorino, alteram Henrico filijs tradit, reliquum ſibi ſervat: *MS. Anon. Prag.*

Verùm ante omnia, *Sigismundi Archiducis*, (qui ſeptennio ante, à *Pio II. Pontif. Max.* ſimili cenſurâ notatus, quòd *Nicolaum Cuſanum Card.* & *Ep.* Bri-

Georgius in publico Pragæ Conventu,

Digitized by Google

Brixienſem cepiſſet, ac comprehenſum aliquandiu ſub cuſtodia tenuiſſet, ſolenni Appellatione, ad *generale Concilium* provocavit, cauſam facti ab omnibus Chriſtianis Principibus cognoſci, & dijudicari cupiens) factum recens, ac vetus etiam *Ludovici Bavari Imp.* imitandum ratus, *rem peſſimi exempli*; proteſtatione ſimili, ab univerſis illis & ſingulis, quas Pontificia decreta continebant, ſententijs, pœnis ac cenſuris, die 14. Aprilis an. 1467. in *Aula ſua Regia*, quæ eſt in *Antiqua Urbe Prag.* coram quatuor Notarijs publicis, aliiſque compluribus, tam Eccleſiaſtici, quàm ſecularis ordinis ac ſtatûs, eundem ferè in modum, ad proximè futurum generale Concilium; primò tamen ad ipſum Pontificem meliùs informandum provocavit, præmiſſis hiſce: *Et quoniam provocationum multæ ſunt ſpecies, & varia remedia, nos qui Sedem Romanam veneramur, ſedentem autem in throno Sanctiſſimæ Sedis, quam Petrus & Paulus, Linus, Cletus, Clemens, Sixtus, Beatiſſimúsque Gregorius ſanctificârunt, & Romani Principes, poſt Sedem Romanam Imperialem in Conſtantinopoli receptam, primam ſedium dicendo, conſecraverunt, ſummâ veneratione colentes, Sedentem autem in ea ipſa ſuſpicione recuſamus. Ideòque ob Sedis reverentiam, ſi fortè Sedens in ea, quod DEUS concedere dignetur, indignationem avertere, & manſvetudinem inducere dignabitur, ad primum mitiſſimum quidem refugium, quod ei à quo provocatur, maximè defert, primo loco confugimus: ſupplicantes, quatenùs nos pro Rege uncto, conſecrato, Regnique poſſeſſore, absque competitione, aut cujusquam hominis impetitione reputet ac teneat. Proceſſum deinde, ſi velit contra nos, tanquam talem inſtituat, in loco rebus gerendis accommodo & convenienti. Quoniam nec Epiſcopum vetera Jura condemnari ſinunt, niſi apud Comprovinciales de crimine conſtiterit; Nos verò, Archi-Epiſcopi & Epiſcoporum Regni noſtri, ne dum Protectores ſumus, ſed etiam ipſis, ùt Vaſallis ab antiquo Jure Regni dominamur*, &c. Tandem adjecit: *quòd ſi Sanctiſſimus Pater, in ſua ira permanere, nec ſibi temperare voluerit, Nos ad univerſale Concilium, ex ordine in magna ſynodo Conſtantienſi præfinitum, & per ſacrum Baſilienſe Concilium ſalubriter confirmatum, & de decennio in decennium perpetuis futuris temporibus celebrandum, provocamus & appellamus. Necquisquam obyciat nobis, quòd ad rem, quæ non ſtat, appellemus: cùm jam tempus Concilij celebrandi ſit elapſum, & per diſſimulationem Sanctiſſimi ſtet, quò minùs celebretur: & Jure cautum eſt, cùm ſtat per eum, quò minùs fiat, quod faciendum eſt, pro facto haberi debere, quod fieri debuit. Et nihilominùs ad Succeſſorem ejus ſimili modo provocamus, & ad omnem Congregationem, Conventionem, & perſonam veram vel repræſentatam, Juris, Juſtitiæq; amatricem*. &c. *Et petimus Apoſtolos, à vobis Publicis Notarijs, & cunctis circumſedentibus, primò, ſecundò, tertiò; inſtanter, inſtantiùs, inſtantiſſimè, ſalvo omni beneficio juris, ſtyli & conſvetudinis.* Georgij verba hìc refero, relictâ Lectori de ijs ſentiendi libertate.

per ſolenne inſtrumentum,

cum ſubſcriptione Notariorum, & in præſentia plurimorum, etiam Eccleſiaſticorum; quorum nomina videre eſt, in *Cod. publ. liter. maj. f. 219. & ſeqq.*

à Papa malè (uti prætere-bat) informato,

aut ſi in ira perſeveret,

ad Concilium generale,

quod decimo quoque anno habendum, decreverat Baſilienſis Synodus, provocat; inque eum finem, à Notarijs, alijsque præſentibus, *Apoſtolos*, ùt vocant, ſibi dari petit. *Cod. cit. MS. Anon. Prag. Wrzeſobec. Archiv. Capit. M. Prag. Ego in Phoſphor. Rad. III. pag. 263. & ſeqq.*

Hunc appellandi modum, præter quosdam veteres magni utcúnque nominis Doctores, ſed ſcientiâ ad ſuperbiam usque inflatos, & in S. Sedem Apoſtoli-

Appellationis ejuſmodi primi authores: *in Europa caſ.*

ſtolicam irreverentes; uti *Marſilium Patavinum*, *Dantem & Occam*: etiam *Academia VViennenſis*, ſub id tempus profiteri auſa fuit; prout jam aliquid inſinuavimus ſuprà, ex Ænea Sylvio. Qui poſtmodùm creatus Pontifex, appellationes ejuſmodi, veluti Sacris Canonibus contrarias, & Reipublicæ Chriſtianæ noxias, utpote quibus adversùs primam Sedem rebellio nutritur, libertas delinquendi conceditur, & omnis Eccleſiaſtica diſciplina confunditur; in *Mantuano Conventu* anno 1459. de conſenſu Cardinalium, ac plurimorum aliorum Præſulum, qui aderant, ſpeciali decreto damnavit, & tanquam erroneas ac deteſtabiles, inanes & peſtiferas reprobavit: pœnâ execrationis in omnes ſtatutâ, quicúnque etiam regiâ vel pontificali dignitate fulgentes, eâ deinceps uti auſi forent; præter cenſuras in reos majeſtatis, & hæreticæ pravitatis inflictas; cum addito: *ſceleratorum eſſe perfugium*, *talem judicem petere*, *qui nuſquam ſit*, *ac ſupra Chriſti Vicarium eſſe*, *aut reperiri nequeat.* Ob ídque *Gregorium Heimburg*, cui antea ob doctrinæ excellentiam, ùt ipſemet in Epiſtolis fatetur, multùm tribuebat; quòd *Sigismundo* adhæreret, & appellationis â judicio Apoſtolicæ Sedis ad futurum Concilium, non modò author eſſet, ſed teſtem ſe quoque in originali inſtrumento, Florentiæ ad valvas Eccleſiæ affixo, palam profiteri non dubitaret; excommunicatum, ac ultra execrationem, honore omni & bonis privatum declaravit; datis Româ *ad Senatum Norimbergenſem*, die 18. Octobris, anno 1460. literis, quibus omnes & ſingulos, ut peſtiferum hunc hominem, quem odiſſe cane pejus & angue oporteat, non ſolùm ubivis locorum vitent, ſed tanquàm hæreſeos damnatum, jure perſequantur, bonis ipſius omnibus, cùm mobilibus, tum immobilibus fiſco, ſive Cameræ publicæ applicatis, ſeriò hortatus eſt. Hinc ille Norimbergâ movens, in Bohemiam *ad Georgium* conceſſit; cui haud dubiè iſtius quoque appellationis author extitit.

quos & alios eorum ſequaces, *Pius II.* latâ lege damnat.

quàm ridicula & inanis Appellatio talis!

Joan. Anton. Camp. Epiſcop. Aretinus, in Vita Py II. Epiſt. 120. Spondan. in Annal. Eccl. ad an. 1460. §. 5

Gregorius Heimburg J. U. Doctor, & Syndicus Norimb.

Cod. maj. liter. fol. 403.

appellationis hujus â Georgio factæ author, & incentor.

Epiſtola CCCC.

excommunicatur; â Georgio fovetur.

Appellatione in eum modum peractâ, & Inſtrumentis authenticis, teſtimonio ſubſcriptionéque Notariorum roboratis & publicatis, atque ad vicinos Reges & Principes transmiſſis, *Georgius* ad arma converſus, id potiſſimùm egit, ut primò omnium res turbatas domi, eluſis vel fractis ſeditioſorum conatibus, quietas reſtitueret. Et quia *Zdenko Sternbergius* erat cæterorum caput, illum primò omnium armis petendum, arcéſque ejus & oppida expugnanda ſuſcepit: *VVilhelmo de Rizmberg*, *Henrico de Michalovvicz*, *Borzitâ de Martinicz caſtri Brixienſis Capitanco*, *Joanne â Raupovv*, & pluribus alijs Proceribus Bohemis, qui partibus *Georgij* conſtanter adhærebant, id haud cunctanter approbantibus; addentibus inſuper: ad deterrendos alios maturè facto opus eſſe, neque de proſperè conficiendo bello dubitari debere, cujus æquitate Rex ſuperior eſſe cenſeretur. Primò igitur *Raudnicium*, arcem prævalidam, *Georgius* invadere, acríque obſidione circumvallare ſuos juſſit.

Georgius tandem ad reſiſtendum tot diverſis hoſtibus, vires exerit;

Cod. maj. fol. 111. & ſequ.

ac primò omnium Bona & ditiones Zdenkonis Sternb. invadit:

MS. Anon. Prag VVrzeſoſec. ad an. 1467.

Raudnicium obſidet.

Ut porrò ſimul & injuriam ulciſceretur, quam ſibi ab Imperatore, novo iterum facto, inferri putabat; eo vel maximè, quòd ille literas Pontificias, dirarum in ſe plenas, queis hæreſeos ignominiâ notabatur damnabatúrque, *VVienna*, & alibi per Auſtriam publicari, ac crucis militiam, denunciatâ cun-

Bellum quoque adversùs Cæſarem decernit.

cunctis arma ſumentibus largâ peccatorum veniâ, proclamari juſſiſſet; *Auſtriam* quoque bello exagitandam decrevit. Non deerant, qui Cæſarem ad arma nequaquàm provocandum exiſtimarent priùs, quàm domeſtici componerentur motus. *Strepente olim Italiâ* (inquiebat *Joannes Haſſiſteinius Baro â Lobkovicz*, magnitudine animi, ac dicendi libertate ante alios inſignis) *Punicis armis, cùm Philippus Macedo inclinari haud obſcurè videretur in Carthaginenſium partes, iisque propenſior eſſe quàm Romanis; diſſimulata fuit tantiſper injuria, & vindicta in aliud magìs opportunum tempus reſervata, quò ſine periculo & diſcrimine Reipublicæ contra Macedonas bellum ſuſcipi poſſet. Nos verò gliſcentibus, & majore indies odio efferveſcentibus domî ſeditionibus, vicinos adhuc Principes, ad inferenda nobis arma provocabimus?* Nihilominùs Rex ſuis innixus rationibus; & conſiliorum, quæ antea *Victorino*, ùt retulimus ſuprà, ad prohibendos hoſtiles in Hungariam excurſus dediſſet, ob id ipſum, ne exinde præbeatur novi alicujus belli cauſa, cùm domî turbarum ſatis ſupérque ſit, immemor; perſiſtere in ſua ſententia maluit.

Nec mora, *Victorinum* cum deſtinata parte exercitûs, cúmque Moravicis copijs, Auſtriam invadere hoſtiliter juſſit: & ad amplitudinem dignitatémque nominis ſui, & ſecuritatem Regni pertinere ratus, ſi priùs & quantocyùs domî, contra ſeditioſos progredi, & jam utcúnque proſperis ſucceſſibus uti maturaret, *Raudnicio* obſidione premendo, ſummis viribus inſiſtendum duxit: cujus oppugnationem *Petro Oſtrovvecio* viro, ùt ante diximus, militiæ perito, ſibíque imprimìs fido, curandam commiſit. Sed & alias quatuor ejuſdem *Zdenkonis* arces, munitis quoque in locis ſitas, quatuor bellis eodem tempore aggredi, nec interea cœpto deſiſtere, donec ipſius, ac cæterorum adverſæ factionis elatos ſpiritus egregiè retunderet, gravi conſilio decrevit. Eſt *Raudnicium* arx & oppidum peramplum, ad *Albim*, quinque milliaribus Pragâ ſitum, ditio quondam Archi-Epiſcopalis primaria: arx ipſa in editiori loco poſita. Et quia rebus omnibus ad tolerandam obſidionem neceſſarijs abundè tempeſtivéque proviſa fuit, duravit obſidio ferè per tres continuos menſes; nec niſi ad extremum deditione, cùm præſidiarij metuerent, ne pertinaciùs locum tuendo, animos oppugnatorum in tantum irritarent, ut poſtea lenitati & gratiæ nullum locum apud eos invenirent, *Oſtrovecio* ceſſit: ità in MS. invenio. *Daubravius* arcem vi expugnatam, oppidum verò exuſtum ſcribit. Quam deinde alia caſtra ejuſdem Sternbergici, utì *Chvvatierub*, *Koſtelecium ad Sazavam*, *Strzmelicium* arx quondam Templariorum, *Leſtno*, *Mieſſicium* facilè ſequuta ſunt. Ad *Konopiſtium* hæſerat diutiùs oppugnantium impetus: de quo paulo poſt. Caſtrum *Sternberg* ſuper *Sazavam*, quia fortiter reſtitit, & ex oppugnatoribus promptiſſimos non paucos ſuſtulit, vi tandem expugnatum, ob irato milite, & *Buriano Trczkâ*, quem Rex huic obſidioni ſummo cum imperio præfecerat, permittente, expilatum & dirutum fuit. Eodem tempore, eâdémque æſtate, *Henricus Dux*, *Frimburgum*, *arcem VVarlichij de Bubna* munitiſſimam, & *Zybobicium* Domini *Hauſata*: Regino Hradecenſes *VVrzeſtiovium*, *VVilhelmi de Hazmburg*: & Piſecenſes cum

propter novas, & veteres offenſas; diſſuadentibus licèt alijs, ac imprimìs Joanne Lobkovicio ab Haſſenſtein.

MS. VVrzeſov. pertinax igitur in propoſito, Victorinum cum Moravorum copijs Auſtriam petere juſſit. Raudnicij obſidio continuatur: alia quoque caſtra Sternbergici obſidentur. Raudnicium poſt trium menſium obſidionem, *Hagik. Kuthen. ad an. 1467. VVeleslav. ad d. 25. April. Lupac. ad d. eund. Theobald. in Hiſt. Huſſit. part. 3. cap. 17.* traditur tandem deditione: *MS. Anon. & MS. VVenc. à VVrzeſov. Daubrav. l. 30.* quam alia caſtra ſequuntur. Konopiſtium reſiſtit diutiùs. Arx Sternberga vi expugnatur, & diruitur. Frimburgum, & quædam alia caſtella, veniunt in poteſtatem regiorum.

cum Wodnianenſibus, *Mladiegovicium*, caſtrum *Joannis VVrabbsky*, qui Zdenkoni Sternbergico adhærebat, occupârunt.

Circa finem Auguſti, *Henricus* ſparſo rumore, & ſimulatâ profectione, quaſi *Plſnam* obſidere vellet, ex improviſo *Novam Domum*, ubi tum *Zdenko* morabatur, appulit; occupatíſque ſuburbijs, civitatem & arcem acri obſidione cinxit; cui dum *Joannes Roſenſis*, cum egregia peditum manu in auxilium acceſſiſſet, arx & civitas acriùs cœpta ſunt obſideri oppugnaríque; propêque erat, ut expugnarentur. Sed intervenientibus, & aſſiduò penè inſtantibus *Legati Pontificijs* monitis, ac ultimò etiam Excommunicationum minis, factum, ut *Roſenſis*, qui *Henrico* in Sileſiam abeunte, obſidionem proſequebatur, ab ulteriori oppugnatione deſtiterit, & cum *Zdenkone*, ſicut & cum *Henrico* loci Domino inducias fecerit, ad initium usque Februarij, anni ſequentis duraturas. Denique quàm ſecundo ac propitio Marte uſus fuerit *Georgius*, contra factioſos, præſertim conjuratorum duces, oſtendit Epiſtola *Jodoci Epiſcopi VVratisl.* ad Rudolphum Legatum Pontificium tum temporis Crakoviæ commorantem, die 7. Auguſti datæ.

Venerunt; inquit ille, *mei quidam ex Bohemia referentes, quòd* (proh dolor!) *Dominus Zdenko perdiderit Koſtelecz, Leſitno & alia; & quòd in caſtro Konopiſt ſint diſcordes; quo intellecto, Georgius miſit eo bombardas majores & machinas. Henricus filius Georgij, eſt in diſtrictu Plſnenſi, & circumvallavit Rabenſtein; avertat DEUS, ne obtineat illud caſtrum, quia forte eſt, & aptum ad impediendum, ne poſſent Domini, vel Dominorum ſtipendiarij ſimul convenire. Et inimici quidem ſperant illud caſtrum ſe obtenturos, propter diſcordiam eorum, qui in caſtro ſunt. Venit etiam ad me Caſtellanus de Strakonicz, cum uno Fratre militari, aſſerens impoſſibile eſſe, ut conſervem ea, quæ habeo in Bohemia: objeci illis, quæ Dominus Elias dixit; quòd de Viridi Monte fuiſſent adjuti: reſponderunt, quòd benè adjutorium quæſierint, ſed non invenerint. Unum pulchrum fortalitium D. VVrabsky ſervitoris D. de Stellis, nuncupatum Mladiovvicze, etiam eſt perditum iſtis diebus, quod ſolùm uno milliari diſtat à Strakonicz: prout benè novit D. Elias. Et in quartali uniùs milliaris, habeo aliquot arces inimicorum. Domini de Hazmburg dicuntur trevgas feciſſe, eò quòd D. Ulricus de Hazmburg debuit circumvallari poſt expugnationem Raudnicz; & receſſerunt ab eo trecenti equites, & plures pedites, revocati per Miſnenſes, qui ex dominijs eorum fuerunt. Dicitur etiam, quòd D. Joannes frater ejus, circumvallatus ſit in Koſt.* &c. *Literas D. Wilhelmi de Rabi R. P. Veſtræ invitus dirigo. Quis & qualis ſit clamor contra R. P. V. me, & alios Eccleſiaſticos, benè audiet ab alijs. Utinam Deo placeant opera noſtra, & non offendamus Majeſtatem ſuam, ubi arbitramur ſe obſequium parare Deo!* &c. *Heu Budvicium, Georgio ſe reconciliavit, Cadanum quoque filio ejus Henrico ſe ſubjecit! Luſatia ſuperior & inferior vacillat! Quid in Moravia, ſcio Reverendiſſimam P. V. non latere: DEUS avertat, ne inimici victoriâ ibi potiantur: nam ſi hoc ipſis ſuccederet, multorum eſt opinio,* quòd

Henricus Dux, filius Georgij, Novamdomum obſidet, & relicto Joanne Roſenſi in continuanda obſidione, in Sileſiam abit.

Joannes cum Henrico de Novadomo inducias facit, die 9. Octobr. *MS. Hiſt. Roſenſ. fol. 124.*

Literæ Epiſcopi VVratisl. ad Laventinum; *Cod. maj. fol. 383.* quibus ei ſignificat, de progreſſu armorum Georgij, per Bohemiam; de obſidione caſtri Rabſtein; *hoc tenebat tunc Burjan de Gutenſtein, violentè extortum, pupillæ defuncti Joannis Czalca. MS. Anon. Item, literæ diffidat. Regis Georgij, ad eundem Burjanum, datæ Prage, Fer. II. ante feſtum S. Georgij. an. 1467.*

Joannes & Ulricus Hazmburgici Georgio contrarij, in anguſtijs conſtituti.

Literæ Sſvvihovskij ad Legatum Apoſt. datæ: de quibus infra. *Cod. maj. f. 384.*

Budvicium & Kadana, Regijs partibus accedunt: Luſatia nutat.

quòd converterent ſe in Sileſiam. Et infra: *dum hæc ſcripſiſſem, nuncius ſupervenit; quòd apud Brunam, monaſterium Reginæ, per inimicos noſtros obtentum ſit, & plures ibidem detenti, captivati, aliqui etiam occiſi. Baſtagia apud Spilbergam deſtruxerunt, & caſtrum ipſum ab obſidione liberârunt. Et intendunt intra quindecim dies circumvallare Paczkovv & Ottmochovv: quod DEUS avertat, & Reverendiſſima Paternitas Veſtra citò ſuccurat, in manu forti, aut conſilio prudenti.* Aliquid de his etiam *Georgius*, Alberto Koſtkæ Luſatiæ Præfecto, affini ſuo, ac præcipuo conſiliorum arbitro, perſcripſit talibus: *Victoriam, quæ contigit noſtris ad Münſterbergam, vos minimè latere præſumimus* (hanc de Wratislavienſibus eorúmque confœderatis, primò ad *Munſterb.* deinde ad *Franckſteinam* obtinuerat *Henricus* Dux, copijs Marchionum *VVilhelmi Miſnenſis*, & *Alberti Brandeb.* adjutus; ubi *Joannes VVlczek* Glacenſis tunc Capitaneus Equeſtris Ord. heros, & partium *Georgij* ſtrenuus propugnator, egregij & militis, & ducis nomen promeruit) *idcircò alia, quæ apud vos propter locorum diſtantiam magis peregrina cenſemus, ſignificari decrevimus. Evicimus à fœdifrago Zdenkone caſtrum Raudnicz: cui juncta eſt terra tam Clero, quàm laicis, mercatoribus, & alijs civibus inſignis: caſtrum Chvatierub, caſtrum Koſtelecz, arcem Leſtno & Mieſticz. Ab alijs verò noſtris ſatellitibus Mladiegovvicze, Frimburg, Ziaubecz recuperavimus; & à Joanne Lepore caſtrum VVrzeſtovv redegimus in noſtram poteſtatem. Illuſtris Henricus Dux de Münſterberg filius noſter, Novam domum terram nobilem & famoſam, cum exercitu cinxit: cui Joannes de Roſis, fidelis noſter dilectus, potenter aſſiſtit. Idem filius noſter apud caſtrum Zelena Hora, multos in deditionem accepit. Alter filius noſter Victorinus, potenti exercitu juxta Brunam, multis occiſis, reliquos in deditionem accepit. His motus Burianus de Bechina, à conſpiratione contra Nos defecit.* &c. *Datum Pragæ, Feriâ IV. ante S. Xyſti, anno 1467.* In alijs iterum ad *Joannem de Roſenberg* datis: victoriam ſuam de hoſtibus ad *Teplenſe Cœnobium* partam; & alteram *Hynkonis de VValdſtein*, adversùs *Joannem de Hazmburg*; atque iterum *Launenſium* civium, adversùs eundem, minora quædam prælia, Marte felici acta commemorat.

Ægrè id tulit Summus Pontifex, quòd *Joannes de Roſis*, Georgio conſtanter adhæreret: ideóque datis ad fratrem ejus *Jodocum Epiſc. VVratiſlav.* literis, inter alia hoc etiam addidit: *Inducere etiam velis, ſalutaribus monitis, fratrem tuum; quem miramur & dolemus, in tanta fidei neceſſitate, à Catholicorum Baronum ipſi Georgio reſiſtentium conſortio divertiſſe, & ad partem hæretici illius declinâſſe: ut cum cæteris ab illius impietatis jugo collum ſubtrahat, illum vitet,* &c. *ad ipſum fratrem tuum in præſentiarum non ſcribimus, ſed has noſtras, & tibi, & illi communes eſſe volumus.* &c. *Dat. Romæ an. 1467. in Januario.* E contra verò *Zdenkonem à Sternberg*, quòd tam egregiâ animi fortitudine, contemptis omnibus, cùm vitæ, tum fortunarum ſuarum periculis, pro Catholicæ Religionis defenſione, hæretico reſiſteret, non tantùm in Conſiſtorio Romæ publico collaudavit, verùm etiam datis ad Proce-

In Moraviâ quoque ad Brunam, re malè actæ. *Cod maj. lib. fol. 384.* *Cod. cit. f. 675.*

Miſnenſis & Brandeb. Marchiones mittunt Georgio ſubſidia contra Sileſios. *Cromer. rer. Pol. lib. 27. ad init.* *Fabric. in Orig. Sax. lib. 7.* *Curæus in Annal. Sileſ. an. 1467.* *Schikfus. lib. Hiſt. Sileſ. c. 36.* *Theobald. ſupra cit.* *Manlius in Comment. Luſat. lib. 6. an. 1467.*

Georgij literæ ad Koſtkam, quibus ei nunciat, de bono rerum ſuarum progreſſu, adversùs ſeditioſos & rebelles.

Aliæ ad Roſenberg, de aliquot victorijs obtentis. *Cod. min. lit. publ. fol. 220.* *MS. Anon. Prag.* *MS. Hiſt. Roſenſ. fol. 131.*

Paulus II. hortatur Jodocum Ep. VVrat. ut fratrem ſuum Joannem de Roſmb. abſtrahat à Georgij partibus. *Cod. maj. f. 327.*

Idem, Romæ publicè in Conſiſtorio, laudat Zdenc. à Sternb. ob Catholicæ Religionis zelum;

 res

quem idcirco alijs Baronibus Catholicus Bohemis, contra Georgium fœderatis, commendat per literas: *Cod. maj. fol. 457. Cod. tert. min. fol. 121. in Arch. Cap. Prag.* & paternè hortatur, ut eidem, tanquàm Capitaneo armorum contra Georgium, in Zittavienſi conventu electo, fideliter aſſiſtant, ad exequendam ſententiam Apoſtol. & alios quoque ad idem inducant: quò demum faciliùs ille Regno pelli, & alius Rex Catholicus, pro *tam inſigni Regno & Corona*, conſtitui poſſit.

res Bohemiæ Catholicos literis, illum magna cum præfatione honoris, & de meliori nota commendavit: omnes & ſingulos paternè commonens, utei, quem tam propenſis ſtudijs in ducem armorum contra Georgium elegiſſent, debitè parêre, viriliterque aſſiſtere haud gravarentur. Literæ, ſeu *Breve Apoſtolicum*, ùt vocant, ſic habet. *Paulus Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Dilectis Filijs, Nobilibus viris Regni Bohemiæ Baronibus Catholicis confœderatis. Salutem & Apoſt. Bened. Non ſine cordis exultatione pridem recepimus Fidei veſtræ conſtantiam, ſperantes Dei gratiâ in dies augeri illam, cùm ea quæ pro Chriſtianæ Relig. tuitione conducibilia ſunt, meditari non deſinatis; dum nuper in Zittavienſi diæta, dilectum filium, Nobilem virum Zdenkonem de Sternberg, contra pertinacem hominem Georgium de Podiebrad, Inclytæ Coronæ Bohemiæ uſurpatorem, pridem per nos maturo judicio damnatum, & declaratum hæreticum; prout ex noſtris vobis transmiſſis literis vos intellexiſſe ſperamus; in Capitaneum veſtrum, ac Dominici belli elegiſtis. Profectò ſolicitudinem veſtram, ac Fidei zelum in Domino laudamus: vóſque hortamur, quatenùs dicto per vos electo Capitaneo, ad exequendum ſententiam noſtram hujusmodi, contra perditum illum hæreticum, prout bonos milites, ac veſtras decet Nobilitates, viriliter aſſiſtatis; illique in omnibus & ſingulis, ad Capitaneatûs hujusmodi officium ſpectantibus, parêre & obtemperare; alios demùm ad idem faciendum, quousque omnium veſtrum conſilijs collectis, de Rege Catholico & idoneo, tam inſigni Regno & Coronæ, quod in brevi, Deo duce, fieri ſperamus, proviſum fuerit, inducere curetis. Habituri à Deo, præter nomen, quod vobis & poſteris veſtris glorioſum efficietis meritis, pro fidei veſtræ conſtantia, mercedem in Cœlis copioſam; à Nobis verò, & Apoſtolica Sede, favores & gratias ampliores. Dat. Romæ, apud S. Marcum, anno 1467. XIII. Cal. April. Pontificatûs noſtri, an. III.*

MS. Fragment. Chron. Monaſt. Trebic. MS. Pernſt. ad an. 1467. Notat. in Archiv. Lippæo. Moravorum aliqui, primò omnium Georgio adverſari incipiunt, Joanne Bozkovicio duce: Brunam, per proditionem quorundam civium, occupare intendunt: ſed malo ſuo. Nam præfectus urbis, *VVolffg. Kragirz*, hoc ipſum maturè ſubodoratus,

De clade verò quæ ad *Brunam* accidit, & cujus meminit *Georgius*, tum etiam *Jodocus* in ſuis literis, hæc in quibusdam Manuſcriptis invenio. Cùm *Victorinus* expeditionem in Auſtriam contra Imperatorem juſſu Patris ſuſcepiſſet, *Joannes Bozkovicius Protaſij Epiſcopi frater*, qui *Georgio*, præ alijs Moraviæ Baronibus, primus ferè adverſari cœpit, contractis tumultuariè copijs, ità ut ad tria millia armatorum habere crederetur, audendum aliquid contra *Georgium* decrevit: potiſſimùm autem, ad *Urbis Brunenſis* in poteſtatem quocúnque tandem modo redigendæ, conſilia animúmque adjecit. Ad quod faciliori negotio perficiendum, civium aliqui, ſub maxima ſilentij fide, operam ſuam pollicebantur; qui Religionis amore, ac debitâ Sedis Apoſtolicæ obſervantiâ tacti, ei urbem tradere ſeſe decreviſſe per idoneos homines referri juſſerunt. Eſſe itáque in ſua poteſtate portulam minorem, *templo Divi Thomæ* obverſam; illam ſe ad conſtitutum certum noctis tempus adaperturos, qua ſelecti primò pedites tacitè immittantur, qui vicinam urbis portam commilitonibus pandant, ſicque omnis exercitus ſubitario impetu irrumpat. Sed longè ſecùs accidit, quàm ſperabatur: Præfectus námque præſidij, quem *Victorinus* pro tutela urbis reliquerat (is erat *VVolffg. Kragirius*, vetuſtiſſimæ

ſtir-

ſtirpis Baro, juvenis quidem ætate, at ſolers & induſtrius) proditionem ſubodoratus, accuratè omnia ac circumſpectè ad fallendum hoſtem diſpoſuit: & noctem proditioni deſtinatam inſomnem ducens, ipſemet ad portulam, quæ hoſti patefacienda erat, ſilenti cum agmine vigilandum ſibi ſumpſit. Dúmque jam appropinquaret deſtinata, & ex audacioribus ſelecta, ad tentandum aditum cohors, mox ad datum conventum ſignum, quaſi ab amicis ex conſtituto res fieret, portulam reſerari juſſit: quâ intromiſſos penè citiùs, quàm inſidijs ſe intercipi animadvertiſſent, oppreſſit; potior eorum pars, occluſâ repentè portulâ, primò illo furore conciſâ, pœnas temeritatis ſanguine & cæde luit: pauci capti, Præfecto jubente ijs parci, ut eſſent, â quibus proditionis actæ ordo pleniùs peteretur. In alios, qui antecedentium inſiſtebant veſtigijs, tuta omnia ſibi pollicentes, immiſſa è pinnis murorum & turribus ingens, ac tam denſa glandium procella, ut pluribus ordine primo proſtratis, reliqui cogitabundi & triſtes, quemadmodùm deceptis in re ſubita accidere ſolet, ſubſequi nequaquam auderent, ſed proditione animadversâ, in fœdam fugam conijcerentur. Rejectis ab urbe hunc in modum hoſtibus, *Kragirius*, haud ignarus eſſe in urbe, præter eos quos noverat, alios complures culpæ affines, primùm de ijs, qui ex certis indicijs ſuſpicioni proximiores erant, cognitionem fieri juſſit: cumque hi admotis tormentis nullam moram quærentibus feciſſent, de ijs primò, poſtmodùm de reliquis eodem perduellionis crimine convictis, & ad alios, ſi qui præterea dubiæ fidei eſſent, deterrendos, per omnia ſævitiæ exempla excruciatis, ſupplicium ſumptum eſt. Et duo quidem præcipui, qui Senatorij ordinis fuiſſe perhibentur, in quatuor partes diſſecti, temerè initi conſilij, ſive prodendæ patriæ hoſtibus, ſive melioribus tradendæ, pœnas aut ſceleris debitas, aut officij, quas non deberent, perſolverunt. Aliqui nihilominùs eâdem nocte, relictâ domo ſubſtantiáque omni, uxoribus & liberis, foras profugêre: quorum bona, domus, fundi, ſupellex, & quaſcúnque habebant facultates, venditæ, pecuniáque inter præſidiarios, inſtar donativi diſtributa.

Interea *Bozkovicius* ſpe potiundæ urbis dejectus, flexo dextrorſum, infra caſtrum *Spilberg* itinere, ſuburbium (*Veterem Brunam* appellant) & in eo *cœnobium Reginæ* occupavit. Ad quem, cùm die ſequenti acceſſiſſet, duce *Putâ Sovinecio*, novus ac recens miles, caſtrum quod mediocri præſidio teneri intellexerat, obſidione premendum conſtituit, aggeribúſque excitatis, vires eò admoveri juſſit. Ne autem ex urbe ſuccurri poſſet obſeſſis, foſſam ingentem, quam unius noctis ſpatio, magno utique & improbo militum aggreſtiúmque labore, abſolverat, per medium duxit; eámque egeſtâ in utrúmque marginem humo, & alicubi elevatis corbibus, terráque oppletis, probè communivit. Hæc ubi ad *Victorinum*, propè *Kremſium* tunc agentem, per celeres nuncios delata eſſent, conclamatum jam eſſe de *Bruna*, niſi quantocyùs ei ſuccurratur, indicantes, confeſtim â meridie diei ultimæ *menſis Julij*, ſublatis tentorijs impedimentíſque, caſtra ſolvit; rémque emendaturus urgentem, iter Moraviam versùs, toto cum exercitu arripuit; tantâ properandi curâ, ut die

illos temerè nimis, per quandam portulam, civitatem ingreſſus,

egregiè excepit,

& partim occidit,

partim captivavit, ut haberet, â quibus proditionis actæ ordinem pleniùs cognoſceret.

Quæſitum acriter in proditores,

quorum nonnulli, diverſi generis tormentis excruciati, perierunt cervicibus abſciſſis: præcipui duo, in quatuor partes ſecti: felicíores, qui ſub primo tumultu, relictâ urbe, profugerunt.

Bozkovicius Brunam Veterem, & cœnobium Reginæ occupat: Caſtrum Spilberg obſidet, & undique circumvallat.

His cognitis Victorinus, arma tunc per Auſtriam circumferens,

ſine mora, iter in Moraviam arripit.

ac verſùs Brunam citatis paſſibus contendit. Bozkovitius obſidione ſoluta, in tutiora ſe recepit;

ſequenti, veſperi, ad *Modricium*, in campis *Brunæ* ſubjectis, caſtrâ collocârit: eo conſilio, ut datâ militi laſſo per noctem quiete, manè deìn hoſtem aggrederetur. Verùm *Bozkovicius* cognito ipſius adventu, cùm ſe multò inferiorem viribus non ignoraret, de maturo potiùs in tutiora receptu, & conſervando exercitu, quàm de pugna cogitavit. Nec mora: eâ adhuc nocte, collectis properè vaſis, obſidionem ſolvit, & ne ab hoſtium multitudine repentino impetu circumveniretur, *Wevverzium* versùs ſeceſſit.

diſſvadentibus licèt alijs, qui ſuburbium tantiſper defendendum cenſebant. Monaſterium tamen Reginæ (Virg. VVeſtal. Ord. Ciſterc.) præſidio firmatur. Victorinus Brunæ appropinquans, exploratores præmittit, ut de hoſtium conatibus cognoſcere poſſit: cui aliqui ex urbe obviam progreſſi, nunciant primò quieta omnia eſſe in caſtris hoſtium: ac deinde alij, indicantes receſſiſſe hoſtes. Victorinus in progrediendo circumſpectus: conſultat cum ſuis, an priùs cænobium recuperandum? vel hoſtium fugientium tergis inſiſtendum? ſententijs in in utrámque partem variatis,

Quamvìs autem alij, plus ſuis quàm alienis conſilijs tribuere ſoliti, caſtra in ſuburbium transferri contrahíque, & ibi hoſtes præſtolari ſvaderent; eo, quemadmodum dicebant, conſilio, ut hoſtes ab ea parte adventantes arcerent ab aditu, aut aliò egreſſuros, receſſu deinde tempeſtivo in proximiores ſaltus illuderent: ea tamen ſententia, utpote ſecundùm quam, nihil incommodius, nihil pejus accidere potuiſſet, rejecta eſt, & ut conſtituerat dux, receptui datum. Nihilominùs cohors una in cænobio, pro tutela & præſidio relicta: tametſi id quoque non ſatìs prudenter factum, eventus probavit. Interea Victorinus, actâ jam ſecundâ vigiliâ, ac pridem cupidus hoſtilis ſanguinis, è ſelectiſſimis quos penes ſe habebat, turmam unam, ad perſcrutanda hoſtium conſilia mittit: cùm inter hæc ex urbe accurrunt viri, in hoſtium caſtris, præter ſolitum, muta omnia nunciantes. Ex quo diſceſſiſſe illos, id quod erat, ſuſpicatus, illicò profectionis ſignum dari, & equum ipſe ante alios omnes celeriter conſcendens, avelli præcipiti feſtinatione vexilla, & copias omnes ad iter capiendum præſto eſſe jubet, ac propiùs urbem petit. Ubi occurrêre ei exploratores alij ac certiores, hoſtem caſtra moviſſe loco, diſceſſiſſéque referentes; quò autem, quámve partem versùs, nondum conſtabat. Tacitus tamen ille ac contento gradu, præeuntibus equitibus, & luſtrantibus obvia quæque, maximè verò circa vias, aſveta indagine dumeta pererrantibus, ne circumveniretur inſidijs, iter reliquum proſequutus eſt, ad ſuburbium usque: ubi cùm certiùs de hoſtium diſceſſu, ſimul & de præſidio cænobij cognoviſſet, ſubſtitit, lucem diei opperiens.

Cænobium aggreditur, illúdque recuperat, non ſine hoſtium clade. Quo peracto, Bozkovicium perſequitur.

Inter hæc coacto militari conſilio, quidnam faciendum foret, an priùs cænobium recuperandum, quò citiùs urbs ab omni parte exempta metu in tuto locaretur; vel poſtpoſitis alijs cunctis, hoſtium veſtigijs inſiſtendum? diligenter & multis in utrámque partem verbis & ſententijs, diſceptatum fuit. Nec defuêre, qui hoſtiles copias oppugnatione caſtri debilitatas feſsáſque, ac multis commilitonum amiſſis imminutas, ſi non deleri, at certè inſigni clade affici poſſe exiſtimarent, ſi totis viribus ſine mora incumberent cedentibus. Potiori tamen numero ducum, ipsíque *Henrico de Lippa*, qui poſt *Victorinum* primas tenebat, conſultiùs viſum, cænobio priùs eijcere hoſtem: quo non multo labore peracto (captum ibi *Sigismundum de Pernſtein*, & *Burghardum Kamaryth*, virum quoque illuſtrem occiſum, in Manuſcriptis invenio) munimenta quibus circumdatum erat caſtrum, deſtructa ſunt, foſsǽque complanatæ, ac demum plenis agminibus in hoſtem itum. At *Bozkovicius* imbecillitatis ſuæ haud vanus æſtimator, ut in apertum prodeundo, pugnæ copiam

darer,

daret, è re ſua non exiſtimabat, ſed intra montium deliteſcens receſſus, minoribus tantùm prælijs & excurſibus aggredientes ludificare conſultiùs in præſens duxit. Tandem *Victorinus*, quem ad repetendam expeditionem Auſtriacam graviſſima urgebant momenta, non ultra in eliciendo ad pugnam *Bozkovicio* cunctandum ratus, ditionem ejus *Czerno-Horenſem* invadere conſtituit, móxque ſuperatis itineribus, quæ vaſtiſſimâ concæde arborum erant conſtrata, eo exercitum induxit. Hoc viſo ille, continere ſe intra latebras vallium ampliùs non potuit, ſed ut ſua pro præſenti virium copia tueretur, & ne bona patrimonialia igni ac ferro pereuntia impunè ſpectaret, (*privatum, non ſat laudabili exemplo, anteferens publico*,) obviam hoſti longè latéque graſſanti ire, ac vel prælij fortunam qualemcúnque tandem experiri, vel quò minùs ei liceret, quod vellet, modum ponere decrevit. Auxerunt animum ad hæc audendum, nuncij in id tempus accurrentes, & auxilia ab Epiſcopo fratre miſſa, mille ac ducentorum virorum numero adventare, neque jam abeſſe procul indicantes. Sed hæc priusquàm ſeſe ei junxiſſent, â *Ctiborio Tavazovio*, propè *Hradiſſkam*, noctu circumventa ſunt & oppreſſa. Quam cladem paulo poſt alia *Bozkovicij*, eáque longè fœdior, temeritate ipſiusmet accelerata ſequuta fuit.

Fugientem, & intra montium atque ſylvarum receſſus ſeſe recipientem: Ditionem Czerno Horenſem vaſtat: & hoc modo illum ad pugnandum elicit: qui ut diram vaſtationem Bonorum ſuorum impediret, ſpe etiam auxiliorum, à fratre Epiſcopo Olom. ſibi ſubſidio adventantium, fretus,

Cùm enim præpoſtero uſus conſilio, ad arcendum vaſtantium globos, in planiora patentioráque deſcendiſſet, circumdatus ex improviſo hoſtium turmis, eò anguſtiarum & diſcriminis ſe ſuóſque præcipitavit, ut ſibi nulla ſpes evadendi, niſi per victoriam relinqueretur. Prælium itáque, quod antea ſingulari ſolicitudine vitabat, inire coactus, quamquàm primò ſpe & expectatione acriùs pugnam iniret, tantâ ſuorum obſtinatione, tantíſq; ad dimicandum animis, ut duabus aut ampliùs horis victoria in neutram partẽ inclinaret: ad extremum tamen, prævalente hoſtium multitudine, cùm multi gladijs occumberent, ac plures vulneribus debilitarentur, vacillare ac loco pelli cœpit. Denique inſtante pertinaciter *Victorino*, in effuſam conjectus fugam, cedere, quò ſors tuliſſet, potiùs, quàm ad non dubiam vel necis, vel tetri perpetuíque carceris calamitatem devenire maluit. Cæſi ex parte illius octingenti & viginti ſex, plures verò capti; ac præter alios, nobiliores quidam: *Puta â Sovinecz*, *Hynko de Zvvole*, *Joannes Rotemberg â Ketrze*, *Beneſſ â Bilkovv*, *Joannes â Kokor*, & quidam *Koſtelak* nomine: reliqui *Czernam-Horam* profugerunt. Magno hæc non tantùm ſanguine, ſed etiam ruinâ ac pernicie multorum, quinimò totius Reipubl. clades ſtetit; ut temerarium inauſpicatæ pugnæ auctorem, qui communes fortunas privati ſui tuendi causâ, quamvis & eâ irritâ, in tantum diſcrimen præcipitâſſet, jure meritóque deteſtati fuerint multi. E contra, regijs crevêre animi & vires, adeò, ut ab eo tempore longè ferociùs Romanæ obſervantiæ cultoribus inſultare, ac niſi abjuratis Pontificijs mandatis, novo & arctiori ſacramento ſeſe Regi legitimo obſtringerent, extrema omnia minari non ceſſarent.

in apertum prodijt. Pugna committitur, & diu ſatis fortunâ ancipiti pugnatur. Victoria tandem ad Victorinum inclinat: Bozkovicius fugit. Cæſi multi; plures capti: quos inter, Illuſtres quidam viri. *MS. ex Archivo Baron. de Lippa. MS. de Pernſtein. MS. Trebic.* Regij victoriâ inſolentes, vaſtant alios, idem cum Epiſcopo ſentientes.

Adhærebat tunc partibus Regi adverſis, *Slavo-Hungarus* quidam, nomine *Blaſius Podmaniczky*, vir quidem ſtrenuus & militaris, ſed qui rapto vivere

Hungarus quidam Nobilis, adhæret partibus Georgio adverſis,

 non

Digitized by Google

& Moraviæ fines Hungariæ proximiores vaſtat hoſtiliter;

prohibitus tandem â ſuo Rege, ceſſat.

Georgij literæ ad Strigonienſem Archi-Ep. *Cod. maj. lit. publ. fol. 678.*

quibus conqueritur contra illum Nobilem Hung. *Cod. cit. f. 680.* & petit eum revocari, atque puniri pro condigne.

non abhorrebat. Is collectâ ex vagis & errabundis militibus haud contemnendâ manu, omnem circa *HunnoBrodam* regionem, ad Moravam usque, infeſtam reddebat, ijs potiſſimùm, quos Georgij partibus favere ſciebat, multùm gravis: quorum domos, oppida, & pagos vexare ac diripere, pecoris majoris minoriſque greges abigere, â nobilibus captis, & in vincula conjectis pecuniam extorquere; in obvia denique cuncta cædibus & incendijs graſſari non ceſſabat. Donec tandem â Rege ſuo, ſub pœna *criminis læſæ Majeſtatis*, ab hujusmodi maleficijs, ex quibus facilè bellum oriri poſſet, abſtinere, denique injurijs, damnis & rapinis, omni poſſibili modo ſatisfacere juſſus eſt. Aliquid de his invenio in epiſtola *Georgij*, data ad *Archi-Ep. Strigonienſem*; ubi inter cætera, Rex ſcribit. *Quia verò nunc quidam Blaſius Podmaniczky, ejusdem incola Regni, rebellibus noſtris, in Marchionatu noſtro Moraviæ, ſeſe adjunxit, & aſſociavit, ſimiliterque cum illis, nonnunquam verò dux & patrator facinoris, prædas infert & rapinas, populatur agros & incendit: de qua re ſcripſimus Sereniſſimo Fratri noſtro: idcirco noſtri perduelles, ſibi fiduciam uſurpant ex Regno veſtro auxilia præſtari. Rogamus itaque, quatenùs hortatibus noſtris adeſſe velitis, ut idem Frater noſter ipſum Blaſium revocet, & tantam ſeveritatem oſtendat, quâ perduelles noſtri intelligant, Sereniſſimum Fratrem noſtrum, fœdus ſuum, erga nos ſyncerè velle ſervare. Parum quidem eſt, quod idem Blaſius noſtris rebellibus augmenti poſſit afferre: ſed plurimùm, quod in animis hominum exinde ſuſpicionis innaſci poterit, fœderis ſynceritatem inter Fratres vacillare.* &c. *Pragæ 24. Julij 1467.*

CAPUT VII.

Pluribus ſenſim â Georgio deficientibus, bella & ſeditiones, per Moraviam & Bohemiam, magna cum populorum & provinciarum vaſtitate ac clade, augentur.

Victorinus in Auſtriam redit,

& per obvia quæque ad Danubium usque impunè graſſatur, nemine è Principibus Imperatori ſuccurrente.

POſt repreſſos ſeditioſorum in Moravia conatus, *Victorinus* relictâ parte exercitûs, ſub ductu & imperio *Tovaczovij*, ad cohibendos, ſi qui in poſterum â perduellibus exorirentur motus, cum reſidua copiarum mole, circa Calend. Septembr. in Auſtriam revertit: ac nullo reſiſtente, (per id námque tempus Imperator, in pacanda ſuperiori Auſtria graviſſimis diſtinebatur curis; quæ tunc maximis Procerum Nobiliúmque diſſenſionibus æſtuabat, *Georgio Steinio* ſeditioſorum coryphæo, & Bohemorum copijs ſubnixo, incentore & duce) ad ripam Danubij usque, prout antè, populabundus negotio facili penetravit. Neque erat in Germania Princeps, qui Majeſtatem Imperatoris in eo diſcrimine verſantem, & ludibrio penè expoſitam, vindicandam ſuſcepiſſet: adeò ſibi jam antea *Georgius* varijs artibus devinxerat cunctos. Ipſe etiam

Chri-

Rex Galliarum iterum pro Georgio, apud Pontificem M. intercedit.

Chriſtianiſſimus Rex Ludovicus XI. renovatis, quæ inter Reges, & *Regna Galliarum atque Bohemiæ*, â multis retroactis annis obſervari ſolita erant, fœderibus, ei jam ſecundò operam ſuam, quò faciliùs Pontifici Maximo reconciliaretur, obtulit: videlicet, miſſurum ſe legationem Romam, & quantum in ſe ſitum ſit, adlaboraturum, ut rem ad optatum finem perduceret. Quæ legatio, quamquàm in irritum ceſſiſſet, in tanto tamen Rege id voluiſſe multum fuit.

Novus Principum Electorum conventus Norimbergæ anno 1467. in Julio. ubi adeſt quoque Legatus Apoſt qui hortatur Principes, ad inferendum Turcis bellum, maturéque excutiendum ipſius ab Illyrico, & Dalmatia jugum: ſecus imminere, & Hungariæ & Germaniæ, imò toti Europæ grande ac præſentaneum periculum.

Porrò Electores, aliíque Imperij Principes, Normbergæ, causâ belli adversùs Turcam communi omnium decreto indicendi, jam ſecundò (ſi non tertiò) congregati, in literis ad Papam datis, id palam, prout antè, teſtati ſunt: niſi Rex Bohemiæ, pacatis domî rebus, Sacræ hujus militiæ pars fuerit, uti aliàs parato eſſet animo, ſi tantùm Sua Sanctitas â perſequutione ipſius tantiſper deſiſteret; fore, ut ſine illo, nemo Principum huic expeditioni manus dare velit. Aderat eo in Conventu â Pontifice miſſus, *Laurentius Rovarella Præſul Ferrarienſis:* qui primariò quidem Principes hortabatur luculentâ oratione, ut priſtinæ virtutis memores, & pro debito quoque officij ſui, tanquam Principes Chriſtiani, vires opéſq; ſuas, adversùs Turcas, communes & capitales Chriſtiani nominis hoſtes, conſociarent, & tam pium quàm neceſſarium bellum, ijs quantocyùs inferrent; propoſito etiam periculo, quod cervicibus Chriſtianorum immineret, ſi hanc diram & immanem belluam *Ottomanicam*, per *Pannoniam* & *Illyricum* nimiùm invaleſcere permitterent; quæ â pauco tempore in tantam potentiam, & Imperij magnitudinem excreviſſe videtur, ut jam ipſis omnibus, eorúmque Regnis & populis, toti denique Europæ, terrâ maríque formidabilis appareat. In occulto tamen magìs illos contra *Georgium* incitabat: *domeſticum fidei ac Religionis hoſtem magìs formidandum eſſe, quàm remotum* dictitans.

Priùs autem Georgium Regno Boh. pellendum cenſet.

Adfuêre etiã Bohemorum Georgio adverſantium legati, petentes auxilia â Principibus, pro conſervanda Religione Catholica, tuendáque authoritate Apoſtolica.

Venerunt illuc quoque, *Hilarius Decanus, Metrop. Prag.* & quidam *Joannes Koczovvsky*, â Zdenkone Sternb. aliiſque confœderatis Prælatis & Baronibus Catholicis miſſi: qui die feſto *S. Kiliani*, â Principibus auditi, querebantur oppreſſos eſſe â Rege Catholicos; *Zdenkonem*, propter Religionem præcisè, deſciviſſe â Rege; ad honores & Magiſtratus, primáque Regni munia patêre aditum ſolis hæreticis, poſthabitis Catholicis, integrâ fide & virtute ſpectatiſſimis; eſſéque pro exemplo, *Albertum Koſtkam*, hominem hæreticum, â Georgio *Burggravium Regni ſupremum*, Zdenkonis locò conſtitutum. Ideóque ſummis precibus orare, ut Catholicam Religionem extremè jam in Bohemia periclitantem, tuendam, & ab hæreticorum injurijs vindicandam, pro ea fide, quâ Deo imprimìs ac Eccleſiæ, ejúsque Summo Paſtori, quâque Imperio Reique publicæ Chriſtianæ, Chriſtiani & Catholici Principes, devincti eſſent, ſuſcipere vellent.

MS. Anon. Prag. & VVenc. VVrzeſoſ ad an 1467. Cod maj f. 226. & ſequ. Cod. tert. f. 131. in Arch. Cap. M. Prag.

ſed Principes potentiam Regis, & Bohemæ Gentis veriti, id ex re ſua minimè judicant:

Verùm Principes ſeriò perpendentes Regis cauſam, & magìs adhuc potentiam, copiarum multitudinem, tot jam hinc inde victorias, ab omnibus penè, quibus cum arma contuliſſet, reportatas, diſciplinæ militaris rigorem, exercitum veteranum; illum, *gentémque Bohemam præferocem*, â qua prætéritis annis, tot tantásque clades & detrimenta accepiſſent, irritandam, & no-

vo

bono potiùs modo, controverſiam in puncto Relig. componendam ſvadent; aut differendam ad alia tempora,

vo bello concitandam minimè è Rep. cenſebant. Omnium proinde ſententia erat: ſi quid controverſiarum eſt circa Religionis capita, totum id conſilio priùs, & ſvavi aliquâ compoſitione, quàm armis experiundum eſſe. Hoc modo non ſeculares tantùm, verùm etiam Eccleſiaſtici Imperij Principes, ſuperiorum cladium recordatione, & potentiâ præſenti abſterriti, Regi formidoloſo, non ſine ſacroſanctæ Authoritatis Apoſtolicæ, Religioniſque Catholicæ jactura & diminutione, usque ad meliora tempora, quibus remedio locus eſſet, cedendum, evitandíſque urbium & populorum excidijs providendum exiſtimabant. Brevibus id inſinuat *Georgius* ipſemet, in ſuperiori epiſtola, ad *Koſtkam* data, ubi ultimò addit: *In Conventu Norimbergenſi Principes, maximè ſeculares, attendentes juſtis & æquis exhibitionibus noſtris, ſuiſque interceſſionibus & poſtulationibus* (videlicet ad Summum Pontificem) *repulſis, negârunt auxilia ſua contra nos conferre, aut nobis in aliquo moleſtos eſſe; cujus rei inter plurima indicia, quæ nobis allata ſunt, hanc copiam epiſtolæ nobis de hoc transmiſſæ, vobis communicamus, hortantes.* &c. *Dat. Pragæ, Feriâ IV. ante S. Xyſti, an. 1467.*

quibus id commodè, & ſine periculo majore, fieri poſſet.

Narrat hoc ipſum Rex, Koſtkæ, in ſuis literis. *Cod. maj. f. 679.*

Nihilominùs *Bulla Cruciata* contra Georgium, publicatur hinc inde per Imperium Germ. *MS. Anon. Prag. Urſperg. paralipom. Fabric. in Orig. Sax. lib. 7. Cochl. Naucl. Gerardus de Roo. Theobald. cit.*

Jámque paſſim per vicinas urbes Imperij, *Ratisbonæ, Paſſavij, Bambergæ, Erfordiæ, Magdeburgi*, ac poſtea etiam *Norimbergæ*, publicè in templis, & alibi quoque in majoribus Sacerdotum Collegijs, ſeu ut vulgò appellamus, Conventibus & Capitulis, publicabatur *Bulla Cruciata*: quâ omnibus & ſingulis plenaria peccatorum remiſſio, authoritate Pontificiâ indulgebatur, quicúnque adversùs *Georgium*, ejúsque complices, *Huſsitas* hæreticos, arma induerent. Mentionem hujus facit *Laventinus*, in epiſtola ad *Decanum Olomuc.* data: quam cùm prolixa nimiùm non ſit, & alia quædam notatu digna contineat, integram audiamus. *Venerabilis D. Decane* (is tum erat Joannes Pauſsvangl) *vidimus literam illius viduæ de Gitczin, quam Reverentiæ V. ſcribi fecit. Rogamus, imò in virtute S. Obed. præcipimus, quatenùs ei, & Domino Henrico Dubsky, & alijs circumcirca vicinis, qui Catholico nomine cenſeri volunt, intimetis; quòd res hæc gverrharum, ſit Fidei, & SS. Domini N. non DD. Baronum, niſi in quantum per Sanctiſſ. D. N. & nos, nomine ſuæ S. fuerint requiſiti. Unde requiratis eos, ut quantocyùs ſuos ab obſidionibus revocent* (obſidebantur tunc â Regijs, Bruntalia & Sovinecium,) *& retrahant, atque Catholicis & obedientibus Baronibus ſeſe conjungant. Quod ſi non fecerint, incident ipſo facto, in anathema illud terribile, quod fautores hæreticorum incurrunt; quod maledictionem perpetuam habet annexam, & confiſcationem omnium bonorum, quæ occupanti conceduntur. Non æſtiment illas Cenſuras, ſicut aliam ſimplicem Excommunicationem, quæ vel propter debitum pecuniarum, vel aliam civilem cauſam fit, quæ medicinalis dicitur: aliud eſt in Excommunicatis propter hæreſim, aut fautoriam, vel aſſiſtentiam hæreticorum; illi enim efficiuntur infames, his clauditur Cœlum, & perpetuo anathemati ſubjacent; & maledictiones maximas, quas jam contra hæreticos & eorum fautores publicamus, & quas unusquisque meritò pertimeſcere debet, incurrunt. Crucem nunc etiam fecimus prædicari contra Gerſicum, & ei ad-*

Laventini literæ ad Decanum Olomuc. *Cod. maj. f. 379.* quibus eum hortatur, ut Barones & alios, Georgio adhærentes, & in Fideles quosdam hoſtilia exercentes, admoneat, ut ab ejusmodi attentatis abſtineant, & Georgij partes deſerant; niſi in graviſſimas Cenſuras incidere, & de ſalute animarum periclitari malint.

hæren-

barentes: inter quos etiam ipſi computabuntur, ſi non abſque mora diſcedant ab eo, & ſuos revocent; & Catholicis Apoſtolicæ Sedi obedientibus ſeſe conjungant, eisque fideliter aſſiſtant. Facite diligentiam poſſibilem, ut poſſitis lucrari animas dictorum Dubsky & Dominæ de Gitczin, & aliorum, quos retrahere poteſtis, ad laudem Dei, qui vos conſervet. Dat. VVratislaviæ, in craſtino Feſtivit. Aſcenſ. Domini, 1467.

Addit, curare ſe ubiq; publicari *Bullam Cruciatam*, contra Georgium.

Igitur publicato Indulto Pontificio, & propoſitâ omnibus militantibus mercede, peccatorum indulgentiâ, & ſi qui pulchram pro Catholica Religione obirent mortem, felicitate æternâ; tametſi Principes parum vel nihil hiſce moverentur, in Civitatibus tamen liberis, non pauci voluntariorum ad arma confluebant: qui ſimul juncti, ſi aliquem Ducem idoneum, reíque militaris peritum habuiſſent, aut veteranos aliquos, antea jam caſtrenſibus muniis aſſvetos, ac præliando exercitatos, multum certè negotij *Georgio* faceſſere potuiſſent. Sed, uti tumultuariè collecti, militiæque rudes (exceptis paucis) dum incautiùs, & magìs cum ferocia, quàm cum conſilio, expeditionem in Bohemiam ſuſcipiunt, quanquàm primo furore Bohemiam, præſertim confinia Regni, maximis affecerunt cladibus, ſævientes in obvia quæque igne & ferro, tam immani ac diro crudelitatis exemplo, ut non ſexui, non ætati parcerent, ſed promiſcuè omnes, quotquot deprehendiſſent, etiam puerperas cum infantibus, exquiſitâ immanitate interficerent, alibi parvulos hinc inde per ſepes acutiſſimis palis infigerent, ad omnia denique irarum & crudelitatis exempla patrarent ſæva ac prædira: ultimò tamen non niſi etiam cladem, *Divinâ Nemeſi* eos ê veſtigio ſequente, retulerunt.

Publicatâ Crucis militiâ per Germ. tametſi ex Principibus moveretur nemo, ex civitatibus tamen confluxêre ſub ſigna multi; qui irruptione factâ in Bohemiam, magnam in obvia cuncta exercuêre crudelitatem, ultimò gravi clade affecti & ipſi.

MS. Anon. Prag.
MS. Chron. Regino Hrad. ad an. 1467.
Balb. in Epit. rer. Bob l. 5. c. 7.

Multa de hac Cruceſignatorum in Bohemiam expeditione, apud Scriptores, non dum in lucem editos, notata invenio, quorum etiam *Balbinus*, in Epitome rerum Bohem. meminit hiſce paucis. *Ecce*, inquit, *Septembris initio, Paulus Pontifex, datâ priùs adversùs Regem Bullâ Cruciatâ, exercitûs in Turcas deſtinati bonam partem, & Cruce ſignatos milites in Bohemiam immiſit. Multi per Palatinatum Bavariæ, plures per Hlubokam penes Budvicium ingreſſi, barbarum in morem omnia incendentes & occidentes, tandem ad arcem Riſenberg poſt Klatoviam, convenêre omnes, & in jugis altiſſimorum montium caſtris poſitis, quorum hodiéque apparent veſtigia, conſederunt. Tuſtenſes, Klatovienſes & Suſſicenſes, collectis quàm maximis copijs (nebulâ contecti, 22. Septemb. ad caſtra Cruce ſignatorum invadenda intrepidè acceſſerunt. Theſſera Bohemorum fuit, Bohemicè loqui, qui id neſcirent, pro hoſtibus futuros. Pugnatum à manè primo, ad veſperum usque, dubiâ fortunâ: Catholicos ignorantia perturbabat locorum, ut tandem Tynam Horeſſij urbem Catholicam recipere ſeſe peſſimo conſilio incœperint. Hærebant in tergis Bohemi, tantámque usque ad portas urbis, cadentes edidêre ſtragem, ut campus, qui ab eventu* Křižowý / *Cruciatorum dicitúr, cadaveribus impleretur, & ſanguis usque Tuſtam rivis deflueret.*

Cruceſignatorum in Bohemiam irruptio & crudelitas: contra quos Klatovienſes, Suſſicenſes & Domazlicenſes, copias educunt; & uſi Chodonum opportuno ſubſidio, cum ijs prælium ineunt, & magnâ clade profligant. Victoria Bohemorum de Cruceſignatis.

Hæc dum per Bohemiam fiunt, in Moravia *Protaſius*, ſuo & Capituli Olomuc. nomine, fœdus cum Civitatibus *Olomucio, Znogma, Iglavia*, & oc-

Protaſij Ep. Olomuc. fœdus, cum civitatibus regijs Moraviæ, anno 1467.

cultè etiam *Bruna* (palam fieri non dum potuit, quòd urbs & arx *Spilberga* præſidio Bohemico teneretur) inijt, *tam diu valiturum*, *donec* (verba ſunt literarum confœderationis) *alium Regem à Proceribus Bohemis Catholicis electum*, *Sedes Apoſtolica approbaret*. Quod demum, circa initium anni ſequentis, nempe 1468. cum nonnullis Proceribus Bohemis Catholicis (paucis tamen numero, & ex Moravis tantùm uno) Capitulóque Wratislav. renovatum eſt. Nomina Confœderatorum hæc leguntur: *Sede Epiſcopali vacante Capitulum VVratislav.* (obijt nàmque Jodocus Ep. Wrat. Niſſæ eodem an. 1467. 12. Decembr. cui poſtea Rudolphus Epiſcopus Laventin. Legatus Pontif. ſucceſſerat) *Protaſius Epiſcopus & Capitulum Olomuc. Nicolaus Princeps Oppolienſis*, *Henricus Princeps Freyſtadienſis*, *Zdenko Sternbergius Burggrav. Prag. Joannes & Udalricus Haſenburgij*, *Bobuslaus de Sſvamberg*, *VVilhelmus de Ilburg*, *Henricus ſenior & junior de Plaven*, *Jaroslaus & Joan. Sternbergij*, *Puta de Ilburg*, *VVenceslaus ſenior de Bibrſtein*, *Henricus de Novadomo*, *Stephanus de Lichtmburg*, *Burianus & Leonardus Guttenſteinij*, *Dobrohoſt de Ronſperg. VVratislavia*, *Plſna*, *Olomucium.* Erant præter hos, alij ac longè plures, tam è Bohemis, quàm è Moravis, *Catholici Proceres*; qui tamen, ut *Georgium* repudiarent, aut diverſas ab eo partes ſequerentur, nullo modo induci potuêre. Ex Moravis *Lippai*, *Kravarai*, *VValdſteinij*, *Cymburgij*, *Sternbergij*, *Kaunicij*, *ex Sovvinecijs* aliqui, *Pernſteinij* non pauci, *Kunova* & *Zagimaczij de Kunſtat*, tanquàm cognati, *Lomnicai*, *Kragirzij*, *Zierotinij*, *Daubravicij*, aliique: & de Equeſtri Ordine penè omnes. Civitates item, *Hradiſtium*, *Unczovium*, *Evanczicium.* Ex Bohemis verò, (quos enumerat meus Anonymus) *Svvibovij*, *Slavata*, *Leones*, *Berca*, *VValdſteinij*, *VVartmbergici*; *Henricus*, *Beneſſius & Zbynko*, *Kolovvratai*; *Procopius de Rabſtein Cancellarius*, *Borzita de Martinicz*, *Ronovij*, *Raupovij*, *Liczkovvc & Raſſinij*, *Klingſteinij*, *VVeitmillij*, *Leskovecij*, aliique in numeri; &, quod mireris, *Roſembergici* dynaſtæ, *Glacium*, *Egra*, *Budvicium*, (hoc tamen poſtea defecit) *Brixia*, civitates Catholicæ, & Nobilitas Equeſtris omnis. Memorabilis eſt epiſtola, *Wilhelmi Sſvibovij de Rabi*, viri Catholici, ad Rudolphum Apoſtolicæ Sedis Legatum: principio ſe eſſe Catholicum, neque unquã niſi ſub una ſpecie panis, Euchariſtiam ſumere ſolitum, profitetur: deinde ait, ſe cauſas non habere, cur à Rege, cui juramento ſit obſtrictus deficiat, cùm Rex moderatiſſimus ſit, neminem ad utrámq; ſpeciem ſumendam cogat, nihilq; apud eum interſit an ſub una, an ſub altera quoq; ſpecie, aliquis Euchariſtiã percipiat. Tandem adversùs Rudolphi rigorem nimium invehitur, quòd propter Regem Georgium, univerſum Regnum anathemati ſubjecerit; verba ipſius ſunt: *Credat Reverenda Paternitas Veſtra, hanc non eſſe viam, per quam honor & gloria Romanæ Sedis, & SS. Domini Noſtri, aut ipſius Obedientia, per Regnum Bohemiæ propagetur & amplificetur. Sunt animarum multa centena millia ſenum, parvulorum & lactantium, & ſexus utriusque, in Regno Bohemiæ, ſub protectione Regis Sereniſſimi, labores manuum ſuarum manducantes, & diurnis operis victum quærentes. Nonnulli etiam nocturno labore ſe & ſuos enutrientes,*

Cod. maj. fol. 480.
MS. Lipp. Pernſt.
Fœdus Procerum Bohem. cum Capitulo Olomuc. & VVratislav. & Principibus quibusdam Sileſiæ, an. 1468.
Jodoci Ep. VVratisl. pauló ante obitus.
Nomina confœderatorum, contra Georgium.
Cod min. lit. publ. f. 266. & ſequ.
MS. VVencesl. VVrzeſoš.
MS. Chron. Reginohr. ad an. 1468.
Alij Proceres tam Bohemi, quàm Moravi, etiam Catholici, ſtant pro Georgio.
MS. Anon. Prag.
VVrzeſoš. cit.
VVilhelmus à Sſvvihovv è Proceribus Bohemis facilè primus, datis ad Nuncium Ap. literis, profitetur ſe eſſe Catholicum, & ſub una; non tamen, bonâ conſcientiâ poſſe, recedere ab obſequio Regis.
Cod. maj. fol. 384.
repræſentat miſerabilem Regni ſtatum, propter latas & publicatas cenſuras Eccl. quæ ſi exequantur, multo adhuc miſerabiliorem fore.

Digitized by Google

tes, tum viri fæminas, tum fæminæ viros, tum parentes liberos, maximè autem infantulos, & in cunis vagientes; quandoque etiam liberi parentes ſuos alentes. Qui omnes ſi è Regno, propter Excommunicationem diſcedere deberent, neceſſe haberent fame perire. &c. *Hos omnes Eccleſiaſticis cenſuris innodare, quid aliud eſt, quàm Eccleſiaſticam cenſuram vili facere, & toti mundo contemptibilem reddere, ac penitùs odioſam.* &c. *Quæ paucis commemorare volui, ut ſi quid pietatis & manſvetudinis dederit vobis DEUS; (ùt nonnulli de vobis affirmant, vos eſſe hominem dulcem, mitem & manſvetum) viſcera miſericordiæ veſtræ, ſuper pauperibus, & miſerabili Statu Regni Boh. commoveantur. Si autem S. D. Noſtro, aut vobis tanquam Legato, animus eſſet Regnum iſtud reducere plenè ad obſequium Romanæ Sedis, alijs profectò medijs utendum foret.* &c.

Petit idcirco remitti à rigore; & ut alio modo, & mitiùs agatur cum Rege, & Bohemis, ſi reduci plenè velint Regnum univerſum, ad obedientiam Sedis Apoſt.

Huc propriè facit, quod etiam *Joan. Cochlæus Cathedr. Eccl. VVratisl.* Canonicus, ac poſtmodùm Decanus, laudatiſſimus Hiſtoriæ Huſſitarum Scriptor, de Georgio memorat hiſce: *Eâ tamen animi moderatione & longanimitate erat Georgius, ut interim non ſæviret in Clerum Catholicum, qui Pragæ, & in cæteris Bohemiæ Urbibus, palam Rokytzanæ ſectæ & doctrinæ contradicebat, & cum Eccleſia Romana, quæ ipſum Regem diris perſequebatur conſentiebat in fide. Quemadmodum ex eo conſtat Tractatu, qui inter Capitulum Eccleſiæ Pragenſis & Rokytzanam, in Regis præſentia habitus fuit, an. 1465. Quinimò nec eos à conſilijs ſuis, neque ab officijs, & rerum adminiſtratione amovit, quos noverat maximè Catholicos, & Rom. Eccleſiæ fautores, & obedientes filios exiſtere. Quales ſanè erant: Dominus Procopius de Rabenſtein, Cancellarius, vir ſummæ autoritatis & ſpectatæ fidei: qui priùs Friderico Imperatori, deinde Regi Ladislao à conſilijs diu fuerat; cui & Æneas Sylvius, antequàm Papa fieret, familiariſſimus erat amicus: qui eum, cùm à Georgio Rege cum nonnullis alijs in Legatione Romam miſſus eſſet, in publico Conſiſtorio, coram Cardinalibus, maximè propter merita virtutum, & Fidei Catholicæ zelum, audientibus cæteris Bohemis, laudare non eſt veritus, & in privato colloquio multa cum eo tractavit. Item, Dominus Joannes de Rabenſtein Præpoſitus Wiſſebradenſis, qui erat Papæ Protonotarius & Referendarius. Alij quoque Barones plerique, veluti Domini de Roſis; ſeu de Roſenberg.* &c. *Hujusmodi tamen virorum operâ & conſilio, etiam in rebus adverſis, uti Rex Georgius non dubitavit.* Ità Cochlæus. Circa finem Octobris, venerunt Pragam legati â Cazimiro Rege Poloniæ miſſi, *Stanislaus de Oſtrorob Palatinus Caliſſienſis, Jacobus de Dembna Regni Poloniæ Theſaurarius, Capitaneus Kracov. & Joannes Dlugoſſ. Canonicus Kracov. & Cuſtos Wiſlicenſis*, viri graves, & antea jam pluribus functi legationibus.

Cochlæi teſtimonium de Georgio Rege, *Cochlæus in Hiſt. Huſſitar. l. 12. ad fin.* quòd Clero ſubornæ favens fuerit: *Phosph. Septicor Gloriæ Metr. Prag. Rad. III pag. 254 & ſequ.* Catholicos quoque Proceres, ad dignitates & officia publica promoverit. Procopij de Rabſtein ſupr. Cancellarij laus. *Comment. Pij II lib. 7. Card. Papienſ. Comment. l. 6. Spond. in Annal. Eccl. ad an. 1462 n. 5.* Joannes de Rabſtein Procopij frater Præpoſ. VViſſebrad. Cazimirus Rex Pol. mittit legatos ad Georgium, *Cromer. lib. 27. Curæus in Annal. Sileſ. ad an 1467.*

Hujus legationis ſeriem videre eſt totam, in Codice meo majori Actor. publ. Significat I. *Cazimirus*, ſe â Legato Pontif. ſollicitatum fuiſſe acriter, intentato etiam anathemate, ut *Georgio* bellum inferret: ſed reſponſum talè datũ illi, ut intelligeret, amicitiam Regis, fœderiſque ſanctitatem ſibi eſſe potiorem. II. revocat ei in memoriam, quòd aliquando per legatos promiſiſſet, contro-

MS. Anon. Prag VVrzeſobec. fol. 237. & ſequ. usque ad 266 eúmque hortatur,

 verſiam

Digitized by Google

ut quacúnque poſſet viâ, Pontificem placare conetur.

verſiam omnem, ſi quam haberet, in puncto religionis, cum *Sanctiſſimo*, Cazimiri Regis arbitrio componendam ſe relicturum. III. hortatur, ut quocúnque tandem modo Summo Pontifici ſupplex fiat, eíque reconcilietur: deinde etiam cum Proceribus Regni & Provinciarum, pacificè rem tranſigat; omnia denique potiùs ex æquo & bono componere, quàm ancipiti bellorum ſorti committere velit. Ad quæ *Georgius*: gratias primò agit ampliſſimas Regi *Cazimiro*, quòd memor fraternitatis, memor fœderum, ac conſiderans tot pacta conventa, eáque tam antiqua quàm recentia, *inter Poloniæ & Bohemiæ Reges & Regna*; memor etiam communionis linguæ, & *nationis ejusdem Slavonicæ*, ſe Provinciáſque ſuas, bello inutili, incerto, periculoſo involvere noluerit. II. profitetur ſe *Regem eſſe Catholicum*, S. Sedem Apoſt. matrem eſſe omnium Eccleſiarum; ſed Curiam Romanam agere ſecum præproperè nimis & ſeverè; repetit deinde, quàm indignè ſit habitus, præcluſam ſibi eſſe omnem reconciliationis viam; impetrari non poſſe, ut audiatur, &c. III. quod Proceres adverſarios attinet, ſibi pacem imprimìs cordi eſſe dicit; turbulentis hominibus ſe veniæ locum daturum, libentérque omnes legitimas concordiæ vias initurum; hactenùs ab illis nihil æquum proponi, ſed hoſtilia agere continuò. Nihilominùs Regem, arbitrum omnium controverſiarum haud gravatè ſe accipere, & quidquid ille partibus auditis ſtatuerit, id ſe omnino ratum habiturum, regio verbo promittit.

Georgius ſe Catholicum eſſe profitetur, & Papam venerari, ac pro ſupremo capite Eccleſiæ agnoſcere;

admittit Cazimirum in arbitrum & pacificatorem.

Legati Polon. hortantur Sternbergium ad pacem;

Legati hoc reſponſo contenti, ſcripſerunt ad *Zdenkonem Sternbergium* tanquam cæterorum caput, Iglaviæ tum commorantem: ſignificantes *Georgium* magno animi deſiderio pacem cupere, adeò ut eâ nihil magis in votis habere videatur; ſi tantùm & ipſe cum ſocijs ſuis, ad pacis conſilia animũ ſeriò convertere velit, & amore Patriæ tot jam & tam magnis cladibus concuſſæ, aliquid de ſuo fervore remittere. Qui reſpondit, ſe promittere aut ſtatuere nihil velle, absque ſcitu & conſenſu cæterorum; cenſere tamen, poſſe interea agi de inducijs, ad certum tempus, donec poſtmodùm æquis conditionibus, pax firma & ſtabilis inniretur. Et privatæ quoque ſuæ cauſæ haud immemor addidit: neceſſe eſſe, ut tractaturi de componendis controverſijs, ante omnia, ab hoſtilitate utrínque ſtatim ceſſent, armáque ponant, ideóque Rex ab obſidione caſtri *Konopiſtie* quantocyùs remittat; quò demum ſecuriùs ac benevolentiùs de pace tranſigatur. Quod tametſi Regi durum admodùm videretur, ut obſidionem caſtri tanta militaris induſtriæ ſolertiâ & labore â ſuis initam, támque diu continuatam ſubitò ſolveret; præſertim cùm jam proclive eſſet, ut obſeſſi fame ac rerum neceſſariarum penuriâ preſſi, deditionem facere cogerentur; nec procul â vero dicere exiſtimaretur *Albertus Koſtka*, qui in ſecretiori conſilio id aſſeverabat, non poſtulari *â Sternbergio* armorum ceſſationem, utì gradũ ad pacem; ſed ut rebus ſuis extremè jam periclitantibus hoc modo proſpiciat, atque interim vires regij exercitûs, eo otio conſumat, & ultimò Regi illudat. Ne tamen per Regem ſtetiſſe videretur, quò minùs pax confici poſſet, etiam huic poſtulato ſat partibus ſuis iniquo, (modò tranquillitati publicæ, & miſeris hominibus, qui aſſiduis penè militum incurſionibus, & incommo-

qui reſpondet, ſe ſine ſocijs nihil promittere poſſe;

ſvadet interim ceſſationem ab armis, callido conſilio:

ut rebus ſuis in Bohemia conſulat; ne omnia prorſus perdat.

Georgius, ut animum ſuum in pacem propenſum oſtenderet,

mo-

modis maximis vexabantur, conſuleret) haudgravatè, conditionibus tamen certis, aſſenſit. Ità induciæ factæ inter partes, primùm usq; ad *Converſionem S. Pauli* anni ſequ. demũ verò prorogatæ usq; ad *feſt. Aſcenſ. Dom.* ad Occaſum usq; Solis illius diei. Tabulas poſteriùs confectas ſubſcripſerunt, ex parte Regi adverſâ, nomine omnium per Bohemiam, Moraviam, Sileſiam, & utrámque Luſatiam confœderatorum, præter *legatos Polonos: Zdenko à Sternberg, ſupremus Burggravius Prag. Joannes & Ulricus fratres de Hazmburg, Boboslaus de Sſvamb. Wilhelmus de Ilburg, Henricus Senior de Plavvno, Jaroslaus à Sternberg, Stephanus de Lichtmburg, Burianus de Guttenſtein, & Dobroboſt de Ronſperg. an. 1468. Feriâ II. die feſto Converſionis S. Pauli.*

fol. 244. etiam cum damno ſuo, in armiſtitium conſentit. Induciæ pactæ, atque iterum confirmatæ & prorogatæ. *fol. 257.* Nomina præcipuorum Regi adverſantium.

Paulò antequàm veniſſent legati Polonici in Bohemiam, Pontifex literas miſit ad Electorem Saxoniæ *Erneſtum*, & ad fratrem ejus *Albertum*, átque *Wilhelmum* patruum: quibus eos ſeriò hortabatur, ut Majorum ſuorum exemplo, *Catholicam Religionem* tueri, & ſacram militiam adversùs *Georgium* inſtitutam ſyncerè promovere, & adjuvare vellent. Inter alia, eadem ferè, quæ nuper in literis ad *Ludovicum Bavariæ Ducem* datis, de *Georgio* commemorat: illum eſſe Huſſiticæ hæreſeos ſectatorem, & debere omnino â Dominicis ſeptis, & ab omni penitùs Fidelium commercio prohiberi. Offerre quidem ſuas ac totius Regni opes, viréſque ad Turcas debellandos; promittere quoque, ſe velle ritui & obſervantiæ Eccleſiæ Rom. conformare; ſed verbis tantùm id oſtentare, factis negare: inſuper præmia nimis magna petere, nempe I. *filium ſuum ſuæ perfidiæ & erroris alumnum*, verba ſunt Pontificis, *vix dum viceſimum annum agentem, humani ac divini juris ignarum, in hæreſi nutritum, Pragenſi Eccleſiæ cum plenaria adminiſtratione, præfici Archie-Epiſcopum. Cùm tamen evidens ſit Apoſtoli documentum, ut neophytus non ordinetur: ne fortè elatus in ſuperbiam, in judicium incidat, & in laqueum diaboli. Quod ſi ille neophytum propter timorem elationis probibet ordinari, quomodo nos non ſolùm elatum, ſed jam Sathanæ traditum, Eccleſiæ Chriſti præficeremus hæreticum? II. petere ut Sedes Apoſtolica mittat virum doctrinâ clarum, DEI timore refertum, qui cum Archi-Epiſcopo populum Bohemicum viſitet, & de criminibus (ultra tamen Compactatorum Capitula) diligenter inquirat. Quid aliud* (inquit Pontif.) *niſi fomentum erroris, & hæreſis poſtulatur, ut Compactata, quæ propter duritiam cordis illorum, Synodus ad tempus, ſine tamen Romani Pontificis approbatione, ad quem antiqua Concilia, omnia quæ Fidei erant approbanda ſemper remittere conſueverunt, Sedis Apoſtolicæ auctoritate firmentur? Et quis ignorat illa tantùm Bohemis tunc ſuperſtitibus, uſum Communionis ſub utraque ſpecie, eo tempore habentibus, diſpenſatione fuiſſe conceſſa? Quis rurſus non intelligat, conditiones appoſitas non fuiſſe ſervatas, illaque multiplici transgreſſione amiſſa & extincta fuiſſe? quoniam nec Sacerdotes populos monuerunt, Communionem utriúsque ſpeciei non eſſe de neceſſitate ſalutis, prout ex Concordatorum ſerie publicè denunciare debebant: nec illud ſervârunt, ut non communicarent rationis expertes, & neminem ad ritum ſuæ Communionis invitum impellerent, & in reliquis ſeſe univerſa-*

PapaPrincipes Saxoniæ hortatur, ut Majorum ſuorum exemplo, Catholicam Religionem tuendam ſuſcipiant. Narrat Georgium petere quidem oppidò multa, & magna; ſed quæ ei ſint minimè concedenda. *Cod. maj f 370. Cod min f. 201.* petere primo, ut filiorum alter (*Hyrko jun.*) præficiatur Eccleſiæ Prag. quod eſſet lupum ovibus præficere. petere ſecundo, ut Papa mittat virum aliquem doctum & probum, qui cum Archi-Epiſcopo populum viſitet, & emendanda corrigat. Hic invehitur in Compactata, atque ad tempus tantùm fuiſſe Bohemis data, non eſſe approbata à Pontifice: data ſolùm Bohemis viventibus:

verſalis Eccleſiæ ritui conformarent. In omnibus his prævaricati ſunt, auctore perfidiæ Rokytzanâ. &c. *III. petere, ut ipſe titulo Conſtantinopolitani illuſtretur Imperij, quaſi non deteſtabile ſit, infidelem Fidelibus imperare? Quàm æquum inſuper foret, ſi Romana Eccleſia, quæ cultrix eſſe debet juſtitiæ, jus Imperij Conſtantinopol. legitimo eriperet ſucceſſori: præſertim cùm duos nepotes ex fratre Imperatoris, qui in ipſo urbis excidio fortiter pugnando occubuerat, unà cum præfato fratre, apud ſe liberaliter enutriat; ex quibus majori natu, ſi quando auctore DEO, Civitas eripiatur à Turcis, jus Imperij & ſucceſſio debetur. IV. Capitaneatum totius Chriſtianitatis illum exquirere, ut videlicet ei expeditio adversùs Turcam, cum Cruciata, & Indulgentijs committatur: ſed quàm digna erit*, ſic ait Pontifex, *Romani Pont. exhortatio, ſi Catholicos ad militandum ſub hæretico, etiam per conceſſionem Indulgentiarum invitet? & Cruciata indicatur pro illo, adversùs quem, veluti Fidei hoſtem, debuit Cruciata concedi? V. Sicut ſpiritualia petijt alteri filiorum committi, ità ad confovendam hæreſim continuandámque tyrannidem, alteri filio vult Regnum Bohemiæ demandari, & ſucceſſorem Regni conſtitui. VI. ſub prætextu privilegiorum & immunitatum Regi, Regno & Eccleſijs concedendarum, petit, ut ipſum Conſervatorem Eccleſiaſtici Statûs conſtitueremus. Nova iſta petitio, ut Laicus quiſpiam & hæreticus, Conſervator detur Eccleſiæ: præſertim is, qui hæreſim ſectatur & fovet, qui Eccleſiarum bona diripit & proſcribit. Satis quoque intelligi poteſt, quo etiam animo illa petuntur, quæ vel de juribus, vel bonis Eccleſiæ Pragenſis recuperandis, vel de privilegijs ipſi Eccleſiæ concedendis, in duobus articulis continentur: cùm filium ſuum Archi-Epiſcopum præfici, ſe Conſervatorem fieri intendat.* &c. *Te igitur, devotiſſime Fili, rogamus & obſecramus in Domino, ut ipſius hæretici fallaciam, omnéque conſortium declines.* &c. *Romæ VI. Id. Aug. 1467.* Sed difficillimum, ùt inquit *Fabricius*, erat Saxoniæ Principibus, arma contra potentiorem ſumere; indecorū, fœdus cum cognato initum violare, & cæteris præbere anſam belli contra amicum: ideóque pacem & amicitiæ fœdus cum *Georgio* continuare, quàm incerta belli, cujus utique eventus mille fortunæ caſibus ſubjecti eſſent, ſequi maluerunt.

conditiones ijs appoſitas non eſſe ſervatas, ideóque ea nihil jam valere.
petere tertiò, ut ſi Turcas debellaret, ipſe titulo Imperatoris Conſtant. decoraretur:
non poſſe id concedi, cùm exſtent legitimi hæredes illius Imperij.
quartò, ut Chriſtiani exercitûs contra Turcas, Ductor ſit ſupremus
neque id poſſe concedi, ut hæreticus ſit Catholicorum dux.
quintò, ut filiorum alter declaretur ſucceſſor in Regno.
ſextò, ut ipſemet conſtituatur Conſervator Eccleſiaſtici Statûs
multa petere, ut aliqua ſaltèm obtineat; ſed nihil pejùs ei concedendum.
Fabric in Orig. Sax. l. 7.
Duces Saxoniæ malunt Georgium & Bohemos habere amicos, quàm hoſtes.

Tandem Pontifex cùm videret è Principibus Imperij, neminem præſtò eſſe, cujus armis & potentiâ Eccleſiæ Romanæ auctoritas dignè tueri poſſit; Cæſare ſeditionibus domeſticis implicito, viribúſque impare; *Matthiam Regem Hung.* quem noverat ingentis eſſe ſpiritûs, ac illius ardoris & animi, ut moto ſemel bello, non eſſet conquieturus, niſi partâ victoriâ, hac in parte pertentandum duxit. Quod idem Patrum quoque Senatus ex re cenſuit: ſiquidem alius nemo ad bellum *Bohemo* inferendum magìs idoneus reperiebatur, quàm ille: ſive quis eximias ejus virtutes, reíque militaris peritiam, ſive equitum peditúmque copias, quas paratas, multíſque prælijs feliciter cum Turca geſtis exercitatas habebat, ſpectare voluiſſet. Hunc igitur Pontifex crebris literis & nuncijs feriò cohortari cœpit: ut qui ſecundis aliquot prælijs Turcæ ſæviſſimi Chriſtianorum hoſtis, vires fregiſſet, hunc quoque contumacem hæreticum debellandum ſibi deſumeret. Neque tam arctum debere eſſe affini-

Cochl. in Hiſt. Huß. l. 12.
MS. Pernſt ad an. 1467. & ſequ.
Pontifex Matthiam Regem Hung. contra Georgium incitat: ad bellum eidem inferendum,

nitatis vinculum, ut eum abſterreat ab hoc ſancto opere; cui perſungendo, ne animo deficeret, certa in ſpe haberet, magnū ſibi propoſitum in Cælo præmium, in terra gloriam, nomen, conſentientem omnium famam, nunquam apud poſteros interituram laudem; quæ naturâ mortales homines, vitâ functos immortalitate coronat. Præter ejuſcemodi cohortationes, quinquaginta aureûm nummum millia, opportunum ſanè *rei gerendæ nervum*, in belli ſumptus miſſa, aſſerit *Bonſinius*. Concitabat in idem *Matthiam*, etiam ipſe *Imperator:* qui â milite *Bohemo & Moravo*, Auſtriam per id tempus licenter nimìs percurſante, damna magna patiebatur: initóque cum *Matthia* fœdere mutuæ defenſionis, â *Georgio* jam penitùs totum ſe avertit.

Verùm *Matthias* accuratè perpendens belli cum Bohemis gerendi difficultates, quanquàm ſuâpte naturâ laudis ac belli cupidus, & â multis etiā quorum conſilio utebatur, ad inferenda Bohemis arma aſſiduò penè ſtimulatus; hâc vice tamen adhuc abſtinendum cenſuit: & ne quidem committendum, ut vel minimâ mutatæ voluntatis ſuſpicione *Georgius* irritaretur; qui ſi bellum præcipiti repentinóque impetu inferret prior, facilè prævalere poſſet, præſertim ſi domî quoque, intra viſcera Regni bellum civile erumperet, occaſione ſeditionum, quæ per *Tranſſylvaniam, Moldaviam & Walachiam*, ſub id tempus gliſcebant. Commodum ac ſalutare fuiſſe hoc *Matthiæ* conſilium, eventus docuit: paulò poſt enim ſeditio *in Tranſſylvania*, & ejus exemplo, mox etiam *in Moldavia* & *Walachia*, quæ aliquandiu latuit, de repente maxima cum perturbatione rerum omnium, in apertum erupit. Quare *Matthias* comparato celerrimè exercitu, eóque in campis Peſtanis luſtrato, in quo octo millia equitum, & quatuor millia peditum numerabat, ſtatim initio Novembris, tametſi jam frigidior autumnus, haud dubia appropinquantis hyemis ſigna daret, & frequentes pluviæ iter ducendo exercitui valde incommodarent, citatis paſſibus *in Tranſſylvaniam* contendit. Cujus inopinato adventu authores ſeditionis territi, ac certi, quod ſi in poteſtatem offenſi Regis venirent, ab eo haud cunctanter ad crudeliſſimi ſupplicij pœnam tradendi forent, maturè conſilium de fuga arripuerunt; & partim *in Poloniam*, partim *in Moldaviam*, per ſylvas & ſolitudines diffugerunt. Quibus dilapſis, reliqui, unà cum *Joanne VVaivvoda, Comite S. Georgij*, quem etiam invitum ac reluctantem ſeditioſi Regem declarâſſent, *Matthiæ* obvij ac ſupplices, cùm ſe ſuáque omnia ei ſubjeciſſent, facilè veniam impetrârunt.

Ità confectis ex animi ſui ſententia *in Tranſſylvania* rebus, *Matthias* adversùs *Stephanum Moldaviæ principem*, ſeu *VVaivvodam* arma convertit: ubi tamen multa conatibus ſuis contraria expertus, & adverſæ fortunæ inſperato turbine vix non obrutus fuit. Dum enim poſt occupatum, direptum & ſuccenſum Romanivarum, ſeu *Romanum Forum*, oppidum quondam percelebre ad *Seretum* amnem ſitum, ulteriùs progreſſus apud *Baniam* conſediſſet, *Moldavi & Walachi*, quâdam nocte, portis ſubitò effractis, in oppidum irruerunt, & injectis in domos facibus, terrore & tumultu omnia compleverunt. Tum in plateis, maximè circa forum, regiúmque hoſpitium, pugna atrox & cruenta

vindicandámque S. Sedis Apoſt. authoritatem: præſertim cùm repreſſis aliquoties Turcis, nihil habeat, quod ampliùs ab alijs metuat.

pecuniam in belli expenſas ei promittit, *L. aureorum millia.*

Bonfin. dec. 4. lib. 1.

Idem urget Cæſar, novo fœdere Matthiæ junctus.

At Matthias tum adhuc circumſpectus & cautus, nihil temerè agendum cenſuit, cùm ſciret Georgium in armis eſſe; & res ſuas domî non eſſe ſatis quietas.

Bellum Matthiæ cum rebellibus in Tranſylvania; quod tamen brevi terminavit, poſtquàm ad eos, ſuperatis montium anguſtijs, aditu valde difficilibus, penetravit; & rebelles partem fugavit, partim ſupplices in gratiam recepit.

Inde Moldaviam rebellantem quoque petijt: ubi á rebellibus circumventus, & noctu ex improviſo invaſus, ac penè oppreſſus,

Digitized by Google

ta conſeritur, tanto utrinque impetu, ut nihil infeſtius agi videretur, pugnatúmque, prælucentibus tectis, ad medium usque noctis; donec ultimò hoſtes toto foro pulſi, magnáque clade rejecti terga dederunt: multi tamen in óppido deprehenſi, & ad unum omnes trucidati. In eo prælio Rex, & fortiſſimi militis, & præſtantiſſimi Ducis adimplevit officium, ùt copiosè narrat *Bonfinius*, ſagittâ etiam *Geticâ* in incertum emiſsâ, non procul â ſpina dorſi, & alio iterum vulnere, ſed leviori, in facie ſauciatus. E *VValachis* ſeptem millia ad internecionem cæſa, ubi illuxit, comperta ſunt: ex *Hungaris* ducenti, ſupra bis mille deſiderati, cæteri magna ex parte vulnerati. Nec multo poſt *in Tranſylvaniam* redijt, lecticâ delatus, propter vulnus: ubi dum Natalitia Domini *Braſſovvia*, ſeu *Corona* celebrat, ſupplices â *Stephano* literas accipit, quibus ille factum ſuum excuſans, redire in gratiam petijt: quod etiam, Rege ad pacem magis quàm ad proſequendum bellum inclinato (noverat quippe *Stephanum* eſſe virum fortem & callidum, & in præliando ſingulariter felicem; ùt qui hoſtibus omnibus, cum quibus arma contuliſſet, ſemper fere, ſive virtute & aperto Marte, ſive aſtu & fraude, ſuperior evadere conſveviſſet) negotio facili obtinuit. Sicque pacatâ utrâque Provinciâ, Matthias in Hungariam ovanti ſimilis revertit.

Invenio *Victorinum* Ducem, & ſupremum tum adhuc *Moraviæ Capitaneum*, quàm primùm de hac *Tranſylvanorum*, ac cæterorum defectione intellexiſſet; & ex adventu legatorum Polon. in Bohemiam, ſicuti etiam ex inducijs primis, operâ illorum, ad feſtum usque Converſ. S. Pauli pactis, proxima affulgeret ſpes componendi domi quóque civilis belli; òbtuliſſe *Matthiæ* haud contemnendam auxiliorum partem, ex ijs copijs, quas in Moravia habebat, multis prælijs exercitatas, & tam equis, quàm alio armorum apparatu ſolidè inſtructas. Patet id ex epiſtola ad Matthiam data. *Sereniſſime* &c. *His transactis diebus, plurimùm occupati fuimus, de mandato Sereniſſ. Principis D.D. Regis & Genitoris noſtri, exercitus & copias ductantes contra perduelles Suæ Maj. Quibus jam compeſcitis, nonnullis etiam correptis & caſtigatis, trevga ferè bimeſtres, â feſto S. Andreæ Ap. usque ad feſtum Converſ. S. Pauli, diligenti ſtudio Magnificorum Sereniſſimi Poloniæ Regis Oratorum compoſita ſunt: ità ut nobis jam benè vacet, Veſtræ Serenitati obſequijs noſtris promptiùs inſervire. Cùm verò innotuiſſet nobis, tum per famam, tum per ſcripta Serenitatis V. ad Inclytum D. Regem & Genitorem noſtrum, per vos data, nonnullos ex ſatrapis Regni veſtri, prava rebellionis molimina machinari; id certè, pro debito familiaritatis noſtræ mutuæ & antiquæ, tum quòd rebellio procerum unius Regni, in alterum facilè pernicioſum vergat exemplum, non parum moleſtè tulimus: idque ſtatim conati ſumus, ut contra perfidos illos in Regno veſtro, aliquid opis & auxilij quamprimùm conferre poſſemus. Unde etiam non parum nos movit conſideratio ſupradicta, ad perſvadendum Sereniſſimo D. Regi & Genitori noſtro, prætactam trevgarum conditionem amplecti. Nunc ergo rebus noſtris, & Regni Boh. reſpirantibus, copias militares noſtras pedeſtres, in auxilium veſtri promptas offerimus. De equitibus*

poſt diuturnam & acerrimam pugnam,

quâ grave vulnus, haud procul â ſpina dorſi, ſagittâ Getica accepit,

ac tandem hoſtes ingenti cæde fugavit.

Bonfin. cit. Thuroc. c. 66. Miechov. l. 4. cap. 68. Cromer. l. 27.

Stephanum VVeivvodam ſupplicem, recipit in gratiam;

& pace cum eo factâ in Hungariam revertitur triumphanti ſimilis.

Victorinus Dux, & Capitaneus Moraviæ, offert Matthiæ copias ſuas in ſubſidium, contra rebelles.

Cod. maj. Actor. publ. fol. 643.

Litteræ Victorini ad Regem Hung. quibus ei de inducijs, per legatos Polon. pactis ſignificat,

& contra ſeditioſos Proceres Regni Hung. maximè contra Tranſylvanos & VValachos, auxilia offert, ad tanto citiùs opprimendos, & in cautelam aliorum, pro merito puniendos.

bus ſtipendiarÿs, â quingentis usque in mille; quos etiam parati ſumus ad obſequia Serenit. V. mittere militaturos: ideóque ſi regÿs ſtipendÿs veſtris applicari illos volueritis, id nobis quamprimùm ſignificabitis, cum loci & temporis deſignatione, eos ſine mora mittemus, ut caſtigatis rebellibus Veſtræ Serenitatis, alÿ in Regnis alÿs tanto citiùs reſipiſcant. Brunæ in feſto S. Clementis, an. 1467. Sed antequàm literæ perveniſſent ad manus *Matthiæ*, jam ille, qui rei benè gerendæ occaſionem in celeritate ſitam præviderat, in *Tranſylvaniam*, fulguris inſtar penetrârat.

copias pedeſtres offert gratis, equeſtres pro ſtipendio militaturos.

Revertenti demum Matthiæ in Hungariam, *Georgius* obviam illi *Procopium de Rabenſtein* miſit, tum victoriam de perduellibus obtentam gratulaturus, tum ut de mutuis fœderibus novo aliquo nexu firmandis, cœpta jam ante, ſuperioribus duobus annis, per *Archi-Ep. Strigon.* conſilia, atque pacta bono fine terminaret; tum etiam, ut quædam de ſocietate armorum adversùs communes Chriſtiani nominis hoſtes Turcas ineunda, déque inferendo ijs quamprimùm bello, ejusque gerendi modo & conditionibus proponeret. Verùm *Procopius* cùm in itinere eſſet, ſubitò laterum dolore peracerbo, quem medici *Pleuritidem* vocant, laborare cœpit, qui eum imbecillem adeò & debilem reddidit, ut *Trebicÿ* ſubſiſtere coactus fuerit. Quo cognito *Georgius*, ne in gratulando tardior fortaſſe videretur, *Jaroslaum Strachovvsky* unum ex interioris cubiculi ſui miniſtrum, virum domi nobilem, ſibíque fidum, & in rebus agendis peritiæ & dexteritatis ſingularis, ad *Matthiam* ſummâ adhibitâ celeritate properare juſſit, datis ad eundem literis, quæ ſic habent.

Georgius mittit ad Matthiam, Cancellarium Regni, tum ut gratularetur ei de victoria, tum ut renovaret amicitiæ fœdera. Cancellario infirmante ex itinere, mittit Jaroslaum Strachovvsky Equ. Ord. *MS. Anon. Prag. MS. VVent. VVrzeſoh. Cod. maj. act. publ. fol. 647.*

Sereniſſime Princeps, Frater chariſſime. Lætiora ſunt gaudia, quæ triſtibus ſuccedunt, quàm ea, quæ ſe primò animis hominum repræſentant. Unde tritum eſt illud: dulcia non meruit qui non guſtavit amara. &c. *Tandem nobis innotuit Serenitatem V. in VValachia contra hoſtes, vel perduelles feliciter dimicando, optatam victoriam reportâſſe: vulnus autem adverſâ facie illatum & exceptum, militaris veſtri animi tam glorioſum præbere teſtimonium, ut plus inde conſolationis & bellicæ laudis præconium, ac repetendæ congreſſionis fiduciam pepererit, quàm ex ictu vel impreſſione dolorem. Tanto ergo majore lætitiâ perfuſi ſumus, quanto priùs ex mœrore conſternati: & illicò ad S. V. Frater chariſſime, Oratorem vobis noſtra ex parte gratulantem transmittere decrevimus, Nobilem Procopium de Rabenſtein Cancellarium noſtrum, nonnulla etiam apud F. Veſtram noſtro nomine relaturum. Quem ſubita ægritudo invaſit, ſed brevi, ùt ſperamus, reſtitutus erit: aut ſi morbus prævaluerit, alium virum idoneum F. Veſtram, ob præmiſſa deſtinare non tardabimus. Interea Serenitati Veſtræ mittimus per copiam præſentibus incluſam, conditionem & qualitatem eorum, quæ contra nos, ac honorem & Statum noſtrum, & Regni noſtri, varÿs dolis & fraudibus machinata ſunt; &, ut veremur adhuc â malevolis & factioſis non deſiſcitur.* &c. *Dat. Pragæ 9. Febr. 1468.*

& per literas eidem, de rebellibus domitis, & de victoria obtenta gratulatur: cum addito, ſe ad eum mittere legatum, ſed qui propter infirmitatem ſubitò exortam, pervenire non potuerit. rerum ſuarum ſtatum per Boh. & Morav. ei communicat.

Redux in Hungariam *Matthias*, obvios habuit *Laurentium Ep. Ferrarienſem* Pontificis, & *Joan. Pottendorffium* Cæſaris legatos, qui eum nomine Principalium ſuorum, ad bellum *Georgio* inferendum denuò multis ratio-

Papa & Imperator hortantur Matthiam ad bellum Georgio inferendum.

 nibus

Digitized by Google

eiſque ſubſidia ſua offerunt: Bonfin dec. 4. lib. 1. de Reo Hiſt. Auſtr. l. 8. *tergiverſatur ille aliquandiu:*

nibus incitabant: & quo citiùs eum ad hoc audendum inducerent, primus quinquaginta aureorum millia, ùt jam dixi, ei in ſubſidium belli per *Joan. Epiſcopum Quinque Eccleſienſem* miſerat: alter verò omnia unius anni vectigalia Auſtriæ, arma, commeatus & tormenta quoque bellica; liberum item per Auſtriæ fines tranſitum, & in urbes ac fortalitia, ſi neceſſitas poſceret, tutum receptum offerebat. Verùm ille nihil tum adhuc agendum, absque Procerum ſuorum conſilio exiſtimavit.

at poſtea Comitijs Agriæ celebratis, *cùm plures ex Proceribus ſvaderent bellum,* *vindicandáque damna â Bohemis & Moravis Regno Hungariæ illata,* *ſeſe reſolvit, & bellum Georgio indixit.*

In Comitijs deinde *Agriæ* celebratis, cùm inter alia etiam de bello *Regi Bohemorum* inferendo propoſuiſſet, in diverſum primò inter Proceres, prout quiſque affectus erat, trahebantur ſententiæ: pars enim bello hoc abſtinendum ſvadebat, abundè ſatis laudis Hungariæ Regi proveniſſe agens, quòd Turcam ſuo Marte â Chriſtianorum finibus ſubmoviſſet. Sed erant ex altera parte, & ij potiſſimùm, quibus ſuperiorum temporum injuriæ, & damna â Bohemis accepta, cordi juxta ac vindictæ cupiditati erant, qui bellum imprimìs maximè honeſto & decoro nomine, pro defenſione Eccleſiæ, contra hæreticos ſuſcipiendum cenſerent: tum etiam, ne Hungari Turcis in Aſia occupatis, pacem ac ocium nacti, corruptâ majorum diſciplina, & â patria virtute bellandique exercitio degenerantes, hoſti aliquando prædæ & ludibrio eſſent. Turpe otium eſſe, cùm in promptu eſſet honeſtum bellum: pernicioſam pacem, cùm ſalutaria arma haberentur. His itáque diu multúmque agitatis, cùm tandem etiam Rex audito, jam etiam *Roſenſem*, & plures alios in Bohemia, deficere velle â Georgio, (Legato Pontificio modis omnibus, ac præcipuè anathemate & interdictis agente) ad belli potiùs, quàm pacis conſilia animum inclinaret; communi omnium conſenſu, *bellum in Bohemos decretum eſt:* & fœdus cum Cæſare magis firmatum, approbatâ inſuper Auſtriacorum ſucceſſione, ſi absque liberis Regem mori, uti poſt eaevenit, contigiſſet.

MAR-

MARTIS MORAVICI

Liber VII.

AFfinitates & nuptias, non ſemper eſſe valida diuturnáque firmamenta fœderum, certum eſt; quod vel noſtrâ hâc ætate ſæpiùs vidimus, atque etiamnum videmus. Manent ejuſmodi amicitiæ nexus inter Principes, quamdiu non prævaluerit *dominandi cupido, cui plerúmque tenaciùs nubunt Reges.* Nec facilè eis deſunt belli cauſæ; *pro telo* (imò pro titulo) *geritur, quidquid ſuggeſſerit ira.* Matthias Rex Hungariæ prodit hìc in exemplum: qui contra ſocerum Bohemiæ Regem Georgium, immemor affinitatis, immemor fæderum, & omnium quæ priùs eidem ſe debere ultrò fatebatur, bellum ſuſcepit, Moraviæ ut plurimùm calamitoſum; ſpecioſam quidem Catholicæ Religionis tuendæ cauſam præ ſe ferens, reverà tamen ut Bohemis & Moravis, cæteriſque ejuſdem Coronæ populis imperaret. Inſanus amor magnitudinis, & immoderata creſcendi cupidò, quid non audet? non in ſocerum tantùm, affinémve, ſed quandóque in conſanguineum, in patrem, ac ejuſdem uteri conſurgit ſanguinem, ut optatis potiatur. *Non potuit tamen Matthias Georgium Regno pellere;* ait Cochlæus, *ſenſit enim, quanto fuerit difficilius cum Bohemis, ſub Georgio, quàm cum Turcis bellum gerere.* Et iterum: *longè glorioſior Matthias fuit victorijs, quas adversùs Turcas obtinuerat, quàm bello, quod cum Rege Georgio, pro Regno Bohemiæ geſſerat:* cujus conatus omnes, Georgius egregiâ virtute ſemper eliſit, & eluſit. A paucis

Reges plerúmque fœdera ineunt, ſuiſque conſilia inſtituunt ac temperant, ex uſu ſuo & commodo: *ludunt*, ut inquit ille, *fœderibus, ſicut pueri aſtragalis.*

Cochl. in Hiſt. Huſſit. l. 12. ad fin.

quibusdam Olomucij Rex Bohemiæ deſignatus; ſed cujus ſolium nunquam conſcenderat, neque ſocero fatis functo. Cum VVladislao Georgij ſucceſſore, poſt bellum variâ fortunâ geſtum, pacificè tandem tranſegit, & Moraviam cum Sileſia Luſatiâque ſibi ad dies vitæ relinqui petijt; quod, (ægrè licèt) obtinuit. Ei poſtmodùm defuncto, VVladislaus etiam in Hungaria ſucceſſit.

CAPUT I.

Bellum Matthiæ Regis Hungariæ, contra Georgium ſuſceptum, Moraviæ vel maximè pernicioſum.

Simultates inter Bohemiæ & Hung. Reges, erumpunt tandem in bellum.

ODia & ſimultates, quæ jam dudum, ùt ſuprà memoravimus, gliſcebant, *inter Georgium & Matthiam Reges*, anno tandem 1468. eruperunt in apertam hoſtilitatem, & bellum exitiale ac cruentum; cujus atrociſſimi mali vim, primò omnium *Moravia*, utpote hoſti obvia, ſenſit. Nam *Matthias* inſtituto militum delectu, censúque illorum propè *Trnaviam* habito, cum quartuordecim millium exercitu, agmine bipartito, uno rectà *in Moraviam*, altero versùs Auſtriæ fines, profectionem ſuſcepit; à præcipuis Magnatibus Hungaris, quales fuêre, *Joannes Archi-Ep. Strigon. Stephanus Archi-Ep. Coloc. Joannes Ep. Quinq. Eccleſ. Michaël Orczag Palatinus*, *Emericus Comes Scepuſienſis* cum *Stephano* fratre, *Nicolaus Cobor*, *Stephanus Bathory*, *Paulus Kiniſy*, *Blaſius Magiary*, *Nicolaus Bamffy*, aliique plurimi, comitatus: magnâ omnium ſpe, brevì Victorinum & Bohemos ê Moravia ejectum iri. Non auſus tamen ſeſe immittere in interiora Provinciæ procul nimis, ad *Lavam*, in confinijs Auſtriæ, cum omnibus ſuis copijs conſedit: præmiſſis jam ante, ad *Victorinum* (non ad ipſum Regem) *litteris*, ùt vocant, *diffidatorijs*; quibus inter alias ſuſcepti belli cauſas, etiam hanc, *ſe Imperatori ſecundùm pacta fœderum ad ſuccurrendum teneri, indicabat*; nilque aliud expeditione præſenti velle, quàm ut amicorum confœderatorum ditiones, ab injurijs hoſtium vindicet, inque priſtinum tranquillitatis publicæ ſtatum, quocúnque modo reducat: id verò ſi honeſtâ pace, & æquis conditionibus efficeret, ſe protinùs arma omiſſurum oſtendit. Addit duriora quædam in Victorinum, & ipſum Regem: nempè, *quòd Victorinus, pro more à Parentibus uſurpato, ex bellis bella ſereret, & quod latrocinia in Regnum Hungariæ ex Moravia ſubordinâſſet.* Quæ tamen omnia *Victorinus* ſingulari ſcripto ad *Matthiam*, & alio ad Proceres Hungaros dato, egregiè refutavit, ſimul & de fœdere ab ijs violato, non ſine indignatione queſtus eſt.

Matthias in Moraviam movet,

à præcipuis Hungarorum comitatus:

ad Lavam caſtra ponit.

bello priùs per feciales literas Capitaneo Moraviæ indicto, *Cod maj. f. 647. Cod min f. 107. MS. Pernſt ad an. 1468.* cauſa primaria belli; quam Victorinus refellit, & de fœdere violato conqueritur.

At

At *Georgius* belli jam nequaquam dubius, & uti erat providus in omnibus ac circumſpectus, impigrè & maturè neceſſaria cuncta, ad ſuſtinendam tanti belli molem diſpoſuit: relictóque *Henrico filio* in Bohemia, qui adversùs rebelles domî rem curaret, ipſemet cum prætoriana ſua cohorte, quam certis ſemper bello pacéque ſtipendijs alebat, aliiſque recèns conſcriptis tribus peditum millibus, & quingentis equitibus, in *Moraviam* properavit: id ante omnia curaturus, ut *Znogmam*, ac cætera limiti viciniora caſtella, quòd hoſtes illa primò omnium invaſuros haud vanè exiſtimaret, rebus tolerandæ obſidioni neceſſarijs præmuniret. Noverat quippe, eam præprimis rationem bellorum gerendorum eſſe, & naturam rei id ipſum poſtulare, ut quà hoſtis initium belli faceret, eà illi occurreretur. Quo facto, cùm *Victorinus* quoque reductis ex Auſtria copijs, acceſſiſſet, *Jaroslavicium*, ac inde *Heſſlinam* movit, inque ipſo hoſtium conſpectu, caſtra curruum objectu undique circumvallata, metatus eſt. Excepit tunc (& meritò) acrioribus verbis *Victorinum*, quòd non tempeſtivè occurrerit *Matthiæ* conſilijs; miſsáque pro tutela limitis, copiarum parte, illum à transmittendo flumine, diſpoſito per *Moravæ* ripas milite, non prohibuerit; id quod haud difficile factu fuiſſe oſtendit. Simul & demonſtravit, quanti in præſens diſcriminis res ſit, dum hoſtem per otium exercitu traducto, primam belli facem nobiliſſimæ Provinciæ inijcere, unde facilè major flamma, quæ univerſas Regni partes, eodem incendio hauſtas, ſupremo fato demergat, excitari poſſit, ſpectare cogantur.

Georgius ad reſiſtendum Matthiæ animos viréſque præparat: & Henrico filio in Bohemia relicto,

ipſemet in Moraviam Hungaris obviam progreditur.

Victorinum, ob non cuſtoditos melius Provinciæ fines, corripit.

Inter utráque caſtra, *Teya* fluvius erat: (Bonfinius & de Roo, non benè *Moravam* ponunt) *Hungari*, *& Auſtriaci*, quos inter hæc *Georgius à Pottendorff* juſſu Imperatoris adduxerat, unà cum Cruceſignatis, quibus, legati Pontificij Laurentij Ep. Ferrarienſis juſſu, *Zdenko à Sternberg* præerat, in latiore fluminis margine, ad *Lævam* ſtabant; *Bohemis & Moravis* ſiniſtram tenentibus, & ex nonnihil altiori loco caſtra hoſtium, quæ erectis tot undique tentorijs ampliſſimi exercitus ſpeciem faciebant, deſpectantibus. Ità ſpatium unius ferè menſis extractum, nihílque memorabile actum; niſi quòd ſubinde levioris armaturæ turmæ, transmiſſo flumine, ad velitandum utrinque emitterentur. Quâdam vice propè erat, ut caſtrum *Mikulovv*, ſeu *Niklſpurgum* ab hoſtibus innopinatâ irruptione, & ex inſidijs noctu occuparetur. Illud *Wilhelmus Tetaur* (Familiæ *Webinskianæ* heros, infra ſæpiùs nominandus) qui tum partes *Zdenkonis* ſequebatur, *Henrico de Lichtnſtein* loci Domino, privatim offenſus, quocúnque tandem modo, ſive vi, ſive dolo, occupandum ſuſcepit. Aſſumptis ergò trecentis peditibus Cruceſignatis, ac totidem equitibus Hungaris, eò perrexit, itinere ſic ordinato, ut circa ſecundam noctis vigiliam, ad locum perveniret. Jámque parabat tranſitum, eâ uſus felicitate, ut brevi in muri faſtigium evaſurus, ac mœnibus ſuperatis, in arcem penetraturus videretur; cùm de repentè canes haud procul inde, quâ ingreſſus tentabatur, ſtabulantes, inſolito ſtrepitu excitati, ululatu ſuo, excubitores officij admonuerunt; qui ſubitò experrecti, & ad arma exciti, *Wilhelmum* ab incœpto depulerunt. Meliori cum fortuna rem aggreſſi ſunt alibi, ſoli Hungari:

Caſtra caſtris opponuntur. Auſtriaci, & Zdenko à Sternb. cum Cruceſignatis junguntur Hungaris: nullo tamen juſto prælio, minutioribus tantum conflictibus utrinque certatur.

Niclſpurgum tentatur ab hoſtibus noctu:

ſed ululatu canum proditi hoſtes,

infectis rebus retrocedunt.

Drnholczium occupatur ab Hungaris. & direptum ſuccenditur, *MS. Peringſ. ad an. 1468.* *Epiſtola Henrici de Lippa, ad Joan. de Roſenberg. data Znogmæ, die S. Stanislai.*

qui duce *Thoma Halepſicio*, arcem *Drnbolczium* unà cum oppido, ipſis Calendis Maji, dum præſidiarij indulgerent largiùs compotationi, nocte ſequenti, nemine reſiſtente, occupârunt, & utrúmque ſummâ celeritate diripuerunt, ſuccenderúntque: indignante poſtea Rege *Matthiâ*, qui arcem, tanquàm utilem, ac rei gerendæ opportunam, ſervare integram maluiſſet.

Georgius animum Matthiæ, ſi quo modo ad pacem inclinari poſſit, pertentat: cum quo idcirco occultè primùm; deinde mediantibus proceribus Moravis; *Bonfin. rer. Hung. dec. 4. lib. 1.* *Cod. maj. f. 652.* ac tandem per literas agit, quibus oſtendere conatur, ſe adversùs Cæſarem bellum juſta de cauſa ſuſcepiſſe, ob non ſolutam pecuniam, quam pro liberatione ſui, ex obſidione Viennenſi promiſiſſet.

Inter hæc *Georgius* pacem & concordiam dubio bello præferens, ad tentandum *Matthiæ* animum, ſi quo modo illum ab inchoato belli fervore revocare, & ad pacem inclinare poſſet, conſilia ſuſcepit: atque ut hoc ejus propoſitum quàm occultiſſimum aliquandiu haberetur, per ſecretiores primùm literas, cum illo, accommodatiſſimis quibus potuit verbis egit. Cùm verò ſenſim res ſe ipſam revelaret, nec ampliùs in occulto latere poſſet, proceribus Moravis quibusdam, quos Hungaris familiariores eſſe noverat, ſe non alienam â pace & concordia mentem gerere patefecit, ſi tantùm ea bonis & ab æquitate non alienis conditionibus tranſigi poſſet: útque de ijs, quos in exercitu *Matthiæ* amicos haberent, ſignificare poſſent, poteſtatem fecit. Eſt mihi præ manibus epiſtola ad Matthiam data, continens inter alia iſta: *Meminimus Nos, Fraternitati Veſtræ jam dudum literis noſtris queſtos eſſe, quòd Imperator Romanus tenuiſſimam pecuniæ ſummam, noſtris laboribus, expenſis & damnis, pro ejus liberatione perpeſſis, minimè commenſurandam, literis ipſius cautionalibus, Nobis promiſſam, exſolvere minimè curaret. Propter quod facultas Nobis data eſt, omnia Bona ejus invadendi, uſurpandi*, &c. *juxta formam deſuper Nobis præfatæ cautionis datæ. Propterea filios noſtros ad exigendam, & dictam facultatem proſequendum deputavimus. Quæ omnia Fraternitati Veſtræ ſcriptis noſtris jam dudum innoteſcere fecimus: ipſa quoque Fraternitas Veſtra, neque tractationis, neque interventionis partes decrevit aſſumere. Et tamen, ecce filios noſtros in proſecutione juris noſtri tentat impedire. Nos juri noſtro, & filiorum noſtrorum incumbentes, vobis coacti ſumus reſiſtere. Penſet nunc Fraternitas Veſtra, quis noſtrûm priùs commune fœdus proſcidit & fregit? Vos ſponte Nos oppugnare cœpiſtis, Nos attentatis Veſtris reſiſtere coacti ſumus*, &c.

Proceres Moravi, Bohemi, Hungari & Auſtriaci agunt de pace.

MS. Cod. Epiſt. f. 651. & ſequ. Matthias conditiones Georgio proponit: quas ille, quia Cæſarem excluſum voluiſſet, repudiat;

Interpoſuerunt ſuam quoque operam aliqui è proceribus, tam Moravis, quàm Hungaris, quibus pax præ alijs cordi fuit, agendo, ac ultro citróque commeando, quò faciliùs, controverſiâ omni ſublatâ, pax inter cognatos Reges ſtabiliretur. Extant literæ Baronum Regni Bohemiæ, & ſpeciales *Alberti Koſtca*, ad *Matthiam*: aliæ iterum ad Prælatos, Principes, & Barones Regni Hungariæ, hac in cauſa datæ. Ad hæc tandem *Matthias* brevibus reſpondit: ſi *Georgius* ab infeſtanda Auſtria deſiſtere, *Hornâ* & alijs quæ occupârat oppidis, præſidia deducere, damna illata, præſertim monaſterio *Altemburgenſi Ord. S. Benedicti*, quod expilatum miles ejus ſuccenderat, refarcire, ac deinceps ab omni maleficio abſtinere velit, pacem dari poſſe; ſi verò hæc facere negligat, Hungaros ſociorum injurias minimè neglecturos, ſed uti pactorum virtute teneri ſeſe meminiſſent, eum tanquàm hoſtem bello proſequuturos. Qui hoc cum reſponſo ex Hungarorum caſtris redierant, multa

de

de apparatu caſtrorum, déque inſtructiſſimis exercitatiſſimiſque equitum Hungarorum turmis, de numero cultúque & alacritate hoſtium, anxij timentibúſque ſimiles referebant: ità ut *Georgius* ipſe, aliique duces, veluti ſuprema in cura, ſollicitè & cautè omnia, tum per ſe, tum per alios agendum ſtatuerent. Brevì poſtea *Georgius*, abjectis pacis conſilijs, (neque enim aliàs, niſi excluſo Cæſare pacem voluit) & *Victorino* in caſtris relicto, in *Bohemiam* redijt; ut novum militem, & alia omnia gerendo ac ſuſtinendo bello neceſſaria, compararet. *Matthias* verò, uti erat pugnæ avidus, cùm elicere Bohemos in prælium non poſſet, ad oppugnanda caſtra, diſſentientibus licèt alijs ducibus pleríſque, qui *Bohemorum peditum vires*, pugnandíque morem intra curruum ſepimenta, non facilè ſuperandum noverant, animum intendit. Auxit fervorem Regis error exploratorum, qui deſeri caſtra â Bohemis, & paucas adhuc legiones relictas eſſe referebant, quæ recedentium terga firmarent. Extemplò igitur deſignatis partibus, amnem tranſire, & curruum munimenta invadere jubet. Maxima *Hungarorum & Cruceſignatorum* vis, in ſiniſtram caſtrorum partem incubuit, quam *Henricus de Lippa*, affinis *Victorini*, Moravorum peditum ductor, obtinebat: cùm ex altera parte rem curaret *Victorinus, cum Hermanno de VVartmberg, & Jeſſkone Svoganovio de Bozkovicz*, primarijs Bohemicarum legionum ducibus. At Moravi licèt improviſo illo hoſtium in caſtra inſultu, primùm nonnihil percellerentur, correptis tamen armis, ſeſe inferentibus ſtrenuè oppoſuerunt; ac novis identidem recentibúſque ſociorum manipulis confirmati, hoſtem acri impetu in aggeres & currus proruentem, acriori virium pondere, nec minore animorum fortitudine exceperunt, non ſine promptiſſimorum, qui contra nitebantur cæde. Ab altera verò parte, *Victorinus* intromiſſis ex conſtituto intra ſuos currus, aliquot Auſtriacorum peditum, qui primo ordine procurrerant, & qui è ſelectiſſimis habebantur, ordinibus, ac confeſtim mirâ celeritate intercluſis, omnes ad unum concidit. Quo viſo, reliqui cùm ſe magnâ parte peditatûs nudatos conſpicerent, & â Bohemis acerrimo impetu hinc & inde incumbentibus, pugnaciſſimi quique ſternerentur, urgeri primò acriùs impellique, ac tandem in fugam verti cœperunt; neque jam ampliùs ipſo *Matthiâ Rege*, qui priùs manu vocéque & exemplo ſuos, ad fortiter agendum hortabatur, vim ſuſtinere, aut extrema tentare auſo. Tum verò ſemel turbatæ, atque in fugam verſæ acies, retineri nequaquàm potuêre, ſed diſſolutis ordinibus, ſeſe effuſè in caſtra receperunt. Ità aſſultus ille clade haud mediocri Hungaris, ac potiſſimùm peditibus Auſtriacis ſtetit: qua in occaſione ut plurimùm *Zdenkonis Koſtca, & Joannis Kekule, Michalkonis itē de Worla, & Zmrzlikonis de Svvogſſin* virtus enituiſſe fertur. Poſt hæc ſingulis propè aut alternis diebus, modò *Bohemis Moravíſque*, modò *Hungaris* pabulatum excurrentibus, levia, ſed cruenta ſubinde certamina, non ſine utriúſque partis detrimento edebantur.

animúmque ad proſequendum bellum reſumit:

in Bohemiam redit, ut novis ſupplementis exercitum augeat.

MS. Anon. Prag. an. 1468. Chron. Regino-Hrad. an. eod. MS Trebic. MS. Anon. Litomiſl.

Matthias caſtra Moravorum adoritur: qui ſtrenuè reſiſtunt.

Bohemi ab altera parte ijs auxiliatum ſuccurunt.

Auſtriaci pedites intercipiuntur curribus â Victorino,

& cæduntur omnes ad unum.

Hungari remiſſiùs agunt, vacillant,

ac tandem recedunt, fugientibus ſimiles.

MS. Anon. Litomiſl.

Semel ſub auroram diei Sabbathi, ante Dominic. Rogationum, *Pardus junior*, virtutis ac fortitudinis eximiæ juvenis, aliquid audendum ratus, adjunctis ſibi *Joanne Sſarovvecz* & *Georgio VVlachovvsky* Nobili-

bilibus Moravis, Auſtriacos ſtatione proximâ ad ripam fluminis depulit, eóque ſucceſſu ferox etiam vigilias caſtrenſes invaſit, usque adeò, ut ipſa caſtra maximo tumultu impleret; nec niſi cum aliquot captivis ad ſuos reverſus eſt.

Epiſtola Bohuſſy Civis Prag. in caſtris tunc præſent. Matthias caſtra loco movet,

Tandem *Matthias*, aſſumptis quæ eſui erant, *Znogmam* verſus progredi, ſedémque belli in terra hoſtili figere decrevit, caſtráque loco movit: quem *Victorinus*, tuto tamen ex intervallo ſequebatur, dextram tenens, & ne affinis ſui ditionibus equites Hungari agere rapinas aſſveti, damna inferrent, ſollicitus. Interea Hungari longè latéque per *agrum Znogmenſem* effuſi, obvia cuncta populabantur licenter, nobiliſſimámque illam, & totius Moraviæ fertiliſſimam, cùm vini, tum omnis generis frumenti proventu regionem, omnémque inter *Znogmam & Krumloviam* tractum, rapinis & prædis exagitabant immaniter. Sed ante omnes, *Geviſſovicenſium* calamitas inſignis fuit: cùm enim glande ferreâ ab arce, in tranſeuntem Hungarorum turmam emiſsâ, ductor primarius in femur ictus cecidiſſet; Hungari idcirco exacerbati, iráque & vindictæ cupidine inflammati, non ipſam quidem arcem, ſed oppidanos repentino impetu adorti, magnam eorum partem, nullâ habitâ ratione innoxiæ plebis, crudeliſſimè trucidârunt, vicúmque direptum ſuccenderunt. Sed & agricolæ populíque viciniores Bohemiæ, ac imprimis tractus ille circa *Gemnicium & Jormericium*, maxima paſſim detrimenta tulit: *Victorino* ad *VVymiſſlicium*, propè *Krumloviam*, cum copijs ſubſiſtente, neque in aciem, quòd Hungaros equitatu prævalere ſciret, prodire auſo: tametſi Hungarorum ductores exinde ferociores, modò tranſverſis itineribus in Bohemos incurrendo, modò eos, quos ad laceſſendum immittebant, ſimulato metu, revocando, modò villas ac pagos ſub oculis incendendo, irritare ipſius moras, & ad pugnam provocare non ceſſarent.

Znogmenſem provinciam longè latéque populatur. Geviſſovicenſium calamitas ingens. *MS Pernſt. MS. ex Archivo Lippæo.*

Victorinus Hungaris ad pugnam variè irritantibus cedit, nec quidquam movetur:

Nihilominùs cùm deinde videret, Hungaros proſpero rerum ſucceſſu elatos, plenis agminibus jam quoque in interiora Provinciæ ferri, commutandam omnem belli rationem duxit: relictóque Henrico affine *Krumloviæ* cum impedimentis, & cum aliqua parte peditum, unâ verò cohorte, *Brunam* pro validiori *Spilbergæ* arcis præſidio, alterâ *Weverzium* miſsâ; cum reliquis obviam ſubſidiario militi, quem ex Bohemia, duce *Henrico fratre*, adventare fama ferebat, proficiſci decrevit; eo conſilio, ut conjunctis primo quoque tempore viribus, hoſtem importuniſſimum aggredi, & ſi fortuna daret, illata damna ulciſci poſſet. Porrò *Matthias* cùm per exploratores certos, *Victorinum* juſſiſſe ſuos arma capere, res convaſare, paratóſque eſſe ad profectioñe cognoviſſet; occaſionem rei gerendæ ſe nactum arbitratus, duces convocat, & quid fieri velit, monet; ſimul atque docet, quàm facili negotio præſtructis in itinere inſidijs, hoſtis opprimi poſſit: móxque diſponi jubet per gnaros locorum, ubi quis latere, ubi ſtationem tenere, quid demum agere, & ad quale ſignum erumpere debeat. Cùm tamen fortuna ipſum hoc in conſilio, quò minùs ſecundo finiretur eventu, prorſus deſeruit. Quippe *Victorinus* inſidias maturè ſubodoratus, iter dextrorſum, ab eo, quod ab Hungaris duobus in locis tenebatur, longè diſſitum flexit; noctúque (ſuos priùs cohortatus,

Idem impar viribus in tutiora ſecedere conſtituit: partem copiarum Krumloviæ relinquit, partem Brunam mittit; ac ipſemet Bohemiam versùs retrocegit.

Matthias Victorino inſidiatur, eúmque ex itinere opprimere vult: at ille eluſis hoſtium inſidijs,

& alio ſuſcepto itinere,

tatus, ut æquo animo unius noctis laborem ferre velint) *Giblavâ* amne ſuperato, priusquàm dieſceret, propè *Namieſtium* conſedit: ubi nihil jam de inſidijs metuens, milites corpora ſimul & equos curare juſſit; ac deinde emenſo unius milliaris itinere, *Trebicium* incolumis venit. Ægrè id tulit *Matthias*, qui aliàs, ùt ei aſſentabantur antè Hungari, *Victorinum* jam quaſi in manibus ſe habere putabat; ſtatim igitur revocato, & in unum coacto exercitu, rectà quoque *Trebicium*, magnâ feſtinatione contendit, oppugnationem oppidi quamprimùm aggreſſurus. Opportunè verò tunc acceſſerunt ei duæ tricenariæ Crucigerorum cohortes, â Legato Apoſtolico miſſæ, cum duobus majoribus, & alijs minoris fiſtulæ quatuor tormentis; quarum acceſſione viribus auctior, oppugnationis negotium ſuſcepit.

Trebicium venit incolumis. Accurrit eò etiam Matthias: cui dum nova ab Auſtria accedunt ſubſidia, unà cum tormentis aneis,

Inerant oppido milites & cives, tanto numero, ut juſto penè exercitui viderentur pares; qui magnâ vi reſiſtendo, & ab interiore muri parte munitiones, ubi opus erat, magnâ celeritate ac induſtriâ extruendo, ſeſe perquàm egregiè tuebantur, ſpe ſubſidiorum ê Bohemia adventantium freti. Nihiloſeciùs Rex deſiderio potiundi oppidi ardens, oppugnationi omni ſtudio incubuit; & aggeribus, cùm militum operâ, tum agricolarum labore, idoneo in loco excitatis, ínque ijs tormentis majoribus aptè collocatis, mœnia ſummâ vi quatere & diruere cœpit: quæ cùm ab una parte perforata, latè hiatum dediſſent, totis viribus agreſſionem in muros fieri imperavit, juſſis deſcendere ex equis etiam Hungaris: quos ut alacriores redderet, & ad agendum fortiter accenderet, oppidum cunctis in prædam ſe ceſſurum propoſuit. Tum igitur excitatis in prælium animis, certamen exoritur atrox, oppugnatoribus acerrimè inſtantibus, ê contra oppidanis vi ſummâ reſiſtentibus; aderâtque his *Victorinus*, illis Rex ipſe, hortator utérque, & immixtus pugnantibus. Inclinato tandem ad veſperam ſole, Rex ſuperſedere labori, ac receptui jamjam ſignum dare conſtituerat; cùm inter hæc centurio quidam *Bavarus* ê Cruceſignatis, cum paucis ſuis, ſpectante Rege, per ruinas murorum, in aggerem quem oppidani ab interiori parte, quà mœnia diruta erant, tumultuariè erexerant, conſcendens, intrò in munimentum ſaltu facto, audacter ſe dejecit; quem pari animi promptitudine, alius quidam ex minoribus præfectis ſequutus eſt: eâ igitur occaſione incenſus Rex, cæteris heroum iſtorum exemplum oſtendit, altâque voce, ut â pluribus audiretur, ſuos inclamans, ſequi præeuntes, contempto omni periculo juſſit. Ità redintegratâ pugnâ defenſores pelluntur, atque unà hoſtes in oppidum irrumpunt; fit magna utrinque & promiſcua cædes, neque ulli primo impetu parcitum; ſed neque auditi cives, etſi bis dato ſigno, & ex turri protenſo albo vexillo, deditio offerretur. Tum *Victorinus* & *Wartembergus*, cum *Wenceslao Wlczek*, & pleríſque equitibus, per averſam inde portam, ſeſe proripiunt: & unà cum illis, multi ex oppidanis, ínque monaſterium oppido vicinum, & in editiori colle ſitum evadunt: cæteri, quò quémque ſors tulerat, profugêre. Ducenti & quinquaginta ex defenſoribus, cives computando & milites cecidêre; oppidum verò inſignis opulentiæ, victori militi, in prædam ceſſit: tametſi inter hæc, incendio,

oppidum vi ſummâ oppugnat; quod in prædam militibus ſe daturum promittit. fortunam primò adverſam, Victorino & civibus ſeſe defendentibus fortiter; ſed paulò poſt, Bavaro quodam centurione, authore, continuato aſſultu, propitiam experitur, & oppido potitur. Victorinus in vicinum Monaſterium evadit.

dio,

Digitized by Google

Incendium hæc inter exoritur: quod quidam Regi, *Bonſin. dec. 4. lib. 2. Miechov. lib. 4. cap. 68.* alij Victorino imputant, *Roo Hiſtor. Auſtriac. l. 8.* ab Hungaris in præurbio victo, fugienti, que in civitatem;

dio, incertum quo authore repentè orto, quod adjuvante vento totum penè oppidum corripuit, multa vel ſublata, vel corrupta eſſent; prædâ hoc modo omni, inter milites ignémque diviſâ. *Bonſinius* & *Miechovius* Regem; alij *Victorinum* ex conſtituto ſuburbium incendi juſſiſſe referunt; unde juvantibus Auſtris, qui incendio exorto vehementiùs perflare cæperant, ſcandulæ ardentes, ac ſemiuſtularum minorum trabium particulæ, è tectis in urbanas quoque ædes, vi ventorum pulſæ deferrentur. *Gerardus de Roo* expreſsè memorat: Hungaros primo ſtatim obſidionis fervore, cùm propè oppidum veniſſent, cum *Victorino* foras egreſſo conſeruiſſe manus; Martéque propitio conflixiſſe, adeò ut verſo in fugam illo, & acriùs fugientibus inſiſtendo, ad ſuburbia usque proveherentur: tantam verò fuiſſe fugientium trepidationem, ut niſi Hungari equites, paucitati ſuæ diffiſi ſubſtitiſſent, oppidum ipſum, in quo duces, cæteráque copiæ erant, ſimul cum hoſtibus irrumpendo, facilè capi potuiſſe videretur. Quo in tumultu *Victorinum* metuentem, nè Hungari fugientibus permiſti portam ingrederentur, domos aliquot in ſuburbio incendi curâſſe, eo conſilio, ut fumo conſpectum adimente progredi ulteriùs non poſſent vel auderent; interea verò flammis ſævientibus, & non ſolùm viciniora quæque curſim lambentibus depaſcentibúsque, ſed ad extremum etiam in oppidū vi ventorum delatis, dum ad reſtinguendū trepidè â civibus diſcurreretur, Hungaros urgente occaſionem Rege, ſuperatis muris oppidum cepiſſe. Ità ille. Verùm apud me pluris facit ſcriptum vetus, ſeu *Annalium Trebic. Cœnobij monimentum*, quod tridui ſpatio oppugnatum oppidū, ìnq; ipſa direptione ædium, incendium exortum fuiſſe memorat: & hoc ſequor; neq; enim fidei, quam vel ipſa Scriptoris religioſi, ùt adverto, ac eorum temporū æqualis manus, & literarum contextus præ vetuſtate nimia vix penè legibilis, commendat; prout & alteriùs, qui præſens aderat, & hæc fieri videbat, derogare auſim.

& ut præcluderet poſtſe iter hoſti, ædes aliquas ſuburbanas incendere jubenti: flammis poſtea in civitatem ipſam delatis.

MS. fragm. Annal. Monaſt. Trebic. MS. Anonym Civis Litomiſſl. hiſce rebus geſtis præſens.

Hungari totam viciniam impunè vaſtant: & oppida quædam præcipua diripiunt. Matthias monaſterium Trebic. obſidione premit.

Capto *Trebicio*, Hungari equites, eodem circumlato belli terrore, ac ſingulari Moravorum contemptione, vagabantur per regionem vicinam impunè, cuncta rapinis, cædibus & incendijs permiſcentes: inter alia, *Biteſſium & Mezericium* oppida, quòd ditione adverſarum partium tenerentur, diripuerunt & ſuccenderunt; arce hìc, æde ſacrâ ibi, utpote locis munitioribus intactis: alia ſimiliter vicina oppida & caſtella, partim vi capta, partim ſponte aut metu dedita. Rex interea cum pedeſtribus copijs, monaſterium, in quod *Victorinus* ſe receperat, obſidione cinxit, & admotis muralibus tormentis, illud ſummis viribus oppugnavit. Sed â *Victorino*, & quos habebat, militibus ſtrenuè rejectus eſt, amiſſis & vulneratis ſuorum non paucis: ubi etiam ex obſeſſis, *Wartmbergus* fortiter ad portam dimicans, non lethali tamen ictu, vulneratus eſt. Cùm igitur *Matthias* verâ vi nihil proficeret, quòd obſeſſi jam per triduum multâ contentione ſeſe tuerentur, ad artes & minas converſus, Abbatem loci, *Matthiam* nomine, ſeriò admoneri juſſit, ut cænobij deditionem quamprimum faceret: futurum ei per hoc, tum apud Summum Pontificem, tum apud ipſum Regem gratiæ & dignitatis locum. Quod ſi ſalubriora monita admittere nollet; bonis ejus & oppidis villisque incendia, ei verò, ſi in manus incideret, exilium vel perpetuos carceres minabatur. Quamobrem

MS. Famil. Wartmb. apud Wrzeſovec. obſeſſi ſtrenuè ſeſe defendunt. Matthias aliam viam occupandi monaſterium aggreditur.

Abbas,

Digitized by Google

Abbas, *Victorinum* ac cæteros militiæ duces, obnixè deprecatus, nè pertinaciùs reſiſtendo Hungarorum animos, ad ſui & domûs villarúmque excidium proritarent, ſed alio quocúnque conſilio rebus ſuis proſpicerent, rogavit. Hinc magno labore enitendum fuit *Victorino*, ut delinitum Abbatem in partibus ſuis conſervaret: ne fortaſſe, vel â domeſticis fratribus laboris & incommodorum belli pertæſis ſeductus, vel ipſe motu proprio, tolerandis obſidionalibus ærumnis minimè aſſvetus, duriùs aliquid, ſeu clam, ſeu palam, ſtatuendum putaret.

Abbas Victorinum rogat, ut aliâ viâ, quàm per Monaſterij excidium, ſaluti ſuæ conſulat. Victorinus in periculo & timore, ne Abbas fidem mutet:

Nec multò poſt *Victorinus*, cùm videret Bohemorum auxilia ſegniùs, quàm neceſſitas præſens poſtularet, accurrere; interim verò ex nimia multitudine hominum, qui ad monaſterium ſecuritatis causâ confugerant, (quatuor millium numero, præter mulieres & infantes) famem invaleſcere, ità ut jam miſeri homines equinis carnibus, ac felibus, & id genus præter naturam cibarijs, veſci cogerentur; deſperatâ ulteriore defenſione monaſterij, de remedio potiùs fugæ cogitandum duxit: noctémque obſcuram nactus, quá fugâ tegeretur, (hæc erat Feriam II. Pentec. antecedens) per hoſtium ſtationes ſingulari virtute, proſtratis qui reſiſtebant, foras incolumis evaſit. Dúmque citatis, ùt in tali neceſſitate fit, paſſibus iter capeſſeret, urgente â tergo metu, & properandi nimietate jam penè ſuperaretur, in valle quadam denſiori ſaltu obſita ad amnem conſedit, ut cùm ipſe, tum alij fugæ comites laſſitudine itineris fatigati, nonnullâ quiete reficerentur. Jámq; curare corpora, & equis ex amne potatis pabulum, quod vicinum fœnum in cumulos congeſtum affatim ſuppeditabat, dare cœperunt; cùm duo ê ſpeculatoribus, quos Victorinus in editiori colle conſiſtere, & omnia quaquaversùm itinera diligenti curâ obſervare juſſerat, ſummâ celeritate & attonitis ſimiles accurrunt, duas turmas equitum, *itinere Polnenſi*, Kamenicium versùs, celerrimè properantes, ſe eminùs conſpexiſſe referentes. Quare Victorinus & alij, qui ei obſonanti aderant, nullâ factâ morâ, ad arma conclamare, ſuos ad conſcendendos equos hortari, & ad conſerendas manus ſi opus foret, præſtô eſſe juſſerunt. Sed paulò poſt *Victorinus*, cognito procurſatores eſſe ab *Henrico fratre* cum octo armatorum millibus adventante præmiſſos, ſolatium inde tulit impendio tempeſtivum; ac confeſtim ei obviam ire feſtinavit, multáque ex itinere cum eo, & cum *Petro Kdulynecz ab Oſtromerz*, pedeſtrium copiarum duce, viro & manu & conſilio prompto, ac undequaque circumſpecto conferens, in Moraviam unà redijt.

Fame inſuper gravi preſſus, fugâ elabitur, & in Bohemiam pergit:

Mitchov. l. 4. cap. 68. VVeleslav. in Calend. Hiſtor. die 5 Iun. 1468. MS. Trebic. an. eod.

dúmque ex itinere quietem capit,

Henricum fratrem ſibi in auxilium properantem, obvium excipit. & cum illo in Moraviam redit.

Interea *Matthias* monaſterio in certas deditionis leges occupato, cùm per exploratores de adventu Bohemorum, famâ inſuper de multitudine eorum ultra verum creſcente, cognoviſſet, diutiùs iſthic morari noluit; ſed ſigno ad profectionem dato, & curribus prædâ onuſtis jam antea in tutiora præmiſſis, *Brunam*, quò â civibus aſſiduis penè nuncijs vocabatur, properavit. Cui ad urbem venienti, *Mauritius* prætor & cives reliqui, qui paulò ante, paucorũ licèt temeritate in perfidia deprehenſi, ne tum quidem â pari auſu, vel infelici prædeceſſorum ſuorum exitu, diſceſſerant, *Laurentio Legato Pontificio*,

Matthias Monaſterium deditione accepit:

Brunam versùs ducit.

Digitized by Google

Cives Brunenſes nutant: quos Kragirius præfectus urbis, fidei admonet; ſed fruſtra: qui tandem ad Matthiam deficiunt; & præfecto, per ſummum nefas capto, & ſub cuſtodiam dato, urbis deditionem faciunt.

qui tum præſens aderat, id ipſum approbante, nihil cunctati portas aperuerunt, ac in fidem & clientelam ejus recepti ſunt. Præerat urbi, ùt ſupra meminimus, W*olffgang. Kragirius*; qui cùm ab amicis quibuſdam probatæ expertæq; fidei, ad ſe delatum haberet, cives, utì antea, occultâ perfidiâ laborare, molirique defectionem, ejúſque rei indicia eſſe non pauca; permotus iiſce rumoribus, extemplò cæteros præſidij præfectos ad ſe vocavit, & ab ijs, ſi quid eorum, quæ rumoretenùs de civium clancularijs conſilijs ferebantur, ipſis conſtaret, ſollicitè ſciſcitari cœpit. Sed jam illorum præcipui, Hungarico, utì ferebatur, auro corrupti, in partes *Matthiæ Regis* inclinabant: qui compreſsâ tantiſper fraude, ſe nihil eorum ſcire, ſed ne quidē ſuſpicari hìc & nunc, affirmabant; daturos tamen operam, ut ſi quid tale deprehendatur, id tanquam principium rebellionis, mox in herba, extingui poſſit. Interea cives propalata jam ſua conſilia haud vanè ſuſpicari, & ne quam ſeveritatis vim in ipſos, urbis præfectus animadvertat, metuentes, primâ ſtatim noctis vigiliâ, ſecundùm datam maximo cum ſilentio teſſeram, arma corripiunt, domum præfecti circumdant, eúmque inſtar captivi eductum, in prætorio cuſtodiæ mancipant; cauſantes, illum hoſtilia in perniciem civitatis meditari. Nec mora, curſores ad *Matthiam*, tum adhuc in caſtris ad *Trebicium* agentem, citatis paſſibus properare jubent, qui civitatem in ejus poteſtate eſſe nuncient, eúmque hortentur, ut quamprimùm iter ſuum in urbem adornet & acceleret.

Spilberga nihilominùs in obſequio Georgij perſiſtit: cujus præfectum Leopoldum Kragirium, Matthias magnis promiſſis tentat, ut eam dedat: Sed virum fortem, nullâ arte, à fidei conſtantia, potuit dimovere. tametſi iteratò eum pertentaret:

Occupatâ hunc in modum *Brunâ*, Matthias arcis quoque *Spilbergæ* potiundæ negotium aggreditur: priùs tamen per idoneos homines tentari propugnatorum animos placuit, oblatâ eis incolumitatis, ac liberi abitûs, cum fortunis ſuis omnibus fide, ſi redditâ arce gratiam potiùs, quàm vim & indignationem experiri vellent. Dederat quoque ad præſidij præfectum (is erat *Leopoldus Kragirius*, Hynkonis, de quo nobis ſuperiùs fuerat frequens ſermo, filius; & W*olffgangi* patruus) litteras; quibus illum ad deditionem arcis, quam amiſsâ urbe defendere diu nequaquā poſſet, multis variíſq; modis ſolicitabat, ingens auri pondus promittens, ſi poſthabitâ cunctatione munimentū traderet. Sed is, appoſitis quantum poterat verbis, ſeſe excuſavit, quòd fidem, quā in arce ſervanda tuendâq; Regi ſuo dediſſet, fallere non poſſet; ac etiamſi id flagitij in mentem veniret, ſe tamen Bohemorum metu, quorum cohors centum virorum in præſidio eſſet, cohiberi, â quibus in veſtigio proditæ fidei crudeliter interficiendus foret. Se igitur petere, ne rem tanti plenam periculi ſibi imponere velit: rogare etiam, ne in W*olffgangum* nepotem ſuum â civibus per ſummum nefas cuſtodiæ traditum, quidquam duri ſtatuat, néve ab efferata plebe convicijs ullis aut probris, ùt fieri in tali diſcrimine ſolet, traduci ſinat; ſed libera & honeſta, utì virum fortem, & illuſtribus natalibus ortum deceat, ſub cuſtodia teneri jubeat, donec de pleniore ipſius libertate conveniatur. Non deſtitit tamen urgere deditionem *Matthias*: qui ut Leopoldum quocúnque tandem modo ad ſuas inclinaret partes, antequàm Bohemorum venirent exercitus, nepotem libertate donatum ei tranſmiſit; objectâ rurſum ſpe ampliſſimorum præmiorum, ac oblatâ etiam totius Moraviæ

viæ

Digitized by Google

viæ præfecturâ, ſi quantocyùs dediderit arcem. At ille prout ante, virtute & conſtantiâ animi ſanè incomparabili, nullâ penitùs ſpe præmiorum expugnari potuit, per ſpecioſos circuitus multis, propter quæ ſibi id minimè liceret, ſeſe excuſans. gratis fuêre omnia,

Accurrunt interea cum exercitu *Victorinus* & *Henricus*, caſtráque ſub *Spilberga*, quà ſeptentrionalem plagam reſpicit, metantur: Cruceſignatis, & peditatu toto, in civitate, Hungaris verò partim in ſuburbijs, quæ circacircum fuêre ampliſſima, partim in vicino pago *Zabrdovicze*, ſeſe tenentibus. Auſtriacos jam antè (quorum erat unum mille Nobilium equitum) *Matthias*, quòd plerique tyrones eſſent & delicati, caſtrenſibus munijs ferendis minùs aſſveti, domum remiſerat, & ipſorum locò ſtipendia pro totidem equitibus veteranis conducendis, ſibi mitti petijt, ùt narrat *Bonfinius*. Cæterùm Bohemi pugnæ cupidi, explicatis ordinibus, in ſubjecta planitie, quæ *Regius Campus* dicitur, ad belli aleam Hungaros provocare non ceſſabant: verùm *Matthias*, quòd in unius pugnæ diſcrimen totius rei ſummã conijcere ampliùs nollet, â conſerendo prælio abſtinuit; nec niſi ſubinde ſelectiores aliquas levioris armaturæ turmas, ad velitandum procurrere juſſit. Convenêre deinde, mutuâ interpoſitâ fide, *Matthias & Henricus* (*Victorinus* unâ die priùs, valetudinis curandæ causâ, *Weverzium* diſceſſerat) in patenti campo, cum comitatu quisque ſuo. Multa eo privato congreſſu, quæ ad rerum quietem pertinerent, agitata ſunt; actúmque imprimis, ſatagente omnibus modis *Henrico*, ne *Matthias* partes Imperatoris defendendas ſuſciperet; néve paucorum è Proceribus Bohemis, & Moravis perduellibus, quibus nullæ defectiones eſſent turpes, nullæ proditiones infames, pravo conſilio aut inſtinctu, fœdera & affinitatis neceſſitudinem violari pateretur. Secretiora poſt hæc habuêre colloquia, ſemotis arbitris: quæ ſicuti ipſo rerum exitu nihil memoriâ dignum pepererunt, ità nos quoque de ijs, quod hoc loco referamus, nihil ſpeciale habemus. *Bonfinius* paulò aliter hæc narrat, & non *Henricum*, ſed ipſummet *Georgium* Brunam accurriſſe, ibíque in conſpectu utriúsque exercitûs, in tabernaculis duobus inter utráque caſtra erectis, cum *Matthia* colloquium habuiſſe, & ſingulare & frequens; illúdque primò magnis contentionibus expoſtulationibúsque fuiſſe agitatum, ſed ultimò in familiare convivium deſijſſe. Ego tamen in manuſcriptis Authoribus, & qui tum temporis vivebant, & hæc videbant, non aliter, niſi prout jam retuli, invenio.

Victorinus & Henricus cum recentibus copijs adveniunt:

Bonfin. dec. 4. cap. 2.

castra in conſpectu Brunenſium ponunt:

Matthiæ cum Henrico colloquium.

MS. Pernſt. ex Archiv. Lipæ.

aliud item colloquium ſecretum.

Bonfin. rer. Hung. dec. 4. lib. 2.

Agentibus poſthæc Proceribus Moravis, *Stephano de Lichtmburg*, *Wenceslao de Bozkovicz*, *Alberto de Sternberg*, *&* *Wilhelmo de Pernſtein*, Matthiæ præ alijs acceptis; & quibusdam Hungaris, qui pacis cupidiores erant, ceſſàtum ab armis eſt, pactáque induciæ, ad trimeſtre; intra quod ſegetes eò commodiùs demeti, in cumulos & in horrea convehi, ac demum novæ ſeminari poſſent. Inter alias conditiones cautum, ut *Regi Matthiæ* liceret, etiam *Olomucenſes*, *Unczovienſésque*, ſi peterent, in clientelam ſuſcipere. Quo facto diſceſſerunt ab invicem, *Henricus* relictâ parte copiarum, unà cum *Kdulinecio*, penes *Victorinum*, in Sileſiam; *Matthias* verò, curâ præſidij, quod Brunæ reliquerat,

Induciæ trium menſium.

Henricus in Sileſiam diſcedit.

 blaſio

Blaſio Magiario, & *Paulo Kiniſo*, viris rerum uſu, & militari prudentiâ claris commiſsâ, *Olomucium*; ubi â civibus promptis animis, & exquiſitis honoribus exceptus eſt; incertum tamen, an non ab aliquibus ſimulatâ lætitiâ, vel metu tanti exercitûs perterritis, vel aliorum inſtabili exemplo.

Matthias Olomucenſes in fidem ſuſcipit:

Unczovienſes præter opinionem duriores reperit: qui Hungarorum regimen & mores ferre minùs aſſveti, tum quòd in fide Bohemiæ Regis, â quo hactenus multa indulgentiæ, clementiæ liberalitatiſque exempla, regias ſanè virtutes, experirentur, perſiſtere mallent, nec diverſas ab eo partes ullo modo ſequi; cùm Hungaros, quos *Matthias* præmiſerat, urbi appropinquantes eminùs conſpexiſſent, portas extemplò claudendas curavêre. Ægrè id tulerunt Hungari, ſed ſuppreſsâ tantiſper ferociâ, cives, ut abjectis ejusmodi pernicioſis conſilijs, ſaniora potiùs amplecti velint, néve inani pertinaciâ, ſe fortunáſque ſuas in aliquod grave diſcrimen præcipitent, ſeriò hortari; ideóque ut in urbem reciperentur inſtare, amicitiam omnem gratíque animi obſequia offerre, nunquam Regem tam promptæ fidei futurum immemorem polliceri. Sed cùm nullis precibus, nullis promiſſis flecterentur cives, exacerbati illi, ædes ſuburbanas injecto igne ſuccenderunt, rati voracitatem flammæ vicina quoque urbana tecta, facilè, adjuvante validiore ventorum flatu, correpturam. Sed divinâ protegente ope, incendium progredi ulteriùs nequivit: imò diſcedentibus Hungaris, qui hoc facto exiſtimabant ſe de contumacia oppidanorum ſumpſiſſe vindictæ ſatis, in ipſo adhuc præurbio ignis rapax, ab ulteriori graſſandi ac ſæviendi vi, non ſine admiratione ſpectantium ſubitò conquievit. Ferunt mulierem humanâ ſpecie auguſtiorem, ſplendente veſte, ac cæruleo amictam velo, ſuper muros civitatis ſtantem, quandóque ſuper illorum faſtigia ſeſe efferentem, flammámque arcentem viſam eſſe; quam plerique *Beatiſſimæ Dei Genitricis tutelare numen*, cujus honori ſacra in urbe ædes, ad *Veſtalium Divæ Claræ Virginum*, nunc religioſorum ſub *Divi Franciſci* lege virorum cænobium, dicata hucusque conſpicitur, ad ſuccurrendum civibus, amovendúmque præſens periculum apparuiſſe haud vanè interpretabantur. Id porrò accidiſſe volunt nonnulli anno 1463. ſed eo tempore *Matthiam* coluiſſe adhuc, cum ſocero comiter utcúnque amicitiam & pacem, nec citiùs, niſi hoc, quo dicimus anno, nempe 1468. exarſiſſe utrínque bellum, tam ex Hungaricis, quàm ex Bohemicis, alíisque notæ melioris Scriptoribus probè ſatìs conſtat. Me etiam ipſum hîc corrigi peto; qui nuper in *Prodromo Moravographiæ*, * bellum inter *Georgium & Matthiam* anno 1467. fuiſſe exortum ſcripſi, *Hagecij*, *Theobaldi & Stranskij* relationibus, in errorem inductus.

quorum exemplo, Unczovienſibus quoque tutelam, & gratiam regiam offert.
verùm ad hæc immotis civibus,
vim intentat: ſuburbia ſuccendi jubet.
Civitas ab incendio prodigioſè ſervatur.
Cælitum Regina, Unczovienſium Patrona & Tutatrix.
MS. Pernſt. Lipp. Trebic. Dubrav. l. 30. Miechov. lib. 4 Bonfin. dec. 4. lib. 2. an. 1468
** Prodr. Morav. l. 2. c. 4. Hagek. ad an. 1467. Theobald. part. 3. c. 17. Stransky Reip. Boh. c. 16. §. 5.*

Cùm jam diſcederet Matthias triumphanti ſimilis ex Moravia, *fama fuit*, verba ſunt Bonfinij, *eum per Viennenſem urbem iter eſſe facturum in Hungariam. Prætor urbis & Senatus, ut pro dignitate Regem, cujus ſtudioſiſſimi amantiſſimique fuerant, exciperent, Epiſcopatûs atria, & arcem apparârunt. Ad declinandam verò Imperatoris ſuſpicionem, & temperandos Viennenſium affectus, Rex iter divertit per ulteriorem Hungariam, & rectà Budam venit*. Addit: *Quinetiam quando in Tranſylvaniam & Tranſalpinam, ad*

Viennenſes Matthiam, in Hungariam redeuntem ex Moravia ad ſe avidè expectant,

ad capiendum Draculam profectus eſt; tunc Viennenſes, cùm Imperatorem in arce, acerrimâ obſidione circumventum haberent, ad Regem clàm miſiſſe literas ferunt: quibus ſi vellet accipere civitatem, ſimul & Imperatorem ſe daturos eſſe pollicebantur. At ipſe ne quid in patrem (quem ſemper appellabat) impij committere videretur, oblatam ab his conditionem recuſavit. Ità ille.

procliviores in Dominum alienum, quàm in proprium, naturalem, & hæreditarium. *Bonfin. dec. 4. l. 2. & l. 4.*

CAPUT II.

Matthias bellum continuat; bis pacem facit, bis illam violat; ultimò â quibusdam perpaucis, Olomucij, Rex Bohemiæ declaratus.

REdux in Hungariam *Matthias*, & indulgentiâ fortunæ, quæ ei in nupera expeditione blandè utcúnque arriſiſſe viſa fuit, inſolens; & idcirco aliquid plus tentandum exiſtimans, quin bellum tantis auſpicijs inchoatum continuaret, minimè dubitandum duxit. Eum per ſe vehementer ad belli ſtudia propenſum, plerique Procerum, maximè illorum, qui naturâ ſuâ feroces pacem & quietem tolerare non poterant, ſecretis apertíſque conſiliorum rationibus incitabant.

Matthias belli cupidus,

Igitur feſto *Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis*, Strigonij magnâ ſolemnitate transacto, *Poſonium* venit: ubi duces copiarum, *Michaëlem Palatinum*, *Emericum & Stephanum fratres Zapolianos*, ſeu *Scepuſienſes*, itémque *Petrum Gerebum*, *Nicolaum Bamffium*, *Nicolaum Czoborium*, & alios clari nominis viros, in conſilium vocavit, & cum ijs de continuando bello, ac quibusnám in locis illud proſequi ê Republica foret, conſultavit. Non defuêre, qui ante alia omnia *Brumoviam* arcem, & *Hradiſtium*, vicináque ad *Moravam flumen* oppida redigere in poteſtatem exiſtimarent: neque id factu difficille fore ajebant, quandoquidem in propinquo, & neq; munitæ admodùm eſſent, neque magno propugnatorum numero cuſtodirentur. Pertinere ad famam & exiſtimationem Regij exercitûs, ſi illæ maturiùs ab hoſtibus extorqueantur; & ad finium Regni quietem, cùm ab illis, qui ibidem excubarent, crebris excurſibus inquietari ſoleant. Hujus ſententiæ *Emericus* cum *Palocio*, & quibusdam alijs princeps erat, qui oppida illa ſuis ditionibus vicina teneri ab infenſis hoſtibus, æquo animo ferre non poterant, ideóque redigi ea in poteſtatem quamprimùm, ſolicitè cupiebant. Ex adverſo, *Gerebo & Bamffio* minimè proficuum videbatur, oppugnandis illis diſtineri exercitum; ſed ad magìs illuſtre extendendæ famæ & gloriæ decus, ajebant eſſe, ſi primò omnium interiora Regni hoſtilis petantur, in iiſque ſedes belli collocetur. Addebant: ſibi omnino neceſſarium videri, ut id quantocyùs fiat, cùm rei gerendæ ſpes ut plurimum in celeritate conſiſtat: futurum námque, ut priusquàm *Georgius* novas auxiliares copias, tum ex civitatibus, ſibi faventibus, tum

cum ſuis, de rationibus gerendi belli conſultat.

Quidam, vicina Hungariæ oppida, arcéſque priùs occupanda cenſent,

ne quidquam hoſtile â tergo relinquatur.

Alij, in ipſo hoſtili Regno, ſedem belli faciendam exiſtimant:

idque citò ciùs fieri cenſent, antequàm Georgius viribus creſcat.

tum ex Nobilitate, tum denique *ex Miſnia* & *Marchia Brandeb.* in unum congreget atque educat, majore Regni parte exuatur.

Rex, approbatâ hâc ſententiâ, eam ſequi conſtituit, ac omnibus copiarum ducibus, ut ad Calendas Septembris *Straznicium*, quod oppidum & arcem ſuo præſidio tenebat, in caſtra convenirent, in mandatis dedit. Cùm poſtmodùm etiam Cruceſignatorum, quos ei Legatus Pontificis addiderat, copiæ acceſſiſſent, (tametſi induciæ nuper ad trimeſtre pactæ nondum finitæ eſſent, quæ primò ad feſtum S. Michaelis terminari debebant,) expeditionem *Brunam* versùs ſuſcepit, *Weſetio* oppido ex itinere occupato: ac relictis duabus cohortibus peditum penes Blaſium, cui oppugnandæ *Spilbergæ* arcis negotium dederat, ipſemet cum exercitu, qui ſedecim armatorum millia continere ferebatur, *Bohemiam* tanquam belli caput petijt. Primò omnium in *ditionem Liticenſem*, quæ Georgij hæreditaria erat, & Moraviæ penè contermina, vaſtabundus irruit; eáque ad extremum usque penuriæ expilatâ, *Liticium* caſtrum, quòd illic *theſauros Georgij*, utì arduo in munimento conditos, per exploratores didiciſſet, oppugnandum adortus eſt. Irrito tamen conatu, & detrimento majore accepto, quàm illato. Ad extremum cùm capiendæ arcis, quam eventus ipſe, non ſolùm naturâ loci validóque præſidio, ſed commeatu etiam atq; omnium rerum, quæ tolerandæ obſidioni neceſſariæ eſſent, probè communitam, nec facilè expugnandam monſtrabat, deſperatio eum cæpiſſet; tametſi alij duces, qualiscúnque conſtantiæ retinendæ causâ, nequaquàm ſolvenda caſtra, ſed in oppugnatione nihilo remiſſiori animo perſiſtendum, expectandámque meliorem fortunam exiſtimarent; ſuis tamen ille innixus rationibus, & ſanè non improbando conſilio, obſidionem ſolvit, & exercitum ſuperatis vicinis montibus, in provinciam *Chrudimenſem* traduxit. In itinere arcem *Zamrsko*, & alteram *Ubersko*, primo impetu occupavit, & diripuit: ubi novis ex Hungaria ſupplementis, quæ tria millia virorum continebant, opportunè auctus, caſtra ad *Chrudimam* promovit; móxque primo inſultu ſuburbium ſuperius, & alterâ die inferius occupavit & ſuccendit, igne etiam in urbem trajecto, ſed à civibus protinùs extincto.

Novæ Cruceſignatorum copiæ contra Georgium mittuntur.

Matthias in Bohemiam usque penetrat: Liticenſem, ſeu Zambergenſem ditionam vaſtat. Liticium oppugnat, ſed in vanum: *MS. Reginohrad.* *MS. Anon. Litomiſſl. in tract. de Familia Koſſkarum.* cujus obſidione ſolutâ,

in interiorà Bohemiæ ducit; loca quædam occupat: Chrudimæ ſuburbia vaſtat:

Interea Hungari equites, excurrendo populandóque per longè latéque patentes campos, ingentem pecoris atque hominum prædam egerunt, evectíque *ad Albim* usque, maximum etiam transalbinis populis incuſſerunt metum: brevì námque in ulteriorem quoque ripam, vado cujusdam agricolæ ductu in flumine reperto, evaſiſſent. *Matthias* verò, cùm potiundæ urbis nulla eſſet ſpes, civium virtute vim adverſam omnem ſuperante, in varias conſiliorum vias diducebatur, quorſum tenderet ambigens: multísque dictatis & controverſis, tentare ſtatuit *Kutnam*, utpotè divitiarum cumulis tum præ alijs refertam. Caſtris igitur ſolutis eò itinere feſtino proficiſcitur, miſcens obvia cuncta rapinis: & ubi vel modicùm reſtitiſſent, etiam cædibus & incendijs. Jam *Chotuſſicio* imminebat, cùm nuncijs docetur certis, *Georgium* adventare cum copijs, haberéque in caſtris duodeviginti armatorum millia; inſuper *Henricum filium*, cum exercitu alio, ex Sileſia indiès expectari, qui vires ſuas

civitate fruſtra tentatâ, obſidionem ſolvit,

Kutnam versùs progreditur.

Audito demum Georgij adventu valido cum exercitu,

Digitized by Google

ſuas ſecum conjungat, eo animi propoſito; ut ſi occaſio ferat, cum Hungaris de ſumma rerum, collatis ſignis & viribus confligat, atque ità cum æmulo, hoſtéque ſuo controverſiam pro poſſeſſione Regni Bohemici, *Marte judice*, terminet; jámque in planitie, quæ *Kutnam inter & Kolinam* ampliſſima ſpectatur, conſediſſe. Quæ res haud mediocrem animorum commutationem, in exercitu Hungarorum attulit; præſertim cùm nunciarentur venire, etiam Miſnenſium copiæ pedeſtres ac equeſtres, *Georgio* in ſubſidium. Rex tamen, ne de belli eventu dubitare, aut fugæ ſpeciem dare videretur, ſi viâ quâ venerat, rediret, ſiniſtram versùs deflexit; miſsíſque exploratoribus, qui cautiùs præeuntes, nè quid lateret inſidiarum, proſpectarent, per plana camporum ocyùs feſtinavit. Evitare tamen periculum non potuit.

progredi ulteriùs non audet; ad ſiniſtram deflectit:

Jam continuato juſtis paſſibus itinere, ad deſertum *Wilimovienſe cœnobium* ſubſtitit; dum vix benè quiete captâ, accurrunt alij nuncij, *Georgium* jamjam *Czaslaviâ* accelerare cum exercitu, agminibus denſis, referentes. Quare impar viribus, & cum Bohemis peditatu prævalentibus congredi, séque & exercitum in prælij diſcrimen præcipitare nolens, de maturo potiùs receptu, & conſervando exercitu ſeriò cum ſuis conſultare cœpit; ac ne ab hoſtium multitudine, repentino impetu circumveniretur, in proximos montes, quos vulgò ferreos ab officinis ferrarijs nuncupant, ſecedere, séque tantiſper locorum beneficio tueri, ac tandem, ſi fortuna ferat, ijs emenſis, in Moraviam revérti conſtituit. Dúmque eo innixus conſilio iter proſequitur, affertur iterum triſte: ſylvas, per quas eundem eſſet, ipsósque montium aditus, ſucciſſis ingentium quercuum populorúmq; truncis, ab agreſtibus, qui conficiendorum carbonum curam gerebant, præſeptos eſſe; neque ullatenùs patere ingreſſum, obſidente denſiſſimâ arborum concæde. Tantis rerum difficultatibus circumventus *Matthias*, neceſſariò alia pro inſtantis periculi ratione conſilia arripere cogebatur; & cùm videret, ſe eò anguſtiarum perductum, ut alioquin niſi dolo, vel arte evadere non liceat, ad tentandum *Georgij* animum, ſi novis conditionibus, unius vel alterius menſis inducias, aut penitùs inſtaurato fœdere, pacem (ſimulato belli ulteriùs proſequendi tædio) impetrare poſſet, operam omnéque ſtudium convertit.

& accelerato itinere, vitatóque periculo pugnæ, cùm viribus inferiorem ſe ſciret, in Moraviam reducere ſuos inſtituit, Sed et itinere, intra ferreorum montium fauces conclusus, inque grave diſcrimen conjectus, cùm aliter evadere non poſſet,

Itáque *Albertum Koſtkam de Poſtupicz*, partium Georgij ſtudioſiſſimum, quem Hungari paulò ante, dum *Liticium* obſideretur, ex Polonia, quò legationis causâ ad *Cazimirum* miſſus fuerat, reducem, propè *Hradecium* interceperant, huic muneri obeundo deligit, oneratum ſpe ingenti, non modò libertatis conſequendæ, ſed certiſſimi quoque & ampliſſimi præmij, ſi rem ad votum perduceret. Et hic quidem aſſumptis unà duobus præcipuis Hungarorum dynaſtis, quos ei *Matthias* deſtinaverat ſocios, negotij præſentis cooperatores & teſtes, nihil intentatum reliquit, ad reſtituendam inter cognatos Reges pacem: & prout erat eloquio potens, *Georgium* poſt multa exquiſito verborum pondere in medium allata, eò tandem perduxit, ut ad pacem animum inclinaret. Proinde ad Matthiam referri juſſit Georgius: *ſi occupandæ Bohemiæ & Moraviæ conſilia abjiciat, Brunâ atque Olomucio præſidia*

miſſo Alberto Koſtkâ, Georgij conſiliario intimo, nuper à ſuis capto, *MS. Regino-Hrad. ad an. 1468* *MS Anon Litomiſſl.* *Cromer. l. 27.* pacem petit. Georgius pacis quàm belli cupidior;

Nnnnn *dedu-*

deducat, pacta præteriti fœderis renovet, eáque jurejurando & obſidibus firmiet, & ſine maleficio eò unde venerat, revertatur, liberam illi fore abeundi facultatem. Si verò ea facere negligat, ſed curâ belli & inferendæ injuriæ ei potior & præſentior ſit; Regem & Bohemos ejus propulſandi, ſuáque tuendi, eas rationes inituros, quibus nec æqua fœdera aſpernatos eſſe, nec ad arma capienda invitos, aut imparatos deſcendiſſe palam omnibus conſtet. Albertus ad Matthiam reverſus, cuncta quæ petebantur ordine expoſuit; ipſi quoque collegæ Hungari, utpotè qui ſpeculando omnia propè oculis colluſtraſſent, multa de numero, ac omni genere armorum probè inſtructo Bohemorum militum apparatu recenſebant: ità ut Rex & pleríq; duces attonitis ſimiles, nî propoſitas ſibi conditiones ſuſciperent, de ſalute ſua & exercitûs dubitare viderentur.

conditiones proponit: quas ſi Matthias amplecti velit, pacem offert.

Auxit porrò metum fama, *Henricum Georgij filium*, cum ſeptem armatorum millibus ex Sileſia, & *Miſnenſium* auxiliares copias, jamjam appropinquantes nuncians. Diſputando igitur in tentorio Regis, aliqui Hungarorum ferociore magìs quàm opportuno in præſens conſilio, nullâ præſentis periculi ratione habitâ, tranſitum per oppoſitas montium valles noctu tentandum, aut flexo properè ad dextram itinere, *Brodam Tevtonicam* versùs, ac inde *Przibislaviam, Polnámve*, quà humiliores ſpectantur ſaltus, ideóque facilior datur *in Moraviam aditus*, contendendum cenſebant. Alij verò, certis potiùs conſilijs innitendum, quàm fortunæ, quæ plerúmque lubrica & inconſtans eſſe ſoleat, rem committendam, ſvadebant; ideóque paciſcendum cum hoſte viribus & loco ſuperiore, quibuscúnque tandem legibus: modò Regis exercitúsque ſaluti proſpiciatur. Pauci denique erant, qui Regem & exercitum in periculum iniquæ pugnæ, temerè inducendum arbitrarentur; ex Magnatibus verò pleríq; tam de Regis, quàm de ſua ſalute ſoliciti, imminentis prælij eventum, omni aliâ re duriorem fore exiſtimabant: ità ut diu neque exitum conſilijs, neq; certam in eo diſcrimine ſervandi exercitûs rationem invenire potuerint. Ad extremum, poſt multa ultrò citróque agitata, Rex ſuis ductus rationibus, maluit priores ſuper fundanda pace Oratores, ad ſocerum denuò mittere, & conditiones ab eo oblatas ſuſcipere, quàm incerta fugæ vel prælij remedia experiri; id unicum excipiens, ne *Brunâ* & *Olomucio* ſua præſidia excedere teneantur, donec civibus, ſeceſſionem factam non fore damnoſam, abundè caveatur.

Henrici ex Sileſia adventantis fama, Matthiam ad tranſigendum ocyùs, eò magis urget. Hungarorum quidam à pace alieni; alij ſaniora conſilia ſequuti, ad pacem, quocúnque tandem modo ineundam inclinati. *Daubr. l. 30. Cromer. lib. 27. Miechov. lib. 4. cap. 68.* Pax inter Matthiam & Georgium, moderatis utcúnq; conditionibus inita, *MS. Hiſtor. Roſenſ. f. 131. & ſequ. in Joanne Roſenſ. Theobald. in Huſſiticis part. 3.*

Fœderatâ in hunc modum pace, & *Matthiâ* in Moraviam, *Georgio* in Bohemiam, ad ſedandos inteſtinos motus, quos adverſæ factionis proceres, ac imprimìs *Hazmburgenſes, Guttenſteinij, Kolovvratai, Schlikij, VVrabſkij*; ultimò etiam *Joannes à Roſemberg*, antea ſemper Georgio fidelis, concitabant, regreſſis, bellum inter cognatos Reges tum ſtatim finiendum videri poterat: ſed paulò poſt, vix tridui exacto ſpatio, causâ ab Hungaris, *agrum Polnenſem* plusquàm hoſtiliter vaſtantibus, datâ, præter omnium expectationem recruduit. Quippe *Henricus*, qui inter hæc cum quatuor duntaxat millibus peditum, & equitibus ſexcentis *Zdiaram* venerat, inſolentiam

ſed non diuturna, Hungarorum obvia cuncta hoſtiliter, ut ante, devaſtantium, culpâ. *MS. Anon. Prag. Trebic. Peruſt.*

hanc

hanc perfidiæ conjunctam deteſtatus, poſthabito omni ſuper ictæ pacis fœdere reſpectu, ſiquidem manifeſtè committebantur contraria pactis, vim vi retundendam ſuſcepit; turmámque unam hoſtium incautiùs excurrentem, & aviditate prædarum ad *VVeſelium* vicum usque, ſeſe effundentem, ex improviſo irruens, totam penè oppreſſit, paucis pernicitate equorum â cæde vel captivitate exemptis. Hinc exacerbati in novum bellum partium animi.

Bellum recrudult.

Sunt quidē, qui ſcribant, *Matthiam* in tractatione pacis, quò faciliùs ſe præſenti eximeret periculo, promiſiſſe *Georgio* certam auri ſummam; dúmq; promiſſa exequeretur, arculam impleviſſe arenâ, & ſupernè tantùm appoſuiſſe aureos aliquot, sicque clauſam ad *Georgium* miſiſſe. Quod cùm ille tanquàm factum perfidum, Regéque indignum deteſtaretur ſcripto, *Matthiam* reſpondiſſe: *nulli Hungaro eſſe credendum, niſi habeat tertium oculum in fronte.* Sed his ego præſtare fidem nolim: neque enim impoſtura hujusmodi, & tam gravis ſoceri illuſio cadere potuit, in Principem, magnitudine animi, prudentiâ, generoſáq; indole inſignem, & claritate nominis, non niſi quæ â virtute ac glorioſis geſtis eſſet parta, cupidum. Citiùs id per aliquem regium miniſtrum, inſcio Rege, contigiſſe, & offam talem *Alberto Poſtupicio* oblatam eſſe crediderim: cui honorarium, rei benè transactæ præmium, fuiſſe promiſſum, ſuprà meminimus. Iſtud certum; *Georgium* poſtea, datis ad *Nicolaum Cziupor*, ſeu *Czobor de Monosle, VVeyvvodam Tranſylvaniæ*, ſupremum tunc exercitûs *Matthiæ* ducem, alióſque Proceres Hungaros, literis, hanc *Matthiæ* inconſtantiam, pluribus deteſtatum fuiſſe, præſertim verbis iſtis: *Notum omnibus eſt, cùm apud VVilemovv ſtaret, an nobiscum prælium inire voluerit? Nam cinctum ſe undique videns, omnia nobis promiſit: quem nos propter tot promiſſa, velut è manibus noſtris emiſimus cum exercitu. At ille, nihil eorum, quæ promiſerat, poſtea ſervavit.*

Haget. ad an. 1468.
Stransky in Rep. Boh. c. 16. §. 5.

Dolus, qui imputatur ab aliquibus Matthiæ, refellitur: Koſtka deceptus ab Hungaris.

Georgius tamen hanc Matthiæ animi levitatem deteſtatur, datis ad Hungarorum præcipuos literis.
MS. Cod. lit. publ. pag. 736.

Itâ exaſperatis novâ injuriâ partium animis recruduit bellum: & quia *Henricum* retrahebant in Sileſiam nuncij graves, occupatam â Wratislavienſibus *Franckoſteinam* indicantes, *Victorinus* curam Moraviæ ſolus agens, vim hoſtium ægrè ſuſtinere valuit: cùm nulla tam facilè ex Bohemia affulgeret auxiliorum ſpes, *Georgio* cum rebellibus, quibus nova *Crucesignatorum* acceſſerant auxilia, bello gravi diſtento. Unde accidit, ut *Matthias*, paucos intra dies, totam ferè *Moraviam* victricibus percurrens armis, obvia ex itinere cuncta negotio facili in poteſtatem redigeret; *Hradiſtienſi civit.* & *Spilbergâ*, *VVeverzio*, *Raczicio*, *Cymburgo*, *Helffenſteinâ*, *Lukoviâ*, *Brumoviâ*, & *Buchlovio*, caſtris, quæ ob ardui loci ſitum expugnatu difficiliora erant; itémque *Hradiſtienſi propè Olomucium cœnobio*, quod validiſſimo Bohemorum præſidio tenebatur, exceptis; quamvis non multò poſt etiam *Spilberga* ob neceſſariorum penuriam deditionem fecit. *VValachorum* deinde motu retractus in Tranſylvaniam *Matthias*, ſpatium reſpirandi, & loca quædam recuperandi, *Victorino* dedit.

Victorinus impar viribus ad reſiſtendum.

Matthias potiora Moraviæ loca in poteſtatem redigit:

Spilberga deditionem facit.
Thuroc. in Chron. Hung. part. 4. c. 66.
Ens rer. Hungar. ibl. 4. an. 1468.
Cromer. lib. 2. an. eod.

Inter hæc *Cruceſignati milites* per confinia Bohemiæ, ab omni penè Regni parte, graſſabantur, prout anno præterito, immaniter. Sunt mihi præ-

manibus duo coævi Scriptores, teſtes locupletiſſimi, quia oculati: hi acta illorum fuſiſſimè deſcribunt, ſed quos legere, absque horrore, nunquam poſſum. Quidquid cladium unquam, quidquid vaſtitatum, cædium cruciatuum, & tormentorum Chriſtianæ Religionis hominibus, â Turcis & Tartaris, aliíſque barbarici nominis gentibus, illatum fuerat; id certè â crudeliſſimis iſtis hominibus, in obvia quæque incredibili prorſus impietate ſævientibus, haud prætermiſſum eſt. Durârunt tam immanes ac truculentæ illorum per oppida, pagos, per campos, ſaltus & montes, per invia denique ac pervia graſſationes, primò per totum ferè *Junium menſem*, & ſecundò per partem *Septembris*; ijs ſcilicet temporibus, quibus ùt plùrimùm *Matthias Georgio* negotium faceſſebat.

Cruceſignatorum per Bohemiam crudelitas ingens:

Donec tandem ex Nobilitate quidam præcipui, & ex civitatibus regijs promptiſſimi quique, ab una parte *Joannes Haſſenſteinsky de Lobkovicz*, & *Beneſſius junior de VVeitmille*, cum *Zatecenſibus Launenſibúsque*; ab altera *Wilhelmus Sſvvibovvsky* & *Paulus Janovvsky* cum *Suſſicenſibus*, *Klatovienſibus* & *Domazlicenſibus*, odio ingenti, ac vindictæ cupiditate incitati, ad arma concurrerunt, & maleficentiſſimum hoc latronum genus iteratâ clade repreſſerunt. De illis, qui *Klatovienſem* regionem infeſtabant, *Stransky* habet iſta: *Signati iſti prædones, poſteaquàm crudelitate plusquàm Scythicâ plebi miſeræ, inermi ac innoxiæ, tempore aliquanto graves fuiſſent, ad Negirzskum â regijs ſunt fuſi ac profligati, anno 1468.* De alijs, *Fabricius* in Originibus Sax. lib. 7. ad annum eundem ſcribit. *Militum volonum ingens multitudo, vel religione, vel ſpe prædæ Norimbergâ, Erfurdiâ, Magdeburgo, VVratislaviâ coierat, & in Bohemiæ finibus non ſine maleficio graſſabatur: ſed quia duce illuſtri carebant, nec tormenta habebant bellica, prædam non retinent, & paſſim in itineribus & ſylvis opprimuntur. Nec evaſiſſet ex ijs quisquam, niſi Fridericus Schonburgius Miſnenſis, ſtirpe ingenuâ ortus, aliquot ſigna collecta reduxiſſet in Patriam.*

ad quam coercendam, quidam ex Bohemis, Patriæ amantiores ad arma concurrunt;

Stransky in Rep. Bob. c. 16. §. 5.
Fabric. Curant.
eósque reprimunt.

Clariùs porrò de iſtis refert, unus ê præmemoratis duobus Scriptoribus Anonymis, quos me habere dixi. *Narravit mihi*, inquit, *D. Joan. Haſſenſteinsky, quòd ſub id tempus Capellanus ſuus, quem habebat â Sacris, homo ſubleſtæ fidei, occulta cum Tevtonibus Cruceſignatis habens commercia, ac ultimò nec ſalutato hoſpite diſcedens, ijs adhæſerit; & ad Przizeznicium oppidum, quod tunc ex opulentioribus erat, occupandum eos incitârit induxeritque, vijs & compendijs ad hoc opportunis, ijs oſtenſis, quibus illud tanto faciliùs, & pauco labore vel nullo, in poteſtatem ſuam redigere poſſent.* Verùm oppidani maturè, ac incertum unde, de periculo edocti, res ſuas omnes, jumentis ſolùm domi relictis, ad templum compoꝛtârunt, illúcque, dum hoſtes imminerent oppido, & ipſimet confugerunt cum uxoribus & liberis: & quia locus erat pro defenſione utcúnque idoneus, tentantibus inſultum ſtrenuè reſtiterunt. Hoc igitur cognito *D. Joannes*, ad cujus ditionem pertinebat oppidum, quanquàm potiore ſtipendiariorum ſuorum parte, aliò paulo ante miſſâ, deſtitutus fuit; præſenti tamen animo, cæteros omnes, qui domî (in caſtro

MS. Anon. Reginobmā. ad an. 1468.
Inter alios Proceres Regni, erat Joannes Haſſenſteinius â Lobkovicz,

qui illos repreſſit;

caſtro *Liczkovv*) erant relicti, extemplò convocavit: ac præter vicinos aliquos Equeſtris Ordinis viros, ſibi probè fidos, agreſtium etiam hominum, tum ex ſua, tum ex aliorum ditionibus, haud contemnendam manum, more militari inſtructam, pro poteſtate ſua, quâ tunc fungebatur, *Popravvko*, id eſt, *Præfectus*, ſeu, ùt nunc vocant, *Capitaneus illius diſtrictûs* conſtitutus, ad ſe venire juſſit. *Beneſſio* quoque juniori, cognomento *Krabice*, ſicut & *Zatecenſibus*, qui armatos habebant ſemper in promptu, ut ſe quantocyùs ſequerentur, conventuri omnes apud *Kadanam*, ſignificavit.

unà cum Beneſſio de VVeitmile, & Zatecenſibus:

Cùm deinde conveniſſent magno numero, die quodam Dominico ſub veſperum, propè *Kadanam*, in eo loco, ubi nunc ſtat *monaſterium Franciſcanorum*, conſultabant, num eâdem adhuc nocte iter proſequi, hoſtémque nihil tale opinantem ſubitò aggredi; an verò in ſequentem diem differre, datâque ſuis per noctem quiete, manè demum eò citiùs celeriúsq, deſtinata peragi expediret? *Haſſenſteinsky* negotium rei gerendæ totum in celeritate poſitum videns, omnino exiſtimabat, poſthabitâ omni morâ, etiam intempeſtâ nocte, ſilenti greſſu continuandum iter: hâc ratione enim poſſe opprimi, atque etiam internecione deleri hoſtes, ſi invadantur priùs quàm ipſis periculum innoteſcat. Cujus ſententiæ *Zatecenſes* conſentiebant, & omnem vel unius horæ moram tollendam, itérque *Prziſeznicium*, juſtis paſſibus ſuſcipiendum ſvadebant. Unus *Beneſſius*, audax alioquin & fortis, differendum iter ad diluculum usque arbitrabatur; tum ut militi jam antea feſſo daretur per noctem requies, quò demum alacrior ad fortiter audendum agendúmque evaderet; tum quòd metuendum eſſet, ne avidâ nimis feſtinatione, & præſertim nocturno tempore, quo incerti ſunt caſus, in inſidias aliquas præcipitarentur. Tutioribus potiùs conſilijs & rationi innitendum, quàm fortunæ, quæ ut plurimùm maligna ſit, rem committendam. Juſſi itáque omnes curare corpora, & quieſcere, ac poſtea circa quartam noctis vigiliam ad profectionem parati eſſe. Interea *Tevtonici* reſcientes per exploratores ſuos, de *Bohemorum* adventu, providere ſibi in tempore non dubitârunt: móxque eâdem nocte, tecti tenebris, miro ſilentio, relictis etiam curribus impedimentísq;, in vicinos montes, *Svvarczburgum* versùs, per notos ſibi tramites profugerunt. Unde factum, ut poſtea advenientes Bohemi neminem in oppido invenerint, niſi puerum quendam: cujus vitæ propter ætatem pepercerunt quidem, ſed crucem rubram, quam geſtabat veſti inſutam, vi detractam devorare coëgerunt. Quod etiam alijs pluribus, quotquot impoſterum deprehendere poterant, faciebant; ſi quis renuebat, illum ſtatim neci dabant: non pauci, dum talis particula panni, magnâ vehementiâ, & ſummi cum vi, ipſis intruderetur in os, præcluſo ſpiritu fuêre ſuffocati. Huc usque ille.

qui ſi accelleraſſent paulò citiùs, delere illos potuiſſent ad internecionem usque.

Crucesignatorum fuga ex Bohemia.

Captivi ex illis cogebantur devorare cruces.

Idem quoque memorat, *Zdenkonem Koſtkam* (is erat Zdenkonis quinquiennio ante Guttenbergæ fulmine tacti & interfecti filius, Alberti cujus ſupra meminimus nepos) cùm *Litomyſſlio* in Moraviam, adjuncta ſibi regiorum quoque militum, quos *Joan. Borzek de Dobalicz* ductabat, validâ manu, incautiùs quàm pro diſciplina militari debebat, excurriſſet, in pago

Zdenkonis Koſtkæ clades in Moravia.

 quo-

Digitized by Google

quodam *Zabrzebum inter & Schumbergam*, â *Joanne de VVrbna*, & *Joanne de Sovvinecz*, qui partes *Matthiæ* ſequebantur, inſidijs exceptum, & cum majori ſuorum parte cæſum interfectúmque. Meminit hujusce cladis, etiam *Adalbertus â Pernſtein*, in ſuo Tractatu de Huſſitarum motibus per *Bohem. & Moraviam:* additque *Zdenkonem* potuiſſe hanc cladem evaſiſſe, ſi *Dobalicio*, ac cæteris ductoribus, quibus aliquid de imminenti periculo innotuerat, ſvadentibus, ut in tutiora loca retrocederent, obtemperare voluiſſet; ſed juvenili & ſtolidâ ſuperbiâ, ac hoſtium contemptione, eò ſeſe & alios præcipitâſſe, ut ab hoſte magno numero, & de repente, â tergo & fronte circumdatus, cæſúsque temeritatis ſuæ pœnas jure merito dediſſe videatur. *Dobalicius* tamen pernici uſus equo cladi ſuperfuit, relictáque prædâ omni cum aliquot curribus, in tutum evaſit. Cæſi ex regijs LXXXVI. capti LXII. reliqui hinc inde diffugêre. Sed neque victoribus absque damno & ſanguine hæc victoria ſtetit, ex quibus deſiderati triginta duo; plures læſi, ac inter alios *VVrbna*, qui accepto gravi in femur vulnere, & equo, quo vehebatur etiam ſaucio, ac ſuccumbente, â ſuis citò exceptus, vix evaſit. Cædem *Zdenkonis* ægerrimè ferens *Albertus patruus*, qui *Landskronam* tunc & *Treboviam Moravorum* tenebat; eámque ulciſci volens, *Dobalicium* non minùs vindictam ſpirantem, & *Georgium Odkolek*, virum audacem, ac ſibi imprimìs fidum, cum valida manu militum, contra *Sovinecium & VVrbnam* miſit, eorúmque ditiones hoſtiliter vaſtare ac populari juſſit. Quod illi haud impigrè exequuti ſunt; & profligato *Sovinecio*, priusquàm *VVrbniani* ſeſe adjunxiſſent, in obvia quæque crudeliſſimè graſſati, ditionem ipſius totam rapinis, ferro & igne defædârunt plusquàm hoſtiliter; ità ut ſupra abactos pecorum greges, abductis etiam nonnullis opulentioribus captivis, non onuſti tantùm prædarum cumulis, verùm expleti prorſus, domum redierint.

quam aliàs vitare potuiſſet, ſi alijs ſalutaria ſvadentibus obtemperare voluiſſet.

Albertus Koſtka cædem Zdenkonis ulciſcitur ferociter.

MS. Pernſt.
MS. Litomyſſl.

Nova regiorum in Moravia clades,

Nec multo poſt, (narrat idem *Pernſteinius*,) nova ſucceſſit regijs illata clades. Poſt diſceſſum *Matthiæ* in Hungariam ad hyberna, *Chvval de Rziczan*, qui *Evanczicium* præſidio Georgij tenebat, vir alioquin cautus & ſagax, ſed tum infælix, aliquid tentandum ratus, ac potiſſimùm *Pertholdo de Kravvarz*, qui ad *Matthiam* tranſierat, iratus, in proximam ipſius *ditionem Roſicenſem* hoſtilem in modum excurrit, agrôsque longè latéque vaſtare cœpit, ultimò etiam *caſtello Roſicenſi* vim intentans. Cujus expugnationi dum totis incumbit viribus, & neſcio quàm ſecurum ab incurſione hoſtium ſeſe putat, advolat ex improviſo *Pertholdus*, cum *Georgio fratre*, & ſat valido armatorum numero; móxque *Chvvalum* nil tale opinantem, ſummo cum impetu, magnóque ſublato clamore invadit. Non deſpondit tamen animum *Chvval*, ſed ut in eo ſubito caſu potuit, obversâ fronte, & ſuis ad pugnandum debitè ordinatis, reſtitit fortiter, adeò ut *Kravvarzai* infeſtam ſibi fortunam conſpicati loco cedere, pedêmque referre cogerentur. Sed ſpatio temporis brevi, accurrentibus *Brunâ* duabus cohortibus peditum, & *unâ Hungarorum equitum haſtatorum turmâ*, recruduit certamen: quod *Bohemi* tametſi pauciores numero, ſed ab una parte curribus præſepti, ab indéque ſecuri, pari ferè & æquato

temeritate Chvvali de Rziczan contracta.

Pugna atrox, Moravis, qui pro Matthia ſtabant, prævalentibus.

æquato virium ſucceſſu, ſatis diu ſuſtinuerunt. Ultimò tamen, poſtquàm nova ex agreſtibus collecta manus, & ex caſtello etiam promptiſſimi quique ſubſidio ſuis acceſſiſſent, vacillare perturbaríque cœpêre, ità ut paulo poſt diſſipati, vim hoſtium nequaquam ampliùs ſuſtinere potuerint. In ea prælij iniquitate *Puta de Pabienicz* (Woracziczkianæ Familiæ) unius cohortis præfectus, complures ex ſuis à fuga retraxit, ínque unum conglobatos, acrioribus verborum ſtimulis, ad redintegrandam pugnam accendit; unde nonnihil recruduit Mars: ſed prævalentibus numero & viribus adverſarijs, loco moti, ac demum ſolutis ordinibus perturbati & disjecti, in fugam quoque ſeſe proripuêre. Nonnulli, qui nihilominùs acriùs pugnando reſiſtebant, obtruncati: *Chvval* haſtâ per adverſum pectus adactâ graviter ſaucius, ac vulnere etiam in caput accepto, in Hungarorum poteſtatem venit. *Puta* cùm videret ſe à fortuna deſeri penitus, conſcenſo properè equo, quem unus ex familiaribus ei obtulerat, in tutum ſe recepit. Cæſi feruntur plures quàm centum; ac totidem fere capti, inter quos præcipui nominis, præter *Chvvalum*, erant: *Joan. Borzita, è VVrſſoveciorum Comitum nobiliſſima Familia originem ducens, Joan. Zabradeczky, Petrus Dubsky, & Zich de Popuvvek.* Hâc geminata regiorum clade, non pauci *ex Nobilitate Morava* territi, & quidam etiam novarum rerum ſpe, & exinde novâ majorum dignitatum divitiarûmque acceſſione illecti, *à Georgio in partes Mattbiæ* (pleriq; autem non ſine fluxæ fidei nota) conceſsêre. Recenſet aliquos *Pernſteinius*, & primo quidem loco avum ſuum *Joannem*, patruúmque *Wilhelmum*, *Ctiborium* item *de Landſtein & Svvietlovv*, *Jaroslaum & Tobiam fratres Bozkovicios*, *Hanuſſium de Lichtenſtein & Niclſpurg*, *Carolum de Wlaſſim*, antea Georgio à ſecretioribus conſilijs intimum, *Wankonem de Kaunicz*, *Marquardum de Lomnicz*, *Joannem de Zierotin*, *Joannem de Zaſtrzizl*, & quosdam alios.

Putæ VVoraczicskij virtus.

Chvval occiſus, & plures alij.

Novæ in Moravia ad Matthiam, Procerum acceſſiones.

quorum nomina recenſentur.

Eodem anno, menſe Novembri, *Fridericus Imp.* jactâ *Bohemos inter & Hungaros* belli aleâ, & per hoc, tum etiam ob fœdus cum *Matthia* initum, res ſuas per *Auſtriam* ſatìs jam quietas videns, iter ſecundò *Romam*, devotionis gratiâ ſuſcepit. Haud ingratum lectoribus me facturum exiſtimo, ſi de hoc ipſius itinere, ex Commentarijs *Jacobi Cardinalis Papienſis*, viri præſtantiſſimi, aliquid fuſiùs diſſeruero; cùm neque ab inſtituto prorſus alienum id videatur, utpote conjunctum bello recèns moto, & *Moraviæ ut plurimùm calamitoſo*, quod Imperator non alia de cauſa procuravit, niſi ut *Georgio, & Bohemis Moravisque* negotium domî faceſſeret, *Auſtriam* ab eorum infeſtatione ſecuram redderet, ac interim ipſe, ſeclusâ omni bellorum curâ, *Romanum iter* proſequeretur.

Fridericus Imp. Romam ſecundò petit:

Commentari lib. 7.

Calendis igitur Decembribus (ùt Papienſis narrat) cùm nunciatum eſſet Romæ, *Fridericum Imp.* in Italiam deſcendiſſe, voti ſolvendi causâ, converſus *Pontifex* ad ejus ſuſcipiendi curam, *unum ex Secretariorum ordine*, quàm longiſſimè ire obviam juſſit; cum mandato, ut crebris nuncijs de ratione viæ, & cæteris quæ cognoviſſet, quæque agerentur diebus ſingulis, ſine morâ ſignificaret. Inde *quatuor ex diverſis nationibus Epiſcopos* deſignavit, *Judicésque*

cui Pontifex obviam mittit, primò Secretarium primarium,

que

deinde Epiſcopos, ac tandem duos Cardinales.

que Rotæ duos, & conſiſtoriales advocatos totidem: qui Secretario ſuccedentes, ſecunda ſalutationis officia exhiberent. Denique delegit Cardinales, *Wilhelmum de Eſtotavilla Gallum, Rotomagenſem dictum, Epiſcopum Oſtienſem*; & *Franciſcum Picolomineum Pij II. nepotem, Diaconum tit. S. Euſtachij:* qui præſtarent tertia; non tamen ultra bidui viam progrederentur. Ingreſſum deinde in urbem deſcribit ſpeciatim, idem *Papienſis:* quòd, ùt ait, ejusmodi ſolemnitas, neque ex Cæremonialibus libris, neque ex omni Hiſtoria reperiri tunc poſſet; quippe aliter, dum Coronam petit, aliter dum privatæ rei causâ venit, accipi debeat Imperator.

Romam venit, Templum ingreditur: vota exſolvit ſua. quieſcit:

Romam venit, provectâ jam *nocte Natalis Domini*, circa horam noctis quintam, cùm jam Pontifex, in Eccleſia *ſacrum Matutinum* inchoâſſet: nihilque moratus, rectà templum cum toto ſuo comitatu petijt: ubi â Pontifice ad oſculum pedis, manûs & oris admiſſus, in propinquo throno, *Pontificem inter & Cardinales* conſedit, ad usque Miſſæ finem. Quâ finitá, *Diaconi Cardinales duo*, ad altare eum deduxerunt: ad cujus ille primum gradum in genua procidens, tam diu in oratione perſeveravit, donec & votum, abſolveret, & divinæ preces ſuper eum â Pontifice recitatæ abſolverentur. Inde in cubiculum & quietem ductus.

ad Templum revertitur; Evangelium de edicto Cæſaris, in officio Diaconi canit: SS. Euchariſtiam ex manibus Papæ accipit:

Paulò ante diluculum redijt ad Eccleſiam, ad ſecundum Sacrum, quod ſolemnius celebratum eſt; enſémque tunc â Pontifice benedictum accepit, quem armigero adſtanti tradidit. Et camiſeo, ſtolâ & pluviali ornatus, inter duos Cardinales Diaconos, *Evangelium lectionis ſeptimæ cantavit*, lectionem ipſam eorum alteri proſequendam relinquens. Manè tertij Officij tempore, Miſſam *Pontifex* celebravit: in qua poſt Communionem ſuam, Euchariſtiæ partem, in hoc ipſum ſervatam, Imperatori porrexit. Poſt ſacrum, & oſtenſionem Sudarij Domini, Pontifex benedicens plebi, quæ innumera convenerat, ſummam peccatorum veniam impertijt: admonitáque turbæ â Diacono Cardinali, ut acceptæ hujus gratiæ, memores, *pro Romana Eccleſia, & Pontifice* ſuo orarent. Additum: & *pro Friderico Imp. noſtro*, ut contra infideles, gentémque hæreticam, divinum ei ſemper ſubſidium adſit.

cum Papa & Cardinalibûs conſultat, *MS. Pernſt. ad an: 1468. MS. VVrzeſowec. MS. Anon. Litomyſſl.* de Reip. ſalute, & bello contra Turcas ſuſcipiendo:

Quarto poſt die in Conſiſtorium veniens, quod dari ſibi ob publicam cauſam popoſcerat, quùm unà cum Cardinalibus, *Hungariæ & Cypri Regum, Venetorúmque legati:* multi præterea ex Germania Comites & Barones, adeſſent; (Invenio cum Imperatore tunc fuiſſe etiam Bohemos; *Joannem de Novadomo, Jaroslaum â Sternberg, Beneſsium Liebſteinsky de Kolowrat, Nicolaum de Lobkovicz*; & Moravos: *Stephanum de Lichtmburg, Henricum de Lichtenſtein, & Carolum de VVlaſsim*) per Laventinum Epiſcopum, Rudolphi ſucceſſorem, itineris ſui cauſam propoſuit: tam videlicet ad reddendum Deo votum, quàm ad inquirendum modum providendi ſaluti Chriſtianorum adversùs Turcas; ſæpe âſe, pluribus in Germania conventibus quæſitum, & inventum nunquam.

& proponit quædam;

Ad quæ Pontifex, tam ſe, quàm Anteceſſores multùm in eo laborâſſe, fruſtráque fuiſſe omnia reſpondit: ſi quid porrò conſilij melioris haberet Imperator, ut exponeret. Qui poſt conſultationem

cum

cum Legatis, & proceribus ſuis habitam, proponi juſſit: in tanta conſiliorum inopia, ſe nihil melius invenire, quàm ut *Conſtantiæ*, quæ Germaniæ civitas eſſet *Italiæ* propinqua, conventus Principum indiceretur; ad quem Pontifex & Imperator accederent, & reliquos omni diligentiâ convocarent. Quod cùm Pontifex, præteritorum exemplo, inutile futurum oſtendiſſet, poſt alias ſubſequentes conſultationes, duo unanimi conſenſu ſunt conſtituta: primum, *ut literæ ad Principes ſcriberentur utriúsque nomine, quibus ad Cal. Nov. anni venientis, legatos ſuos Romam mittere rogarentur, de ſalute Reip. Chriſtianæ cum Pontifice acturos.* Alterum, *ut Venetis diuturno cum Turcis bello exhauſtis, decimæ Clericorum, vigeſimæ Hebræorum, & Secularium trigeſimæ, in ditione ſua concederentur*; quales decreto Mantuano, *Pius II.* olim Italis quibúsque indixerat. Nec multo poſt Imperator, cùm totos ſeptemdecim dies Romæ manſiſſet, *in Germaniam* reverſus eſt, multis interim â Pontifice officijs & muneribus, gratiisque ſpiritualibus honeſtatus; adeò ut etiam quamdiu *Romæ*, atque in reditu *intra ſtatum Eccleſiaſticum* fuit, victum ſe, & comitatu, qui ſexcentorum ampliùs equitum extitit, largiſſimum acceperit. Hæc *Papienſis* pluribus, teſtis oculatus.

quæ tamen Pontifex minimè probat.

Duo tandem concluſa.

Imperator in Germaniam redit.

Anno 1479. nondum æquinoctio veris transacto, *Matthias* cum quinque millibus peditum, ac 10000. equitum, cúmque tormentis aliquot muralibus, & apparatu ad oppugnanda munimenta idoneo, quem ex Bavaria ab *Ottone Palatino Neoforenſi*, miſſum acceperat, denuò *in Moraviam* movit; ac primò *ad Hradiſſtium* ſubſtitit, arbitratus poſſe evenire, ut oppidani adventu ſuo, ac oſtentatis tantùm copijs, & machinis perterrefacti, ad deditionis conditiones, ac tradendum oppidum compellantur. Præerat oppido *Gerardus Obeſſlik*, vir Equeſtris Ordinis, reíque militaris peritus, fortis & impavidus, ſed ingenio ſuſpicaci, cum trecentis & quinquaginta armatis, præter cives. Is adventantibus Hungaris, & muros ſubinde petentibus, majorum ſcloporum ictibus paratò reſpondit; cúmque duo cives apud eum delati eſſent, quòd cum hoſtibus colluderent, ſolíque duo inter ſe ſecreta conſilia crebrò miſcerent, rapi utrúmque, & ſine mora, in publico Foro, abſciſſis cervicibus tolli juſſit. *Matthias* per triduum in ſiniſtra *Moravæ* ripa, ad vicum, qui *Marzaticium* dicitur, cum copijs conſedit, extructóque propiùs ad urbem aggere, minoribus colubrinis muros quati juſſit: ſed nullo ferè illato incommodo. Tandem cùm ab *Gerardo* oppidi deditionem, nec minis, nec terrore tormentorum exprimere poſſet, flumen quoque auctum aquis adeò turgeret, ut extra margines longè latéque effunderetur, interminatus ſe poſt breve temporis intervallum, majoribus viribus, ac majori ejus expugnandæ apparatu rediturum, dignásque contumaciæ pœnas de eo, & cæteris ſumpturum, *Lukoviam* versùs diſceſſit: quod caſtrum biduo poſtquàm obſidere cœpiſſet, dedentibus, haud ſine proditionis nota, propugnatoribus, ſuæ poteſtatis fecit. Inde cognito *Walachos Tranſalpinos*, rurſum novos concitare *in Tranſylvania* motus, partem copiarum, ad *Emericum Scepuſienſem*, cui *Tranſylvania*

Matthias Hradiſtium obſidione tentat, 1469.

cui Cives ſtrenuè reſiſtunt.

Præfectus urbis duos cives ſuſpectos è medio tollit.

Matthias civitatem oppugnat;

ſed irrito conatu:

obſidionem ſolvit:

Lukoviam proditione accipit, ac inde miſsâ copiarum parte contra VValachos,

Cum reliquis Olomucium venit.

curam commiſerat, ocyùs properare juſſit, duce *Petro Gerebo*, propinquo ſuo; reliquos *Olomucium* duxit.

Georgius Litomyſlij agens,

invitatur à Matthia ad colloquium, & pacem.

Venerat ſub id tempus etiam *Georgius* Litomyſlium: quâ occaſione nonnulli ex *Optimatibus Bohemis & Moravis*, avertere tot ac tantas dilacerationes *Patriæ*, & mutuas civium lanienas fideliter conati, laborare omnibus viribus & ſtudijs cœperunt, ut *inter duos potentiſſimos Principes*, pax & amicitia redintegraretur; re tandem eò usque deductâ, ut *Matthias*, interpoſitâ fide publicâ, ſocerum ad mutuum colloquium, quo inter ſe de controverſia omni tranſigerent, *Olomucium*, ad diem 4. Aprilis invitaret. Verùm *Georgius*, propter Epiſcoporum, quos *Olomucij* adeſſe non ignorabat, adverſa ſtudia, venire eò recuſans, *Sternbergam* vicinum oppidum conventioni delegit, eóque cum filijs *Victorino & Henrico* venit. Ibi duo Reges in prædio ſuburbano, ſemotis arbitris, diu collocuti (Cromerus apud villam *Orſiciam*, propè Olomucium conveniſſe ait) inducias ad unius anni exitum pepigêre, ut interea de conditionibus perpetuæ pacis agi poſſet. Excluſum tunc ab inducijs *Cæſarem* volebat *Georgius*, & *Matthiam* avertere penitùs ab amicitia ejus & fœdere; eo præter alia ad perſvadendum argumento uſus: *Cæſarem* nil aliud moliri, quàm ut alterutram factionem foveat, alátque tantiſper Regum controverſias; quò demum ſecurior, attritas mutuis cædibus & jacturis amborum vires, ipſe hactenùs ocioſus ſpectator, ſubitò invadat, & depreſſis earum reliquijs, Regi utrique legem imponat, aut prorſus ſceptra regia arripiat. Verùm *Matthias* in data Cæſari fide perſiſtere maluit. Ità tunc quidem ſpecies aliqua futuræ tranquillitatis publicæ apparuit; ſed quæ ad ſolidam pacem non pervenit, brevì deſijt. Interea *Georgius* in Bohemiam, *Matthias* Olomucium, reverterunt. Hunc *Victorinus & Henricus*, confiſi recentibus induciarum pactis, & digno ſe ipſis officio ſuſcepto, Rege patre licèt id magìs diſſimulante, quàm approbante, in urbem usque comitati ſunt.

Regum Matthiæ & Georgij, Sternbergæ in Moravia, colloquium:

& induciæ annuæ,

Epiſcoporum inſtinctu, à Bohemis numero paucis, Matthias Olomucij Rex Bohemiæ declaratur, an. 1469.

VVeleslaß. ad d. 3. Maji. Curæus in Annal. Sileſ. Borek. in Chron. Boh. Theobald. part. 3. c. 18.

qui primò tergiverſabatur: poſtea conſentit, & ſeſe pro more juramento obſtringit.

At verò Epiſcopi (hi erant, *Protaſius Olomuc. Laurentius* Legatus Pontificius; *Rudolphus*, antea *Laventinus*, modò *Wratislavienſis* Jodoci mortui ſucceſſor, & *Joannes Varadinenſis*) nullam de pace ineunda cum hæretico mentionem admittere volebant; quin potiùs multis rationibus in medium adductis effecêre, ut *à Proceribus Bohemis & Moravis*, qui *Georgij imperium* detrectabant, & qui tum temporis *Olomucij*, parvo licèt numero, aderant, *Rex Bohemiæ, & Marchio Moraviæ* renunciaretur. Diu primùm ille obnitebatur eorum votis, ùt quibus ſolis Regem legere, præcipuè verò Epiſcopis, pro arbitrio obtrudere, minimè per leges liceret; adeóque oblatam ſibi regiam poteſtatem, nec diu duraturam, nec apud poſteritatem (utì poſtea evenit) locum inventuram; tum etiam, quòd inducijs cum *Georgio* recenter pactis prohiberetur: perſvaſus tamen ab Epiſcopis, fidem hæretico nequaquàm ſervandam, unâ voce affirmantibus, & tantùm non clamantibus; & quia placari poſſe *Georgium*, qui ſibi ſpem ſucceſſionis in colloquio fecerat, arbitrabatur, Regnum accepit die 3. Maij, móxque ritu ſolenni, digitis in codicem Evangeliorum impoſitis, dominaturum ſe juſtè, ſine ullius violentia pro-

feſſus

Digitized by Google

ſeſſus eſt, *Victorino & Henrico*, contra quàm ſvaſiſſent aliqui, qui ipſos detinendos, eòque modo *Georgium*, cujus ſpes omnes ex filijs penderent, ad extrema adigendum, cenſebant, ad patrem remiſſis. Sunt qui Matthiam Regem Bohemiæ declaratum, etiam coronatum ab Epiſcopis fuiſſe perhibent. *Sed quâ coronâ uſi ſunt*, (quærit Balbinus) *qui Matthiam Regem Bohemiæ coronabant? Nam Regni Bohemiæ Coronam habebat in poteſtate Georgius, eámque in munitiſſima arce VVorlik diligentiſſimè ſervabat. Paulus Zidek Epiſcopus Litomiſſl. deſignatus, qui eâ tempeſtate vixit, narrat (quod nusquam alibi legi) ex Templi cimelijs Regalia pro coronatione Matthiæ ſumi debuiſſe: ac nominatim Coronam & ſceptrum ex Statua Dei Matris, quæ Brunæ in Templo S. Jacobi magnâ religione colebatur, allata fuiſſe. Eadem habet de Corona ex Effigie Divæ Virginis detracta, Henelius: ſed Coronationem Brunæ eſſe perfectam affirmat; cui prope eſt, ut ſubſcribam.* Ità Balbinus. * Vocatus deinde à Sileſijs Matthias, *Wratislaviam* venit, quâ *Calendis Junij* in fidem receptâ, cæteri quoq; Principes, unà cum *Ordinibus Luſatiæ* ſeſe poteſtati ejus tradidêre.

Galeotus Martius lib. de dictis & factis Matthiæ Regis cap. 6.

** Balbin. in Hiſt. Boleſl. l. 5. c. 10.*
MS. Hiſt. Roſenſ. f. 135.
MS. Zidek. in Chron. ſuor. tempor.
Henelius in Breſlogr.
Thuroc. ſupra cit. c. 66 ad fin.
Bonfin. dec. 4. lib 2.

Hæc dum in Sileſia geruntur, *Victorinus* coactâ trium millium manu, aliquot loca in Moravia, nullo impediente occupavit: multísque ad eum ex Bohemia confluentibus, tantum brevì exercitum collegit, ut inclinatam Patris rem facilè ſuſtentaturus crederetur. Ac primò omnium in bona & ditiones eorum, quos *ad Matthiam* defeciſſe cognoverat, ulciſcendi cupiditate incenſus, hoſtilem in modum, ad extremum penè vaſtitatis ſævijt, permiſsâ ubique locorum populandi libertate, adeò, ut amicis etiam, utì *Henrico de Lippa* (incertum qua de cauſa) cœperit eſſe gravis. Perculit ea res vehementer *Matthiam*, movitque ad maturandum eò citiùs *in Moraviam* reditum. Crebris deinde velitationibus utrinque agebatur, per menſem ferè, jam his jam illis prævalentibus: donec Rex adventu novorum exercituum, quos *Epiſcopus Wratislav.* ex ſuperiori Sileſia, & *Gerebus* ex Hungaria adduxerant, viribus auctior, de ſumma rerum prælio decernere conſtituit, datáque propè *Hulinium* copiâ pugnæ, *Victorinum* in effuſam fugam vertit: qui cum potiore parte ſuorum *Hradiſtium* ſe recepit: cæteri ac potiſſimùm equites, quo quísque potuit, unà cum *Leopoldo Kragirio Victorini legato* profugêre.

Roo lib. 8.
Cromer lib. 27.
Hagek Kuthen-Horezk. Curane. Schikfuſ. an. 1469.

Victorinus in Moravia res ſuas diu utcúnque fortiter ſuſtentat: in rebellium ditiones & bona ſævit hoſtiliter, ultimò etiam amicis gravis: poſtea ab Hungaris prælio gravi cæſus, Hradiſtium ſe recipit;

MS. Peroſt. ad an 1469.
MS. ex Archivo Lipp.
Anon. Prag.
Anon. Litomyſſl.

Hungari victores, hanc rei gerendæ occaſionem nequaquàm prætermittendam rati, ad oppugnandum oppidum, ardentioribus ſi antea unquàm animis, convolârunt, exiſtimantes hoſtium vires ſucciſas fore, ſi uno eodémq; impetu *Victorinus*, præcipuum adverſæ partis caput, tollatur aut intercipiatur. Quamvis autem *Victorinus*, vix ſpiritu ex fuga recepto, dubitaret primùm, num ſe dubijs in oppido obſidionis eventibus committere, vel potiùs *Cymburgum*, aliòve recipere deberet; confiſus tamen civiū fidei, ac virtuti antehac in multis probatæ, cùm ſatis etiam virium ad defendendum oppidū haberet, fortunam experiri decrevit, & diſpoſitis ordine cunctis, ad propulſandam hoſtium vim, animum viréſque convertit. Jam *Hungarorum turmæ* oppido appropinquabant, ſed cùm inter hæc amnis â frequentioribus per eos dies pluvijs exundans, conſternendis pontibus nonnihil moræ injeciſſet, per triduum hæſêre ocioſi. Recidentibus poſtea aquis, & urgente Regis præſentiâ,

& ad defenſionem neceſſaria, vires & animos comparat: Hungaris civitatem obſidentibus, præſente Matthiâ Rege.

pontes celerrimè conficiuntur; traductóq; in dextram fluminis partem exercitu, negotium oppugnationis inchoatur. Per *novem continuos dies durabat obſidio*, pugnatúmque bis magno utrinque conatu: tertiò demùm & poſtremò, cùm variâ arte, ſummíſque viribus, tentaretur per aquas & paludes in muros aditus, certatum fuit ab hora diei prima, ad meridiem usque, defenſoribus magnâ virtute omnibus in locis, aggredientes fortiſſimè reijcientibus, rémque non ſolùm telis, ſclopetis & tormentis gerentibus, ſed etiam ignibus ê pice, aquâ fervidâ & ſaxis in ſubeuntes jactis. Nec deerat officio *Victorinus*, qui modò huc, modò illuc procurrendo, & milites civésque animando, ad fortiter agendum, voce manúque accendebat; altera in parte, ubi *Obeſſlikum* curare juſſerat, ſimili pertinaciâ pugnabatur. Tandem *Matthias* amiſſis *ex Hungarorum numero* ampliùs trecentis, præter *Sileſios*, ex quibus haud pauciores deſiderabantur, receptui dare juſſit: ac cæteros vel vulneribus debilitatos, vel Solis ardore, pugnæq; laboribus feſſos, & ſudore madentes in caſtra recepit. Neque ulteriùs obſidionales ærumnas ferendas, tentandámque pertinaciore auſu fortunam exiſtimans, datâ per biduum militi in caſtris quiete, partem deinde exercitûs *Olomucium*, civibus obſidionem cænobij *Hradiſstenſis*, quod præſidiarij Georgij potenti manu tenebant, molientibus, in ſubſidium miſit, cum reliquis *Kremſirij* ſubſtitit, Victorini conatus & conſilia, quónam deinceps tenderent, obſervaturus. Advenientibus inter hæc novis ex Hungaria turmis, & aliquâ peditum manu, *Napagedlenſe caſtellum* expugnat; inde verò cognito *Victorinum* occupâſſe *Weſelium* oppidum, eò totis viribus accelerat, & *Victorinum*, qui loco non ſatìs fidens evadere foras in tutiora nitebatur, capit. Variant hìc Scriptores: *Daubravius* narrat Victorinum, cùm Trebicio Krumloviam pergeret, in Hungarorum incidiſſe manus; quod & ego nuper in *Prodromo Moravographiæ* aſſerui. *Hagek* captum Krumloviæ ab Hungaris refert. Alij dolo *Henrici de Lippa* captum aſſerunt. Ego hìc *Gerardum de Roo*, rerum Auſtriacarum Scriptorem, & alios probatioris notæ, cum quibus etiam manu ſcripta concordant, ſequor: neque dolo *Henrici de Lippa* id accidiſſe, teſtimonia authentica *Matthiæ Regis*, tum ipſiusmet *Victorini*, Henrico idcirco data, quæ in originali (ùt vocamus) ſigillis firmata, & *propriâ Victorini manu*, idiomate Bohemo ſubſcripta, præ manibus habeo, *ab Illuſtriſſimo Domino Domino Czenkone Hovora de Lippa*, *Domino in Sventnik*, ditione Ducatûs Brigenſis in Sileſia, mihi, cum alijs vetuſtiſſimi ipſius Archivi monumentis, liberali manu commodata, clarè demonſtrant.

ac fortiter oppugnantibus, fortiùs reſiſtit: irruentes cum clade repellit; vim denique omnem egregiâ virtute ſuſtinet; irruentes in mænia magnâ clade profligat; & Matthiam ſolvere tandem obſidionem cogit. Mutatâ poſtmodùm fortunâ, ab Hungaris capitur *Roo lib. 8. Bonfin. dec. 4. lib. 2. Daubrav. l. 30. Prodrom. Morav. l. 2. c. 4. Hagek. ad an. 1469. VVeleslav. in Calend Hiſtor. ad diem 29. Julij. Cromer. lib. 27.* Error circa captum ab Hungaris Victorinum refellitur. Henricus de Lippa à ſuſpicione liberatur, teſtimonio ipſiusmet Matthiæ Regis, & Victorini. *Teſtim. Victorini ſcriptum in Archivo Lipp.*

Cladis *ad Hulinium* acceptæ, & non multo poſt *Victorini ab Hungaris capti*, fama cùm Pragam allata eſſet, *Georgium* incredibili dolore affecit: neque enim ignorabat pleróſque, adverſæ fortunæ incommoda, ei, ob non ſervatam Sedi Apoſtolicæ obedientiam, tribuere; omniáque ejus facta in diverſum interpretari, quaſi hæc infortunia pro merito lueret, ac propter Huſſiticum ab eo tanto ſtudio defenſum propagatúmque dogma, divinitùs plecteretur. Quod unum in præſens auxilium *inclinatis in Moraviam rebus*, ferre pote-

capti Victorini nuncius, præter modum afflixit animum Georgij: & ne Moravia ſit absque gubernatore,

poterat, ne *Moravia* præfecto careret, *Ctiborio Tovaczovio*, exactæ ætatis & prudentiæ viro, & ex fide ſibi hactenus conſtanter ſervata probè noto, eam commendavit, ſummâ omnium rerum poteſtate ei permiſsâ. Exortis interea novis *in Tranſylvania* turbis, *Matthias* abducto ſecum *Victorino*, & parte copiarum ad obſidionem cœnobij Hradiſstienſis relictâ, in Hungariam redijt. *Victorinus Budam miſſus*, per annum & novem menſes in libera cuſtodia fuit: ùt teſtantur *Scriptores Hungari*, contra *Daubravium*; qui in turrim tecto carentem projectum, & omnibus miſeris modis habitum aſſerit. Quem porrò eventum habuerit obſidio *cœnobij Hradiſſt.* aut quomodo, quóve tempore illud *Georgius* ſuo munierit præſidio, jam audiemus.

Ctiborium de Cymburg & Tovaczovv Capitaneum Provinciæ conſtituit. Matthias in Hungariam cum capto Victorino redit. *Bonfin. cit. Ens. rer. Hung. lib. 4.*

CAPUT III.

Continuatio belli civilis, cujus mala potiſſimùm Moravia ſenſit. Pacificatio tandem, dubia adhuc licèt; ac paulo poſt, Georgij Regis obitus.

SUprà narravimus, *cœnobium Hradiſstienſe*, propè *Olomucium*, ne officeret urbi, publicæ poteſtatis juſſu, dirutum fuiſſe ac ſolo æquatum: manſit itáque in ruinis, ad annum usque Regni *Georgij* ſecundum, quo is ad preces *Joannis Staruſtka*, profeſſi Ord. Præm. cujus operâ in multis familiariùs utebatur, *Nicolao Rys Abbati Hradiſſt.* tunc in præurbio Olom. cum fratribus, *in domo, quam prædeceſſor ejus Nicolaus Kolyk, à Joanne Hrzivvnacz, defuncti Wenceslai Abbatis patre emerat*, commoranti, illius reſtaurandi poteſtatem conceſſit: quod poſtmodùm *Georgius Jurſa*, *Nicolai ſucceſſor*, grandibus muris, nè facilè hoſtibus pateret aditus, circumdedit, inque illud fratres ſuos, *anno 1461. die S. Barbaræ* poſtliminiò reduxit.

ſuprà, pag 575. MS. Annal. monaſt Hradiſſt in Catbal. Abbat. mihi communicatum, à Thoma Olſſansky Abb. an. 1661.

Cœnobij Hradiſst. propè Olomucium, varia fortuna: dirutum anno 1432. ad finem Julij menſis, permittente Georgio Regè reſtauratur, anno 1459. inque illud Fratres poſtliminiò reducuntur.

Bello igitur civili paulò poſt ſuſcitato, *Georgius* mox flagrante initio turbarum, ut *Olomucenſes* in officio contineret, cœnobium hoc præmuniendum milite conſtituit; datíſque ad Abbatem literis, *Victorinum* intromitti, poſthabitâ omni tergiverſatione juſſit; religioſis fratribus, in proſequendo pro more ſuo religionis exercitio libertatem, rerum omnium indemnitatem, neque ullam à præſidio moleſtiam, pollicitus. Tenor literarum erat: *Sicut Nos tuum monaſterium denuò ereximus, quod proſtratum jacuit annis ferè triginta, & tibi ac tuis fratribus ex benignitate noſtra regia reſtituimus, omnia Privilegia & jura univerſa ratificavimus. Tu quoque ſtipulatâ manu, bonâ fide, purâ conſcientiâ, fidelitatem & obedientiam Nobis promiſiſti. Ergò dignum & juſtum eſt, jusjurandum & homagium mihi præſtitum inviolabiliter ſerves; nam & paganis promiſſa ſervanda ſunt: adeóque mox viſis literis, filio meo dilecto Victorino, ceu Capitaneo, cœnobium in poſſeſſionem tradas, ſub pœna indignationis noſtræ Regiæ.* Abbate cum ſuis ad deliberandum digreſſo, quùm nemo eſſet, qui non admittendum Regis præſidium judicaret, Victorinum

Initiu turbarum ac ſeditionum. Georgius illud præſidio ſuo firmari juſſit; datiſq; ad Abbatem literis, Victorino illud tradi mandavit, ſalvâ Religioſorum libertate. Abbas refragari non auſus conſentit.

rinum cum cohorte, quam adduxerat, omni armorum genere inſtructiſſimam intromiſit, ſéque cum ſuis omnibus in præſtita fide & obſequio permanſurum firmiter ſpopondit: indignantibus licèt civibus, longè verò magis Pontificio legato, qui jam antea Abbatem & Conventum, officij Apoſtolicæ Sedi debiti, ſcripto ſatìs acri, quod recenſuimus ſuprà, admonuit.

Indignantibus fruſtra Civibus Olom. ipſóque Legato Pontificio Abbati ſuccenſente. *pag. 796.*

Quamvìs autem Abbas, de recepto intra monaſterium Georgij præſidio, ſe ſuóſque per literas, tam apud Legatum, quàm apud cives Olomuc. purgare ſollicitè contenderet, quòd inopinato Victorini adventu penè oppreſſus, ſpatium non habuiſſet ab ullo conſilium vel ſubſidium petendi; in vanum tamen laboravit apud iratos. Præſtructis demum ad oppugnationem cænobij neceſſarijs cunctis, cùm & Hungarorum adveniſſent copiæ, quatuor in locis obſidio inſtituitur; & ne quid minimum inferri vel efferri poſſit, omnes murorum ambitus coronâ circumdantur. Præerat cænobij præſidio *Georgius Sſatny*, vir obſcuræ quidem originis, ſed in re bellica, ac præſertim in locis propugnandis peritiæ ſingularis; qui maxima cum conſtantiæ & fortitudinis laude, munus ſuum obeundo, locum tuebatur: ſic ut, qnanquàm primis tribus diebus mœnia majoribus tormentis vehementer quaſſata eſſent, nihil tamen proficeretur; cùm defenſores præſenti animo ſeſe tuerentur, & oppugnatoribus haud parva detrimenta, minoribus & majoribus ſclopis jaculando, & nonnunquã ad aggeres propinquos excurrendo inferre non ceſſarent. Tandem obſidentium duces, ne tempus & laborem in jaculatione ſolùm, & pugnâ eminùs iteratâ, perdere viderentur, ſtatuerunt tentare extrema, & munimentum cum omnibus copijs invadere; jàmque muros ſummo omnium procurſu petebant. Verùm uti erat præceps appetitus, ità effectu res maximè ardua: nam acceſſus partim rupibus anfractu celſiore diſceſſis, ob periculum anceps, partim aquis ſtagnantibus & alluentibus aditu difficilis, penetrandi copiam denegabat; defenſoribus inſuper, cùm *è turri templi altitudine formidanda*, tum è murorum pinnis, vim omnem arcentibus. Unde irrito conatu, & clade majore latâ, quàm illatâ, receptui datum.

Cænobij obſidio acris inſtituitur. præſidiariorum virtus, & egregia defenſio, Oppugnatores decernere tandem, ac ſummâ vi cænobium aggredi conſtituunt: ſed irrito conatu, & cum clade majori lata, quàm illata.

Nec multò poſt, *Henricus Georgij filius*, cùm in *inferiori Sileſia*, ſatìs jam vindictæ de perduellibus ſumpſiſſet, oppidis compluribus & caſtellis, vel expilatis, vel pecuniâ mulctatis, præcipuè verò ditionibus Epiſcopi direptis & ſuccenſis, in ſuperiorem, *Niſſam* verſùs, movit; quâ pari tractu calamitatis pervaſtatâ, arcéque *Ottmochovienſi* in poteſtatem redactâ, in *Moraviam*, ut ibi quoque de rebellium coryphæis promeritas ſumeret pænas, liberarétque imprimìs ab obſidione *Hradiſſtenſes*, ſummâ adhibitâ celeritate contendit. Cujus adventus uno fermè tempore, obſidentibus atque obſeſſis, nunciatus eſt. Quare Olomucenſes, poſtquàm Bohemorum adventu, omni ſpe potiundi clauſtri manifeſtè deciderant, ſine mora ſolutis caſtris, copias omnes in unum contrahere cœperunt, & reducere in urbem; ne ſuperveniente *Henrico*, ſi cum duplici hoſte ancipiti prælio contendendum foret, aliquod inſigne detrimentum acciperent. Quod cùm fieri à civibus obſeſſi conſpexiſſent, foras illicò eruperunt, & non contemnendã adhuc panis ac commeatûs copiam, tabernaculã-

Henricus ex Sileſia victor, obſeſſis in auxilium properat; cujus adventu audito Olomucenſes & Hungari obſidionem ſolvunt: & partim in civitatem, partim intra ſuburbia ſeſe recipiunt.

Digitized by Google

culáque aliquot, & caſtrenſis apparatûs inſtrumenta, quæ in ea præcipiti civium feſtinatione in urbem convehi nequierant, nacti, ſuæ poteſtatis fecerunt. Eâ porrò die circa veſperum, *Henricus* in conſpectum urbis cum exercitu venit, & ad ipſos cœnobij muros conſedit; ubi præfecto atque militibus, pro novata forti & conſtanti opera, prolixè collaudatis, duplex ſtipendium ſe ijs quamprimùm perſoluturum pollicitus eſt; quod ſtatim die ſequenti, omnibus & ſingulis enumerari juſſit; eductíſque qui debiliores erant, & alijs recentibus atque integris impoſitis, commeatu præterea & cæteris, ad ſuſtinendam deinceps quoque vim neceſſarijs, affatim in cœnobium convectis, *Gerardum* præſidij præfectum confirmavit. Inde verò *Nicolaum Strzelam*, virum ſtrenuum ac fortem, cum parte exercitûs, *in provinciam Brunenſem*, ac imprimìs in ditiones adverſariorum, excurrere juſſit: qui maximo paſſim circumlato terrore, & magnâ ubique prædâ potitus, *ad Brunam* ſuburbia expilavit & incendit; cùm idem paulò ante *Wiſſkovio* feciſſet, *Kravibora & Racziczio* arcibus, illâ *Joannis de Pernſtein*, hâc *Wenceslai de Bozkovicz*, ægrè defenſis. Ipſemet verò cum reliquis *ad Kremſirium*, quod primo ſtatim ejus adventu deditionem fecerat, ſubſtitit, miſſo inde Kluſako *Hradiſstium*, qui ſimiliter præfectum & cives ob fortiter toleratam nuper obſidionem, egregiéq; defenſam civitatem, nomine ſuo collaudaret; ſimul &, quæ in omnem fortunæ eventum neceſſaria, pro ulteriori defenſione, fore judicaret, ijs omnibus quàm diligentiſſimè comparandis provideret.

Henricus recenti præſidio, alijsque neceſſarijs Cœnobium firmat;

MS. Chron. RegineHrad. ad an. 1469. Anon. Prag. an. eod.

& quaquaverſum excurrens, ditiones adverſariorum vaſtat:

Hradiſtioquoque in futurum providet.

Ultimò cognito *Matthiam*, *curâ belli Tranſylvanici Emerico Scepuſienſi commiſſâ*, *in Moraviam cum exercitu reverti*, jàmque præcurſorias Hungarorum turmas circa *Hradiſstium* eſſe viſas, copias illicò omnes in unum convocavit, ac deinceps cautiùs progrediendum duxit. Præſertim cùm plerique alij duces, gravi ſuſpenſi curâ, hoſtem præferocem, atque recentium virium, in plano expectare, prælióque decertare, & totius rei ſummam in ùnius pugnæ eventum ponere, â ſani conſilij rationibus alienum eſſe palam dicerent. Ea tamen tunc erat militum ad pugnandum promptitudo, ut eorum exemplo, brevì & ipſimet duces, qui paulò ante â conferendo prælio abhorrere videbantur, jam mutato conſilio, non niſi Martem ſpirarent, & quamprimùm duci in hoſtem flagitarent. Ipſe præ alijs *Strzela* pugnæ avidus, qui obviam hoſti properandum, eúmque â via feſſum, antequàm caſtris locum caperet, invadendum cenſebat; ne tunc quidem, dum jam propè *Hradiſstium* ad pagum *Marzatice*, uti ante, conſediſſet, detrectandum omnino prælium exiſtimabat: quòd famæ intereſſet, hoſtem urbis regiæ obſidionem intentantem, præſultantémque, *virtutis Bohemici exercitûs* admonere. At *Henricus* nihil temerè, ſed cum conſilio omnia agenda ratus, vitandum omne prælij diſcrimen cenſuit tantiſper, dum exploratiùs aliquid de numero viribúſque Hungarorum, ſimul &, quò demū Regis propoſitum tenderet, referretur. Poſitis itaq; ad *Moravam*, ubi *Hanam* recipit, *inter Kogetinium & Kremſirium* caſtris, iiſque ubi opus erat, egeſtâ modicè terrâ munitis, ab ulteriori eventu & occaſione, capere conſilium decrevit. Verùm poſtquàm intellexiſſet, *Matthiam ſtativa continuare*

cognito denuum Matthiam reverti in Moraviam, valido cum exercitu, copias univerſas in unum colligit,

& non attento militum fervore ad pugnandum,

MS. Anon. Litomiſſl. ad an. 1469.

in tutiora retrocedit, occaſionem rei gerendæ expectans.

cognito demũ Matthiam premere Hradiſtium obſidione :

nuare ad Hradiſtium, moliriq; obſidionem; jámq; parare & diſponere omnia ad oppugnationem neceſſaria, *fidam ſemper patri ſuo Urbem* minimè deſerendam exiſtimans, ad ſuccurendum ei quantocyùs, omne ſtudium viréſq; adjecit. Auxerunt animũ duo cives, miſſi ab obſeſſis, qui & Urbem undiq; circumvallatam acerrimè oppugnari, & *Gerardum* præſidij præfectum, ne ſibi & civibus gravi in periculo conſtitutis, maturam opem ferrè cunctaretur, vehementer poſtulare nunciabant.

& novo milite ex Bohemia auctus.

Opportunè autem ſupervenerunt ex Bohemia, *Hynko de VValdſtein, & Hermannus de VVartenberg*, cum duobus peditum millibus, & *Andreas Kluſak* cum equitibus trecentis: quorum adventu, *Henricus* ſpe rei gerendæ auctior, milites curare corpora juſſit, & ad iter ſimul ac certamen capeſſendum, ut animos præpararent, edixit: móxq; die ſequenti, qui erat in Eccleſia *SS. Apoſtolis Simoni & Thadæo* ſacer, ſummo diluculo,

contra hoſtem vadit : fiduciâ rei gerendæ plenus.

transmiſſo *Moravâ* & *Ruſavâ* amne, *Tlumaczovium* versùs iter arripuit, *Ulrico de Kaunicz* cum ſexcentis equitibus præire juſſo, qui cognoſceret an adhuc hoſtis caſtris prioribus ſeſe contineret, & loca per quæ ducendus exercitus, ac manus cum hoſte conſerendi facultas eſſet, exploraret. Neque jam erat quisquam vel ætatis vel militaris dignitatis honore inſignis, qui tum cunctanter ageret, aut ſuſpensè de ineunda pugna conſultaret, minùs ut de victoria dubitaret. Pleriq; etiam tyrones, magno pugnandi ſtudio, ac prurientium virium fiduciâ elati, ſi quem adhuc in eo ſummæ rei diſcrimine cautiùs, conſideratiúsq; loquentem excepiſſent, palam inceſſabant probris, & ſegnem ac timidum compellabant.

cujus adventu, ceu inopinato, Matthias nonnihil percellitur ; & ſubeſſe occultam proditionem ſuſpicatur :

Non putabat *Matthias* Bohemos tam audaces futuros, ut propiùs ſuâ ſponte accedere, prælijq; fortunam tentare auderent, donec ipſos jam non procul eſſe, & *â Bilovicio* procedere agminibus in aciem ordinatis cognoviſſet, tunc nonnihil turbari cœpit, *audaciam hanc Bohemorum* ſuſpectam habens, ac metuens, ne occultæ alicui proditioni innitatur. Unde vocatis ſuorum intimis ad tabernaculum, dixiſſe fertur: *Henricum* cum tam modica equitum manu, contra tot Hungarorum millia, vix auſurum fuiſſe inferre arma, & provocare ad prælium, niſi ſpe aliquid antè momordiſſet.

ſuos tamen animat ad certamen.

Nihilo tamen minùs, recollecto animo, ſummáq; celeritate, quòd hoſtium præſentia moram omnem excluderet, ad arma conclamare, tubis pugnæ ſignum dare, ſuos ad fortiter agendum hortari, & versùs hoſtem procedere juſſit.

Prælium committitur, magno utrinq; animorum fervore,

Congreſſu demum facto, primus *Leopoldus Kragirius*, qui Moravicis copijs, *Ctiborij Capitanei* loco præerat, *in pedeſtrem Matthiæ Regis cohortem* ex oppoſito ſtantem, acerrimo impetu invectus eſt; ſimulq; eodem penè momento, cæteræ acies *in Hungaros* pedem intulêre, tanto præter conſvetudinem ſilentio, ut tametſi mox initio prælij cruentum & atrox certamen oriretur, nullus tamen clamor (quod in Hungaris mirum videri potuit) nec tubarum aut tympanorum adeò magnus ſtrepitus, ſed horrendus dumtaxat armorum & pugnantium fragor, & inter hæc diſſoni occumbentium gemitus exaudirentur.

fortunâ; diu ancipiti :

Kragirius cum peditatu hoſtium congreſſus, diu ancipiti prælio dimicavit; & licèt galeâ clavarum ictibus contuſâ, maximo jam in diſcrimine verſaretur, non tamen quidquam

â fer-

Digitized by Google

â fervore pugnæ remiſſit, donec oppoſitam cohortem oppreſſit & concidit: cùm interea â parte altera *Bohemorum* acies, Hungarorum circumdata equitatu, nutare cœpiſſet. Verùm diuturna cum equitibus pugna non fuit: cùm enim proſterni pedites viderent Hungari, non diutiùs periculum prælij ſubire, victorúmq; impetum ferre poterant, quin turbatis ordinibus fugam capeſſerent, & pars *Hunno-Brodam*, pars in vicinas montis *Carpathi* valles, & quò quis poterat, profugere feſtinarent. Rex dum inter fugiendum cum ſagittarijs corporis ſui cuſtodibus, in turmam hoſtium incidiſſet, diu ac ſingulari fortitudine dimicavit, nec niſi illâ disjectâ, in tutum evaſit. Peditum octingentos, equitum circiter trecentos, *ex Hungarorum parte* interijſſe, poſtea cognitum eſt; capti etiam tam gregarij, quàm nobiles non pauci; intérque eos *Joannes Comes à Peſing*, duobus vulneribus ſaucius. Ex *Bohemis* vulnerati quidem fuêre permulti; non plures tamen nonaginta cæſi. De hac Hungarorum fuga & clade, Hungarici Scriptores nihil prorſus habent; & â *Bonfinio* quidem nihil tale aut parum expectandum, qui Matthiæ geſta *encomiaſticè* magis, quàm *hiſtoricè* deſcribenda ſuſcepiſſe videtur. *Cromerus & Daubravius* innuunt aliquid; ſed iſte ità de more confusè narrationem ſuam explicat, ut de tempore vix quidquam certi hauriri poſſit. Ego quæ retuli, ex Mſ. ijsq; coævis Authoribus deſcripſi.

quæ ultimò ad Bohemos inclinat.

Hungari fugantur.

Matthias ægrè in tutum evadit.

Cromer. lib. 27. Curæus in An. Sileſ. Schikfuſſius in Chron. Sileſ. lib. 1 cap. 37. Daubr. lib. 30. MS. Baron. de Lippa. MS. de Pernſt. MS. Trebicenſ.

Cæſorum numerus.

de hac clade apud Hungaros ſcriptores, altum ſilentium.

Henricus obtentâ victoriâ, tametſi ab alijs moneretur ducibus, ut inſiſteret fugientium tergis; in loco tamen pugnæ, revocatis in ordinem cohortibus & turmis, quaſi denuò pugnaturus, immobilis ſtetit, inſidias & ne circum veniretur *ab Hungaris equitatu prævalentibus*, veritus. Sequenti primò die, collectis hoſtium exuvijs, caſtra in *ripa Moravæ, è regione Hradiſſtij* poſuit, ac die alterâ poſtquàm â prælij labore nonnihil quieviſſet miles, *Hunno-Brodam* versùs proficiſci conſtituit: cùm inter hæc legati *â Matthia* miſſi, qui ſex dierum inducias poſtularent, advenerunt. Hi admiſſi in colloquium, præſentibus alijs quoque ducibus, multa de felicitate *Henrici*, de ſucceſſu prælij, & de pravis ac perverſis conſilijs ſeditioſorum hominum, ità commemorâbant, ut jam belli propriâ temeritate ſuſcepti tædio verè affici, pacíſque cupidine plurimùm teneri viderentur. Verùm id colloquij genus eò ſolùm pertinebat, ut interpoſitâ pacis mentione, Matthiæ ad contrahendum â fuga equites, reſtaurandúmq; novis copijs exercitum, juſtæ moræ ſpatium præberetur: neque contineri poterat *Kluſak*, equitum Bohemorum ductor, qui huic tractationi cum *VVartmbergo*, & alijs aderat, vir in bellicis rebus magni usûs, quin diceret, pro comperto eſſe, Hungaros majore in præſens neceſſitate, quàm ſyncero animorum affectu pacem tractare. Is poſtmodùm colloquij exitus fuit, *Georgium Regem* æquiſſimæ pacis conditiones *Matthiæ* oblaturum: *ſi ante omnia titulo Bohemiæ Regis abſtineat, Victorinum liberum dimittat, Olomucio, Brunâ, alijsq; in Moravia & Sileſia locis, præſidia deducat, â populationibus & incendijs deſiſtat, & in Hungariam pacato agmine revertatur.* Sed jam *Matthias*, relicto *Hunno-Brodæ* præſidio, finibus Moraviæ exceſſerat; quod ubi cognoviſſet *Henricus*, proſequi è veſtigio abeuntem, & ad par pari referen-

Henricus nimium cautus, victoriâ uti neſcit:

ad Hradiſstiũ caſtra ponit.

Matthias inducias petit;

ſed vafro conſilio,

ut interim rebus ſuis proſpicere poſſit.

Henric9 fraudis ignarus conditiones proponit.

Matthias à fortuna malè mulctatus domum inglorius redit.

mutua deliberent. Verùm quia *Cazimirus* in tractatu fœderis id appoſitum volebat, ut Cæſar ejus filios, in conſequendis Bohemorum & Hungarorum regnis, conſilio & armis adjuvaret; Cæſar autem pro ſe, aut filio ſuo *Maximiliano*, Coronam Hungariæ reſervatam cupiebat, tranſigi in integrum non potuit.

hinc nihil factum.

Aliam adhuc cauſam abalienati Cæſaris â Matthia, narrat Bonfinius hiſce: *Paulò antequàm VVratislaviam intraret Matthias, Michaëlem Lectorem Strigon: eâ tempeſtate ab epiſtolis ſibi ſervientem, pecuniarum gratiâ Viennam miſerat, ut quod in ea Expeditione promiſerat Imperator, re ipsâ præſtaret. Cuncta unius anni Auſtria vectigalia, præterea è Nobilitatis ordine, mille equites Cæſar obtulerat. Nobiles equites mille ex compacto miſerat: remiſerat illos Matthias, cauſatus ineptum militia genus hominum. Stipendia mille equitum, quàm tales equites habere maluit: quod Auſtrales quoque Nobiles facere non recusârunt. Promiſſa ab Imperatore ſtipendia non ſoluta; pro nummis Michaëli verba data, præter collatam â Nobilitate ſtipem, quæ mille equitibus veteranis impenderetur. De reliquis ab Imp. promiſſis, aut parum aut nihil exactum eſt: ex quo diſcordiarum, quæ Matthia cum Cæſare interceſſerunt, unde Auſtrale bellum obortum eſt, ſemina profluxère. Abnegata namq; merces usq; adeò Matthiam incendit, ut nunquam quieſcere potuerit: quò usq; natâ occaſione, pro illa mercede ſtipendioq; univerſam ferè Auſtriam occupârit.* Ita ille.

Cauſa ſpecialis diſſentionis inter Cæſarem & Matthiam: *Bonfin. dec. 4. lib. 2.*

quòd promiſſam Mathiæ, in ſumptus belli Bohemici pecuniam, aliáque ſubſidia ſolvere noluerit.

Legatus porrò Cæſaris ad Cazimirum miſſus *Raphaël Leſcinsky*, ut id paucis attingam, erat quidem *natione Polonus*, ùt dixi, ſed *originis Moravica*; ac ejusdem ſtirpis, ſicuti *Familia Pernſteiniana*, in Moravia quondam celeberrima: id quod eadem Inſignia gentilitia clarè oſtendunt, *uri* nempe *caput nigri coloris, cum circulo aureo naribus appenſo, in ſcuto itidem aureo.* Et ipſimet quoque *Pernſteinij*, qui *Raphaëlis* tempore vivebant, *VVilhelmus*, *Joannes*, *& VVratislaus* è proceribus Moravis haud poſtremi, *Raphaëlem* pro agnato ſuo recognoſcebant colebántq;. Videtur aliquis ex Majoribus illorum in Poloniam migrâſſe, ibique ſtatione fixâ Familiam propagâſſe: quæ etiamnum copioſiſſima numeratur, titulis quidem & nominibus diverſa, uti præter Leſcinskios, Slaboſſowe, Miezikowe, Dlugoſſowe, Czermenſstij, Sleſſenſstij, Bedlenſstij, pluresq; alij; origine tamen ijdem. *Raphaël* verò, de quo hic ſermo, ob præclara ſua merita, & fidelia obſequia, ab Imperatore, titulo & dignitate Comitis decoratus eſt, anno 1473. Filios reliquit tres: *Raphaëlem, Caſparum, & Paulum*; ex quibus Caſparum, hodierni *Comites â Leſsno*, agnoſcunt ſuum atavum.

Familia Comitum Leſcinſciorum in Polonia, originis Moravicæ.

Paprocius in ſpeculo Mor. lib. 1. part. 1. cap. 29. expreſſè habet, Dobieslaum Prſtanum. ſeu, de Pernſtein, migraſſe in Poloniam, circa an. 962. & ibi Familiam propagâſſe.

Eodem anno poſtquàm bellum cum Matthia contractum magis ac magis recrudeſceret, *Georgius* ad legionum & equitatûs ſupplementum, aliáque omnia bello gerendo opportuna maturè comparanda, curam & ſtudium omne applicuit. Ante omnia tribunos, qui recenter conſcriptos *in Miſſnia & VVoytlandia* cohortes Pragam adducere debebant, ad maturandum ocyùs iter, per nuncios commoneri juſſit. Hortatus ſimiliter eſt proceres, ac Urbes ſibi addictiores, ut quanto majoribus poſſent copijs adductis, vires conjungere ne cunctarentur. Miſit quoque legatos in Poloniam ad Regem, qui fœde-

Georgius novis ſupplementis, & Miſnenſium auxilijs copias ſuas auget:

legatos ad Cazimirum mittit.

& ad ſocietatem armorum contra Matthiam invitat: Sed Polonis tergiverſantibus, nihil factum.

Civitates regiæ in Bohemia fideles Georgio plæræque. auxilia Regi ſuppeditant, unâ cum Proceribus quibusdam Duces de bello gerendo conſultant:

& poſt multa ultrò citròque propoſita,

Pars copiarum in Bohemia rebus invigilare jubetur,

adversùs Zdenkonem à Sternberg, qui arcem Chauſtnik tunc tenebat, & inde quaquaverſum excurrebat.

reliqui Moraviam petunt, ſub quinque ductoribus, viris fortiſſimis, & tam pacis, quàm belli artibus claris.

Iglavia primùm petitur, civibus nihil tale ſuſpicantibus:

primiq; equites ſuburbia adoriuntur, eáque diripiunt:

fœderis adversùs communem hoſtem feriendi negotium, antea jam bis tentatum, ſed nihil confectum, diligentiori curâ ac induſtriâ tractarent, & ad finem perducerent: *Matthiâ* per id tempus domî in pacando regno, ſedandísque inteſtinis motibus occupato. Sed *Polonos* ſpe & expectatione duriores reperit, Rege ac Senatu, nihil, niſi de ſententia Pontificis, cujus legatum indiès expectarent, ſe ſtatuere poſſe, unâ voce reſpondentibus; ideóque rebus infectis, legati dimiſſi in Bohemiam rediêre. At Urbes in Bohemia, auxilia haud contemnenda obtulerunt: quæ poſtea ijs, quæ *Guilhelmus à Ryzmberg*, alijque clari nominis viri adduxerant, conjuncta, ad quatuordecim millia bellatorum conſtituere credebantur; præter regios, quos Rex proprio ære conſcriptos habebat, ità ut ſumma totius exercitûs in unum collata, viginti quatuor millia equitum peditúmque efficeret. Peracto cenſu ad finem menſis Junij, itum eſt in conſilium cum præfectis & ducibus; diúque diſputatum, num *Iglavia*, vel alia Moraviæ civitas, totis viribus petenda eſſet; aut potiùs, ne quid hoſtile domî relinqueretur, arces & oppida, quæ ditione perduellium *in Bohemia* tenerentur, forent expugnanda? Poſt rationes ex utraque parte in medium adductas, eorum ſententia valuit, qui in abſentia Matthiæ, res *per Moraviam* tempeſtivè firmandas, & vel *Iglaviam*, vel *Brunam*, ante alia omnia in poteſtatem redigendam, ſvadebant; relictâ parte exercitûs in Bohemia, cujus viribus etiam domî conatibus hoſtium obviam iri poſſit. Itáque *Joanni Tovaczovio*, aliàs *de Cymburg* dicto, & *Hynkoni VValdſteinio*, cura beli domi gerendi demandatur; erátque primò ſumma virorum, qui eorum imperia ſequi debebant, octo tantùm millium; quæ tamen numero poſt paulum duplo ferè aucta eſt, multis indiès è civitatibus regijs ſub ſigna concurrentibus, vindictæ cupiditate, quòd *à Zdenkone Sternbergio*, & Cruce ſignatis, multiplici injuriarum genere, præſertim *in Bechinenſi diſtrictu*, vexarentur, incitatis. Reliqua pars exercitûs, eáque potior, *Guilhelmo jun. Sſvibovsky de Ryzmberg* & in Rabi, ſupremo Regni Bohem. Camerario, *Hermanno de VVartmberg, Jeſskone Bozkovicio de Svoganov, Beneſſio de VVeytmille, & Arneſto de Czerczicz* ducibus, *Iglaviam* versùs contendit; quòd civitas illa, ſi priùs occuparetur, ad proſequendum deinceps belli curſum in *Moravia*, plurimùm momenti allatura videretur. Cæterùm *Iglavienſes*, tametſi de novo belli in Bohemia apparatu non ignorarent, nihil tamen hoſtile tam citò ſuſpicati, ocium & quietem agitabant. Primò dum nonnuli equites urbe fortuitò egreſſi, nebulâ proſpectum impediente, *in Bohemos* incidiſſent, & eo quo venerant itinere ocyùs reverſi, hoſtem adeſſe nunciâſſent, ad arma conclamârunt. Qui in præurbijs, quæ lata & ampla circacircùm fuêre, domicilia habebant, perculſi *Bohemorum adventu*, liberis & ſupellectili ac rebus, quas ſubitanea illa & improviſa conſternatio auferri patiebatur, in urbem quamprimùm profugerunt.

Jamque *Bohemorum equitatus*, quòd cætera exercitûs moles cum impedimentis tardiùs progrederetur, circa occaſum Solis propè ſuburbia, duce *Czernczicio* venit; & ſine mora portis effractis, ac militibus, qui rei gerendæ cupidi equis deſcenderant, tum per disjectas fores, tum per alia ſepimenta, varijs in locis

locis irrumpentibus, toto virium niſu ijs occupandis incubuit. Quibus tametſi incolarum audentiores aliqui, qui adhuc colligendæ ſupellectili operam dabant, correptis armis, inque unum conferti aliquandiu reſtiterint: prævalere tamen adversùs armatam multitudinem minimè potuerunt, ſed cæſi complures: reliqui deſertis Laribus, in urbem compulſi ſunt. Tum *Bohemi* ſuburbio potiti, & ad agendam prædam converſi, priusquàm alij ſupervenirent, in domos impetum fecerunt: inventáque eſt adhuc in latebris ædium variæ ſupellectilis, atque inprimis panni, haud modica copia, eáque celerrimè direpta. *Czernczicius* eo ſucceſſu nonnihil ferox, ſummo diluculo, etiam urbis portam oppugnandam ſuſcepit: ſed irrito conatu, quòd ea ponte, ac ferreis cratibus demiſſis, fortiter ab oppidanis defenderetur.

ſuburbani quidam reſiſtunt;

ſed partim cæſi, partim in civitatem repulſi.

Czernczicius, *Talmbergianæ ſtirpis*, equitum Magiſter, portam civitatis fruſtra occupare tentat.

Interea *Bohemi* pedites, lentis paſſibus ſed longo ordine exporrecti, civitati appropinquantes conſpiciuntur: qui mox bifariam diſtributis contuberniorum & tabernaculorum ſpatijs, nonnulli in ipſis locis ſuburbanis, alij cum curribus & jumentis, extra ad amnem, qui ab una parte urbem circumfluit, ob aquationis commoditatem caſtra poſuerunt. Erat dies Octavæ SS. Apoſtolorum Petri & Pauli ſacer, dum *Sſvibovsky* nullam moram, aut quietem civibus dandam arbitratus, in æde quadam muro civitatis objecta tormenta poni, & mænia duobus ê locis verberari juſſit. Sed ne tum quidem feliciore ſucceſſu, quòd inſtrumenta expugnandis urbibus idonea deeſſent, & minorum pilæ ovo anſerino vix majores, plus terroris, quàm damni inferrent. Quæ porrò interdiu *Bohemi* diruebant, ea ab obſeſſis nocturno indefeſſóque labore, terrâ ac materiâ comportatâ reſtaurabantur. Jam quartus oppugnationis dies præterierat, non ſine *Bohemorum ducum* indignatione, qui oppidanos vim tanti exercitûs, & tam diu ſuſtinere nequaquàm poſſe arbitrabantur: cùm inter hæc *Georgius Rex* cum tribus millibus peditum, & ſeptingentis equitibus advenit. Igitur *Sſvibovsky*, poſtquàm vim minimè procedere ſenſit, ad aſtum & artes converſus, prætorem urbis per idoneos homines ad ſe in caſtra vocari curat, oblatâ ei incolumitatis ac liberi reditûs fide. Cùm verò is prohiberi ſe â civibus, quò minùs urbe egrederetur reſpondiſſet; rurſum per eosdem, ipſos cives, ut urbem, quam præſente jam Rege cum majoribus copijs, defendere diu nequaqàm poſſint, ommiſsâ pertinaciâ, dedere malint, quàm vim & ſuprema mala expectare, admoneri juſſit. Sed cives in defenſionis propoſito tenaciſſimè perſiſtentes, nec ullas dedendæ urbis conditiones audire paſſi, paucis reſponderunt: citò nimis deditionem â ſe flagitari; irent priùs & peterent ipſum Provinciæ caput *Olomucium*, illudque & *Brunam*, aliáque Procerum primariorum caſtra recuperanda ſuſciperent; ſe deinde cæteros ſequuturos, & arbitrio clementiæque victorum tradituros.

Copijs deinde pedeſtribus advenientibus, multo acriùs civitas obſidione premitur,

tormenta mænibus admoventur;

ſed cum exiguo quoque effectu.

Georgij in caſtra adventus.

Sſvibowsky cives hortatur, ut gratiam Regis petant, & deditionem faciant.

Civium in tuenda Urbe pertinacia.

Acrior igitur oppugnatio inſtituitur:

Rex igitur alijq; duces, quorum militares animos, acriùs irritaverat civium pervicacia, oppugnationem feſtinatis acceſſibus, & majore, quàm antea virium conatu, redintegrandam ſtatuerunt; miſſi etiam aliqui expeditiores in Bohemiam, ut tormenta muris diruendis magìs opportuna, *Taborio & Czaslaviâ* advehesent. Inter hæc fama increbreſcit, *Matthiam* cum prætoriano exercitu,

ſed audito Matthiæ in Moraviam adventu,

 quem

Digitized by Google

quem non pridem, ad imitationem *Janicerorum Turcicorum*, ê veteranorum peditum promptiſſimis exercitatiſſimíſq; ad quatuor milium numerum inſtituerat,& quos *Nigrarum cobortium* nomine vocabat, alijſq; longè ampliſſimis copijs adventare; ejúſque propoſiti eſſe, ut bellum *in Bohemiam* transferat; aut ſi occaſio ſerviat, cum *Georgio* de ſumma rei, collatis ſignis & viribus confligat; jámque peracto ad *Trnaviam* militum cenſu, Moraviæ appropinquare. Quæ res, ùt improviſa, magnam commutationem animorum in exercitu Bohemo attulit; ſed paulò poſt accurrerunt nuncij certiores, Regem Hungariæ cum duodecim dumtaxat, vel uno ampliùs armatorum millibus, *ad Hunno-Brodam* conſiſtere referentes; incertum autem, cur iſthic jam â triduo moretur, neque ulteriùs, uti aliàs celeritate rem agere conſveviſſet, progredi feſtinet. Conſilio itáque quidnam in præſenti faciendum foret, habito, unanimi omnium conſenſu ſtatuitur, ut obſidione illicò ſolutâ hoſti obviam, priusquàm acceſſione rebellium invaleſceret, & in viſcera Provinciarum vaſtabundus penetraret, procederetur. Opportunè verò ſub id tempus *Bernardus â Naſily præfectus Oppavienſis Ducatûs*, adjutus aliquot cohortibus ab *Henrico Principe*, Glacio miſſis, *clauſtro Hradiſſtenſi*, quod â civibus Olomuc. denuò premebatur obſidione gravi,opem tulit,pulsíſque oppugnatoribus animos obſeſſorum commeatu & alijs neceſſarijs recreavit.

validò ac recenti cum exercitu,

Georgius obſidionem ſolvit,

& cum omnibus copijs obviam Matthiæ feſtinavit.

Olomucenſes â repetita obſidione cœnobij Hradiſſt. denuò repelluntur.

Ad *Brunam* cùm veniſſet *Georgius*,clauſtrum Reginæ deditione occupavit; ac inde *VVeverzium*, quod paulo ante *Brunenſes* dolo acceperant, haud dubiâ ſpe ejus recuperandi contendit. Præerat arci *Nicolaus de Lilecz* cum quinquaginta Moravis, ac triginta quatuor Hungaris: dúmque Bohemi tormenta promoviſſent, & muros verberare cœpiſſent, vitæ parcus ille magìs quàm honoris, poſtulantibus identidem deditionem Bohemis, ac ut ſuæ & commilitonum ſaluti conſuleret hortantibus, facilè aſſenſit, & ut incolumi ſibi ſocijſque, unà cum rebus omnibus, arce excedere liceret, tranſegit. Alij volunt aſtu & proditione arcem hanc â Bohemis in poteſtatem redactam: quibus tamen fidem præbere nolim, ut qui *literas Georgij, ad Henricum filium datas*,deditione acceptam apertè indicantes præ manibus habeam. Occupato *VVeverzio*,*Czerna Hora* obvia fuit, cujus defenſores extremo etiam metu perculſi, nec ullis tormentorum ictibus expectatis, altero ſtatim die deditionem fecerunt. Inde *Kremſirium*, firmato ex itinere *Raczicio* fortiori præſidio movit, & caſtra in ipſo civitatis conſpectu, ultra tamen colubrinæ jactum, collocavit; nec multo poſt, ut propior *Matthiæ* eſſet, & Hungaros, ad usque *Hradiſſtium* excurrentes, atque obvia cuncta populantes coerceret, *Hradiſſtium*, ac inde *Kunovicium* ea tranſtulit. Jam *Matthias ad Straznicium conſederat*; ubi non diu cunctandum, neque ſe, reique totius ſummam, incertæ duelli, ad quod â *Georgio* provocabatur, fortunæ committendam ratus, feſtinatione celeri ſeſe in interiora Moraviæ effudit; ac pervaſtatâ *Henrici de Lippa* ditione *Brunam* venit; tum ut civium animos nonnihil nutantes ſuâ præſentiâ firmaret, tum ut validiore præſidio, rebúſque alijs neceſſarijs *Spilbergam* muniret. Quò die ſequenti etiam *Georgius* cum toto exercitu accurrit.

Georgius monaſterium Reginæ ad Brunam, VVeverzium item;

Mſ. ex Archiv. Baron. de Lipp. Mſ. Trebic. Mſ. Pernſt.

& Czernam Horam recuperat.

ad Kremſirium caſtra metatur,

eáque demum ad Hradiſſtium Kunoviciúmque promovet.

Matthias Brunam venit. quò etiam Georgius adcurrit, poſitis in Campo Regio caſtris:

Ibi

Ibi denuò de proſequendi belli rationibus, & an prælio cum Hungaris decertandum foret, diligenti curâ conſultatum fuit; dúmque ea de re diſputatur, *VVartembergus* navandæ operæ cupidus, ac alij, quibus fervida ingenia erant, magníque ſpiritus, ſuorum vires extollendo, & proſperos rerum ſucceſſus ſibi pollicendo, prælio tandem decernendum ſvadebant. Alij contra, rerum uſu & militari prudentiâ inſignes, & qui potiorem omnibus rebus exercitûs ſalutem ducerent, multis rationibus eorum ſententiam improbabant, nihil in præſens periculoſius eſſe, quàm ſummam rei, *ancipiti Martis aleæ*, temerè committere velle, aſſeverantes. Quod vel ipſemet Rex, cunctator naturâ, ac fortunæ, quæ in eventu prælij maximè incerta eſſe conſveviſſet, haud immemor, approbare viſus eſt; id ê commodo Reipub. ac ſuo nequaquàm ducens, ut fervidis, quàm ſalutaribus conſilijs innitendo; ſuam & & Provinciarum ſalutem uni prælio committat. Translatis itáque *ê Campo Regio*, ubi primùm conſederat, *ad Svarczavam*, ubi commodior aquationis ſimul & lignationis adeſſet facultas, caſtris, commorari iſthic aliquandiu conſtituit, donec hoſtium conſilia, quidnam tandem moliri vellent, certiùs explorarentur: tum demum capi conſilium ex re & tempore poſſe.

quò etiam Georgius adcurrit, poſitis in Campo Regio caſtris: ubi militari conſilio cum ſuis habito, de proſequ-ndo bello delıberat: aliqui pugnandum; alij cunctandum; unà cum ipſo Rege cenſent. *Mſ Pernſt. Lipp.*

Interea præter omnium expectationem, inventi ſunt nonnulli *ê Proceribus Hungaris Moravisq;*, qui miſeræ plebis, quæ aſſiduis bellorum calamitatibus, â tot annis, undique vexaretur, infelici ſorte tacti; tum quòd dira fames, & rerum omnium victui neceſſariarum penuria, præ foribus immineret, agrorum culturâ, propter bellorum incommoda, penitùs intermiſsâ, & agricolis vel in varia diſperſis, vel eorum jumentis, quibus colere agros atque arare ſolebant, abreptis & abſumptis; adeò ut jam multi, quòd frugibus carerent, ad inuſitata conficiendi panis ac eduliorum genera adigerentur: pertentandos novâ mentione pacis, Principum animos ſuſceperunt. Opus reverâ ſalutare per quod privatis quoque incommodis obviarent, rem ſuam tacitè curantes, dum curare publicam vulgò exiſtimarentur. Et quanquàm labor hic in vanū ſuſcipi ab omnibus penè cenſebatur, quòd ad coaleſcendam inter Reges pertinacibus animis in bellū proritatis amicitiam, vix quicquam medij intervenire poſſet: adnitentibus tamen fideliter ijs, qui pacis quàm belli amantiores erant, præcipuè verò *Henrico de Lippa, Ctiborio de Cymburgo aliàs de Tovaczow*, *Joanne de Pernſtein, & Joanne Haugvicio Moravis*, qui apud utrumque Regem plurimùm authoritate valebant; accidit, ut poſt multa ultrόque agitata, Reges, reclamante licèt Pontificio Legato, inducias, quæ *â die Divo Laurentio dicata, ad usque Calend. Novembr.* durarent, tempore ſanè ad procurandam faciendámq; ſementem agreſtibus peropportuno, paciſcerentur: quæ demum operâ & interventu eorundem ultra adhuc prorogatæ ſunt. Jam enim tædio *belli Bohemici* improſperè plerumque geſti, *Matthias* affici haud obſcurè videbatur, cùm aliundè etiam vaſtæ potentiæ hoſtes, ſibi imminere non ignoraret; præter *Turcas*, qui ſubactâ ſuperiore anno *Eubœâ inſula*, quam hodie *Nigropontum* vocant, reique ſucceſſu feroces, præſenti æſtate, trajecto *Savo*, in agrum *Sirmienſem*, atque iterum versùs *Gradiſcam* excurrerunt, tantâ adhibitâ

Intervenientibus utriusq; Regni Proceribus, de pace agitur: i à enim uſu. plerumque venit; *ex colliſis frontibusque nubibus ſerenitas prodit:* *& ſpes nunquam major affulget pacis, quàm cùm ſerio bellum geritur.*

Intera induciæ. Matthias in pacem pronus; (*proniùs námque in gratiam redeunt perpeſſi armorum damna.*) ſiquidem aliunde etiam petebatur ab hoſtibus,

Digitized by Google

externis & domeſticis; & his quidem periculoſis. *inimici hominis domeſtici ejus.* *Bonfin. dec. 4. lib. 3. ad init. Curæus in Annal. Sileſ. ad an. 1470.*

bitâ celeritate, ut priùs ingentem miſerorum populorum multitudinem abduxerint, quàm quisquam hoſtes adventare audiviſſet : *Imperatorem & Polonum ; Stephanum item & Radulonem, hunc Tranſalpinæ, illum Moldaviæ VValachiarum principes.* Domî quoque factioſiores aliquos, Strigonienſi Archiepiſcopo & Quinque Eccleſienſi auctoribus, res novas moliri, nec facilè quieturos; itâ ut his multiplicibus periculis, maximè verò domeſticis ſeditioſorum procerum inſidijs petitus, certa ſibi & dignitati ſuæ, adversùs conſpirantes, præſidia maturè comparanda cenſeret; imò vereri cogeretur, ne dum alienum regnum appetit, proprium amittat.

quibus ad finem tendentibus, Matthias & Georgius ſeriò tandem ad pacem ſtabiliendam inclinant.

Igitur gravi certóque conſilio, per idoneos homines, *Georgium* ſibi conciliari, & cum eo priusquàm induciarum elaberetur tempus, de firma pace, primo qnoque tempore, æquis conditionibus, quarum potior eſſet, ut poſt mortem ejus in Regnum Bohemiæ ſuccederet, tranſigere conſtituit. Neque *Georgius* poſt tot multiplex bellum variâ fortunâ geſtum, animo ſeriò reputans, quàm ægrè quantóque detrimento & periculo, hucusque vim hoſtium tam domeſticorum, quàm exterorum ſuſtinuiſſet, â pace ſyncero tandem ſtudio ineunda abhorrere viſus eſt; modò tranquillitati populorum ſuorum, poſt tot perpeſſas calamitates, conſuleretur: ſcilicet ut ij partâ pace, quam tot concupiſſent votis, aliquantùm reſpirarent, nec cum extrema rerum omnium confuſione funditùs ſubverterentur. Imò, averſo jam penitùs â Polono animo, quòd is hortatu legati Pontificij, ſe notâ hæreſeos paſſim per Regnum criminari publicaríque pateretur, priorem de ſucceſſore futuro ſententiam mutavit, & in *Matthiam* potiùs inclinari cœpit; tanto promptiori ac liberaliori animo, *quòd ille ſibi, quoad viveret, Regnum quieta inpoſſeſſione concederet; Victorino autem, præter libertatem, vel Marchionatum Moraviæ, vel aliquem in Sileſia, aut Luſatia dominatum promitteret.* Ad hæc, quoniam *Matthias* nullos habebat liberos, ſpes oſtentabatur, ejus morte ad Georgij filios Regnum Bohemiæ redire poſſe. Neque id diſplicebat Bohemis, ut jam pauci numerarentur, qui de accerſendo Polono cogitarent.

Georgius offenſus Regi Poloniæ, ſucceſſionem potiùs Matthiæ favet: conditiones pacis propoſitæ:

ſed priusquàm illæ inſtrumentis authenticis, firmarentur, *Cromer. lib. 27.*

Jam *Bohemi Proceres* utriusque partis, ût narrat Cromerus, * *Polnam* convenerant, ut inter Reges tranſigerent, actáque tabulis firmarent; quod & factum fuiſſet, ſeriò inclinatis ad pacem utrinque animis, niſi *Oratores Cazimiri, Romam proficiſcentes* caſu interveniſſent; qui *Georgio & Bohemis*, ut nova tractatio ea de re omnis, ad usque ſuum reditum differretur, perſvaſerunt. Nec multò poſt, *Georgius* confectus non tam ſenio, quàm curis ingentibus, in quibus totum penè regiminis ſui tempus, non ſine gravibus quandóque difficultatibus tranſegerat; accedente inſuper hydrope, obijt, ætatis anno ſupra quinquageſimum primo, Regni tertio decimo, Chriſtiano 1471. die 22. Martij.

Georgius moritur: *dolendo minùs fato, ſi conciliatus Eccleſiæ obijſſet.* Ejus reſipiſcentia,

Sunt qui aſſerant, *Georgium* uno circiter anno, ante obitum pœnituiſſe factorum, quæ in Sedem Apoſtolicam protervè egiſſet; & magìs adhuc cùm *â Paulo Zidek denominato Epiſcopo Litomiſſlienſi*, viro in tuenda propugnandáque Religione Catholica indefeſſo, regia quædam documenta peculiari ſcripto comprehenſa, ſibíque initio anni 1471. Xenij locò oblata, quibus ad bonam tandem

tandem frugem haud obſcurè inclinatus eò citiùs perducetur, accepiſſet. Nec mora: *Canonicos Metrop. Prag.* qui apud Eccleſiam remanſerant, vocâſſe, & coram ijs animo ſupplici, & ad pœnitendum compoſito, præteritorum veniâ impetratâ, futuris fidem, ipſis verò Bonorum reſtitutionem, tutum ab inimicis præſidium, regiam ſuam gratiam, ac imprimìs debitam Sedi Apoſtolicæ reverentiam pollicitum. Cúmque inter hæc *Rokytczana* primarius hæreticæ ſuperſtitionis miniſter, & conſiliorum antehac regiorum vix non ſupremus arbiter, (hic enim unus adulando, atque gratiam Regis bonis malíſque artibus aucupando, adeò eum ſibi, mox initio regiminis, & antea, obſtrictum reddiderat, ut ille poſthabitis omnibus alijs, ejus conſilia ut plurimùm ſequeretur;) Regem acceſſiſſet, cúmque diſſertiſſimâ oratione hortari cœpiſſet, ut bono firmóque eſſet animo; neque ſe ab accepta â patribus, & jam tum ex Verbi Dei fontibus, & purioris vetuſtatis obſervantia mirificè illuſtrata religionis doctrina, ad Pontificiorum placita ſeduci pateretur. Regem neque audire illum potuiſſe, ſed convicijs proſciſſum, uti vaniloquum, mendacem, ſeditioſum turbulentúmq; â ſe amoviſſe; inhibuiſséq; ne ampliùs unquam ſibi in conſpectum ſub pœna exilij venire præſumat; ac inſuper dixiſſe palàm; quàm glorioſus Rex fuiſſem, ſi nunquam te audiviſſem. Utut ſit, Georgium ante mortem reſipuiſſe, & ad Catholicorum partes tranſijſſe, vel hoc pro argumento eſſe poteſt; quòd mortui corpus, in Eccleſia Metrop. S. Viti, in conditorijs Regum funeratum ſit: id námque niſi reconciliationis & pœnitentiæ ſigna dediſſet, Canonici ejuſdem Eccleſiæ, viri ſanè cordati, vix permiſiſſent. Confirmat id Cochlæus, & ex eo Florimundus Remund. hiſce: *Tandem adigente conſcientiâ, Georgius Rex â Saxoniæ Ducibus* (Erneſto & Alberto) *quod ille petijt, ut ipſorum interceſſione cum Pontifice reconciliaretur; aut impetrarent ſaltèm, ſi Excommunicationis contra ipſum latam ſententiam tollere omnino nollet, ſuſpenderet ſaltèm, quoad ipſe audiretur. Sed quemadmodum Eccleſia neminem è gremio ſuo excludit, ſic in ijs, qui eo ſemel exciderant, cunctanter & prudenter agit. Pontifex tamen in hac petione minimè difficilem ſe præbuit, & de cauſa ipſius, ùt & de pœnitentia, cogniturum ſe promiſit. Sed antequàm reverterentur ex Urbe legati, rex Georgius morbo conſumptus obijt.* Cæterùm filios Georgij *Henricum*, *Victorinum*, *Hynkonem & Boczkonem* Catholicè ac religioſè vixiſſe & obijſſe conſtat. Placet hìc audire, quod in Epitome rer: Bohem. quam ſperamus brevì prodituram in publicum, legitur: *Sanè (ſi verum dicendum eſt) etſi â Pontificibus ſæpiùs ab Eccleſia Communione Rex Georgius ſeparatus ſit: nulla tamen, quod ſciam, hæreſis (niſi quis Compactata hæreſin vocet) Georgio poteſt impingi, ſi quis publica acta diligenter inſpiciat. Negavit ſæpe verbo regio, unquam ſe neceſſariam Communionem ſub utraque Laicis aſſeruiſſe. Quòd verò ſub Utraq; Euchariſtiam ſumeret, nihil facit ad hæreſin: data erant Bohemis â ſynodo Baſilienſi Compactata, ſubſcriptis omnium Patrum nominibus, & miſſo Pragam Philiberto Conſtantienſi Epiſcopo Legato, Bohemis utraque Panis & Vini ſpecies, in Euchariſtiæ ſumptione permiſſa: eámque rem Eugenius IV. Pontifex probâſſe ferebatur. Exorti poſteà* ſunt

Hagek. Kutkem. an. 1471. Danbr. lib. 30. MS. An. Prag. Chron. Regino Hrad

& pœnitentia:

cùm priùs Rokytczanam amoviſſet,

Hagek cit.

quem ne in conſpectum quidem ſuum ampliùs admittere voluit.

Hagek ad an. 1470. Daubr. Hiſtor. Bohem. lib. 30.

Georgij Sepultura in templo Metrop. Prag. in mauſolæo Regum.

Florim. Rem. in Hiſt. de Ortu & Progreſſ: hæreſ. libr. 4. cap. 4. Joan. Cochl. in Hiſt. Huſſitar. lib. 12.

ipſius ante mortem, reconciliandi Sedi Apoſtolicæ deſiderium.

Filij ejus Catholicæ Religionis cultores.

MS. Chron. Regino Hrad. MS. Anon. Prag. Ælurius in Glaciogr.

Excuſatur utcunque Georgius:

lib. 5. cap. 17.

Digitized by Google

in hoc tamen jure merito culpandus, quod Compactatis nimis tenaciter adhæſerit, & Sedis Apoſt. mandatis ſeſe ſubmittere noluerit.

ſunt Pontifices, qui eam conceſſionem revocarent: reſiſtebat Georgius, & dividi ſibi Regnum ob religionem ferebat ægerrimè. Legatione igitur iteratò Romam miſſâ, petebat Compactata confirmari, non revocari: id cùm Pontifices nollent, exutâ S. Sedis obedientiâ, Rex in Comitijs, etiam ſuo ſanguine Compactata ſe defenſurum profeſſus eſt. Cúmque Catholici (Legatis Apoſtolicis plerumq; incitantibus) arma ſumſiſſent, Catholicos Rex perſequi cœpit, Eccleſiarum & Cœnobiorum bona dividere, aliáque patrare: ob quæ juſtiſſimè damnatus hæretici titulum reportavit. Nunquam tamen ipſe (ùt ex Actis publicis, & Transactionibus cum Rege Caſimiro, & Rege Matthia conſtat) nunquam animum & cogitationem depoſuit S. Sedi obedientiam deferendi, Pontificésque placandi, modò (quod pertinaciter nimis urgebat, & injuriam eſſe putabat) quod Concilium Bohemis ſemel indulſiſſet, ipſi non revocarent. Hæc eſt ſumma omnium Georgij malorum. Et infra. *Quod tum Georgius urgebat apud Pontifices, optimi poſtea Principes (ſed cum omni ac debita erga Apoſtolicam Sedem reverentia) Carolus V. & Ferdinandus I. urgere nunquam deſierunt. Impetravitq; Ferd. I. (quod Viennæ in Templo S. Stephani An. 1564. die Dominicâ poſt S. Viti feſtum, Pragæ verò 21. Junij per ArchiEpiſcopi Prag. Antonij decretum, publicatum eſt) ut omnibus in Regno Bohemiæ, Moravia, cæteriſque Provincijs vicinis Auſtriacorum Principum, liceret ſub utraque Eucharistiam ſumere. Meminêre ſenes, ex Societate quoque Noſtra Patres, in ſacello S. Annæ, in templo S. Clementis Pragæ, populo Catholico ſub utraque ſpecie Eucharistiam ſolitos porrigere.* Hucusque Balbinus.

Communio ſub utraque permiſſa tandem ab Eccleſia Rom.

Canonizatio S. Leopoldi:

Per id tempus agebatur valde inſtanter per Imperatorem, apud Sedem Apoſtolicam, de inſerendo faſtis Sanctorum *D. Leopoldo Marchione quondam Auſtriæ*: qua in ſancta re, Catholici quoque Proceres *Bohemi & Moravi*, operam interpoſuêre ſuam, apud Pontificem Max. utpote quem ſcirent ſibi, ob Catholicæ Religionis zelum, ſingulari benevolentiâ affectum; nominatim *Zdenko à Sternbeg, ſupremus Capitaneus regius* (ità in quodam MS. lego) *Terrarum in Regno Boh. & ſupremus Burggravius Prag. Henricus de Nova domo ſupremus Magiſter Cameræ Regiæ; Hynko de Lichtmburg, Dominus de Bitow, Cruce ſignatorum Capitaneus: Stephanus de Lichtmburg, Dominus de Bitow; Tobias de Bozkovicz & de Nigro monte, cæteríque Barones Regni Boh. & Marchionatûs Moraviæ, ſub obedientia S. Sedis Ap. exiſtentes, apud Sanctiſſimum Dominum noſtrum Paulum II. accuratam fecerunt inſtantiam, pro Divo Leopoldo in Sanctorum Album aſſumendo: ſperantes hujusmodi opus ſanctum, futurum ad plurimorum ſalutem & tranquillitatem, hæreticorum autem exterminium; prout ex eorum literis patet, datis Viennæ, die 11. Martij, an. 1470.* Et quod petierunt, hoc deinde, anno 1484. *ab Innocentio VIII.* impetrârunt.

pro qua, inter reliquos, apud Sum. Pontificem inſtabant, etiam quidam Proceres Bohemi & Moravi, an. 1470. impetrata tamen primò an. 1484.

CA-

CAPUT IV.

Wladislaus Cazimiri Regis Poloniæ major natu filius, eligitur Rex Bohemiæ, & coronatur: cujus initia regiminis, per Bohemiam & Moraviam, æquè turbulenta.

A Georgij deceſſu, Comitijs Pragæ novi Regis creandi causâ inſtitutis, neutiquam conveniebat inter Ordines: nam alij *Matthiam*, alij *VVladislaum*, alij *Fridericum Imp.* cupiebant. Nonnulli *Henricum* Georgij filium, ij præſertim, qui ab externo Rege ſibi metuebant: & hi pollicebantur futura in promptu *Alberti Marchionis Brandeb. cujus filia Urſula* Henrico nupta erat, auxilia. Aliqui *ad Regem Galliæ* inclinabant, quòd redimi ab eo regia, & Eccleſiaſtica bona exiſtimarent. *Ludovici* quoque *Bavari* mentionem faciebant. Nec deerat ſibi *Albertus Marchio Miſnenſis*, qui cum quinque armatorum millibus advenerat, quaſi opem laturus Bohemis, ſi quis eorum liberæ electioni vim inferre vellet: reverâ autem, ut ipſe etiam inter alios, *Candidatum Regni* ageret. Hæc poſtquàm Pragæ aliquandiu ſummis contentionibus gererentur, ad extremum Comitia, quò liberiora in deſignando Rege eſſent, *ad Kutneos montes* translata ſunt: metuendũ quippe erat, ne quis in Urbe, ob frequentiam populi ſeditioni obnoxia, & plerisque ſuſpecta, exoriretur motus. Ubi re totâ in concilio ſeriò deliberatâ, ac potiore numero Ordinum prævalente, *renunciatur Rex Bohem. VVladislaus Cazimiri Poloni filius, quindecim annorum adoleſcens*, eò acceptior cunctis, quòd Bohemicè loqueretur (id námque Majores noſtri ſpectabant maximè) & quòd maternâ ſtirpe, *à Carolo IV. Patre Patriæ* deſcenderet; tum etiam, quòd *Cazimirus Parens* promitteret ſe exſoluturum debita Regni, quæ trecentorum millium aureorum ſummam faciebant, placaturúmq; Pontificem, ad tollenda omnia edicta, contra Regnum Bohemiæ lata. Móxq; decreta legatio, quæ novum Regem in Regnum vocaret; reclamantibus licèt *Joanne Roſenſi, Zdenkone Sternbergio, & Henrico à Nova Domo*, qui *Matthiam* poſtulabant; & alijs non paucis, qui in *Maximilianũ Imperatoris filium*, egregiâ indole juvenem proniores erant: ità *rarò unus ad Regnum currit, quin trahat æmulum*. Legatos porrò miſſos in Poloniam pro accerſendo Wladislao, præcipuos invenio: *Paulum Præpoſitum Zderazenſem Ord. Crucigeror. Ctiborium de Cymburgo* ſupremum Moraviæ Præfectum, *Joannem de Cymburgo* Diſtrictûs Boleslavienſis Capitaneum, *Nicolaum de Landſtein, & Henricum de Smirzicz, cum Beneſſio de Oſtromirz, Nicolao de Nemyſſle, Joanne Radkovecz, Smilone de Przedenicz, Georgio de Lukavicz, Bernardo de Naſſli Ducatûs Oppavienſis Capitaneo*, & alijs de Nobilitate Bohema, & Pragenſi Civitate Veteri ac Nova, præſtantibus viris.

Regni Bohemiæ Candidati:

inter quos etiam Rex Galliæ Ludovicus XI. Ludovicus, item Bavariæ Dux, & Albertus Marchio Miſn.

Comitia Pragâ Kutnam translata: in quibus VVladislaus Regis Poloniæ filius, Rex Bohemiæ declaratur,

MS. VVrzeſoſcc. Cromer. lib. 27. Teeob. p 3. c. 24. Mſ Anon. Prag. Curæus cit. ad an 1471.

vel maximè propter iſtas cauſas: reclamantib9 licèt alijs, in Matthiam propenſis.

Legati in Poloniam pro Rege mittuntur.

VVeleslaß. in Calend. Hiſt. ad diem 16. Junij.

Oratores Matthiæ Regis,

nec audiuntur à Bohemis;

ſed abſcedere jubentur.

Aderant ijsdem in Comitijs etiam Oratores Matthiæ, *Gabriel Epiſcopus Agrienſis, & Nicolaus Chiupor Tranſylvaniæ præfectus*, qui Bohemiæ Regnum jam antea Regi ſuo â primarijs proceribus delatum, confirmari petierunt. Verùm hi, cùm maximè bellum hactenus geſtum excuſare, ac de futuris Regni commodis, exquiſitâ verborum ambage, loqui vellent, audiri ad finem uſq; ſecundis auribus non potuêre; contradicentibus adverſæ factionis proceribus, magnóque ſublato murmure, ut res propemodùm ad ſeditionem ſpectare videretur, reclamantibus: *nunquam ſe hoſtem, qui tot cruentis affeciſſet cladibus Bohemiam & Moraviam, cervicibus ſuis impoſituros.* Jámq; Matthias proferendi imperij cupidus, ſpéq; potiundi Regni quaſi certus, *Brunam*, ac inde *Iglaviam* cum tribus armatorum millibus venerat, rei eventum ſingulari aviditate opperiens. Sed non ſemper animo reſpondet eventus, neq; voluntas eſt abſoluta *Domina Facultatis: velle* ampliſſimum cuiq; conceſſum eſt, at *poſſe* limitibus arctis definitur. Spe ergo ſuâ fruſtratus *Matthias*, iráque ſimul & pudore repulſæ exardens, ſinè mora in Hungariam, ad comparandas majores vires, quas *VVladislao in Bohemiam profecturo* opponeret, receſſit, *Victorino in Moravia cum duobus equitum millibus relicto*; quem paulò ante, operâ ac interventu *Henrici de Lippa* (eâ tamen lege, ut civitates & caſtra, quæ in Bohemia habebat, ſibi traderet, & unà cum *Henrico fratre* ſuas ſequeretur partes,) ê cuſtodia ſolvi juſſit. Quoniam verò non ceſſabant gliſcere Hungarorum adversùs Matthiam odia, quæ, *poſteaquàm fama VVladislaum, Matthiâ præterito, Regem Bohemiæ creatum longè latéq; divulgâſſet*, altiùs eruperunt; exequi ea, quæ avido ad ulciſcendum animo deſtinâſſet, non potuit. Unde *Wladislaus* tantò majorem commoditatem, & ſecuritatem quoque proficiſcendi in Bohemiam nactus, confeſtim iter eò adornandum ſuſcepit; cùm priùs conditiones â Bohemorum legatis ſibi propoſitas, citra omnem difficultatem tergiverſationêmq; admiſiſſet, ijsque in forma pacti, præſente Rege patre, & præcipuis de Nobilitate Polonica, *Krakoviæ*, die 16. Junij ſubſcripſiſſet. Hæ erant, ùt illas *Weleslavinus* enumerat: I. *Electio Kutnæ facta, nè quidquam præjudicet Pragenſium privilegijs, cùm ex obſervatione antiqua, & ſtatuto etiam Ducum atque Regum, non debeat alibi Dux, aut Rex Bohemiæ eligi, niſi Pragæ.* II. *Compactata Rex defendere teneatur, & de Archi-Epiſcopo tali providere, qui non ſit ijs contrarius, ſed communis Pater ſit omnium, tam ſub una, quàm ſub utraque communicantium.* III. *Baronibus, Equeſtri Ordini, Pragenſibus alijsq; civitatibus, privilegia, immunitates, libertates, jura & leges, vetuſtas & laudabiles conſvetudines, inſtituta, poſſeſſiones rata habeat & confirmet.* IV. *Arcem Carlſteinenſem, Coronam Regni, Privilegia aliáque Cimelia, nulli committet, ſinè ſcitu & conſenſu Statuum Regni.* V. *Officia publica, præfecturas & dignitates, tam Eccleſiaſticas, quàm ſeculares nulli extero conferet.* VI. *Providebit, ut Georgius Rex, & ipſius quondam adhærentes â cenſuris Eccl. abſolvantur.* VII. *Nihil â Regno abalienabit, ſed abalienata recipere omni poſſibili modo conabitur.* VIII. *Joannæ Reginæ dotem relinquet.* IX. *Victorinum ſimiliter*, Hen-

Matthias Regni Bohemici cupidus, ſed ſpe fruſtratus.

Victorinus Georgij filius, partes Matthiæ promovendas ſuſcipit.

Rebellio in Hungaria contra Matthiam invaleſcit: cujus occaſione, VVladislaus ab hoſte ſecurus,

poſtquàm conditiones â Bohemorum legatis ſibi propoſitas,

(quæ hîc ordine recenſentur)

acceptâſſet:

& in præſentia Cazimiri Patris, ac præcipuorum de Nobilitate Polona, ijs ſubſcripſiſſet;

Henricum & Hynkonem Duces Münſterb. & Comites Glacenſes, Boczkonem item Fratrem illorum, Dominum de Kunſtat & Podiebrad, bonis ac ditionibus ſuis pacificè uti ſinet. X. *Sigiſmundum de Kaunicz, & alios in cauſa Regis Georgij captos, juvabit, ut liberentur.* XI. *Militibus ſtipendia ſolvet.* XII. *Ijs qui propter Regem Georgium bona perdiderunt, aſſiſtet, ut eadem recipiant.* XIII. *Cum Electoribus alijsq́, Principibus Imperij, utriusque Eccleſiaſtici & Politici Ordinis, pacem & amicitiam, exemplo Anteceſſorum ſuorum, colet.* XIV. *Alberto Saxoniæ Duci expenſas pro bono Regni factas compenſabit.* XV. *Dominos Apollonios de Vicetbum* (vulgò **Opſowe z Fiſtum**/) *juvabit, ut bona ſua recipiant.*

VVeleslaѷ. ad d. 16. Jun. Lupac. ad d. eand. MS. Anon. Prag. ad an. 1471.

iter in Bohemiam ſuſcepit:

His ſubſcriptis *VVladiſlaus*, poſtquàm & alia ad iter neceſſaria diſpoſuiſſet, acceptis à patre ſeptem millibus equitum, ác duobus peditum, ductóreque exercitûs *Paulo Jaſenio*, Goſdovianæ ſtirpis, viro rei militaris perito, 25. die Julij, *Krakoviâ* egreſſus, & â patre ad confinia Sileſiæ comitatus, iter in *Bohemiam* ſuſcepit. *Glacio* dum appropinquaret, *â Bohemis & Moravis*, propè *VVartam* occurrentibus, maximo cum applauſu, quo ei fauſtum fortunatúmque imperium, & vitæ diuturnitatem precabantur omnes, exceptus eſt: ubi in Regni finibus præſtito pro more juramento, *Glacium*, ac inde quatriduo poſt, *Pragam* petijt; quò Feriâ II. poſt feſtum *Aſſumpt. Beatiſſimæ Virginis*, circa horam diei ſextam venit, rectâque *in Eccleſiam Teynenſem*, honori ejusdem *Magnæ Dei Matris ad Cœlos Aſſumptæ, â D. Metudio ArchEp.* W*elebradenſi, & Moravorum Bohemorúmq́ Apoſtolo, ſub Borzivogio Duce Bohemorum è Chriſtianis primo, dicatam* ſeſe contulit, ibique Sacrificio Miſſæ audito, â Primoribus deinde Regni & Magiſtratu civico, cujus authoritas tunc eminebat, in vicinam *Aulam Regiam* deductus fuit, populo circumcirca adſtante, & magnis vocibus fælicia quæq; Regi novo apprecante. Nec cunctatū diu cum coronatione, cui Status Regni mox Feriam V. quæ tum incidit in *Octavam ejusdem Feſti*, indixerunt; & quam poſtmodùm tres Epiſcopi Poloni Regem comitati, in templo Metropol. ſolitis cæremonijs perfecerunt: *Epiſcopo Olom. ad quem aliàs jus coronandi Bohemiæ Regis, in abſentia Arcbi-Epiſcopi Prag. ex antiqua obſervatione pertinere dignoſcitur*, Matthiæ partes ſequuto. Sunt qui ſcribant Epiſcopos iſtos *â Sixto IV.* fuiſſe excommunicatos, eò quòd immiſſerint falcem ſuam in meſſem alienam, & propriâ authoritate, contra voluntatem *Apoſtolicæ Sedis*, quæ jam antea *Matthiam deſignâſſet Bohemis Regem*, alium coronare præſumpſerint. Poſt coronationem W*ladiſlaus* equo vectus, & coronam capite geſtans, deſcendit per urbem Minorem & Veterem ad Regiam, pecuniâ aureâ & argenteâ in populum quaquaverſùm ſparsâ.

Glacium venit; *Crom. lib. 27. Curæus in Annal. Sileſ. in Matthia Rege, ad an. 1471. MS. VVrzeſoѷ. An: Prag Chronic. Regino Hrad.*

inde Pragam petit; ubi magnâ omnium lætitiâ excipitur; in templum, ac inde in Regiam ducitur. Coronatur ab Epiſcopis Polonis;

Miechoѷ. lib. 4. cap. 62. babet diem 21. Aug. qui idcirco excommunicantur â Papa.

VVladiſlaus â coronatione ex arce redit in Urbem Veterem.

Atverò *Matthias* pacatis utcunque domî rebus, ipſo adhuc autumno, cum duodecim armatorum millibus, *Moraviam* ingreſſus eſt: tum ut civitates & arces fidis defenſſoribus, rebúsque alijs neceſſarijs, in tanta rerum ſuarum inclinatione firmiùs communiret; tum ut lubricam perduellium, qui â ſe defeciſſent, fidem, direptione bonorum caſtigaret; aut denique ſi copia

VVladiſlai in Bohemiam adventus, & inauguratio. Matthias rem ſuam in Moravia ſtabilire contendit:

Digitized by Google

contra quem, dum Bohemi cum Polonis egrediuntur,

ille Brunam retrocedit.

pugnæ foret, cum adverſarijs congrederetur, litémque præſentem pro poſſeſſione Regni Bohemici, *Marte judice*, terminaret. Jámq; vicino Bohemiæ limiti gravis ac metuendus eſſe cœpit: cùm inter hæc *Bohemi*, juncti *Paulo Jaſenio Polonici exercitûs ductori*, ità ut univerſæ copiæ tredecim millia bellatorum efficerent, *ad Polnam oppidum*, in ipſo Moraviæ aditu, caſtris conſiſtunt, ſeq; conſpiciendos Hungarorum turmis, *Iglaviâ* crebris vicibus excurrentibus præbent. Cognito autem *Matthiam* cum potiore parte exercitûs *Brunam* receſſiſſe, nil cunctandum rati, caſtra ſolvunt, & recedentem ê veſtigio inſequuntur. Auxit porrò alacritatem viris, miſſus ex Polonia nuncius, Hungarorum primores, quorum *Stephanus Perenius*, ob veteres ſimultates cum *Matthia* ſuſceptas, facilè princeps erat, â *Matthia* defeciſſe, & *Cazimirum Cazimiri Regis filium ſecundo genitum*, in Regnum accerſiſſe referens; jámque novum Regem cum haud contemnendo exercitu, *Petro Dunino duce*, in Hungariam miſſum, qui ſi in occupando Regno â fortuna deſtitueretur, id ſaltèm protrahendo bellum efficeret, ut *VVladislaus*, diſtracto Matthiâ domì, ſibi initia Regni eò firmiùs ſtabiliret. Veráque hæc fuiſſe paulò poſt certiori documento patuit; nam priusquàm *Bohemi & Poloni* iter illius diei abſolviſſent, nuncijs edocentur alijs, *Matthiam*, auditis novis longéque pernicioſis motibus domî recrudeſcentibus, ſumma cum feſtinatione maturâſſe in Hungariam reditum: neque de hoſte validum conſpici in Moravia quidquam, præter aliquot prædatorios globos, qui tamen negotio facili opprimi poſſint.

Novi in Hungaria ſeditioſorum motus,

Matthiam domum retrahunt.

Quod videntes Bohemorum duces, MS. Anon. à Polonis ſeſe ſeparant; &, contra dicente licèt eorum duce Jaſenskio,

in Bohemiam redire conſtituunt;

ea potiſſimùm de cauſa,

ut domî publicæ tranquillitati proſpiciant:

Quare Bohemorum duces, quorum præcipui erant, *Hynko de Waldſtein, Wenceslaus Hlozek Burggravius Regino Hradec. Sigiſmundus Czabeliczky, & Joannes Malovecz*, conſilio inter ſe habito, domum cum ſuis reverti ſtatuerunt: contra nitente licèt *Jaſenio*, qui cùm intellexiſſet, Bohemos poſtremo in agmine incedentes, commutatâ voluntate, currus & tormenta retrovertiſſe, haud parum exinde conturbatus, ſuiſque ſubſiſtere juſſis, illos multis verbis obteſtandos duxit, ne intermiſſis proſequendi hoſtis conſilijs, reverti vellent: nunc tempus adveniſſe, ut damna & injurias ab Hungaris illatas pro libitu ulíſcantur, ac de uniuerſi belli ſumma haud incertam victoriam reportent. Occaſione itáque præſenti utendum: ne deinceps apud omnes mortales, quibus ea conſtiterit, importunæ ceſſationis malè audiendo pœnas luant, aut inſolitæ formidinis, vel ignaviæ deſperationíſque notâ perſtringantur. Prævaluêre tamen in ſua ſententia *Bohemi*, eâ potiſſimùm ratione ducti quòd nequaquam conſultũ, imò contra prudentis viri conſilium ijs vidêretur; bellum extra fines Regni longiùs, quàm neceſſitas præſens poſtûlaret, velle proſequi; hoſtémq; in alieno quærere, & exercitum ancipiti periculo objectare, domí non dum pacatis rebus. Metuendum quippe erat, ne adverſa factio, quam pro Matthia ſteti ſſe ſuprâ meminimus, & quæ viribus plurimùm valebat, ſententiæ ſuæ pertinaciter inſiſtendo, novos in Regno concitaret motus.

veriti inſuper, ne cum fame plus, quam Marte certare cogantur.

Id quoque obſervabatur in Bohemorum oculis, ne ſi profectionem in *Hungariam* continuent, præter obvios hoſtes, etiam cum fame, ob annonæ & rerum victui neceſſariarum, quarum jam tum non levis oboriri cœpit, penuriam,

Digitized by Google

riam, luctari cogantur: totus enim is, per quem tranſeundum erat, *Moraviæ tractus*, toties Hungarorum injuriæ expoſitus, pabuli & commeatûs omnis generis ingentia detrimenta ſenſit, conſumptis, quæ mandi ſolent, penè cunctis; reſiduis verò per ſummam hoſtium nequitiam, igne corruptis, adeò *ut miſera plebs, inopiâ rerum preſſa ingenti, tenerioribus arborum frondibus, corijs, felibus, & id genus præter naturam cibarijs, veſci cogeretur.* Ità miſerandæ multiſque modis deplorandæ conditionis erat, per id tempus *Moraviæ ſqualentis & vacuæ facies*; ut omnibus, qui ejus olim claritudinis, ac rerum omnium è terra naſcentium uberrimæ abundantiæ meminiſſent, juſtas lachrymas excuteret. Sed neque *in Hungaria* affluentior commeatuum copia expectanda erat, ubi pari eventu, præſertim verò *in locis Moraviæ Poloniæq; conterminis*, fame laborabatur. Quamquàm enim eo anno lætæ utcunque arriſiſſent ſegetes; *Majo tamen menſe*, tempeſtates & aquilones inſoliti cum pluvijs coorti, florem ſegetum decuſſêre, granáque enaſcentia corrupêre. Quod verò veteris annonæ ſupererat, id â domeſticis exercitibus conſumptum, vel ab agreſtibus in ſubterraneis cellis & ſcrobibus ſcitè reconditum, nec facilè reperiendum fuit: ſic ut jam paſſim frumenti modius VI. & ampliùs aureis nummis veniret.

In Moravia frugum inopia & fames: unde miſerabilis totius Provinciæ facies. in Hungaria ſimiliter, (quod aliàs ante raró) rerum ad victum neceſſariarum penuriâ laboratum. *Bonfin dec. 4. Lib. 3. MS. Pernſt. Epiſtola Henrici de Lippa ad Petrum Kdalinecz. dat. Gemnicij, die 5. Octobr. an. 1471.*

Bohemis igitur domum revertentibus, *Jaſenius*, prout *â Cazimiro* Rege frequentibus monebatur nuncijs, iter ſuum *in Hungariam* proſequutus eſt. Sed expeditionis illius is fuit exitus, ut Poloni paulò poſt cum ſuo Principe inglorij, & cum haud mediocri clade, reverti cogerentur. Cùm enim copias, quas ſibi ad Hungariæ fines præſtô futuras *Hungari* pollicebantur, nullas viderent; inſuper famâ perciperent certâ, *Matthiam, proceres â ſe alienatos, partim vi ac terrore exercitûs, partim aſtu & ingentibus promiſſis ſibi reconciliaſſe*, ſpe ſuâ confuſi, & conſilij propemodùm inopes, remiſſiùs rem geſſerunt. Tandem veriti, ne ab hoſte, qui auctis in immenſum copijs adeſſe nunciabatur, circumvenirentur, ſolutis *ad Nitriam* tumultuariè caſtris, in tutiora ſeſe recepérunt, tantâ feſtinatione; ut multa caſtrenſis ſupellex, & non contemnenda commeatûs & alimentorum copia, quæ eò *ex Polonia, ſuperioréq; Sileſia*, tantâ abundantiâ advecta erat, ut ad menſem & ampliùs toti exercitui affatim ſufficere potuiſſet, in loco relinqueretur: quantum tamen concedi poterat, corrumpendis opera navata fuit. Tantâ verò perturbatione, ac rerum omnium confuſione iter, *per Trenczinenſem provinciam, & Carpathijuga Jablonkam versùs* ſuſcipiebant, ut dum quisque in progrediendo alterum præcedere contendit, multi in anguſtijs viarum obtererentur, alij de progreſſu altercantes armis inter ſe digladiarentur. Equites conſcenſis equis, nec ullius ferè expectato imperio, quà cuique libitum fuit, fugam dare: *Princeps* quoque *cum Dunino* alijsque ducibus, eodem modò ſine ordine progredi; quisque anxijs animis ſibi privatim conſulere, nullâ publici decoris aut virtutis curâ permoveri.

Poloni nihilominùs in Hungariam penetrant: ſed ab Hungaris Regi ſuo reconciliatis, deſerti nihilq; tentare auſi, ſolutis ad Nitriam caſtris, in tutiora verſùs montana, ſeſe recipiunt: qui receptus fugæ fuit ſimillimus. Cazimirus Princeps, Gilavæ aliquandiu ſubſtitit, Roſenbergæq; inde Krakoviam.

Interim *Matthias*, cognito Polonorum diſceſſu fugæ haud abſimili, ſummâ quoque celeritate adhibitâ, veſtigijs fugientium inſtitit, & extremum agmen,

Matthias fugientes perſequitur,

ultima agmina carpit,

curros ſpolijs oneratos diripit,

& ovans Budam revertitur.

Thuroc. part. 4. cap. ultim. Bonfin. cit. Cromer. lib. 17. Neugeb. Hiſt. Polon. lib. 6. MS. de Lippa, & Pernſt. Curaus. Schikfuſ. MS. Pernſt. ad an. 1471.

Bohemi pacatè domum revertuntur, & per diſtrictum Plſnenſem, Prachenſem Becbynenſemque hyberna capiunt.

agmen, quod pro tutela curruum impedimentorúmq; lentiùs ſequebatur, acerrimo impetu adortus, totum quantum oppreſſit aut diſſipavit. Quo facto, Hungari ad diripiendos currus ſpolijs onuſtos, alij verò ê poſteriori agmine in caſtra, quæ partim jam ſoluta erant, partim adhuc ſarcinis colligendis occupabantur, provolârunt, & utrobique magnâ omnium rerum prædâ potiti ſunt. Neque â proſequendo rei tam benè inchoatæ curſu deſtitiſſent, niſi ingruente nocte, & poſtea difficultate itineris præaltâ nive operti; accedente quoque horridâ ventorum ſtatim omnia congelantium vi, præpediti fuiſſent. Exacto hunc in modum hoſte, *Matthias* in ſacra hebdomade, *Budam* ovans redijt; legionésque magno labore defatigatas, (totâ námque hyeme in caſtris hybernârant) vernatum æſtivatúmq; dimiſit, ut equos & corpora reficerent. *Blaſium* verò *Magiari* cum duobus millibus, *in Moraviam*, pro tutela Provinciæ ire juſſit. Cæterùm *Bohemi* confectis lentiore greſſu itineribus, *& Iglaviæ ac Kolinæ*, quæ præſidio contrariarum partium tenebantur, mœnia pacatè prætervecti, neminíque infeſti, neque ipſi ab alijs laceſſiti, cùm paſſim commeatus amicè expoſitus tranſeuntibus præberetur, ſeptimis caſtris *Pragam* pervenerunt: inde verò aliqui *in regionem Plſnenſem*, alij *in Prachenſem Becbynenſémq;*, ne quis facilè ibidem locorum â factioſis ſuboriretur motus, ad hyberna conceſſerunt.

MS. VVrzeſovet.

Comitia Imperialia Ratisbonæ: ubi inter alia actum de Electione Bohemiæ Regis.

Dum hæc *in Bohemia & Moravia* variâ fortunâ aguntur, *Fridericus Cæſar*, Imperijq; Principes, ſolemnem *Ratisbonæ* celebrant conventum: ubi inter alia agitatum, de Bohemiæ Regis electione, *num rata haberi, & Wladilaus pro Rege & Electore Imperij legitimo agnoſci debeat.* Quamvìs autem legatus Pontificis, miſsíque â Matthia Oratores, eam vehementiſſimè improbarent, tanquam ab hæreticis, odio Religionis Catholicæ factam: inclinatio tamen Cæſaris atque Principum *in VVladislaum* prævaluit: ut pote quibus *jus vetus Bohemorum*, quod habebant in optandis creandíſq; Regibus, minimè ignotum eſſe potuerit. Quamobrem Pontifex (is erat *Sixtus IV. Pauli ſucceſſor*) qui Matthiæ Regnum faviſſet, Cæſari non parum ſuccenſuiſſe fertur. *Matthias* verò injuriam, quam ſibi fieri putabat, bello Auſtriæ illato, ùt infra memorabitur, ulciſci decrevit..

Præſidiarij monaſterij Hradiſſt. propè Olom. defectu alimentorum compulſi, an. 1471.

deditionem facere conſtituunt:

cives Olomuc. ad colloquiū invitent, conditiones deditionis proponunt:

Eodem anno in autumno *Georgius Sſatny*, poſt toties repetitam, & tunc longè acriùs inſtitutam *Clauſtri Hradiſſtenſis* obſidionem, cùm poſt tolerata ſatìs diu obſidionis incommoda, deficientibus tandem alimentis, famem ſibi imminere videret, & ſpes auxiliorū, neq; â Bohemis, neq; â Polonis ulla affulgeret, agere de honeſtæ deditionis conditionibus tempeſtivè ac priùs, quàm ad extrema redigeretur, conſtituit: & idcirco *cives Olomuc.* ad colloquium invitavit. Qui re in conſilium perductâ, & jam ante obſidionalium pertæſi laborum, referri juſſerunt, ſe omnino, ut publicæ quieti conſultum ſit, haud gravatis animis venturos: fidéque publicâ interpoſitâ, ſtatim die ſequenti manè in cœnobio comparent, & negotium deditionis aggrediuntur. Cúmque tempus diu multúmq; verbis diſceptando protraherent, nec convenire poſſent, quòd non tolerabiles ſatis conditiones ab obſeſſis proponerentur; cives priùs tacitis

inter

inter ſe ſermonibus colloquuti, ſe ea, quæ eſſent ultro citróque tractata, primoribus ſuis in Urbem relaturos dixêre, & adhuc ante veſperum, cùm illorum votis & ſententijs redituros. Dirempto colloquio, ad cibum ſumendum invitati, quòd jam meridiei tempus abijſſet, unà cum *Georgio*, & alijs notæ nobilioris viris diſcubuêre. Ne verò exiſtimarent eſui potuíque neceſſaria deeſſe obſeſſis, *Georgius* datâ operâ exquiſitiſſimis quibusque ferculis, quæ adhuc haberi poterant, menſam adornari juſſit; atque ità vafro conſilio, occultatâ famis neceſſitate deceptos, ad conditiones oblatas amplectendas, eò citiùs pertraxit. Redierunt nihilominùs in Urbem, & quæ egiſſent, quantáque ad huc eduliorum copiâ, talium etiam, quæ in dilicijs eſſe poſſent, obſeſſi abundarent, cuncta ordine retulerunt. Placuit itáque *Olomucenſibus* tractationem redintegrare; ac poſthabitâ omni comperendinatione, amicitiáque omni verborum atque hilaritatis artificio ſimulatâ, negotium his legibus componitur: *liceret obſeſſis cum omnibus rebus ſuis, ad ſeptem curruum pondus, cum equis & armis, in tutum abſque ullo maleficio ſecedere; Georgio octo millia aureorum Hungaricorum* (juxta alios florenorum Moravicorum) *duabus vicibus, ità videlicet, ut medietas ſtatim, reliquum deditione factâ numerarentur; denique captivi utrinque ſine pretio redderentur.*

aſtuto conſilio, famis neceſſitatem occultant:

& cum civibus honeſtè tranſigunt.

Transactionis leges:

Poſtquàm in hunc modum transactum eſſet, *Georgius* clauſtrum civibus tradidit; qui cùm obſeſſos extremâ inopiâ laboràſſe tum primò cognoſcerent, séque deceptos iniquè ferrent, *Georgio* pecuniæ reliquum perſolvere recuſarunt. At ille ad ulciſcendam injuriam promptus, montem Laupežnik dictum, haud procul ab oppido *Geviczko*, pro exercendis latrocinijs, utì vel ex ipſo nomine, quod *prædonem* ſonat, adverti poſſit, valdè opportunum, cum ſuis commilitonibus occupavit; auctóque ex perditiſſimis quibusque agmine, *Olomucenſes*, eorúmqne ſubditos populos excurſibus crebris, tam diu infeſtavit, donec reſidua quatuor millia ei perſolverentur. Quo facto, in Bohemiam abijt, *Litomiſſlij* poſtea *ab Alberto Koſtka loci Domino*, præfectus caſtri conſtitutus.

quas dum cives deceptos ſe videntes, integrè adimplere renuunt, præſidiarij vias publicas latrocinijs infeſtant, & cives ad ſatis faciendum conditionibus compellunt.

MS. Annal. Monaſt. Hradiſſ. part. 1. in Gregorio Abbat. XXVIII an. 1470.

Abbas, (ut hìc paucis de eo, ac cœnobij ſtatu inſinuem) videns ſe odio eſſe apud Cives ingenti, *Oppaviam* conceſſit; neque ullo modo quoad vixit ijs, minùs verò *Matthiæ Regi*, reconciliari potuit, ſed exilium ad mortem uſque tolerare, Bona autem monaſterij â profanis hominibus, non ſine gravi rerum divinarum injuria, occupata ſpectare cogebatur. Primò *Joannes de Proſtanna*, *Joannis Epiſcopi VVaradinenſis genitor*, concedente Rege, ea uſibus ſuis applicuit: mortuo illo, quidam equeſtris Ordinis, *Benevicz* dictus: poſtea *VVilbelmus Tettaur Moravus*, Matthiæ Regis militiam ſequutus, & rebus ubique, potiſſimùm verò ad obſidionem Viennæ an. 1477. præclarè geſtis inſignis, ideóque Matthiæ ſummè charus: ac demum pupillorum ejus locò *Joannes de Zerotin*. Donec anno ab alienatione 28. *Joannes Abbas*, cognomento *Hitzko*, favore Wladislai Regis adjutus, jure quaſi poſtliminij in priſtinam eorum poſſeſſionem redijt.

MS. ex Archivo Curiæ Olomuc.

MS. Pernſt.

MS. Anonymi cujusdam, anno 1581. oblatum Joanni ſeniori Ssatný de Olšeto habet an. 1476.

Miſerabilis Cœnobij Hradiſſt. ſtatus.

Bonfin. rer. Hung decad. 4. lib. 5.

MS. Monaſt. Hradiſſt in Joan. Abbat. XXX.

 Sed

Digitized by Google

Dubium circa annum liberati ab hæreticorum poteſtate Cœnobij. quod cauſat *Breve Apoſtolicum*, datum ad Epiſcopos VVratisl. & Olomuc. quo jubentur curare demoliri illud cœnobium, ſi ità è Rep. videatur, ne civitati ſit nocumento, prout antea ſæpiùs;

Sed circa annum liberati ab hæreticorum præſidio hujus cœnobij, poſſet aliquod oboriri dubium, eò quòd *Paulus II.* in ſuis *ad Epiſcopos Olomuc. &* W*ratislav.* literis, datis anno 1469. illud jam tunc armis *Matthiæ Regis* recuperatum fuiſſe dicat. Audiamus literas. *Paulus Epiſcopus ſervus ſervorum Dei. Venerabiles fratres. Salutem & apoſtolicam benedictionem. Tam ex tuis Epiſcop.* W*ratislavien: quàm nonnullorum aliorum literis intelleximus, quàm periculoſum pernicioſúmq; ſit Communitati Olomucenſi, monaſterium Gradiſſt. Ordinis Præmonſtr. extra muros Olomucz. cui adjacet: quod his diebus experientiâ compertum eſt, cùm hæretici illud occupantes, maxima damna ipſi Civitati, non ſine maximo periculo intulerint, illudq; Deo volente, jam per Chariſſimum in Chriſto filium noſtrum, Matthiam Regem Hungariæ Illuſtrem, è manibus hæreticorum evictum, & habitum eſſe. Propterea volentes ipſi Communitati, nobis etiam hoc humiliter ſupplicanti, ne deinceps tanto periculo agitetur, quòd omnino præcavendum eſt, oportunè de benignitate Apoſtolica providere, Fraternitati veſtræ committimus, & mandamus, ut ſi ità ſit, & vobis videatur,*

exceptâ ſolùm Capella S. Stephani: redditus verò ejusdem bifariam dividi; & partem Eccleſiæ Cathedrali; partem Communitati Olomuc. applicari; cum ſcitu & facultate Matthiæ Regis: *Cod. min. lit. publ. fol. 310. Ex Archivo Curiæ Olomuc.* expenditur, & ſolvitur.

fortalitia ac muros ejusdem monaſterij demoliri faciatis, ac ſolo æquari; relictâ ſolâ Eccleſiâ, ſive Capellâ ejusdem monaſterij S. Stephani nuncupatâ, adeo quòd hoſti præſidio ampliùs eſſe minimè poſſit. Fructus verò, redditus ac emolumenta ejusdem monaſterij, per aliquem virum Eccleſiaſticum ad hoc idoneum colligi faciatis, & pro veſtra providentia, Eccleſiæ Cathedrali, ac Communitati Olomucenſi æqualiter diſtribuatis & aſſignetis, ac auctoritate noſtrâ approprietis; ordinationibus & Conſtitutionibus Apoſtolicis in contrarium facientibus non obſtantibus quibuscunq;. Super quibus plenam tenore præſentium vobis concedimus facultatem. Volumus nihilominùs, quòd in omnibus his interveniat conſenſus prædicti Regis, quem confidimus etiam utilitati, honori & commodo dictæ Eccleſiæ & Civitatis non repugnaturum. Dat: Romæ apud S. Petrum, anno Incarnationis Dominicæ 1469. VIII. Cal. Junij, Pontificatûs noſtri anno V. Nihilominùs aliunde, & ex Scriptoribus eo tempore viventibus liquidò conſtat; obſeſſum quidem tunc fuiſſe, & maximè oppugnatum cœnobium, non tamen expugnatum, ſed primùm biennio poſt. Audiverunt haud dubiè *Romani*, illud *à Matthia Rege, & civibus Olomuc.* acriter oppugnari, nec diu reſiſtere poſſe tantæ potentiæ; & fortaſſe paulo poſt, fama vana de eo capto Romam allata fuit: hinc error.

Procopij de Rabſtein, cujus ſuperiùs fuerat mentio frequens, obitus; *Zidek lib. 2. ad Georg. Regem.* vindicatur ab injuria, *Vir præſtantiſſimus.*

Eodem anno, nempe 1471. die 11. Aprilis, piè in Domino obijt *Procopius de Rabſtein*, ſupremus Regni Bohemiæ Cancellarius, vir Catholicus, morum elegantiâ, & literarum cognitione, rerum uſu & facundiâ, alijsque præſtantiſſimis ingenij dotibus, inter paucos ætatis ſuæ numerandus; ùt de eo teſtantur *Æneas Sylvius, Jacobus Cardinalis Papienſis, Gobellinus, Cochlæus, Gerardus de Roo*, pluréſque alij. Errat *Paulus Zidek*, qui hominem exiguâ doctrinâ præditum fuiſſe memorat: vel dicendum, ſcripti illius, ſicuti nec alterius, quod de *Zbynkone Hazmburgico ArchiEp. Prag.* circumfertur, non eſſe *Zidekum* authorem, ſed aliquem alium impoſtorem. Illius porrò mentionem hoc loco paucis facere volui, ut honorem *Summi viri*, & de Republica benè meriti vindicarem.

Anno

Digitized by Google

Matthias expeditionem ſuſcipit in Moraviam,

Anno 1472. *Matthias* in id unicè intentus, ut illatis in Bohemiam armis, vel Regnum ſibi debitum, etiam authoritate Summi Pontificis, aſſereret; vel contemptum ex repulſa, igni ac ferro ulciſcetur, bellum majore, quàm unquam antea conatu, *Wladislao* inferre ſtatuit. Sed gliſcentibus domi novarum diſcordiarum fomitibus, metu etiam â Turcis ingruente, rebus ſuis potiùs invigilandum duxit. Poſtmodùm tamen, autumno appropinquante, percurſâ celeriter Moraviâ, *Iglaviam cum octo armatorum millibus venit*; ac inde in Bohemiam properavit, aſſumpto unà *Victorino*, â quo *Pardubicium*, *Kolinam*, *Nymburgum*, vigore pactorum, reſtitutæ libertatis causâ, contra dicente licèt *Wladislao*, recepit, ſuóque præſidio communijt; *Hungaris*, & *Germanis Cruceſignatis*, in obvia quà tranſibant, hoſtilem in modum graſſantibus. *Bonfinius* ſcribit, *ad vicinos uſq; montes, qui Pragam circumvallant, diſcurſatum & vaſtatum fuiſſe*, Regêmq; civitates non paucas, metu damnorum ad deditionem compulſas occupâſſe; ijsq; per Bohemiam & Moraviam præſidio firmatis, in Hungariam redijſſe. Paulò poſt venit Româ Pontificius Legatus, *Marcus Barbus Venetus presbiter Cardinalis*, qui pacem inter *Matthiam*, *Cazimirũ & Wladislaum Reges* componeret, â *Sixto* miſſus; ſummo enim ſtudio Pontifex utrinque reconcilitos cupiebat, eo videlicet pio juxta ac ſalutari conſilio, ut pacatis domî Chriſtianorum Regnis, & ſociatis terrâ maríque viribus, ſacra expeditio eò valentior, ad inferenda Turcis arma adornari poſſet. Urgebat idem *Uſſumcaſſanus Rex Perſarum*, qui eo tempore *Trapezunte & Synopoli* expugnatis, *Aſiáque minore ferè totâ armis* ſub poteſtatem redactâ, *Turcam* gravi bello exagitabat: útque Chriſtiani Principes eâ occaſione, tanquam divinitùs oblatâ, in rem ſuam uſi, Græciam militari robore exhauſtam, invaderent, ac formidandum ſibi aliquando tyrannum *Europâ* eijcerent, per legatos ſuos ſeriò hortabatur. Vix tamen aliquot menſium inducias ab ſe impetrari *Matthias* paſſus eſt.

inde in Bohemiam; ubi civitates quasdam â Victorino ſibi traditas, præſidijs ſuis firmat.

vaſtis cladibus omnia obvia complet.

Cromer. lib. 27 ad fin. Ros lib. 8.

Bonfin. dec. 4. lib 2. ad fin.

Legatus Pontificis de pace inter Matthiã & VVladisl. agit.

Rex Perſarum Turcam in Aſia premit, & ut idem faciant Chriſtiani Principes in Europa, hortatur

Ap. Biſar. rer. Perſ. lib 10. Miechov. lib. 4. cap. 69.

Induciæ inter Math. & VVlad.

His finitis, *Wladislaus* ad recuperanda loca, quæ præſidijs adverſæ factionis tenebantur, animum virêsque convertit: miſsóque *Joanne de Janovicz & in Petrsburg, Supremo Regni Burggravio*, cum ſeptem millibus peditum, & ſexcentis equitibus, primò omnium *Nymburgum*, quòd ex eò fierent acerbæ hoſtium excurſiones, per viciniam longè latéque, ſæpiùs ad Pragam uſq; totâ vi adoriri juſſit. Quod tametſi loco admodùm opportuno, patenti in planitie, *inter Albis & Mrlina confluentem*, ſitum ſit; muro inſuper lateritio, & profundâ eâque ſtagnante aquis foſsâ probè munitum; proditione tamen civium, quibus Hungari hoſpites avarè & crudeliter imperitantes fuêre multùm graves, haud difficulter in poteſtatem *Janovicij* ceſſit: qui illud nocturno inſultu, appoſitis ſcalis, nec expectatis, quæ Pragâ tardiùs vehebantur, tormentis, ijsdem civibus auctoribus & ductoribus occupavit. Inde *Kolinam* itum: quam tamen aggredi *Janovicius* non eſt auſus, quòd novo eóque forti Cruceſignatorum præſidio firmatam cognoviſſet; & per ſe etiam oppugnatu difficilem, (duplici muro ex una parte, & præaltis turribus foſsâque circumdatam; ex altera verò, quà *ſiniſtram Albis ripam* attingit, penè inacceſſam)

VVladislaus miſſo Supremo Regni Burggravio cum exercitu,

Nymburgum proditione civium recuperat:

MS. Anon. Pragenſ. VVrzeſoveo. Litomiſſl.

Maleſſovium item, haud ignoraret. Quare vitatâ illâ, *Maleſſovium* non procul inde ſitum caſtellum, quod ad *VVenceslaum Salavam* ſpectabat, ſed partibus Matthiæ adhæſerat, petijt; illudque parvo negotio cepit, *Salavâ* paulo antè, beneficio noctis in tutiora profugo: qui deinde ſaniora amplexus conſilia, recipi â Wladislao in gratiam ſupplicavit, & mediantibus *Beneſſio â VVeitmille affine, & Joanne â Raupovv*, Regi ſingulariter charis, facilè impetravit.

& Lichtembergam, Hunc porrò victoriæ curſum ſtrenuè proſequutus *Janovicius*, contra arcem *Lichtmbergam*, nuper *âb Henrico Vitta de Zrzavve*, qui Zdenkoni Sternbergio tum militabat, aſtu occupatam, duxit: quam admoto ſolùm terrore tormentorum, (quanquàm ea nec pilis, nec pulvere onerata eſſent,) deditione accepit. Et converſo in arcem *Ledeczenſem*, quæ *Joannis â Lomnicz*, Baronis Moravi, per uxorem *Martham de Rauſinovv* proximè defunctam, hæreditaria erat, impetu; eam ſimiliter, poſt trium dierum oppugnationem, dedentibus ſeſe præſidiarijs, in poteſtatem redegit: cùm ſub id tempus, aut non multo priùs, etiam *Burian Trczka, Lipnicij Dominus*, partium Wladislai fidus aſſecla, *Polnam arcem*, nocturnâ ac ſubitaneâ irruptione Cruceſignatis extorſiſſet. Quibus rebus effectum eſt, ut complures ex Bohemis, utriuſq; Ordinis, tam Barones quàm Equites, qui ad Matthiam deſciverant, *â Janovicio* ſibi metuentes, illiúsque auctoritate & monitis permoti, relictâ Hungarorum factione, *ad VVladislaum* redierint, â quo in gratiam facilè recepti ſunt. Hæc *in Bohemia*, per æſtatem anni 1472.

Ledeczium, & Polnam.

Plerique ex Bohemis, relictis Matthiæ partibus, ad VVladisslaum redeunt.

At *in Moravia*, *Ctibor â Cymburgo & Tovaczovio*, quem *VVladislaus* Supremum Provinciæ Capitaneum conſtituerat, difficiliora omnia experiebatur; eò quòd potior Nobilitas, & civitates regiæ penè omnes, *Hradiſſtio* tantùm & *Unczovio* exceptis, *Matthiæ* adhærebant tunc adhuc conſtanter. Primū biennio poſt, quando *Joannes â Pernſtein*, vir aliâs priſci moris rectiq; tenax, ſed tunc, incertum, quam ob cauſam, Hungaris offenſus, *& Hynko junior de VValdſtein, Slavkoviæ Dominus*, ſeſe abſtraxerant â Matthiæ partibus; tum eorum exemplo, facilè & alij plures, quorum præcipui leguntur: *Joannes â Zierotin, Ctibor ab Horka, Hynko de Pruſinovicz, Henricus Kotulinsky & VVitko Lbotsky*, in partes Wladislai conceſsêre: præſertim cùm ille, omnibus & ſingulis ad Majeſtatis ſuæ obſequium redeuntibus, promitteret verbo regio gratiam, præteritorum veniam oblivionémque.

Moravi in fide & obſequio Matthiæ tenaciores: aliqui poſtmodùm pertæſi Hungarorum, partibus VVladislai accedunt. *MS. Pernſt. MS. ex Arch. Lippao. MS. Caſini de Famil. Zierot. oblatum Carolo ſen. â Zierot. an. 1609.*

Initio anni ſequentis, qui erat an. 1473. *Cardinalis* obtinuit, ut Hungariæ, Poloniæ & Bohemiæ Regnorum proceres, *Niſſam Sileſiæ urbem* convenirent, de pace acturi. Quod dum fit, *Matthias* cum quatuor millibus militum *Brunam* accurrit, Bohemorum animos ê propinquo ſollicitans, Duces verò Sileſios varijs artibus interſe committens. Dilatis igitur in præſentiarum ineundæ concordiæ rationibus, irritôque hoc conventu, alius adnitente diligenti operâ Cardinali, *Oppaviam*, quò Hungari quidem & Poloni octoni, Bohemi verò ſeni convenirent, ad medium Auguſti menſis, indicitur: in quo tamen pari eventu nihil operæprecij transactum eſt: quòd non tolerabiles ſatis conditiones, â *Matthia*, doloris ex repulſa non dum oblito, júsque in Regnum

de pace iterum Niſſæ agitur, an. 1473. ſed in vanum. Matthias Brunam venit.

Novus pacis cauſâ conventus Oppaviæ ſuſcipitur:

Bohe-

Bohemiæ præfervidè ſibi vendicante, proponerentur. Ità *Oppaviâ* quoque, infectis rebus, diſceſſum eſt, & pax tantoperè expetita, ac ſubjectis populis, poſt tot perpeſſas calamitates & miſerias, ingenti futura commodo, Matthiæ pertinaciâ interturbata fuit. Hinc recruduit bellum, cujus furorem potiſſimùm, ùt antè, *Moravia* tulit; cùm ea, quæ unius & alterius Principis obſequium exigeret, minimè poſſent ullâ quiete adminiſtrari, quin ea quæ *VVladislao* ex uſu eſſent, *Matthiæ* minùs probarentur; & è contra.

ſed fruſtra.

Bellum renovatur.

Afflictiſſimus proinde erat ubique rerum ſtatus, miſeranda tam plebis, quàm Nobilitatis conditio, ut nec cui fidere tutò deberet, quisquam ſcire poſſet. Nam ùt quævis factio quovis in loco armis potentior erat, ità ſubditi eam admittere cogebantur, quorum paulò poſt ab adverſa factione oppreſſi pœnas darent. Qui *VVladislai* ſequebantur partes, *â Matthia* ejúsque fautoribus, quoquo modo vi & aſtu opprimebantur; & viciſſim, qui *Matthiæ* ſtudebant, *â Bohemis & Polonis*, crudeliſſimè verò omnium *ab acephalo*, (ſic dicto, quòd de factionis ejus authore non conſtaret) *exercitu*, colluvie quâdam militum, qui ſeſe priorum, de quibus meminimus ſupra, exemplo, fratres vocabant, damna ingentia, & hoſtilia quæq; pati neceſſe fuit. Fratres iſti, primò *Matthiæ*, rebelliúmq; Auſtriæ, quorũ anteſignanus erat *Andreæ Paumkircheri*, non pridem ex mandato Imperatoris, *Gracij Styriæ*, capitali ſupplicio affecti filius *Guilhelmus*, inſtinctu, *Auſtriam* populabantur: poſtea verò, quòd emeritis *â Matthia* ſtipendijs fraudarentur, retortis in illum armis, *Moraviæ loca ei ſubdita*, demum etiam Hungariam crudeli regionum depopulatione longè latéque infeſtabant. His igitur per Moraviam actis miſera plebs, atque etiam Nobiles utriusque partis, ſuo malo experiebantur, fieri non poſſe, utì duobus Dominis diverſa volentibus, commodè & absq; periculo ſerviatur. Bello poſtea feliciter contra acephalos geſto, *Matthias*, quòd eos ad Cazimiri nutum, irrupiſſe in Hungariam ſuſpicaretur, ut injuriam hanc ulciſceretur, initio Februarij, anni 1474. ſex millia armatorum in ſubmontanam Poloniæ oram irruere juſſit: ac nullo reſiſtente, oppida & caſtella multa cœpit, nonnulla præſidio ſuo firmavit, alia diripuit & ſuccendit: ex ijs, ſolos pagos, præter oppida, *Curæus* ſupra bis mille; *Cromerus* ducentos, quod vero ſimilius videtur, fuiſſe meminit.

Afflictus Moraviæ ſtatus: miſeranda tam plebis, quàm Nobilium conditio. Acephali fratres (colluvies militum ſic dicta) Moraviæ graves: quam longè latèque populantur. Gerard de Roo lib. 8. Cuſpinian. Mſ. VVelebrad. Ord. Ciſterc. in Moravia.

Quàm difficile duobus Dominis ſervire! Roo lib. 8. ad an. 1473. Matthias Poloniam vaſtat. Cromer. lib. 28. Curæus in Matthia Rege.

Nihilominùs tentatæ rurſum pacificationes frequentes, cùm Proceres non pauci, tam *Bohemi & Poloni*, quàm *Hungari* dolerent, Reges tanta cum ferociâ, ad internecivi uſq; odij atrocitatem, ſitire mutuum ſanguinem; Regna verò & nobiliſſimas Provincias, non ſine rerum divinarum humanarúmq; confuſione, aſſiduorum penè bellorum incendio deflagrare ac peſſumdari; adeò, ut jam complures regiones diffugientibus populis, quorum in operâ & labore antea, & publicæ & privatæ conſiſtebant res, in extremam ſolitudinem & vaſtitatem redigerentur. Et quia per id tempus *Mahometes* Turcarum tyrannus, *Kovaczovium*, ſeu *Jaiciam*, *Boſnenſis Regni caput* obſederat, *Matthias* exinde pronior ad pacem, eam qualitercunq; tandem cum Bohemo & Polono inire decrevit. Quæ poſtmodùm his conditionibus ſtetit: *munitiones interceptæ & captivi utrinq; reddantur; damnorum datorum acceptorúmq; utrobiq;*

Nova tractatio pacis; in quam pars utraq;, alternas belli vices jam ſatis ſupérque experta, metu quoque à Turcis accedente, ſeriò inclinat.

Induciæ ad triennium,

ſit oblivio; Hungaro cum Polono & Bohemo, triennes ſint induciæ, quas ſi quis Regum violare vellet, ſubditi nè ei obtemperare teneantur: ex adverſo, ſi alius quiſpiam hoſtile aliquid præſe ferret, ab omnibus pro hoſte ac perduelli haberetur, nihilo tamen minùs induciæ firmæ exiſterent. Quæ tamen diuturnæ non fuerunt: ſiquidem *Matthias* depulſis ab obſidione *Jaiciæ*, ſolâ tantùm adventûs ſui famâ Turcis, cùm triumphabundus in Hungariam rediiſſet, victoriâ ac rei benè geſtæ inſolens, præter alia multa reſumendi contra Bohemos & Polonos belli irritamenta, *etiam Moravos* (verba ſunt Cromeri) *quorum pars magna cum VVladislao ſentiebat, infeſtare & ſubigere non intermiſit.* Unde *VVladislaus* miſſis in Poloniam legatis, binis vicibus, opem *à Cazimiro patre* enixè flagitabat: cui is viginti quatuor aureorum millia in ſubſidium belli miſit.

quas tamen Matthias, victoriâ de Turcis obtentâ ferox, integras nequaquam ſervat.

Cromer. lib. 28. Roo lib. cit.

Bellum majoribus partium odijs & viribus recrudeſcit:

Anno 1464. *Matthias*, cognito *Polonum* moliri adversùs *Sileſios* bellum, ut eum celeritate anteverteret, contracto *ex Hungaris & Moravis* ſibi adhærentibus exercitu, & *Laurentio Nicolai Boſnæ Regis, Syrmijq; Ducis filio*, cum expeditiſſimo equitatu, unà aſſumpto, in *Sileſiam* ocyùs movit, & *ad Wratislaviam*, die 13. Septemb. caſtra metatus eſt. Paulò poſt accurrit eò ex Polonia *Cazimirus*, cum LX. millium exercitu, ex Bohemia verò VVladislaus cum XX. millium, potiori ex parte peditum; eo uterque animi propoſito, ut tandem cum Hungaro, *de Sileſiæ & Moraviæ imperio*, totis viribus decertarent. *Communierat Matthias caſtra ſua* (ità narrat Cromerus) *ad urbem, apud monaſterium S. Vincentij, ut è re nata poſſet conſilium capere: inde tacitus ſpeculabatur, quid Reges incœptarent, cum ſuſpirijs dictitans, ſi tantas taleſque haberet copias, quantas & quales contra ſe hoſtes ſui adduxiſſent, facilè ſe totum Orbem terrarum imperiò ſuo ſubjugare poſſe. Cæterum ij deſides & inertes, tempus terere, & nihil in medium conſulere. Svadebant nonnulli, ut Reges alveum fluminis, aquâ paucorum dierum labore aliò derivatâ, ſiccarent, traductáque eò copiarum parte, urbem undique obſidione cingerent: ſed & hoc, & omnia ſalubria conſilia in irritum cadebant, operâ unius cujuſpiam Conſiliarij, à Matthia, ùt creditum eſt, corrupti; in cujus conſilijs Reges maximè acquieſcebant, cùm ipſimet conſilio non multùm valerent: atque is, quinam fuerit, Dlugoſſius non memorat. Agri modò & pagi vaſtabantur, diſcurſantibus quoquoversùs Polonis Bohemisq; ſinè certo duce ac ordine. Cúmque in eodem loco diutiùs caſtra eſſent, & villæ ac molitrinæ circùmquaque improbè exurerentur, duplex malum exercitum invaſit, peſtis & frumenti inopia.*

Cromer. cit. in quo tamen proſequendo, Poloniæ & Bohemiæ Reges,

quamquàm viribus longè ſuperiores,

tepidè nimiū agunt;

ignaviæ & ſupinæ in diſciplina militari negligentiæ meritò accuſantur.

Matthias per inſidias Polonos aggredi & opprimere tentat;

Nihilominùs minoribus prælijs, & excurſionibus perſtringebant ſeſe interdum acriter; præſertim die 12. Octobr. dum adhuc *Cazimirus*, ad *Olaviam*, quatuor milliaribus *Wratislaviâ*, ſtativa haberet. Nam *Matthias* belli cupidus, ut initio ſtatim expeditionis, Polonos inſigni aliquâ clade afficeret, ijsque oſtenderet, cum quo ſibi bellum gerendum foret; ſciens inſuper, illos nullo ſervato diſciplinæ militaris ordine vagari hinc inde, omnia per ocium & ſocordiam transmittere, non ducum imperia ſequi, ſed rapinis ſolùm ac ſpolijs inhiare: equitatum omnem, & peditum ſelectiſſimorū tria millia, noctu con-

tra

tra illos emiſit. Qui citatìs paſſibus, ſummóque cum ſilentio progreſſi, cùm exoriente Sole, primò omnium in pabulatores, ad pagum *Zvanovice*, nihil hoſtile opinantes, ac ſecurè & ſine ordine diſcurſantes, impetum feciſſent, negotio facili eos in fugam verterunt. Nec mora, ſimili cum ferocia caſtris imminent Polonorum, eáque magno ſublato clamore aggrediuntur: dum ê contra Poloni, ac primò omnium prætoriani milites, qui præ alijs diligentiùs, excubijs per ſtationes conſtitutis vigilabant, ad arma concurrunt undíq;. Pugnatum ex utraque parte diu ac fortiter. Ultimò quùm opitulatum ſuis, *Lithvani & Tartari*, accurriſſent magno numero, *Hungari equites* eâ hoſtium multitudine perterriti, pedem referre cœperunt: quibus ommiſſis illi, vim omnem converterunt in pedites; quos (tametſi acerrimè pugnantes) in orbem indagine veluti clauſos circumvenêre, ac demum quoque poſt diuturnum cruentúmque certamen, terga dare coegère. Cæſi ex parte Hungarorum, maximè verò pedites, qui potiſſimùm ex Moravis conſtabant, circiter mille: capti præter gregarios milites, ſexaginta nobiliores; inter quos fuêre Tribuni regij, *VVilhelmus à Pernſtein Moravus*, *Petrus Haugvicius*, (hunc aliqui *Sileſium*, alij *Moravum* volunt,) *& Paulus Charvat Croato-Hungarus:* quos *Fabricius* interfectos non rectè memorat. Nam conſtat *VVilhelmum* vixiſſe anno 1479. *Supremum Moraviæ Camerarium*, poſtea *Supremum Regni Bohemiæ Præfectum*, & primùm anno 1520. obijſſe plenum dierum, relictis duobus Filijs, jam tum quoque magnæ authoritatis, utpote verſantibus in officijs publicis, *Joanne & Adalberto.* Hic *Commentarios de rebus Huſſiticis, & de mutatione Religionis in Moravia & Bohemia*, idiomate partim Latino, partim Bohemico conſcripſit; ſed quos mihi integros videre non dum licuit: aliqua tantùm fragmenta, &, ùt reor, manu ipſius ſcripta, nuper, dum *Archivum Pernſteinianum*, quod habeo, luſtrarem, inveni; ex quibus delibata quædam huic Operi ſparſim, ùt legentibus patet, inſerui.

ac primò feliciter rem agit;

verùm mox mutatâ fortunâ nutat,

& cum clade repellitur.

Daubrav. lib. 31. Schikfuſ. lib. 1. cap. 37.

Cæſorum & captivorum ex Hungaris Moravisque numerus.

Fabric. in Orig. Sax. lib. 7. Crom. lib. 28. Curæus in Annal. Sileſ. in Matthia Rege ad an. 1474. Archiv. Pernſtein.

Nec Polonis incruenta victoria fuit, cùm ex eorum quoque partibus, multi turmarum præfecti, & ex Nobilitate quidam præcipui, militum verò quàm plurimi deſiderarentur; ità ut interfectorum numerus utrinque exæquatus eſſe diceretur. Ad *VVratiſlaviam* deinde quotidiè penè excurſionibus, & minutis prælijs certatum fuit: in quibus *Hungari & Moravi* plerumque ſuperiores evadebant, captis aut interfectis non paucis ex hoſtium numero. Ferunt autem, *VVratiſlavienſes* toto eo obſidionis tempore, portas urbis diu noctúque apertas reliquiſſe. Et ut Poloni diſtraherentur magìs, eóque citiùs retraherentur domum, *Matthias*, Stephanum de Zapolia, in Poloniam majorem, cum parte exercitûs hoſtiliter irrumpere juſſit; qui haud cunctatus, ſtatim ac *Fridericus Lignicenſium Dux*, Glogoviæ ſeſe ei aſſociâſſet, ſuæque Nobilitatis equitatum, ductore *Caſparo de Noſticz*, conjunxiſſet *Henricus Freiſtadienſis*, acerrimam irruptionem, *in provinciam Siradienſem*, ac inde *Poſnaniam* verſùs fecit: & rapinis, igne ferróque in obvia graſſatus, magnam ubique, & ipſis *Poſnanienſibus* incuſſit formidinem. Idem fecit ex altera parte, *Nicolaus Dux Opolienſis*, junctis armis cum *Hynkone de VVrbna*, præ-

Ad VVratiſlaviam excurſiones velitationéſque frequentes,

in quibus plerúmque Hungari ſuperiores.

Henel. in Brzeſlogr. cap. 4.

Hungarorum in Poloniam majorem,

atque iterum alia in Minorem irruptio.

Digitized by Google

Crom. Curæus cit. Miechoß. lib 4. cap. 63. MS. Lipp.

præfecto tum ducatûs Oppavienſis: qui ſimiliter *minorem Poloniam*, â finibus Sileſiæ ad *Krakoviam* usque maximis cladibus, ſpolijs & incendijs afflixerunt.

De pace rurſus tractatur; qua de cauſa omnes tres Reges, ſimul in patenti campo conveniunt.

Induciæ XXX. menſium.

Cauſa, propter quam, ut plurimùm, de firma pace conveniri non potuerit.

Hoc modo cùm ſibi invicem gravia inferrent detrimenta, & vaſtitatem ingentem paſſim efficerent; jámque non tantùm dira fames ac peſtis, in caſtris *Bohemorum & Polonorum* ingraveſceret, ſed ineptum quoque bello gerendo tempus hybernum urgeret, de pace inter Reges ſeriò agi cœptum eſt; adnitentibus præter legatum Summi Pontificis, etiam *Erneſto Electore Saxoniæ*, *Joanne Marchione Brandenburgi*, *Alberti Electoris filio*, qui tum præſentes aderant. Congreſſi bis in patenti campo Reges, tribus longè clariſſimarum gentium populis circumſtantibus, poſt multa ſecretioribus colloquijs agitata, conſenſerunt tandem die 21. Novembr. ut delecti ab uno quoque conſiliarij quaterni *VVratislaviæ* covenirent, qui de conditionibus ineundæ pacis ſtatuerent. Inducijs poſtmodùm triginta duntaxat menſium pactis, Reges domum reverſi ſunt; potuiſsétque tum ſtatim de pace honeſtis conditionibus conveniri, niſi *Eliſabethæ Reginæ Poloniæ faſtus*, & odium pertinax obſtitiſſet. Nam cùm *Matthias* inter alia, petijſſet *Hedvigem Cazimiri filiam* dari ſibi conjugem, Mater nullo modo aſſenſſum præbere voluit, generum quòd neque ducali ſanguine ortus eſſet, aſſpernata.

Gromer. Roo. Curæus

Turcæ in Moldaviam irruptionem faciunt, centum viginti milliû numero: quos Stephanus VVeywoda prælio gravi profligat.

Cæſorum numerus.

Miechoß. lib. 4. cap. 70. Crom. lib 20.

Pactis hujusmodi inducijs, & earum vigore, oppidis interceptis utrinq; redditis, & captivis dimiſſis, *Moravia* â tumultibus bellicis nonnihil reſpiravit, *Matthiâ* interim bello cum Turcis, *Moldaviæ* imminentibus diſtento; quos *Stephanus Provinciæ Dux*, quem vulgari nomine *VVeyvodam* appellant, princeps diſciplinæ militaris ſcientiâ, ac rebus bello præclarè geſtis multùm celebratus; ùt qui hoſtibus omnibus, cum quibus arma contulit, ſemper admirabili virtute & fortitudine ſuperior evadere conſveviſſet; prælio cruento fudit, ſuíſque finibus ejecit; adeò, *ut triginta & ampliùs millia è Turcis tunc cæſa fuiſſe memorentur: Baſſæ quatuor in eo prælio deſiderati, ſigna militaria centum & ampliùs capta.* Quod accidit, die 17. Januarij an. 1475.

Mathias Sabacium recuperat: factâque inde excurſione in Serviam,

Eâ occaſione & victoriâ *Matthias* utendum ratus, *Sabacium* perexiguum quondam *ad Savi ripam caſtellum*, ſed quod paucis antè annis Turcæ, ut frequentiùs & ſecuriùs non modò *Syrmium* & inferiorem *Hungariam*, verùm & *Slavoniam Iſtriámq;* incurſare poſſent, validè communierant, oppugnandum ſuſcepit: illudq; trigeſimo obſidionis die partim vi, partim aſtu occupavit, magnâ omnium, acimprimis vicinorum populorum gratulatione, qui ſe utcunq; liberos â metu & violentia Turcarum redditos gaudebant. Inde poſtmodùm in partes Turcarum vaſtabundus excurrit, & per latè patentes *Serviæ* campos, ad usque *Samandriam* penetravit; cujus ſuburbia expilavit & ſuccendit. Quo feliciter peracto, & majora pluráque tentare auſus, ad ipſius quoque Urbis expugnandæ rationes ineundas, ſi quo modo hoſtibus extorqueri poſſet, animum adjecit: quem in finem, eâdem hyeme, tria circum caſtella erexit, & unum omnium fortiſſimum *ad Moravam* flumen; quibus Urbem ità undiq; clauſit, ut nullus prætérquàm Danubij pateret aditus.

Samandriæ præurbia vaſtat: novas munitiones ædificat.

Bonfin. dec. 4. lib. 3. in fin.

Se-

Sequenti anno, nuptias cum *Beatrice Ferdinandi Regis Neapolitani filia*, pro qua adducenda, *Rudolphum VVratislavienſem, & Joan. VVaradinenſem Epiſcopos; Joan. Ducem Opolienſem, & Hanuſſium de Kolovvrat Præpoſitum Pragenſem*, Legatos miſerat, incredibili pompâ, *Rege Boſnæ*, & alijs Principibus, Regúmque legatis præſentibus, celebravit. Albæ eâ priùs coronatâ, nuptiæ demum Budæ peractæ. Petierat *Matthias* ante, *Kunegundem Friderici Imp. unicam filiam*, in thori conſortem, repulſámque paſſus, longè majori odio in Imperatoré exarſit, ità ut ſucceſſu temporis ipſum *Auſtriâ totâ* exuerit; ùt narrabimus paulò poſt. Ferunt aliqui eandem *Kunegundem* expetitam fuiſſe in legitimam conjugem, etiam â *Mahomete Turcarum Cæſare*, utpote matre Chriſtianâ genito; promiſſámque illi â *Patre Friderico*; eâ tamen lege, ſi unà cum tota gente ſua Chriſtianam Religionem amplecteretur. Jámque poſt multa ultro citróque agitata ſecretioribus nuncijs, eò deventum fuiſſe, ut *Mahomet* per totum Ottomanicum Imperium, liberum Chriſtianæ religionis exercitium permitteret, eandem & ipſe ſuſcepturus, poſtquàm de omnibus, quæ in re tanti momenti, ad tutelam ſui, & ad ſtabiliendam Religionem ſanctam, neceſſaria eſſent; maximè verò, avertendis in populo, propter abjectos veteres ſacrorum ritus, pernicioſis motibus & turbis, ſufficienter proſpexiſſet. Sed incertum, unde res effectu caruit: an quia Virgo matrimonium hoc obſtinaciùs recuſavit, quòd fortaſſe Mahometanæ ſectæ principi nubere, ejúsque promiſſis credere nollet: vel quia paulò poſt mors ipſiusmet *Mahometis*, qui anno 1481. obijt, interceſſit. Cæterùm *Kunegundis*, anno 1487. *Alberto IV. Duci Bavariæ*, cognomento *Sapienti* nupſit. *Mahometes* verò, dum *Matthiam* cum tota Hungaria nuptijs occupatum eſſe intelligit, factâ *in Moldaviam*, ac inde *in Serviam* irruptione, caſtella nuper *ad Samandriam* erecta, & quinque millium præſidio firmata expugnavit: ſimul & *Alibegum*, unum ex ſatrapis, cum parte copiarum *in Boſnam & Dalmatiam* excurrere juſſit; qui obvia quæque igne ac ferro vaſtavit; & cùm nemo eſſet, qui reſiſteret, facilè ab una parte *in Iſtriam Forúmque Julij*, ab altera verò *in Carnioliam & Styriam* uſque penetravit, *Matthiâ* nihil prorſus agente, ſed ſocialibus duntaxat ſacris, nuptialibúsque gaudijs & tripudijs intento; *cui nova nupta idem fuit, quod Hannibali Capua.*

Matthias nuptias celebrat, cum filia Regis Neapolitani. *Galeat. Mart. lib. de Mattcia Regis nuptys & coronat. Reginæ.*

Mahometes Imp. Turc. petijt filiam Friderici Imp. in matrimonium, *Elias Perger. in Chronolog. Regn. Hung. ad an. 1478. qui pro ſe citat Chronic. Auſtriac. Cuſpiniani. VVeleslav. in Genealog. Duc. & Regg. Boh.*

ſed res non ſucceſſit.

Irruptio Turcarum in Dalm. Croatiam, Carniolam & Styriam.

CAPUT V.

Nova iterum Hradiſſtij urbis regiæ in Moravia obſidio. Matthiæ Regis cum Friderico Imp. bellum: cum Wladislao Bohemiæ Rege pax: ac tandem mors.

INter hæc, quæ recenſuimus diſturbia, *Matthias*, improſperè tentatum jam antea binis vicibus *Hradiſſtium*, denuò & majore conatu, anno 1473. oppugnandum ſuſcepit; ratus locum commeatu, ac rebus ad defenſionem ido-

Hradiſtium novâ obſidione tentat, an. 1473.

neis tunc non ſatis proviſum, priusquàm â Bohemis vel Polonis ſuccurreretur, haud difficili negotio in poteſtatem redigi poſſe; eóque capto, ſe totius Moraviæ imperio haud magno labore potiturum, Collatis itáque cum copiarum ducibus ſententijs, & coacto ad XV. circiter millium militum exercitu, eò citatis paſſibus, antequàm hoc ejus propoſitum cuiquam panderetur, contendit. Tormenta etiam currulia, quorum uſus tunc ſenſim invaleſcebat, præter minores colubrinas, ac inſtrumentorum oppugnandis Urbibus neceſſariorum, haud parvam copiam in caſtris habebat.

exercitum & alia ad oppugnationem neceſſaria comparat.

Præerat urbi poſt *Obeſſlikum*, qui multis jam antea exantlatis laboribus ſeſe officio abdicaverat, *Joannes Cykan*, alio nomine *Slupsky* dictus, vir fortis, & qui in omnes hoſtium conatus ſedulò invigilaret; habebátque ſibi ad manum primores civitatis, viros circumſpectos, & pari diligentiâ ac fortitudine inſignes.

cives quoque ad defenſionem, arma viréſque expediunt.

Hi conſilia hoſtium maturè ſubodorati, *VVladislaum*, & qui ejus nomine Rempubl. curabant, de ijs ſinè mora certiores fecerunt; & ut auxilia, ac imprimis tormenta, cum pilis & pulvere ſulphureo, commeatúmque & alia futuræ obſidioni neceſſaria in tempore mitteret, crebrioribus nuncijs & literis poſtulabant.

maturè Regis VVladislai opem implorant:

Ante alios omnes, *Hanuſſius de Lichtenſtein*, partium *VVladislai* fidus aſſecla, utì erat in rebus gerendis valde induſtrius, & privatim etiam dives ac opulentus, cognito *Hradiſſtienſium* periculo, non modò de frumento, farina & pane, pecoríſque congruenti copia, ex remotioribus locis, atque ex *Niklſpurgenſi*, aliíſque ditionibus ſuis, (proximiora enim penuriâ laborabant & fame) ſed etiam de minoribus tormentis, & pulveris ſulphurei compluribus cadis, & alijs, quæ neceſſaria tolerandæ obſidioni videbantur, opportunè proſpexit, eáque omnia in urbem, quàm celerrimè devehi curavit.

quibus Hanuls. de Lichtenſtein, primus omnium ſubſidia mittit. arma, pulveres & commeatum.

MS. ex Archivo Lipp. MS. Anon. Litomiſſl. MS. Hradiſſt. mihi tranſmiſſum à Matthia Niſel cive & Syndico ibid. an. 1666.

Matthias oppugnationis negotium aggreditur: admotis copijs & tormentis, urbem circumdat undique: muros Civitatis, ictibus iteratis dirui jubet; exiguo licèt damno.

Jam *Matthias* ad Hradiſſtium longo caſtrorum ordine conſedit, tentorijs ſuis viridis coloris, extra tormentorum jactum, ità ut collis cujusdam objectu, neque ex urbe conſpici poſſent, extenſis; móxque eâ quæ ſequuta eſt nocte, aggeres *in ſiniſtra Moravæ ripa* conſtructi, & corbes viminei terrâ oppleti, intérque eos tormenta collocata. Atq; ut celeriùs in alteram quoq; partem, deſtinata manus peditum trajici poſſet, prægrandibus ubique conquiſitis celocibus, milites transvehendos ſequenti die curavit; demum, quod reſtabat, *ſex Nigrorum equitum turmas*, qui ſtipendia merebant, per pontem, quem opinione citiùs ex ratibus, partim çatenis ferreis, partim reſtibus confibulatis conſtruxerat, tranſire flumen juſſit, *Emerico de Zapolia duce*; eíque in mandatis dedit, ut idoneo in loco, inter paludes, quas *Morava* circumfluens efficit, quàm propinquiſſimè poſſet, ad mænia urbis aggeres conſtitueret, ínque eis pedites collocaret: qui ſagittis & fiſtulis ferreis, quas ſclopos vocamus, rem gererent, tormentúmque unum grande, & alia minora duo attribuit, quibus in portas & turres pinnáſque murorum diruendas, & in eos, quos per mænia conſpexiſſent propugnatores feriendos, ac dejiciendos uterentur

Totâ æſtate & autumno, durat obſidio, à latis & illatis cladibus anceps:

Duravit obſidio totâ æſtate, *Matthiâ præſente*; ac demum etiam toto penè autumno. Ad extremum, quùm *Emericus*, cui *Matthias*, alijs tunc

Digitized by Google

tunc gravioris momenti rebus, ac potiſſimùm novis iterum ſeditionibus domî emergentibus, in Hungariam revocatus, ſupremam militiæ curam demandaverat, omni ſpe capiendæ urbis dejiceretur, hyémsque ſolitò aſperior ingrueret, cujus vim milites neque ſuſtinere, neque rigentibus triſti gelu manibus, arma tractare poſſent, obſidionem ſolvit; ac non ſinè interminatione, quòd proximo vere, cum majoribus viribus redire velit, in Hungariam diſceſſit.

quæ ultimò ſæviente hyeme ſolvitur.

Sunt tamen, qui affirment Hungaros, quòd fortaſſe obſidione continuatâ, aut vi, aut dolo, aut certè deditione locum ſe expugnaturos arbitrarentur; vel quòd brumales dies, ob hyemis rigorem & aſperitatem, paludibus & fluentis pleriſque in locis glacie concretis, bello gerendo aptiſſimos exiſtimarent; nec quicquam ab incepto remiſiſſe, ſed omnia quæ ad oppupugnationem opus eſſe videbantur, nihil ceſſantibus tormentis, alijsque, quæ in ejusmodi acri negotio adhiberi ſolent, artibus, ſummâ vi, ſummâq; curâ, nec minore pertinaciâ per continuos duos annos adminiſtrâſſe. Ut ut ſit, ſive obſidioni ſinè intermiſſione, incubuerint *Hungari*, ſive poſt tentatam primo anno fruſtrà oppugnationem, altero ad obſidendam urbem denuò ite perrexerint, eámque atrociore quàm antea vi, nec ſinè temerario immoderati animi impetu circumvallârint: is denique totius obſidionis exitus fuit, ut poſtmodùm cùm ſuos conatus nequaquam procedere ſentirent, imò plus detrimenti indiès ferrent, quàm inferrent, ideóque potiundæ urbis jam manifeſta deſperatio eos caperet, pertinaciæ ſuæ finem imponere, & obſidionem ſolvere cogerentur. Id ipſum porrò urgebat conſtans fama, referens *VVladislaum* â patre *Cazimiro* ſubſidiariâ pecuniâ, cujus ſuprà meminimus, adjutum, cogere undique per Bohemiam ſub ſigna militem; jámque deſtinâſſe duces, qui primo quoque tempore obſeſſis ferrent opem; Igitur veriti, nè *Bohemi* integris & recentioribus agminibus, copias ſuas diuturnis laboribus feſſas & debilitatas, atque adeò in longè minorem numerum redactas, *Matthiâ* ſub id tempus novis Turcarum irruptionibus ſollicitè, ſi unquam aliàs intento, aggrediantur: ad XXI. diem Julij, anno 1474. conclamatis vaſis obſidionem ſolverunt; tantâ properandi curâ, ut præter alia curruum impedimenta, etiam tormentum illud ferreum, quòd ab una parte fractum non ampliùs uſui eſſet, loco reliquerint. Hoc poſteà cives magna cum lætitia devehi curârunt in Urbem, triumphantibus ſimiles, illúdque in hodiernum diem ſervant, *victoriæ de Hungaris obtentæ monimentum*. Poſt hæc primò Matthias, repreſſis Turcis, in Sileſiam, ùt jam narravimus, expeditionem ſuſcepit.

Aliqui volunt, continuatam obſidionem in annum uſque ſequentem:

quod ſi ità; eò major virtus apparet civium,

in tolèranda obſidione tam diuturna.

VVladiſlaus tandem ſuccurrendum obſeſſis decernit.

Hungari obſidionem ſolvunt;

relicto uno grandiori ferreo tormento:

quod in hodiernam usq; diem ſervatur Hradiſstij.

Gliſcebat adhuc ſub id tempus, *inter Imperatorem & Matthiam* ſimultas, quam haud mediocriter auxit Turcarum nuper ex Dalmatiâ in Iſtriam, Carniolam, Carinthiam & Styriæ partem crudelis irruptio. Imperator enim, Turcas â *Matthia* in ditiones ſuas ex conſtituto immiſſos ſuſpicatus, ſimúlque delatione quâdam (veràne, an falsâ, non ſatis conſtat) informatus, turbulentiores quoſdam ex Auſtriacis, qui duce Comite *Nicolao*,

Fridericum Imp inter & Matthiam gravis ſimultas.

lao, vulgò *Graffnikl*, excitabant denuò ſeditionem in Auſtria gravem, occultis ipſius conſilijs & ſubſidijs innixos eſſe; eúmque nihil aliud moliri, quàm, ut occupato turbis domeſticis Cæſare, regni ſui pomæria proferat, & inſatiatam dominandi libidinem cum vicinorum jactura expleat: bello injuriam hanc ulciſci decrevit, & quò faciliùs deſtinata perficeret, armorum ſocietatem cum Poloniæ & Bohemiæ Regibus inire conſtituit. Erupiſſétque res tunc ſtatim in bellum, niſì quidam Proceres, ac imprimìs *Joannes Epiſcopus VVarad. natione Moravus, domo Proſtiegoviensis, Matthiæ à ſecretioribus conſilijs, & Zdenko à Sternberg, ejusdem Regis, per Regnum Bohemiæ ſupremus Capitaneus ac Locumtenens*, magnæ authoritatis apud utrumque Principem, interveniſſent. Fuítque Zdenkonis hoc præclarum facinus, ultimum operum: brevì enim *Neoſtadio ab Imperatore domum rediens*, & ex itinere gravi obrutus morbo, ſenio quoque & curis fractus, magnis tamen meritis, & laboribus pro Catholica religione ſusceptis, egregiéque geſtis glorioſus, obijt in Domino, die feſto *S. Barbaræ*. Corpus in Bohemiam devectum, & *Budvicij*, in templo Dominicanorum, ante Aram principem, honorificè ſepultum eſt. Imperator cognitâ ipſius infirmitate, ſuum ipſi miſit medicum; ſed in vanùm.

poſt multa utrinque odia & contentiones,

erupiſſet brevì in bellum; nisi interveniſſent quidã Proceres boni publici amantes, & utrique Principi grati.

Zdenko à Sternberg moritur, ex Auſtria redux, die 4. Dec. 1476. *MS. Anon.*

Anno 1477. *VVladislaus* cum octo armatorum millibus, ex quibus potiſſima erat *Nobilitas Bohema Moravaque*, eidem adhærens, Pragâ egreſſus die 23. Maji, Viennam ad Cæſarem venit; â quo ſtatim die 7. Junij, confirmationem, ſeu *inveſtituram*, ùt vocant, *dignitatis Electoralis*, quam in Electorum Imperialium collegio jam olim promeruerunt, hodiéque cum *officio Archipincernatûs* obtinent Bohemiæ Reges; & *Feudum* ſuper eas terras, quæ ab Imperio avulſæ, Coronæ Bohemiæ adjunctæ ſunt, uſitato more, per traditionem vexillorum accepit. Ibidem Pragenſium, *Veteris & Novæ Civitatis* legati, honorificè ab Imperatore habiti, urbésque ipſæ novis Inſignibus decoratæ: *illa duobus Bohemicis Leonibus bicaudatis, Coronam Imperialem ſuper galeam ſuſtinentibus; hæc Aquilâ nigrâ bicipiti, & in ejus pectore milite cataphracto; atque alijs adhuc duabus in lateribus, tenentibus ſuper galeam, Imperialem coronam.* Quæ inſignia Cæſar Pragenſibus contulit, in navatæ adversùs Viennenſes quondam perduelles operæ prœmium; dum â civibus Viennæ in arce obſeſſus, ùt narravimus ſuprà, teneretur.

VVladislaus Viennam venit: ubi ab Imp. feudum ſuper ea dominia, quæ ab Imperio avulſa, & Regno incorporata ſunt, accepit. *Roo lib. 8. an. 1477. Hagek. Kutben. an. eod. VVelesl: ad d. 7. Junij. Joan. Bapt. Eyſen in deduct. Boh. num. 27. Geringer in Velitation. num. 13.*

Urbes Prag. Vetus & Nova: à Cæſare novis Inſignibus ornatæ. *pag. 719. & ſeq.*

At Pontifex, qui antea ægrè ferebat *VVladislai electionem* probari ab Imperatore, & Principibus Imp. *Ratisbonæ in comitijs;* dum inaudijſſet eundem jam etiam ſolemni ritu inveſtitum confirmatúmq;, multò graviùs id ſenſit, quod & literis ad Imperatorem datis ſat clarè expreſſit: in quibus poſtquàm reprobâſſet factum, addit: *ſe nihilominùs habiturum pro Rege Bohemiæ, Matthiam Regem Hung. quùm nemini ſit dubium, ſolos proceres Bohemos, qui ſint Catholici, & à quibus Matthias antehac fuit in Regem electus, habere legitimam Regis eligendi poteſtatem; & Sedem Apoſtolicam ex authoritate ſua, potuiſſe pronunciare electionem VVladislai, propterea quòd ab hæreticis fuerit facta, de jure eſſe invalidam; & quæcunque in electione iſta eſſent de-*

Papa ægrè fert VVladislaum ab Imperatore inveſtitum. *datis Romæ die 10. Sept. (VVelesl in Cal. Hiſtor. ad d. 7. Junij, habet diẽ 17. Sept.) an. 1477.*

decreta vel inſtituta, vim nullam habere. Quid ad hæc reſponderit Cæſar, non invenio: iſtud lego, remiſiſſe eum paulò poſt â fervore belli, â legato Pontificis, ùt reor, perſvaſus, qui tam felices Matthiæ in reprimendis Turcis conatus, aliâ belli curâ diſtrahendos minimè ex Republ. cenſebat; vel etiam, ut pecuniæ, cujus tenaciſſimus erat, parceret.

Cæſar â bello & ſumptu aliēniſsimus:

Matthias verò cognito Cæſaris non ſyncero ergà ſe animo, exindéque multùm exacerbatus, bello eum ipſe prior petere, injuriámque hanc, quam ſibi inferri putabat, armis ulciſci decrevit. Nec morâ, relictâ parte exercitûs pro tutela limitis adversùs Turcas, cum reſidua, (ſed acceſſione Magnatum Hungariæ, ac præcipuè *Laurentij Ducis Syrmij, Lupi Deſpotæ, & Nicolai Banffij,* valde auctâ) in Auſtriam duxit, bello priùs per feciales ſolemniter indicto, formula ſub iſta: *Cùm Cæſar, præter æquum & fas, initam toties nobiſcum pacem ſolveris, & icta ſæpe fœdera violaveris, nulláque promiſſa præſtiteris: quin & malo ſæpiſſimè dolo, læsâ concordiâ, noſtrum agrum, pagos & oppida hoſtiliter invaſeris. Nos Matthias Rex Hung. cæterique Pontifices, reguli optimatésque, juſtum tibi bellum indicimus, & JESUM Chriſtum Opt. Max. Divam Genitricem, peculiare Hungariæ Numen, cæterósque Divos Patriæ Tutelares, violatæ juſtitiæ, & læſæ pacis, & inexplebilis avaritiæ vindices precamur, ut propiùs victoriâ, noſtra arma reſpiciant; vires legionum obfirment; & ultoribus injuriarum, ac violatæ quietis publicæ, & fidei aſſertoribus debitam inſignémque victoriam tribuant. Proinde aut Cæſaream mentem ad reſipiſcentiam revocent, aut ſuſcepta nobis juſtè vota auſpicia fortunent.*

E contra Matthias belli cupidus, Auſtriam invadit; denunciato priùs per feciales bello. *Bonfin. dec. 4. lib. 5. ad init.*

Ad Jaurinum aliquandiu ſubſtitit, expectato *Stephano comite Scepus.* cum ſelectiſſimo equitatu, & *Petro Emericoque Docijs*, cum aliquot Raſcianorum turmis, quæ ſequebantur. Inde profectus, & exercitu ubique militari viâ ducto, Leytáque flumine trajecto, ac nemine prohibente, in Auſtriam pervenit. *Caſtra ubique*, ùt narrat Bonfinius, *trifariam diviſa: hic Bohemi & Moravi, illic Hungari, iſthic Raſciani metabantur. Bohemi & Moravi equites cataphracti omnes, aut hippobaliſtæ: Hungari in gravem & expeditum equitatum æquè diviſi: Raſciani vexillationibus tantùm utebantur.* Bohemis peditibus & Moravis præfuère *VVilhelmus & Fridericus fratres Tetauri*, aliàs *VVchinskij*; equitibus, *Joannes* quidam *Zeleny* Bohemus, ſed qui jam dudum in Hungaria fixerat ſibi domicilium, & *VVenceslaus Bukovvsky*; omnibus porrò *Joannes Hauguitius Moravus.* Auſtriam ingreſſus, primò omnium *Trauterſtorphium* oppidum partim vi, partim aſtu, *Peterſtorphium* verò deditione occupavit; *Medlingam* item, *S. Margaritam, Schvandorphum*, & alia finitima caſtella. Quibus in poteſtatem redactis, & Raſcianis in citeriorem Auſtriam excurrere juſſis, vim deinde omnem Urbi Viennenſi admovit, eámque ab omni parte, occupato ultimò etiam ponte, arctè obſedit: Cæſare, qui *Viennenſibus* non ſatìs fidens, *Lincium* conceſſerat, arma ad defenſionem Provinciæ ſerò nimis expediente.

Matthiæ exercitus, acceſsione aliquot Magnatum Hungariæ augetur. Bohemi & Moravi in exercitu Mathiæ: eorum ductores. *MS. Anon. Litomiſl.* Auſtria vaſtatur reſiſtente nemine. Imperator Lincium ſeceſſit.

Cùm poſtea *Clauſtroneoburgum, Cornaburgum, Tolna, Mutara*, & plu-

 ra

urbes & caſtella paſsim ab Hungaris occupantur: Vienna obſidetur:

ra alia oppida ac municipia, aut metu excedentibus præſidijs Cæſareis, aut fœdè ſeſe dedentibus civibus, in Matthiæ poteſtatem veniſſent: parvo negotio & labore, *Vienna* arctiùs obſideri cœpit, ità ut ad extremam famem perbrevì redigenda videretur. Nè verò quid cibariorum ex ulteriori Auſtria in urbem inferretur, Rex ad pontem ligneum, duo caſtella ex utraque parte erexit; quibus *duos Tetauros præfecit bellicæ artis ſanè* (verba ſunt Bonfinij) *peritiſsimos, qui fratres erant, & Bohemicis parentibus geniti; nè alter facilè alterum hoſtili impetu perire pateretur: ij commeatus omnes inhibebant, obſervabant noctu Danubium, ac nè quid brevi etiam cymbâ inferretur, diſpoſitis utrinque vigilijs attendebant; quin & ſocios quandoque lucri cupiditate aliquid inferre auſos, graviſsimè mulctabant.* Rex porrò ad *Cornaburgum* reſedit, in eum finem, ut auxilijs, ſi quæ à Wladislao ex Bohemia, vel Cazimiro ex Polonia mitterentur Cæſari, maturè obviandis invigilaret: quæ tamen nulla miſſa ſunt, cùm inefficaciter ea urgeret Cæſar; ità ùt ſuſpicarentur aliqui, ex compoſito inter ipſum & Matthiam bellum hoc geri: nimirum, ut toties rebellantium civium procerúmque faſtus & ſuperbia caſtigaretur. Quod tamen ego pro vero non admitto.

duobus heroibus VVchinskijs fratribus, cura pontis ente Viennã, à Matthia committitur.

Matthias ſtativa ſua habet Cornaburgi.

Viennenſes à Cæſare petunt opem:

Iſtud certum, cùm *Viennenſes* arctiſſimâ obſidione undique preſſi, deditionem ſeſe facturos interminarentur, niſì commeatu ac novo milite quamprimùm ijs ſuccurreretur; idémque *Kremſienſes* óbſeſſi dicerent: Cæſarem de pace, quàm bello agere maluiſſe; qui miſſis ad Matthiam legatis, pacem renovari petijt. Nec *Matthias* abnuit, à *Beatrice conjuge inductus*, quæ Cæſari affinitate conjuncta, virum aſſiduis precibus orabat, nè tantoperè ſæviret, ſed ad pacem ſalutémque populorum animum revocaret. Poſt multa igitur *Cornaburgi* ultro citróque agitata, convenerunt in has leges: *ut Imperator Matthiam Regem, ob bellum juſtè indictum, præſtaret indemnem: centum & quinquaginta aureûm millia, pro belli ſumptu, ad præſtitutum anni tempus rependeret: Matthias obſidionem ſtatim ſolveret: captas urbes & caſtella, ubi ſatisfactum fuerit, redderet: pia filij Patrisque nomina, & antiquæ pactiones ratæ firmæq; manerent. Si ad ſtatutum diem, Matthiæ ſatisfactum non eſſet, ſuo is jure univerſam Auſtriam occupare, occupatam legitimè poſſidere, & in Regni Pannonici provinciam redigere liceret.* Quidam præterea Imperatorem juri ſuo in Regno Hung. cujus titulum hactenus uſurpaverat, renunciâſſe, & Matthiæ Bohemici Regni inſignia tradidiſſe ſcribunt. Sed nihil eorum *Bonfinius*, neque alij Scriptores coævi habent. Cuſpinianus verò expreſsè refert: *negavit autem Fridericus unquam vel verbo, vel literis, Matthiæ factam Regni Bohemiæ conſequendi ullam ſpem; séque literis (quarum ego vidi exemplar) coram Regnicolis expurgavit. Cur enim huic regalia daret, aut promitteret, cùm VVladislaus à Regnicolis Bohem. legitimè eſſet Rex deſignatus?*

Cæſar à Matthia pacem.

Pax inter Cæſarem & Matthiam.

Conditiones pacis.

Crom. Cur. VVelesl. ad d. 7. Jun. Ros lib. 8. Cuſpin. in Friderico III. Miech. lib. 4. cap. 72.

Quid Hungaros ad pacem inclinarit?

Accipiebant pacem Hungari eò libentiùs, quòd denuò Turcas, poſt aliquot crudeles *in Dalmatiam & Forum Julij* excurſiones, (de quibus *Sabellicus & Juſtinianus*) partibus Hungariæ imminere haud ignorarent. Rex

quoq;

Digitized by Google

quoque ipſe reſpiciebat Sileſiam, nè ardente tunc *bello Marchico, in Ducatu Glogovienſi,* flamma mali ſerpens latiùs, corriperet ultimò totam Provinciam. Qua de cauſa, brevì poſt, *Joannem Zeleny* cum mille equitibus Bohemis Moravíſque, & octingentis haſtatis Hungaris, *Joanni Principi Saganenſi*, contra Marchiones Brandeb. *Albertum Electorem, ejúsque filium Joannem*, eò properare juſſit. Excurſiones porrò illæ Turcarum *in Forum Julij*, anno 1476. & ſequ. ut id paucis attingam, erant tam atroces atque terribiles, & tam procul actæ, ut á Venetis ex editiſſima D. Marci turri ignes, & fumantia circumcirca oppida ſpectari potuerint. *Sabellicus*, qui hæc oculis ſuis vidit, Tarcenti tum temporis agens, ſcribit, *incendium villarum fuiſſe tantum, & tam continuum latéque patens, ut nihil medium eſſe videretur, quod non ignis occuparet.* Sed iſtud præprimìs admiratione dignum, quod refert de temerario Turcarum in hujusmodi excurſionibus, adversùs Alpiũ difficultates auſu: nimirum, *quùm pluribus in locis, in abruptas rupes ventum eſſet, equos reſtibus alligatos, in ſubjectas crepidines, demiſiſſe, & inde in alias, donec in imas valles eſſet deſcenſum, ut ſic incautos populos adorirentur. Ubi verò per juga Alpium, uſque in montana Carniæ fines decurriſſent, nunciatúmque interim eſſet, montanos incolas juga montis, qui Lancea dicitur, quâ unicum eis iter patebat, occupâſſe; intrepidè ad locum progreſſos, neque immensâ montis altitudine, qui in ipſa penè nubila verticem erigit, nec aſcensûs difficultate deterritos eſſe, ſed ſcutis ſubnixos, per adverſam rupem, ad hoſtem repſiſſe veriùs, quàm ſubiiſſe: eóque audaci incepto territos, qui præſidio erant, in fugam turpiter dilapſos, ingentis cladis hoſti materiam præbuiſſe.*

Bellum Marchicum in Sileſia.
Curæus in Annal. Sil. part. 2. Crom. lib. 29.

Turcarum in Dalmatiam, Carniolam, & Forum Julij, crudeles excurſiones.
Sabellic. 3. Dec. 10. Juſtin. lib. 9. Bonfin. dec. 4. lib. 5.

Turcæ, projectæ ac deſperatæ audaciæ.

Anno 1478. mox Quadrageſimæ initio, delegati *Proceres ex ordinibus Bohemiæ Moraviæ & Hungariæ*, ſolemnem egerunt conventum *Brunæ*: eo conſilio, ſi quo modo poſt tot ærumnas & calamitates, quas tot annorum circulo, aſſiduis bellorum procellis jactati toleráſſent, de pace & concordia inter Reges tranſigere, atque ità tranquillitati publicæ conſulere poſſent. Diu ergo de conditionibus diſceptando, & aliquando non ſinè mutua diſſenſione altercando, cùm aliqui dividendum Regnum, ſtatuendúmq; limitem, qui alterius partis ditionem ab altera dirimeret, ſvaderent: alij verò præſertim *Bohemi*, diviſionem certis de cauſis admittere nequaquam vellent; poſtremò cùm utraque pars, bellorum procellis & tumultibus fatigata, ad æquiores conditiones deſcendiſſet, contentioni finis eſt impoſitus; tàmque amicè tranſegêre de controverſia omni, ut modò acta referentur ad Principes, rata fore omnino cuncta, judicio omnium crederentur. Sed accidit, ut cùm tranſactionis totius ſeries, novo conſiliorum diſcuteretur *Pragæ* calculo, multáque in dubium vocarentur *â Bohemis*, præſentibus quoque Hungaris; *Matthias* id ægrè ferens, moræque impatiens, & magìs adhuc ſeditione â plebe *Pragenſi* in Legatorum famulos factâ, proritatus, *Brunenſia acta reſcidit omnia*, & â pace prorſus jam alienus, gladio rem decernere ſtatuit. Multum porrò incitamenti ad reſumendum arma ei addidit *Plſnenſium de Buriano Comite â Guttenſtein, VVladislai* copi-

Conventus Procerum utriusq; partis, Brunæ, pacis tractandæ causâ:

ubi poſt multa ultro citroque agitata,

res penè ad compoſitionem venit;

verùm dum omnia Pragæ jam jam terminari debēt;

MS. Anonymi de rebus tempore VVladislai & Ludov. Regg. geſtis.

novo caſu, & Plſnenſium de Comite â Guttenſtein,

qui partes VVladislai ſequebatur, *MS. Annon. Prag. MS. VVrziſoϑet. Cromer. lib. 29. ad init.*

copiarum duce, obtenta victoria: quem expugnandæ urbi totis viribus incumbentem, validiſſimo ex Urbe excurſu, binis vicibus adeò profligârunt, ut ad extremum amiſſis pluſquàm ſexcentis, partim occiſis, partim flumine merſis, partim verò captis obſidionem ſolvere cogeretur. Innuit de eo Cromerus hiſce: *Etſi ineunte vere, pax inter Matthiam & VVladislaum, per utriusque conſiliarios, apud Bernam, ſive Brunnam Moraviæ conventu acto facta erat: Matthias tamen, re apud Plſnam, quam cum Budiegovice retinebat, per præfectos præſidij ſui, contra Burianum VVladislai copiarum ducem proſperè geſtâ elatus; ſimulque tumultu Pragenſis civitatis contra legatos ſuos, Varadinenſem Epiſcopum, & Palatinum Tranſylvanienſem temerè concitato irritatus, bellum inſtaurabat, pacem illam irritam eſſe dictitans; quippe, quæ nec ſuo juſſu, nec authore Pontifice, aut Legato ejus confecta eſſet. Cui & Legatus ipſe Gabriel monachus, Epiſ. Agrienſis, recens Cardinalis creatus, frigidam ſuffundebat, & inſanientem ſuâ ſponte, magìs etiam incitabat: fruſtrà renitentibus Ungaris & Sileſijs proceribus, quibus pax exoptata affulſerat.*

&Plſnam eminùs obſidebat infoſtabâtque, obtentâ victoriâ, res turbatur.

Curâ tamen ac ſingulari diligentiâ *Joannis Epiſcopi Varadinenſis, Protaſij* item *Olomucenſis*, & aliorum, qui ſeriò procurandi boni publici zelo tenebantur, factum, ut *Matthiâ* placato, inque conſilia pacis reducto, induciæ ſemeſtres renovarentur; quibus durantibus Reges ipſimet, vel *Iglaviæ*, vel *Brunæ* vel *Olomucij*, reconciliationis mutuæ gratiâ, convenirent. Mutato deinde conſilio placuit Regibus, ut conventus ejusmodi haberetur priùs per legatos, qui facerent *præliminaria*, ùt vocant, *pacis*; & perpenſis utrinque omnibus conditionibus, eartùmque difficultatibus, afferrent demum rationes & capita, quæ conficiendæ pacificationi viderentur opportuna; & ea ſeorſim ante diſcuſſa, Regibus deîn proponerent; qui tandem, (quod benè verteret,) ea quæ firmandæ ac concludendæ pacis eſſent, placito ſuo determinarent. Pro parte ſua *Matthias, Georgium Colocenſem Archi-Ep. Protaſium Olom. Epiſcopum, Stephanum Comitem Scepuſienſem, ſupremum Capitaneum Sileſiæ, & Wenceslaum â Bozkovicz* nominavit: *VVladislaus, Henricum ſenior. Ducem Münſterb. Joannem de Cymburg & juniori Boleslavia, ſupremum Regni Boh. Judicem, Joannem â Sſelmberg & in Straz Cancellarium, Beneſſium de VVeitmille Burggravium Karlſt. Joannem â Raupovv Aulæ Regiæ Præfectum, & Petrum Kdulynecz de Oſtromecz.* Qui Olomucij ſub initium Febr. convenientes, poſtquàm iterum per aliquot dies diſceptâſſent de conditionibus pacis, ultimò rem ex animi ſententia itá compoſuêre, ut nihil ſuperfuerit, niſi ut Reges ipſi convenirent, & ab legatis acta, ſuâ authoritate ac fauſtâ præſentiâ confirmarent. Regis igitur utriuſque edicto, *Urbs* denuò *Olomucenſis*, ad quam Reges conveniant, pacémq; & concordiam inter ſe ſtatuant ac firment, deligitur: quò etiam Regem Poloniæ, *Matthias*, miſſo ad eum *Jaroslao de Bozkovicz Cancellario ſuo*, invitavit. Qui tamen bello Prutenico, cum Crucigeris Teutonicis impeditus, non venit: ſed legatos, qui ineundo fœderi intereſſent, & benè utrique Regi precarentur, miſit.

Induciæ ſolùm ſemeſtres inſtitutæ: intra quas Reges ipſimet convenirent præsentes, acturi de pace. Priùs tamen mittuntur legati utriusque partis Olomucium, ut faciant præliminaria pacis.

Nomina legatorum. *MS. Anon. Prag. MS. Litomiſſl VVeleslaϑ. ad d. 12. Febr.*

Novus conventus Regũ, Olomucij indicitur: quò invitatur etiam Rex Polon.

Die

VVladislaus in, Moraviam venit;

Die conventui deſtinatâ, quæ erat Beatiſſimæ Virgini Eliſabetham Viſitanti ſacra, appropinquante, *VVladislaus* cum mille ducentis equitibus, cultiſſimè ornatis, ſupra Aulæ regiæ, procerúmque Bohemiæ, nec non *Alberti Ducis Sax. & Georgij Ducis Bavariæ* comitatum, *itinere per Kolinam, Pardubicium, Litomiſſlium & Treboviam Moravorum facto*, Uniczovium venit: ubi aliquandiu ſubſtitit, donec & Matthiam Olomucium veniſſe cognoſceret, qui primò die 17. Julij eò appulit. *Daubravium*, vicinum eorum temporum, de hoc Regum conventu, ſplendido cum apparatu inſtituto, referentem audiamus, qui ſic habet: *Placuit utrinque menſe Junij, in Moravia ad urbem Olomucium coiri. Non decedebat Matthias de more ſuo ambitioſo, ſed ità tardè iter faciebat, ut VVladislaus, in Novo, quod vocant, oppido expectare coactus fuerit, antequàm Olomucium ille ingrederetur. Inde quoque cum nova ambitione obviam prodibat, nudo videlicet capite, ac viridi tantùm ſerto coronato, nè ipſe caput ſuum hoſpiti detegeret, ſed eum potiùs honorem ab illo ſibi haberi ambiret. Qua in re bellè falſus eſt, ſiquidem Bohemi, & ipſi ſatis ambitioſi, cognitâ Matthiæ arte, Regi ſuo inſuſurrant, ut tegmen capitis ſui zonâ ſic planè innodet, ut nodos ipſe explicare nequeat. Quo facto evenit, ut præter omnem opinionem voluntatémque ſuam, Hungarus nudus capite, ſalutaret tectum capite Bohemum, deduceretque ût hoſpitem in hoſpitium, proſpectante è feneſtra Beatrice Reginâ, amorémque tacitum ex conſpectu novi hoſpitis formâ conſpicui hauriente. Porrò Matthias non videri ſolùm, ſed haberi etiam lautus & magnificus ubique ſtuduit; ac præſertim in excipiendis illuſtrioribus hoſpitibus, ſingularem præ ſe tulit liberalitatem, nullis ſumptibus parcens, ſive in conquirendis epularum conviviorúmque apparatibus, ſive in edendis quotidie ſpectaculis, ſive in donis mittendis, non ipſi VVladislao modò, verùm etiam comitatui ejus, pro cujusque dignitate: denique omnes ad infimum uſque largis alimentis ſuſtentans.* Fuſiùs de hoc conventu, & de rebus in eo actis, déque ingenti apparatu, magnificentia & liberalitate *Matthiæ Regis*, narrat *Bonfinius Scriptor Hung.* quem etiam cùm digna ſanè memoratu, & lectu ſcitúque haud injucunda, ad Olomucium primò in patenti campo, deinde in ipſâ Urbe geſta recenſeat, audiamus.

Uniczovij ſiſtit Matthiam expectans,

Daubrav. l. 31. Bonfin. rer. Hungar decad. 4 lib. 5. an. 1479. Lup. ac. VVeleslav. in Calend. Hiſt. d. 22. Julij an. 1479. MS. Chronolog. Regn. Hung. Eliæ Perger. an eod.

qui primò poſt XV. dies Olomucium appulit, magno cum faſtu & apparatu.

Regum VVladislai & Matthiæ Olomucij colloquiū, an. 1479.

Matthiæ liberalitas & magnificentia.

Bonfinij *rerū Hungar. decad. 4. lib. 5.* narratio, de hoc conventu Regum, Olomucij.

Wladislaus ad ſtatutum tempus, cum ornatiſſimo procerum ordine, aliquot diebus prior adfuit, ſecúmque florentiſſimum duxit exercitum. Item præter Bohemos, Duces duo Illuſtriſſimi, & affines; quorum alter Bavariæ, Saxoniæ alter princeps erat. Præceteris autem terrarum gentibus, proceritate ſtaturæ, roboréque corporum ac pulchritudine, præſtantiâ crinium, & ſuavitate conſvetudinis, Bohemi ſanè præcellunt: corpora comásq; plus juſto colunt, in habitu veſtitúque nitidiſſimi, & perquàm molles, ad bellum & voluptates tantùm nati: populares omnes ſunt, & affabiles: ad conciliandas quoque amicitias nimis idonei. Contrà, ſeveriores Ungari, & magis agreſtes, bello duriſſimi, auſteræ conſvetudinis, & quàm maximè peregrinæ. Exteros parum amant, plerumque abominantur: elatum his eſt ingenium, ac immodicus equorum, veſtium luxus: armorum habitus, ac menſæ potiſſimùm eſt ſtudium; ceterùm minima cura, ſolicitudóque. Pericula contemnunt, bella ferunt, ocium formidant: honorem laudémque appetunt, quam armis parare nituntur. Matthias ob ingentem apparatum cunctantiùs acceſſit, crebris à Bohemo literis vexatus. Reginam cum Franciſco Aragonio fratre ejus, item Pontifices procerésq; omnes ſecum duxit. Cùm Olomucium veniſſet Bohemus, qui aliquandiu, & plus æquo

Bohemorum laus ab habitu, moribus, & alijs qualitatibus.

Hungarorum mores ſeveriores.

Matthias tardiùs iter apparat.

quem VVladiſlaus prævenit. Caſtra Regum in campo, Olomucium inter & Unczovium. ubi in tabernaculo ad hoc præperato, Reges cõvenère, datisque mutuò dextris fœdꝰ pepigêre.

in finibus expectârat, ad quintum mox lapidem caſtra poſuit: poſtero die tabernaculum, in medio inter-valli ſpatio tenditur, ubi Reges unà colloqui poſſent. Ex compoſito deinde inſtructis utrinque aciebus prodeunt. Cùm ad tabernaculum ambo ad ſagittæ, lapidisque ictum jam jam congreſſuri eſſent, ſubſtitère utrinque agmina. Reges in medium coivêre: primo congreſſu dextras mutuò apprehensârunt, & dedère pacis oſcula: mox equis deſiliunt, tabernaculúmque ſinè arbitrio ſubeunt. Inito colloquio, tres circiter horas, de communi concordia, de redintegrando fœdere, verba fecère. Demum fœdus arctiùs revinciendum eſſe rati, inter ſe iterum ſanctiſſimè percuſſère: fraternóque obſtrinxère vinculo, nè facilè violari poſſet: & accitis deinde utrinque Pontificibus, proceribúſque arbitris, ſacroſanctum id eſſe juſſère. Soluto deinde colloquio, alter in caſtra, alter in urbem ſe recepit.

Matthias in Urbem, VVladiſlaus in caſtra redit. Matthias obviam VVladiſlao procedit, eúmque in Urbem honorificentiſſimè inducit; hoſpitio magnificè præparato excipit. Similiter Proceres Bohemos, alióſque Regis comites.

Tertio verò die Rex inermis, cum univerſis Principum ordinibus, ex urbe digreditur, atque verſùs Bohemi caſtra, agmen intendit. Et occurrit è caſtris ille, comprehenſiſque ad congreſſum dextris, ſocia utrinque agmina junxère, in urbémque convenère. Hic regis edicto, lautiſſima cunctis Bohemorum principibus parata erant hoſpitia: propè forum duo palatia inter ſe oppoſita, ſericóque luxu apparata, Reges excipiunt: Bavariæ Saxoniæq́; Duces pro dignitate recepti ſunt. Incredibiles in urbe apparatus Matthias inſtituerat. VVladiſlaus armatus, ac inſtructâ acie, civitatem ingreſſus eſt, alterúmque Martem referre videbatur: magis arma, quàm toga magnitudinem corporis addecebant. Ædes huic Rex mirifico luxu apparaverat: triclinia, cubicula, ſubdivalia, & univerſum denique atrium ſericis pictiſque aulæis curioſè veſtiverat. Excoluerat etiam regiâ ſupellectili, nè quid ad honeſtandum fratrem prætermiſiſſe videretur. Apparatus ubique magnificus, etiam ſuprà quàm excogitari poteſt: culta quoque pro cujuſque dignitate cæterorum hoſpitia.

Apparatus rerum omnium ingens. Convivia per 15. continuos dies, ac præterea ludi diverſi generis, comœdiæ, ſaltus, equeſtria certamina, aliáq; ſpectacula. Abacus miræ pulchritudinis, in medio fori: ubi etiã Epulum publicũ, tam civium & populi, quàm militũ. Primarij Proceres accubuêre cũ Regibꝰ.

Dies quindecim ob fraternæ ſocietatis lætitiam, quam dudum iniverant, convivia aſſiduè celebrata. Temporarium in foro theatrum, ſcenâ orcheſtrâque ſumptu magno paratum; ubi ludi ſcenici, ſaltationéſque, accitis eximijs matronis, cum ſumma feſtivitate editæ. Ante ſcenam hippodromi circique vicem tunc forum præſtitit: ubi quotidie equeſtri certamine pugnatum, magnáque ac varia victoribus præmia propoſita, próque regali magnificentia multa in ſpectaculo ſparſa miſſilia. Epulum viſcerationéſque populo, item Pannonio Bohemicóque militi quotidie data: celebratum in foro convivium eſt Principum. In medio fori tetrogonus ſtabat abacus, gradatim more piramidis ab omni parte conſurgens; per cujus ſubſellia aurea, gemmata, argenteáque vaſa ritè diſpoſuerant. Proſtabant abaco rhinocerotes duo, unus à dextra, à læva alter, miræ uterque magnitudinis, infeſtóque cornu ſpectatores intuebatur: ad baſim hydriæ capaciſſimæ, œnophoræ, diotæ, è poſtulato argento affabrè factæ: ſuprà verò chryſendeta, calices, ſcyphi, cupæ, fialæq́; lapillis ac unionibus onuſtæ. Conſurgebat igitur gemmatus ex omni parte conſpicus in medio foro abacus, in montis aurei ſpeciem, ubi miſerè ſpectatorum lumina fatigabantur. Reges cum proceribus in cœna accubuère; decem quoque menſæ ex ordine ibidem ſtratæ. Inter prandendum nunquam in ſcena & hippodromo ceſſatum, aliqua ſemper edita ſpectacula, hinc mimi, hiſtriones, citharædi,: hinc equorum certamina, infeſtis haſtis convenientium.

Finitis epulis tripudia. Matthiæ erga VVladiſlaum eximia humanitas: frequens cum eo cõverſatio:

Deinde remotis menſis, principes cum matronis illuſtribus duxère tripudia. Regina cum VVladiſlao Rege, & Franciſcus Arogonius cum formoſiſſima nobilique puella, Germanicam pyrrichiam, non ſinè magnis populi acclamationibus, plauſúque ſaltârunt. Rex quotidie VVladiſlaum è regione manentem, officij gratiâ, trajectâ viâ familiariter adibat, educebat in regiam, admiſſúmque in cubiculum, Beatrice teſte, domeſticè ac jocosè alloquebatur: quandoque latrunculos cum Regina ludere jubebat: quod futuri vani conjugij fuit auſpicium. Tantum fraternæ charitatis ſemper oſtendit, & honores exhibuit, ut nihil ultra addi & optari poſſet: veluti divus ille princeps, VVladiſlaum ſucceſſorem ſuum ariolaretur. Quin & in adverſa formidoloſáque valetudine, rogatus à ſuis, quem ſibi ſucceſſorem

Digitized by Google

rem optaret, regnóque eligendum conſuleret? Wladislaum, inquit, ſi optimum Regem appetitis. Compoſitis rebus, cùm jam ſolvendus conventus eſſet, nè indonatum quidem Bohemiæ Regem, quem fratrem adoptaverat, dimittendum eſſe cenſuit. Inprimis quidem univerſum hoſpitij apparatum, ubi eum exceperat (aureis cubicula aulæis texerat, ſtragulis etiam aureis lectos ſtraverat, precioſiſſimum quoque abacum explicaverat) illi dono dedit. Item, id parvum ratus, redditis duabus (ut ajunt) civitatibus, munificentiam auxit. Beatrix trabeam auro contextam, regales veſtes, lectos lautiſſimos, & cætera tale genus, quæ cælibem principem addecerent, adjecit. Nec indonatos quidem ambos Duces, & cæteros Principes dimiſère: nemo dimiſſus immunis. Verùm illud potiſſimè commemorant, & admirantur homines, cuncta Bohemorum hoſpitia, à regali gazophylacio apparatum accepiſſe: denas in ſcenam menſas fuiſſe ſtratas, quæ multum auri argentique ad propinandum, & ad fercula poſtulabant; nihil tamen è regali abaco, quem in foro conſtruxerant, in convivij uſum accepiſſe. Quare quanti censûs Corvina ſupellex fuerit, nè facilè quidem conjici potuit.

Favor & benevolentia, ut ſibi defuncto in Regno Hung. ſuccedat.

Quem Olomucio abeuntē rebus pretioſiſſimis donat.

Idem Beatrix Regina facit.

Nec indonati abeunt Proceres Bohemi, alijq; comites Matthiæ opes & divitiæ.

Huc uſque Bonfinius, Scriptor coævus, & oculatus penè horum omnium teſtis, de ſolemnitate Conventûs Olomucenſis.

Pax verò, *die S. Mariæ Magdalenæ*, concluſa fuit conditionibus iſtis. *Ut titulum Regis Boh. uterque uſurparet. Matthias tamen dum ad VVladiſlaum ſcriberet, titulo illo abſtineret; neque VVladiſlaus ei dare illum teneretur. VVladiſlaus ſolus retineret totam Bohemiam, utramque Luſatiam, Ducatum Svidnicenſem & Jaurovienſem in Sileſia; dignitatem quoque Electoralem Imperij. Victorinus filius Georgij Regis dimitteretur à Matthia plenè. Idem Matthias Ducem Miſniæ ex obligatione fevdali dimitteret: Plſnam, Budvicium, aliáſque civitates, quas adhuc in Bohemia tenebat, VVladiſlao cederet. Viciſſim ut Matthias Moraviam cum Oppavienſi Ducatu, & Sileſiæ reliquum retineret; hoc pacto, ut ſi Matthias ante VVladiſlaum ſinè hæredibus decederet, ut eæ Provinciæ ſinè omni lytro ad Regnum Bohemiæ redirent. Quodſi hæredes relinqueret, ut ab eis, & à Corona Hungariæ, Bohemi Provincias illas redimerent pretio quadringentorum Hungaricorum aureorum millibus. Quodſi Matthias VVladiſlao ſuperviveret, ac in Regem Bohemiæ eligeretur; aut è contrario VVladiſlaus poſt mortem Matthiæ ſuperſtes, in Regem Hungariæ aſſumeretur: ut Provinciæ illæ, ſinè ullo redemptionis pretio, ad Coronam Regni Boh. redirent. Interea tamen Epiſcopus Olomuc. ſicut & ſupremus Regni Bohemiæ Marſchallus, Regem VVladiſlaum æquè ac Matthiam Dominum ſuum agnoſcerent, eique debita obſequia præſtare tenerentur. Item, Bona & ditiones Sternbergicorum, Hazmburgorum, Kolovvratæorum, Svvambergorum, ac cæterorum, qui partes Matthiæ ſequebantur, VVladiſlaus reſtitueret. Similiter Sternbergij monaſterium Trebicenſe in Moravia, quod à Matthia in uſum fructum acceperant, Abbati redderent. Omnes denique offenſæ, injuriæ, ſumptus & damna, quæ pars una ab altera pertulit, delerentur, eorúmque omnium perfecta eſſet abolitio.*

Pax inter Reges Boh. & Hung.

VVladiſlao neceſſaria potiùs quàm honeſta;

VVeleſlav. & Lupac. ad d. 21. July an. 1479. Hagek an. eod. Cromer. lib. 31 an. eod. Kuthen. an. eod. Theobald. in Huſſit. part. 3. cap. 24. an. eod.

Huic tranſactioni ambo Reges ſubſcripſerunt: fuerúntque res in Bohemia & Moravia tranquilliores, per annos complures ſequentes, Regibus & Regnis pacem firmiter colentibus; deletis quoque per ejusmodi novæ conventionis ſtabilimentum, omnibus antiquis offenſionibus & querelis penitùs ſo-

Subſcripta à Regibus:

Digitized by Google

cui firmiùs ſtabiliendæ his quoque legibus proviſum.

ſopitis. Cautum præterea in tabulis pacificationis, nè ſubditorum ullus, ſive manifeſto, ſive ſub ſpecie aliqua, terras alterius Regni invadere, moleſtare, incolis injurias irrogare auderet, ſed unusquiſque ſuis terminis contentus maneret: ſecùs faciens exilio & bonorum confiſcatione mulctaretur. Nec quisquam actionem habens contra alterius Regni incolam, eam viâ facti proſequi, aut ſumptis armis vindicare præſumeret, ſed ordine juris, in eo Regno, in quo ad cauſam tractus exiſteret, uſitato, procedere teneretur. Ad hæc mercatores liberas utrinque in Regnis haberent negotiationes, itinera tuta & ſecura viatores: omni denique humanitate & benevolentiâ Regna & populi mutuò ſe colerent, & proſequerentur. Hunc in modum paci ac tranquillitati publicæ, nè temeritate aliquorum fors turbaretur violaretúrque, probè ac ſapienter proviſum fuit.

Bonfin. MS. Pernſtein. Curæus in Annal. Sileſ.

Sed dum fœdus hujusmodi percutitur, dum magnificis ſe invicem donis Reges ornant, & congiarium populo ac militibus largè præbetur, Turcæ obſervatâ hâc occaſione, *ex abſentia Matthiæ Regis*, gravem acerbámque incurſionem *in Hungariam* fecerunt; & ſiccitate anni adjuti, *Savóque & Dravo* per vada transmiſſis, penetrârunt vaſtabundi ad *Caſtrum* uſque *Ferreum*, partésque *Styriæ*: tantâ adhibitâ celeritate, ut priùs ingentem miſerorum hominum numerum (triginta millia fuiſſe ſcribunt) abduxerint, quàm quisquam eos adventare, credere potuiſſet. Quo caſu Rex attonitus, ſtatim ac *Olomucio* abijt, hoſtem proſequi decrevit, præmiſſis ſedecim millibus expeditiſſimorum equitum, qui Turcarum veſtigijs inſiſterent. *Ad Verbos Illyrici oppidum*, pugna deinde inita; & poſt anceps ac cruentum certamen, victoria, ope *trecentorum Croatarum*, qui in ipſo fervore prælij, Hungaris ſubſidio accurrerant, feliciter obtenta. Quam anno ſequenti, alia rurſum, ac longè major ſequuta fuit *in Tranſſylvania*; profligato, *per Stephanum Bathory VVeyvodam Tranſ. & Paulum Kyniſi Slavo-Hungarum, Comitem Temeſſvarienſem*, ſexaginta millium Turcarum exercitu, & magnâ ex parte internecioni dato. Opportuna tunc occaſio affulſit rei contra Turcas benè gerendæ, ſi Chriſtiani orbis Reges & Principes, priſtinæ virtutis memores, eâ arreptâ, tam pia, quàm neceſſaria arma, unanimi conſenſu ſumpſiſſent, viréſq; ſuas adversùs hanc immanem belluam ut primùm conſociâſſent: ſed diſcordia illorum peſſum omnia dedit. *Matthias*, præterquàm quòd articulorum dolore grauatus, belli incommoda viarúmque labores ſubire vix poterat, cum vicinis ſuis, & quandoque etiam cum domeſticis ſæpe digladiabatur: ſi verò ſubinde pax ei cum Cæſare eſſet, ea plerúmque infida fuit, ac proinde minimè diuturna, ùt videbimus paulò poſt. Nec cæteris ſatìs inter ſe conveniebat: jam tum Deo ad Chriſtianorum pœnam, Turcarum vires provehente; qui modò in tantam potentiam, & imperij amplitudinem excreviſſe videntur, ut nobis omnibus, viciniſque Regnis & populis, non tantùm Occidentalibus, *Moravis, Bohemis & Germanis*, verùm etiam *Italis*; & jam crudeliſſimè omnium *Ruſſis, Polonis & Moſchis*, his terrâ, alijs mari, maximè formidabiles immineant.

Turcarum excurſiones in Hungariam & Styriam.

quos Matthias reprimit & profligat.

alia iterum de Turcis obtenta victoria;

& exinde rei gerendæ occaſio cõtra Turcas, ſi Chriſtiani Principes concordes eſſe voluiſſent.

Bonfin. dec. 4. lib. 5. & 6.

Turcæ flagellum Chriſtianorum.

Ad

Digitized by Google

Ad Wladislaum redeo, qui Pragam reverſus, Comitia ad III. Non. Octobris indixit: in quibus præter alia Regni negotia, reconciliati ſunt Regi, (veniâ facti petitâ, & Rege ad condonandas nomini ac Majeſtati ſuæ illatas injurias, Reipublicæ causâ, facilem promptúmque ſe præbente) Proceres illi, qui antea partibus Matthiæ plùs juſto tenaciùs adhærebant. Quorum præcipui erant: *Joannes, Henricus & VVok Roſembergici, Joannes & Henricus Novodomæi, Joannes & Ulricus Hazmburgici, Joannes & Hynko Sſvambergici; Jaroslaus, Joannes & Zdislaus fratres Sternbergici, filij Zdenkonis.* Et ex Equeſtri ordine: *Petrus Kaplirz de Sulevicz & in VVimberg, Joannes & VVenceslaus VVrabſſij, Mareſs Czegka de Olbramovicz & in Niemczicz, Albertus Kekule de Stradonicz, fidus aſſecla Hazmburgiorum, Henricus VVitta de Zrzavve, cliens Sternbergiorum.* Sancitáque eſt, & Comitiorum decreto firmata, ante actorum omnium inter partes *Amniſtia*, & oblivio perpetua. Annis tamen ſequentibus, Pragæ & alibi, in puncto religionis, non ſemel tumultuatum fuit; quùm hæreticorum ſacerdotes non modò in templis, contra Regem & Catholicos debaccharentur acerbè, verùm etiam per urbem & plateas, tanquàm emiſſæ ex inferis Furiæ curſitarent, & turbulentis concionibus, famoſis carminibus, ſpe, metu, ſuſpicionibus omnia complerent. De quibus videantur Bohemici Scriptores; & ego in *Phoſphoro, Radio III.* ubi inter alia, cladem Eccleſiæ noſtræ Metropol. ab hæreticis illatam, deſcripſi.

Proceres Bohemi partes Matthiæ antea ſequuti, VVladislao reconciliantur:

eorum Nomina.

In Bohemia religionis causâ denuò tumultus.

Hagek. Kuthen. Theobald. ad an. 1483.

Radio III. pag. 303.

Anno 1480. multi per Moraviam prædones, agros viáſque publicas infeſtare cœperunt, eò ſenſim audaciæ progreſſi, ut non tantùm viatores per inſidias intercipere, ſpoliare ac trucidare; verùm etiam pagos, minoráque oppida & caſtella diripere; templa, quò miſeri agreſtes res ſuas, ut eſſent tutiores, convexerant, expilare; opulentiores colonos, quos deprehendere poterant, indignis modis tractare, torquere, & ad res abſconditas revelandas, tormentis ac cruciatibus adigere, pro joco ducerent. Eorum latibula nonnulla (*tabernas* illi vocabant) *Joannes à Pernſtein*, cujus ditioni in ſuperiori parte *diſtrictûs Brunenſis*, quâ Bohemiæ confinia reſpicit, fuerunt ùt plurimùm graves, â vicina Nobilitate adjutus; quædam *Hynko de VVrbna*, in *diſtrictu Olomuc.* circa *Rymaroviam VViſenbergámque*; alibi *Epiſcopus Olomuc.* in ditionibus ſuis, pluribus in locis deſtruxerunt. Quia verò fuerunt inter prædones aliqui etiam è potentioribus, viri quidem origine illuſtres, ſed rapto vivere aſſveti, ob ídque infames, qui arces & alia receptacula habebant munitiora, quàm ut â tumultuario milite expugnari poſſent: eam ob cauſam Capitaneus Provinciæ (is erat, qui ante, *Ctibor de Cymburg & Tovvaczovv*, â Matthia in gratiam receptus, & in officio confirmatus) majorem ex Provincialibus exercitum congregari juſſit; cujus virtute, præſertim cùm etiam *Blaſius Magiary*, cui Matthias curam armorum per Moraviam, *Spilbergaq; arcis* commiſerat, cum ſexcentorum peditum cohorte, quam habebat ſelectiſſimam, *ex ſolis veteranis, Bohemis & Moravis*, & ſeptingentis equitibus Hungaris acceſſiſſet; quicquid reliquum erat prædonum, ſpatio temporis

In Moravia latrocinia magis ac magis invaleſcunt.

ad quæ coercenda Proceres Moravi,

MS. Pernſt. ad an 1481. & ſequ.

ac imprimis Capitaneus Provinciæ, pro officij ſui munere, arma capiunt:

arces aliáq; latronum receptacula oppugnant, deſtruunt;

latrones tolluntur.

brevi ſuſtulit. Multi in defenſione tabernarum occiſi: quidam dum viribus ſuis diffiſi, & veniam deſperantes, eruptione factâ effugere vellent, capti, & ê veſtigio ſuſpenſi: alij ſub cuſtodiam dati, ac poſtea vel aquis merſi, vel fame ſitique enecti.

Controverſia inter Barones Moravos: quis eorum videretur eſſe major?

quam Rex componit:

Eodem anno in Moravia, exorta fuit controverſia inter Magnates, de præcedentia locorum in ſeſſionibus publicis & privatis: quæ brevi deveniſſet in grave diſſidium, mutuáque odia, & ultimò fortaſſis in arma, cædes, bonorum direptiones; niſi inteſtino huic malo *Matthias Rex* aliâ ſalutari viâ in tempore occurriſſet. Qui initio Septembris *Brunam* veniens, & adhibitis in commune conſilium viris undequaque clariſſimis, & ab experientia rerum Patriæ præ alijs commendatis, *Prothaſio Epiſcopo Olom. Ctiborio Capitaneo Provinciæ, viro patriæ antiquitatis ſcientiſſimo, Pertholdo de Lippa, hæreditario Regni Boh. Mareſchallo, VVenceslao de Bozkovicz, VVilhelmo de Pernſtein, Marquardo de Lomnicz, Tobiâ de Bozkovicz, & Heraldo de Kunſtat*; ex omnibus Baronum Familijs quindecim nominavit, quas *pro antiquis* haberi voluit æqualiter: nempe *Cymburgos, Lippæos, Lomnicæos,* **z Hradce** *ſeu Novodomæos, Pernſteinios, Sternbergos, Lichtnſteinios, Bozkovicios, Kunſtatæos, Berkas, Lichtmburgos, VValdſteinios, de Pezing, aliàs Comites â S. Georgio, VVlaſſimæos, Sovinecios, & Kragirios* **z Kragku.** Modum quoque aſſignavit & ordinem, qûo unus alterum præcedere, vel ſequi deberet, præſertim in Judicijs, & alijs ſeſſionibus publicis: primo loco ſupremus *Capitaneus Provinciæ*, ſecundo *Marſchallus Regni*, tertio & quarto ſupremi duo *Camararij Provinciæ*, quinto *ſenior* ex ſupra nominatis Familijs antiquis; & ità conſequenter *ſeniores*, uſque ad ultimum natu minimum. Præterea decretum, nè ulli daretur titulus, **Vrozenému Pánu** / Nobili Domino: **lečby Panſtwj ſwé řádně prowedl** / niſi Baronatum ſuum legitimè, more atque inſtituto majorum demonſtraret. *Actum Brunæ, Feriâ II. ante feſtum Nativit. Beatiſſimæ Dei Genitricis Mariæ, anno 1480.* Eodem anno, inſcriptiones Tabularum Provinciæ fieri cœptæ ſunt idiomate Bohemico, quæ antea fiebant ſemper Latinè: quod factum, *Olomucij, ſub VVenceslao de Bozkovicz, Brunæ ſub VVilhelmo â Pernſtein ſupremis tunc Camerarijs, de conſenſu ſupremi Capitanei, & omnium Statuum Provinciæ.*

& Familias XV. nominat, quas pro Antiquis haberi decernit.

MS. Knijžka Páně z Towačowa o ſtarodáwnijch Zwykloſtech / Obyčegich a vſtanowenj w Markrabſtwj Morawſkém. *folio apud me 34. & ſequ.*

E heu! quàm modo alia rerum & titulorum facies!

Inſcriptiones in Tabulas Morav. fieri cœptæ Bohemicè.

MS. Knijžka *cit. fol. 34.*

Alia controverſia Nobiles inter & Cives:

paulò poſt tamen compoſita.

MS. Knijžka *cit. fol. 81.* *MS. Archivi Lippai.*

Gliſcebat ſub id tempus etiam inter Nobilitatem & Cives diſſenſio gravis. *Barones & Equites* noluerunt admittere Cives, ad emenda Bona, ùt vocant, terreſtria; negando eis inſcriptiones, in Tabulas publicas fieri ſolitas. Viciſſim Cives par pari referentes, Nobilibus negabant emptionem domorum in Civitatibus; & qui habebant domos antè, illos pro libitu ſuo divexabant, & alijs poſt alias præſtationibus exorbitanter prorſus gravabant. Unde exurgebant perſæpe jurgia, contentiones, rixæ, plagæ, & quandoque cædes. Duravit ejuſmodi diſſidium, ad annum uſque 1486. quo jubente Rege, & *Joanne Epiſcopo VVaradin.* qui ſimul *Adminiſtrator tunc erat Epiſcopatûs Olomuc.* agente, pars utraque, colloquio *Brunæ* inſtituto, & dies aliquot continuato, diſcuſſis & conciliatis inter ſe omnibus controverſijs, amicè tandem

Digitized by Google

dem convenerunt *die feſto S. Urſulæ;* quod & peculiari ſcripto, inſtrumentóque authentico, (transactionis mutuæ teſte) eam in rem ſolenniter confecto, comprehenderunt, Regiâ demum authoritate confirmato, & Tabulis Provincialibus inſerto. Illud incipit: *Inter nos Joannem Dei Gratiâ Ep. VVaradin. & Adminiſtratorem Epiſcopatûs Olom. Ctiborium de Cymburg & Tovaczovv Capitaneum Marcb. Moraviæ, VVilhelmum de Pernſtein ſupremum Regni Boh. Præfectum, Heraldtum de Kunſtat & Plumlovv ſupremum Camerarium Judicij Olom. VVratiſlaum à Pernſtein ſupremum Camerarium Judicij Brunenſis, Joannem Kunam de Kunſtat & in Hodonin, Tobiam à Bozkovicz, Chriſtopborum de Licbtnſtein & in Niclſpurg, Czenkonem de Lomnicz, Ioannem Berkam de Duba & Lippa, Albertum ſeniorem à Sternberg, Carolum à VVlaſſim, Ioannem Pniovvsky de Sovinecz ſupremum Iudicem Iudicij Olom. Leopoldum* z Kragku / *Putam de Licbtmburg, Zdenkonem de Waldſtein, Hynkonem de Daubravicze, Hynkonem de Ludanicz, Ctiborium de Landſtein, Przibikonem de Miliczin, Georgium Tungl ſeniorem de Brniczka, Joannem de Zierotin, Georgium de VVeitmille. Et Jacobum de Sſaravva,* Hoſſtrychtyřem *Marcb. Moraviæ, VVenceslaum de Marcze, Joannem Zarubsky de Ognicz, Joannem Lebviczkam de Zaſtrzizl* Hoſſtrychtyřem *Aulæ ſupremi Mareſchalli Regni Boh. Nicolaum Zabradeczky de Zabradka, Sigiſmundum Waleczky de Mirovv, Sigiſmundum de Miroslavv, Jaroſſium de Zaſtrzizl & Morkovicz, Nicolaum Tuleſſiczky, de Petrzi, Georgium de Aunicz, & in Bobuslavicz, Protiveczium de Zaſtrzizl & in Czegkovicz, Joannem Mukarz. Et inter nos Conſules ac Magiſtratus Civitatum, Olomucij, Brunæ, Znogmæ, Iglaviæ, Hradiſſtij, Uniczovij, & aliarum Regiarum &c.* In memoriam Illuſtrium Familiarum, quarum nonnullæ hodiéque ſuperſunt, meminiſſe Heroum iſtorum volui.

Nomina primariorum tunc Procerû & Magnatum Moraviæ: ex Ordine Baronum, heroum præſtantiſſimorum, & Patriæ amantium. Ex Ordine Equitum. Sit omnium memoria in benedictione ſancta.

Similiter in Bohemia, ijsdem penè annis, & eâdem de cauſa, *inter Nobilitatem & Cives* altercatum fuit, dum Nobiles (*Barones Equitêsque*) non tantùm ab emptione Bonorum (vulgò Zbożj Spupná) verùm etiam â ſuffragio in Comitijs ferendo, â legationibus obeundis, & alijs id genus actibus Regni publicis, Cives omnino excluſos vellent, idque jam actu exercerent: præterquàm, quòd jura qvædam Civium manifeſtè ſibi arrogarent, & cauponatione, alijsque ſtatum ſuum non decentibus medijs, *contra Majorum ſuorum morem,* lucrum quærere, rémque ſuam familiarem inſtitorio quæſtu augere non dubitarent. Duravit ejusmodi diſſidium pluribus annis, ac toto *Wladislai regnantis* tempore, tantâ animorum pertinaciâ, & ſubinde ferociâ, ut binis vicibus vix non deſierit in civile bellum: â mutuis certè infeſtationibus, & unius in alterius Bona excurſionibus plusquàm hoſtilibus, rapinis, cædibus & incendijs non fuit temperatum. Donec intervenientibus, *Stanislao Epiſcopo Olom. & Carolo Duce Münſterb. nepote Georgij Regis,* & adnitentibus ſeriò Regni Proceribus, *Zdenkone Leone de Rozmital ſupremo Regni Purg. Wilbelmo à Pernſtein ſupremo Regni Præfecto, Petro Holiczky à Sternberg, Adamo de Novadomo, Georgio à Kolovvrat & Buſſtiebrad, Michaële*

Par, ſed magìs diuturnum, magisque perniciosum diſſidium in Bohemia, Nobiles inter & Cives: tandem & illud, (difficilis licèt) compoſitum. *MS. diverſa.*

Smlauwa Swato-Waclawſká die VI Octobr. an. 1517. Jus Provinc. A. 1.

rhaële Slavatâ, Wilhelmo Sſvihovvsky, Zdislao Berca, Conventu publico, pro feſto *S. Wenceslai* anno 1517. Pragæ indicto, poſt multa adhuc parte ab utraque propoſita, & magnis ſtudijs agitata, contentioni finis eſt impoſitus, & pacto certo, quod *Svvato-Waclavvskianum* nominari placuit, determinatum, quid impoſterum Nobilibus, quid Civibus liceret? quantúmve & quibus in cauſis, ſicut Civitates provinciali, ità Nobiles municipali jure alligarentur?

Turcæ Hydruntum civit. in Italia occupant:

Leonard. Albert. in deſcript. Salent. Regn. Ital. l. 9. Bonfin. dec. 4. lib. 6. Brut. Hiſt. Florent lib. 7.

Anno 1481. *Matthias* â ſocero ſuo *Ferdinando Arragonio, Siciliæ Neapoliſque Rege,* aſſiduò penè, ad ferenda adversûs Turcas, qui præteritâ æſtate, *Hydruntum,* in Salentinis urbem maritimam vi acceperant, auxilia ſollicitatus; *Blaſium* cum ea cohorte peditum, quam in Moravia habebat, & cujus paulò ante meminimus, adjunctâ adhuc aliâ mille virorum, & quingentorum equitum alâ, ei in ſubſidium miſit. Nam Mahometes, ùt erat vaſti animi barbarus, & in dominando cupiditatis immenſæ, anno præcedenti, uno eodêmque tempore, duas expeditiones contra Chriſtiani nominis populos ſuſcepit. *Miſakum Baſſam,* ê gente Palæologa, ire juſſit cum valida claſſe ad oppugnandam *Rhodum: Achmetem* verò Baſſam, cui ab exciſo anteriore dente *Geduc* cognomen fuit, cum æquè valido exercitu in Italiam, ad occupandum cum *Urbe Roma,* Imperium quoque Occidentis. Harum expeditionum is fuit exitus; ut *Miſakus,* ſive, ùt alij vocant, *Meſites,* poſt multas & cruentas, ſed irritas Rhodi oppugnationes, claſſem reduxerit cum dedecore ſummo, & detrimento haud minore. *Achmetes* verò ex *Valona,* quondam *Apollonia Epiri oppido,* quinquaginta tantùm interjecto mari milliaribus Italicis, *ab Hydrunte* Calabriæ civitate diſtante, cum claſſe ſolvens, eò ad V. Cal. Auguſti appulit, Urbémque ex improviſo obſeſſam, & diu noctúque tormentorum ictibus quaſſatam, die decimo ſeptimo expugnavit; cæſis vel in captivitatem abductis, duodecim & ultra Chriſtianorum millibus. Ubi inter alia â barbaris edita crudelitatis exempla, refertur & illud; quòd urbis Archi Epiſcopum, provectæ ætatis ſenem, in templo Pontificalibus indutum, ſacratiſſimam Crucem manibus tenentem, & Chriſtianos qui eò confluxerant maximo numero, ad conſtantiam Fidei exhortantem, captúmque, ante Aram ſerrâ diſſecuerint: quem alij vivum excoriatum volunt.

Folliet. Hiſt. Genuenſ. lib. 11.

eorum immanis crudelitas.

Hinc totâ Italiâ trepidatum.

Captæ Urbis fama tantum terrorem, non modò vicinis *Apulis, Brutijs, Samnitibus, Picentinis & Campanis;* ſed *Italiæ toti* incuſſit, ut de illa, tum de *Urbe Roma* deſerenda magìs quàm defendenda, cogitatum paſſim fuerit. Rex tamen *Ferdinandus,* ad pellendum loco hunc inviſum hoſpitem, priusquàm invaleſceret, totum ſe convertit: filium ſuum *Alphonſum* ab Hetruria, pace Florentinis datâ, revocavit, eúmque *in Apuliam* majore quâ poſſet celeritate properare, & ibi conatibus hoſtium avertendis, nè latiùs arma protenderent, omni diligentiâ invigilare juſſit; ſimul & ad vicinarum civitatum præfectos mandata dedit, ut plures pedites equitéſque conſcribendos quantocyùs curarent, & illos veteranis immixtos ad filium mitterent. Et tunc quoque â genero ſuo Matthia Rege, opem & auxilia imploravit: qui, ùt dixi,

Ferd. Rex Siciliæ & Apuliæ auxilia â Matthia Rege petit:

Digitized by Google

dixi, *Blaſium cum ſexcentis peditibus Moravis Bohemiſque, bello exercitatiſſimis*, præter aliud mille peditum, & quingentos equites Hungaros, quos *Joannes Nagy* duxit, eò deſtinavit. Hi emenſo & enavigato feliciter, *è Segnienſi Dalmatiæ portu*, mari Adriatico, ſtatim ac *Brunduſium* appuliſſent, cognito Hydruntum ab Alphonſo obſidione teneri, illuc terreſtri itinere, magnâ contentione feſtinârunt: *& ut vires animòſque Italis oſtentarent, eâ quâ Itala caſtra ingreſſi ſunt horâ* (ità refert Bonfinius) *cum Turcis congredi voluêre. Turrim magno præſidio munitam expugnârunt, quam pro porta ad fontem proximum Turci conſtituerant, potentique præſidio & munitione obfirmârant: multi utrinque cæſi. Hungari tandem eâ potiti, ſic hoſtium audaciam ſanè repreſſerant, ut ampliùs egredi non auderent.* Ultimò obſeſſi auditâ *Mahometis* ſui Principis morte, qui in Aſiatica expeditione, invaſurus Ægypti Sultanum, ad *Nicomediam* Bithyniæ urbem, repentino iliorum dolore correptus, die 3. Maji interijt; & deſperatâ ſuorum ope, intercluſo undiq; in civitatem aditu, deditionem fecerunt.

qui Blaſium Magyari cum legione peditum Morav. & Bohem. eò properare juſſit: additâ quoq; turmâ Equitum.

Eorum ibidẽ geſta.

Turcæ deditionem faciunt,

Magno ſanè Reipublicæ Chriſtianæ, ac imprimìs Italiæ commodo mors hæc intervenit. Nam *Baſſa Achmetes*, qui *Hydruntum* expugnârat, & inde abiens, præſidiarios Turcas, quos ibi reliquerat, ſi obſidio à Chriſtianis ingrueret, de ferendâ maturâ ope, verbo & promiſſis aſſecuraverat; ut fidem ſuam liberaret, jam in procinctu fuit cum viginti quinque millibus, ad ſuccurrendum obſeſſis, promovendúmque ulteriùs bellum: ſed morte Mahometis cognitâ, â propoſito deſtitit, & relictâ parte exercitûs *in Albania*, cum reliquis *Conſtantinopolim*, prævenire volens tumultus, qui in Interregno oboriri conſvevêre, properavit. *Mahometes* quoque ipſe, nihil magìs in voto habuiſſe fertur, quàm poſt abſolutam *Expeditionem Aſiaticam*, tentare denuò, & omni cum potentia aggredi *Rhodum*, eâque occupatâ transferre totam belli molem in Italiam. Quod reverà non uſque adeò difficilè ei fuiſſet, in tanta Principum Chriſtianorum diſſenſione, niſì Deus Eccleſiæ ſuæ miſertus, hanc diram peſtem avertiſſet. *Blaſius* & alij ductores, magnis *ab Alphonſo* exculti muneribus, tum etiam milites pecuniâ & commeatu, eodem quo venerant terrâ marique itinere, numero tamen pauciores, *ſeptingentis & quinquaginta circiter ibi relictis, partim in oppugnatione Hydrunti cæſis, partim ab alieni atque inſveti cœli injurijs morbiſque abſumptis*, in Hungariam ad Regem, triumphantibus ſimiles redierunt.

deſperatâ defenſione, fruſtratiq; auxiliorum ſpe.

propter mortuum ſub id tempus Machometẽ Imp.

Blaſius in Hungariam,

Pertholdus â Lippa ſupremus & hæreditarius Marſchallus Regni Bohemiæ, Dominus Krumloviæ Moravorum, datis *ad Wilhelmum de Pernſtein*, Pardubicij tunc in Bohemia agentem litteris, ſcribit: *ex ijs quos Blaſius Moraviâ eduxerat, vix tertiam partem rediĳſſe; benè tamen veſtitos omnes, & numatos.* Addit: *juniorem Konias* (nomen aliud non exprimit) *unum ex ductoribus illorum narrare, quàm miſerè proviſa ſit Italia, præſertim maris Adriatici littora, adversùs hoſtium incurſus, ab ea parte, quâ vel maximè tota illa ora periculo objecta cernitur. Et niſì meliùs cuſtodiatur, frequentioribúsq; & neceſſarijs præſidijs muniatur, venturum tempus* (*quod tamen aver-*

Moravi in Patriam revertuntur ex Italia; pauciores quidem numero,

at benè veſtiti & numati.

Digitized by Google

terent Superi) ut Turcis in prædam cedat, durámque ſervitutem ſerviat, non tantùm Apulia, & Calabria, magna quondam Græcia, ſed ſucceſſu temporis Italia tota. Augere periculum, diſcordiam Principum, & præ alijs N. turbas ciente. Italos inſuper eſſe nunc gentem belli inexpertam, & delicijs magis, quàm armis tractandis deditam. Ità ille. Ego meminiſſe hujus Italicæ expeditionis hoc loco volui, ut oſtenderem, *Moravos quoque fuiſſe partem liberatæ â metu Turcarum Italiæ:* de quo aliàs apud Scriptores noſtros altum eſt ſilentium.

Ex Archivo Pernſtein.

Inter Fridericum Cæſ. & Matthiam diſſidium,

Interea *Cæſarem inter & Matthiam* recruduit diſſidium, ob non ſolutam pecuniam nuper pactam; quod paulò poſt, accedentibus alijs cauſis deſijt in bellum, bis quidem per inducias utcunque ſopitum, ſed bis renovatum: donec tandem *Matthias* armis & viribus ſuperior, Cæſarem potiori parte Auſtriæ exuit, ipsáque *Urbe Viennâ*, quam poſt quinque menſium obſidionem, fame ad extremum redactâ, *dum modius unus farinæ, florenis centum & ſeptem venderetur,* deditione accepit, Cal. Junij anni 1485. Ferunt Cæſarem Græcij in Styria tum commorantem, Viennenſibus ſubſidia annonæ petentibus reſpondiſſe: *paterentur eam Viennenſes inediam, quam ſuum quondam Principem in arce obſeſſum perpeti coëgiſſent.* Ex Magnatibus Moravis, qui eo in bello, Regi ſuo, ſuam egregiâ cum laude operam navârunt, fuêre præcipui nominis, *Tobias Bozkovicius, VVilhelmus Tettaur, & Hanuſs Haugvitius.* Primi mentionem facit ſanè honorificam Bonfinius iſtis: *Hamburgum Regis oppidum, quod Neapoli eſt proximum, Cæſaris copiæ obſedêre. Id haud parùm Regis animum commovit. Quare præfectum quendam equitum, cui Pan Dobeſs nomen erat, Jaroslai reguli fratrem, ad ſolvendam obſidionem repentè miſit, gnarum rei bellicæ, & ſpectatæ fidei virum. Is clam ad hoſtes iter facit, nil tale metuentes: cùm caſtris appropinquavit, jam nox ingruebat; ſtratis paſſim menſis hoſtes accubuerant, vinóque dudum incaluerant. Incautos â tergo Pan Dobeſs cum expeditiſſimo adoritur equitatu: maximus primo inſultu tumultus in caſtris oboritur, mira confuſio cum terrore cunctos inceſſit: accubantes multi trucidantur, fœdantur paſſim cruore thori, & qui aliquid audebant, his nec promptum, nec liberum erat arma capere, inſtruere aciem, & impetum excipere. Quare fuga his potiùs quàm pugna ſuccurrit: quibuscunque fuit integrum, omnes terga dedêre: inſequuntur Pannones aliquantulùm, mox cæcâ nocte revocati, ac fuſis fugatisque hoſtibus, potiti caſtris, liberatum ab obſidione oppidum ſubivêre.* Et infra: *Clauſtrumburgum autem, antequàm Pruckum caperetur, Pan Dobeſs, Bohemico* (Moravico ego malim) *genere natus, præfectúsque equitum inſignis, â Rege miſſus occupârat. Quin & oppidum, cui â Divo Hippolyto nomen eſt, ſubducto ingenti mercede præfecto arcis, ſubinde receperat.* *Tettaur* ſimiliter primorum ordinum ductor, & *Stephani Comitis Scepuſienſis*, quem Matthias ſupremum Magiſtrum equitum conſtituerat, legatus; cujus eximia virtus, ad Pruckum oppidum â ponte ad Laitam flumen denominatum, anno 1483. & magìs ad obſidionem Novæ Civitatis anno 1486. & ſequ. enituit. *Hauguicius* item, duorum millium pedi-

ac tandem bellum.

Matthias Viennam occupat:

in cujus exercitu,

Bonf. decad. 4. lib. 6.

fuêre ductores præcipui Moravi tres:

Tobias â Bozkovicz & Czerna Hora, vulgò Pan Dobeſs:

VVilhelmus Tettaur, aliàs VVchinsky de VVchinicz;

Digitized by Google

peditum *ex Legione nigra*, quæ ut plurimùm conſtabat *ex Bohemis & Moravis*, chiliarchus, ac poſtmodùm etiam *totius Legionis Nigræ* tribunus. Legionem hanc *Matthias* ad imitationem Janiczarorum Turcicorum, perpetuis ſtipendijs, ad ſex, ſubinde quatuor millium numerum, alere ſolitus erat: qui *Nigri* vocabantur, quòd aſſiduò penè ſub divo hybernabant æſtivabántque: Martio pulvere, æſtu & algore juxtà obdurati, & continuis militiæ laboribus ità obfirmati, ut nihil eſſet tam arduum ac difficile, quod aggredi non auderent.

& Joannes Haugvicz, Legionis Nigræ Tribunus.

Anno 1483. Wladiſlaus ob graſſantem Pragæ peſtem, in Moraviam, *Trebicium* receſſit, ubi à Cal. Junij, uſque ad feſtum S. Martini manſit, à præcipui nominis proceribus Moravis, qui eò certatim confluebant, crebrò viſitatus, ab eorúmque nonnullis, præſertim vicinioribus, utì *Joanne de Novadomo Telczenſi Dynaſtâ, Hynkone de VValdſtein Brtnicij Domino, Czenkone de Lomnicz, VVratiſlao de Pernſtein,* & alijs, rebus ad victum neceſſarijs liberaliter adjutus; Matthiâ Rege haud invito, imò conſcio, qui duodecim plauſtra, onerata vino Hungarico optimo, & alia ſex, panibus, farinâ, piſcibus & alio commeatu plena, boves item quinquaginta eidem miſit. Rege abſente, Pragæ die 24. Sept. cùm jam nonnihil remitteret peſtilentiæ vis, à furente multitudine hæretica, *Senatus Catholicus* utriusque Urbis, Novæ ac Veteris, unâ eâdémque die trucidatus eſt. Mare profectò erat tunc *Praga* factionum æſtu fervens, & reciproco ſeſe niſu frangens; donec præpotuère adeò hæretici, ut occiſis, vel pulſis Urbe Catholicorum primarijs, rerum ſummam obtinuerint ipſi ſoli, nemine prorſus exiſtente, qui ſe ijs opponere auderet. *VVladiſlaus* tam immane facinus ægrè quidem tulit, ultionémque paravit; ſed defuère vires juſtè indignanti, prævalentibus ſeditioſis; à quibus armatis, & furore agitatis majores & atrociores tumultus, rerúmq; omnium confuſionem metuebat. Coram familiaribus tamen ſuis, magno animi ſenſu conqueri non dubitavit, palámque profiteri, dolere ſe, quòd Pragam, Regnúmque illud ferox & turbulentum unquam vidiſſet.

VVladiſlaus Pragâ abit propter peſtē, & Trebicij in Moravia diverſatur æſtate penè totâ.

Pragæ inter hæc tumultuantur denuò ſeditioſi; Magiſtratum urbis Catholicū trucidant;

ægrè id fert VVladiſlaus, & ultionem parat;

Comitijs deinde *Czaslaviæ*, die S. Lucæ Evang. & alijs *Kuttnæ*, die S. Nicolai Ep. celebratis, & hiſce poſterioribus in annum uſque ſequentem productis, Regni penè totius precibus, ac potiſſimùm *Henrici & Hynkonis Ducum Münſtrb. Joannis* item *de Cymburg, ſupremi Regni Bob. Camerarij, Joannis à Sſelmberg ſupremi Cancellarij, Geſſkonis à Bozkovicz* cognomento *Svvoganovvsky, Nicolai de VValdſtein, & Zdenkonis Malovecz* interceſſione placatus, Pragenſes in gratiam recepit: poſtquàm & illi promiſiſſent, ſe flexo genu deprecaturos culpam, ac præterea in ſignum majoris ſubmiſſionis, mœniorum partem demolituros, quorum ruinas calcando Rex ingrederetur Pragam glorioſus, & quaſi de Urbe triumphans. Cùm nihilominùs deinde, etiam præſente Rege, plebs effera Pragenſis, non ſatis caſtigatâ licentiâ inſoleſceret, & à ciendis ſeditionibus non ceſſaret, ità ut poſthabitis legibus, & Magiſtratuum auctoritate, ac quod intolerabiliùs erat, ipſius Regis præſentiâ, peſſima & indigna quæque facinora patrare nequaquàm vererentur:

ſed à Proceribus placatur:

& non ampliùs in Antiqua Urbe ſatis tutus,

ad arcem migrat. tur: Rex ſtationem ſuam *in Urbe Veteri* non ampliùs ſecuram videns, ad *Arcem S. VVenceslai* migravit; & poſt duos menſes etiam *Tabulas Regni* eò transferri juſſit. Converſisque ad ædificandam & muniendam Arcem, vallo ac foſſis, turribus ac propugnaculis eam circumdedit: ante omnia autem Palatio prorſus regio exornavit, ut quantò ornatior appareret, tantò libentiùs illam Reges Bohemiæ inhabitarent. Ex quo tempore Arx illa Regum ſedes & domicilium eſſe cœpit; per quod Pragenſibus non parum honoris, gloriæ & utilitatis deceſſit.

Hagek. Kutben. aliq. MS. ad an. 1484.

Matthias Viennâ, & potiori parte Auſtriæ potitus, At verò Matthias, Viennâ & majore parte Auſtriæ potitus, reíque benè hactenùs geſtæ fortunam proſequi cupidus, ad reſiduum quoque, quod ſupererat, ſubjugandum animum adjecit. Luſtrato igitur ad Poſonium exercitu, in quo præter *Legionem Nigram*, tria peditum, & duodecim equitum millia numeravit, ſtatim poſt transactam ibidem ſolemnitatem *Transfigurationis Dominicæ*, in Auſtriam trans Danubianam duxit, rectáque Lavam petiit: tum ut occupatâ illâ, ſimul & *Radislaviâ*, ſeu *Retczio*, *Egenburgo*, & aliis in eo tractu, quæ adhuc præſidiis Cæſareis tenebantur, ſecuritati finium Moraviæ ab ea parte proſpiceret; tum ut *Iglaviæ*, quò *VVladislaum Regem* ad colloquium firmandæ novis pactorum legibus amicitiæ gratiâ, aliisque de cauſis, pro Calendis Septembr. invitârat, & ille venturum ſe promiſerat, propior eſſet. Ad *Lavam* ubi ventum, ſinè mora inchoatum oppugnationis negotium: cujus poſtmodùm curâ, *Sigismundo Comiti S. Georgii, & Hanuſio Haugvicio* commiſsâ, Rex *ad dictam in Moraviam*, verba ſunt Bonfinii, *contendit, quam ad Iglaviam ex compoſito cum VVladislao Bohemiæ Rege præſtituerat. Ad labefactandas enim Auſtralium vires, & frangendam Imperatoris pertinaciam, nihil commodius eſſe cenſebat, quàm Bohemorum Regem, bellicoſiſſimam Gentem pollentem, ſibi conciliatum habere. In Moraviam ergo* (pergit & narrat ulteriùs Bonfinius) *Rex cum Beatrice Regina, gnatóque Joanne proficiſcitur, ut confirmatâ cum VVladislao amicitiâ, tutiùs cum Imperatore deinde bellum gereret. Multi mandato Regis Oratores eum ſequuti, qui eo tempore fortè convenerant: imprimis Neapolitani Regis, & Ferrariæ Ducis, cui ab indomita fortitudine Herculis nomen erat. Conventus frequentiſſimus Iglaviæ habetur, quò utriusque Regni Principes cum Regibus convenêre: repercuſſum hic eſt ex ſententia fœdus, & priſtina confirmatur amicitia. VVladislaus à Matthia magnificè donatus, gemmata muneri data galea, adjectúmque oppidum: innumeræ quoque à Regina veſtes auro purpuráque contextæ: addita etiam multa regalis ſupellex, ut ſocietatem digna munera confirmarent. Compoſitis rebus, alter in Bohemiam, ad obſeſſam Lavam alter ſeſe recepit.*

ad reſiduum quoque ſubjugandum pergit, an. 1486.

Lavam obſidet.

Iglaviam divertit ad colloquium cum VVladislao:

Bonfin. dec. 4. lib. 7. Dubrav. l. 31.

ubi Conventu frequentiſſimo celebrato & abſoluto,

redit ad obſidionem Lavæ.

Fuſiùs hæc memorat Anonymus, qui, ùt ipſemet fatetur, rebus geſtis præſens adfuit: cujus narrationem è Slavico in Latinū verſam referre placet.

MS Anonimi, quem puto eſſe unum ex Scribis Joannis Gevecz de Janovicz ſupremi

Feriâ VI. quæ erat 1. Septembr. manè Rex *VVladislaus* Tevto Brodâ exivit, mille & trecentis equitibus, majori ex parte Nobilibus Bohemis ſtipatus: cui *Matthias* Iglaviâ egreſſus obviam proceſſit cum proceribus Moravis & Hun-

Digitized by Google

Hungaris, & trecentorum ſelectiſſimorum equitum turma; quos omnes lentiori paſſu iter carpere juſſit, & in certo loco, medio fortaſſis milliari ab urbe ſubſiſtere, ipſemet verò cum Epiſcopo Waradinenſi, & alijs ſex primarijs ſuis Miniſtris ulteriùs perrexit; eum in finem, ut Wladislao inopinatus occurreret. Sicut & factum: dum *VVladislaus* minimùm putavit, *Matthias* in prato quodam ſubitò comparuit, & Wladislaum primus ſalutavit. Tum datis magna cum amoris & benevolentiæ ſignificatione, mutuò dextris, proceſſerunt Iglaviam versùs, non ſinè jucunda ac ſvavi altercatione, qùum unus alteri dextram daret, neuter verò eam acceptare vellet: ultimò *Matthias* dextram tenuit, quamdiu per Bohemiam eundum fuit, ad ſuburbium uſque Iglavienſe, (eò namque protenduntur fines Bohemiæ,) deîn *VVladislaus.* Toto eo itinere gratiosè inter ſe colloquebantur Reges, de rebus ſerijs & jocoſis. Cùm ad locum, ubi *Matthias* ſuos ſiſtere gradum juſſerat, veniſſent, *Sigismundus Epiſcopus Quinq; Eccl.* nomine Hungarorum, & *Ctibor de Cymburg Capitaneus Moraviæ*, nomine Moravorum, *Regem VVladislaum*, ille ſermone Latino, cujus apprimè gnarus fuit Rex, hic Bohemico ſalutârunt. Inde in Civitatem itum, pluviâ ſub id tempus magnâ exorta: hinc cives non potuêre commodè, eâ ſolemnitate excipere Reges, quam non parcentes ullis impenſis inſtituerant: *Matthias VVladislaum rectà ad deſtinatum pro eo hoſpitium, ac inde in ſuum duxit:* ubi ſimul prandio ſumpto, diei reliquum totum hilares ac lætabundi transegerunt.

tunc Burggravij Regni Boh. de rebus geſtis VVladislai, ad an. 1486.

Matthias prius Iglaviam venit:

inde VVladislao obviam vadit:

quem honorificè in Urbem Inducit:

lauto prandio excipit.

Manè convenientibus in templo Parochiali, *Epiſcopus Quinq; Eccl.* legit *Miſſam de Spiritu Sancto*, divinam implorans opem, ad feliciter ea tranſigenda, propter quæ Reges conveniſſent; ac rurſus ſimul pranderunt apud *Matthiam.* A meridie, *Matthias VVladislao miſit dono quadraginta peryſtromata Babilonica, ſeu tapetes grandes artificiosè acu pictos*; præterea fructus recentes, botros, perſica, aliáque id genus bellaria in ſcutellis magnis argenteis: & ad veſperum ipſemet pedes ad eum venit, invitans ſe ad merendam, & Wladislao præſentans duo cochlearia ex puro auro. Die ſequ. qui erat *Dominicus*, horâ 14. Reges venerunt in templum, quisque cum ſuo comitatu magnifico: ubi ſolenne Miſſæ Sacrificium habuit Epiſcopus VVarad. accinentibus Muſicis & cantoribus præſtantiſſimis, quos Matthias adduxerat. *Prandium apud Matthiam*, cui interfuêre Epiſcopi, & ex proceribus Bohemis atque Moravis, *VVok de Roſnberg*, *Joannes de Janovicz Burggravius Prag. Henricus de Novadomo*, *Joannes de Novadomo Telczenſis*, *Ctibor à Cymburg*, *Henricus à Lichtenſtein & Nicl ſpurg*, *VVilhelmus à Pernſtein.* Eâdem die, Regina Hungariæ miſit *VVladislao* cubile ex argento & auro affabrè & ſubtiliter concinnatum; pulvinária item aurata, ſeu auro picta, cervicalia quatuor damaſcena, culcitram, lodicem, nitidiſſima ac pretioſiſſima omnia: ſtrophiola, induſia, chirothecas, capitia, coronas & plura ſimilia. Feriâ II. Rex & Dominus noſter (*VVladislaus*) ſolus in hoſpitio prandit & cœnavit. Tempore prandij allati ſunt ei â Matthia duo cyathi magni argentei inaurati, miri artificij: atque iterum tempore cœnæ duo pilei, auro & gem-

à Jove principium.

Dona VVladislao miſſa à Matthia præſtantiſsima:

& die ſequenti, alia iterum miſſa à Regina.

alia iterũ atq; alia dona eidem miſſa.

gemmis pretioſis ornati. Feriâ III. adduxerunt ſex canes venaticos, rubro ſerico Attalico opertos; ac brevì poſt attulerunt duas tunicas talares, unam holoſericeam rubram, alteram purpuream auro intertextam; tiaram pulchram Turcicam, acinacem, clavam, pugionem & frameam, argento & gemmis radiantia: bellaria item quàm plurima. Eâdem die â meridie *Matthias viſitavit VVladislaum*; & ſequenti die *VVladislaus Matthiam:* utrâque vice diu in multam uſque noctem colloquebantur mutuò, ſoli abſque arbitris. Feriâ V. in pervigilio Nativit. Beatiſſimæ Dei Genitricis jejunârunt Reges, ac denuò conſultabant primò ſoli, deinde præſentibus Conſiliarijs intimis. Veſperi *Matthias miſit VVladislao duos caballos Thracios*, formæ & velocitatis præſtantis, ſellis ex auro & gemmis ephippiatos: inſuper viginti millia aureorum eidem condonavit.

Conſultatio denuum inter ſolos Reges.

poſtea præſentibus conſiliarijs.

Die feſto Miſſam ſolemnem peregit *Epiſcopus Quinq. Eccl.* Regibus præſentibus, & de manu ejûs Chriſti Domini Corpus ſub una devotè ſumentibus. *Prandium apud Matthiam*; qui rurſum VVladislao galeam lapidibus pretioſis nitentem, & pileolum Hungaricum, criſtâ auro & gemmis ornatâ inſignem, quod utrumque ſeptem millibus aureorum æſtimabatur, dono obtulit. Die Sabbati manè, *apud Matthiam*; â meridie, *apud VVladislaum* conſultatum fuit, in præſentia Magnatum utriusque Regni, qui ſpecialiter ad hoc vocati erant, de modo & via ulciſcendi contemptum *VVladislao Regi*, â Principibus Tevtonici Imperij factum: dum *in electione Maximiliani I. filij Friderici III. nuper Francofurti*, die 16. Febr. habitâ, non obſervato ordine *Bullæ Aureæ*, eum præterierint, *quaſi ampliùs Bohemiæ Regem, pro Electore* non agnoſcerent. Ægerrimè id ſentiebant omnes, ac præcipuè *Noſtrates*; quorum querelæ adversùs Electores fuêre graves, & ferventiorum ſermones irarum pleni, ità ut nihil magis quàm vindictam & bellũ ſpirare viderentur. Nec minùs indignabantur Hungari, factũ ejusmodi, utì inſolens ac præjudicioſum, quàm maximè deteſtantes. Quid tandem ſequetur, tempus oſtendet. Eâdem die *Epiſcopus VVarad.* donavit VVladislao duos crateres argenteos magnos, & quædam alia minora vaſa: duo item cochlearia aurea: cultrum, fuſcinulas cum manubrijs purè aureis. Die Dominico Reges audiverunt ſimul Miſſam, quam in templo Parochiali legit *Alexius Canonicus Prag. Regis noſtri Confeſſarius ſimul & Eleemoſynarius*. Prandio apud Matthiam interfuêre Epiſcopi, & primarij Procerum. Veſperi *Matthias ſeſe ad VVladislaum pro cœna invitavit inopinatò*, præmiſsiſque ſeptem ferculis opiparè paratis, pedes eò venit *cum Epiſcopo VVarad.* ſolique tres cœnârunt: poſt cœnam ſoli etiam per duas horas conſilium tenuerunt, quo ante acta omnia inter ſe concluſerunt. Manè *VVladislaus præſentavit Matthiæ ſex equos grandes Bohemicos verſicolores; Epiſcopo VVarad. duos nigros, & Epiſcopo Quinq. Eccl. etiam duos:* diſpoſitiſque ad iter cunctis, *Iglaviâ diſceſſit*, quem *Matthias* cum omnibus ſuis, ad medium uſque milliare comitatus, ac demum arctè amantérque amplexus dimiſit. Sed nec ipſemet diutiùs Iglaviæ moratus, eâdem die poſt prandium abivit, rectâque *Auſtriam* petijt. Huc uſque *Anonymus ille*, eorum omnium teſtis oculatus.

Regum pietas.

nova iterum munera VVladislao præſentata.

Conſiliarum de re gravi,

Bohemis injuriam ſui Regis à Principibus Imp. in electione Maximil. I. neglecti & contempti, ulciſci parantibus:

nec minùs indignantibus Hungaris.

Matthias ad VVladislaum venit cœnaturum pedes & inopinatus.

VVladislaus in Bohemiam,

Matthias in Auſtriam redit.

Cæte-

Cæterùm præteritio *VVladiſlai* in electione *Maximiliani I.* ſive per errorem, ſive per contemptum accidiſſet, vix non exarſiſſet in atrox bellum Germaniæ formidandum; jam enim Bohemi, initâ cum Polonis & Hungaris, utrâque fortiſſimâ ac bellicoſiſſimâ gente, armorum ſocietate, ultionem parabant, hoſtilem irruptionem facturi propediem in Germaniam: quod idem ſimul ac ſemel feciſſent ex conſtituto ab una parte Poloni, ab altera Hungari, qui jam antea Auſtriam inferiorem penè totam imperio tenebant; atque hoc modo inundâſſent facilè exercitibus ſuis Germaniam. Niſi Fridericus Imp. & vicini Principes, *Albertus Saxoniæ, Georgius & Albertus Bavariæ Duces*, malum imminens dexteritate ſuâ in tempore prævertiſſent: qui cùm emendationem facti promitterent, Electores quoq; ipſi errorem agnoſcerent, ac ſyncerâ fide pollicerentur ſatisfactionem condignam, res aliâ quàm armorum viâ compoſita fuit; datâque Bohemiæ Regi, mox anno ſequ. ab Electoribus cautio, *literis*, ùt vocant *Reverſalibus* firmata, quòd deinceps in electione Regum aut Impp. Rom. Rex Bohemiæ nunquam præteriri debeat, nec poſſit, ſub mulcta graviſſima. Innuit aliquid de his Goldaſtus. *Hinc VVladislaus Polonus, Bohemiæ Rex, in electione Maxim. I. Cæſaris neglectus ac præteritus, non priùs acquieſcere voluit, bellum etiam minitans, quàm Electores ſibi, poſteriſque ſuis & ſucceſſoribus Bohemiæ Regibus, caverent de jure Eligendi, & Archipincernatûs illis competente, ſarto tecto in poſterum conſervando; certâ etiam pœnâ ſtatutâ, ſi quando jus illud ab Electoribus violaretur.* Et alibi: *Et Bohemis tunc imperabat VVladislaus Polonus, qui quòd in Electione Maxim. I. præteritus eſſet, cœlum terræ movere inſtitit, ut contemptum illum in Germanos vindicaret. Quare jus & pontificium eligendi Imperatorem, Regi Bohemiæ de integro ab Electoribus confirmatum eſt, ùt ſuo loco indicavimus.* Refert quoque ibidem copiam Reverſalium datarum ab Electoribus Francofurti, anno 1489. quæ videatur apud eundem in Beylogis Germanicis, pag. 235.

Ex eo neglectu & contemptu VVladiſlai, in electione Maximil. Primi, erupiſſet brevi bellum atrox & cruentum: niſi Imperator Frider. & Electores ſatis feciſſent VVladislao congignè.

in Comment. de Regn. Boh. jurib. & privil lib. 3. c. 6. n. 20. Et lib. 4. c. 6. n. 20. Decretum Electorale in Reichsſatzungen part. 2. an. 1489. fol. 178. Hagek an. 1487. Theob par. 3. c. 37. an. eod.

Matthias in Auſtriam reverſus, *Lavam* poſt triduum deditione accepit: hanc (poſt aliquot tamen dierum oppugnationem) ſequuta ſunt *Retzium & Egenburgum* oppida: quæ Matthias filio ſuo Corvino Joanni, qui præſens adfuit, dono dedit. Reſtabat *Nova Civitas*, jam antea per *Stephanum Comitem Scepuſ. & Tettaurum* obſeſſa: ut igitur & illam, quocunque tandem modo redigeret in poteſtatem, peractis Viennæ Natalis Dominici ſolemnijs, eò vires omnes convertit; quam tamen primò Auguſto menſe, dum nulla ampliùs ſuppeteret obſeſſis auxiliorum ſpes, & fame ac aliarum rerum penuriâ premerentur gravi, compulit ad deditionem. Intervenientibus deinde *VVladislao Rege, & Alberto Saxone*, induciæ ad octo menſes pactæ ſunt, intra quas de pace ageretur: conveniri tamen non potuit, quòd *Imperator* reſtitui ſibi Auſtriam, abſque ulla refuſione ſumptuum vellet, è contra verò *Matthias* ſeptingenta aureorum millia ſibi exolvi poſtularet. Anno 1488. exorto in Sileſia, cum *Joanne Saganenſi Glogovijq; Duce* bello, *Matthias Wilhelmum Tettaurum*, cum tribus millibus peditum & quingentis ex *Legione Nigra*,

Matthias reſidua Auſtriæ oppida, ultimò etiam Novam Civitatē occupat.

Induciæ Cæſarem inter & Matthiam.

Bellũ in Sileſia; ubi Tetauri & Hauguicij egregia geſta; quæ videantur apud Curæum & Schikfuſium.

Nigra, & cum mille equitibus eò miſit. Creſcente porrò ſeditione, cùm ei ſedandæ *VVilhelmus* non ſufficeret, *Hanuſſium Hauguicium Baronem Moravum*, cum reſidua parte *Legionis Nigræ*, & *Lupum Deſpotam* cum tribus millibus equitum Raſcianorum eò properare juſſit: quorum ibidem res præclarè geſtas videre eſt, *apud Curæum in Annalibus Sileſiæ, parte 2. pag. 337. uſque ad 358.*

Matthias ſenſim deficit,

Jámque *Matthias* ex arthritide, & vel maximè podagrâ, uſque adeò viribus deficiebat, ut accedente paralyſi, non ampliùs pedibus valens, de loco in locum portari debuerit: nihil tamen de ardore & Martiali ſpiritu remittebat, ſed totus animo erat in armis. Anno 1490. *Dominicâ Palmarum*, Viennæ tum agens, Miſſam ſolemnem ſibi in arce, celebri cum pompa, ùt quidem in omni actione ſolebat eſſe magnificus, peragi curavit; cui, ſicuti & benedictioni Palmarum, ac alijs cæremonijs, per horas ferè ſex continuas interfuit. Deinde *legatos Caroli VIII, Galliæ Regis* audivit. Ad prandium dum accubuiſſet, ſenſim langueſcere, capitíſque vertigine laborare cœpit; quare in penitius conclave ſe deferri juſſit, ubi ſubitò *apoplexiâ correptus*, nec ampliùs quicquam locutus, diei reliquum, noctémque totam, inter maximos cruciatus & rugitus transegit. Ingruente demum aurorâ, dolor væſanus nonnihil deſedit; & tunc diem illum totum mutus & reſupinus inſomnem egit, obfirmato ſæpe obtutu, modò hunc, modò illum, jam *filium anteſtantem*, jam reginam intuebatur, quaſi aliquid loqui vellet: nihil tamen proferre potuit. Donec die ſequ. manè inter ſeptimam & octavam horam, cùm raucos ſemper gemitus emiſiſſet, variáque pœnitentiæ ſigna (veluti Divinam imploraret opem ac veniam) edidiſſet, intercepto tandem anhelitu expiravit, *anno ætatis quadrageſimo ſeptimo. Tardè Moravis*. ùt ſcribit Daubravius, *nuncio mortis credentibus: quoniam memoriâ tenebant, aliquoties famam mortis ejus antea ſparſam fuiſſe, at ſemper illum magno alicujus malo reſurrexiſſe. Poſtquàm certò apparuit ſepultum, unus è Proceribus illis, â centum, inquit, annis malus theſaurus, meliùs tempeſtiviúsque in terram conditus non eſt: malè enim ille mulctatus â Matthia fuerat.*

ac tandem apoplexiâ ſubitò tangitur,

& die tertio, qui erat Non. Aprilis, an. 1490. moritur Viennæ. Bonfin. dec. 4. lib. 8. Sambuc. in append Ranzani. Ens Rer. Hungar. lib. 4. Daubr. lib. 31.

Quidam ex ira vehementi, apoplexiâ tactum; alij â conjuge *Beatrice*, quæ negligi ſe ab eo propter ſterilitatem dolebat, veneno ſublatum tradunt. Inter alia mortis ejus portenta, leones qui *Budæ* detinebantur, omnes eodem die, quo Rex, interière: nulli item corvi, qui *Corvinæ domûs* inſignia referebant, *Budæ* eo tempore conſpecti ſunt; contrà *Albæ*, ubi Regum monumenta ſunt, tanta corvorum inter ſe crocitantium multitudo ſpectata, ut omnes Regis mortem facilè ariolarentur. Habitus corporis, prout hodiéque in antiquis picturis & ſtatuis cernitur, fuit fermè quadratus; ſtatura non procera, ſed mediocris & virilis; capilli flavi & ſubcriſpi, atque in humeros promiſſi; oculi vividi & ſubnigricantes, genæ rubicundæ, longi digiti manuum, itâ ut æſtimari poſſit, fuiſſe temperamentum ipſius medium inter ſanguineum & bilioſum: qualia nimirum ſolent eſſe magnorum bellatorum, in quibus ſunt ſpiritus multi & ardentes, non tamen furioſi, & nimis ignei. Sermone utebatur

Portenta mortis ejus.

Habitus, forma, & temperamentum:

Digitized by Google

batur compto, multôque urbanitatis ſale aſperſo, id quod ejus facetè dicta & facta, à *Galeoto Martio Narnienſi, epiſtolarum ejus magiſtro* collecta teſtantur. Inter prandendum aut cœnandum, vel liber legebatur, vel doctorum ſermones varijs de rebus audiebantur. Inſtruxit *Bibliothecam in arce Budenſi*, maximo ſumptu, & mirâ utriusque linguæ *Græcæ & Latinæ* fæcunditate, cultúque librorum præſtantiſſimo repletam: ex qua poſtmodùm prodierunt utiliſſimi libri, *Polybius, Diodorus Siculus, Nicephorus*, & alij. Tria maximè paulò ante mortem ſuis commendâſſe dicitur: I. ut *filium Joannem* ſibi Regem ſurrogarent, quum periculoſum ſit aliunde accitorum imperium. II. ut *Beatricem Reginam* cum ſuis rebus maturè è Regno dimitterent. III. *Legionem Nigram*, quam aſſiduò ipſe aluerat, in armis ſemper haberent. Quæ niſi facerent, brevi Regnum, uti reverà accidit, everſum iri. Cadaver ejus *Albam Regalem* deductum eſt, & ibi raptim, cùm ſtatim poſt obitum, omnia plena eſſent motuum, in Regum conditorio ſepultum.

dicta faceta; amor literatorum: Bibliotheca Budenſis ab eo comparata. Tria vel maximè ante mortem ſuis commendâſſe fertur. Albæ in conditorio Regũ ſepelitur.

Hoc fine vitam in terris clauſit ſuam *Matthias Rex fortiſſimus & belliçoſiſſimus*; literarum præterea & literatorum fautor ſingularis, ac regijs planè virtutibus ornatiſſimus. Id unicum duntaxat ſi excipias, (quod vel *Bonfinius* ipſe, eximius aliàs ejus virtutum Encomiaſtes, in eo nequaquam probat) quòd detractoribus, *quorum in aulis Principum plena ſunt omnia*, & qui plerumque per aliorum præcipitia, iter ſibi ad honores & opes ſternunt, facilè quandoque præbuiſſet aurem. *Id Matthiæ* (verba ſunt Bonfinij) *vitio quandoque datum, obtrectatoribus delatoribúsque fuiſſe paululùm obnoxium; & hinc in amicos plerumque ſævitum.*

Ejus virtutes & vitia. & quis ſit crimine ſibi? *Bonfin. dec. 4. lib. 6.*

Tali errore, ac nefario delatorum ſcelere, perijt *Jaroslaus à Bozkovicz Baro Moravus*, qui in rebus Moravicis, Regi in ſanctiori conſilio erat â ſecretis; (*Cancellarium* vulgò vocant,) vir longè omnium virtute animi, & morum elegantiâ, literarúmque cognitione florens ac memorabilis; atque ideo, uti Regi acceptus, ità æmulis inviſus: qui omnia dicta ipſius factáque malignè obſervando, quicquid vidiſſent, audijſséntque, id malis artibus coloratum in pejus, patulis Regis auribus infundebant. Accidit an. 1485. cùm Matthias, *Eberſtorſium oppidum in Auſtria* obſidione premens, in humili quadam ſuburbij domuncula, cum Proceribus ſuis accubaret, ut emiſsâ ab oppidanis ferreâ glande, paries argillâ modicè incruſtatus, ab ea parte, ubi Rex ſedebat, transfoderetur. Et quia præſidij præfectus *Jaroslao* familiaris erat, â quo idem *Jaroslaus* non ità pridem litteras quaſdam acceperat; mox inventi ſunt, qui *Jaroslaum*, intentatum Regi inſidiarum, adeóque *Majeſtatis reum* poſtularent: Regémque eo caſu haud parùm conſternatum, & ad ſuſpiciones hujusmodi penetrabilem, eò perduxerunt, ut deinceps *â Jaroslao* totus averteretur. Nihilominùs rem in præſens ſuis innixus conſilijs diſſimulans, oppidóque in poteſtatem ſuam redacto, ad proſequendam *Urbis Viennenſis* obſidionem revertit; quam ubi ad deditionem compuliſſet, tunc primò in *Jaroslaum* quæſtione agi juſſit.

Matthias facilè nonnunquã delatoribus credens: Jaroslaum de Bozkovicz Cancellarium ſuum, ſuſpectum de inſidijs ſibi intentatis habet: quod tãtiſper diſſimulat,

Bonfinius de eo refert hiſce; *Rex Urbe* (Viennâ) *potitus, ut in proditores,*

Bonf. cit. lib. & in fine.

Digitized by Google

MS. Eliæ Perger. Chronol. Regn Hung. an. eod

poſtea inopinatò ipſum adoriri, & quæſtione in eum agi jubet, adhibitâ etiā torturâ:

cujus acerbitate victus, reum ſe profitetur.

At ceſſante dolore, innocentem ſe eſſe dicit:

& ex nimio cruciatu priora loquutum.

res, parricidas & inſidiatores quæreretur, edixit. Nam inſidias ad Eberſtorphum ſibi tentatas obliterare nonpoterat, in Hieroslaum comperto indice primò quæſitum. Scriba Regi perquàm familiaris capitur, conjicitur in vincula: & in quæſtione poſitus, ſe clam illius oppidi præfectum admonuiſſe, confeſſus eſt, eum obſidionis periculo, alio modo liberari non poſſe, niſi accubantem in proxima domuncula Regem glandivomo tormento petat. Item, nè falleretur ictus, locum præſignâſſe regiæ ſellæ in ſcopuli ſpeciem. In Viennenſi quoque obſidione, ſub adulterinis litteris, clam civibus è Moravia Bohemiáque commeatum ſæpe miſiſſe. Paulò poſt eadem rogatus, dicere, ſe præ cruciatibus iſta fuiſſe confeſſum, & nè capitis reus eſſet, ſui conſcius, extra quæſtionem nihil de confeſſione affirmare. Hâc demum excuſatione uti, equuleo ſe reſiſtere non poſſe. Item, inſontem eſſe, & nihil unquàm in Dominum de ſe optimè meritum fuiſſe molitum: demum, mori malle, quàm ſupplicia morte graviora perpeti. Rex, qui facinus ſat compertum habere dicebatur, per internuncium & præfectum carceris eum admonuit, ut ſi veniam poſtularet, ſe non denegaturum eſſe pollicebatur. Contra ille, nè criminis regiæ Majeſtatis reus eſſe videretur, nunquam adduci potuit, ut ſibi ſupplicaret ignoſci, capitisque ſupplicium deprecaretur: capite mulctari maluit, quàm ex veniæ petitione, precariáque vita, pro confeſſo haberi, ac tanti facinoris infamiam ſuſtinere.

Nihilominùs capitis damnatur,

Commotus hâc obſtinatione Rex, ritè de eo judicium haberi juſſit: & antequàm Viennâ diſcederet, convictus ille capitis, in forum educitur.

populo Viennenſi univerſo ei cōpatiente.

Æquis Scribæ mortem oculis, Viennenſis populus ſpectare non poterat. Multi lictorem clam admonebant, nè lethali vulnere ſæviret in cervicem: at ille, ſive ex compoſito, mercede dudum adactus, ſive caſu, cervicem haudquaquàm amputavit; ictum ex media cervicis parte in humerum deflexit.

Carnifex non benè ſecto capite, ſaxis à populo jactis fugatur.

Cùm repetere vellet, ſaxis â populo petitur, in fugámque ſtricto enſe converſus abyt. Hieroslaus in proximas ædes translatus, è profluvio ſanguinis, paulò poſt animam efflavit.

Tobias frater Jaroslai indignabundus Mathiæ partes deſerit.

Pan Dobes (Tobias â Bozkovicz & Czerna Hora, Jaroslai frater) *fraternæ mortis indignatione, ad Cæſarem transfugit.* Erat hic *Tobias Baro â bozkovicz*, in bellicis rebus, ùt ſupra jam narravimus, magni usûs & conſilij vir, magnitudinéque animi ante alios inſignis; qui ab annis quindecim & ultra, Matthiæ Regi militans, multa virtutis ac fortitudinis ſuæ ſpecimina edidit.

& ad Cæſarē tranſit:

Hic igitur cùm fratris tam miſerando interitu, ſe ſuámque Familiam, gravi injuriâ affectum exiſtimaret, nec ſalutato Rege, indignabundus domum in Moraviam abijt; cui poſtmodùm Cæſar ſummum exercitûs ſui imperium detulit.

à quo ſupremus omnium copiarū Dux conſtituitur.

Mentio ipſius fit ſolennis, in Inſtrumento (prout vocant) Concordiæ Hungaricæ, *inter Sereniſſimos Principes & Dominos, Fridericum III. Rom. Imp. & Maximilianum Rom. Regem &c. Auguſtos ex una: & VVladislaum Hung. & Bohem. Regem, Regnúmque Hungariæ ex altera;* Poſonij concluſæ an. 1491. die feſto B. Nicolai Ep. & Confeſſ. In cujus Tractatione, é Commiſſarijs Cæſareis, primas partes tenuit, primóque omnium nominatur ſub hoc ſchemate: *Magnificus & Generoſus D. Thobias de Boskovvicz & de Czerna Hora præfatæ Majeſt. Imperialis Capitaneus Generalis &c.*

Simi-

Simili propè caſu, utì *Jaroslaus à Bozkovicz*, cecidiſſet brevì etiam *Bobuslaus à Sſvamberg* Baro Bohemus, vir Nobilitate generis, opibus, & rerum geſtarum gloriâ inſignis: quem *Matthias* in locum defuncti *Zdenkonis à Sternberg*, conſtituerat *Capitaneum generalem Coronæ bohemiæ; & Plſnæ, Budviciij, aliarúmq; in Bohemia civitatum Gubernatorem*. Sed biennio poſt, falſis æmulorum delationibus inſimulatum, quaſi res novas moliretur, *Budvicium* ad Bacchanalia invitatum ex improviſo capi, & ſub cuſtodia Spilbergam duci, ibique in carcerem conjici juſſit. Propéque erat, ut de eo *Budam* adducto capitis ſupplicium ſumeretur; niſì *Joannes Sſvambergius Bobuslai frater, Equitum Rhodienſium in Bohemia grandis prior*, & *Jaroslaus Joannésque Sternbergici, Zdenkonis filij*, triſtem amici & affinis ſui ſortem miſerati, eò in tempore accurriſſent: quorum interpoſitione factum, ut ille ſecundò & pleniùs audiri, séque tueri efficaciùs potuerit. Erat quidem *Bobuslaus* vir ſpectatæ prudentiæ, & in omni genere doctrinæ præſtans, ſed naturâ parumper moroſus ac ſerius, paucorúmque verborum; magìs ad ſeveritatem, quàm ad aulæ blanditias aſſentationésque compoſitus: hinc in prima ſui defenſione, quæ fiebat verbo tantùm, non ſcripto, haud uſque adeò plenè ad accuſationis capita reſpondiſſe viſus eſt. At poſtmodùm *Budæ*, obtentis inducijs, ſcripto & ore innocentiam ſuam demonſtravit: quam cùm inſuper teſtimonijs juratis virorum Illuſtrium, tum etiam *Plſnenſium Budvicenſiúmque*, ſatìs liquidò comprobâſſet, anno ſequenti, ſub ipſo pacificationis tractatu, *Matthiam inter & VVladislaum*, dimiſſus, non tamen priſtino officio reſtitutus fuit: *amicitia reconciliata* ſuſpecta manſit..

Idem propè caſus Bohuslai Sſvambergij;

quem perfidiæ inſimulatum Matthias capi, & in carcerè rapi juſſit.

MS. Anon. Prag.

MS. Pernſt.

ſed cognitâ poſtmodùm viri innocentiâ, dimiſit.

Grande omnino ac peſtilens malum, in aulis ſunt *detractores*; & tale quidem, quod ægrè tolli poſſit, cùm inſita ferè magnitudini ſuſpicio ſit, & timor, & faciles in fidem aures: unde fit, ut & detractio, & livor pronis plerumque auribus excipiantur. At boni Principis eſt, vitare ſedulò hanc peſtem, & exemplo magni Auguſti, Trajani, Aureliani, Honorij, Theodoſij Impp. falsò detrahendi licentiam coërcere & legibus & pœnis. Alioquî, ùt Sapiens teſtatur: *Princeps qui libenter audit verba mendacij, omnes miniſtros habet impios*. A Principis igitur facilitate credulitatéque pendet, quales ſuos eſſe velit; pios, an impios? audiat detrahentes; impios habebit. Quem enim non habebit, aut quem ſuorum non faciet detractórem, quem non impium, ſi gratas ſibi detractiones oſtenderit? *Princeps qui delatores non caſtigat, irritat*.

Grande malũ, (frequens tamen) in aulis Principum, detractores:

Prov. cap. 29.

quos boni Principes vitent.

dictum Domitiani apud Svetton.

Sed *de Matthia* unum adhuc occurrit, quod minimè prætereundum exiſtimo. Religioſum quendam virum, ſanctitatis opinione celebrem, *Ord. S. Pauli I. Eremitæ*, acceſſiſſe *Eliſabetham matrem Matthiæ*, tum rectè, quando in *conventu Rakoſſiano*, ad *Peſtum*, è regione *Budæ*, agebatur de novi Regis electione: prædixiſſéque, futurum quidem, ut filius ejus *Matthias* eligatur in Regem Hungariæ, regnétque diu glorioſus; non relicturum tamen hæredem, qui regnet poſt eum: *Corvinæ domûs* gloriam finiendam cum eo. Et hoc propter delictum matris, pro ſalute & dignitate filij uſque adeò ſollicitæ,

Vaticiniũ de Matthia Rege futuro, ſed poſteritatem ex ſe non propagaturo:

 ut

ut ad magica quoque remedia, â Deo ſeveriſſimè prohibita, recurrere auſa fuerit. Quale autem id fuerit, dum matris circa hoc acta penitiùs conſidero, invenio fuiſſe illud ipſum, quod Bonfinius narrat. *Dum* (inquit) *vivente Matthiâ, Viennæ, in artis magicæ diſputationem incidiſſemus, Matthiam memini dixiſſe; in captivitate ſua, matrem de ſe ità fuiſſe ſollicitam, ut curſorem invenerit, qui ſex horarum ſpatio ex Hungaria Pragam ad filium proficiſceretur, totidemque rediret, litteráſque & reſponſa referret. Cacodæmonem itáque miniſterio per aëra vectum fuiſſe credebant.* Ex quo patet, quæſita malis artibus Regna, non perennare.

& quam ob cauſam?

Bonfin. dec. 3. lib. 9. ad init.

CAPUT VI.

Matthiâ mortuo, Moravia & cæteræ Provinciæ ad corpus Coronæ Regni Bohemiæ reducuntur. Wladislaus Rex Hungariæ eligitur: ejus geſta, & mors.

Hungari novi Regis creandi causâ neutiquam conveniunt:

quadrifariam ſciſſi.

STatim â morte Matthiæ, varijs ſtudijs in Rege Hungariæ legendo certatum fuit, proceribus Regni in quatuor factiones ſciſſis. Alij *Joannem Corvinum* Matthiæ filium, ante legitimas nuptias, (matre quidem nobili *Sileſiacâ*, ſed ignotâ) genitum: alij *VVladislaum Bohemum*; quidam *Cæſarem Maximilianum* cupiebant: nonnulli in *Joannem Albertum Cazimiri Regis Pol. filium*, Wladislai fratrem haud obſcurè inclinabant. Communi deinde conſenſu, dies Electioni, *in campo Rakoſs* deſtinata XV. Maji.

MoraviVVladislaũ in Marchionem & Dominum ſuum ſuſcipiunt.

Oratio ipſius habetur apud Bonf. decad. 4. lib. 9.

Hungari VVladislaum Regẽ eligunt,

Interea *Moravi* omnium primi redierunt ad obſequium Wladislai; quos brevì ſequuti, *Luſatij: Sileſij*, non niſi circa finem menſis Julij, dum jam ab Hungaris Wladislaum electum cognoviſſent. Nam Hungari auditis in comitijs, Candidatorum Regni Hungarici oratoribus, & Bohemico, (is erat *Henricus de Novadomo*) motivis & rationibus prævalente; cùm inſuper acceſſiſſent *viduæ Beatricis*, quæ Wladislai nuptias appetebat, preces & artes, poſt multa conſilia in utramque partem magnâ contentione agitata, póſtque nonnullas acres diſſenſiones, *Wladislaum Regem Hungariæ declarârunt*, Idib. Julij. *Habitâ bohemorum oratione*, (narrat Bonfinius) *non ſolùm qui de Republica benè ſentiebant, ſed qui largitionibus & promiſſis onerati fuerant, inverſóſque animos habebant, haud ſecus atque conſcientiâ perciti, tacita VVladislao ſuffragia reddere cogebantur.* Sed, ùt dixi, multùm *VVladislao* profuit, favore & ſtudio ſuo *regina Beatrix*. Jam dudum illa *in Olomucenſi colloquio*, ipſius amorem hauſerat, cum quo ſæpe multúmque eleganti Latino ſermone, cujus erat peritiſſima, fuerat confabulata; formáque ejus capta, maritum ſibi exoptabat. Unde acceptâ ab eo matrimonij ſpe, & habitis Magnatum plerisque, quos diverſis artibus ſuas ad partes traduxerat, ſibi faventibus, operam in eo ſuam omnem collocavit, ut non alius, quàm *VVladislaus*

Beatrice Reginâ viduâ cooperante.

Bonfin. dec. 4. lib. 10.
Dubr. lib. 31.

Rex

Digitized by Google

Rex eligeretur. *Albæ* poſtea XI. Cal. Octobris ritè coronatus: quò decem millibus cataphractorum equitum *Bohemorum ac Moravorum*, Legionêque Nigrâ ſtipatus venit.

Coronatio novi Regis Albæ-Regalis

Hic initia Regni habuit utcunque difficilia & turbulenta. Convenerat quidem ante coronationem *cum Corvino* pacificè, tradito ei omni ultra Dravum flumen Illyrici tractu, uſque ad Dalmatiæ limites, & oram Adriatici maris; ità tamen, ut ſi abſque liberis, ſicuti evenit, decederet, omnia ad Regnum Hung. revolverentur: ſed reſtabant adhuc duo competitores prævalidi, *Maximilianus Cæſar*, & *Albertus frater*; qui uno ferè eodémque tempore, ei bellum intulerunt. Ille jus in Regnum, quod ex pacto cum Matthia & Proceribus Hungaris quondam inito, de quo ſupra, ſibi debebatur, prætendens: hic verò â paucis quibuſdam in Regem electus, fratri, quem *Bohemiæ Regno ampliſſimo ac florentiſſimo* debere contentum eſſe, & alijs quoque id promeritis ſceptra favere, dicebat, cedere neutiquam volens. Res ad arma venit, quæ *Albertus* bis conventione factâ poſuit, & bis, non ſinè inconſtantiæ ac levis animi nota, reſumpſit: (ſunt qui *Cazimirum* patrem magìs *Alberto*, quàm *VVladislao* faviſſe, illúmque copijs militaribus & pecuniâ juviſſe dicant,) donec tertiò profligatus ad *Coſticzium* prælio gravi, Calendis Jan. anni 1491. & â Bohemis duobus, qui eum armis criſtiſque conſpicuum ſummo ardore perſequebantur, vix non captus; ac poſtea nihilominùs *Eperieſſij*, quò ſe ex fuga receperat, obſeſſus, & ad deditionem compulſus, ſenſit *arma temerè ſumpta, nunquàm, vel rarò, aut non diu eſſe proſpera.* Pacem itáque petijt, quam â mitiſſimo fratre, conditionibus certis, quarum præcipuæ erant: *ut juri ſuo, quod in Hungariæ Regnum paucorum quorundam procerum ſuffragijs ſibi delatum, habere ſe putabat, renunciaret in perpetuum, & Ducatibus Glogovienſi in Sileſia, Oppavienſique contentus eſſet*; facilè impetravit. Et hic poſtmodùm Cazimiro patri defuncto anno ſequ. ſucceſſit. Militabant tunc Wladislao *Bohemi & Moravi* magno numero: peditum ſeptem millia, ductoribus primarijs *Nicolao Hauguicio Moravo, Hanuſſij patruele; Joanne de Talmberg, & VVenceslao VVratislavv Bohemis.* Equitum verò cataphractorum quinq; millia; quibus præfuêre, *Petrus Holiczsky â Sternberg, Puta Sſvvibovvsky, VVenceslaus VVlczek, Bohemi; Joannes â Zierotin, & Joannes Puczhardt de* Wodierad, *Moravi.*

Bellum VVladislai cũ MaximilianoCæſare,

pag. 741.

& Alberto fratre, Regni cõpetitoribus.

Albertus prælio profligatus & captus pacem petit.

MS. Pernſt. MS. VVrzeſov. Anon. Prag. ad an. 1491.

Major ingruebat vis, majúſque periculum *â Maximiliano*, qui *Viennâ, Nova civitate, Prucko ad Leytam*, ac brevì *totâ Auſtriâ Styriâq; receptâ* non contentus, bellum in Hungariam tranſtulit; & occupatis, nullo prorſus ſuorum ſanguine, *Sopronio, Sabariâ* Divi Martini patriâ, & W*eſprimio* Regum Moraviæ quondam Sede, rectâ *Albam* Regalem, in qua Reges Hung. coronari, & poſt mortem ſepeliri conſveverunt, petijt: quam armatâ manu expugnavit, & miles, contra quàm juſſiſſet Cæſar (mitiſſimi aliàs ingenij Princeps) crudeliter diripuit. Actum erat de W*ladislao*, niſi Svevi pedites ſeditionem moviſſent: qui ditati prædâ progredi ulteriùs noluerunt, ſed domum potiùs redire feſtinantes, ſoluto imperio, inſalutatis præfectis & tribunis, agminatim,

Cæſar recuperatâ Auſtriâ, bellũ in Hungariam tranſfert:

quod primò feliciter utcunque gerit;

Digitized by Google

at poſtmodùm militibus ſuis in ſeditionem actis & dilabentibus,

tim, quà cuique viſum, dilapſi ſunt. Accedebat rei pecuniariæ inopia, quâ tunc *Maximilianus* vehementer laborabat; ideóque ſollicitus, nè ex defectu ſolvendi ſtipendij, & illi, qui in officio permanſerant, concitatâ ſeditione dilaberentur, mutua ſexaginta, aut ſaltèm quadraginta aureorum millia *à Sigiſmundo Epiſcopo Quinque Eccl.* petijt, *Archi-Epiſcopatum Salisburg. in Germania ampliſſimum ac opulentiſſimum* ei promittens. Cùm verò ille datam electo Regi fidem fallere nollet, & jam etiam *VVladislaus* collecto exercitu immineret, Cæſar tot rerum difficultatibus adactus, relicto *Albæ* præſidio, in Auſtriam redijt. Nec multò poſt, revocato ad amplectendam pacem animo, cum *VVladislao* transegit, conditionibus quidem ex parte Hungarorum ſatis duris, ſed contra quas, dum Nobilitati ac populo, *Budæ in foro S. Georgij* exponerentur; præſertim contra illam, *quâ mortuo VVladislao, aut ejus liberis, ſi quos eſſet progeniturus ſimiliter decedentibus, Regnum Hung. ad Maximilianum nepotésque ejus recideret*, proteſtata fuit Univerſitas omnis, & re propemodùm ad ſeditionem ſpectante, vix ab armis temperatum eſt. Et hoc poſtmodùm Viennæ anno 1515. pactis alijs ac recentioribus *inter Maximilianum & VVladislaum* renovatū, cùm ſubſequenti tempore, *Ludovicus* Wladiſlai filius unicus, *in prælio Mobaczziano*, abſque hærede deceſſiſſet, belli graviſſimi ac funeſtiſſimi occaſionem præbuit, quod Regnum Hungariæ perdidit, utì ſuo loco memorabimus.

nihil ultra tentare auſus in Auſtriam redit,

& cum VVladislao pacificè tranſigit.

Bonf. dec. 5. l. 2. Nicol. Iſtbvanf. lib. 1. MS. Pernſt. Lipp. Anon.

Parte 2. lib. 1.

Inter alios viros præſtantiſsimos, qui huic Tractationi operam dabant,

Interfuerunt tractationi pacis hujus, Poſonij die S. Nicolai Ep. an. 1491. concluſæ, nomine VVladiſlai, præter Hungaros, *Thomam Epiſcopum Jaurinenſem*, & *Stephanum Bathory* VVeyvodam Tranſylvaniæ, *Jaroslaus Sſelmberg*, Regni Boh. Cancellarius, *magnâ*, ùt de eo refert Bonfinius, *apud Regem, propter ſummam ſapientiæ & fidei opinionem, gratiâ & autboritate*; *Beneſs à VVeitmille, Burggravius Carlſt. & Joannes à Raupovv ſupremus Judex curiæ Regalis*, Bohemi. Nomine Maximiliani: *Tobias à Bozkovicz Moravus*, ſupremus militiæ Cæſareæ præfectus, *Fridericus Comes Zolleranus, Georgius Rottal*, & alij viri præſtantes, tam Juriſconſulti, quàm copiarum Tribuni. Ubi *Tobias* privatæ quoque rei ſuæ haud immemor, ut ditionibus ſuis, in Moravia, quas Matthias ei abſtulerat, reſtitueretur, & in alijs etiam prætenſionibus ſibi ſatisfieret, egit, & effecit. Hinc inter alia transactionis capita inſertum iſtud: *Item, in facto debiti & querelarum, quas Nobilis vir D. Tobias de Czerna Hora propoſuit, in hunc modum eſt conventum. Imprimìs D. Rex* W*ladislaus tenebitur ipſi infra menſem, initium ejus à feſto S. Martini computando, villas illas in Moravia, ſibi pro certa pecuniarum ſummâ obligatas, & per Matthiam Regem vi ablatas reſtituere; ut illis juxta tenorem literarum obligationis liberè utì poſſit. Duo inſuper millia florenorum quōdam Matthiæ Regi, per ipſum D. Tobiam mutuata, ſi ipſe D. Tobias, per has vel alia evidentia documenta hujusmodi debitum probaverit, ipſe Rex VVladislaus infra annum, ipſi D. Tobiæ, aut eo non exiſtente, hæredibus ipſius reſtituere teneatur. De quinq; millibus florenorum inſcriptis ipſi D. Tobiæ per ipſum Matthiam Regem, ſuper caſtro Schonberg, quandoquidem ex illis, ipſe D. Tobias, D. VVladislao Regi, tria*

fuit Tobias à Bozkovicz, BaroMoravus.

Iſtbvanſ. cit. Sambuc. in Append. Bonfinij.

Concordia Hungarica inter Frider. III. Imp. & Maxim. Cæſarem, ex una; & VVladislaum Hung. & Boh. Regem, ex altera: Poſony concluſa an. 1491. in feſto S. Nicolai.

tria millia de bona voluntate remiſit; conventum eſt, ut reliqua duo millia D. Rex VVladislaus eidem in ſpatio duorum annorum ſolvat. Quantum verò ad impenſas factas, in ædificia caſtri Spilberg pertinet, conventum eſt, quòd de hujusmodi impenſis D. Tobias, Capitaneum Moraviæ edoceat; quibus edoctis, & ad Regiam Majeſtatem per Capitaneum deductis, & conſtitutâ ex ipſius Capitanei relatione, quòd ſua Serenitas pro hujusmodi impenſa ſolvere debeat; infra annum â tempore declarationis ipſius Capitanei, ipſi D. Tobiæ ſolvere tenebitur. Spilberg, arx ad Brunam.

Paulò antequàm componerentur iſta, circa *feſtum S. VVenceslai*, milites Cæſarei, factâ irruptione ſubitaneâ in Moraviam, magnam agricolis, & alijs hinc inde commeantibus *per inferiorem Diſtrictûs Brunenſis partem*, incuſſerunt formidinem; nec nisi abacto ingenti majoris & minoris pecoris numero, præſertim ex ditionibus *Niclſpurgenſi, Brzedslavienſi, Hodoninenſique*, in Auſtriam redierunt. Ægerrimè id tulerunt Moravi, præſertim vicini Equeſtris Ordinis viri, diverſis antea bellis exercitati, *Protivecz & Philippus de Zaſtrzizl*, hic in Kygovv, ille in Czegkovicz; *Paulus Kautsky, Arneſtus Kuzel, Joannes Zabradeczsky, Joannes junior Borzita, VVenceslaus Hodiczsky, Bohuſſe Obeſslyk*, & quidam *Hoſſek* nomine: qui ſimul congregati, cum famulitio quisque ſuo armis inſtructo, hoſtes perſequi decreverunt. Adjunxit etiam ſe *Joannes â Czertorey*, vir cùm Nobilitate generis, tum rebus ſub Matthia Rege præclarè geſtis illuſtris, *â Chriſtopboro de Niclſpurg* affine ſuo, cum ſexaginta quinque equitibus miſſus: *Herolt* item & *Ladislaus fratres, Joannis de Kunſtat dynaſtæ Hodoninenſis filÿ*, cum non contemnendo equitum levis armaturæ comitatu advenêre. Conjunctis igitur viribus & animis, *in Auſtriam*, hoſtium veſtigijs inſiſtendo, citatis paſſibus contenderunt; deprehensóque uno hoſtium cumulo ſat valido, qui *Marbekum* versùs tendebant, in pago quodam infra *Cabnoviam*, acri impetu in eos irruerunt, & extortâ prædâ, diſſipatos & palantes partim in fuga ceciderunt, partim captivârunt. Inde verò ad populationem vicinæ regionis converſi, totum illum *circa Marbekum* tractum vaſtabundi percurrerunt, ac nemine prohibente, in ea repentina excurſione, penetrârunt impunè *ad confluentem uſque Danubÿ & Moravæ*, obvia quæque diripientes, (â cædibus tamen & incendijs, juſſu ducum abſtinuêre,) eóq; modo ultione ſumptâ, & magnâ rerum omnium congeſtâ prædâ, domum ovantibus ſimiles redierunt.

Pace nondum concluſâ, Cæſariani excurrunt in Moraviam, & obvia quæque populantur. Moravi ad arma conclamant; promptiſſimi conveniunt; hoſtes perſequuntur in Auſtriâ uſque; aliquos profligant, prædam recipiunt: Auſtriam vaſtant. *MS. Pernſt. Epiſtolâ Chriſtophori de Liechtnſt. ad VVilhelm. de Pernſt. MS. Anon. in Archiv. Lipæ.*

Pace cum Maximiliano Cæſare initâ, & bello cum fratre Alberto, Marte judice, confecto, Turcis inſuper ab obſidione Sabaciæ rejectis, *VVladislaus* ocio & quiete, cujus erat appetentiſſimus, frui commodè potuiſſet; niſi *Beatrix* promiſſas nuptias, jam tertiò ac multò acriùs urgendo, ipſum turbâſſet: quæ huc uſque ſpe conjugij *magnâ diſſimulatione* *Wladislai* ſuſtentata, quùm poſtmodùm ſpecioſa tantùm verba, factis minimè reſpondentia ſibi dari videret, moræ impatiens, utì erat *mulier ingenÿ experrecti, prompti atque audacis*, importunè etiam, & plùs omnino, quàm modeſtiâ ejus addeceret, ſibi ſatis fieri flagitabat. Et *VVladislaus* quidem non uſque adeò abhorrebat primùm ab ejus conjugio, & ſe ei verba dediſſe palàm fatebatur; ſed videns mulierem

Beatrix vidua promiſſas nuptias urget; â quibus VVladislaus non abhorruiſſet,

natu

niſi ſterilitas mulieris,

natu jam utcunque grandem & ſterilem, ùt quæ etiam *Matthiam Regem* orbum liberis reddiderit, multa ſecum ipſe reputare cœpit, ac ſeriò perpendere, adhibitis in conſilium utriusque Regni proceribus: an ſuo Reipublicæq; commodo uxor ducenda eſſet, ex qua nulla proles ſperari poſſet, & Regnum ſe decedente, novis tumultuum ac ſeditionum procellis exponeretur? vel de alia potiùs genio ſuo reſpondenti, eâque virgine, cogitandum foret, ut fauſtâ prole ſuſceptâ, publicæ populorum tranquillitati proſpiceret. Accedebat *vetus lex Bohemorum*, quâ ſeveriſſimè prohibetur, nè Rex Bohemiæ, viduæ cujuspiam matrimonio implicetur: cui ſtandum Bohemi vehementer orabant. His igitur omnibus accuratè perpenſis, *VVladislaus* ſtatuit, de conſilio etiam ſuorum, quorum fidei prudentiæque multùm tribuebat, *Beatrici* renunciare fœdera conjugij, apertéq; ſignificare, ut illa ſibi aliam vitæ conditionem quærat, cùm ipſemet eam ducere nequeat, prohibentibus Bohemorum legibus, & obſtantibus Hungarorum votis, ſterilitatem ejus privatim & publicè damnantium. Se illam *ſororis amantiſſimæ locò* habiturum ſemper; conceſſurúmque, ut Bonis dotalibus, & alijs adventitijs, in pace uti frui poſſit, dum vixerit. Tranquillior tamen reddi illa non potuit: ſed auditis his, non ſinè dolore & lacrymis, cùm tandem matrimonij ſpem ſupereſſe nullam videret, indignatione plena, diráque omnia VVladislao imprecata, abijt in Italiam. Ex cujus diſceſſu *VVladislaus*, curâ ac ſolicitudine haud modicâ levatus, non multò poſt, obtentâ *ab Alex. VI. Pont. Max.* facultate aliam, quam vellet, ducendi, ad novas nuptias animum applicuit, ùt infra narrabitur.

& Bohemorũ lex vetus, quæ Regibus viduarum nuptias prohibet, obſtitiſſet:

quæ triſtis exinde, abit in Italiam.

Bonfin. Iſtvanffi. Daubrav. MS. diverſa.

Anno 1492. cùm gravis immineret â Turcis metus, ex ingenti apparatu bellicô, quem fieri *à Bajazete* terrâ maríque, certâ exploratorum relatione conſtabat. (nam præter multa in Ponto navigia recèns conſtructa, auctuariáſque rates non paucas, quibus *Iſtrum ſubiret*; præter item minores celoces, Naſadas vulgò vocant, *in Boſnia* fabricatas complures, quas *in Savum* deduceret, magnam copiarum multitudinem, ex Aſia atque Evropa evocaverat *Bajazetes*, eum in finem, ut proximo vere ducenta armatorum millia contra Hungaros educere poſſet:) *VVladislaus* nè imparatus inveniretur, ſummam adhibuit diligentiam & celeritatem, ut finitimas Regni arces, ac imprimis *Belgradum*, novo validioréque præſidio, & rebus ſuſtinendæ obſidioni neceſſarijs præmuniret: quò mille ſelectiores *Bohemos Moravóſque* è Legione nigra, ductore *Baltazaro Tettaur* VVilhelmi fratre miſit; reliquas verò ejusdem Legionis cohortes, unà cum mille ducentis cataphractis equitibus, itidem *Bohemis & Moravis*, quibus præerant *Jacobus VVrzeſovecz* Bohemus, *Michaël Podmaniczsky*, & *Petrus Horecsky* Moravi; *Temeſſvarium*, Paulo Kiniſio partium illarum præfecto, ac ſummo copiarum duci, in ſubſidium properare juſſit.

Turcarũ novi bellici apparatus:

quibus VVladislaus commotus,

Regni confinia munit recentibus præſidijs:

Bohemorum & Moravorum cohortibus.

MS. Pernſt. Lipp.

Jam *Bajazetes* Sophiam pervenerat, proſpera cuncta, ex diſſenſione Hungarorum, bellóque civili, pro barbaro ac tumido ingenij faſtu, ſibi promittens; at cognito, Hungaros pace cum Polonis & Germanis initâ, paratos eſſe ad reſiſtendum, haberéque *Bohemorum* tam peditum, quàm equitum

Turcæ audientes Hungaros in armis eſſe,

multa

multa millia in auxilium, ſpe conceptâ dejectus, neque ultra progredi auſus, *Adrianopolim* redijt, irâ frendens ac fremens uſque adeò, ut præ indignatione nimia ſibi pilos ê barba ſemel atque iterum evelleret.

retrocedunt. *Bonfin. dec. 5. cap. 3.*

Kiniſius verò hoc defunctus periculo, Bohemos *Segedinum* in æſtiva remiſit; ubi illi per aliquot dies morati, cùm incolis nimiùm graves eſſent, & avarè crudelitérque, non in agreſtium tantùm, verùm etiam in Nobilium bona ac ditiones graſſarentur, ducibus & tribunis magna ex parte tunc abſentibus, qui *Budam* diſceſſerant: *Kiniſius* poſtquàm monita omnia fruſtrà dari vidiſſet, ad vim vi retundendam converſus, tacitè quaſi in partes Turcarum excurſionem pararet, militibus ex tota penè Hungaria inferiori evocatis, & turbâ etiam agreſtium, qui falcibus fænarijs in longurios transverſim adaptatis, vel ſcipionibus oblongis ferro præfixis armati eſſent, coactâ, exercitum collegit, contra illos duxit, & poſt cruentum diúque anceps certamen, ſuperatos victóſque ad deditionem coëgit. *Quadringentos cecidiſſe*, (ità Bonfinius narrat) conſtans opinio fuit. Viſum poſtea primarijs Hungarorum, (contradicentibus licèt non paucis,) ut contumax *Legio* diſſolveretur, & alijs ſub ſignis per præſidia diſtribueretur, nè ſimilia exempla deinceps, & fortaſſis pejora, ab ea licentiæ jam plus nimio aſſveta, tentarentur. Factâ igitur partitione, optimus eorum quiſque *à Rege*, multi *à Stephano Batbory* cognomento *Calibe*, paulò poſt mortuo, alij *à Stephano Palatino* conſcripti ſunt. Quidam in fines Hungariæ & Moraviæ ſeceſſerunt, & obſeſſis montibus, quos *Albos* vocamus, cùm â priſtinis, quibus aſſveti erant, maleficijs, furtis & latrocinijs non ceſſarent, capti tandem eorum plurimi, & latronum more damnati, varijs ſupplicijs perierunt. Sic alijs ſublatis, alijs aliò diſtributis, alijs verò ſparſim *in Moraviam & Bohemiam* reverſis, tanquam partibus ſenſim commorientibus, vetus illa, ac diu florens *Legio nigra* finivit.

Bohemorum & Moravorũ militum, ſeu *Legionis Nigra* inſolentia: propter quam ab Hungaris cæditur, & diſſolvitur. ex ijs quidam converſi ad latrocinia, & capti pœnas dederunt.

Anno 1493. *Fridericus III. Imp.* moritur *Lincij*, in ſuperiori Auſtria, die 19. Auguſti; quo etiam *Cæſar Auguſtus*, ante annos 1478. obierat. Fuit tribus annis major *Auguſto*, qui 75. annos vixit: ab eo tamen tribus in Imperio annis ſuperatus. Hic aliquando interrogatus, quid homini optimum contingere poſſet? reſpondiſſe fertur: *Bonum ex hac vita exitum.* quem ipſi contigiſſe, propter ſummum pietatis in Deum ſtudium, & quia in ſenectute bona, poſt ſuſcepta devotè ex Chriſtianæ diſciplinæ inſtituto Sacramenta, placidâ defunctus morte obierat, piè credendum eſt. Succeſſit ei in Imperio *Maximilianus* filius, ſeptennio antè, ût vidimus, electus & coronatus, ſpectatæ prudentiæ & magnanimitatis Princeps, *aliquando fortunâ, ſemper animo Maximus.* Hic cùm funus paternum *Viennæ* curaret, auditâ grandi clade, Chriſtianis in Croatia per Turcas illatâ, culpâ & temeritate *Bernardini Frangepani*, viri alioquin præſtantiſſimi, & *antiqui Romani ſanguinis* (fuit enim ijs Illyrici partibus inſertus â longo tempore ramus, Nobiliſſimæ eo nomine ſtirpis Romanæ, ſed nuper *heu*! miſerando fato, *in Franciſco* pœnali ferro ſublato, ſucciſus prorſus) ad eam vindicandam, junctis cum *VVladislao* armis, confeſtim accurrit; ſed Turcas jam *in Boſniam* abîjſſe reperit. Nihilominùs ex altera parte

Fridericus III. Imp. moritur. cui ſuccedit filius Maximilianus. Nova â Turcis illata clades. *Naucler. gener. 50. Trithem. in Chron. Spon. ad an. 1493. anno 1671. die 30. April.*

Digitized by Google

te *Kiniſius* cladem hanc abundè reſarſit: qui inſequenti hyeme, obſervatis ijs diebus, cùm aquæ & flumina glacie tenerentur adſtricta, cum decem millibus ſelectiſſimorum militum, acerrimam irruptionem in partes Turcarum fecit; & occupatis duobus haud procul *Samandriâ* caſtellis, viciniſque oppidis & villis direptis, *ad Niſſam* uſque vaſtabundus pervenit; tantámque paſſim formidinem circumtulit, ut *Adrianopoli* trepidaretur.

quam Hungari paulò poſt egregiè ulciſcuntur.

VVladislaus cum Maximil. Imp. fœdus & amicitiam renovat:

Anno 1494. *VVladislaus*, ut res ſuas non modò contra apertos hoſtes *Turcas*, verùm etiam contra domeſticos, *Proceres Hungaros* dicto minùs audientes, quin imò reluctantes, protervos & contumaces non paucos, firmiùs atque ſecuriùs ſtabiliret, pacta *cum Maximiliano* nuper inita, novâ conventione roboravit; ſimul & *Albertum* fratrem Poloniæ Regem, ad colloquium *Leveczoviam*, oppidum Hungariæ Polonis finitimum invitavit. Ad diem igitur conſtitutum, qui erat XVII. Aprilis, *Albertus cum Sigiſmundo & Friderico Cardinale fratribus natu minoribus, ac Friderico Marchione Brandeb. ſororis filio, ad VVladislaum Leveczoviam venêre; ibique publicè fœdera cum Polonis renovata ſunt, ac ludis & ſpectaculis aliquot dies inſumpti. Privatim verò Reges ſecretis habitis colloquijs, ut ſe & dignitatem ſuam ab inteſtinis factioſorum procerum inſidijs tuerentur: utque ſi neceſſitas poſtularet, ſtabiliendæ auctoritatis ſuæ causâ, arma conſociarent, inſigni ſilentio decrevêre.* Ità memorat *Nicolaus Iſtvanffi* ſcriptor Hungaricus, Vir illuſtris, doctus, & tam pacis, quàm belli artibus longè clariſſimus, cujus authoritati innitemur poſtea ſæpiùs.

ſimul & cum fratre Alberto Rege Poloniæ,

cum quo perſonaliter convenit.

Iſtvanffi de reb. Hung. lib. 3.

Dimiſſis fratribus, & Sigiſmundo utriusque Sileſiæ & Luſatiæ præfecturâ commiſsâ, *VVladislaus* Caſſoviam, ac inde in Tranſylvaniam ſub id tempus tumultuantem ſe contulit: eáque pacatâ in Hungariam inferiorem, ut ab ea parte ſecuritati finium, tum congruis præſidijs recentibúsque, tum rebus alijs neceſſarijs provideret, feſtinavit. Cognito autem Turcas denuò irrupiſſe *in Croatiam & Carnorum regiones*, tempus idoneum ſibi dari invadendæ *Serviæ & Bulgariæ*, utpote præſidijs majori ex parte nudatæ, exiſtimans, ſinè mora quatuordecim millia equitum ex univerſis copijs legit, quibus prætorianas ſuas quatuor cohortes, quæ *ex ſolis Bohemis & Moravis* conſtabant, adjungit, eóſque *Kiniſio* duce, ad vaſtandam hoſtium Provinciam mittit. Hi impigrè juſſa exequuti, *ad Samandriam* ſuburbia diripuerunt exuſſerúntque; & caſtris ultra promotis, *in Bulgariam* uſque penetrârunt: ubi totos XV. dies impunè graſſati, tantum prædæ coacervârunt, Turcis ſeſe intra munimenta continentibus, ut ei avehendæ currus non ſufficerent. Et ùt *Petrum Morc, qui tum Conſtantinopoli Orator erat, poſtea narrantem audivi:* (ſic refert Bonfinius) *Turcæ audito infeſto Pauli & Hungarorum incurſu, adeò perculſi metu erant, ut prætorianæ cohortes, quæ Conſtantinopoli præſidebant, in Aſiam repentè trajecerint, Imperatore tum in Ægypto abſente, & bello cum Sultano graviſſimo contendente. Quin etiam, ſi milites Paulum audiviſſent, potuiſſe facilè Conſtantinopolim uſque, populationem direptionémque perdûci.* Volebat *Kiniſius* eâdem occaſione tam benè favente, tentare Samandriam; quam profectò tunc

In inferiorem Hungariam vadit cum exercitu.

& facta irruptione in partes Turcarum,

MS. Lippaum.

tantum ubiq; terrorem infert,

ut vel Cõſtantinopoli trepidaretur.

Bonf. dec. 5. lib. 4.

Digitized by Google

tunc, neque præſidio ſufficienti, neque alijs rebus ad defenſionem neceſſarijs proviſam, occupare negotio facili potuiſſent, ſi tantùm ocyùs vim tormentorum, quæ jam ille ê proximo *Belgrado* advehi curaverat, mœnibus admoviſſent: ſed quum alij ductores, de præda potiùs in tutiora maturè deportanda ſolliciti, eum ſequuturos ſe negarent, deſiſtere â propoſito coactus fuit, paulóque poſt *ad oppidum S. Clementis* lethali febre correptus, obijt; *Heros incomparabilis & falix*, qui in prælijs ſemper victor, nunquam adversâ fortunâ pugnavit. Cæterùm occupandæ *Samandriæ* occaſio in præſens oblata & neglecta, nunquam deinceps redijt, ſed in poteſtate Turcarum manſit, manétq; in hodiernum diem *Urbs præſtantiſſima nobiliſſimáque.* Scriptor & ſocius itineris *Walteri Comitis Leslai*, Cæſarei ad Portam Ottomanicam nuper legati, inter alia, de præſenti ejuſdem Urbis ſtatu, paucis refert iſta: *Die 26. Junij diſceſſum eſt Tauruno,* ſeu Belgrado. *Die 27, prima in conſpectu venit palanka, Iſarchicz, ubi amiciſſimo Iſtro valedicere oportuit. Poſterâ die Collar viſum, atque ab hinc etiam adita â nonnullis, ſpectata ab omnibus vicina Samandria: clara quondam Serviæ Metropolis, quin & nobilis olim Colonia Romanorum, ab ædificijs & munitionibus commendata; nunc ferro ac flammâ arbitris, exile mapale Chriſtianorum. Perſtant iſtbic locorum in reverentiam, reliquiæ tenuis ſacelli Magnæ Dei parentis intacti quondam â flammis, dum in cineres reliqua abijſſent. Indigenæ pietatem, ac ritûs Latini mores obſervant, & Sacerdotem ab ea Eccleſia, alunt impenſis communis egeſtatis: jure optimo â zelo religionis, & cultu in Deiparam potiùs commendandi, quàm ſi divitijs, & vetere gloriâ etiamnum florerent.* Hæc de Samandria, *utcunque mea*, paucis.

Samandriam facilè, in ea Turcarũ trepidatione, occupaturi,

ſi vim admoviſſent.

Iſthvanſi lib. 3.

P. T. Soc. JESU in Cæſarea legat an. 1668. ad Turcas part. 4.

Samandriæ modernus ſtatus miſerabilis:

Indigenæ Chriſtiani pleriq; & Latini ritûs.

Anno 1495. ſæviente in inferioribus partibus Hungariæ, & circa *Budam*, peſtilentiâ, Rex Poſonium ſeceſſit, ubi *Bohemorum Moravorúmque* conventum egit, initio Octobris. Ex Bohemis adfuêre: *Henricus de Novadomo, Zdenko Leo de Rozmital, Joannes Slavata, Zdislaus â Sternberg, Bernardus de VValdſtein, Joannes â VVrtby, Joannes â Klenovva, Burian Trczka, Jacobus VVrzeſovecz, Nicolaus Mitrovvsky &c.* Inter alia actum, ut Rex ageret apud Pontificem novum, (is erat *Alexander VI.*) pro confirmatione Compactatorum; efficerétque ut Apoſtolica Sedes agnoſceret *Bohemos & Moravos* ſub Ultraque ſpecie, juxta eorundem Compactatorum præſcripta communicantes, pro veris Catholicæ Eccleſiæ filijs; ſimul & provideret, nè diutiùs Bohemiæ Regnum ſupremo in ſpiritualibus Capite, ſeu Antiſtite careret, ideóque primo quoque tempore inſtauraretur Archi-Epiſcopalis ſedes. Quod Rex facturum ſe pollicitus eſt. Actum præterea de coërcendis latrocinijs, quæ ſub id tempus denuò præter omnem modum creverant, adeò, ut honeſti homines, peregrini & mercatores, vix ullibi tutò commeare poſſent. Et quod pejus erat, *non pauci ex Nobilitate* adjungebant ſeſe latronibus: ij potiſſimùm, qui dilapidatis patrijs bonis, unam ſpem ſalutis & fortunæ reliquam, primò in armorum licentia poſuerunt; bello autem ceſſante, cùm nihil ampliùs haberent, quod ſperarent, nec quod deperderent, *jam antea cum fortunis etiam honeſtate conſumptâ,* ad furta & rapinas animos converterunt.

Poſonij conventus Bohemorum & Moravorum,

in quo actum de Compactatorum confirmatione, & de Bohemorum ac Moravorũ reconciliatione Sedi Apoſt.

Item, de reprimendis latrocinijs,

quæ ſub id tẽpus denuò invaleſcebant,

In *Moravia* quidem Capitaneus Provinciæ *VVratiſlaus à Pernſtein*, qui *Ciborio* ante biennium defuncto ſucceſſerat, vir impiger priſcæque ſeveritatis, hoc & ſuperiori anno, vigilantiâ ſuâ, & ubi opus erat, vi adhibitâ, itinera publica jam utcunque repurgavit: multos hinc inde latrones diſſipavit, quosdam intercepit, & non habito ullo generis aut Nobilitatis reſpectu, meritis ſupplicijs affecit, receptaculis eorum numero ſex primarijs occupatis & dirutis: per quod ſecuritati itinerantium, & totius Provinciæ tranquillitati, opportunè proſpexit.

& quæ per Moraviam, operâ diligenti Capitanei Provinciæ, in tempore ſublata erant.

MS. Pernſt. Lipp.

Orabant quoque *Bohemi*, in eo *conventu Poſonienſi*, id quod non ſemel antea per legatos egiſſent, ut Rex aliquando induceret animum inviſere ſuos Bohemos, & medelam rebus nonnihil turbatis ferre, quæ componi nequeant, niſi ipſo præſente. Addebant, ut faciliùs perſvaderent, ſeſe non credere quidem, ſumptu tantum Regem moveri; ſed ſi tamen, propter præſentium temporum rationem, Hungarica res ærarij anguſtijs laboraret, *id quod aliquando accidere in magnis opibus haud mirum eſſet*; & ſumptum Bohemos, & cætera quæ Regi, quæ ſuis neceſſaria eſſent, cumulatiùs etiam illius ſpe, & expectatione aliorum, ex cenſu tributo imperato, ſubminiſtraturos. Aſſenſitque Rex, & *collaudatâ Bohemorum fide*, ſe proximo Vere in Bohemiam venturum ſpopondit.

Actum præterea, ut Rex in Bohemiam veniret,

Bohemis promittentibus, ſeſe de ſumptu proviſuros.

MS. Pernſt. VVrzeſobec. Anon. Prag.

Anno ſequenti, quùm verno tempore transeunte, nec per æſtatem affulgeret ulla ſpes venturi Regis, *in Hungaria* adhuc commorantis, & tunc Comitijs turbulentis, exindéque enatis ſeditionibus diverſis, ad regiæ uſque Majeſtatis contemptum, exagitati atque impliciti: *Pragenſes* moræ impatientes, quibus vel maximè Regis præſentia, utpote quæſtuoſa, in votis fuit, oratores ſuos *Budam* miſerunt, circa finem *Junij menſis*, magno cum apparatu: qui primò gratias egerunt Regi, quòd pro innata ſua bonitate pietatéque, Religionis cauſam ultrò ſuſceptam *Alexandro VI. Pontifici* commendâſſet: certum enim eſſe, hâc unâ re concordiam populo, ſecuritatem Regno, priſtinúmque decus reſtitui poſſe. Secundò referrent, *Magiſtratum & primores totius Triurbis* conveniſſe, ſtatuiſſéque ut Religioſi reciperentur *Pragam* in ſua monaſteria, tam Mendicantes, quàm alij; habituri deinceps tutam ſtationem, ad ducendam pro inſtituto ſuo quietam & tranquillam vitam. Tertiò renovarent preces, atque iterum obnixè peterent, ut aliquando tandem Rex *Pragam* venire, & deſiderio publico non Pragenſium modò, ſed totius Bohemici populi ſatisfacere haud gravaretur.

Rege differente iter Bohemicum,

Pragenſes ad Regem, legatos mittunt,

eiq́ue pro cura Religionis ſuſcepta gratias agunt:

atque iterum petunt, ut ſuos inviſeret.

Hæc dum exponunt iſti, ſuperveniunt alij ex Baronibus & Equitibus, Regni totius nomine miſſi: *Zdenko Leo, Albertus Liebſt. à Kolovvrat, Hynek à Rziczan, Petrus Berka, Wenceslaus à Raupovv, Wilhelmus Czernin, Hanuſs à Pabienicz, Petrus Korzensky, & Joannes Czaſtolar*, idem paribus votis exorantes. Cúmque per id tempus gliſceret adhuc inter Hungaros ſeditio gravis, ob tributi collationem, quam Rex pro conſcribendo novo milite, ad arces hoſti finitimas fortiùs communiendas petebat, & quam Hungari dare renuebant: *Bohemi*, prout nuper, ut Regem ad poſtulata ſua redderent facili-

Veniunt & legati Baronum atq; Equitum, idémq; orant.

orem,

Digitized by Google

orem, tum etiam occaſione tam præſtanti, ſuam erga eum conteſtarentur fidem, prolixè & magnificè polliciti erant; ſeſe proviſuros, quicquid ex reipublicæ uſu, Regiæque Majeſtatis congruum viſum fuerit. Quinimò paratos *Bohemos*, ſive domi adversùs refractarios ac contumaces, ſive foris adversùs communem hoſtem gerenda res eſſet, delectorum peditum XV. equitum X. millia: tormenta, commeatus, cunctáque alia, quæ neceſſaria gerendo bello viderentur, ſuppeditare. Quæ *præclara ſanè Bohemorum voluntas*, Hungaros, poſtquàm & ipſis innotuiſſet, nonnihil mitiores, dictóque regio deinceps magis obtemperantes effecit.

Subſidia Regi, tam in pecunia, quàm in milite ſe daturos, ſi opus ſit, promittunt.

MS. Michaël. Bruti. rer. Hungar. lib. 1.

Paulò aliter, & de ſolis Pragenſibus id memorat Bonfinius. *Iiſdem diebus* inquit, *cùm Pragenſes oratores ad Regem veniſſent, decem ei equitum millia polliciti ſunt; atque adeò, ſi neceſſitas poſceret, quindecim millia promittebant. Petentique Regi, ut viritim unius groſſi vectigal penderent, reſponderunt: ſe ſummo ſtudio bis quaterve in anno, ad ejus arbitrium ſoluturos. Egerunt ei etiam quàm ampliſſimis verbis gratias, quòd cauſam hæreticorũ* (Compactatiſtorum, ſeu, ſub Utraque communicantium) *Pontifici Romano, maximo ſtudio commendâſſet: oſtenderúntque ſe ad officium ritúsque Romanos libenter redituros, ſi iiſdem conditionibus* (ſecundùm Compactata) *quas Sigiſmundo Imp. obtinuiſſent, in gratiam redire Pontificis & Senatûs Apoſtolici poſſent. Demum ſupplicârunt, ut Regnum ſuum inviſeret: ſéque ſuis ſumptibus univerſam Aulam alituros, & omnia Eccleſiarum bona à ſe antea adempta ultrò reſtituturos, & in ſacros uſus collaturos, promiſerunt.*

Bonf. dec. 5. l. 5. in fine.

Egregia Pragenſium erga ſuum Regem fides, & obſequiorũ promptitudo; digna ſanè memoratu.

Tot ergò ac tanta Bohemorum ſupplicantium vota, ut tandem exoratus Rex ſtatueret in Bohemiam proficiſci, omni aliâ curâ in præſentiarum omiſsâ, perfecerunt. Habebat Rex in animo, ſtatim ſub initium Autumni ſuſcipere iter, & pro feſto *S. VVenceslai* adeſſe Pragæ: ſed intervenientibus Hungaris, qui pro adornando tantò majore cum ſplendore profectionis apparatu, prorogari tempus petebant, illud tantiſper adhuc diſtulit. Non multùm quidem obſervabant Regem ſuum Hungari, *quòd nimiùm mite* (ità illi dicebant,) *ingenium haberet, neque ullius præclari facinoris, vel auſi capax ejus natura eſſet; inſuper domi tantùm ſedendo, vitam in ocio traduceret, uſque adeò, ut eum cum amicis & conſiliariis, de ordinanda Rep. aut rebus aliis ſeriis ac neceſſariis, vel modicum ſermonem conferre ſummopere tæderet:* hic tamen ad eum quàm magnificentiſſimè in Bohemiam deducendum, nihil penitùs, quod ad maximè celebris pompæ ſpectaculum faceret, ommittendum putârunt; ſcilicet, in eo ipſo honeſtaturi *non Wladislaum, ſed Hungariæ Regem*, quo colendo atque augendo ejuſmodi honore, tueri ſe Gentis decus exiſtimabant.

VVladiſlaus tandem iter in Bohemiam decernit: cujus & Hungarorum, ad hoc iter, magni apparatus.

Tandem igitur anno 1497. initio Febr. poſt peracta Strigonij, *Purificatæ ſemper Puriſſimæ Virginis, Magnæ Dei Matris* ſolennia, viæ ſe dedit, magno Procerum numero ſtipatus; inter quos fuere Epiſcopi, *Agrienſis*, W*aradinenſis* & W*acienſis*, Regi imprimis chari, & cùm doctrinæ, virtutis atque integritatis opinione, tum rerum experientiâ & authoritate inſignes. *Brunæ*

VVladiſlaus tandem viæ ſe dedit,

 ali-

Digitized by Google

& per Moraviam, pergit in Bohemiam. Borſ Hagek. Kuthen & MS. ad an. 1497. Daubraſ. l. 31. ad initi. Lupac. VVeleſlaſ. ad d. 27. Febr.

aliquandiu ſubſtitit: inde poſtmodùm continuato *per Trebicium & Iglaviam* itinere, quod ubique ſacræ pompæ perſimile fuit, in Bohemiam venit, â Bohemorum Primoribus in confinijs, in ipſis penè Iglavienſium ſuburbijs, honorificentiſſimè exceptus, & nomine Statuum Regni, *Zdenkone Leone perorante*, ſalutatus. Quacunque porrò incedebat, ingenti frequentiâ, ex oppidis & pagis effuſa multitudo, lætis ominibus & acclamationibus advenientem excipiebant. Aberat â Bohemis jam annos ſeptem: hinc magno omnium deſiderio expectatus, non minori lætitiâ ab omnibus ſalutabatur. Accedebat amor in eum ſuſceptus, â primis uſque Regni initijs: nam adoleſcentem è Polonia adſcitum, florentem ætate, & Majorum gloriâ, (utpote *Caroli IV. Patris Patriæ progeniem, per Eliſabetham Sigiſmundi Imp. nepotem*) quaſi in ſinum acceperant, ad patria inſtituta & mores conformandum. Præterea compoſitus ad religionem animus, benignitas, morum ſvavitas, indulgentia in reos, clementia in omnes, quibus nihil in Rege plauſibilius habetur apud multitudinem, eum mirificè commendabant, reddebántque amabilem cunctis. Igitur una atque eadem omnium vox audiebatur, *Vitam & Felicitatem* Regi optimo precantium.

Pragam venit ſummis honoribus exceptus, Templum D. Vitum adit, & poſt abſolutas preces & cantica, in Regiam cõcedit. Daubraſ. Hagek. & alij ſupra cit.

Pragam die 27. Febr. ingreſſus triumphanti ſimilis, (obviam ſiquidem ei prodierunt Ordines univerſi cum ſignis & vexillis) per Triurbem rectâ *Metrop. Divi Viti Eccleſiam* petijt, auſpicandum hunc ſuum adventum à Sacris arbitratus. Ubi *SS. Reliquias*, ac imprimis partem de *ligno ſanctæ Crucis*, quæ habetur notabilis magnitudinis, per *Carolum IV. allata*, Auguſtâ Trevirorum, piè veneratus; ac demum *ſub hymno Ambroſiano* ſolenniter decantato, humî ad aram proſtratus, egit Deo immortali gratias venerabundus, quòd ſoſpiti atque incolumi ad ſuos pervenire, tot annos ab ijs ſupplicibus votis expetito licuiſſet: ſimul & religiosè precatus, ut quando hoc unum maximè ſemper in optatis habuiſſet, ut dies ſui adventûs, lætus Bohemis ſalutaríſque illuceſceret, iiſque, Republicâ ordinatâ, & pace ſtabilitâ, relinqueret diſcedens perenne deſiderium, & gratam perpetuámque ſui memoriam. Poſt peracta ſacra, magnâ populi frequentiâ, & univerſis Ordinibus proſequentibus Regiam conſcendit, omni genere honoris & magnificentiæ â Proceribus exceptus; cùm nulla in re, quæ ſtudij in Regem & pietatis ſignificationem haberet, Hungaris concedere vellent, quos non æmulari tantùm, ſed & ſuperare contendebant. Rex poſtmodùm datis aliquot diebus quieti, ad publicas res ordinandas, cujus unius rei causâ venerat, cogitationes omnes convertit, facto â rebus divinis initio: de quo videantur Bohemici Scriptores.

Ornat Templum Metrop. pretioſo apparatu, & SS. Reliquias auro argento, gemmis.

Inter alia præclara & ſancta ipſius opera, ut id paucis commemorem, fuit, quòd *Eccleſiam Metropol. Prag.* multâ veſte ſacrâ, calicibus, tapetijs, cortinis, atque alijs id genus cimmelijs, pretio aliquot millium aureorum, munificentiſſimè exornaverit: accitis quoque artificibus, qui *Divorum Reliquias*, ac præcipuè *SS. Regni Patronorum capita*, thecis vilioribus involuta, hermis novis argenteis inauratis includerent. Fuerunt illa quondam auro, argento, gemmis & lapidibus pretioſis affabrè, ac ſcitè decorata, *Caroli IV.* piâ liberali-

tate

Digitized by Google

tate ac munificentiâ; ſed injuriâ temporum, ac potiſſimùm furente Huſſitarum hæreſi, *Carlſteinam* ſecuritatis causâ deportata, atque ibi (quod mireris) â manibus aduncis violata deſpoliatáque. Accidit autem, dum Rex noctе mediâ, die 4. Martij, qui commemoratione annuâ, *Translationi S. Wenceslai* per Bohemiam & Moraviam ſolemnis eſt, pro conſveta ſua pietate, *templum D. Viti* ingreſſus, & uno ſolùm cubiculario comitatus, in Oratorio ſuo preces ad Deum funderet, atque diutiùs alijs, etiam poſt decantata omnia Divina officia, ibidem permaneret: vidit Sanctos Patronos, *Albertum & Sigiſmundum*, ê ſepulchris ſuis prodeuntes, & alios hinc inde plures *pios Manes*, intérque illos, *B. Joannem Nepomucenum*, longâ talari veſte candidâ, & epomide Canonicali indutum; rectáque tendentes ad ſummum Altare, ubi ſimul comparuit etiam *S. Vitus*, in forma juvenis pulcherrimi, ſceptrum regium tenens. Inde verò omnes accenſis facibus miri luminis, vidit deſcendentes, & euntes ad ſacellum *S. VVenceslai*, cantantes Reſponſorium: *Iſti ſunt Sancti, &c.* Quâ viſione permotus, non multò poſt, *Cantores XV.* (vulgò *Chorales*) inter quos tres Sacerdotes eſſent, qui in eodem Templo, diu noctúque Deo laudes decantarent, inſtituit; & ut Viſionis illius admirabilis exiſteret memoria, decrevit, ut ijdem *Chorales* ſingulis vicibus, poſt abſolutas Matutinas preces, deſcendentes ê choro ad idem Sacellum, idem quoque Reſponſorium canerent: quod nunc fit abſolutâ *Primâ*, diebus ſingulis.

Viſio ipſius, dum ibidem oraret, mirabilis:

quâ permotus,

Chorales XV. in eadem Eccleſia fundat.

VVelesl. ad d. 6. Julij. Pontan. in Bob. Pia lib. 2. MS. Notata in Archivo Capit. M. Prag. Phoſphor. Rad. 6. pag. 670.

Rebus omnibus quà ſacris, quà forenſibus, ingenti hominum lætitiâ adminiſtratis, & Hungaris reditum urgentibus, *Rex Pragâ movit, die II. Julij*, bonis omnibus magno ſui deſiderio relicto: quorum tamen major pars, itâ ejus lenitatem, & in Remp. ſtudium laudabant, ut auctoritati atque imperio diffiſi, quod ſeverum & terribile improbis ea tempora poſtulabant, breve populi gaudium divinarent futurum. *Kuttnam* ex itinere divertit, ut & ibi res non parùm turbatas componeret; cùm paulò ante de regijs miniſtris, qui argentarijs præerant, ac præter vetera crimina peculatûs, quæ erant defixa in omnium oculis, foſſores quoſdam iniquo judicio circumventos, homines innocentes innoxióſque, magnâ Regis invidiâ, & populi offenſione, ultimò ſupplicio affecerant, pœnam talionis ſumi juſſiſſet; maximo totius populi plauſu, quibus erat pridem hominum nequitia, audaciáque inviſa. Die 22. Julij, *in feſto S. Mariæ Magd.* venit Pardubicium, *â Wilhelmo de Pernſtein* loci Domino invitatus lautéque habitus; cujus filios *Joannem & Adalbertum*, mox die ſequenti, qui erat Dominicus, ſolenni ritu, cingulo militari cinxit. Inde *per Mautam & Litomiſſlium*, iter in Moraviam proſequutus eſt, *Olomucium* verſùs, regijs ubique honoribus, & hoſpitijs commeatu omnis generis in abundantia repletis, largéque & gratuitò rebus omnibus ſuppeditatis exceptus: *Litomiſſlij â Bobuslao Koſtka, Trebovia Moravorum â Ladislao de Bozkovicz, Litovelia â Carolo & Georgio fratribus VVlaſſimais, Dominis caſtri Auſovv.*

Pragâ abit.

Kuttnam divertit, réſque turbatas ibi componit.

Inde per Pardubicium & Litomiſſlium,

in Moraviam, rectà Olomucium:

MS. Anon. Litomiſſl.

Olomucium ingredientem Proceres & Magiſtratus cuncti ſuo ordine, Prælati verò & Canonici ſacris in veſtibus, ſub umbella purpurea auro intertexta

ubi â cunctis Ordinibus,

ſolenniſſimè excipitur.

texta ſuſceperunt, & per vicos feſtâ fronde ubique exornatos, *ad Eccleſiam Cathedralem S. VVenceslai*, ac inde poſt peractas preces in prætorium duxerunt: populo circumcirca adſtante, & lætis acclamationibus Regi, omnia fælicia, fauſta fortunatáque precante. Ibi quatuordecim dies moratus, inter alia â ſe publicè acta, præſedit cauſæ cognitioni novæ, ac vix auditæ. *VVratislavienſis civis*, homo cùm alijs rebus domi copioſus & ornatus, tum haud poſtremæ apud ſuos auctoritatis, cùm iter in Poloniam haberet, in oppido quodam, ubi pernoctare conſveviſſet, ad cauponem divertit. Nocte intempeſtâ, caupo, obſervato tempore, cùm feſſum ex itinere hoſpitem, altior ſomnus oppreſſiſſet, quingentos aureos ê loculis quieſcenti ſurripuit. Experrectus hoſpes rem ad judicem loci detulit, qui cauponem in vincula trahi, & de more tormentis ſubjici juſſit: quorum metu perterritus ille, rem ordine, ùt geſta erat, faſſus eſt, reddere pecuniam paratus; nec aliud quicquam civis petebat, homo moderatus, & recuperâſſe ſuum ſatis habens. At verò judex ſolâ reſtitutione furti contentus eſſe minimè voluit; *etiamſi hoſpiti ſatisfactum eſſet*, ità ajebat, *non tamen ſatisfactum legibus, quæ Reipubl. causâ ſeverè ſancitæ, capitale ſupplicium in furti convictos conſtituiſſent. A fure eodem & hoſpitij violatore, nè per unius impunitatem, multi exemplo fierent deteriores, legibus conſtitutas pœnas, ſe, ùt par eſſet, expetiturum.* Nec mora, cauponem reum, fractis cervicibus ſuſpendi imperat; & quidem (quod apud loci incolas in more eſſet, ubi carnifex non adeſſet, qui de damnato ſupplicium ſumeret) ab eo ipſo, cui furtum factum conſtaret: triſti inſuper conditione adjectâ, & barbaræ prorſus immanitatis, *ut ſi is recuſaret, tum ille â damnato reo, eodem ſupplicio, quod ei ſubeundum eſſet, qui furtum commiſiſſet, afficeretur.* Ad mentionem tam fœdæ rei expavit civis; & cùm precibus omnibus fruſtrà tam turpe facinus â ſe avertere conatus eſſet, pecuniam totam Judici obtulit, haud ſe illi in mora futurum, quò minùs ſibi aurum haberet retinerétque, modò incolumi famâ, ſibi poteſtas fieret inde abeundi. Sed in vanum fuerunt omnia. Ultimò igitur, ſalutem præferre judicio imperitorum hominum, & facere quàm pati, quod neceſſitas jubebat, maluit. Inde æger animi *Kracoviam ad Regem Poloniæ* profectus, de tanta ſibi illata injuria pluribus queſtus eſt; impetravítque ab eo literas, quibus omni labe infamiæ purgatus in integrum reſtituebatur: indignus planè eâ calamitate vir, quem metu mortis injecto, defunctum triſti munere invitum coactúmque appareret. Has *Wladislaus* quoque Rex ſuo diplomate confirmavit; cúmque adjuncta gravis mulcta eſſet, qui illi factum ſeriò vel joco opprobrarent, uſque eo ipſi uſui id fuit, ut deterriti homines pœnæ metu, â probro vulgò temperarent, maneret tamen apud omnes tacitè aſperſa nomini æternæ infamiæ nota. Creatum deinde â decurionibus territorij totius, nempe *Ducatûs VVratislav.* præfectum, ſeu Capitaneum, qui Nobilitati ad jurisdictionem *VVratislav.* pertinenti, tanquam judex præeſſe ſolet; cùm Nobiles rejeciſſent, negaréntque, ſe ei verbo audientes futuros, qui ſe tanto dedecore ſuóſque contaminâſſet; rurſus ad *VVladislaum*, quo erat uſus ſemel æquiſſimo, confugit. Et Rex quidem

Dum Olomucij moratur, audit cauſam civis cujuſdã VVratislavienſis:

cui in Poloniam eunti, caupo pecuniam ſuſtulit in hoſpitio,

quem ille accuſatum furti, & confeſſum,

juxta legem ibi conſvetã,

ipſemet ſuſpendere debuit;

ſecùs â fure ipſo ſuſpenſus fuiſſet.

Igitur facere, quàm pati maluit.

Litteras â Regibus Poloniæ & Boh. impetrat,

quibus ab infamia purgatur, additâ multâ, ſi quis ei hoc exprobraret,

quod tamen ipſum parùm juvit.

Digitized by Google

dem cauſæ innocentiſſimi hominis favens, eum in priſtinos honores recipi omnino juſſit, datis ad Magiſtratum Wratislav. *Olomutio* mandatis. Verùm non ceſſantibus alijs atque alijs difficultatibus, ultimò *Vir bonus ille*, ſuâ ſponte ab omni ulteriori prætenſione deſtitit; & quamdiu vixit, foro, templis, publicis Urbis locis, non cum ſuis, non cum externis congredi auſus, abſtinuit. *Daubr. lib. 31. ad init. Joan. Mich. Brutus rer. Hung. lib. 1.*

Rege adhuc Olomucij agente, *Stanislaus Turzi* (Familiæ celebris in Hungaria) *electus Epiſcopus Olom.* Româ redux *Confirmationem* ſui attulit; & acceptâ â Rege quoque *Inveſtiturâ*, ùt ajunt, quoad temporalia, ſtatim poſſeſſionem Epiſcopatûs adijt; cùm ab annis jam ſex *Moravi* Antiſtite caruiſſent. *Joanne* námque *Epiſcopo VVarad.* ſimul & *Adminiſtratore Ep. Olom.* Ordinem Minorum S. Franciſci ingreſſo, cùm Epiſcopatus Olom. ad Sedem Apoſt. devolutus eſſe cenſeretur, *Innocentius VIII. Pont. Max.* Cardinali Altirienſi hunc contulit; eóque extincto, *Alexander VI.* Cardinalem de Monte Regali ſuffecit. Donec operâ & ſtudio præmemorati *Stanislai*, viri in agendis peragendiſque rebus dexterrimi, qui eam ob cauſam Romam diſceſſerat, *Electio Epiſcopi, Capitulo,* ùt ante, *permiſſa eſt.* *Gratus adventus ejus*, inquit Daubravius, *omnibus fuit: auxitque ipſe gratiam, in tantum ornatus cunctis dotibus Pontifice dignis, in quantum ornari capit humana vita Paſtoris caſti, ſobrij, pij, ſimplicis ac prudentis. Meritò itaque non ſolùm apud domeſticos fidei, ſed etiam apud eos, qui extra Domum Dei verſantur, ob vitæ innocentiam gratioſus fuit.*

Moravia aliquandiu Epiſcopo caret.

Electio Epiſcopi Capitulo poſtliminiò reſtituitur: â quo Stanislaus Thurzi Epiſcopus eligitur.

Poſt Wladislai ex Bohemia & Moravia diſceſſum, tranquillæ aliquandiu fuêre utrobique res. In Moravia *Joannes de Lomnicz* Capitaneus Provinciæ, quicquid adhuc locorum â latrocinijs infamium hinc inde ſupererat, ope provincialium omnia ad unum expugnavit, & diruit; latronéſque ipſos partim ê medio ſuſtulit, partim exilio mulctavit. At in Bohemia, inter Nobilitatem & Cives, exortæ ſunt paulò poſt, propter cauſas ſuprà inſinuatas, altercationes graves ac pernicioſæ: quas dum *Wladislaus* Pragam veniens, anno 1502. die 29. Jan. componere pro poteſtate nititur, quia Nobilitati plus favere haud obſcurè videbatur, ab uno atque altero ê proceribus facilè pro inſita naturæ bonitate perſvaſus, magìs exaſperavit: Civibus id ægerrimè ferentibus, quòd juribus ſuis, contra privilegia & indulta â Regibus dudum conceſſa, & hactenùs ſanctè obſervata, exui debeant innocentes; facilitatémq; Regis in re tam gravi palàm deteſtantibus, atque identidem id aſſeverantibus, & tantùm non clamantibus, manifeſtè oſtendi; *nuſquàm minùs juſtitiæ, quàm in Regia adminiſtrari, ubi plùs, quàm æquitas & jus, paucorum gratia favor & potentia poſſit.* Hoc modo exacerbatis Civium animis, Rex poſt peracta Feſta Paſchalia, ſub initium menſis Aprilis, diſcedens Pragâ, exiguum ſuimet deſiderium reliquit, â Pragenſibus in ipſo diſceſſu modicè cultus: qui etiam poſt Regis abitum, alias civitates Regni *pro die S. Jacobi Ap.* Pragam ad commune conſilium vocârunt; initóque inter ſe fœdere, unanimiter omnes (*Kuttnenſibus* exceptis, qui averſati ejuſmodi cœtum comparere noluerunt,) decreverunt: *ſi nihilominùs Nobilitas confiſa Regijs favoribus, jus & privilegia*

Moravia â latrocinijs purgatur.

In Bohemia lites odioſiſſimæ inter Nobilitatem & Civium ordinem exoriuntur.

Rex magis favet nobilitati; hinc Pragenſibus minùs gratus.

Status Civium Pragæ conventum agunt:

contra vim, arma parant. *Civium, vel in minimo impugnare, actuque violare auſa fuerit, ſe ſumptis armis, contra vim ituros.* Statimque civitates munire, turres ac mœnia reparare, foſſas purgare, de commeatu, pulvere & alijs neceſſarijs, ſollicitari cœperunt. Nobiles idem faciunt. *MS. Anon. Prag. ad an. 1502. & ſequ. Theobald. part 3. cap. 39. Hagek. Kuthen ad an. 1502.* Quo audito Barones cum Equitibus ſimiliter cœtus agebant frequentes, jam Pardubicij, apud *VVilbelmum de Pernſtein*; jam Novædomi, apud *Henricum de Novadomo*; jam in Zelena Hora, Planicijque, apud *Sternbergios*; ac noviſſimè, permittente Rege, in arce Pragenſi, quò convenerant magno numero: & poſt multa per triduum agitata, ultimò collatis omnium votis & ſuffragijs novam confœderationem inierunt, mutuámque adversùs quoscunque hoſtes, ſeu externos, ſeu domeſticos, opem jurejurando condixerunt: ſalvâ tamen in omnibus fide debitâ Regiæ Majeſtati. hinc proxima belli civilis fax. Hinc averſio animorum, diffidentiæ, ſimultates, odia; proxima belli civilis materies.

Inter Bohemos Proceres, qui Regem Pragâ diſcedentem comitabantur, Zdislaus à Sternberg, dum Regē in Hungariam comitatur, per Bohemiam & Moraviam, ad confinia uſque Hungariæ, erat quoque *Zdislaus à Sternberg, Bechinæ Dominus*, filius Zdenkonis. Hic in reditu *Holeſſovium*, arcem & oppidum ditionis ſuæ, divertit, ubi ſubitò ægrotare cœpit, & uſque adeò graviter, ut cùm morbi vim (aſthma lethale fuit) ſuſtinere non poſſet, Medicis *Kremſirio, Brunâ & Olomucio*, fruſtrà vocatis, die 16. Aprilis, è vivis exceſſit. Holeſſovium divertit, infirmatur, moritur. Obijt autem præſentiſſimus ſibi, cum optima præparatione ſpirituali, ac viatico ſalutari, in ſella ſedendo, ac junctis manibus, ad ultimam uſque horam loquendo; Religioſis S. Franciſci ſtrictioris Obſerv. quibus fundaverat monaſterium Bechinæ, ei aſſiſtentibus. *MS. monaſt. Bechin. Joan. Tonner in Hiſt. Sternberg.* Mortuus *Olomucium* devectus, & apud ejusdem Ordinis Religioſos, ſicuti diſpoſuerat vivens, tumulatus.

Cæterùm *VVladislaus* ad inſtantes amicorum preces, & frequentia matris Eliſabethæ monita, quæ eum piè hortabatur, ut cùm non procul â quinquageſimo anno ætatem ageret, de ducenda conjuge cogitaret, & hoc modo ſuſceptâ prole, ſibi, poſteris & Regnis proſpiceret: VVladislai nuptiæ cū Anna regij ſanguinis Gallici virgine, ſeriò tandem ad nuptias animum adjecit, quas hoc ipſo anno 1502. cum *Anna VVilbelmi Comitis Gandallani in Aquitanis filia*, regij ſanguinis virgine, *Ludovici XII. Galliæ Regis* tum regnantis pronepte, *â Catharina ſorore ipſius* filia deſcendente, *Budæ*, magnâ ſolennitate, & regali luxu, die 6. Octobr. celebravit. Budæ celebratæ, *an. 1502. die 6. Octobr.* Ex qua anno primo filiam *Eliſabetham* genuit: quam deinde ob matris memoriam, *Annam* appellari juſſit. ex qua intra annum nata Anna, poſtea Ferd. I. conjunx. Hæc poſtmodùm *Ferdinando I.* nupta, *Auguſtiſſimam Domum Auſtriacam* fœcundiſſimâ ſobole collocupletavit: ex qua nunc gloriosè imperat ejus abnepos. LEOPOLDUS Auguſtus, Pius, Victor, Fælix.

VVladislao nuptijs apparandis intento, Turcæ fruſtrà *Jaiza*, quæ Bosnenſis Regni caput eſt, oppugnatione tentatâ, Turcæ Jaiczā obſident: *â Joanne Corvino* Illyrici præfecto, *Petro* item *Gerebo, & Emerico Czoborio*, ducibus præſtantiſſimis, acceptâ inſigni clade, quâ plures quàm quatuor millia cecidiſſe ferebantur, diſcedere è Regni finibus compulſi ſunt. â Corvino pelluntur: Per quod *Corvinus* magnam ab omnibus laudem conſequutus eſt. Cúmque brevì iterum Turcæ, qui *Samandriæ, Warboſaniæ* & alibi, in omnem occaſionem excubabant diligentiſſimè,

tra-

trajecto Savo, in *Poſekam & Walkonem* Hungariæ regiones populabundi excurriſſent, tantam ubique circumferentes formidinem, ut etiam ij Magnates, quibus cura deducendæ Sponſæ regiæ commiſſa fuit, non parùm ſibi ac comitatui metuere cogerentur: idem *Corvinus*, ut par pari referret, extemplò quoque congregato milite, in partes Turcarum acerrimam irruptionem fecit, & celeritate uſûs *arcem Widinam*, unà cum civitate & ſuburbijs ampliſſimis, *Kladovam* quoque, & plura alia circa *Samandriam & Nicopolim* oppida caſtelláque, ipſa ultimò etiam *ſuburbia Nicopolitana*, quæ longè latéque habitabantur, occupavit; Turcis omnibus aut captis, aut interfectis, domibus verò exuſtis. Repreſsáque tunc fuit egregiè hoſtium ferocia; qui eo & ſequenti anno, nihil ampliùs tentare auſi, inducias â VVladislao petierunt, quas ad octennium tantùm impetrârunt. *Corvinus* autem non multò poſt malignâ febre correptus, in ipſo ætatis flore, dum annum ætatis 35. ageret, ê vivis exceſſit, nullâ prole ſuperſtite, ex *Beatrice Frangepanâ* conjuge, relictâ. Et ſic *Familia Corvinorum*, ſeu *Hunniadum* deſijt.

Slavoniam vaſtant.

Corvinus ut par pari referret, excurſionem in Turciam facit:

obvia cuncta populatur:

moritur.

Iſtvanſſi lib. 4.

Per id tempus in Bohemia, diſſidium inter Nobilitatem & Cives proximè ortum, magis ac magis invaleſcebat, eò acriùs incenſis ad ſeditionem Civium animis, quòd â Baronibus & Equitibus comitia nuper celebrantibus contempti, & ad deliberationem communem non vocati fuiſſent. Jam res ad arma ſpectabat: jam in civitatibus, & foris in agris paſſim concurſationes fiebant & tumultus, infeſta ubique itinera, direptiones, incendia, ità ut reditura brevì *Zizkiana tempora luctuoſa* viderentur; niſi potentiores quidam ex Magnatibus, ac præcipuè *Petrus de Roſmberg, Ladislaus â Sternberg ſupremus Regni Camerarius, Albertus de Kolovvrat ſupremus Cancellarius; Bartholomæus* item *Dux Münſterb. Victorini filius*, qui patrocinium Civium ſuſceperat; *& Petrus Holiczky â Sternberg*, viri clariſſimi, & apud omnes Ordines magnæ authoritatis, quibus pax publica, & *ſalus Patriæ* cordi erant, interveniſſent. Memoriâ námque repetebant, quæ â patribus accepiſſent, civilia *Sigiſmundo regnante* bella cruenta, & ad internecionem geſta, defectiones populorum, everſiones urbium, exercituum ſtrages, populationes, vaſtitates, & alia malorum genera, quibus penè everſum fuiſſet Regnum. Horum igitur recordatione, cùm præterita nondum animis exoleviſſent, ſimul præſentium ſenſu, atque impendentium metu inducti, maturè ſuas interpoſuerunt partes, & ea, quæ conſervandæ pacis eſſent, egerunt fideliter; effecerúntque, quòd gliſcentes turbæ utcunque ſopitæ, & Cives poſitâ ad tempus ferociâ, compoſiti fuerint. Quo negotio, diebus ultimis anni 1503. Pragæ feliciter peracto, *Albertus* VVratislaviam conceſſit; ubi, juſſu Regis, transactioni ſolemni, inter Clerum, & Duces Statúſque Sileſiæ, factæ præfuit. Inter alia transactum: *nè quis impoſterùm Epiſcopus VVratisl. creetur, niſi vel Bohemus, vel Moravus, vel Sileſius, vel Luſatius. Nè item Beneficia Eccleſiaſtica alijs, quàm indigenis, Regnique Bohemiæ, & conjunctarum Provinciarum incolis conferantur. Conſenſus Bohemiæ Regis, ſuper electione Epiſcopi VVratisl. & Beneficiorum majorum collatione requiratur. &c. Actum VVratislaviæ, Sabbatho*

In Bohemia diſſidium Nobiles inter & Cives recrudeſcit:

componitur interventione Procerum;

ſecùs metuendum erat, nè ex hoc motu rediret Zizkiana tempora, Regno luctuoſa.

MS. Anon. Prag.

Transactio Kolovvratiana inter Sileſios, anno 1504.

Henel. in Sileſiographia c. 6 & in Append. privil. ibidem

poſt Purificationis Mariæ, anno 1504. Hanc Sileſij hodiéque *Transactionem Kolovvratianam* nominant, quam *VVladislaus Rex*, ſpeciali diplomate dato *Budæ 18. Febr.* an eodem, *ad relationem Magnifici* (itá ſubſcriptum legimus) *D. Alberti de Kolovvrat & Liebſtein, ſupremi Regni Cancellarij.*

Bellum Bavaricum anno 1504. trahit quoque Bohemos & Moravos in cladem

Hagek. Kutben Theobald. ad an. 1504.

Adlzreitt. in Annal. Bojor. part. 2. lib. 9. § 82. & ſequ.

Gerard. de Roo Hiſt. Auſtr. lib. 11.

MS. Anon. Brug. & aliorū.

Eodem anno, bellum civile Bavaricum, inter *Rupertum Palatinum*, Philippi Electoris filium, & *Albertum Bavariæ ſuper. Ducem*, Maximiliani Cæſaris affinem, hæreditatis causâ, poſt Georgij Bavariæ infer. Ducis mortem; qui filiam ſuam unicam *Eliſabetam nuptam Ruperto*, hæredem ex aſſe reliquerat, exortum, etiam Bohemos & Moravos in perniciem traxit. Cupiebat quidem Cæſar illud antevertere, agendo pro poteſtate, ut ſublatis ex æquo & juſto controverſijs, pax & concordia, inter cognatos Principes ſervaretur: ſed *Rupertus* juventâ ferox, & cùm opibus parentis Electoris, tum Bohemorum auxilijs, quæ ei *à Guttenſteinijs, Kolovvratæis, Sternbergijs*, & pluribus alijs, etiam Moravis, *Bozkovicijs Lomnicæisque* promittebantur, confiſus, non niſi hæreditatem ex integro volebat. Quod Cæſar ægrè ferens *Rupertum* proſcribit, omnémque ejus ditionem cuivis diripiendam permittit: atque itá res in bellum erupit. Primi omnium ex Bohemia *Albertus Sternbergius, & Joannes VVeitmillius* (itá illos Scriptores Bavarici nominant) accurrerunt Ruperto in auxilium, ſub initium Maji, cum mille peditibus, & equitibus trecentis: quos *Rupertus*, Landshutæ pro præſidio urbis, civibus non ſatis fidens, reliquit. Hos deinde ſequuti, *Henricus & Theodoricus Comites Guttenſteinij*, cum ſeptingentis equitibus, & peditibus quingentis: quorum acceſſione animatus Ruperti miles, copias Alberti *ad Sylvam Bohemicam* deprehenſas, cruentá clade profligavit, *VValprunno ductore* ſauciato, & in captivitatem abducto. Amabant Bohemi Rupertum, tum propter patrem & avum conjugis, *Georgium & Ludovicum*, qui boni ſemper amici erant Bohemorum, linguæ & nationi uſque adeò dediti, ut & *Bohemicè loquerentur*, & pro Aulæ miniſterijs Bohemos libenter ſuſciperent: tum propter ipſius quoque *Ruperti* præclara & multa amoris & benevolentiæ erga Bohemos argumenta; qui pariter linguam Bohemicam perfectè callebat, & ubiubi poterat Bohemis eſſe honori, commodo utilitatique, prompto animo faciebat. Hinc viciſſim propenſis animis, maximè quùm & liberali mercede, largiſque ſtipendijs invitarentur, ei opitulatum feſtinabant.

Bavariæ Duces, linguæ & nationis Bohemæ amantes: ideóque viciſſim Bohemis grati & accepti.

Bohemorum auxilia, pro parte Ruperti Palatini:

item Moravorum;

qui Danubio trajecto, Landshutam venerunt,

Menſe Julio, *Albertus junior de Kolovvrat*, filius ſupremi Cancellarij, *Henricus Sſvvibovvsky, Henricus Zeitlicz, & Cunradus Oppl de Vicethum*, vulgò *Fictum*, cum duobus millibus peditum, & quingentis equitibus, Bohemiâ in Noricum egreſſi, & omni bellico apparatu probè inſtructi, Palatinis *ad Sulczbachium* ſeſe conjunxerunt; occupatâ priùs *Lengfeldâ*: & *Averbachio, Trietsheimio, Novoſtadio* direptis & ſuccenſis. Ex altera parte Moravi, *Joannes Czernoborsky de Bozkovicz, Joannes junior Mezerzicsky de Lomnicz, Wenceslaus à Zerotin & in Buchlovv, Joannes & Georgius fratres Tettauri de & in Malenovicz*, cum mille quingentis peditibus, & quadringentis equitibus, trajecto ſupra Paſſavium Danubio, rectà *Landshutam* tendebant.

Co-

Cognito autem Palatinos jam ab octiduo hærere in *Braunovij* (oppidi ad Oenum ſiti) oppugnatione, nec quicquam proficere poſſe, eò ſinè mora iter flexerunt, præmiſſo equitatu, qui de ſuo adventu ſocios edocerent, & ad continuandam obſidionem animarent. Sed jam loci præfectus, *Georgius Comes ab Helfenſtein*, certior factus de hoſtium auxilijs propediem acceleraturis, & metuens nè pertinaciùs reſiſtendo, extremæ tandem ſortis aleam ſubire cogeretur, diffiſus inſuper paucitati ſuorum ; die obſidionis decimâ, quæ erat 28. Auguſti, de tradenda civitate, déque tranſigendis deditionis conditionibus, amicè cum obſeſſoribus convenit.

& per infer. Bavariā quaquaverſùs arma circumtulerunt.

Epiſtolæ diverſæ in Archivo Pernſt.

Inter hæc *Rupertus*, præter omnium expectationem, Landshutæ obit, die 20. Aug. cruento alvi prôfluvio, (ſunt qui ſcribant, veneno) ſublatus. Nihilominùs ab armis ceſſatum non eſt ; quinimò paucos poſt dies, ad prælium ventum, propè *Ratisbonam,* die 12. Septemb. *Palatini inopinato* Cæſaris & fœderatorum *adventu, & tot legionum numero territi, diſceſſu tempeſtivo ſibi conſuluêre :* ità refert Scriptor Bavaricus : *Bohemi haud paulò fidentiores, dum paulatim in editum collem enituntur, levioribus prælijs continuò laceſſiti, cùm nullus ipſis receptus pugnâ tutior videretur, aciem inſtruunt. Cæſar in caſtris aderat cum Alberto, Friderico item Brandeb. biniſque filijs Cazimiro & Georgio : aderant unà Ericus Brunſvic. & Georgius Lignicenſis. Cæſar ipſe, Ducibus licèt reclamantibus, manus prælio commodare voluit. Bohemos ſcutis oblongis tectos, ipſa deſperatio efferaverat : fracti fuère tamen haud longo conflictu eorum ordines. Mille octingenti obtruncati, ſexcenti capti, reliqui, quos fuga ſubduxit, paſſim ab agreſtibus mactati. Deſtinârant illi ſuæ avaritiæ & crudelitati, Straubinganos adhuc dum à belli hujus clade intactos : quos tamen Albertus tempeſtivè monitos, idoneo præſidio munierat.* Alij ſcribunt : Cæſarem â Bohemo quodam equite, homine procero & forti, primo in fervore prælij, clavâ ferreâ, ictu tam gravi percuſſum fuiſſe, ut jam jam ex equo ruiturus crederetur : in eóque diſcrimine ab Erico Brunſvic. ſervatum, qui Cæſarem cadentem ſuſtinuit tantiſper, dum cæteri accurrerent, hoſtémque iteratò irruentem ſubmoverent & occiderent. Tum recruduiſſe certamen : ultimò Bohemos â ſocijs deſertos, & numero viribúſque impares, loco motos, in orbem pugnare coactos, feſſos, ac tandem victos ; & partim occiſos, partim captos. Cæſarem poſtea, ut ſe gratum exhiberet *Erico,* quòd ſe præſentiſſimo eripuiſſet caſui, *Comitatum Goricienſem* ei in uſum fructum cum dominio utili tradidiſſe : *Bohemos* verò quos captivos habebat, primò Illuſtriores, deinde etiam gregarios milites, liberaliter abſque ullo redemptionis pretio, dimiſiſſe.

Ruperto mortuo,

bellū nihilominùs fervet.

ad prælium ventum :

Bohemi & Moravi, â ſocijs equitibus Germanis deſerti, pugnant tamen fortiter :

Cæſar periculo eximitur :

Bohemos profligat, vincit :

captivos liberaliter dimittit.

Marquard. Freber. tom. II. Scriptor. German.

MS Anon. Prag.

MS. Tewtſ Dand. *Maximil. Cæſ.*

Hâc clade acceptâ reliqui *Bohemi & Moravi,* qui in Bavaria inferiori, *Landshutæ, Braunovij, Burguſij,* & alibi agebant, quùm partes *pupillorum Ruperti* (ij erant, *Otto - Henricus, & Philippus* infantes parvuli) in deteriùs labi animadverterent, præſertim matre etiam illorum *Eliſabethâ,* poſt illatam hanc cladem, quartâ ſtatim die defunctâ ; impetratâ â Cæſare & Alberto veniâ, liberóque & ſecuro tranſitu, domum redierunt. Interveniéntibus demum

Pax inter Bavariæ Duces, & Palatini pupillos, jubente ac decernente Cæſare

mum Imperij Principibus pro pupillis ſupplicantibus, réque ad pacificationem deductâ, Cæſar parvulis partem controverſæ regionis attribuit; eam videlicet, quæ *inter Danubium & Nabum*, ſupra *Ratisbonam*, limites veteres Palatinæ ditionis attingit: ex qua *novus in Norico Palatinatus* exſurrexit, & in eo Princeps civitas, Ducúmque ſedes nominata, *Neoburgum*. Hinc Principes & Palatini Neoburgici: *Domus heroum inclyta*; quæ modò, dum hæc ſcribo, novam dat nobis Imperatricem & Reginam, Leonoram Magdalenam, Principem Regijs dotibus, ſingulari in Deum pietate, ac omni virtutum genere ornatiſſimam: cui, & *Auguſtiſſimo Conjugi*, pro bono Terrarum publico, *Benedicens benedicat Dominus, ut videant filios filiorum ſuorum*.

Erectio Palatinatûs Neoburgici, *anno 1505. III Cal. Auguſti.*

Ad victoriam Cæſaris de Bohemis & Moravis, ùt jam dixi, obtentam redeo: pro cujus meliori notitia, tum ut de *Cæſaris Optimi* eximia, quam ex eo tempore conceperat erga Bohemos, propenſione benevolentiáque uberiùs conſtet; juvabit audire *Richardum Bartholinum Peruſinum*, in publico Regum conventu Viennæ, præſente Cæſare & tribus Regibus, *Wladislao, Sigiſmundo Polono, & Ludovico Wladislai filio* parvulo, jam tum quoque Rege Hungariæ & Bohemiæ coronato, *in templo D. Stephani*, die 22. Julij, qui feſtivitati *S. Mariæ Magdalenæ* ſacer eſt, anno 1515. perorantem, & ipſum Cæſarem alloquentem; qui inter alia habet: *Nollem Bohemicam pugnam recenſere, ſed cùm à tanto Principe vinci etiam glorioſum ſit, audeo hoc dicere; nullibi unquam, neque fortiùs, neque periculoſiùs pugnatum eſſe; adeòque feroces illos Bohemorum animos, & admiratus es, & tibi placuiſſe præ te tuliſti, ut non ſolùm ijs, qui ſupererant, clementiſſimè peperceris, ſed in poſterum quoque bellicoſiſſimum populum tantâ benevolentiâ proſequutus fueris, ut ſtipendiarios & præſidiarios eos ſemper habueris: Contrà ij, quanta erga te fidei extiterint, teſtatur illa ad Moranum* (oppidum maritimum Venetorum) *obſidio; in qua, ut tuæ Celſitudini fidem ſervarent, ad turpium quoque animalium eſum deſcenderunt*: (Id accidit anno 1514. quo Cæſar cum Venetis bellum geſſit.) Huc facit, quod & Joannes Faber, Theologus & Confeſſarius Cæſaris, poſtea Epiſcopus Viennenſis, in funere ejuſdem dixit, anno 1519. *Bohemi*, inquit, *viri omnium bellicoſiſſimi, qui pluries ſolâ nominis ſui famâ, exercitus fugârunt, cùm neſcio quid ſiniſtri, adversùs Cæſarem hunc molirentur, eſſentque auxilio his, qui non ſatis obedire viderentur, parvâ militum manu acceptâ, apud Ratisbonam, ab hoc Cæſare noſtro proſtrati ſunt, atque profligati. Nemo eorum ſalvus remanſit, niſi quem innata clementia Cæſaris conſervavit, quos & in verba ſua jurare coëgit. Nemo poſthac Cæſarem magis dilexit, admiratus eſt, quàm viri Bohemi: quos & ob eximias ſuas virtutes, ac integritatem animi, Cæſar ſummo in pretio deinceps habuit, illisque in bellis uſus, magnam eorum expertus eſt fidem*.

Dignus præconio Imperator Opt.

Vide apud Goldaſt. in Comment. de Bohem. privil. l. 2. cap. 7. §. 35

quòd obtentâ de Bohemis victoriâ, illos non odiſſe, ſed amare deinceps cœpit,

Roo lib. 12. ad an. 1514.

operâ illorum frequenter uſus, & fidem expertus.

Wimpheling. in Epitom. rerum Germanic. cap. 59.

Goldaſt ſuprà cit.

Miechov. l. 4. cap. 84.

Anno 1506. res per Hungariam, Auſtriam & Moraviam nonnihil turbari cœperunt, occaſione cujusdam novi *Senatusconſulti* (ità vocabant) anno præterito, ab Hungaris publicè in comitijs lati: quo decreverant, non ſinè gravi læſione & deſpectu regiæ Majeſtatis, *nè impoſterum ullo unquam tempore,*

Nova turbarũ cauſa, data ab Hungaris,

ſi

Digitized by Google

ſi Rex VVladiſlaus abſque hærede maſculo decederet, alienæ gentis & ſanguinis Regem ſibi deligendum proponerent: additâ atroci denunciatione, ut qui contra hanc legem feciſſent, eorum Bona fiſco addicerentur, ac ipſi liberique, & poſteri eorum univerſi, aut perpetuo exilio, ſi capi non poſſent, aut capti præſentiſſimâ extremi ſupplicij pœnâ plecterentur. Quod tametſi Reipublicæ bono, ejúsque promovendæ ſtudio facere quidam videri voluerint; plerique tamen, non alium in finem, niſi ut *Joanni Comiti Scepuſ.* Stephani nuper defuncti, ex Hedvige Tieſſinenſi Principe filio, Regnum haud obſcurè affectanti, viam ſenſim aperirent. His igitur *Maximilianus Cæſar*, per fideles nuncios maturè cognitis, & contra pacta conventa, vigore quorum, ſi *VVladiſlaum*, non relictâ prole maſculâ, decedere contingeret, *Regnum Hung.* ſibi ſuiſque hæredibus debebatur, ea fieri videns, & minimè id diſſimulandum ratus; ſinè mora, poſthabito *itinere Italico*, quod parabat, *in Auſtriam ex Tyroli deſcendit:* & comparato per hyemem exercitu, ac tormentis currulibus, commeatu, pulvere, pilis ferreis, & alijs neceſſarijs in navigia impoſitis, ſub initium menſis Maji, *Poſonium* petijt, illúdque obſidione cinxit; haud modico terrore incuſſo Hungaris bello imparatis, maximè Regi dedito potiùs quieti, & bellorum tumultibus nequaquàm aſſveto.

exteros omnes à ſucceſſione Regni, lege latâ, excludentibus.

Iſthvanff. l. 4. Roo lib. 12.

Id Maximil. Cæſar contra pacta fieri & ſe excludi videns,

Hungaris bellum infert:

Poſonium obſidet.

Moravi ùt primùm Cæſarem Viennam inexpectatò appuliſſe, & militem undique congregare intellexerunt, rés novas, & fors hoſtilia, contra quécunque tandem, eum moliri ſuſpicati, extemplò quoque comparandum militem, & pro defenſione Patriæ expedienda arma, in omnem eventum cenſuerunt. Capitaneus imprimìs Provinciæ, *Joannes de Lomnicz*, vir circumſpectus, & tam togâ quàm ſago clarus, pro ampliſſimo officij ſui munere, ut ſecuritati finium proſpiceret, miſſis per diſtrictum infer. *Brunenſem*, pérque *Znogmenſem & Hradiſtienſem*, per urbes, caſtella, oppida, pagos nuncijs, paratum cum equis & armis, ex Nobilibus unumquemq; viritim, ex civitatibus quintum, & ex colonis decimũ eſſe juſſit; cum addito, ut quandocunq; ſecundò ijs intimatum foret, ad diem & locum tunc præfigendum comparere non tardarent. Cognito demum Cæſarem cum toto apparatu bellico, rectà tendere *Poſonium*, jámque apertè ſe hoſtem profiteri, eò quoque cum duobus millibus peditum, & octingentis equitibus, qui potiſſimùm ex Nobilitate eorúmque famulitio conſtabant, ducto per Skalicium itinere, contendit; ínque ſiniſtra Danubij ripa, ê regione Poſonij, caſtra poſuit, ulteriora Regis mandata præſtolaturus. Interea Cæſar, poſtquàm Reginam utero gravem, & menſes propè exactos eſſe reſcivit, partum ipſius expectandum duxit, & idcirco facilè inducias impetrari à ſe paſſus eſt. Tandem verò cùm Regina puerum enixa eſſet, cui *Ludovici nomen* datum, nihil ampliùs hoſtile intentare voluit, ſed amicè de omnibus cum Wladiſlao & Hungaris tranſegit, & in Auſtriam redijt: Moravi ſimiliter, eo quo venerant itinere, domum reverterunt.

Moravi vicinitate periculi commoti, ad arma conclamant,

Viritim Nobilitas omnis, quæ degebat in confinijs,

Epiſtolæ diverſæ ex Archivo DD. de Lippa.

Regi & Hungaris auxiliatum pergunt.

Cæſar cum Hungaris pacificè tranſigit.

Natus eſt *Ludovicus* die 1. Julij: cui pater nomen *Julij* indere volebat, ſed mater obtinuit, ut *Ludovicus* in memoriam Regis avunculi nominaretur. Editus in lucem, raro ſanè inter homines exemplo, nudatus cute, omnibus

Ludovicus Rex naſcitur Budæ in Hungaria; *anno 1506.*

qui

Digitized by Google

de quo illud Kutheni: ante DI:M natVs.

qui aderant, novæ rei admiratione obſtupeſcentibus. Vocati Medici, ut admotis fomentis deliniment isque cutem puero inducerent: qui poſt multa remedia etiam leniſſima fruſtrà adhibita, cùm ad omnem contactum membra trepidantia horrerent, ultimò (ùt ſcribit *Michaël Brutus*, ex relatione eorum, qui hæc ſpectabant) in ſue media per ſpinam ſecta atque exenterata infantem, quoad beſtiæ calor inciperet deferveſcere, impoſitum habuerunt; mox in aliam, quæ ad hunc uſum cœſa præſtò eſſet, & exinde in aliam eodem ordine immiſſum, donec manans supernè cruor, ùt in puſtulis fieri animadvertimus, ſenſim in tenuem pelliculam coaleſcere, atque inducere cutem incepit.

Brut. rer. Hung. lib. 1. ad an. 1506. MS. Anon. Litomiſſl.

Regina mater ex partu paulò poſt moritur.

At verò mater, haud multò poſt in puerperio extincta eſt. Ingentis ſpiritus fœmina, & in ſexu imbecillo præ ſe ferens virilem animum, ubi menſibus exactis, ſenſit adeſſe pariendi tempus, ut eorum calumnias refutaret, quos infenſo animo expectare partûs eventum non ignorabat; unum è Proceribus Hungaris advocandum curavit, qui teſtis maſculini partûs eſſet, & quem, ſi reverà virilis ſexûs partus ederetur, probè ſciebat, multò id cæteris iniquiore animo laturum. Quis fuerit ille, non traditur: non deſunt tamen, qui fuiſſe *Joannem Comitem Scepuſ.* ſuſpicentur; qui poſtea cum *Ferdinando*, ab Hungaris Rex creatus, de Regno armis diſceptavit. Atque hæc importuna veriùs, quàm neceſſaria Reginæ oſtentatio, eidem parienti exitio fuit: cùm enim minùs ſoluto ac libero animo, obſtetrices virorum conſpectum veritæ, munia ſua obire auderent, laboranti poſt partum, minùs etiam commodè eſſe ſubſidio in tempore potuerunt. Unde exorientibus in utero doloribus, & magìs ac magìs invaleſcentibus, ità ut omnem ſpem humani auxilij ſuperarent, lectiſſima mulierum, die 26. ejuſdem menſis expiravit; Regi marito, magno ſui deſiderio relicto: in cujus præmaturo obitu, quàm gravè jacturam Rex fecerit, mox ſenſit, redactus ad priorem fortunam, in qua ab alijs, prout illis aut expediret, aut liberet, non ipſe alios, ùt decuiſſet Principem, regebat. *Id autem Reginâ incolumi, nemini conceſſum eſt: ſed ſi quando partes regiæ ſuſcipiendæ erant, præſertim in tuendis vectigalibus cenſibúsque, aut arcibus regijs conſervandis, quas Proceres appetebant, exiguo obtruſo pretio; ipſa munere Regis contra tales fungebatur, brevique inſignem theſaurum coacervavit, ac prima Reginarum, abacum Regis, ex ſolido auro planè regium inſtruxit. Aggreſſa deìn menſas argenteas adornare: nè quid aliud in cœnaculo regio, niſi aurum & argentum purum putúmque reſplenderet. Sed in iſta, poſt obitum Reginæ, ſicut in alia Regis bona, impetus, non quidem feſtinus, ſed lentus factus eſt ab harpijs aulicis; qui tempora rapiendi obſervare, nimiáque Regis bonitate ad ſuum quæſtum abuti probè noverant.* Ità Daubravius teſtis oculatus.

Daubr. lib. 32. VVeleſlaß. ad d. 26. Julij. Miechov. lib. 4. c. 85.

cauſa probabilis accelerata mortis.

Regis exinde ingens luctus:

nam noverat res ſuas, vivente Regina, floreſcere;

eâ verò mortuâ, brevi in priſtinum reditura omnia.

Daubr. cit.

VVladislaus oblatam à Cæſare affinitatem,

Poſt hæc *VVladiſlaus* diffiſus Hungaris, quorum non paucos, utì inſolentes, protervos ac debitæ obedientiæ parùm memores juſtè oderat, ut ſibi liberisq; ſuis amicos & neceſſarios pararet, in quibus ſenectuti ſuæ ſolatia, & liberis tuta præſidia collocarentur; oblatâ à Cæſare paulò antè affinitatem lubens acceptavit: miſſóq, initio veris anno 1507. *Joanne Epiſcopo* quondã *Waradin. & Olom.* cujus ſuprà fuerat frequens mentio (ſed qui relictis Reipubli-

cæ

Digitized by Google

cæ curis, ac Aulæ moleſtijs, vitam privatam amplexus, ad monachos *S. Franciſci de Obſerv.* tranſierat) ad Cæſarem, qui ſub id tempus *Conſtantiæ* propè Helvetios comitijs vacabat; rebúſque omnibus ad animi votum peractis, fœdus & amicitiam cum eo junxit. Itâ tamen, ut negotium haud exigui momenti, propter diverſa, aliquandiu ſilentio tegeretur, donec ſuo tempore, occaſione meliori, & commodo majori publicari poſſet.

pro firmandis ſuis rebus, lubens amplectitur.

Iſthv. lib. 4. MS. Anon. ad an. 1507.

Nihilominùs *VVladislaus*, propter tam citum ac inſperatum Conjugis obitum, non ceſſabat â mœrore & triſtitia, effuſus ſubinde etiam coram familiarium ſuorum intimis, in mœſtos gemitus ac lamenta. Et quanquàm *â Bohemis & Moravis*, qui circa eum verſabantur, tum etiam *ab Hungaris*, quorum conſilio utebatur, ſæpiùs rogarêtur, ut diuturno dolori modum poneret, jacentémque animum luctu & mœrore levaret: nihil tamen profuit, plerumque ſilentio transmittebat omnia. Id ſolùm quâdam vice reſponſi dedit: *cogitaturum ſe brevi, quid facto opus ſit.* Jámque in Bohemia, comitijs circa *feſtum S. Matthiæ Ap.* anno 1507. habitis, *Ludovicus* octavum tunc menſem agens, ab Ordinibus Regni, unanimi omnium conſenſu *electus fuit in Regem & Succeſſorem:* quo cognito, Hungari, nè poſteriores in aſſumendo eodem coronandóque, eſſent Bohemis, ad idem quoque magnâ promptitudine animos converterunt. Etſi enim *VVladislaus* parùm authoritatis in ſuos obtinebat; haud illum tamen vulgò oderant, non avarè, non ſuperbè imperantem, leviter ferentem ſuorum injurias, nihil ſimulantem, diſſimulantem multa; dignum profectò, qui Regnum obtineret in mitiora ingenia.

Rex continuò mœſtus, ob conjugis obitum.

Hūgari & Bohemi ſolantur triſtem,

VVeleslab. ad d. 26 Febr.

MS. Anon. Prag. & alius Anon. de reb. VVladisl. ad an. 1507.

Conveniunt igitur frequentes *Bohemi & Hungari*, & cum illis *Moravi Sileſijq́;* & experturi, num ſaltèm bono hoc nuncio, Rex ſuſcitari poſſet ad lætitiam, emergereque dolore, luctu, ſilentio & ſolitudine, (publico namque conſtanter abſtinebat) eum denuò accedunt, *& Thomâ Cardinali Strigon.* gravi ſermone perorante, *Ludovicum filium infantem*, quod illi fælix fauſtúmq; ſit, magno populorum, qui ipſius imperio parent, conſenſu, *Regem appellatum*, ei nunciant; obnixè petentes, ut luctum atráſque veſtes deponere, & regio ac illuſtri ornatu in publicum prodire, atque adeò unà cum ipſis vota pro felici rei tantæ ſucceſſu, *Deo ter Opt. Max.* nuncupare velit. Læta omnino & accepta fuerunt ei hæc nuncia, ad quæ reſumptis veluti ſenſibus dicitur & exſiluiſſe, & poſitâ lugubri veſte, eodem die ſeſe ſpectandum populo, in palatio regio, indutum purpurâ exhibuiſſe: die verò ſequ. Proceres vocatos convivio excepiſſe, confluente undique in Regiam multitudine, quæ odio Nobilitatis, Regi favebat; atque ut is ipſe dies, *tum Hungaris, tum Bohemis* diu fælix fortunatúſque eſſet, lætis ac fauſtis ominibus precante.

Promiſsâ Ludovici filij ſucceſſione, & coronatione:

quo nuncio exhilaratus ille,

mœrorem & veſtem lugubrem deponit.

Verùm, ùt inconſtantes ſunt mortalium animi, haud multò poſt, & vix octiduo elapſo, Hungaros ſuſcepti hujus conſilij, non ſecùs ac præcipitis facti, & intempeſtivi obſequij pœnitere cœpit: potiſſimùm illos, qui flagrantiores in amicitia *Joannis Comitis* habebantur, & quorum animos, aut Magiſtratus, aut publica authoritas, aut privatæ opes attollebant. Hi palàm factum improbabant, & non maturo conſilio, non publico conſenſu, non coactis de more

Hungarorum inconſtantia,

murmurantium contra leges fieri,

Digitized by Google

at ê cunis vagientẽ infantem ad Regnum, quaſi hæreditarium aſſumant.

Brut. ſupra cit. MS. Anon.

re comitijs, inſtitutum, nullum reputari & eſſe dicebant: querebantúrque ſermonibus irarum plenis, hoc modo, paucorum conſilio, auſúque nefando, jura Regni, & publicum Gentis decus convelli; poteſtatem, quam haberent â Majoribus ſibi quaſi per manus traditam, *Regem quem vellent creandi*, imminui, labefactari, ac prorſus eripi, ínque hæreditarium Regum jus manifeſtè transferri. Futurum proinde; ut *Ludovicus* quoque, ſi liberos ſuſcipiat, non Nobilitate, non multitudine conſultâ, ſed ex teſtamenti tabulis, pro ſuo arbitrio, quem ex his velit, Regni hæredem ſit declaraturus. Et tunc filijs Regum, non in ſpem Regni, ſed Regni hæredibus naſcentibus, ubi manebit priſca populi Hungarici liberis ſuffragijs legendorum Regum facultas?

Bohemi & Moravi conſtantiores.

Brut. cit.

At Bohemi, Moravi, Sileſij in incapto conſtantiores (verba ſunt Scriptoris Hungarici) palàm profeſſi ſunt, ſe nequaquàm commiſſuros, ut ex mutatione conſilij, in re tam gravi, levitatis & inconſtantiæ notam ultrò ſibi imponant: ſed quod ſemel magnâ deliberatione, & publico in conventu, ut Regi optimo & benigniſſimo gratificarentur, unanimi conſenſu ſtatuiſſent, *de ſuo etiam jure decedentes*; in eo ſe perſeveraturos, actúque adimpleturos quamprimùm ſuas in puero regijs inſignibus ornando partes. *Hæc Bohemorum conſtantia*, ait ille, *perfecit, ut Hungari, nè vinci in contentione officij viderentur, alia conſilia caperent; ac ultimò ad priora reverſi dicerent, ſe, quò minùs Ludovicus infans, ex ſua, & Bohemorum ſententia, regio diademate decoraretur, non ampliùs impedimento futuros.* Ità Ludovicus, nondum expleto anno altero, Rex, *Albæ*, per Thomam Card. Strigon. Archi-Ep. vetuſto gentis more, pridie Non. Junij, anni 1508. coronatur.

quorum exẽplo Hungari reſipiſcunt, &

ſolenni ritu Ludovicum coronant.

Novæ turbæ in Bohemia exortæ, moram coronationi injiciunt:

Reſtabat coronatio Bohemica, quam aliàs præcipui Bohemorum urgebant potenter; ſed quia per id tempus, ſtatim â morte *Henrici de Nova domo ſupremi Burggravij*, anno 1506. miſerabili fato defuncti, recruduerunt novæ inter Status contentiones & rixæ; & ex ijs latrocinia, aliáque mala; ità ut denuò plena inſidiarum, plenáque armorum eſſet Bohemia: placuit Regi præmittere eò legatos, viros induſtrios, cum plena poteſtate, qui & præſentes motus componerent, & ſimul viam commodam ſibi venturo præpararent. Nemo autem, qui pro tractandis Bohemorum animis magis idoneus eſſet, reperiebatur, *Joanne Epiſcopo* antè *VVarad.* Hic, ùt jam diximus, poſtquàm eum ſatietas honorum & publicorum munerum, quæ magna cum fidei & ſapientiæ laude apud ſuos, & apud Reges exteros obierat, cæpiſſet; tametſi *Franciſcanorum ſodalitio* ſe addixerit, in eo tamen vitæ genere, tuto receptu, ùt credebat, â publicis curis, quibus ſatis diu erat graviſſimis perfunctus, haud multùm per Regem licuit frui. Sæpe enim interpellatus, excuſatâ fruſtrà procuratione ſacrorum, quibus ſe addixiſſet, intereſſe publicis conſultationibus de pace, de bello, â quibus ſe ſubduxerat, cogebatur. Hunc igitur Rex præ alijs legatum, (confiſus dexteritati ejus) in Bohemiam delegit, ſimul & *Stanislaum Epiſcopum Olom.* cujus integritati plurimùm quoque tribuebat, & quem honoris & dignitatis majoris gratiâ, utpote Principem, primum legationis ſuſceptæ locum tenere juſſit. Factúmque eſt virtute & prudentiâ lega-

pro quibus componendis, Rex Ioannem z Proſtĕgowa Epiſcopũ ante VVarad. & Olom. ſed tunc Religioſum Ord. S. Franciſci:

& Stanislaum Epiſ. Olom. Pragam mittit:

to-

torum, *Joanne*, publico in conventu, die 25. Julij ad Bohemos, luculento ſermone, & tempori accommodato perorante, ut & facilè tumultus omnes, in præſentia ſedarentur; & quæ vitioſæ partes Reipub. erant, brevi coaleſcentibus ad concordiam animis, in priorem quietum ſtatum revocarentur.

quorum dexteritate & prudentiâ factum,

Inter alia, quæ tunc præclarè & dixit, & egit *Joannes*, fuit; quòd *literas Baronum & Equitum*, quibus nomen quiſque ſuum fidémque, in ſocietatem novi fœderis adversùs Cives initi obligavit, acceptas, nec, quid in ſe continerent, legit, nec ſigna ſubſcriptionêsq; nominum inſpexit, ſed extemplò in partes laceravit, & nè ampliùs ab ullo legi poſſent, in minima fruſta conſcidit, cum addito: orare ſe, ut quemadmodùm annullari â ſe domeſticarum ſeditionum monumenta, per adeò levem & mitem animadverſionem vidiſſent; ſedulò operam darent, ut ſimultatibus atque inimicitijs omnibus ſyncero animo obliteratis, cum ſuis civibus, quos eadem Patria, cœlum idem, & terra eadem aleret, in gratiam redirent. Non defuerunt, qui, cùm hæc gererentur, converſis ſubitò ab ira & indignatione, ad hilaritatem animis, dicerent: *quin detrahimus huic Monacho bardocucullum, & imponimus ei trabeam palmatam, quando tam inſignem de nobis egit triumphum?*

ut conquieverint omnia.

Daubr. lib. 12. Brut. cit. Hagek an. 1508.

VVeleslaw. ad d. 25. Julij.

Igitur cùm ſuorum literis Rex cognoviſſet, omnia Legatorum virtute & induſtriâ quieta per Bohemiam eſſe, ſtatim initio anni 1509. poſt peracta Epiphaniæ ſolennia, viæ ſe dedit, *Annam & Ludovicum*, in quibus cauſa profectionis potior erat, ſecum ducens. *Bruna* aliquandiu ſubſtitit; ubi 29. Jan. oratores Pragenſium ſua obſequia deferentium, & ſecura quæque promittentium audivit: ac non multò poſt, viam ulteriùs in Bohemiam, continuavit, magno Procerum Moravorum comitatu ſtipatus. Datóque rurſum *Iglaviæ* triduo quieti, ac modicis factis per Bohemiam itineribus, *Pragam* tandem die 17. Febr. venit, â Pragenſibus, qui extra Urbem (omnes tribus opificum cum vexillis ſuis) ei obviam prodierant, & ab Ordinibus univerſis, honorificentiſſimè exceptus. Jam etiam *Fridericus Marchio Brandeb.* cum uxore *Sophia VVladislai ſorore,* & liberis eòdem venerat; ad celebrandum feſtum Coronationis diem, honeſtiore frequentiâ, ex Germanorum Nobilitate, qui opibus & potentiâ clari eſſent, unà multis profectis. Ità puer *Ludovicus*, cùm non dum ætatis annum expleret tertium, die 11. Martij, qui tunc inciderat in Dom. III. Quadrag. Pragæ, in Eccleſia Metropol. *per Stanislaum Ep. Olom.* (vacante Sede Archi-Ep. Pragenſi) *in Regem Bohemorum* eſt ſolenni ritu coronatus: pro quo, cùm per ætatem vix dum balbutire poſſet, pater ipſe jusjurandum, de ſervandis tuendiſque Regni juribus & privilegijs præſtitit. Narrant Stanislaum hoc ampliſſimum coronandi Regis munus deferre voluiſſe fratri ſuo ſeniori *Joanni Ep. VVratislav.* tum præſenti: ſed reſtitiſſe Proceres Bohemos, & præ alijs potentiùs *Zdenkonem Leonem de Rozmital Burggravium*, aſſerentem, eam prærogativam non eſſe ætatis, ſed in defectu Archi-Epiſcopi Pragenſis, Epiſcopi Olom. Licere proinde, ut fratres alibi juxta ætatem officijs concertent: hìc aliter fieri non poſſe, niſi quod juris eſt *â Carolo IV.* ſapientiſſimè præſcripti, & huc uſque continuò obſervati.

VVladislaus cum filio & filia Brunam venit:

inde in Bohemiam pergit.

Pragæ omnibus regijs honoribus excipitur.

Ludovici coronatio.

Daubr. cit. Hagek Kuthen. ad an. 1509. VVeleslaw. Lupac. ad d. 11. Martij.

Epiſcoporum Olomuc. prærogativa.

Cruger. in Martio ad d. 11. MS. Anon. Liv tom.

Aaaaaa 2 Inter-

Bohuslaus de Lobkovicz tunc rebus præſens,

Lib. V. Epiſtolar.

Intererant hiſce ſolennijs, præter alios quàmplurimos Bohemici nominis Proceres, etiam *Bohuslaus Haſſenſteinsky de Lobkovicz*, vir undequaque clariſſimus, Juris utriusque Doctor, Poëta inſuper & Orator in utraq; lingua, *Latina & Græca* eximius: qui quod in ijs obſervatu dignum & memorabile vidiſſet, id *Bernardo* cuidam *Adelmanno* familiari ſuo, retulit ſpecialibus litteris; quas cùm ſingularia quædam, & ſcitu digna contineant, audire non diſpliceat.

deſcribit VVladislai ætatem propè jam decrepitã,

ejúsque bonitatem nimiam ac vicioſam.

Item, Ludovici parvuli indolem:

ſed educationem delicatã ac mollem incuſat:

coronationem ipſius peractã fuiſſe magnâ ſolemnitate, narrat.

MS. Anon. Prag. Epiſtola VVilhelmi à Pernſt. ad Joann. de Komnicz Capit. Momſ.

Fui bis diebus Pragæ, & Principem meum ad nos ex Pannonia reverſum, ùt par eſt, veneratus ſum. Mutâſſe mihi viſus eſt vultum, & neſcio, quomodo ſemper cogitabundus incedere, magisque præ ſe ferre mœſtitiam, quàm gravitatem: neque id, ùt ego arbitror, vicio ſenectutis accidit (vix enim ſextum & quinquageſimum annum attigit) ſed curis ſolicitudinibúsq; nempe qui omnem penè ætatem, inter bella & ſuorum inſidias traduxit. Neque facilè dixerim fortunæne temeritate, quæ in res humanas plurimùm poſſe creditur, id factum eſt, an culpâ ſuâ? qui dum benignitatis & clementiæ laudem plus juſtò quærit, & ſe & Remp. in magnum ſæpenumerò periculum conjicit. Adivi autem, & Regium puerum jacentem in cunis, & ſtragulâ auro intertextâ velatum, cujus quidem indolem laudare poſſum. Nam & venienti mihi manum cupidè obtulit, & forma corporis, membrorúmque liniamenta magnum quiddam polliceri videntur. Cætera in eo optanda magis, ſpectandáque ſunt, quàm laudanda. Mollis enim hæc educatio, voluptates immodicæ, & quotidianæ aſſentantium voces, non pueros tantùm, ſed ſolidiora, firmioráque ingenia nonnunquam pervertunt. Huic verba adhuc dimidiata magis balbutienti, quàm proferenti, pro veteri gentium more, nè dicam ſuperſtitione, inſigne regium impoſuimus, non ſolùm Bohemiæ, Moraviæq; Proceribus, ſed etiam Ducibus Sileſiæ, & plerisque Epiſcopis, partim adſtantibus, partim miniſterium tantæ ſolennitati exhibentibus: Principe verò tuo, Friderico Marchione, non ſolùm præſente, ſed etiam infantem cujus res agebatur, in manibus geſtante. Magno hic honore exceptus eſt, pluribúsque diebus hoſpitaliter habitus, donatúsque cum conjuge & liberis, multis muneribus: ſed dum Proceribus noſtris inter ſe diſſentientibus, uni favet, & in aliena Rep: plus æquo curioſus eſt, alijs, nè id faceret, magnoperè deprecantibus, multos, quorum auctoritas apud nos potior eſt, offendit; unde factum eſt, ut recedentem quàm pauciſſimi comitarentur.

Corona Bohemica quàm pretioſa!

Inter alia Regni cimmelia, coronationis tempore, oſtẽſa fuit etiam facies Chriſti data Veronicæ:

De Corona, quâ Reges noſtri quingentis penè annis, uſi ſunt, nihil ad te ſcribere poſſum. Quid enim ipſe in his ſapio? plena, certè eſt prægrangibus ſaphiris, hyacintis, rubinis, unionibúsque, & â noſtris immenſo æſtimatur pretio: ità enim plerumque evenit, ut unusquiſque ſua laudet, & admiretur. Vidi etiam ultra iſta Salvatoris noſtri faciem Veronicæ datam, quam & Proceres, & vulgus Romanæ anteferunt. Fingunt etiam talem fabulam: Carolum Imperatorem ejus nominis IV. qui apud nos quoque regnavit, Romæ fuiſſe, impetrâſſeque ab Urbano V. Pont. Max. ut ejusdem imaginis contemplandæ poteſtas ſibi per aliquot dies fieret; eáque uſum occaſione, juſſiſſe quendam ex ſuis pictoribus, ad exemplar ejus, aliam pingere, & adulterinam quidem Urbano reſtituiſſe,

Digitized by Google

iſſe, veram autem ad nos tranſtuliſſe: ajúntque extare literas aureo Caroli ſigillo munitas, quibus id confirmatur. Adjungere his poſſem auratos equites, ludos haſticos, & cætera militaria certamina, multáque alia; ſed quoniam ea non eſſe tui ſtomachi certò ſcio, prætermittenda putavi, quandoquidem, qui tuus rerum humanarum contemptus eſt, forſan & hæc, quæ ſcripſi, ſuperflua ſunt. Habes res noſtras ſignatas magis quàm explicatas.

quam veram ac genuinam eſſe, multi piè credunt.

Cæterùm Wladiſlaus peractâ Coronatione, & rebus alijs Bohemicis, quæ per abſentiam ſuam turbatæ erant, compoſitis, Hungaris quoque domum reditum aſſiduò urgentibus; poſtquàm *Ludovico Palatino Rheni*, & *Georgio Saxoniæ Duci*, huic Dominicâ II. Adventûs, illi die 28. Jan. fevda Provinciarum ac ditionum quas habebant *in Miſnia & Norico*, Coronæ & Regibus Bohemis obnoxia, ſolenni more, in palatio arcis contuliſſet: *Pragâ*, initio Quadrag. die 13. Febr. anno 1510. diſceſſit. *Kuttnæ* adhuc comitia habuit, die 18. Febr. in quibus, præter alia, ſupremum metallicorum Magiſtrum, *Joannem Ziampach*, & ſupremum Regni Scribam, *Zdenkonem Malovecz* conſtituit. Inde per *Tevto-Brodam, Iglaviam, Trebicium & Brunam* ducto itinere, *Kremſirium* venit; ubi regio apparatu, & exquiſitis honoribus *à Stanislao Epiſcopo*, in arce ſuſceptus eſt.

Reges Pragâ abeunt: Kuttnæ comitia celebrant Kremſirium divertunt.

Inter hæc novi exorti rumores, ac poſtmodùm etiam frequentes nuncij, Hungariam laborare gravi peſtilentiæ lue, referentes, Regem ſummoperè conturbârunt, anxium de liberorum ſalute; cùm juſto metu affligeretur, nè quid illis, quod minùs vellet, accideret. *Aderam præſens ego,* (verba ſunt Daubravij) *cùm Regem ità affectum, Stanislaus in cubiculo iſtis verbis alloqueretur. Video Majeſtatem Veſtram eſſe ſollicitam periculo liberorum, quod illis ex aura in Hungaria, ob morbum ſuſpecta imminere videatur. Nihil Majeſtati Veſtræ opus eſt hâc curâ; maneant ambo cum ſuis in Moravia; aut hic Kremſirij, aut in vicina arce VViſſkovienſi, cui hortus ſatis amænus adjunctus eſt: libentiſſimè ego illis de altero loco cedam, ut quoad Majeſtati V. placuerit, in illo commorentur.* Et Rex quidem motus eâ humanitate, ac promptitudine obſequij, multiſque collaudatâ Stanislai fide, tam diu *Kremſirij* morari conſtituerat, quoad de peſtilentiæ ſævitia mitiora nunciarentur: aut ſi nihilominùs ipſemet importunis Hungarorum precibus morem gerere, & in Hungariam redire deberet, liberos ſub tutela Stanislai relinquere. Sed neutrum licuit illi ab Hungaris impetrare. *Diſturbavit*, ait Daubravius, *totam rem Joannes Comes Scepuſ. è Trenczinio Kremſirium, ducentis equitibus comitatus, ſuperveniens, Regique coram minas proponens, quibus Hungari minarentur; ſe illum Budam non intromiſſuros, ſi abſque liberis in Hungariam redeat: cum liberis itáque reverſus eſt*, ſuorum proterviam & contumaciã, ſuperbáq; dicta diſſimulare, & omnia ejuſmodi taciturno ac ſimplici ingenio negligere aſſvetus. Verùm ingraveſcente magìs peſtilentiæ vi, ità ut tandem regiam quoque urbem *Budam*, magnâ mortalium ſtrage, corriperet, Rex *Poſonium* conceſſit: & cùm neque ibi ſe â contagine ſatìs ſecurum eſſe videret, jam etiam uno ê cubiculi ſui miniſtris, peſte affecto, in Moraviam redijt; & in oppido,

VVladislao ob peſtem in Hũgaria graſſantem ſollicito, Epiſcopus Olom hoſpitium offert, ſeu Kremſirij, ſeu VViſscoviæ. *Daubr. lib. 32. Brut. lib. 1. ad finem.* At Hungaris reditum urgentibus, Moraviâ abit, Poſonij aliquandiu ſubſtitit: ſæviẽte peſte, in Moraviam redit;

Digitized by Google

quod *Brodam Hungaricam* vocamus, aliquandiu hybernavit; unde etiam *Epiſcopum Olom. Joannem Mezericium de Lomnicz Capitaneum Moraviæ, & Joannem â Pernſtein VVilbelmi filium*, Pragam ad comitia, pro 1. Decembris, legatos miſit. Invitatus poſtea â *Sileſijs*, eò iter ſuſcepit, unà cum liberis, magno Procerum Morav. Hung. & Bohem. numero comitatus; diéque 29. Jan. *VVratislaviam*, ſoſpes & incolumis pervenit. *Brodâ* movens, poſt feſtum *SS. trium Regum*, anno 1511. *Hradiſſtium* ex itinere divertit, ibique etiam templum *Franciſcanorum*, & in eo ſepulchrum *Joannis Ep. VVarad.* miniſtri ſui quondam fideliſſimi, viſitavit. Obijt ille, ut id paucis referam, anno præcedenti, die 17. Junij, poſtquàm â Rege, *Brunâ Hradiſſtium*, ad ſuum monaſterium, quod erexerat, initio Februarij redux, notabiliter langueſcere cœpiſſet. Ex eo námque tempore, magìs ac magìs deficiebat, donec ad extremum lecto defixus, ac prævalentibus imbecillis ſenectæ morbis, placidâ defunctus morte, vivere deſijt, anno ætatis 78. Vir profectò ſui ſæculi *unus è Maximis*: naturæ & ingenij dotibus, judicio, doctrinâ, conſilio, prudentiâ, religione, morum ſvavitate, vitæ integritate, facundiâ, magnanimitate, & in rebus agendis perficiendisque induſtriâ & dexteritate præſtans; uti legere eſt apud *Bonfinium*, eorum omnium teſtem oculatum, qui inter alia habet:

(ac tandem VVratislaviam concedit. — *Iſtvanf. lib. 4. Curæus, Dau-bravs. cit.* — Hradiſſtium divertit: ubi tumulum *Joannis Ep. VVarad.* viſitat, defuncti anno 1509 die 17. Junij. — *MS. Anon. Litom. Cruger in Junio ad d. 17.* — *Bonfin. dec. 4. lib. 7. ad fin.*)

Joannes VVaradinenſis antiſtes, ad Gallos Orator pronunciatus erat; quo, ad id munus obeundum, nemo tempeſtate noſtrâ magis idoneus viſus erat. Is enim ex humilibus, ùt ipſe ingenuè fatebatur, parentibus, & in tenui re ad Olomucium, (Proſtiegovij) *natus, tantâ ingenij dexteritate, conſilio & induſtriâ valuit, ut apud Regem Matthiam, inter primos & chariſſimos haberetur, & ſupremus, ùt ajunt, Cancellarius & Secretarius eſſet. In bello námque Bohemico, cùm Rex Moraviam in provinciam redegit, capto Olomucio, hunc adoleſcentem Cziupori* Weivodæ *commendavit. Hic mox ingenij præſtantiâ, & experientiâ rerum ſic excrevit, ut in gerenda provincia, Bohemicisque rebus adminiſtrandis, hoc potiſſimùm moderatore uteretur. Quare perbrevi ſuâ fide, integritate, prudentiâ & magnanimitate ſic Regi placuit, ut inprimis* W*aradinenſi, deinde Olomucenſi Pontificatu eum exornârit. Quin etiam multis Baſilicarum præfecturis adauctus eſt; triginta enim aureorum millia è proventibus annuis accipiebat. Immenſa huic inerat liberalitas & magnificentia, ut munus quodque ſibi delegatum, honorificentiſſimè gereret; nec labori, nec ſumptui pepercit. Nobiliſſimas ſemper domi clientelas aluit: omnia mandata Regis, non modò è ſententia, ſed præter omnium opinionem feliciſſimè geſſit. Graviſſima quæque negotia ei â Rege committi ſolita. Accedebat fauſtus & venerandus aſpectus, oratio liberalis, animi magnitudo, robur & pulchritudo corporis operoſiſſimi: cui indefatigabile ac perſpicax inerat ingenium. Adde his mores præſtantiſſimos, manſvetudinem inauditam, hilaritatem ſummam: præterea comitatem cum magna popularitate conjunctam. Promptiſſimus ad officia ſemper habitus: cui nihil moleſtius, quàm aut quemquam lædere, aut ſimulare diſſimularéve quicquam. Amicos nimiùm ex corde dilexit: obtrectatores & inimicos benè potiùs reconciliare, quàm malè merendo ulciſci ſtatuit.*

(Joannes Ep. natus in Moravia; Proſtiegovij: — ejus fortunæ initia, — ingenij excellentia, & in rebus agendis dexteritas. — fit Epiſcopus: — Matthiæ Regi ſummoperè charus & conſiliorum ſupremus arbiter. — ejus magnitudo animi, liberalitas, comitas, promptitudo obſequij, dilectio proximi, pacis amor:)

Ad

Digitized by Google

Ad oblivionem injuriarum, & benè merendum potiùs, quàm ad vindictam natus erat: quare vir bonus & innocens à Rege & judicatus, & pronunciatus eſt.

Is igitur, (juvat ampliùs audire magnificentiam viri) *cùm in Galliam orator profecturus eſſet, raram profectò pompam inſtituit, ut rem Principe ſéque dignam faceret. Trecentos imprimis equos eodem colore omnes & magnitudine: trecentos quoque juvenes ex univerſis Procerum ordinibus, & ex tota Nobilitate delegit; qui per ſingulas Urbes togati incederent, & purpureo cuncti habitu uterentur; item, intonſi omnes, & eâdem proceritate ætatéque conſimiles. Ex his torquatos omnes cernere erat: cæteros verò, quibus aurei crines fuerant, gemmatis capita ſertis obductos. Supellex adhæc pluſquàm Pontificia, quæ necubi explicari potuit, quin Regiæ Maj. hoſpitium referret. &c. Legationem tantâ ubique pompâ geſſit, ut nihil tempeſtate noſtrâ magnificentius uſquam gentium ſpectatum eſſe referatur. Pariſijs ſæpe forum piſcarium, in celebrandis convivijs ſic exhauſit, ut diſpenſatores quandoque regij piſces mendicare coacti fuerint.*

Et alibi, de relictis ab eo ſæculi curis, & tranſitu ad religioſam vitam: *Joannes VVarad. Ep. qui unà cum Urbano, apud Matthiam ſemper obtinuerat principatum, coronato è ſententia ſua Rege VVladislao, cùm ſe ſat Patriæ, & humanæ gloriæ ſatisfeciſſe putâſſet, præter omnium opinionem, amiſſâ mortalium rerum curâ, ad Divi Franciſci collegia, invito Rege, confugit; facinus de ſe præclariſſimum edidit, per omnia tempora commemorandum &c. Cùm Regem nactus eſſet indulgentiſſimum, & ob ſuperiora merita deditiſſimum, Valentino Lupo Epiſcopatum Warad. renunciavit, & ut continuò potiretur, cum authoritate regia, facilè impetravit. Præpoſituram Budenſem in ſuburbano ſitam Oſvaldo Epiſcopo Zagrab. Nicolao propontifici olim ſuo, primariam in Waradino præpoſituram: alia alijs, pro dignitate diſtribuit. Olomucium deinde ſe recepit, ut priusquàm Divi Franciſci ſacris initiaretur, ritè cuncta diſponeret. Familiares partim inter ſervitia Regis, partim inter Valentini ſucceſſoris familiam inſinuavit; quem diutinâ experientiâ ità dilexit, ut filij loco ſemper haberet. Antequàm Religionis illius ſumeret habitum, illic annum exegit: interea ædem Olomucij mirâ celeritate exædificatam, & Pantheon appellatam, cunctis Numinibus ex voto dicavit, magnificéque donavit: ſacras veſtes, auro gemmiſque onuſtas, & multa vaſorum genera, non Waradinenſi ſolùm Budenſique Baſilicæ, verùm & alijs mirâ liberalitate diſtribuit. Nepoti adhuc infanti è ſorore* (Dorothea, Joanni de Kunovicz) *villas & oppida cuncta, ſuâ virtute parta* (inter alia, Hunno Brodam) *legavit. Aureorum circiter quinquagies mille in ſacros uſus erogavit. Mox exacto anno, imploratâ publicè veniâ, tanquàm ſi humanis excederet, complorante populo, & collachrymantibus amicis, accitis è Sileſia D. Franciſci ſacerdotibus, ſacrum ſumpſit habitum: & ab illis exceptus, conſcenſo curru, Wratislaviam vectus eſt, ibique in ſacro Franciſci collegio, die noctúque in divino cultu verſatur. Tantum Hungaris Moravisq; ſui deſiderium hâc inſigni emigratione reliquit, ut pientiſſimo quiſque parente, ac patrono efficaciſſimo ſe orbatum reputaret.* Mentio incomparabilis viri, &

vir bonus & integer.

Legatus in Galliam mittitur.

quàm ſplendidus pro hoc itinere ipſius apparatus!

quanta pompa & magnificentia!

decad 4. lib. 10 ad fin.

ultimò pertæſus Aulæ & curarum,

Epiſcopatus, & alia Beneficia omnia, reſignavit,

& ordinatis Olomucij rebus quà ſacris, quà profanis,

& Eccleſiâ Omnium SS. ibidē inſtaurati magnificentiùs, & donatâ,

Bonis verò terreſtribus nepoti ſuo traditis,

ſæculo valedixit,

& monachus factus, Ord. S. Franc. de Obſ.

VVratiſlaviam abijt.

& res quà ſacræ, quà prophanæ, ab eo præclarè domî & forìs geſtæ, me velut de ſpatio, ut aliquantùm declinarem, abſtulêre.

Dum VVratiſlaviæ Hungari jusjurandũ Ludovico, tanquàm Hungariæ Regi; Bohemi conträ, ſuo Regno, cujus mẽbrum Sileſia ab antiquo fuiſſet, dandum eſſe contendunt: Sileſij, nè alterutrum offendant, nulli jurant: res in aliud differtur tempus.

Ad VVladislaum redeo, qui cùm *VVratislaviam* eum in finem veniſſet, cum Ludovico filio, ut â Sileſiæ Ducibus, alijsq́ue Ordinibus juramentum fidelitatis, quod homagium vocant, acciperet, illúdque jam exigere vellet: diſceptatio exinde gravis *inter Bohemos & Hungaros* oborta fuit, utrisque Sileſiam ad ſe pertinere contendentibus. *Bohemi & Moravi* eam ſemper Bohemici juris provinciam fuiſſe dicebant, Coronæ Regni vinculo prorſus indiſſolubili inſertam totam; ideóque eo nomine Regi, *quà Bohemiæ Regi*, fidem dari oportere â Sileſijs. *Hungari* in poſſeſſione ejus ſe eſſe, jure belli, & pignoris nomine oſtendebant. *Bohemi* iterum: ſi Hungaris quidpiam juris in Sileſiam titulo pignoris eſſe videatur, id priùs debere per idoneos homines juris divini humaníque peritos diſcerni, quid, quantúmve ſit? ſupereſſe demum alias ad id componendum vias, modò interim provincia in ſuum priſtinum Coronæ Bohemicæ nexum quaſi poſtliminiò redire permittatur. *Sileſij* his auditis, diu in ancipiti hæſerunt: ac poſtmodùm veriti, nè inter *duo nobiliſſima Regna*, funeſtum bellum eâ litis face accenderetur, totum hoc negotium in aliud tempus rejecerunt; & neutri tum quidem jurârunt. Regis tamen VVladislai, & Ludovici imperio ſe obtemperaturos, ſalvis privilegijs ſuis, profeſſi ſunt. Poſt hæc Reges, die 15. Martij, VVratislaviâ in Hungariam diſceſſerunt.

Iſſtanf. lib. 4. Curæus. Henel. in Breslogr. cap. 5. MS. Anon. de geſt. VVladisl. ad an. 1511.

Tumultus novi per Bohemiam & Moraviam, Religionis causâ. Fautores Hæreticorum Picardorum: inter quos dux fœmina facti.

Per eadem tempora (liceat id quoque hìc referre paucis) magni exorti ſunt circa Religionem, per Moraviam & Bohemiam tumultus, *Picardis hæreticis*, qui ſeſe *de unione Fratrum* nominabant, adeò invaleſcentibus, ut non jam, prout antea, in ſubterraneis latebris & ſpecubus, (non niſì obſcurè tunc vivere, & in occulto ſacra ſua tractare auſi,) ſed palàm, in domibus & templis, contra quàm lex *â Georgio Rege*, anno 1468. & *Matthiæ Regis* in Moravia, anno 1481. lata ſtatueret, cœtus agere non dubitarent. Favebant autem eorum partibus, in Bohemia præ cæteris impenſiùs, *Koſtkovve Poſtupicij*, *Kragirzij*, *Krzinecij*, *Czernczifſtij de Kaczovv*, & eorum cognati, *Richnovij Nymphaogeruli*: in Moravia, *Cymburgij*, *Kaunitij*, *Daubravicij*, & quidam *ex Bozkovicijs*, *Lomnicæis*, *Zierotinijsq́*; ac imprimìs *Martha de Bozkovicz*, quæ magnâ audaciâ, nè dicam inſaniâ, ultra quàm ſexum decuiſſet, editis in publicum ſuo nomine libellis, eorum doctrinam tuendam promovendámque ſuſceperat.

Catholici & Calixtini, cõcordibus animis & ſtudijs, agunt contra Picardos: Daubr. lib. 32. & efficiunt,

Ægrè in ferebant, ùt par erat, non ſolùm *Catholici*, ſed ipſi quoque *Calixtini*, qui compactatis Baſilienſibus freti, calycis in ſacra Synaxi uſum tenebant; id uno ore aſſeverantes, nullo modo tolerari poſſe, in Regno & Provincijs eidem unitis, tales, qui nec Romanæ Sedis religionem *ſub Una* profiteantur, neque ex Compactatorum formula *ſub Utraque* Sacra tractare velint. Jam res ad ſeditionem ſpectabat: cùm *Bohemi* & *Moravi* proceres, qui VVladislao â conſilijs erant, id ſeriò perpendentes, & tam Religioni Orthodoxæ, quàm publicæ quieti providere cupidi, permoverunt Regem hæc omnia diſſimu-

lans

lantem, aut fortaſſis, (quod malim) eorum inſcium; ut decretum tulerit, vel potiùs ab anteceſſoribus ſuis latum renovârit: quo Sacrorum ritus & celebratio â Catholicis tam ſub Una, quàm ſub Utraque communicantibus diverſa, omnibus & ſingulis ſub pœna exilij, vel capitis etiã in contumaces, inhibebatur, anno 1501. atque iterum anno 1503. 1508. 1510. Ultimò eâ ſeveritate, (hortantibus *Leone Burggravio, Ladiſlao â Sternberg Cancellario*, qui Alberto de Kolovvrat defuncto ſucceſſerat in officium, *Adamo de Novadomo Henrici filio, & Joanne Sslechta de VVſsebrd Regis Secretario*, viris & Patriæ & Catholicæ Religionis in eadem conſervandæ ſtudioſiſſimis,) ut quæ in perduellionis reos ſupplicia fuiſſent de jure communi decreta, iisdem & hæretici ejusmodi, tanquàm Deo & Eccleſiæ rebelles, & Reipublicæ hoſtes, plecterentur. Verùm quia Regis auctoritas, apud pleroſque, præſertim potentiores, erat modica valde, parùm vel nihil hæc omnia curabantur: patuitque nihil eſſe præſidij in Regis nomine, ad efficaciter imperandum multitudini, ubi illam non abſoluta poteſtas tueretur.

ut VVladiſlaus, renovato ab Anteceſſoribus regio decreto,
eôque ſæpiùs repetito,
prohibuerit omnem religionem, quæ neq; eſſet ſub Una, neq; ſub Utraque, juxta Compactata.
Adrian Regenvolsky Hiſt. Eccl. Slavon. lib. 2. cap 8. MS. Joan Blahoslai.

Deploravit hoc ipſum, non ſinè magno animi ſenſu, *Bobuslaus* (cujus jam meminimus) *de Lobkovicz*, epiſtolâ ad quendam amicum ſuum, anno 1508. die 8. Aprilis, Haſſenſteinæ in Bohemia, datâ; qui inter alia narrat: *Nam quis meus amor in Patriam eſt, non potui non ingemiſcere his, quæ ad Reipublicæ noſtræ excidium, & ad Religionis ruinam, omnimodúmque exterminium maniſeſtiſſimè ſpectant. Quando enim unquàm major blaſphemia audita eſt, quàm, quem Chriſtum filiúmque Dei confitearis, eum adorandum negare? quod venenum huic peſti comparari poteſt? Horret animus, dum hæc ſcribo, & impietatem tantam, etiam in cogitationes admittere formidat. Neque fœmina deeſt hujus dementiæ particeps: cúmque Apoſtolus mulieres tacere in Eccleſia jubeat, hæc & ad Regem ſcribere, & profanos homines ſuo patrocinio tueri audet. Sed forſitan ità legibus Satanæ cavetur, ut nulla penè hæreſis, ſinè hoc ſexu, coaleſcere in Eccleſia Dei poſſit. Simon magus, cujusdam meretriculæ auxilio virus diffudit: Nicolaus Antiochenus choros muliebres ductabat: habebat Apelles in comitatu ſuo Virginem maligno afflatam ſpiritu: Montanus non tot ſuâ auctoritate, quot Priſca, Maximillaq; ope ſeduxit: Arrius niſi priùs ſe Principis ſorori inſinuâſſet, nunquàm totum ferè orbem deteſtandâ lue inficere potuiſſet. Secuta has Martha noſtra; quam tamen meliùs erat, exemplo veteris Marthæ, circa frequens miniſterium ſattagere; & colum, lanámque curare, quàm virili quâdam imprudentiâ, adversùs Catholicam fidem debacchari. Dormitamus tamen nos ad hæc, & cùm lupi aſſiduè gregi Dominico inſidientur, neque aut canes latrant, aut Paſtores pro ovibus ſibi commiſſis dignè excubant; malúntque in voluptatibus, & ocio marcere, quàm curis, laboribúsque, interdum etiam vitæ periculo, orientibus malis obviam ire: minimè profectò eum imitati, qui animam pro ovibus ponere & juſſit, & exemplo docuit. Maximè autem omnium illud me angit, quòd perfidia hæc, quæ ſub Georgio Rege, & Joanne Rokycana (quanquàm hæreſeos accuſatis) nè gliſcere quidem audebat, hoc tempore ſub Rege Catholico, & radices agit, & ramos ſuos adeò latè protendit,* ut

Bobusl. à Lobkovicz, lib. 4. Epiſtolar.
Picardorum blaſphemia gravis:
eorum protectio & defenſio â fœmina,
Marthâ de Bozkovicz in Moravia.
Principes & Paſtores, vigilare oportet ſupra greges ſuos,
adversûs hæreſes:
ex quibus una, nempe *Picardorum*, quæ ſub Georgio Rege repreſſa fuit;

ſub VVladiſlao ità invaluit, ut extirpari vix potuerit.

ut vix humanis viribus extirpari, atque evelli poſſit. Equidem terribilia illa edicta, quibus uterque gladius diſtringitur, & genus hoc hominum undique pelli, arcerique jubetur, magnoperè probo. Sed vereor, nè, ùt ſunt mores noſtri, non multò poſt, ad leviſſimi cujusque ſuggeſtionem, omnes hujusmodi mina in ventum abeant. Sed forſitan hæc pœna peccatorum noſtrorum eſt, unúsque error nobis gradum ad alios præbet; & quoniam ſemel ab Eccleſia receſſimus, non deſinimus quotidie profundiùs in perfidia baratrum ruere. Unde utinam nos Deus immortalis aliquando extrahat, qui etiam ex lapidibus filios Abrahæ ſuſcitare poteſt. Huc uſque Bohuslaus: qui biennio poſt, nempe anno 1510. die 14. Novembris, obijt.

Leges antequã ferantur, expendantur: ubi latæ fuerint, exequutioni dentur.

Poſt Regum ex Bohemia diſceſſum, recrudeſcente inter Nobilitatem & Cives diſſidio, facilè & quies publica turbari cœpit: latrocinia denuò exorta, infeſta ubique itinera; rapinæ, furta, incendia, quandoque membrorum mutilationes, & cædes. Inter alios graſſatorum duces vel fautores, fuêre etiam quidam Nobiles, *Georgius Kopidlansky, Petrus Suda, Janovvsky, Sendrazsky, VVrazda, Borzekovvsky,* (ità illos nominari invenio) plurésque alij; viatoribus ac præcipuè civibus uſque adeò graves, ut ex civitatibus vix pedem efferre auderent. Cùm verò *Zdenko* quoque *Dobroboſt*, unus ê Baronibus, magnâ perditorum hominum comparatâ manu, quos in arcibus ſuis *Ronſperga & Horſteina* ſuſtentabat, diſtrictum *Plſnenſem* infeſtare, prædas agere, vias more latronum obſidere, obvios ſpoliare non erubeſceret: *Leonem de Rozmital ſupremum Burggravium*, & alios quosdam Proceres in eodem diſtrictu, quorum ditionibus damna intulerat, & ſubditos opulentiores captivos abduxerat, in ſe concitavit. Qui congregato ex Urbibus vicinis, *Plſnâ, Klatoviâ, Misâ, Domazlicio, & Suſſicio* milite, & ſuo quiſque famulatu, ſuísque ſtipendiarijs; item clientelis, quas *Burggravius* tam ſuo quàm regio nomine haud contemnendas in obſequio & poteſtate habebat, unà aſſumptis, arcem unam poſt alteram obſederunt; nec deſtiterunt, donec utramque occupârunt. *Horſteina* nè ampliùs latronibus receptaculo ſerviret, ſolo æquata eſt: *Ronſperga* (olim dicta **Proſtý**) regio præſidio munita, ac poſtmodùm *Zdenkoni* reſipiſcenti & ſupplici reſtituta.

In Bohemia res iterum turbantur: *MS. Anon. Prag. ad an. 1510. & ſequ. Theobald. part. 3. cap. 32.* latrocinia denuò invaleſcunt, authoribus etiam quibusdam Nobilibus, rapto vivere aſſvetis: tandem reprimuntur, diſſipantur, latibula eorũ diruuntur. *MS. Anon. cit.*

Nec quietiùs agebatur *per Moraviam & Sileſiam*, latrocinijs & ibi crebris exurgentibus, & ùt plurimùm etiam â Nobilibus rapto deditis: qui cùm aſoticè vivendo ſua prodegiſſent decoxiſſentque, operam deinde & ſtudium omne converterunt ad rapiendum aliena. Et quia dum premebantur in uno loco, in una Provincia, recipiebant ſeſe in aliam, *ex Bohemia in Sileſiam vel Moraviam*, & viciſſim inde *in Bohemiam:* ad obviandum huic malo, & ut citiùs coërceri poſſent homines flagitioſiſſimi, ac deprehenſi meritis pœnis affici, Proceres Regni & Provinciarum, conventu *Glacij*, anno 1512. in Decembri habito, unanimiter omnes ſtatuerunt: *nè uſpiam deinceps pateret eis, aut ara, aut hoſpitium*, ſed pellerentur ubique, & quantùm fieri poſſet, caperentur. Adfuêre ibi ex Moravis, ſupremus Capitaneus *Mezericius, Joannes â Pernſtein, Joannes â Zierotin:* ex Bohemis, *Leo Burggravius, Michaël Slavata, Pe-*

Eodem malo laborat Moravia, vexata à latronibus. *MS. Litomiſſl. Lipp.* Conventus procerũ Boh. Morav. Sileſ. & Luſatiorum Glatij, reprimendorum latrociniorum causâ.

Petrus Holiczsky à Sternberg, Adamus de Nova domo Henrici filius, VVilhelmus Czernin Burggravius Regino-Hradec. &c.

MS Anon. Prag. ad an. 1512.

At in Hungaria paulò poſt, ſusque deque omnia agi cœperunt; exorto *bello ſervili*, occaſione ſacræ militiæ adversùs Turcas indictæ anno 1514. Cùm enim paſſim publicaretur indultum Leonis X. Pont. vigore cujus omnibus, qui nomina darent ad bellum Turcicum, venia peccatorum; qui verò mortem obiiſſet, ſalus æterna promittebatur: brevì ingens multitudo voluntariorum militum confluxit, ità ut ſpatio unius menſis, XL. millia hominum, *ad Peſtum*, unis in caſtris numerarentur, præter alibi congregatos. Hi omnes ſumptis crucibus purpurei coloris, & accepto duce, *Georgio Siculo* viro forti, poſtquàm in turmas & cohortes diſtributi, & in gerendo prælio alijsque militaribus munijs aliquantùm edocti eſſent, tantâ animorum aviditate in expeditionem hanc ferebantur, ut non niſi imperium, quonam tandem ex Regis Senatûsque ſententia duci deberent, cupidè expectarent. Verùm quia in tanta hominum colluvie undique confluentium, quod ægrè vitari poterat, multi improbi habebantur, facinoroſi, vagi, egentes; multi qui aut latrocinia anteà exercuiſſent, vitandi ſupplicij metu, aut per dedecus atque ignominiam, facto patrimonij naufragio, ſua omnia prodegiſſent, aptiſſima hominum manus ad perturbandum Reip. ſtatum, & ad audendum quodvis; ùt quibus nulla, niſi in flagitijs ſpes reliqua eſſet: turbari hoc ſalutare inſtitutum neceſſe fuit. Accedebat ruſticorum, qui majori ex parte conſtituebant exercitum *Cruceſignatorum*, contra Nobilitatem, & in proprios Dominos recrudeſcens odium; recordatione malorum, quæ ab ipſis avarè & crudeliter dominantibus, per vim & ſummam tyrannidem hactenùs toleráſſent: hinc ad ſacri belli claſſicum agminatim concurrebant, non ſolùm ut immortalis vitæ prœmia fortiter pugnando aſſequerentur; verùm etiam, ut effugium ſibi â potentiorum injurijs compararent. Auxit indignationem apud agreſtem plebem, eámq; armatam & inſolentem: quòd Nobiles, videntes labores, & alia â ruſticis ſibi debita obſequia per hoc negligi, in quosdam ex caſtris redeuntes deprehenſos, & in vincula conjectos acerbè ſævirent; nec ullâ ratione admittere vellent, ut ampliùs arma tractarent, ſed ad ſtivam potiùs, & priſtinæ conditionis ſervilia miniſteria reverterentur. Unde gliſcentibus, & magìs ac magìs efferveſcentibus odijs, res tandem erupit in ſeditionem manifeſtam: præſertim quando & ipſe dux militiæ *Georgius*, ſeu Nobilitatis odio, ſeu rerum novarum cupidine incenſus, arma in hoſtium perniciem deſtinata, contra Nobiles vertit, in quos ê veſtigio omnibus crudelitatis & ſævitiæ modis graſſari juſſit.

In Hungaria quoque turbatur forma ſtatûs publici, occaſione belli ſacri, quod poſtmodùm in ſervile deſijt, & cruentum.

Iſtvanf. lib. 5. Brutus lib. 3. Curæus, Hagek, Kuthen ad an. 1514.

Nam confluente ad arma, magnâ colluvie hominum, eorumq; perditiſſimorum; ac præcipuè ruſticorum; qui tyrannidē Nobilitatis deteſtati, agminatim accurrebant, ut liberi eſſet â Dominorum injurijs: auctisq; odijs, res tandem in in ſeditionem erupit: arma in Turcas deſtinata, contra Nobilitatem verſa:

Ingens repentè exortum civile bellum, inter Nobilitatem & ruſticam plebem propè ad internecionem geſtum: quod Hungariam univerſam, atq; illi adjacentes Provincias omnes, in ultimum ferè diſcrimen adduxit, & tantùm non perdidit; de quo videantur illius Gentis Hiſtorici. Rex eo in periculo conſtitutus, & *Budæ* tum agens, per celeres nuncios, auxilia *â Moravis & Bohemis* popoſcit; nominatim ſex millia peditum, & duo cataphractorum equitum, in Hungariam quantocyùs expedienda. Et *Pragenſes* quidem, quos

Iſthv. Sambuc. de Reb. Tubero; Georg Simig. inſ.

Rex ſubſidia â Moravis & Bohemis petit:

qui ſinè mora, ac imprimis Pragenſes, militem congregant;

quos Rex ſpecialibus literis exquiſiverat, celeritate adhibitâ, duo peditum millia, & quadringentos cataphractos equites, intra octiduum armârunt. *Plſnâ* quoque, *Klatoviâ, Misâ, Zatecio, Kadanâ, Launâ, Slanâ,* mille octingenti pedites paulò poſt venerunt. Ex alijs civitatibus, partim *Novadomi,* partim *Czaslaviæ* conveniebant. Dederat Rex â parte literas, etiam ad *Petrum de Roſemberg, Adamum de Novadomo, VVilbelmum de Pernſtein, Michaëlem Slavatam, Boczkonem de Kunſtat & Polna, VVilbelmum Koſtkam* poſſeſſorem tunc ampliſſimarum ditionum *Litomiſſl. Landſperg. Landskron. Brunduſienſis ad Aquilam, Choczneņſis & Novo-Hradenſis*; & alios Moraviæ viciniores Dynaſtas, hortans ac urgens, ut cùm ſeditio præſens ſit res mali exempli, faciléque *in Bohemia,* plebe ad ciendas turbas proclivi, tale quid accidere poſſit, ad eam maturè opprimendam quantocyùs, non expectatis aliorum copijs, auxilia ſibi ſubmittant.

quibus ſeſe alij ex civitatibus adjungunt.

& duce Bartholomæo Münſtrb. Principe, in Hungariam contendunt.

Jámque *Bartholomæus Dux Münſtrb. Victorini filius,* quem Pragenſes & Civitates reliquæ, copiarum ſuarum ducem conſtituerant, cum ſex millibus peditum, & mille ducentis cataphractis equitibus; & cum *Boczkone de Polna* cognato ſuo, qui ſe ei cum trecentorum peditum cohorte, & ſexaginta cataphractis equitibus proprio ære conductis conjunxerat, in Hungariam venit, & *ad Peſtum* ê regione *Budæ* caſtra poſuit, mandata Regis, quonam ulteriùs progredi deberet, expectans. Quos *Ladislaus â Sternberg Cancellarius, Adamus de Novadomo, Czenko Sekerka Comes de VVrſſovicz* haud paulò ante â Wladislao in priſtinam Comitum dignitatẽ, ob ſua præclara merita, reſtitutus; *VVenceslaus de Raupovv, Stephanus Comes Schlik, Joannes jun. de Talmberg, Joannes Bechinie de Lazan,* cum reſiduo provinciali milite; & quos *VVilbelmus Czernin,* cum *Joanne Bukovvsky, Nicolao VVanczura & Petro Raſſin,* ex diſtrictu Reginohrad. *Zdenko* item *Koſtka* filius VVilhelmi, cum *Henrico Lazansky, & Bobuslao Hrzan* ex diſtrictu Chrudim. citatis quoque itineribus ſequebantur; jámque ê regione Poſonij venerant. Cùm inter hæc nuncijs percipiunt certis, de victoria Regis obtenta, de ſeditioſis bino prælio cæſis & diſſipatis, ducibus verò eorum captis: quare accepto â Rege & Hungaris commeatu, domum redierunt. Ex *Moravia,* quid & quantum auxiliorum, quibúſve ductoribus, miſſum fuerit? & an aliquid operæ pretij, utpote ad ſuccurrendum viciniores, adeóque promptiores, egerint? nullibi invenio.

Idem Proceres Regni faciunt.

MS. Anon. Prag. Litomiſl. VVrzeſov. Codicilli.

Seditioſorum clades.

Rex ad comitia Bohemorum,

Moravos proceres mittit legatos, *MS. Anon. Prag.*

ut Status in concordiam reduceret:

Anno 1515. *VVladislaus,* ut controverſiam inter Nobilitatem & Cives in Bohemia componeret, comitia Regni indixit, pro Feria II. poſt Dominicam I. Quadr. ad quæ legatos poteſtate ſufficienti inſtructos miſit, *Carolum Ducem Münſtrb. Henrici filium, Joan. â Pernſtein Camerariũ* ſimul & *Pro Capitaneum Morav.* poſt *Mezerziciũ* præterito anno defunctũ; *Joan. â Zierotin, Burianũ de Waldſtein, & Ulricũ de Kaunicz,* ſpectatæ authoritatis & pruden. viros. Diſputatum diu multúmq;: ac ultimò propè erat, ut partes convenirẽt inter ſe, civibus æquas bonáſq; conditiones â legatis tanquam arbitris propoſitas haud aſpernantibus; niſi tumidiores quidam ex Baronibus, talia adjici im-

importunè flagitâſſent, quæ alteri parti non modò ardua nimis, ſed prorſus intolerabilia videbantur: ac inter alia, *ut Cives in obeundis publicis Regni negotijs, nihil deinceps commune haberent cum Baronibus & Equitibus*; quod ſanè Civibus acceptatu prædurum fuit. Hinc infectis rebus diſceſſum, & concordia tantoperè expetita, nulla: odia potiùs majora inde exarſerunt utrinq; non ſinè gravi perturbatione Reipublicæ.

ſed fruſtrà.

Meliori eventu ceſſit *conventus Viennenſis*, Maximiliani Cæſaris, ac trium Regum *VVladislai & Ludovici Hungar. Bohemiaq;* & *Sigismundi Poloniæ*: cui etiam interfuerunt, Nuncius Apoſtolicus Epiſcopus Feltrenſis, duo Cardinales *Thomas Strigon. & Matthæus Ep. Gurçenſis*, legati Regum Hiſpaniæ & Angliæ, *Chriſtophorus Archi-Ep. Bremenſis* è familia Ducum Brunſvic. *Wilhelmus Bavariæ Dux*, alijque Epiſcopi, Prælati, Principes ac viri Nobiles, ex univerſa Germania, Bohemia, Polonia, Hung. & alijs Regnis ac provincijs vicinis.

Conventus Viennenſis;

Iſthv. lib. 6. Decius de tēp. Sigiſm. Sambuc. Cu- ram.

Actum in eo præcipuè, ut cœpta jam pridem ſuperioribus annis, & proximè per *Joannem* olim *Ep. Warad.* magna ex parte tranſacta affinitatis pacta, bono fine terminarentur: quod & factum.

in quo pacta connubialia actu ipſo firmantur:

Die XXII. Julij, convenerant omnes in templo S. Stephani; ubi Cardinalis Strigon. *Mariam Cæſaris ex Philippo filio neptem, Ludovico Wladislai filio* ritè deſponſavit: viciſſim Cæſar *Carolo*, aut certè *Ferdinando*, alteri ex nepotibus, ejuſdem Philippi filijs, *Annam Wladislai filiam* ſe in matrimonium collocaturum conceptis verbis repromiſit; eâ pactâ utrinque lege, *ut Regnum Hung. ſi ſtirps Ludovici, uti evenit, interiret deficerétque, ad eum Cæſaris nepotem, qui Annam ducturus eſſet, eorúmque liberos, certo juris hæreditarij nomine recideret.*

VVladislaus filiam Annam Cæſaris nepoti deſpondet:

viciſſim Cæſar Ludovico Regi, Mariam neptem ſuam in uxorem tradit.

Fusè hunc conventum deſcribit, *Cuſpinianus* rebus omnibus præſens, *Iſthvanffi, Sambucus, Daubravius*; ſed omnium fuſiſſimè quidam Bohemus Anonymus, quem puto *Ladislai Sternbergij Regni Bohemiæ Cancellarij*, ibidem quoque præſentis, ſcribam fuiſſe; hominem, ùt apparet, valde accuratum; qui *Cuſpiniano* longè explicatiùs, rerum ſingulis diebus geſtarum *Diarium*, quod habeo, conſcripſit.

MS. Anon. in Archiv. Capit. Prag.

Finito conventu *VVladislaus* cum Ludovico in Hungariam, *Sigiſmundus* per Moraviam & ſuper. Sileſiam, in Poloniam redierunt: *Anna* apud Cæſarem relicta, ut ſimul cum *Maria* educaretur, moréſque & linguam Germ. addiſceret. *Tam verò in tranſitu, quàm in reditu* (verba ſunt Daubravij) *Sigiſmundus, in Moravia à Stanislao præſule hoſpitio exceptus eſt, cum frequentiſſimo Procerum & ornatiſſimo comitatu; primùm Kremſirij, dein VViskoviæ: atque in utroque loco, quàm hoſpitaliter? nullius tantum valeat teſtimonium, quantum ipſius Regis ingenuè fatentis: à Vienna uſque Krakoviam, à nemine quoquam ſe lautiùs liberaliùsque tractatum fuiſſe, quàm ab Epiſcopo Olomucenſi.*

Epiſcopus Olom. Sigiſmundum Regem Polon. lautiſſimo excipit hoſpitio Kremſirij & VViskoviæ.

Daubr. lib. 31.

Budam reverſus *VVladislaus* non diu ſupervixit; brevì enim, lentâ primùm febre, deìn acerbioribus podagræ doloribus correptus & confectus, noctè diem 13. Martij antecedente, anno 1516. ætatis verò 62. piè in Domino obijt: cùm paulò antè literas *à Leone X. Pont.* accepiſſet, de pace vel inducijs cum *Selymo Turcarum Imp.* à quo de ijs ſollicitabatur non contrahendis; promiſſo ſuo, ac cæterorum Principum auxilio. *Alba* in conditorio Regio ſepultus.

VVladislaus moritur.

extat apud Bemb. lib. 12.

Digitized by Google

Daubr. cit.

ejus virtutes, ac imprimis pacis ſtudium;

Daubravius in eo commendat *pietatem ſummam, clementiam ſingularem, amorem in ſubditos, civilitatémque inſignem, mirificam ab alieno abſtinentiam, & pacis ſtudium incomparabile*: cujus ità deſiderio flagrabat, ut quoties vel cubitum iret, vel ê lecto ſurgeret, nulla ejus vox alia priùs audiretur, niſi: *da pacem Domine in diebus noſtris.*

pro qua aſſiduò Deum orabat.

Et reverà tranquillæ utcunque res per Hungariam à Turcis fuêre, eo regnante: qui *Hungariæ Regnum* eodem in ſtatu, quo illud *à Matthia* acceperat, ſalvis confinijs, integrum reliquit; id quod multi ejus precibus tribuebant, quibus exauditis *Divina Majeſtas*, hoſtium potentiſſimorum, tam *Bajazetis*, quàm poſtea *Selymi* mentem aliò averterat.

Vitia ejus:

Regni negligens:

rerum ſuarum incurius:

Improbat autem, ſicut & alij plures: quòd lentus tardúſque in regendis populis, & rerum ſuarum valde incurius fuerit, & Regni negligens, ità ut diſciplinam militarem Majorúmque hac in parte inſtituta, parùm vel nihil duceret; nec Procerum diſcordias ac avaritiam, potentiorúmque in miſeros violenta imperia, aliáſque tales longâ pace & ocio, ejúſque præſertim nimiâ indulgentiâ, enatas malorum radices extirparet, aut pleroſq; eorum inſolentes, compeſceret; ſed potiùs eis ad exercendum omne genus avaritiæ libidinúmque & rapinarũ frenos laxâſſe cenſeretur.

in largiendo nimis liberalis, ac prodigus:

hinc ad ſummam quandoque egeſtatem redactus.

Inſuper ad largiendum ſinè modo profuſus, facilè petentibus ad omnia annuens, & regios proventus, oppida, arces, vectigalia híſque ſimilia, diſſipans ac diſpergens, adeò ut in Moravia nullum penè ampliùs cenſum habuerit, in Bohemia tenuiſſimum: quandoque in tantam redactus penuriam, ut pro prandio vini hauſtu eguerit. *Videram Budæ*, narrat Daubravius, *quando miniſtri aulici, cum aliquot lagenis vacuis, ad domum Georgij Ep. Quinque Eccl. currerent, vinum pro Regis prandio impetratum. Interrogat Epiſcopus, an vinum in arce non haberent? nè ullum quidem obſonium, reſpondent.*

Bona Eccleſiaſtica multa abalienavit,

Facilè aſſentiendo, ea petentibus.

Præter bona regalia, etiam Eccleſiaſtica quàm plurima, jam antea quidem, partim *à Conrado Archi-Ep.* in hæreſim prolapſo, partim *à Sigiſmundo & Georgio Regibus* alienata, ſed ad præfinitum tempus, brevì ad priſtinos Dominos reditura; ille perſvaſus facilè, denuò abalienavit, & quædam in longius tempus, alia in hæreditatem prorſus tranſcripſit, nunquàm deinceps ab Eccleſijs recuperanda.

Pernſteinij inde facti divites.

MS. Anon. Litomiſsi. Notata diverſa in Archiv. Pernſt.

Pernſteinij certè hinc vel maximè acceperunt divitiarum ſuarum incrementa: in Moravia, ex monaſterijs *Trebitenſi, Proſtiegov. Daubravnic. Oslovan. Daleſſicenſi.* In Bohemia; *Oppatovicenſi, Sezemic. Gezborzic.* w Pardubicích. Alij ex alijs. *Serâ deinde pœnitentiâ ductus*, ùt refert Daubravius, *in ultimo tandem vitæ actu, omnes ejusmodi iniquas largitiones extortas, voce ſcriptóque revocavit; ſed poſt mortem parùm valido.*

Permiſit quoque Statum Eccleſ. excludi ab actibus Regni publicis:

pag. 774.

Paſſus prætereà eſt, (quod mirum) *Statum Eccleſiaſticum* ſemper antehac cæteris eminentem & primum, in Moravia uno gradu detrudi, Baronibúſque poſtponi; in Bohemia verò penitùs loco moveri, & â conſilijs, ſeſſionibus functionibúſque publicis excludi: quod ſub *Georgio Rege utraquiſta* tentatum quidem fuiſſe legitur, ſed non factum. Suprà vidimus, quo ordine poſuerit Status Moraviæ, *Dux Victorinus*, quando *ad Matthiam Regem* ſcripſit: *Ex mandato Sereniſſimi Regis Boh. Domini noſtri gratioſiſſimi, Brunam venimus*

Digitized by Google

mus, & Dominos Prælatos, Barones, Milites cateráſque Communitates Marchionatûs hujus Moraviæ, his diebus ibidem habemus nobiſcum conſtitutos: de quorum conſilio &c. Et rurſum: *Volumus præterea, & nos DD. Prælatos & Barones Marchionatûs hujus, literis, ad nos ut veniant, requirere, eorúmq; conſilium poſtulare.* Ipſemet quoque *Georgius*, in literis ad Pium II. datis: *caſtrum prædictum* Czorſtein *expugnamus, aſſiſtentibus nobis Prælatis, Proceribus & alijs Nobilibus dicti Marchionatûs.* Similiter circa Status Bohemiæ, quotiescunque illorum mentionem habuit, ſive in decretis reſcriptiſque regiis, ſive in literis ad Reges aut Principes datis, ſemper Prælatos primo loco poſuit. Etiam in Appellatione illa, cujus ſupra meminimus; in cujus inſtrumento Notariorum publico, leguntur primo loco: *Hilarius Decanus, VVenceslaus Krzizanovvsky Canonicus Eccleſiæ Prag. Joannes Abbas Strahov. Paulus Præpoſitus Zderazenſis*; deinde *Magnifici, Nobiles & Generoſi Domini, D. Leo de Rozmital ſupremus Regni Præfectus, Henricus de Michalovicz. ſupr. Camerarius, Procopius de Rabſtein Cancellarius, VVilhelmus de Rizmberg & Rabi, Joannes de Kolovvrat & de Bezdruzicz, Slavata de Chlum & Koſſmberg Magiſter Curiæ Regalis, Joan. de Kolovvrat & de Czebrovicz, Borzita de Martinicz Capitaneus Caſtri Pontenſis, Zbyn[illegible] de Kolovvrat & in Kornhaus, Joannes de Raupovv, Nicolaus Strzela de Rokycz*, & quidam alij. Pluribus id oſtendere poſſem, *Statum Eccleſiaſticum in Bohemia & Moravia, inter Ordines politicos fuiſſe ſemper primum*, ſi locus eſſet. Bohemorum & Moravorum exemplo, etiam Hungari eâdem bonitate Regis abuſi, volebant domi ſuæ, Statum Eccleſiaſticum â conſilijs Regis, munijsque publicis excluſum: ùt videre eſt apud *Petrum de Reva*, & alios. Sed reſiſtentibus Archi-Epiſcopis, Epiſcopis, alijsque Prælatis, júsque ſuum, quod â Majoribus accepiſſent, fortiter defendentibus, ac potentiâ validis, nihil factum.

cùm tamen antehac ſemper Status ille cẽſeretur,

Pag. 778.

& eſſet inter Politicos Ordines,

tam in Moravia,

pag. 799.

quàm Bohemia primus:

id quod exemplis oſtenditur.

Petr. de Reva Comes Turot. de Sacra Coron. centur. 6. MS. Eliæ Peregerin Chronol. Hung. ad an. 1491. & ſequ.

Nuncio de morte Regis Pragam allato, tota *Triurbs* magno in luctu fuit, verita, nè interea dum Rex juvenis adoleſceret, per novos Regios miniſtros, quibus privata commoda publicis potiora eſſent, & qui fraude ac malis artibus Regnum prædæ loco haberent, aut alio quocunque caſu, Reſpublica inſigne aliquod detrimentum, ùt *in Interregno* fieri quandoque ſolet, acciperet: præſertim controverſiâ inter Nobilitatem & Cives non dum compoſita. Feriâ II. poſt *Dom. in Albis*, Regi defuncto parentatum fuit juſtis funebribus in *Templo Metropol.* & in omnibus per Pragam Eccleſijs Parochialibus; ſed nullibi majori & exquiſitiori pompâ, ſicut in *Urbe Veteri*, in templo *Teynenſi*, volente ſic & impenſas procurante Magiſtratu civico. Omnia autem peracta ſunt ritu Catholico, præmiſſis pridie Vigilijs defunctorum, & Divina in Pontificalibus adminiſtrante *Abbate Slovanenſi*, ad hoc ſpecialiter â Magiſtratu requiſito. Totum id peculiari libello, qui mihi præ manibus eſt, deſcribit *M. VVenceslaus Albus*, ſupremus tunc in Senatu ſcriba; ſed quòd hoc loco referre longum eſſet, atq; etiam impertinens. Ad finem properemus.

qui proſe citat Abbat. Tuber.

Regi mortuo juſta funebria peracta Pragæ;

omnium autẽ ſolenniſſimè in Veteri Urbe in templo Paroch. Teynæ.

Hagek Kathen. ad an. 1516. MS. VVenc. Albi, ſcript. coævi.

CA-

CAPUT VII.

Ludovici regimen, progreſſus, & miſerabilis in prælio cum Turcis geſto interitus.

Ludovici Regis tutores & educatores.

Iſthv. lib. 6. Theobald. par. 3. cap. 33. Vapov. Curaus. Boregk.

MOrtuo Wladislao ſucceſſit in utroque Regno filius juvenis, annum ætatis tum agens decimum, *Ludovicus:* cujus educationem pater moriens commiſerat *Thomæ Cardinali Strigon.* & *Georgio Marcb. Brandeb.* ſororis filio, *Joanni* item *Bornemiſſa,* exactæ ætatis & prudentiæ ſeni; ſupremam verò tutelam *Maximiliano Cæſari, & Sigiſmundo Regi* tanquàm patruo, donec ætas ipſius firmando imperio maturior redderetur. Initia Regni habuit in Hungaria utcunque turbulenta, occaſione inſtituendi novi regiminis. Quidam enim ê proceribus *Gubernatorem* eligendum cenſebant, qui *Joannis Corvini* exemplo, Rempublicam, uſque ad Regis adoleſcentiam, domî foriſque curaret; & hi *Joannem Comitem Scepuſ. VVeivodam Tranſylv.* cui impensè favebant, haud obſcurè pro hoc officij munere adminiſtrando deſignabant. Alij, quibus pueri Regij cura potior erat, & qui probè noverant, conſilia ejusmodi in promovendo Comite, non aliò tendere, niſi ut eidem ad conſequendum ſuo tempore Regnum viam præſtruant, *Palatinum* potiùs, in *Emerici Pereny* nuper defuncti locum, creandum ſvadebant; quòd ità Regi ſumma poteſtas imperij ſalva & integra maneret; non verò, ſi *Gubernator* ſummo cum vicariæ poteſtatis jure conſtitutus eſſet. Diu multúmque ea de re diſputatum fuit: ultimò cùm etiam *Bohemi, Moravi & Sileſij,* qui circa Regem verſabantur, in conſilium vocati, idem de Palatino potiùs quàm de Gubernatore conſtituendo ſentirent, *Stephanus Bathori* vir probatæ fidei *Palatinus* declaratur, uno Regis & Senatûs Nobilitatíſque conſenſu: ringentibus licèt Scepuſianis, qui repulſam ægerrimè ferebant; tum etiam ipſomet Comite, qui indignabundus Budâ diſceſſit.

Initia Regni turbulenta, Gubernatoris conſtituendi causâ: eóque rejecto, Palatinus cōſtituitur, manente apud Regem imperij ſummâ.

Ferunt *Ludovicum,* cùm tam frequenter â ſuis audiret nominari *Gubernatorem,* quæſiviſſe quâdam vice â Cardinali, *ecquid hoc nominis eſſet, aut quid poteſtatis haberet talis?* cui cùm reſpondiſſet, *tantam habere, ut toti Regno & Regi imperare poſſit,* repoſuiſſe: *qualis ergo Rex ego futurus? picto ſimilis, qui nihil imperare valeam?* addidiſséque: *talem ego ferre, nullâ ratione poſſum.* Et tunc dixiſſe etiam Cardinalem: *dabitur opera, nè & nos illum feramus.* Ex quo apparet, â teneris enituiſſe in puero regiam indolem: quæ ſi debitè exculta fuiſſet, in egregium ille Principem, & optimum Regem evaſiſſet. Sed â *Georgio Marcb.* qui quòd conſanguineus eſſet, jus educationis ipſius majus præ alijs ſibi arrogabat, â ſerijs & bonis principijs, ad vana & ludicra, quibus pueriles animi facilè capi ſolent, avocatus abſtractúſque, munia Reip. ità neglexit, ut omnia, etiam conſultationes de Regno graves, ordinandáſque res alijs tantùm committeret; ipſemet de his ſubinde nec audire vellet: *adeò â teneris aſſveſcere multùm eſt.*

Regis indoles:

Daubr. lib. 33. Reva cent. VI.

quæ utinam meliùs exculta fuiſſet!

Iſthv. Daubr. cit.

Virg. Georgic. lib. 2.

At

At verò in Bohemia, jurgia domeſtica, præter omnium expectationem ceſſârunt, & turbæ inter Nobilitatē & Cives, quæ vivente Rege urgenteq; componi non poterant, & quæ mortuo illo multò acerbiùs exarſuræ putabantur, ſingulari benignitate & clementiâ fati, itâ ſenſim defervuēre, ut ad extremum *pactis Svvato-VVaclavianis*, quorum ſuprà meminimus, intervenientibus deſierint in perpetuam pacem. Scriptor coævus, & eorum etiam pars aliqua, ùt animadverto, refert plurimum operæ impendiſſe hac in re, *VVilbelmum â Pernſtein, Adamum de Novadomo, & VVenceslaum Koſſatecky de Kolovvrat*; addit tamen de primo: *ſicuti fuerat ab initio horum malorum potiſſimus autbor, quem omnium primum ex Baronibus, cauponatione, alioque id genus queſtu rem familiarem augere non puduit; ità poſtmodùm agere & ſollicitari non deſtitit, donec utramque partem ad tolerabiles conditiones perduxit, ac feliciter compoſuit.* Ità ille. Reſtabant latrocinia ſiſtenda, quæ denuò paſſim exurgebant, non viatoribus tantùm, ſed & ditioribus pagis atque caſtellis valde infeſta: præſertim cùm etiam viri Nobiles, prout antea ſæpe, poſthabitâ æqui honeſtiq; ratione, & ipſo generis ſui ſplendore, perditiſſimis quibuſque hominibus, rapto duntaxat vivere aſſvetis, ſeſe adjunxiſſent; ijſque etiam arces ſuas, *Waldek, Janovicze, Kalenice, Daubravice*, & alias plures, ut haberent, ubi latitarent, & quò ſe in neceſſitatis caſu reciperent, ceſſiſſent. Nec *Moravia* ab hoc maleficentiſſimo hominum genere immunis fuit, qui vel maximè diſtrictus *Olomucenſem & Brunenſem*, excurſionibus & rapinis infeſtos reddebant; uſque adeò, ut commeantibus ex Bohemia & Sileſia, ſeu *Olomucium*, ſeu *Brunam*, aut alia in loca, tranſire non licuerit, nisì ſimul multis, ac benè armatis; & interdum adhuc vix ſufficiebant ad reſiſtendum. Operam quidem adhibebant diligentem utrobique, tam in *Bohemia*, quàm *Moravia* Proceres, ut flagitioſiſſimos homines ſtirpitùs exſcindere poſſent, aut ad minus avertere, nè pro libitu, quâ vellent, ſummâ licentiâ & impietate graſſarentur: ſed adeò erant frequentes & quaſi redivivi latrones, ut uno vel altero manipulo repreſſo, vel eorum latebrâ captâ & dirutâ, mox alio loco, aliâ regionis parte, alij æquè impij & malefici emergerent, & conſveta latrocinia in obuios quoſvis, majore adhuc crudelitate exercerent. Nec nisì quinto pòſt anno, ſub adventum *Ludovici Regis in Moraviam, ac inde in Bohemiam*, latrocinia hujuſmodi potuēre ſiſti; de quo paullo poſt.

Concordia inter Nobilitatem & Cives in Boh.

Smlauwa Swato-Waclawſká.

Hagek. MS. Anon. Prag. ad an. 1517. Theobald. an. eod. Daubr lib. 33. VVeleslaſ. ad diem 6. Octob.

Latrocinia denuò exurgũt in Boh. & Moravia;

MS. Anon. Prag. Anon. Litomiſſl.

quæ cum difficultate poterant impediri exterminariq;

propter multitudinem;

& quia latibula habebant expugnatu ardua.

Regiâ poteſtate, Regníque adminiſtratione *Ludovico* permiſsâ ab Hungaris, miſſi ſunt legati in Bohemiam, qui Statibus comitia tunc Pragæ celebrantibus, hoc ipſum referrent, hortarentúrque, ut pari promptitudine idem præſtarent. Quod factum anno 1517. binis vicibus: atque iterum anno ſequ. menſe Septembri; quo tempore princeps legationis fuit â Rege miſſus, *Joan. â Zierotin Baro Moravus*, in rebus politicis magni usûs & conſilij vir, & Bohemis oppidò gratus. Nec Bohemi habebant circa hoc difficultatem ullam; tantummodò Rex in Bohemiam veniret, & priùs juramento, pro more Majorum, ſe obſtringeret, leges ſe patrias Ordinibus, morésque jura & privilegia ſervaturum: hoc ſi fiat, fidem ſe ei quoque daturos, Regníque guberna-

Legati in Bohemiam miſſi, quorum princeps

Joan. â Zierotin Baro Morav.

gerunt Ludovico Regi gubernacula Regni tradi. Non recuſant Bohemi: mo-

dò Rex priùs in Boh. veniat, & conſvetum juramentum præſtet.

cula libera, nec ullis gubernatorijs legibus circumſcripta tradituros promittebant. Id verò quùm fieri tam citò non poſſet, Regni adminiſtratio penes Proceres manſit. Offerebant tunc Hungari, *Moravis & Bohemis*, ſua auxilia ad compeſcendos latrones; jámque deſtinati erant *Epiſcopus Nitrienſis, Ladislaus Orczag, Michaël Podmanicius*, paulò ante incola Moravus, *Chriſtophorus Comes Boſinienſis*, alijque viciniores Moravis, ut in omnem eventum vocati, cum ſuis copijs præſtò eſſent. Quibus reſponderunt illi: auxilijs externis ſibi non eſſe opus, tantum adhuc virium habentibus, ut maleficia ejusmodi coërcere, ijsque modum imponere valeant.

Iſthf. lib. 6. MS. Anon. Prag. ad an. 1518. Hagek an. eod.

Nova conſilia de bello Turcis inferendo.

Anno 1518. *Maximil. Cæſar* conventum egit poſtremum, & eum quidem frequentiâ Principum celeberrimum Auguſtæ: in quo de bello Turcico actum. Nam *Selymus*, Regno *Sulthanorum Ægyptiorum*, ſeu *Mamalucorum* ſuam in poteſtatem redacto, & *Perſarum* quoque Rege multùm repreſſo, ac nullo ampliùs in Oriente hoſte reliquo, maximum *Hungariæ populis*, nec non *Italis, Bohemis atque Germanis* terrorem incuſſerat, metuentibus nè is rerum & tot victoriarum ſucceſſu ferox, vim deinde belli totam, in Evropam transferret. Aderat etiam Legatus Pont. Leonis X. *Thomas de Vio Cajetanus Cardinalis Ord. Præd.* qui Eccleſiæ theſaurum omnem in id bellum obtuliſſe dicitur. Verùm paulò poſt *Selymus*, gravi morbo correptus, inter ingentes belli apparatus, vitâ exceſſit; cujus mors ſanè opportuna & Chriſtianis omnibus gratiſſima accidit. Soluto conventu Auguſtano, Cæſar profectus *Oenipontum*, lentâ febri tentari cœpit: quam ut ſoli cœlique mutatione, aut ipſo itinere diſcuteret, ſecundo amne in Auſtriam deſcendit; cúmque *VVelſium* divertiſſet, accedente ex immoderato malopeponum eſu, alvi profluvio, expiravit, pridie Idus Jan. anno 1519. *plenus inſignium in Imperium, rémque Catholicam meritorum.* Ejus obitum cùm primò fama, deinde frequentes nuncij in Bohemiam, tum *ad Ludovicum* in Hungariam pertuliſſent; poſtremò ex litteris *Archi-Ep. & Electoris Moguntini*, cujus propriè in convocandis Rom. Imp. Electoribus, eligendi novi Cæſaris causâ, præſignificatâ Anteceſſoris morte, officium eſt, certiùs cognitum fuit.

Goldaſt. Conſt. Imper. tom. 1. Bemb. Epiſtol lib. 14. & ſequ.

Selymi Turcarum Imp. mors, opportuna & grata Chriſtianis, an. 1520.

Maximil. Imp. obitus, an. 1519.

Gerard. de Roo in Hiſt. Auſtr. lib. 11.

Electio novi Cæſaris inſtituitur:

Hærèbat aliquandiu *Moguntinus* (ut id pro directione in futurum, paucis attingam) dubius, quemnam Regis Bohemiæ tum adhuc minorennis locò, ad Electionem vocare deberet? *Aurea* namque *Bulla*, ùt vocant, *requirit in Principe Electore, ad hoc, ut jus, vocem & poteſtatem habeat Cæſaris eligendi, decem & octo annos ætatis completos:* Ludovicus verò, tum primò annum ætatis decimum tertium agebat; ſed neque adminiſtrationem Regni, imò nec poſſeſſionem veram ac realem, quam prætacta *Bulla* pariter exigit, habebat. Certum quippe eſt, jura Electoralia non eſſe perſonalia, ſive ad perſonam coronationémque tantùm reſtricta; ſed eſſe prorſus realia, id eſt, â poſſeſſione, dignitate, ipsáque Regni & vera gubernatione, inſeparabili nexu dependentia: támque validis adſtricta vinculis, ut ſalvis fundamentalibus Imperij legibus, extra veram, præſentem ac realem poſſeſſionem, illis nemo uti frui poſſit. Et quamvìs *vigore ejusdem Bullæ*, permittatur, ut proximus ex agnatis

dubitatum, quis locò Regis Ludovici tunc minorennis, vocari deberet ad Electionem?

an Sigiſmundus Rex Pol. tanquàm patruus & tutor?

tis tutor Regis exiſtens, in tali caſu, vices ejus, *quà Electoris*, ſupplere poſſit ac valeat; unde *Sigiſmundus Rex Poloniæ, Ludovici patruus & tutor*, jus & vocem electionis, ipſius locò, haud vanè prætědebat: quia tamen, qui tutor Regis eſt, ſimul & Adminiſtrator Regni actualis eſſe debet; *Sigiſmundus* autem nullam penitùs adminiſtrationem Regni Boh. geſſit, (taceo, quòd extraneus fuerit) admitti ad Electionem non potuit.

vel iis, qui Regnum actualiter adminiſtrant? *Aurea Bulla cap 7. ubi conſulendi Interpretes.*

Poſt multa igitur in deliberationem accepta & diſcuſſa, placuit ultimò & Regem, licèt in minoribus adhuc conſtitutum, & poteſtate regiâ carentem, ſed tamen jam Regem coronatum, & *Ordines Regni*, tanquàm *Regentes* vocare ad Electionem, cum expreſſo: *præſentibus intimamus, Vosque ex officij noſtri debito, ad Electionem præfatam ritè vocamus: quatenùs legales nuncios, ſeu Procuratores, unum vel plures ſufficienti mandato inſtructos, pro die 17. Junij, Francofurtum ad Mænum, venire curetis, deliberaturos cum alijs Comprincipibus & Coëlectoribus, de electione futuri Regis Rom. in Imperatorem poſtmodùm favente Domino promovendi; in eodem manſuros uſque ad plenam conſummationem Electionis bujusmodi. Aliàs non obſtante veſtrorum abſentiâ, in præmiſſis, unà cum alijs Coëlectoribus, prout legum ipſarum ſancivit auctoritas, finaliter procedemus.* Cum patentibus hiſce venerunt â Moguntino nuncij Pragam, die 28. Aprilis, & quæ ad Officiales Regni pertinebant, eas mox die ſequ. admiſſi in Conſiſtorium Regium præſentârunt; juſſique ut alteras quoque ad Regem ſpectantes deponerent, promovendas demum per ipſos Regni Optimates ad Regem, reſponderunt: *ſe quidem non teneri de jure, extra Regnum, ad Regem abſentem hoc in negotio excurrere, eique perſonaliter litteras intimationis tradere; interim tamen honoris gratiâ, minùs verò ut exinde inferatur conſequentia, contra quod proteſtarentur ſolenniter, ſeſe paratos eſſe, ſi opus ſit, ulteriùs ad Regem ipſum continuare iter.* Mutato deinde conſilio, & difficultate longinquitatéque itineris absterriti, manſerunt Pragæ: & Proceres Regni acceptas ab ipſis litteras, Budam, *per VVenceslaum de Raupovv, & Jaroslaum VVrzeſovecz* miſerunt; ſimul & quid hac in gravi cauſâ faciendum foret, Regem & Conſiliarios ipſius edocuerunt. Conveneruntque unanimiter in *Ladislao â Sternberg ſupremo Regni Cancellario*, viro inſigni & docto, prudentiæque ſingularis, ad hunc Electionis actum mittendo; cui poſtmodùm additi ſunt collegæ duo; dataque *Inſtructio*, cum plena & omnimoda poteſtate, juxta formam procuratorij in *Aurea Bulla* præſcriptam, *omnibus & cuilibet in ſolidum*, ad eligendum, Regis & Regni nomine, Regem Romanorum.

vocatur tandē Rex ſimul, & Optimates Regni,

tanquàm adminiſtratores.

MS. Anon. Prag. ad an. 1519.

nuncij eâ de cauſa â Moguntino miſſi Pragam veniunt,

Proceres Regni literas intimationis ad Regē mittunt.

Legati ad electionem Cæſaris â Rege ſimul & Ordinibus Regni mittuntur.

Jam legati diſponebant Pragâ abitum, dum alij *â Sigiſmundo Rege Pol.* miſſi *Francofurtum*, ut ſuo, tanquàm legitimi tutoris & agnati nomine electioni novi Cæſaris intereſſent, *Pragam* ex itinere divertunt. Id Bohemos Proceres non parùm offendit, quòd ille jus eligendi Cæſaris ſibi arrogaret, cùm non niſi nudum nomen tutoris gereret; jus verò *Electorale* actualem inſuper Regni gubernationem, quam ille non habebat, præſupponeret. Igitur utrique *Francofurtum* conceſſerunt: ubi controverſiâ ea de re, *in Collegio Ele-*

Mittit & Sigiſmundus nomine tutorio, ſuos ſpeciales.

Hinc controverſia inter utroſq; orta:

quam Collegium Electorale cõponit,

Electorali motâ, diúque agitatâ, ultimò pro Regni Ordinibus, ceu veris Regni Adminiſtratoribus, deciſum fuit. Legati *Sigiſmundi* rejecti; & *Bohemorum*, ad actum electorium admiſſi. Aliquid eorum inſinuat *Goldaſtus* in Commentarijs de Regni Boh. juribus & privil. *In Electione*, inquit, *Caroli V. Imp. procuratores Bohemorum fuiſſe tam à Rege, quàm ab Regni Ordinibus & Regentibus conſtitutos, neglecto Sigiſmundo Rege Pol. Ludovici minorennis Regis patruo & tutore, acta ejus Electionis oſtendunt.* Et iterum: *Quid ergo ſtatuemus juris certi eſſe, ſi Rex impubes & minorennis ſub tutela & cura conſiſtat? num patruus, vel agnatus proximus tutorio nomine admittetur, an Ordines vel Regentes Regni? Et pro agnato tutore, decidit Aurea Bulla, ſi habeat adminiſtrationem: ſin minùs, pro Ordinibus militat deciſio Electorum an. 1519. facta pro Regni Ordinibus, contra Sigiſmundum Regem Pol. patruum & tutorem legitimum quidem, ſed curâ & adminiſtratione Regni deſtitutum, ùt modò diximus.* Et quia in conclave Electorum ad ſeſſionem & vocem ferendam, ex legatis, dum plures mittuntur, admitti non ſolet, nisì unus; ex Bohemis ad hunc electionis actum miſſis, adhibitus eſt ſolus *Ladislaus à Sternberg*, cæteris collegis amotis; id quod & deinceps in alijs obſervatum legimus: in electione *Matthiæ Imp.* anno 1612. ubi Electoris Brandeb. nomine, ſolus *Adamus Gans, Baro de Putlicz*; & in electione *Ferd. II.* anno 1619. Palatini nomine ſolus *Joannes Albertus Comes Solmenſis*; Saxonis, ſolus *VVolffg. Comes Manſfeldius*; Brandeburgi, ſolus idem *Baro Putliczius*: & nuper in electione Leopoldi I. anno 1658. Colonienſis locò, ſolus *Franciſcus Comes à Fürſtenberg*; Brandeburgi, *Joannes Mauricius Princeps Naſſav.* Bavari, *Hermannus Comes à Fürſtenberg*, admiſſi fuerunt. Sed ad inſtitutum, *à toga ad ſagum*.

& Ordinibus Regni Boh. jus & vocem in Electione adjudicat.

Gold. in Com. de jurib. & privil. Regni Boh. l. 3. c. 6. §. 23. & ſequ. Protocoll. Elect. Caroli V. quod refertur in Politiſchen Reichs-Händlen *part. 1. c. 5. tit. 19.*

Non tamen eſt, nisi unus ſolus, nempe *Ladislaus à Sternberg*, ad actum electionis adhibitus: prout fieri ſolet.

Auditâ *Selymi* morte, Hungari & vicini populi, magno perfuſi ſunt gaudio, tum quòd ſublato formidabili & Chriſtiano nomini infenſiſſimo hoſte, ſoluti viderentur terrore ejus armorum; tum quòd *Solymanum* filium relinquêret militari diſciplinâ, bellicisque rebus parùm inſtructum, & mitiori ac placido, uti ferebatur, ingenio, literis potiùs, quàm militaribus exercitijs dedito. Qua tamen in re, quantùm decepti fuerint, partæ poſtmodùm ab eo tot inſignes victoriæ, fuſi fugatique Chriſtianorum exercitus, occupatæ Urbes, redactæ ſub jugum inſulæ, adjectæ imperio ejus provinciæ, imò Regna integra, magno ſanè Reipubl. ac religionis Chriſtianæ damno, palàm oſtenderunt. Primum, quem ab eo ſenſimus nobis illatum gravem ictum, & quod etiam erat primum ipſius bellicorum operum, fuit *Belgradum* captum, anno 1521. *Syriâ* namque & *Ægypto* pacatis, arma in Hungariam vertit, & redacto in poteſtatem *Sabacio*, copijsque univerſis per *Savum* transmiſſis, ac nemine reſiſtente, vim omnem *Belgrado*, firmiſſimo totius Hungariæ & finitimarum partium propugnaculo, à cujus oppugnatione, ùt ſupra narravimus, & *Amurathes ejus abavus*, & *Mahometes proavus*, magnâ acceptâ clade repulſi diſceſſerant, admovit: & poſt bimeſtrem obſidionem expugnavit, 21. Sept. Hungaris & alijs vicinis lentè nimis ad ferenda auxilia obſeſſis accurrentibus. Emiſerat quidem mandata Rex per provincias Regni, ut omnes & ſinguli

Selymo defũcto, ſuccedit Solimanus filius:

magno Reip. Chriſtianæ, ac imprimis noſtrarum partium malo.

Hic initia regiminis à bello Hungarico auſpicatus,

Belgradum obſidet,

per duos menſes continuos oppugnat, & tandem occupat;

Digitized by Google

guli de Nobilitate arma capeſſerent, & quamprimùm *ad Tolnam* ſub ſignis convenirent, quò & ipſe ſuppetias *Belgrado* allaturus propediem venturus eſſet. *Sed homines Reipub. & Patriæ immemores*, verba ſunt Scriptoris Hung. *potiùs avaritia & ſolita cunctationis ac deſidiæ morbo obnoxij, adeò negligenter ea exequuti ſunt, ut pauci admodùm ex ijs, qui in propinquo habitabant, obtemperarent. Quùm tamen eo tempore, ex Pannonia ſola LX. ampliùs millia armatorum facilè convenire, & in aciem produci potuiſſent.*

Hungaris ſerò nimis auxilia obſeſſis afferentibus.

Iſthũ. lib. 7. Bns rer. Hung. lib. 4. in Ludov. II.

Erat per id tempus miſerabilis profectò ac deplorandus Hungariæ ſtatus, & collabentis jam tum nobiliſſimi Regni multa, eáque haud dubia indicia, quæ animadverti facilè poterant, vel ex ingenti faſtu luxúque Procerum: qui poſthabitâ boni publici curâ, poſthabitis legibus, neglectâque militiâ, privata ſolùm commoda, & avaritiæ ac rapinarum ſtudia conſectabantur; uſque adeò, ut quandoque etiam contemptâ Regiâ auctoritate, mutuis inter ſe armis digladiando, cædibus fortunarúmque direptionibus, hoſtilem in modum graſſari non vererentur. *Nemo*, ùt id deplorat ſupra memoratus domeſticus Scriptor, *ſalutis ac permanſionis Reipub. curioſus erat, nemini civilis concordiæ ſtudium inerat: ſed omnes, (neque ijs, qui Sacerdotij honore cæteros anteeunt, exceptis) libertate & licentiâ laſcivire, diſcordias agere, ſua curare, peſſimis quibusvis ſermonibus aures præbere; denique ocium & luxum cupere, diſciplinam & laborem aſpernari.* Addo ego: futura belli non proſpicere, arces finitimas, præſidia, militares exercitationes, & quæ tuendo Regno erant neceſſaria, neglectui habere. Quæ omnia vergebant manifeſtè ad certum eumque proximum Regni interitum.

Miſerabilis in Hungaria rerum ſtatus ruinæ Regni proximus.

Iſthũ. cit. Bns rer. Hung. cit. MS. Anon. Litomiſſl. qui ſubinde nominat ſe Bohuſlaum; & ùt reor, Pikardus religione fuit; ſed tamen in ſcribendo accuratus, & ingenuus, nulli, nec ſuis parcẽs.

Et quia hæc, omnium quæ ſequutæ ſunt calamitatum, & quas non tantùm Hungaria, eíque conjuncta Regna, verùm etiam Moravia aliquoties tulit, & quæ eam (utinam falſus ſim vates!) in futurum manent, fuêre & ſunt quaſi ſemina; non erit fortaſſe abs re, hìc referre, (neque enim ſinè uſu fuerit, deteſtanda ejusmodi exempla, ad poſteros transmitti in cautelam,) quod de illorum temporum ſtatu, & de potiſſimis cauſis excidij Regni Hungarici memorat, *Sigiſmundus Baro ab Herberſtein*, vir præſtantiſſimus, & eorum omnium teſtis oculatus. Scribit igitur: *Quemadmodùm Matthiæ Regis virtute, ac rebus præclarè geſtis, Hungaria Regnum ad ſummam potentiam, ipſo vivente, pervenerat: ità eo ſublato, quaſi mole ſuâ laborans, inclinare cœpit. Nam qui eî ſucceſſit, VVladislaus Bohemiæ Rex, Caſimiri Poloniæ regis filius primogenitus, Princeps quidem pius, religioſus, & vitæ inculpatæ, ſed ad moderandam tam bellicoſam gentem, in tanti præſertim hoſtis vicinitate, minimè ſufficiens fuit. Etenim tot rebus ſecundis ferociores & inſolentiores facti Hungari, benignitate & clementiâ Regis abutebantur ad licentiam, luxuriam, deſidiam, faſtum: quæ vitia eò tandem evasêre, ut etiam Rex ipſe contemptui haberetur. Porrò VVladislao defuncto, ſub ejus filio Ludovico, cùm hæc ipſa vitia magis ac magis invaluêre; tum, ſi qua reliqua fuit belli diſciplina, ea tota eſt amiſſa. Nec potuit Rex puer, his malis ob ætatem mederi: nec alioqui ad eam, quam decebat, gravitatem educatus fuit. Primores Regni, ac præcipuè Prælati,*

Cauſæ excidij Regni Hungarici,

Sigiſ. ab Herberſtein apud Caſpar. Ens, rer. Hung. lib. 4. in Ludov. II.

militaris diſciplinæ negligentia:

Rex imbellis & juvenis:

lati, luxu penè incredibili diffluebant: & certabant, quaſi æmulatione quâdam, tum inter ſe, tum cum Baronibus, ut alios profuſione & ſplendore vincerent. Iidem Nobilitatem, partim beneficiis ac præmiis, partim etiam potentiâ ac metu, ſibi obnoxiam tenebant, ut plures affectatores haberent, ac eorum ſtudiis, & acclamationibus in publicis conventibus juvarentur. *Mirum dictu, quâ pompâ, quo apparatu, ac quibus equitum utriusque armaturæ copiis, Budam ſunt ingreſſi præcinentibus tubicinibus, ad cujusdam quaſi triumphi ſpeciem. Porrò in Regiam cùm irent, aut inde redirent, tanto deductorum & ſtipatorum comitatu undique ſepti incedebant, ut vici & plateæ vix catervam caperent. Cùm verò prandendum eſſet, totâ Urbe, ad ædes cujusque, tubæ non aliter atq; in caſtris reſonabant, & ducebantur prandia in multas horas, quæ ſomnus & quies excipiebant: quùm contra, quaſi ſolitudo quædam eſſet circa Regem; & fines Regni interea deſtituti neceſſariis præſidiis, impunè ab hoſtibus vaſtarentur.* *Epiſcopatûs dignitates, & præcipua quæque officia promiſcuè, non pro meritorum ratione, conferebantur: & quò plùs potentiâ quiſque obtinebat, hoc plus juris habere credebatur.* *Itaque laborabat juſtitia, & premebantur infirmiores: ac omni bono ordine ſublato atque everſo, ſubinde inveniebatur aliquid, quod Reipublicæ labem aliquam cum vulgi detrimento afferret: &c.* *Denique ea erat in univerſa Hungaria omnium rerum inclinatio, vel potiùs confuſio, ut quivis vel minimam experientiam habens, Regnum hoc tot malis obnoxium, etiamſi nullum vicinum haberet hoſtem, mox perire oportere proſpiceret, &c.* *Quod mihi tùm præſagiebat animus, quódque metuebam, nihil proficientibus bonis ac fidis monitoribus & conſultoribus, ingenti noſtro malo evenit: nequedum hujus tragœdiæ finis eſt.* *Aula manſit qualis erat; & nihil remiſſum eſt à pompa, faſtu, inſolentia, ac luxu, donec concideret.* *Ut non ineptè quidam ex Aulicis tum dixerit: ſe nunquam vidiſſe, vel audiſſe, Regnum ullum, quod majore, atque Hungaria gaudio & tripudio periret.* Ità ille: & quòd verè, eventus haud multò poſt monſtravit.

Proceres inter ſe diſcordes, luxui, conviviis, tripudiis & ejusmodi rebus ludicris, magis quàm curâdæ Reip. dediti. Quantus illorum faſtus. Hinc neglectâ boni publici curâ, poſthabitâ quoque juſtitiâ, & luxu iniquitateque prævalente, neceſſe fuit Regnum inclinari prorſus ad interitum: quod etiam paulò poſt factum.

Paulò antequàm *Solymanus* Belgradum obſediſſet, *Ludovicus cum Maria ſponſa*, Ferdinandi I. Archiducis ſorore, & viciſſim *Ferdinandus cum Anna* Ludovici ſorore, nuptias *Lincii* celebrârunt *menſe Junio*; honorifico quidem cultu & lauto, ſed non planè regio, pro temporis turbulentâ conditione, apparatu: ſiquidem jam tum de *Solymani* adventu, certâ exploratorum relatione nunciabatur. Qua etiam de cauſa *Ludovicus* tantò citiùs reditum in Hungariam, ſecundo Danubio, maturandum duxit: & quanquàm adverſâ valetudine ex itinere tentaretur, tamen, prout conſtituerat, *Tolnam*, cum prætoriano ſuo milite, & paucis Proceribus ſe quamprimùm contulit. Licèt in vanum: voluiſſe tamen in Rege annorum quindecim, bellicis curis, & caſtrenſibus laboribus ferendis nondum aſſveto, *non dum indurato Martio pulvere*, multùm fuit. Amiſſo *Belgrado*, & *Solymano*, quòd jam autumnus appeteret, tempus rebus gerendis parùm idoneum, *in Thraciam* revertente, copias quas habebat in opportuna loca vicina, ex quibus in futurum arceri poſſent excurſiones hoſtium, diſtribuit; & cum ſuis, magno dolore, ex adverſo rei ſucceſſu, affectus, triſtisq; totus Budam rediit.

Ludovici cum Maria, & Ferdinandi I. cũ Anna nuptiæ, Lincii, anno 1521. obiter tantùm celebratæ, ob famam Turcarum, Hungariæ imminentium. Ludovicus fruſtrà ſuſceptâ expeditione contra Turcas, Budam triſtis redit.

An-

Anno ſequ. novis Bohemorum precibus, & ſæpiùs repetitis legationibus, motus Rex *Ludovicus*, proficiſci tandem in Bohemiam, unà cum *Maria* conjuge, decrevit: nominatáque profectioni dies 1. Martij. Itinere ſuſcepto, *Brunæ* aliquandiu ſubſtitit. *Polnæ*, quæ prima ab ea parte occurrit Bohemiæ civitas, appropinquanti, (*Iglaviā*, quia *Lutheranâ hæreſi* infectam cognoverat, divertere noluit) Proceres Bohemi, quorum præcipui erant, *Zdenko Leo de Rozmital, Michaël Slavata, Adamus de Novadomo, Joannes de VVartmberg, Henricus Sſvibovsky, Jaroslaus â Schelmberg, Fridericus Burggravius de Donina, Albertus de Kolovvrat, Joan. de VVrtby, Joannes Leskovecz, &c.* ad unum milliare occurrerunt gratulabundi. Qui cùm deinde in ipſo introitu Regni, exigerent juramentum â Rege, pro more, ab eo tempore, quo Reges externi in Bohemia regnare cœpiſſent, uſitato; ferunt Regem, ſeu proprio motu, ſeu aliorum inſtinctu (quod malim) reſpondiſſe; *jam antea quidem VVladislaum parentem ſub coronatione pro ſe ſpopondiſſe, & jusjurandum de ſervandis Regni juribus & immunitatibus in animam ſuam præſtitiſſe, ità ut aliud requiri non videatur ferè neceſſarium: nibilominùs tamen paratum ſe illud repetere; non tamen alibi, niſi, prout antea factum, Pragæ.* Polnâ Kutnam petijt, ubi rurſus quieti quadriduum impendit.

In Bohemiam profectus ſtrunam divertit:

â Bohemis in finibus Regni honorificè excipitur:

juramentum ſuum differt, donec Pragam veniat.

Hagek Kutb. Anonymi diverſi ad annū 1522.

Pragam veniens die 28. Martij, ab omnibus Ordinibus, maximè verò â Pragenſibus exceptus eſt tali ac tam magnifico apparatu, qualis antehac non fuit viſus, ab hominum memoria. Aderant in ejus comitatu *ex Moravia, Joannes de Lippa, Regni Mareſchallus, Joannes â Pernſtein, Joannes â Sternberg & Holeſſovv: tres Zierotinij fratres, Joannes de Straznicz, Victorinus de Gitczin, & Bernardus de Fulnek & Drzevvobeſticz; VVilhelmus Mladenecz de Miliczin, VVilhelmus de Kunſtat & Smilheim, Sigiſmundus de Ludanicz & VVeverzi, Chriſtophorus de Bozkozicz & Trebovia, Joannes de Kaunicz, VVenceslaus Ziampach de Potnſtein & Hluk, Bernardus jun. â Zierotin, Joannes & VVenceslaus fratres Tettauri, Getrzich de Pruſinovicz, Hynko Zaſtrzizl de Prakſicz, Hanuſs â Petrſvald, Henricus de Sſvabenicz, Matthias VVencelik de VVrchoviſt & Trzeſtie, Joan. â Kokor, Proczek Zaſtrzizl de Zdanicz*, pluréſque alij. Die 9. Maji, Rex in templo Metropol. Prag. indutus Regalibus, juramentum fecit, *Leone Burggravio* verba præeunte: & viciſſim â Statibus, fides & obedientia ei promiſſa ſunt. Sequuta poſtmodùm die 1. Junij, ſeu Dominicâ *Exaudi*, coronatio Reginæ, per *Epiſcopum Olomuc. Stanislaum*, aſſiſtentibus ei *Jacobo VVratislav. & Ladislao VVacienſi Epiſcopis.* Et quia inter Barones & Equites, circa geſtanda Regalia, coronam, ſceptrum, enſem & alia, oborta fuit controverſia gravis, Baronibus omnia hæc ad ſe trahentibus; Rex ut contentioni imponeret finem, coronam ipſe capiti ſuo impoſuit, ſceptrum dextrâ, pomum ſiniſtrâ geſtavit; enſem verò *â Georgio Marcb. Brand.* ſibi præferri juſſit. Coronatione peractâ, totum ſe cum Conſiliarijs ſuis, ad ordinandum Regni ſtatum contulit.

Pragam venit.

Proceres Moravi in ejus comitatu recēſentur præcipui.

MS. Anon. tum ſilentis.

Peracto â Rege juramento, ſequitur Reginæ coronatio.

Dubr. lib. 33. Iſtvanf. lib. 7. Lupac. & VVeslesl. ad d. 9. Maji & 1. Juny. MS. Anon. Prag.

Latrocinia jam ante, priusquàm Rex dediſſet ſe viæ, *per Moraviam & Bohemiam*, communibus provincialium viribus, fuerunt majori ex parte repreſſa,

Latrocinia per Moraviam

& Bohemiam ſublata:

MS. Anon. Litomiſſl. anno 1531.

latibula eorũ capta & diruta.

lex vetus renovata, ad cohibenda latrocinia.

preſſa, & latibula eorum expugnata; quædam etiam, utì *Daleczinium* propè Pernſteinam, & *Hobenſteina* haud procul Treboviâ, in Moravia, exuſta ac funditùs diruta. Præterea lex vetus â ſuperioris ætatis Regibus & Marchionibus lata, renovari ac provulgari juſſa: quâ poteſtas fiebat omnibus etiam privatis, ut deinceps in ſuo quiſque fundo, agro, villa, aut via publica deprehenſum, cujuſcunque Ordinis eſſet, qui latrocinia exercere, raptóque vivere convinceretur, caperent; aut ſi hoc non poſſent, interficerent. Cum addito: ut ejus rei causâ liceret manus cogere, conducere homines armatos, loca opportuna præſidijs firmare, quædam etiam, ad prohibendos eorum excurſus, de novo extruere; omnia deniqùe agere, nihilque intentatum relinquere; modò hæc flagitioſiſſimorum hominum peſtis ſtirpitùs tolli, aut ſaltèm impediri poſſit, nè deinceps pro libitu graſſari valeat. Magna ad hæc ijs propoſita præmia, qui aut vivos Magiſtratui ſiſterent, aut interfectorum capita adferrent.

Rex cum Regina, & tota Aula, â Pragēſibus in Curia Antiquæ Urbis convivio excipitur:

Officia Regni mutat:

Gubernatorē locò ſui conſtituit:

Senatum Pragenſem renovat:

Pragâ abit.

Anno 1523. die 18. Jan. Rex cum Regina totáque Aula, â Magiſtratu Veteris Urbis Prag. epulo ſplendido excepti ſunt, in Curia: quo finito, varia ſpectaculorum genera, ludi & concurſus equeſtres, in area fori editi; Reginâ ſpectante ex domo, *ad auream tubam* dicta. Die 13. Febr. Rex ê conſilio ſuorum, Magiſtratus & officia Regni mutavit omnia; ac die 3. Martij eadem renovavit: aſſumptíque ad tribunal Judicum, ex utroque Ordine, viri graves, recti tenaces, & de Republica hactenùs benè meriti. Summa verò imperij poteſtas vicario nomine concredita *Carolo Duci Münſtrb.* qui erat *Georgij Regis nepos*, Ludovico imprimìs gratus acceptúſque. Die 14. ejusd. Rex in Antiquæ Urbis curia creavit Senatum, ex utraque civitate *Veteri & Nova* unum: biduóque poſt Pragâ diſcedens *Kuttnam*, ac inde Chrudimenſi Litomiſſlienſíque itinere *Olomucium* petijt.

Olomucium venit; quo Iglavienſes vocat, & propter hæreſim Lutheranam, quam ſequi inceperant, corripit,

ac redire ad antiquæ Religionis ſacra Imperat, ſub pœna.

Olomucij agens, *Iglavienſes* ad ſe vocatos ſeveriſſimis verbis caſtigavit, quòd ſpretâ veteri Religione Catholicâ, ad nova eáque ab Eccleſia & Cæſare damnata Lutheri placita tranſierint: juſſíque ter repetitis mandatis Regijs Pragâ datis, ut *Paulum Speratum*, qui illis mutandæ religionis occaſionem attuliſſet, non ultra tolerarent, ſed quamprimùm civitate ejicerent; ſingulari contumaciâ non tantùm non paruerint, verùm etiam mortuo ſub id tempus *Parocho Catholico*, illum publicè in templo primario ê ſuggeſtu dicere permiſerint. Se igitur ſub extremi ſupplicij pœna mandare illis, ut reſipiſcant, novarum opinionum ſcabiem exuant, prava ejusmodi dogmata, & peregrinos in novanda religione ritus vitent, Lutheri præcones â ſe & civitate arceant, ac potiùs in avita Majorum fide & doctrina conſtantes maneant. Secus ſe ulturum propediem illatâm Catholicæ Religioni injuriam, & proceſſurum contra illos, utì contra contumaces & protervos, Divinæ Majeſtatis contemptores, & ſuæ reos.

Præco Lutheri Iglaviâ ſe ſubducit:

Jámque *Speratus* malè ſibi conſcius metuensque, *Iglaviâ* ſeſe ſubduxerat. *Trebicij* apud Parochum ejusdem farinæ hominem aliquandiu hæſit: poſtea cùm iterum audacior, luce palàm oſtenderet ſe, & per oppida pagósq; Nobi-

Digitized by Google

Nobilium, quorum fovebatur ope, curſitando, quocunque veniret, novam Lutheri doctrinam paſſim venditaret, & de corrupta â Pontificibus religione, déque puro & ſyncero ſuo Evangelio confidentiſſimè concionaretur, deprehenſus *Biteſſÿ*, captúsque Olomucium advectus eſt. Ubi ad quæſtionem vocatus, & de hæreſi convictus, cùm â quæſitoribus, inter quos fuiſſe *Joannem Daubravium*, Epiſcopo tum â ſecretioribus conſilijs, ſcribit quidam Anonymus, nihil in eo ſanando proficeretur, Rege permittente ac decernente, ad rogum damnatus fuit. Quod dum jam jam exequutioni dari debuit, *VVok Sovinecius* ſupremus Judex Morav. *Heraldt* item & *VVilbelmus Kunſtatai*, ac præterea quidam alij proceres Moravi, *Calixtinæ fidei*, interceſſerunt, & ut pœnâ tantùm exilij plecteretur, impetrârunt. Dimiſſus itáque *VVittembergam* abijt: *Iglavia* tamen infecta ſemel eâ hæreſeos labe, nihilo purior reddita fuit. *Refractarium ac pertinax malum eſt hæreſis; faciliùs excluditur, quàm expellitur.*

capitur, Olomucium adducitur, & uti pertinax hæreticus condemnatur: *MS. Anon. Litomiſl. ad an. 1523.* ſed intercedentibus pro eo quibusdam, dimittitur, & in exiliũ pellitur. *MS. Iglav.*

Nec multò poſt, & eodem anno 1523. *Feriâ II. ante Pentec.* civitas hæc tota quanta conflagravit; ubi in communi ædium ſtrage interierunt homines 22. & alij tres *in templo Parochiali*, ruinâ fornicis obruti: ſolum *monaſterium S. Crucis*, & aliquot domunculæ, poſt Parochiam manſerunt intactæ. Errat *Kuttenus*, & cum illo *VVeleslavinus*, qui incendij hujus annum ponunt 1513. multò autem graviùs, quòd in monaſterio â parantibus placentulas frixas, illud exortum dicant. Aliter & in veritate, authorem & annum exprimit quidã hoc verſu: *FaMIneo perIt IgLa LeVes CoLLapſa fVrore InCIneres: fVror hIC ebrIetatIs erat.* Rem hoc modo accidiſſe refert *MS. Iglavienſe*.

Iglavia tota penè conflagrat. *Kutten. ad an. 1513. VVelesl. ad d. 30. Maji.* *Bernardus Sturm.*

Petulantiores quædam mulieres, uxores pileatorum & pannificum, convenientes in unum, apud *Marcum Forgaſs* civem, ad bibendum vinum, quod habebat ille venale Hungaricũ præſtantiſſ. & avidiùs ac intemperantiùs bibentes, eo ſeſe ingurgitârunt ad temulentiam uſq;. Ingreſſæ poſtmodùm balneatoris domum, & mente jam de ſtatu versâ, exutóque pudore omni, eò impietatis proceſſerunt, ut virorum, qui fortè balneabant ibi, veſtes & femoralia induere, in ijsque per vicos & plateas hinc inde curſitare, ſaltare, vociferari, atque alijs id genus intemperijs agitari non erubeſcerent: *bacchas dixiſſes Tartaro emiſſas.* Ultimò congregatæ apud unam ê ſuis præcipuam, in domo non procul Bohemicâ portâ, choreas inſtituerunt; quas nonnullæ ſtrenuè ducendas, aliæ placentulas ſeu ſcriblitas pinſendas ſuſceperunt. Et quia ebriæ erant, igni & butyro liquefacto minùs attendebant; unde accidit, ut eferveſcentis butyri flamma, modicæ caſu aquæ ſuſcitata, inque caminum exiliens, tectum puncto temporis corripuerit: quo facto, mox & vicina ardere cœperunt; ſenſimque crevit incendium, ventis etiam juvantibus, ut poſtmodùm nullâ ope, nullis remedijs ſiſti potuerit, donec, ùt dixi, civitas, parietinis domorum tantùm ſuperſtantibus, tota deflagravit. Non deerant, qui manifeſtam Dei pœnam *Iglavienſibus*, propter mutatam Majorum religionem, hoc modo, & ê veſtigio quaſi inflictam cenſerent: quam & impudentia mu-

Mulierum petulantia & ebrietas, aliáq; obſcœna flagitia, choreæ & tripudia, incendij tam atrocis cauſa. *MS. Iglav.* Pœna Dei ob ſpretã Relig. Catholicam.

lierum, & flagitium ejuſmodi deteſtabile abominandúmq; acceleráſſe haud dubiè creditur.

Iglaviæ ſeditiò plebis cōtra Magiſtratum.

Anno ſequ. aliud iterum æquè grave *Iglaviam* involvit malum, occaſione ſeditionis motæ â communitate plebis contra Senatum. Cujus componendæ causâ cùm Rex miſiſſet, unum ê Camerarijs ſuis *Zibrzidum de Bobolusk Equitem Moravum*, plebs effera, cui nihil temperatum eſt, non ſatìs caſtigata nuperâ Dei plagâ, illum ſalutaria ſvadentem non tantùm audire noluit; verùm etiam ſuſpectum habens, quòd magìs pro parte Senatûs ageret, effigiem ejus, infami columnæ fori, (vulgò **Pranyř**) magnâ temeritate & nequitiâ affigere haud verita fuit, cum inſcriptione: *hic eſt rex polentariorum;* per polentarios intelligens Senatores, quos inter, potiores erant polentarij. Neque hìc ſtetit furor plebis, ſed inſuper abeuntem ex civitate, ſibillis & cachinnis exceperunt, clamando in plateis, & ex domorum feneſtris, digitíſque illum oſtendendo, atque id ſæpiùs ingeminando: *ecce! abit rex polentariorum! abi, abi, ut non ampliùs revertaris, rex polentariorum.* Facinus grande, & læſæ Majeſtatis regiæ proximum: quod utique Rex tulit ægerrimè, jámque etiam ultionem parabat & pœnas; quæ propediem ſequutæ fuiſſent, niſi in tempore *Wenceslai Berkæ, Joannis ſen. de Sternberg, & in Kvvaſicz, Havvelij Zvirzetickij de VVartmberg, Bobuſſij de Zvvole, Petri de VVlachovicz, & Ctiborij de Drnovicz,* qui ſub id tempus *Budam* venerant, â ſtatibus Moraviæ aliâ de caſâ miſſi, non interceſſiſſent preces.

plebs effera & impudens, deſpicit Regium Commiſſariū:

MS. Iglav. cit. Epiſt. VVilhelmi de Kunſtat ad VVoytiechū de Pernſt.

meritò punienda; niſi Proceres Moravi interceſſiſſent.

Rex Olomucio diſcedens, Kremſirium divertit.

Olomucio diſcedens Rex, *Kremſirium* divertit; & cognito *Joannem Ducem Opolienſem*, qui improlis erat, ſed locuples, & *ê poſteritate Mieslai, fratris Boleslai Proceri,* (â quo *Lignicenſes Duces*) ultimus, graviter infirmari, *Stanislaum Epiſ. Olom.* ad eum miſit. De teſtamento agebatur, nè Dux opum ſuarum, (*mobilia* vocant; de Ducatu ipſo nullum erat dubium) alium quàm Regem, hæredem relinqueret: quod & factum. At in Bohemia, præſertim Pragæ, ſtatim â diſceſſu Regis tumultuatum fuit ſæpe, illo & ſequentibus annis; & ùt plurimùm, religionis causâ, *Picardis & Lutheranis* ſenſim invaleſcentibus, & viciſſim *Catholicis & Calixtinis* contra illos inſurgentibus; uti videre eſt *in Bohemia Pia*, tractatu illo: *de Caſibus & Seditionibus in communitate Pragenſi, quæ acciderunt ſub Ludovico Rege*, ſcripto in formam diarij ab Auctore, qui hæc videbat. In Moravia, quoad publicum ſtatum, pacata & tranquilla fuêre quidem omnia; interea tamen *hæreſis Picardorum* ſeu *de Unione Fratrum*, & alibi etiam *Luteranorum*, in occulto & palàm magna faciebant indiès incrementa; præſertim apud Nobiles, uſq; adeò, ut *Epiſcopus Olom.* ſuis impar viribus ad reſiſtendum, modúmque hæreſi tantoperè ſerpenti imponendum, coactus fuerit implorare â Rege auxilium, binis vicibus anno 1524. atque iterum ſequenti, *Budam* ex conſtituto ea in causâ profectus. Et Rex tametſi ætate juvenis, ac rerum inexpertus; zelo tamen *religionis Catholicæ*, & ſynceræ in Deum pietatis (*Mariæ conjugis ſuæ* exemplo) præſtans, manum auxiliatricem Epiſcopo præbuit; dum anno 1525. *per ſpeciale edictum Budæ 25. Maji latum* ſanxit: nè uſpiam in Regno & Provincijs Coro-

Daubr. lib. 33.

Pragæ tumultuatum religionis causâ.

Pontan. in Bohemia Pia. l. 7. MS. Prag. ad an. 1523. & ſequ.

In Morav. hæreſis Picard. & Luteran. proficit.

cui Ep. Olom. pro poſſe reſiſtit,

brachium auxiliare â Rege petit, & impetrat.

Digitized by Google

Coronæ Boh. unitis, ulla religio, præterquàm *Catholica ſub Una, & ſub Utraque,* juxta Compactatorum legem communicantium toleraretur, ſed priſca Eccleſiæ Romanæ inſtituta, citra mutationem retinerentur; ſub pœna exilij, qui ſecùs facere præſumerent; ſub pœna verò capitis, qui nova hæreſum dogmata in Regnum inferrent, eáque in vulgus ſpargere attentarent.

Rex per decretũ Catholicos tantùm & Calixtinos tolerãdos deinceps edicit, *MS. Litomiſl.*

Certúmque eſt, quòd non ità facilè, nova hæreſum lues, in Bohemiam & Moraviam irrepſiſſet, & quæ irrepſerat jam antè, *Picardica*, non tam altè radices jeciſſet, ſi fata Regem diutiùs, & imperare & vivere permiſiſſent: qui non niſi *Catholicos & Calixtinos*, ſacrorum tamen rituum, *more Romano* obſervantes, in ſuis Regnis & Provincijs tolerare ſtatuerat. Verùm luctuoſo paulò poſt interveniente ejus interitu, ac turbatis ubique rebus, & Proceribus de Regno ſollicitis; *Ferdinando* autem ejus ſucceſſore, Catholicæ quidem religionis, pro avita Majorum ſuorum pietate, obſervantiſſimo, ſed tum alijs graviſſimis curis diſtento, ac penè obruto; nullo denique inhibente, hæreſi ſenſim creſcere, & magìs atque magìs invaleſcere permiſſum fuit. Dum enim *Rex Opt. ac innocentiſſimus*, contra *Solymanum* ducentis armatorum millibus ſtipatum, *cum exercitu* fortaſſe *viginti ſex*, aut ad ſummum, *triginta millium* progreditur; & temerarijs, Hungarorum viribus ſuis plus nimio tribuentium, conſilijs obtemperans, priusquàm auxilia *ex Moravia, Bohemia & Sileſia*; tum etiam *ex Illyrico & Tranſylvania* conveniſſent, inauſpicatæ pugnæ certamen ſubit; acceptâ clade fugam arripiens, & in quandam palludem prolapſus, unà cum equo miſerabiliter perit. Cujus interitus, & quæ ſequuta fuit longè latéque per Hungariam Turcarum excurſio, non *Moraviam* tantùm, uti periculo proximam, ſed vicina quoque Regna & Provincias magno terrore concuſſit. De hac atrociſſima clade, cùm ab ea ſumpſerint principium miſeriæ & calamitates, quas annis ſubſequentibus *Moravia* â Turcis & Tartaris illatas ſuſtinuit, juvabit aliqua paulò fuſiùs commemorare.

Rex Catholicæ Relig. obſervantiſſimus, nunquam hæreſes novas, in Regno & Provincijs toleraſſet, ſi diutiùs vixiſſet: ſed pereunte illo, in prælio Mohacziano, patuit janua hæreſi. miſeranda exercitûs Hung. & Regis clades. quæ & Moravis ingentem attulit formidinem.

Cùm primùm Regi nunciatum eſſet, *Solymanum* maximos in Evropa & Aſia belli apparatus facere, ſuiſque copiarum præfectis, ut parati & rebus omnibus inſtructi eſſent, in mandatis dediſſe; ſe ad prima veris initia in caſtra deſcenſurum, ac *more Majorum* expeditionem contra hoſtes ſuſcepturum: famam autem conſtantem ſpargi, eum Regno Hungariæ infeſta arma illaturum: permotus ille tantâ imminentis periculi immanitate, ut de omnibus quæ agenda eſſent, certiùs iniri conſilium poſſet, ex omnibus Regni Provincijs adeſſe principes frequentes, atque omnes ordines, pro die, qui *D. Georgio Martyri* in Eccl. ſacer eſt, ad conſultandum de ratione belli gerendi juſſit. In eo conventu, cùm alia multa acta, quæ neceſſaria magìs ad tuendam communem ſalutem, quàm facilia explicatu videbantur, de conſcribendo milite, ac muniendis arcibus, de hoſtibus tranſitu arcendis: tum illud maximè; ut omnes, ſive ex Nobilitate regiæ militiæ adſcripti, ſive rebus divinis præeſſent, *ad Tolnam* cum ea militum manu, quæ ijs ex cenſu deſcripta eſſet, *ad Calendas Junias* convenirent, ductu atque auſpicijs Chriſti Imperatoris, cujus cauſam ſuſcepturi eſſent, adversùs ejus hoſtes defendendâ, bellum geſturi. Tantâ

Solymani expeditio in Hũgariam. *Daubr. lib. 33. Sambuc. in Ludov. II. Broderic. de clade Mohacz. Iſthvanff. l. 8. Neugeb. Hiſt. Pol. lib. 7. Curæus. Eneas. Hagek: Boregk ad an. 1526. MS. plurima.* Ludovicus Comitia indicit: de rationibus ſuſtinẽdi belli conſultat, & quid primò opus eſſet, ſtatuit.

Hungarorum in expediendis armis ſegnities.

tâ tamen in rebus tam urgentibus ignaviâ laborabant *Hungari*, ut eam, nè imminens quidem ultimum patriæ diſcrimen, disjiceret torpentium animis. Quamvìs enim *Calendæ Juliæ* diu præterierant, nemo tamen præſtituto die locóque priùs adfuit, quàm Regem eò veniſſe intellectum eſſet.

Rex Bohemorum, Moravorum, Sileſiorum & Luſatiorum, aliorumq; auxilia ſolicitat. ſed à paucis impetrat; nec à patruo quidem, Poloniæ Rege.

MS. Hiſt. Roſenſ. *MS. Anon. Prag.* *Epiſtola Joan. à Pernſt. ad VVogtiechum fratrem, ſupr. Regni Præfect.*

Miſſi interea nuncij *ad Bohemos & Moravos*, ut ſiquidem non Hungariæ ſolùm, ſed etiam ipſis ſummum periculum impendat, de ferendis adversùs communem hoſtem auxilijs, & ad diem locúmque conſtitutum expediendis, omnem curam & diligentiam adhiberent. *Sileſij* item & *Luſatij*, qui equitatu ante alios pollebant, ut idem facerent, moniti. Miſſi quoque Oratores in Italiam *ad Clementem VII.* in Germaniam *ad Ferdinandum Auſtriacum*, qui tum in comitijs *Spiræ* Caroli Cæſaris fratris legatum agebat, ac cæteros Germaniæ Principes: item in Galliam *ad Franciſcum Regem*, & in Poloniam *ad Sigiſmundum* Ludovici patruum. Sed in ea temporis anguſtia *à Germanis*, neque *à Gallis* obtineri quicquam potuit. *Polonus* verò induciarum Turcicarum vinculis uſque adeò irretitus erat, ut eas potiùs inviolatas ſervare, quàm laborantibus Hungaris opem allaturus crederetur; nè ſcilicet arma barbarorum & vires in ſe ac ſuos populos concitaret. *Bohemorum & Moravorum* aliqui accurrêre quidem ocyùs, ſed exiguo numero: reliquis tardiùs, quàm neceſſitas urgebat, arma capientibus. Ex Bohemis, qui in tempore accelerârunt in ſubſidium Regi, erat Roſembergicus miles: una centuria equitum, quam ductabat *Petrus Korzensky* Equeſtris Ordinis heros; & ſeptingenti pedites, quibus præfuêre *Nicolaus Zlinsky, & Zdenko Laubsky*, viri quoque cùm Nobilitate generis, tùm à rebus præclarè geſtis, præteritis in bellis inſignes. *Jacobus* item *VVrzeſovecius* Regni ſubcamerarius, cum *Zatecenſium, Launenſium, Kadanenſium, Slanenſium & Taborienſium* copijs. *Pragenſes* & cæteri, etiam *D. Leo Burggravius Prag.* ac Proceres primarij, erant in expediendo milite valde tardi & ſegnes.

Solymanus ad Belgradum venit.

Rex Budâ movet perexiguo milite ſtipatus.

Tolnam venit, majores copias avidè expectans.

Turcæ VVaradinum Petri, & Villacū occupant.

Nec multò poſt, alij poſt alios nuncij veniebant, *Solymanum*, ad *Belgradum*, quam Urbem quinquennio antè occupaverat, perveniſſe, jámque *Savi* tranſitum moliri referentes. Cujus rei nuncio accepto Rex, quanquam undique ſuâ ſpe fruſtratus, cùm neque â ſuis auxilia adeſſent, quorum maximè expectatione tenebatur, neque ab exteris; dignitatis magìs ſuæ, quàm ſalutis memor, *Budâ* movit, Idibus Julijs, vix tribus millibus equitum & peditum unà aſſumptis, quorum magna pars *à Strigonienſi Præſule*, & â Regina conſcripta erant, haud ſatìs dignâ cohorte, quæ Hungarorum Regem, ſi priſca Majeſtas Imperij magìs, quàm præſens fortuna ſpectaretur, venatum euntem comitaretur. Aderat etiam Palatinus *Stephanus Bathorius* cum *Strigonienſi.* Tolnæ aliquandiu ſubſtitit, expectans, ut Nobilium præcipuis confluentibus, caſtra majori numero militum augerentur. Sed pauci adhuc comparebant; cùm interea *Solymanus*, Waradino Petri in Danubij ripa, præalta in rupe oppido, & *Villaco* celebri quoque urbe, in poteſtatem redactis, jam *Eſſeco* immineret. Præcipua ſpes ſupererat in *Joanne Scepuſienſi Tranſylvaniæ VVeivoda*, qui validum exercitum ſub ſignis habebat: ſed huic ancipitem deli-

deliberationem, cùm nunciorum varietas, tum Regis mandata ſecum ipſa pugnantia faciebant. Rex enim primùm ſeriò admonendū curaverat, ut cum exercitu ad ſe venire maturaret; ex adverſo, incertum quibus authoribus, quóve ſvaſore, datis ſecretò literis, juſſerat; ut trajecto Danubio, *Thraciam & Bulgariam* omni præſidio nudatam invaderet: ità enim fore, ut hoſtis ſuorum periculo adductus, *ab Hungariæ finibus* populandis abſtinere, & ad ſuos defendendos retrocedere cogatur. Quod conſilium, cùm damnarent aliqui, utì ſerum, anceps & inutile, hoſte jam intra viſcera Regni graſſante, alios rurſùm nuncios ad eum miſit, ut poſtpoſitis omnibus alijs rebus & curis, ad ſe in caſtra feſtinaret. Hinc *VVeivoda* animo ſuſpenſo & anxio tenebatur, cùm in hac mandatorum diverſitate, neſciret, quid magìs expediret. Tandem per ſcribam ſuum ad Regem miſſum edocetur, ut quàm celerrimè promotis caſtris ad Regem acceleraret. Mittuntur etiam in partes Dalmatiæ & Illyrij nuncij, ad *Battianum* & *Frangepanum* cum formula ſimilium mandatorum; ut cum ſuis opem maturè ferrent: & alij rurſùm in Moraviam, ad *Joannem Mezericium Baronem de Lomnicz*, ut eas peditum cohortes, pro quibus ſtipendium â Regina accepiſſet, quamprimùm in caſtra conduceret, ac nè quid moræ in veniendo pateretur, in qua ineſſe ſummum periculum videret.

Conſilia confuſa prodromi haud dubij rei malè gerendæ,

ac futuræ tandem ingentis cladis.

Cur Joannes VVeivoda cū Tranſylvanis, Regio exercitui non acceſſit?

Iſthvanf. cit.

Broderic. cit.

auxilia â Croatis, & â Moravis petūtur.

Tolnâ deinde Rex movit, *Bathámque* binis caſtris veniens, *Paulum Tomoræum, & Georgium VVeivodæ fratrem*, duces copiarum, æquato imperio conſtituit. Tum mox novi duces recenſuêre exercitum, cujus ſumma triginta millium hominum numerum nequaquam ſuperabat: ac inde ad locum caſtris non procul ab oppido *Mohacio* capiendum profecti ſunt. Eò cùm etiam Rex appuliſſet, nihil cunctandum ratus, Palatinum & Senatores aliósq;, quos ex equeſtri ac militari ordine, uſu rerum factiſque præſtare noverat, convocari juſſit, ut cum illis de ſumma rerum deliberaret. Fuêre etiam adhibiti *Bohemi & Moravi*, qui in Regis miniſterio erant, & qui nuper, auditâ expeditionis famâ, ſuis ſtipendijs militaturi, ſponte & præ alijs ocyùs advenerant. Actum eſt in Senatu, & diſceptatum diligenter, an expectanda auxilia eſſent propediem adfutura, caſtráque in tutiorem locum transferenda, & â pugna abſtinendum: an verò cum hoſte, jam duobus tantùm milliaribus diſtante, nec fortaſſis pugnæ occaſionem dilaturo, fortunam prælij tentari, expediret. *Bohemi & Moravi*, & aliqui etiam circumſpectiores Hungari, maximè diſvadebant prælium, in tanta copiarum diſparitate; monebantq; Regem, ut ſaltèm adventum *VVeivodæ*, vel *Frangepani*, quos intra triduum adfuturos nuncij docebant certi, expectaret. Neque contrarius huic conſilio erat Rex, ſuas & hoſtium vires æquâ lance penſans; cui tametſi juveni, & rem militarem tum primùm experto, minimè conſultum videbatur, caput ſuum & vitam, Rêmque publicam univerſam unius pugnæ diſcrimini exponere; ſæpéque *VVeivodæ* & *Frangepani*, ac ipſius *Sigiſmundi* Regis patrui, aliorúmque conſilia repetebat, ſvadentium per nuncios, nè copias in aciem priùs produceret, aut rem ferro decerneret, quàm omnia auxilia contraxiſſet, & viribus

Rex ſupremos copiarum duces conſtituit:

cum quibus & alijs, de bello gerendo conſultat.

Bohemi & Moravi prælium diſſvadēt,

Epiſtola alia Joan. à Pernſt. ad eund.

Curæus in Annal. Sileſ.

& expectando Tranſylvanos, Croatas, & alios cenſent.

quod & ipſe Rex probat, & pugnæ for-

 hoſte

hoſte haud inferior exiſtimaretur: damnantiſſimque eorum temeritatem, qui ſe & copias, quas penes ſe habebat perexiguas, intempeſtivis ac inſanis conſilijs, ad locum hoſtibus tam propinquum adduxiſſent. Expectandum, donec ipſi advenirent: quorum alter ex Tranſylvania, juſtum exercitum quadraginta circiter millium armatorum, alter ex Illyrico quindecim, utriuſque armaturæ militum, adducturus ſit; in quibus vel præcipua obtinendæ victoriæ ſpes collocari queat. Ad hæc *Bohemos cum Moravis & Sileſijs*, in procinctu quoque eſſe; imò cum bellico apparatu haud contemnendo proficiſci, jamq; circa *Budam* viſos, fama ferebat: conſultiſſimùm igitur futurum, ſi hi omnes expectentur. Sed contra *Tomoræus* & alij diſſeruêre; quibus tantus ac talis, & fatalis omnino erat prælij committendi ardor, ut per ſe amentiâ furentes, non de victoria, quam ſibi minimè dubiam ſpondebant, ſed de præda, & de victoriæ præmijs, tanquàm jam omni belli periculo perfuncti, cogitarent.

Margin: tunam tentādam negat, — priusquàm univerſæ copiæ conveniant; — præſertim, quæ veniebāt ex Bohemia, Moravia & Sileſia. — Tomoræus Ducū primus pugnæ avidus, & præceps,

Dum in hunc modum â Rege & Senatu diſputatur, nihilóque remiſſiori ſtudio prælium poſceret *Tomoræus*, ſupervenêre miſſi ex caſtris, qui in Senatum introducti, monuêre ſuorum commilitonum nomine, omnes quotquot aderant, nè Regem â pugna dehortarentur: habere ſe hoſtium vires, quamvìs numeroſi ſint, ſatis exploratas, majorem eorum partem ex lixis, calonibus, *Bulgaris* agreſtibus ac dedititijs ruſticis conſtare: victoriam certam eſſe, modò fortunâ & occaſione, quam Deus obtuliſſet, uti vellent. Quodſi quipiam aliud Regi perſvadere conentur, illis paratum eſſe exitium, ſeque adversùs cunctatores arma ê veſtigio converſuros. Hàc proinde tam atroci denunciatione ijs, qui ſaniora conſilia ſequuti, paulò cunctantiùs agendum exiſtimarent, deterritis, pugna, vel invito Rege, decernitur, & ad eam quiſque ſe comparare jubetur. Quod ſequutum poſtea eſt triduum, conſumptum fuit partim in pugnæ præludijs ſeu velitationibus, quæ incertum, an virtute noſtrorum, vel fortuitò; aut ſponte cedentibus Turcis, majori cum hoſtium, quàm noſtrorum damno fiebant: partim in conſultando de conſtruendis aciei ordinibus, de collocanda extra periculum Regia perſona, de idoneo tormentis capiendis circuitu, déque caſtris præſidio muniendis.

Margin: & quidam ex Hungaris ferventiores, — hoſtium copias elevant, — & fatali quādam obſtinatione, pugnam committendā urgent, — Prælium itàq;, vel invito Rege decernitur. *Broderic. lib. cit. Jovius in Epitom. lib. 13. Joachim. Camerar. de clade Moga z.*

Igitur die XXIX. menſis Aug. qui *Divi Joannis Baptiſtæ, ab Herode Antipa decollati* memoriæ ſacer eſt, aciem ità ſtruere placuit, ut quàm latiſſimè extenderetur: in quo etiam illud idem ſpectatum eſt, nè ab hoſte undique circumfuſo intercluderetur: quæ res, dum graviori incommodo occurritur, ſubire neceſſariò alterum coëgit, ut ità acies extenuata minùs roboris ac firmitatis haberet, ubi concurrendum cum hoſte eſſet. Atque utinam adhuc ea in re obtemperatum fuiſſet ijs, qui conſultiſſimum cenſebant, ſi concatenatis curribus, quibus Regius exercitus maximè abundabat, acies undique cingeretur: hoc enim pacto futurum dicebant, ut hoſtis multitudine abundans, non ità facilè (quod magnoperè timendum erat) lunatâ acie regios circumvenire poſſet. Sed hæc quoque res, ſicut alia multa, neglecta fuit. Dum ergo acies ad prælium ordinatur, primi agminis, quod decem millia armatorum habebat, dextrum cornu *Batbiano* Dalmatiæ & Illyriæ præfecto: ſiniſtrum *Petro Pere-*

Margin: Acies Regia inſtruitur latè, — nè hoſtis lunatâ ſuâ acie Hungaros circumvenire poſſet. — quid inter hæc neglectum? — Dalmatæ & Croatæ, ex antiqua conſvetudine, in prælijs dextrum cornu obtinēt.

Perenio commiſſum eſt. Secundum agmen (quod ſtatariam aciem appellant) in quo Rex erat, & Epiſcopi ferè omnes, equitatu magna ex parte conſtabat, paucis peditibus latera tuentibus. Inter hanc & primam aciem pauxillum ſpatij intererat, ubi tormenta currulia mediocria, quæ ad octoginta habebantur, idoneo in loco collocata erant. In hoc agmine, ante ordinem, in quo Rex erat, tres præcedebant cohortes, magna ex parte ex cubicularijs regijs & Baronibus conflata, quibus *Nicolaus Tarcianus* præerat, nobilis & fortis, & ſingulari in Regem fide. Ibidem erat uterque Aulæ præfectus, *Petrus Corlatkovius & Andreas Trepka Polonus*; item *Joannes Buſtebradsky de Kolovvrat, Stephanus Comes Schlik, vir*, ùt ait Brutus in ſua Hiſtoria, *magni animi, & conſilij: Jacobus VVrzeſovecius & Joannes à VViczkov*, cum Bohemis & Moravis; & hi ante Regem proximi erant. Tres has cohortes regia ſive prætoria ſubſequebatur, inque ejus medio Rex, tam corporis & armorum ſpecie, quàm cæterà ſpectabilis; cui proximus ab uno latere erat *Palatinus*, ab altero *Archi-Epiſcopus Strigon.* ſequebantur alij Epiſcopi, Proceres, ſecretarij & miniſtri Regis, quibus mille & ampliùs equitum cataphractorum ſelectiſſima ala, præſidio conjungebatur. Huic ſtatariæ aciei, tam equitatus, quàm peditatus levis armaturæ, â lateribus undique erat circumfuſus: in medio verò regium vexillum Divæ Virginis Mariæ imagine deauratâ conſpiciendum, *â Joanne Dragfio* Curiæ Judice ſuſtinebatur; cui de veteri more calcaria detracta erant, ob eam videlicet cauſam, nè de fuga cogitaret.

Epiſcopi Hung. ferè omnes in caſtris.

Nomina Bohemorum, qui Regi auxiliatũ præ cæteris ocyùs accurrerant.

Brutus lib. 7.

Rex in medio ſtatuitur;

& circa illum, Palatinus & Epiſcopi.

ſignifero calcaria detracta, nè de fuga cogitet.

Acie hoc modo inſtructâ, paulò poſt Solis exortum, ſudo admodùm & ſereno cœlo, *Palatinus* Regem aperto capite, ut faciliùs dignoſci poſſet, per univerſos militum ordines circumduxit; ubi eum præſentem, de quo complures ſubdubitare videbantur, omnibus manu oſtentans, paratum ad omnem belli fortunam referebat, neque *pro Sacroſancta Religionis & Reipublicæ Chriſtianæ defenſione*, pro aris & focis, & eorum conjugibus liberiſque, *pro Regno Hungariæ & patria*, caput & vitam ſuam extremo diſcrimini exponere recuſaturum, clarâ voce teſtabatur. Præſtarent igitur ſe quoque viros, ſeq; *Hungaros* eſſe meminiſſent, & eos, qui & ipſi ſæpe, & quorum majores, tot clara trophæa, tot celebres victorias, ex eodem illo, cum quo pugnaturi eſſent, hoſte retuliſſent. Irent lætis animis in hoſtem, armatum quidem multitudine ingenti & numero, ſed adversùs quem ſemper virtutis robore munita pectora ſtetêre invicta: *Chriſtum* ſuis vitæ ſalutiſque auctorem pugnantibus, pro ſanctiſſima cauſa, in ſummo rerum omnium diſcrimine præſentem, atq; propitium adfuturum; & de perfidis hoſtibus, pro diræ dominationis libidine, injuſta arma inferentibus, per eorum vindices dexteras, ſupplicia & pœnas procul dubio ſumpturum.

Rex caſtra obequitat.

Palatini ad milites oratio:

quâ illos ad fortiter pugnandum animat:

non debere eos terreri multitudine hoſtium;

Deum pro juſta cauſa, pro Religione ſancta pugnaturis, præſenti ope adfuturũ.

At *Solymanus* quamquàm â noſtris tympanorum ſtrepitu, & tubarum clangoribus ad certamen provocaretur; tamen incertum, quibus de cauſis, ab exortu Solis, ultra meridiei tempus, in caſtris ſilentio ſeſe continuit, adeò, ut noſtris dubium relinqueret, utrùm axactâ jam magnâ diei parte copiam pugnandi facturus eſſet: an verò, quod nonnulli ſuſpicabantur, in caſtra redu-

Solymanus ſeſe ultra meridiem in caſtris continet,

Hungaris moram hanc &

Digitized by Google

ſilentium variè interpretantibus.

reductos & quieſcentes, opprimere noctis tempore, nihil tale opinantes, conſtituiſſet. Quâ expectatione cùm duces ſuſpenſi animis, & incerti conſilijs vix ſibi perſvaderent in certamen deſcenſurum hoſtem, ideóque receptui canendum, & in caſtra redeundum cenſerent; repentè ſignificatur per ſpeculatores, equeſtrem hoſtium manum ſatis validam, per ſubjectam vallem collis, qui inter *Hungaros*, & hoſtium caſtra in longum porrectus, mutuum aſpectum oculis eripiebat, nullo tubarum ſonitu & clamore adventum prodente, tacitè progredi, & ad noſtrorum caſtra contendere. Ac nè regij temerè falli de improviſo poſſent, horrens denſis haſtis adventantium agmen faciebat, quarum faſtigia exſtantia facilè ex dimiſſioribus locis conſpiciebantur. Mox igitur Rex ſigna canere jubet, & ſimul cum tubarum clangore exoritur clamor militum, *JESU Salvatoris nomen* de more invocantium. Tum Regis capiti galea imponitur mirum in modum expalleſcentis, jàmq; tum expaveſcẽtis pugnæ eventũ, quem ubi cum ſuis hoſtium copias conferret, ſibi triſtem, ratione certum exprimente metum, qui diſſimulari non poterat, animo præſagiebat. Hoſtes interea *latè extensâ in lunæ creſcentis formam acie*, juſtis paſſibus appropinquant: cúmq; propiùs ventum eſſet, magno ſublato utrinque clamore, ab anteſignanis & primo ordine concurſum eſt: ſimúlque dum acies concurrunt, noſtri ingentes globos è majoribus tormentis emittunt, diverſo licèt, quàm convenerant, conſilio; & hoſtium terrore majore, quàm damno.

poſtmodùm equites tacitè progredi, & verſùs caſtra Hungarorum contendere jubet. Signum prælij datum. Rex galeâ acceptâ expalluit: quod pro inauſpicato futuri mali omine, à pluribus accipitur.

Prælium atrox conſeritur, nutante aliquãdiu victoriâ. Turcæ fugam ſimulant, ut Hungaros ad inſidias præcipitent.

Pugnatum utrinque acriter, hoſtibus multitudine noſtros urgentibus, virtute adnitentibus noſtris in adverſos: cúmque adhuc magis denſatâ acie noſtri conferti dimicarent, quo genere pugnæ vincebant robore animi & viribus ſuperiores, ſenſim *Turcæ* pedem referre, & molliùs cedere cœperunt; ſive coacti, ſive eo conſilio, ùt creditum eſt, ut cùm ordines ſervarent, minimè remitterent de pugnæ ardore, noſtros verò in ſua loca elicerent, quò ictibus tormentorum magìs opportuni paterent. Hinc rumor temerè ortus, victos hoſtes fugam dare, & ſi fortiùs inſtent *Hungari*, victoriam eſſe in manu: quod tum per alios ad Regem, tum per *Andream Batborium*, præcipiti nimìs conſilio, delatum eſt. Ità, tanquàm jam noſtri primo congreſſu eſſent fortunâ prælij defuncti, Regem hortantur, occaſioni nè deſit: non eſſe quidquam laxamenti hoſti dandum, urgendum fugientem, & victoriæ ſpem, quæ certa eſſet, virtute & magnitudine animi celeriorem reddendam. Quibus verbis Rex incitatus cum univerſo ſuo agmine, quantùm per gravis armaturæ equites accelerari poterat, primos perſequens hoſtes, qui conſultò cedebant, eò pervenit, ubi eum tormentorum ictibus maximè obnoxium fore *Turcæ* crediderant. Et hæc quidem ſimul atque igni conceptos ejaculari incluſos globos in ſubjectos cœperunt, tantum omnibus pavorem injecêre, ut quanquàm in ejus rei expectationem erecti, animos ad omnem fortunam comparâſſent, hic tamen cùm crebri globi prætervolarent pugnantium capita, cœlo ſuis ſedibus convulſo, tonitrua & fulmina emitti, quibus exſcinderetur terrarum orbis, exiſtimarent. Id primo aſpectu magìs, quàm re pertimeſcendum, repentè tetrâ malorum facie offuſâ, (quam tamen disjeciſſet, ſi verè adfuiſſet

Hungarorum ducũ præceps conſilium: quod ipſos, & Regẽ perdidit. Hungari in inſidias perducti, tormentis excepti, ingentique terrore perculſi, inclinant:

vera

vera virtus) ut ab Hungaris fugæ initium fieret, effecit: fruſtrà ducibus â perterritis priſtinam ferociam requirentibus, quæ tam citò animis reſediſſet, atq; increpantibus inanem metum, quo correpti tanquàm lymphatæ anus & delicati pueri, umbratiles larvas adverſi non ferentes, per turpem fugam, terga hoſtibus nudarent. *Quò abÿſſe feroces illas minas, magnifica illa verba, & ſuperbos ſpiritus, quibus elati, ſingulos adversùs plenam Turcarum cohortem, jactarent ſeſe pugnaturos; feroces in convivÿs, & contubernÿs; in campo atq; in acie, & Regis & Patriæ, & ſui immemores?* Hæc â Ducibus commemorata fugientibus dedecus ſolummodò augebant: ad revocandos verò animos, ad laudis & gloriæ decus, adferebant adjumenti nihil.

ac renitentibus fruſtrà ducibus, effusâ fugâ dilabi incipiunt,

Ità ijs, qui in dextro cornu erant, primis terga vertentibus, cæteri fugâ effusâ, minimè dubiam victoriam hoſti fecerunt: cùm pudorem ſuſtuliſſet atra ſubitò exorta nubes, quæ fumo pulvere immiſto ſeſe humo efferrens, tenebris obductum cœlum involvit. Hoſtis quamvìs *Hungaros* effusè fugientes adverteret, tamen vel inſidias veritus, vel pugnâ fatigatus, diu intra aciem ſuam ſe continuit: nec niſi primis tenebris ingruentibus, fugientes & diſperſos perſequi cœpit. Intervenientibus porrò imbribus, qui noctem per ſe infeſtam, obſcuriorem atriorémque reddiderunt, turmas in ſuos ordines revocavit, noctémque totam quietè tranſegit: eáque res multis mortalibus ſaluti fuit. Regem ab eo tempore, quo dextrum cornu inclinari cœpit, quidquid illum ſubitò ê ſuorum oculis ſubduxiſſet, vivum nemo poſtea vidit. Illud conſtat, pugnæ initio progreſſum fuiſſe in primam aciem, ibíque impigrè atque alacriter aliquantiſper inter confertos pugnâſſe, pulſis verò ſuis ac diſſipatis, fugam quoque arripuiſſe: ſed cùm in Caraſſum ſeu Celepotocum, paluſtrem & cœnoſum rivũ, inter Mohacium & Celam vicum, incerto vado limoſóque præterlabentem veniſſet, isq́ue tum â præſenti grandi imbre nonnihil accreviſſet; neque obſcuritas noctis, aut pavor inſequentium hoſtium, vado explorando otium concederet, rapiente fato, eâ quâ ſors & fortuna tulit, tranſire, impeditioríſque ripæ aggerem ſuperare conatus, reflexis habenis, reſupinóque equo, in profundiorem lutulenti amnis limum cecidit, ac degravantium armorum pondere, & equi colluctatione oppreſſus, miſerabiliter interijt. *Joannes Cetricius Sileſius*, unus ê regijs miniſtris, qui unà fugiebat, paludoſum amnem ægrè tranſiens, animadverſo Regis periculo, cùm opem ferre non poſſet, locum ſaltèm notaverat, ſic ut regium corpus, ejus poſtea indicio quæſitum, atque ità, ùt fuerat armatum, equo ſuper incumbente, inventum ſit. Ab eodem loco non procul, etiam cadavera *Andreæ Trepcæ, Petri Corlatkovÿ*, & *Stephani Comitis Schliki*, inventa fuêre.

& quâ quiſque viam inveniebat, profugiunt: quos Turcæ fraudem ac inſidias ſubeſſe rati, non ſtatim inſequuntur; primò ſub initium noctis. Rex fugâ ſalutem quærens, dum relicto ad dextram Mohacio, citatis equis versùs Quinq; Eccleſias curſum intendit, in paluſtri quodã & cœnoſo rivo, dum aggerem ſuperare conatur, reſupino equo in profundum cadit, & obit præſtãtiſſimæ indolis Princeps, eóq; infelici vitæ exitu indignus.

Periêre eo prælio partim in acie, partim verò inter fugiendum X. millia equitum, ac circiter XII. millia peditum. E Nobilitate verò clari nominis ampliùs quingenti: præterea omnes Epiſcopi, cum *Ladiſlao Archi-Ep. Strigonienſi*. Præcipui ex Nobilitate erant, præter *Tomoræum & Georgium* profligati exercitùs Duces, *Joannes Dragffius, Matthias Frangepanus, Gabriel Perenius, Thomas Zechius, Sigiſmundus Banffius, Joannes Battianus, Joan-*

Cæſorum numerus. Trucidati ex Hũgaris, præcipui Nobiles

 nes

nes Iſthvanffius, Franciſcus Hampo, Joannes Paxius, Nicolaus Forgacz, Antonius Palozy, Sigiſmundus Pogan, Simon Horvath, Franciſcus Orzagus, Franciſcus Balaſſius, Michaël Podmanicius, & quidam alij. Ex Bohemis, *Joannes à Kolovvrat, Stephanus Comes Schlik, Chriſtophorus Comes à Guttenſtein,* vetuſtiſſimæ Nobilitatis heros, *Jacobus VVrzeſovecius* Regni Bohemiæ Subcamerarius, cum *Joanne* fratris ſui filio, *Henricus Kuttnaur Burggravius arcis Caroloſteinenſis*, & *Nicolaus Zlinius* copiarum Roſenbergenſium ab Henrico de Roſis miſſarum dux. Ex Moravis, *Joannes à VVickov, Sigiſmundus Kropacz à Neviedomi*, & *Hynko à Zaſtrzizl & Prakſicz.* Denique ex ducibus pedeſtrium copiarum, præter *Hannybalem Cyprium* Pontificiæ legionis ductorem, & *Joannem Comitem ab Hardek*, quorum uterque pernici uſus equo, amiſſis ſuis omnibus, in tutum profugit, evaſit nemo. Ex equeſtrium numero, duo Joannes *Banffius* & *Tabius*; itémque *Palatinus*, ſeſe ab interitu ægrè licèt explicuêre; *Valentinus Ægidius de Stampach Boëmus*, aliquot acceptis vulneribus captus eſt, ac poſtea feliciori uſus fortunâ, in patriam eluſis Turcis, incolumis redijt. Poſtridie quàm pugnatum eſt, juſſos ad ſe adduci *Solymanus*, ad mille quingentos captos catenis vinctos, atque in his ex prima Nobilitate multos, qui vivi venerant in poteſtatem, ſpectante exercitu, cùm nulla humanitatis ratio oſtenderetur, quæ efferatum odio animum ad miſericordiam flecteret, nulla quæ impotentem victoriæ ab ulciſcendi libidine retardaret, capite plectendos curavit; perpaucis cum *Stampachio* de quo jam dixi, & *Joanne Pileczki, Joannéque Matiegovvski Polonis, & Nicolao Herczog* theſaurario regio, exceptis, ut haberet, à quibus certior fieret, cùm de alijs Hungarorum conſilijs, tum de rebus alijs occultioribus, quæ à ſe non ignorari magni ſua crederet intereſſe.

ex Bohemis ſimiliter primariæ Nobilitatis,

& ex Moravis.

Pauci cladem evâſerunt.

Solymani in captivos crudelitas.

Nicolaus Iſthvanf. lib. 8. Ens rer. Hung. lib. 4. Joannes Michaël Brutus lib. 6. & 7. Dubrav. l. 33. Hagek. Kuth. Curaus anno 1526. VVeleslav. ad d. 29. Auguſti. MS. Hiſtoria Roſenſ. cap. 10. MS Anonym. de rebus geſtis Ludovici Regis lib. 3. cap. 7. Alia MS. diverſa.

Atque hæc eſt illa memorabilis, ſimul & luctuoſa *Mohaciana* clades, quam hoſtiſne virtuti & felicitati, an Hungarorum diſcordijs & ſeditionibus tribui æquiùs ſit, haud facilè eſt dijudicare. Id certum, quòd Hungari antiquum gentis ſuæ decus, florémque nobilitatis & militiæ, præcipua Patriæ lumina atque ornamenta, é Sacerdotum ordine viros ampliſſimos, Regni principes ferè omnes, quorum conſilio & ſapientiâ, communis omnium ſalus & Reipublicæ incolumitas innitebantur. Quidquid denique fortitudinis ac decoris, quidquid virium habebant, illâ unâ eâque funeſtiſſimâ dimicatione proſtratum amiſerunt; *cæperúntque cum inexpiabili ignominia ſua*, (verbis Nicolai Iſthvanffi loquor) *quà barbarorum intolerabile jugum, quà exterarum nationum ſervitutem ſubire ac perpeti*; ità ut temerarios inauſpicatæ pugnæ auctores, qui optimum & manſvetiſſimum juvenem Regem hoſtibus mactandum obtuliſſent, & non ſolùm Patriam ſuam, ſed & vicinas Provincias, *Auſtriam* præſertim & *Moraviam*, in ſubſequentes miſerias & calamitates præcipitaſſent, jure meritóque culpandos in perpetuum cenſeamus. Quanquàm, ùt ait ille, *cùm Numinis ſubvertere ira aliquos parat; primùm omnium aufert ſanitatem mentium, praváſque pro rectis creat ſententias: nè quis malefacta noſcere poſſit ſua.*

Auctores infelicis prælij juſtè deteſtandi.

Jam

Jam *VVeyvoda* ſeram rebus perditis opem ferens, cum exercitu *Segedinum*, ad Tibiſci & Maruſi confluentem, nobile oppidum pervenerat, in quo ad XL. millia hominum cenſebantur: & *Chriſtophorus Frangepanus* XV. millia Illyrici nominis armatorum, *ad Sancti Andreæ oppidum*, haud procul *à Dravo* ſitum adduxerat. *Bohemi* præterea & *Moravi*, juſto numero partim ad *Albam Regiam*, partim ad *Budam*, venerant, ductoribus *Georgio Marchione Brandeburg. Adamo de Nova-Domo, VVilhelmo Sſvvibovvsky*, & *Henrico Hlozek*, qui Bohemis præerant; *Joanne* verò *à Pernſtein, Joanne jun. à Sternberg, & Bernardo jun. à Zierotin*, qui Moravos ducebant. Nec procul abeſſe *Sileſios* equites cataphractos nuncij afferebant. Unde ſi *Tomoraeus*, & reliqui præcipitis & funeſti prælij autores, hos expectare voluiſſent, commodiore utique fortunâ, & æquiore conditione certare, neque de ſucceſſu victoriæ magnoperè deſperare potuiſſent. Cùm ad duces auxiliorũ, de infelici & lugubri adverſæ pugnæ exitu, famâ allatum eſſet, omnes æquè attonitos, & metu perculſos perterruit, ac perturbavit: & *VVeivoda* quidem, munitis caſtris, aliquandiu *ad Segedinum* ſtativa tenuit, ut conatus *Solymani* ulteriores obſervaret; *Bohemi* verò & *Moravi*, itinere quo venerant, agminatim reditum maturârunt: & quia metuendum erat, nè hoſtes tantâ elati victoriâ, etiam ultra Regni Hungariæ fines populabundi penetrarent, *ad Skalicium* pro tutela limitis ſubſtiterunt.

Joan. VVaivodæ, Bohemorũ & Morav adventus, rebus perditis opem ſerò ferens.

Bohemor. ductores, Georgius Marchio Brandeb. & Adamus de Novadomo, Regni Cancel. Moravorum Joan. à Pernſtein. ſup. Capit. Provinciæ.

MS. Anon. Litomiſſl. de reb. geſtis VVladiſlai & Ludov. Regg.

MS. de clade Mohacz.

Bohemi cum Moravis domum reduces, ad Skalicium ſubſiſtunt.

Regina *Maria*, ſtatim ac de malè geſta re, nondum de Regis morte, nuncium accepiſſet, de ſententia ſuorum, quùm *Solymani* celeritas in Regiam imminentis, minimè tutam *Budæ* moram manenti efficeret, (magnis enim itineribus approperare ferebatur) *Joanne Antonio Burgio Legato Pontificio, Thoma Epiſcopo VVeſprimienſi, Alexio Turzone & Joanne Bornemiſſâ*, fugæ comitibus, ſe *Poſonium* recepit. Quam ſequuti ſunt locupletiores *Cives Budenſes*, cum rebus ſuis pretioſiſſimis, & quæ ſubtrahi avaro hoſti potuerunt, prædæ Regiæ Urbis & peropulentæ, avido animo inhianti.

Maria Regina hiſce perterrita, Budâ Poſonium trepidè ſe recipit.

Interea prædatorij Turcarum equites, qui *Acangij* vocantur, in populationem effuſi versùs *Balatonem lacum*, nullum crudelitatis genus prætermisêre, omnem regionem igne ac ferro vaſtantes. Unum hîc non videtur prætereundum, quod ab alijs quoque literis proditum eſt: cùm latè fuſo belli terrore, omnia ſanguine, cœdibus & incendijs complerentur, inventas matres, quæ infantes liberos vivos in foveam defoderent, hâc unâ ratione, quando cætera ſubſidio deeſſent, ſuos â fœda barbarorum ſervitute vindicandi. *Solymanus* verò aliquot dies in caſtris moratus, dum revocâſſet, quos prædatum emiſerat, *Mobacio* movit, militémque prædâ onuſtum *Budam* duxit: atque iterum dimiſſis in omnes citerioris Hungariæ partes prædatoribus, quiquid *inter Danubium & Balatonem lacum* interjacet agri, Jaurinum uſque, ferro & igne vaſtari juſſit, terrore haud mediocri *Moravis* quoque & *Auſtriacis* injecto. Inde *ad Peſtum* copijs Danubium ponte traductis, decimo quarto, poſtquàm *Budam* venerat, die, in ulteriorem Hungariam contendit: móxque ad vaſtandam regionem omnem, quæ *inter Danubium & Tibiſcum* intercedit, copia-

Turcæ longè latéque populatum excurrunt,

in obvia quæque immaniter ſæviunt:

Moravis & Auſtriacis magnam formidinem incutiunt.

 rum

rum partem mittit, nondum quicquam remittens de ſæviente animo, quo per tot illatas clades, inexplicabili quâdam odij vi, in victos ferebatur. Affirmant plerique Scriptores, toto hoc calamitoſiſſimi belli tempore, *prope CC. hominum millia*, quorum pars cæſi, pars in ſervitutem abducti ſint, deſiderata eſſe. Tandem, quòd & hyems appeteret, & novis tumultibus *in Aſia* excitatis, domum revocaretur, omnibus, quæ inter Danubium & Dravum occupaverat locis, atque ipsâ etiam arce & Civitate Budenſi, ſinè ullo præſidio (quod mirum erat) relictis, primò *Adrianopolim*, deinde cum victore exercitu *Byzantium* reverſus eſt. Budâ movens, æneas tres ſtatuas, miri operis, atque artificij ſingularis, *Apollinis cytharœdi, Dianæ cum pharetra, & Herculis cum clava*, quæ victoriæ monumenta apud poſteros illuſtria extarent, demolienda, atque aſportanda *Byzantium* curavit. Ea *in Hippodromo*, qui locus integer â barbarorum immanitate, adhuc veteris Urbis veſtigium retinet, inter præclara alia nobilium artificum opera conſpiciuntur. Abduxit etiam tria inuſitatæ magnitudinis tormenta, quæ olim *Matthias* capta bello, ex Boſna advexerat. Ab hinc *Hungariæ* ea fuit fortuna, ut ferè ſemper poſterior dies priori, ipſi triſtior & gravior illuxerit. Quod malum, ſenſim etiam *in Moraviam*, vicináſque Provincias redundavit; ùt in *Parte II. bujus Operis*, ſuis in locis, narrabimus.

desiderata hoc toto bello, cæſorum & captivorum hominum *ducenta* millia.

Solymanus Conſtantinopolim redit:

ſtatuas tres æneas Budæ acceptas, in foro urbis locat.

Miſer deinceps, & deterior ſemper Regni Hung. ſtatus.

Faciat Deus ter Opt. Max. & flagella ſuæ iracundiæ, bella horrida, ex ijsque enaſcentia mala, quæ pro peccatis noſtris meremur, â nobis clementiſſimè avertat: præcipuè verò Turcarum, qui tot tantisque victorijs paſſim obtentis elati ac inſolentes, extrema quæque non nobis tantùm, ſed vicinis quoque Regnis & populis minitantur, vim & tyrannidem, nè latiùs ſerpat, dexterâ potentiæ ſuæ ſubmoveat. Imminent illi cervicibus noſtris, & â fronte, apertâq; vi nos hìc & nunc aggredi non auſi, per viciniam latus petunt: quod quàm facili negotio ferire, nósque tandem opprimere poterunt, ſi occupatâ jam *Podoliâ, Ruſſiam* quoque & *Poloniam*, (heu! in ſe ipſam diviſam, & inteſtinis diſcordijs labantem) ſub jugum mittant. *Miſericordiæ Domini, quia non ſumus conſumpti* hactenùs: providendum idcirco, & calentibus votis orandus idem *miſericors Dominus, Dominus Exercituum*, nè ab eâ dira peſte conſumamur in futurum.

Votum Authoris.

Thren. 3.

FINIS PARTIS PRIMÆ.

INDEX.

INDEX.

A.

S. ADalbertus *Epiſcopus Prag.* ſimul & Moraviæ, 41. ejus corpus in Bohemiam allatum ex Polonia 254.

Æneas Sylvius, Papæ legatus in Bohemiam ad Comitia venit pag. 652. plura de eo p. 653.654.& 655. *Pontifex creatur*, & Pius II. dicitur 699. Bellum ſacrum contra Turcas à Chriſtianis Principibus ſolicitat. 699. *Georgio Bohemiæ Regi* paternè ſcribit 699. *Georgium* agnoſcit, & appellat Regem 700. moritur 736.

Agnes, Getrudis Bohemiæ Reginæ conſobrina memoratur, neptis Henrici IV. Imp. 314. 327. mater *Henrici*, à quo *Czerninij*, 311. & 314. in marg.

S. Agnes, primò regnorum ambitioſiſſima, poſt Sancti Monialis DEO deditiſſima 386.

Albertus Archi-Dux Auſtriæ, gener *Sigiſmundi Imp.* à ſocero Moraviæ Marchionatum accipit. 48. mortuo Sigiſmundo, Bohemiæ Regno ſuſficitur 48. & 612. cum *Elizabetha* conjuge coronatur Pragæ 613. Wratiſlaviæ hyemat, & imminentibus Turcis in Hungariam venit 614. ex dyſſenteria moritur 616. *Ladiſlaus* filius ejus poſthumus Bohemiæ Rex eligitur 617.

Antæ Henetorum propago, gens Slavonica 21. 29. 31. 122.

Archi-Epiſcopalis Sedes in Moravia 42.

Arioniſtus Germanorum Rex, Julio Cæſari bellum infert 5.

Amazones Sarmaticæ unde ortæ, earum progenies & geſta 22. & ſequ. *S. Apollinaris* Borzivogium II. liberat ex carcere 286.

Arneſtus Archi-Ep. Prag. creatur anno 1345. & cum Joanne Rege in bellum Sileſiticum proficiſcitur, 419. moritur anno 1364. pag. 431. ſurrogatur ipſi *Joannes de Wlaſſim* Olomucenſis Epiſcopus 431.

Arno Epiſcopus Herbipol. bellum inferens à Bohemis occiditur. 197.

Arnulphus Carolomani filius, Adelgaidis Reginæ Moraviæ frater 187. expoſtulat cum Swatopluco affine 188. ſimultas inter utrúmq; 194. Arnulphus affini bellum indicit 195. periclitatur in pugna, ibid. divinitùs liberatur pag. 196. à Slavis vehementer premitur 200. à Moravis urgetur pag. 201. moritur pag. 212. Atletha filia Carolomani, uxor Swatopluci 41.

Attalus Marcomanorum Rex Piparam filiam *Gallieno Imp.* conjugem tradit 102. Ideò Imperator ſocero ceſſit Pannoniam, ibidem.

Attila Hunnorum Rex, Quados & *Marcomanos* ſubigit pag. 113. cum iiſdem & Venedis Slavis per Italiam, Germaniam, Galliam victorioſus graſſatur, Ibidem. Ingenti clade afficitur 113. Coloniam, ac Thuringiam vaſtat; in Pannoniam redit 114. Italiam vaſtat; Aquilejam & alias Urbes ſolo æquat. pag. 114. & 115. Hinc Venetiarum origo 115. Romæ parcit; in Pannoniam redit; moritur pag. 115.

Avares Germaniam crudeliter exercent. 124.

Auſtria nomen, unde? quando cœptum pag. 129. vaſtatur à Moravis 173. 177. Auſtriaci Wladiſlaum Bohemum, Wenceslai II. Bohemiæ Regis filium, Dominum accipiunt 351. Hoc mortuo varios ſibi Dominos quæritant 351. Hermannum Badenſem eligunt, Ibidem. Huic *Ulricus Carinthiæ Dux*, & Brzetslavienſis *Marchio Moraviæ* bellum infert, Ibidem. Hermannus Ulricum profligat; capit 352. Bavariam Hermannus infeſtat Ibid. Moravos & Bohemos impugnat 353. paciſcuntur 354. Moritur, & ſuccedit Przemislaus Marchio Moraviæ 359. *Viennenſes* contumaces, Cæſari, & Papæ 661. Auſtriaci rurſus in Cæſarem inſolentiores 673. Bohemos & Moravos Proceres Viennæ veneno tollunt 683. Prædones in Auſtria 696. Iterum Friderico Imp. inſultant 713. Viennæ in Burgo obſidione premunt 730. *Georgius Bohemiæ Rex Viennam obſidet.* 731. *Fridericum Imp.* liberat. pag. 733.

Axamitek Bohemus, miles inſignis Hungariam infeſtat, pag. 666.

B.

Babak I. Moraviæ Slavicæ Rex 31. & 119. Dum Hungariam impugnat à Theodorico, Theodemiri filio, Rege Oſtro-Gothorum, profligatur 119. à Theodorico perimitur; Moravia ſubigitur 120.

Bartholom. Eques de Drhonicz ſcriptor egregius 479. & ſequ.

Barebiſta Dacorum Rex grave cum Marcomanis bellum gerit 87.

Barbara Sigiſm. Imp. conjunx Pragæ coronatur 603.

Baſileenſe Concilium. V. Concilium.

Bavaria Bohemos amat, & redamatur 918. Pro his Bohemi pugnant; deſerti cæduntur Bohemi 919.

Bavorij de Strakonitz Bohemi, ex *Odrzifauſijs* oriundi 170. 362.

Beatrix vidua poſt *Matthiam Hungariæ Regem*, juvat Wladislaum in ſucceſſionem regni, ſpe matrimonij 902. Urget nuptias 905. ob ſterilitatem negligitur; in Italiam abit, 906.

Bechinie Joannes de Lazian 934.

Bedrzich presb. apoſtata Straznic. 470. cœnobium Welehrad. occupat & diripit, Abbatem cum alijs ſeptem comburit, 471. pulſus ex Morav. fugit in Bohem. & fit *dux Orebit.* 473. ejus geſta in ſeq.

Beneda, unus ex Optimatibus 302. 385.

Beneſſ. à Weitmille Can. Prag. ſcriptor egregius rer. ſui temp. 404. & ſequ.

Beneſſ. de Ralsko alias *à Wartenb.* 362.

Berkarum Familia in Moravia, una ex præcipuis 888. 405.

INDEX.

Carthuſia Pragæ ad portam Augezd. ab Huſſitis Pragenſibus diruitur 456. Carthuſiani ex antiquæ Vrbis carcere prodigiosè liberantur 457.
Choczen caſtrum Carolus IV. adhuc Marchio Moraviæ, expugnavit 416.
Chodowe in Bohemia 255.
Chomotovium civitatem Bohemiæ, *Zizka* expugnat, & excindit 469.
Chriſtianæ Religionis principia, in Morav. 38. & ſequ. in Bohemia 141.
Chrudima civitas à *Chrudo* conditur 191. oppugnata fruſtrà à Mathia Ungariæ Rege 834. *Chrudi* geſta 190. prælium cum Moravis 193.
Cimbrorum origo & migratio 82. à Bojohemo, ſeu Bohemia repelluntur 83. Per tranſitum cum Oſis & Pannonibus pugnant 83. atque in Italiam abeunt Ibidem: cæduntur in Italia 84.
Civilem ſtatum inter, & Nobiles diſſidia de juribus 915. iterum 917. componitur lis, 939.
S. Clementis Papæ & M. allatum in Morav. inde in Bohemiam an. 864. pag. 42. 148. 153.
Communio ſub utraq; Bohemis, Moravis, & Auſtriacis, conceſſa ſæpiùs 860. & 603.
Concilium Baſileenſe indicitur 572. Bohemi eò quoq; veniunt 571 & 572. inchoatur. Adeſt *Procopius Major Dux Taboritarum*, omnibus admirationi 576. & 577. Legati à Concilio ad Bohemos 577. Legati Bohemorum à Concilio revertuntur 584. Concilio parent Bohemi, ſed Taboritæ cum Orphanis refragantur 584. Praga Vetus cum Proceribus inſurgit in Taboritas; hos Urbs nova defendit 585.
Conradus I. Brzetislai Bohemiæ Ducis filius, *Znogmenſi* ditione donatur 46. etiam territorio Brunenſi, ibid. *Wratislao Bohemiæ Regi* contumax, obſeſſus, & ſupplex pacem impetrat 270. mortuo Wratislao, Principatum Bohemicum uſurpat 271. & 273. Præfuit ſolùm octo menſibus 273. Surrogatur ei *Brzetislaus*, Wratislai Regis filius 274.
Conradus II. Wladislai Bohemiæ Ducis frater, Wladislaum Principatu ſuo privare nititur 301. Wladislaum profligat, Pragam obſidet, 302. Opem ferente Cæſare, Wladiſlao, *Conradus* Pragam ac templa ſuccendit 302. In Moraviam recedit 303. ibi profligatur & fugatur ab *Henrico fratre Wladislai* 304. Iglaviam ſe recipit, in præſidium 304. Wladislao cum exercitu veniente, *Conradus* Iglaviâ Znogmam, inde in Auſtriam, & Hungariam fugit 305. Iterum *Znogmam* redit 306. ad plectẽdum Wladislaus *Znogmam* properat 308. hæc fortiter obſidionem ſuſtinet, p. 309. Bohemi primi *Znogmam* capiunt, fugiente Conrado, *Urbs excinditur* 310. Conradus dat nomen ſacræ militiæ, & Wladislao patrueli per Conradum III. Imp. reconciliatur 310. Conradus II. moritur 313.
Conradus III. Marchio Moraviæ, Henrici, Wladislai Bohemiæ Ducis fratris filius, *Fridericum Imper. Barbaroſſam*, in Italiam comitatur 313. & *Ottonis Witelsbachij Comitis*, quem in pugna ſervaverat, filiam in uxorem ducit 313. *Mediolani* ſtrenue ſe gerit 316. Pacem cum Auſtriacis init 321. *Sobieslaum Bohemiæ Ducem* perſequitur 321. in ſolium Bohemiæ vocatur 322. Pragam venit 323. pulſus, iterum redit, & cladem refert 323. iterum 324. Veniam ſupplex impetrat 325. Contra Saracenos proficiſcitur 326. Redux in mortui Friderici locũ, Bohemiæ Princeps eligitur, ibid. Moritur in expeditione *Henrici VI. Imp. ad Neapolim* 326.
Conſiliarij boni & fidi, quàm ſalutares 212.
Corſteina arx 277. ejus obſidio 736. expugnatio 741.
Corvinus Joannes, aliter *Hunniades* Transſylvaniæ Dux, quis? 621. Victorias de Turcis refert 621. & 622. & 623. ideo Turcis nomen ejus formidabile 623. Turcis pacem impetrat 627. Wladislao Regi bellum cum Turcis diſſvadet 630. Regni Hungariæ Gubernator pronunciatur 632. Victus à Turcis miſerabiliter effugit 645. à *Giskra Bohemo* profligatur in Hungaria 655. *Axamitek* Bohemum timet 667. Turcas inſigniter cædit 672. Inſidias vitæ ſtructas habet 674. ſed à Rege confirmatur in honore 674. & 675. Cùm *Capiſtrano* Belgradenſem obſidionem contra Turcas fortiter ſuſtinet 675. Moritur 677.
Corvinus Mathias, Joannis Corvini filius, *Hungarorum Rex* eligitur 718. de Cunegunde Georgij filia ſibi deſponſanda, tractat 719. Coronam Hungariæ recipit *à Friderico III. Imp.* 741. duris quidem conditionibus 742. & coronatur. Ibidem. Cunegundis ante coronationem moritur 742. *Hunniadum* propaginis exitus 917.
Cotyſo frater Burebiſtæ Dacorum Regis, Romanos impugnat 87.
Crocus in Moravia creſcit 54.
Cundacker Carinthiæ Dux Moravis adhæret, contra Bavaros 156. occiditur 159.
SS. *Cyrillus & Metudius Moravorum Apoſtoli* 38. 40.
Cyrillus Moravorum Archi-Epiſcopus, ſecundò Romam abit, anno 877. pag. 187.
Czaslavia civitas Bohemiæ conditur 133. contra Catholicos & Sigiſmundum comitia Nobilium 473. Moravi pro fide & Rege, contrarium decernunt, 474.
Czechus & Lechus, quandonam in Bohemiam venerint, Autores variant 30. *Czechi* arma gentilitia, non *Aquila*, ſed *tria flumina* 145.
Czerninij de *Przemyslo-Libuſſaa* progenie deſcendentes probantur ex inſignijs p. 145. de hujus Familiæ origine 311. à quo oriundi 314. 329. Hos & Theobalditios Bohemi reges perſequuntur 333. *Brzenko* martyr 499. *Wilhelmus* memoratur 910. Burggravius Reginæ-Hradecenſis 933.
Czerna Hora obſeſſa 484.
Czerno-Horský. vide *Bozkovicij*.

INDEX.

D.

Daci Sarmataq; Romanos impugnant; Mæſiam vaſtant 26. Domitianum profligant. Auro placantur: à Trajano Imp. ſubjugantur 26. Vide quoq; 92. *Daczicium* civ. & ibi monaſterium Franciſc. 74. *Dalemintia*, nunc *Miſnia* 197. 230.

Daubrawicij in Smilone Oſſowsky, anno 1613. extinguuntur p. 170. Ex *Odrziſauſijs*, aliter Sagittiferis oriundi. Ibid. *Smili Daubrawicij* ſit ad Mediolanum mentio 316. *Daupovecz* Bohuslaus Martyr 469.

Decebalus Dacorum Rex, Romanas provincias infeſtat pag. 92. Romanos vincit. Ibidem. videatur etiam pag. 26. *Deſiderij* ſeu *Zdemdij de Sſvabenicz* miſerabilis interitus 271. *Dobalicij; Borzek* 353. 480. 488. & ſequ. *Zdenko* 704.

E.

Eccleſia Cathed. S. Wenceslai Olomucij erigitur 196.

Eccleſiaſticus Status in Bohemia, ſub Wladislao Rege, ad actus Regni publicos non amplius admittitur. In Moravia Baronibus poſtponitur p. 936.

Egram venit *Philipp. Imper.* & *Rex Przemysl.* 319. *Sigiſm. Imp.* 603. *Georgius* 700. 705. 724.

Electores Imperij ſupplicant Papæ pro Georgio Rege 749. 767. quem inſuper dignum Imperio cenſent 770.

Ewanczicium civitas Moraviæ 74. Martyrium Catholicorum ibidem 492. oppugnatum 505. recuperatum 510. obſeſſum denuò 514. præſidio Georgij tenetur 840.

F.

Fames Moraviam affligit 167. Fames & peſtis Moraviam & Bohemiam 384. Rurſus Morav. & Hungaros 865. initio.

Feywarum oppidum propè *Kaurzimium*, Hungari condiderunt 236. Fluvij Moraviæ 50. & ſequ.

Frangepani Bernardini laus, & ejus Familiæ deſitio 907. Chriſtophorus Frangepan tardiùs cum auxilijs venit Ludovico Regi, hinc clades 957.

Fridegildis, alijs *Fritigil*, fit Chriſtiana 111.

Fridegildus Marcomanorum Rex, Romanis Amicus adversùs alios Quados, & Sarmatas, fert auxilium 110. Gratus Romanis Impp. ob fidem 111. & alia ibidem plura.

Fridericus III. Archi-Dux Auſtriæ, Imp. in locum Alberti demortui ſurrogatur 619. moritur 907.

Fridericus Wladislai Regis filius, Sobieslai demortui locò Bohemiæ Princeps adlegitur 322. Germanis nimiùm favens, Bohemis fit odioſus, ibidem. Pellitur à Bohemis, & *Conradus Marchio Moraviæ* Pragam invitatur 323. Conradum profligat 324. Conradum ſupplicem in gratiam recipit 325. Fridericus moritur, & Conradus ei Princeps ſufficitur 326.

Fridericus de Chauſtnik magiſter Equitum, ſub Sobieslao I. 290.

Fridericus à Stubenberg 388.

G.

Gallus de Lemberg Wartmbergeæ ſtirpis 362. 372.

Gemnicium Civitas Moraviæ p. 74. antiquitas ejus ibid. & 238.

Georgius Podiebradus de Kunſtat Calixtinorum Pragæ fautor & caput 643. Pragam occupat 643. ſuos adverſarios perſequitur 648. *Æneas Sylvius* cum eo colloquitur, ad pacem Eccleſiæ hortatur 653. à Calliſto Papa monetur 680. Mortuo *Ladislao* Bohemiæ Rex eligitur 686.

Georgius Rex bonus, ſi Eccleſiæ paruiſſet, aut Rokicanæ non adhæſiſſet 692. Rex *Moravos* in fidem ſuſcipit p. 693. *Iglaviam* contumacem oppugnat 694. *Fridericum III. Imp.* adversùs Auſtriacos juvat 695. Quâ hæretico *Sileſij* parere nolunt 697. Rurſus in cauſa Imperatoris contra Auſtriacos movet 701. Imperatorem cum Hungaro Rege pacificat 702. 703. Ad Comitia *Mantuam* legatos mittit 699. Mantuam denuò invitatur 705. *Olomucij* comitia celebrat 709. cum Polono pacem init 715. Monetam in Regno reparat 716. *Kunkam* filiam Hungaro tradit uxorem 723. Imperatorem Frid. cum Hungaro pacificare contendit p. 720. *Summam Imperij dignitatem ei Principes offerunt*, ſi Eccleſiæ pareat 721.

Georgius Bohemiæ Rex compactatis Baſilæenſibus mordicùs adhæret 722. & 727. Papæ legatum incarcerat 728. Cancellarium Regni officio privat 729. *Pius II.* ad preces Imperatoris excomunicationem in Georgium ſuſpendit 735. *Berkam Catholicum* ſibi non parentem oppugnat 739. hic expugnatus Romam [illegible]ul abit 741. *Georgius* à Paulo Papa citatur 744. Papa Bohemos & Morav. ab obedientia Regis abſolvit 744. *Georgius* ſe literis purgat, pag. 748. à Papa petit audiri 749. Condemnari ſe à Papa queritur, apud Hungariæ Galliæque reges 749. *Electores pro Georgio Papam orant* 750. & antecedenter Galliæ Rex & Sileſiæ Duces 751. 752. Orant & Bohemi Proceres 752. *Moravi cum Epiſcopo* 754. & 755. laudant, excuſant 756. Rex excommunicatur 761. *Bohemi, Moravi*, urgentur ad publicandam excommunicationem 761. & 762. ab obedientia Regis abſolvuntur 762. *Epiſcopus Wratislavienſis*, & Bohemi Regem reſipiſcentiæ commonent, pag. 763. Rex negat ſe hæreticum, juxta Compactata: Bohemi ei adhærent; Papæ ſcribunt 764. & 766. omnia hæc irrita, ibid. *Electores orant Papam pro Georgio* p. 767. & 768. Rogant ut Georgius audiatur 769. *Veneti* orant 769. & 770. Novæ cenſuræ contra Georgium 791. Excommunicatio contra Georgium primò Wratislaviæ, Plznæq; publicatur 793. Moravi verentur publicare 793. Bohemi, Moravi

Digitized by Google

paulatim deſciſcunt à Rege 796. 797. Contra rebelles *Georgius* bellum parat 798. ad *Concilium Generale* provocat 799. *Gallus* iterum orat pro Georgio 809. Cruciata contra Georgium 810. Crucigeri Bohemiam infeſtant immaniter 811. 838.

Georgius Bohemiæ Rex, Friderico Imp. Viennæ obſeſſo, ſubſidia mittit 729. liberat 733. *Picarditas*, aliter Jámnily ſectatios exterminat 759. *Bavarus* Georgium exoſum alijs, laudat, ac *Imperio Romano dignum* adſerit 770. Hoſtilitatem *Friderico Imp.* denunciat Georgius 770. & 771. Simultas inter Mathiam Hungariæ generum, & Georgium ſocerum 773. & 775. Literis acerbioribus odium augent 782. & 783. Georgius ad pacem proclivior 784. Georgium inter & Fridericum Imp. nova ſimultas 785. Dum Bohemi ſenſim à Georgio deſciſcunt 796. alij *Fridericum Imp.* alij *Caſimirum Polonum*, pro Rege Bohemiæ deſiderant p. 797. *Zdenkoni de Sternberg* primò bellum infert 800. ſecundò *Friderico Imp.* 801. Moravos impugnat 802. Sileſios 803. *Georgius in Brunenſes ſævit* 805. *Bozkovicium* perſequitur 804. & 805. &c. *Profitetur ſe Catholicum eſſe* 814. Saxones verentur Georgium impetere 815. & 816. ſimiliter *Mathias Hungariæ Rex* 817. Papa cum Imper. ſvadent & urgent, *Georgio* bellum inferendum 819. *Mathias* movet in Georgium 822. & 823. profligatur 825. pacem, ſed non diuturnam faciunt 836. Bohemi quidam Mathiam ſibi Regem eligunt 844. Dolet filium *Victorinum* ab Hungaris captum p. 846. Alij Bohemi Wladislaum Caſimiri Poloni filium pro Georgio, Regem ſibi deſtinant 852. *Georgius* armatus in Moraviam abit 853. *Iglaviam* fruſtrà tentat 854. Cum Mathia genero pacem init, moritur 858. *Pœnitens moritur* ibid. & p. 858. doluit ſe Rokycanæ dictis audientem fuiſſe 859. Novi candidati pro Bohemiæ Regno p. 861. Wladislaus, Caſimiri filius, Bohemiæ Rex declaratur 861.

Gepidæ mortuo Attilâ, Pannoniam Hunnis extorquent; *Marcomani* & *Sarmatæ* Gepidarum jugum excutiunt 115. à Longobardis extinguuntur 121.

Germanorum origo à Tuyſcone 13. non item Slavorum, ibid.

Germanorum cum Romanis bella. Vide *Marcomani.* contra Bohemos & Polonos bellant 243. ex Bohemia migrare jubentur 263.

Gertrudis filia S. Leopoldi March. Auſtriæ, ſoror uterina *Cunradi Imp. III.* Uxor *Wladislai I. Boh. Regis* 301. 314.

Geſtimulus Rex Dalm. 36. & ſequ. occiditur 38. 141.

Gigantei montes in Bohemia, Ptolemæo Κερκονέσιοι ὄροι, idem quod Bohemis, Krkonoſſe Hory.

Giskra Joannes Bohemus, Hungaros rebelles ſæpè cædit 619. Contra Turcas feliciter pugnat 622. Hungaros & Polonos profligat 623. Hungarorum vix effugit manus 625. Giskræ ſingularis amor in Regem ſexennem 634. Pancratium Hungarum prædonem compeſcit p. 639. & 640. *Corvinum Hunniadem profligat* 565. cum alijs Bohemis & Moravis Hungaros per 28. annos bellis vexat 712. *Mathiæ Regi reconciliatur*, poſthac fidiſſimus 713.

Giticzinium novum, civitas Moraviæ 65.

Giula Dux Hungar. Moravis infenſiſſimus, fulmine ictus interit 193.

Glacium ab Orphanis oppugnatur, ſed fruſtrà 536. Regi Georgio fidele 779.

Goldaſtus Melchior iniquus Bohemis in multis 247. & 248.

Gothi, vide *Oſtro-Gothi.*

Gothi ex Rugia Wandaliáque transmigrant in Daciam 27. Sarmatis bellum inferunt, & vincuntur 28. Aſiam minorem depopulantur: cum Gepidis & Herulis graviter cæduntur 28. à Romanis ſubacti, ſedem in Thracia impetrant 28. opprimuntur à Romanis 110.

Gotwalda ſuccedit Marobuduo 8. ob crudelitatem à Quadis deſeritur 8. ultimus Marcomanorum Rex ex regno profugit, ibid.

Græcorum Ethnarchus *Javan* fuit 13. Unde Helleni Græci dicti? 14.

Guttenſteiniorum memoria 316. *Joannis* in Zierovnicze 515. *Buriani & Joannis* fratrum 586. *Buriani* 793. & alibi ſæpiùs. *Leonardi* 796. 811. *Henrici* ac *Theodorici* 918. *Chriſtophori*, qui in Mohacenſi pugna cecidit 956.

Guilhelmus Comes à Sulczpach, Supremus Capitan. provinciæ Olom. & fundator monaſterij *Wilimov.* in Bohemia 285.

H.

Havel de Kogetino nobilis Moravus, inſignis prædo 538.

Hæreſes variæ, ſæpéque Moraviam inficiunt 60. Per *Hieronymum* & *Joannem Hus*, in Bohemia exoriuntur 453. Pragenſis plebs in templa primò ſævit 456. & 457. Nova hæreſis in Moravia 563. diſturbatur 564. *Picarditæ* ſeu *Jamnici* à Georgio Rege extirpantur 759. Fratrum alia hæreſis ex Bohemis & Moravis conflata 773. Georgius Rex eos excindere feſtinat 779.

Picarditæ reſurgentes, novas in Bohemia turbas cient 930. Lutheri ſecta, vide Lutherani.

Haugwicz Nicolaus belli præfectus 903.

Helffenſteina arx 65.

Heneti à quo ſint orti? unde venerint Slavorum majores 20. Trojanis auxiliares contra Græcos 20. Cum Antenore venerunt in Italiam: Ibidem. *linguâ fuerunt Slavi* 21. 124. Henetorum diverſæ nationes, provinciæ, nomina 21. Henetorum Aſiaticorum ex frequentatis colonijs extirpatio 25.

Henricus I. Imp. anno 935. *S. Wenceslaum* Bohemiæ ducem, Regem creat 229. Moraviam eidem attribuit, ibidem. *Henricus* frater Wladislai Regis, à quo Czerninij 311. 314.

Hen-

INDEX.

Henricus aliter *Brzetiſlaus Pragenſis Epiſcopus* Bohemiam abſente Duce, gubernat 326. Mortuo Cunrado Duce, Dux Bohemis præficitur 327. Moravorum inſidias evitat, moritur, ibidem. Succedit ei Princeps *Wladiſlaus*, Wladiſlai Regis filius 328.

Henricus Theobaldi III. filius Moravia Marchio Brunam deſerit, & in exilium abit 333. revertitur 339. moritur 354. ſuccedit ei *Przemyſlus* Wenceſlai Regis filius 354.

Henricus Carinthia Dux, à Bohemis Princeps eligitur 394. & 395. eóq; brevì amoto, Henrici VII. Imp. filius Joannes Lucemburg. Rex aſſumitur 395.

Henricus D. Leopoldi filius, è Marchione Dux Auſtriæ primus 319.

Henricus & *Hynko* filij Georgij Regis creantur Principes ab Imp. 733. eorum geſta in ſequ.

Hermannus Auſtriæ Archi-Dux. Vide Titulum Auſtriæ.

Hermundurorum ſedes olim in Miſnia & Luſatia 8. Quando in Bohemiam immigrârint? 9. *Marcomanorum* Regem Gotvaldum exoſi, Jubillium ſibi Regem inſtituunt 8.

Hezilo filius Brynnonis regis Morav. 36. 139.

S. Hiacynthus ex familia Kravareorum &c. 171.

Hieronymus Pragenſis hæreſim in Bohemiam infert 453. cum *Joanne Hus* Conſtantiæ comburitur 455.

Hlozek Wenceslaus Burggrav. Hradec. 854. *Henricus* bello pacéque egregius 957.

Hodiegowij cujuſdam fit mentio 316.

Holiczky à Sternberg, *Alexius* vir inſignis 473. 557. 592. 612. 669. *Smilo* 521. *Petrus* 635. 649. alius *Petrus* 903. 933.

de *Horka Janus* Nobilis Moravus 316. *Fabeſſ* 344. *Pardus* 557. 582. 586. 599. 605. 647. *Jeſſko* 701. *Ctibor* 870. *Petrus* 906. 917.

Hormidor Moravorum Rex, Lechi ſucceſſor peſte moritur 35.

Horti præcipui in Moravia 53.

Hoſtirad unus ex Optimatibus Moravis 168.

Horſteina arx ob latrocinia diruitur 932.

Hradiſſko cœnobium Præmonſtr. *ad Olomucium* 65. incenditur à Tartaris 345. ab Olomucenſibus fruſtrà oppugnatur 846. reducuntur eò Religioſi 847. ab obſidione Olomucenſium liberatur 856. Iterum ab Olomucenſibus obſidetur 866. *Papa* diruendum permittit 868.

Hradiſſtium civitas Moraviæ munita, cum ſuo Diſtrictu deſcribitur 75. *Mathias Hungariæ Rex* in caſſum oppugnat 834. 845. non expugnat 846. tertiò *Mathias* oppugnat 850. Hungari profligantur 751. quartò tentat *Mathias* 876. & 877.

Hradiſtium in Bohemia, ſive *Kotnow*, nunc *Taborium* 176.

Hrochowe, ſeu *Harrachij*: *Aleſſ* 603. *Ulricus ab Horoch* 731.

Hrzan Paulus 416. Bohuslaus 934.

Hungari, vide *Ungari*.

Hunniades Corvinus quis? 611. Vide *Corvinus*.

Hus Joannes & *Hieronymus Pragenſis* exuruntur Conſtantiæ 455. Hinc Moravi Bohemique tumultuantur 455. Huſſij æterna damnatio manifeſtatur. *Vlrico Roſenſi* Dynaſtæ 458. Adversùs Huſſitas Bohemos, Germani Cruciatam inſtituunt 557. *Pragenſes* primi adversùs Cruciatos expeditionem faciunt 557. contra Catholicos invaleſcunt Huſſitæ 643.

Huſtopeczium in Moravia 71.

Hyems ſæviſſima per Bohemiam & Morav. &c. 572.

I.

Jaromirus, Brzetiſlai Bohemiæ Ducis filius ſacris addicitur 46.

Iaromirus Boleslai III. cæci filius, bellum in Polonos movet 240. ſed ab *Uldrico* fratre Principatu detruſus, capitur, excœcatur 241.

Iaroslaus Miczan martyr 469.

Iaroslaus à Sternberg domitor Tartarorũ 343. & ſeq.

Iaroslaus Ziſcæ frater perit ad Bechinam arcem 535.

Iaroslaus à Zierotin 649.

Iavan Græcorum Etnarchus fuit, non *Slavorum* 13.

Iazyges Sarmatæ, Slavica gens, antiquitùs Moraviam inſederunt, pag. 2. & 3. *Darium Perſarum Regem*, ad Mœotidem habitantes olim, profligârunt 3.

Iglavia Civitas Moraviæ quando cœpta? à quo condita? pag. 11. Civitas, & ejuſdem diſtrictus deſcribitur 78. Conditur à Moravis 133. per inſidias excidium ſibi ſtructum antevertit 441. *Zizka* fruſtrà tentat 491. Comitia celebrantur Bohemorum & Moravorum 596. & 597. Georgio Regi contumax bellum ſuſtinet 694. obſidio ſolvitur intercedente Imperatore 695. Fruſtrà Georgius Rex oppugnat 854. obſidionem ſolvit 855. Conveniunt *Mathias Hungariæ* & *Wladiſlaus Bohem. Reges* 894. &c. Prima *Lutheraniſmum* ſuſcepit in Moravia 946. conflagrat igni tota 947.

Inſignia Marchionatûs Moraviæ 49.

Ioannes Epiſcopus Podivinenſis in Moravia 41.

Ioannes Canon. Prag. fit Epiſcopus Moraviæ 41.

Ioannes Lucemburg. Bohemiæ Rex eligitur 395. Pragæ coronatur 396. Latrocinia in Moravia tollit 396. & 397. Hungaros Moraviam vaſtantes invadit 397. fugat, cædit 398. Cum Optimatibus diſſenſiones habet 398. hinc bellum aſſurgit 399. invaleſcit magis, incentore *Henrico de Lippa* 400. *Sacrum bellum* in Pruſſia gerit feliciter 407. In Galliam & Italiam abit 411. *Carolum filium* donat Moraviâ 413. Cum filio Carolo in Galliam abit 417. & 418. *Swidnicenſem Ducem* bello impetit; compeſcit 419. Polonos invadit; vincit 420. *Cracoviam* obſidet 421. In Gallijs adversùs Anglos in pugna ſuccumbit, moritur anno 1346. pag. 422.

Ioannes, Ioannis Bohemiæ Regis filius, Caroli IV. frater,

Digitized by Google

ter, ab uxore Margaretâ repudiatur: hinc bellici motus *418*. à Carolo fratre Moraviâ donatur *424*. ejus in Moravia poſteritas *425*. *Jodoco & Procopio* filijs Moraviam dividit *48*. Natus eſt hic *Joannes* Mielnicij *429*. moritur *428*.

Ioannes Marchio Luſatiæ, filius Caroli IV. *441*.

Ioannes Præpoſitus Wiſſehradenſis, Ioanni Regi ſuſpectus, incarceratus, liberatus, iram Regis fugit *429*. & *430*. honori reſtituitur, & Olomuc. Epiſcopus creatur *430*.

Ioannes de Praga Epiſcopus Litomiſſl. poſtea *Olomuc. & Card.* inſignis propugnator Catholicæ Relig. *60*. *483*. & ſequ. ejus obitus *551*.

Ioannes Brixienſ. Epiſ. Wenceslai Pij Cancell. *391*.

Ioannes de Cymburg Capit. Morav. *520*. *619*. *629*. *638*.

Ioannes Czabeliczsky vir militaris *592*. *629*. *649*. *Ioan. junior Czab*. *673*. *689*. *Sigiſm. Czabel*. *864*.

Ioannes Haly Epiſ. Olom. ex Familia Waldſt. *390*.

Ioannes ab Hardek Comes *493*. *519*. *Wilhelmus* ejus filius *534*.

Ioannes de Longa-Villa *405*.

Ioannes de Martinicz *405*.

Ioannes Munſtrberg. Dux, Piaſteæ familiæ ultimus occidit *535*.

Ioannes de Nova domo, Telczij reſiſtit Ziſcæ *495*.

B. Ioannes Nepomucenſis Canonicus Prag. Martyr. *437*. ejus mira *438*. *913*.

Ioannes de Rabſtein Præpoſitus Wiſſehrad. Georgij Regis Romam legatus *709*.

Ioannes Sobieslavek, Joannis March. Moraviæ filius, Epiſcopus Litomiſsl. poſtea Olomuc. tandem Patriarcha Aquileg *48*.

Ioannes Waradin. Epiſ. Moravus Proſtiegow. *867*. ejus legationes *875*. *878*. præclara geſta *882*. *889*. *895*. mortuus an. *1510*. pag. *928*. ejus Elogia *929*.

Ioannes Zizka *456*. & ſequ.

Iodocus & Procopius fratres, Moraviæ Marchiones dominentur: *Procopio* mortuo ſolus *Iodocus* Moraviæ totius dominus *48*. *Marchiam Brandeburgicam* emit, primò *Elector*, tandem *Imperator* creatus, brevì moritur, ibid. Hoc mortuo Moravia revolvitur ad Bohemiæ Reges ibid. *Iodoci* cum fratre *Procopio* ſimultas *439*. hinc bellum 444. *Iodocus* Iglaviam fruſtrà tentat 441. *Znogmam* irrito conatu oppugnat 445. & 446. *Wenceſ. Regi & Imp.* reconciliatur 449. Imperator eligitur 451. ſexto menſe moritur 4152. *Brunæ* ad S. Thomam ſepelitur, ibid.

Inundatio aquarum ingens in Bohemia; poſt, ſiccitas vehemens p. *438*.

Inbillius Rex Marcom. ab Hermunduris deligitur *8*.

Iulianus Cardinalis bellum indicit Cruciatum, contra Bohemos *555*. ſed fruſtrà *561*. fuga Germanorum *562*. Bohem. ad Concilium invitat *571*. & ſeq.

K.

Kamenicze oppidum reſiſtit Taboritis fortiter *517*. tandem deditur *518*.

Kapaunij de Svogkow. *Jaroß* *427*. *Ctibor* *649*.

Kaunicij Ottonis Comitis, fit mentio *302*. *Wilhelmi* Comitis p. *316*. *Beneßij* *352*. *Ioannis* *406*. *Wenceslai* *534*. *Ulrici jun.* *635*. *Georgij* *701*. *Waniek* 841.

Kekule: *Zaviß* *602*. *Ioannes* *825*.

à Klenowa Ioannes pag. *909*.

Kluſak Daniel 412. *Kuneß* 648. *Andreas* 850.

Kobilca Nobilis Moravi ad Mediolanum fit mentio p. 316.

Kolina Civitas Bohemiæ ab *Alſſio Sſwibowsky* gubernatore Regni premitur obſidione 593. cauſæ hujus expeditionis 592. *Kolinenſes* ex Moravia prædones excurſantes profligant 648.

Kolowratæi bello petuntur à Taboritis 546. Familiæ hujus antiquitas, decora 547. & *Iaroſſius* militiæ Præfectus 242. *Sezima de Kolowrat* Brunæ gubernator 333. *Iaroslaus* 400. 405. *Albertus & Georgius* fratres 426. *Beneß* 427. *Hanuß* 599. 546. 564. *Fridericus Libſteinsky* 514. *557*. mortuus *585*. *Henricus* *635*. *698*. *Albertus* *638*. *Fridericus* Friderici filius 642. 648. *Hanuß & Fridericus* juniores *658*. *Hanuß* *796*. *Beneß* *842*. *Albertus* *910*. ſupremus Cancellarius *917*. *Albertus junior* *918*. *Ioannes* *956*.

Konias Hynko 446. 891.

Korybut Litvaniæ Ducis frater, à Bohem. Rex expetitur 475. *Pragam* ad capeſſendam coronam venit 479. *Karlſteinam* cum Pragenſ. oppugnat, ibid. Contra compactata Pragam redit 506. Cum Bohemis Moraviam infeſtat 510. Auſtriacos ad *Swieslam* profligat, ibid. Retzium Auſtriæ civitatem cum Taboritis expugnat 519. *Pragâ* ejicitur 522.

Korzensky Petrus Bohemus 910. Militiæ Præfectus adversùs Turcas 950.

Koſtelecium ad Aquilam 309.

Koſtka Bohuslaus Litomiſslij Regem hoſpitio lautè excipit 913.

Koſtka Wilhelmus magnarũ ditionum Dominus 934.

Kragirzij: Henricus 495. Joannes Capitan. Moraviæ *535*. *Ioannes II.* fautor Georgij Podieb. 646. Familia ex vetuſtioribus 888. Wolfgang. 691. Leopoldus *845*. *850*.

Krawaraeorum in Moravia familia vetus 170. Joannis Krawaræ; ad Mediolanum fit mentio p. 316. *Henricus Capitaneus Morav.* occumbit in prælio pro Catholica fide 463.

Kremſirium civitas reſidentialis Olomucenſium Epiſcoporum *65*. à Svecis expugnata anno 1643. Ibid. Ab Huſſitis fruſtrà tentatur *480*. Bohemis Moraviam invadentibus, Epiſcopus Olomucenſis in Kremſirienſe præſidium ſe ſalvat *482*. Cæſo exercitu Epiſcopi, Taboritis deditur pag. *486*. & *487*. Epiſcopus *Kremſirium* rurſus oppugnat *489*. deditione recipit, pag. 490. *Zizka* profligatur ad Kremſirium 497. & 498. *Mathias Hungariæ Rex* Hradiſſtenſem oppugnationem ſolvens, *Kremſirium* venit *846*. *Georgius Rex* oppugnationem parat *856*. *Wladislaus* à Stanislao Epiſcopo lautiſſi-

mè

mè tractatur 927. Similiter *Sigiſmundus Poloniæ Rex* 935. huc Ludovicus Rex divertit, & dies aliquot tranſigit 948.

Kropacz Sigiſmundus à Newiedomy, Moravus ad Mohacium cadit p. 956.

Krtiny cœnobium Ord. Præm. 72. imago B.V. ibid. à miraculis.

Kunſtataa Familia celebris in Moravia dedit Bohemis Regem Georgium 686.

Kygowia Civitas Moraviæ 76. infeſtatur 471. occupatur 563.

L.

Ladislaus, poſthumus naſcitur, & Bohemiæ Rex declaratur p. *617*. Quadrimeſtris infans, Hungariæ Rex coronatur: ejus mater coronam ſecum aſportat ex regno p. 619. Matre Ladislai mortuâ, Hungari ad Polonos deſciſcunt: utroſque *Giskra* profligat ſæpiùs 623. *Ladislaus* educatur Græcij 633. Ejus amabilis infantia 633. & 634. Sexennis *Giskra* nummos aliquot donat 634. *Bohemi* parvulum Græcij ſalutant, honorant 634. Eum ab Imp. repetunt, ſed non impetrant 630. *Romam* cum Imperatore abducitur, & annorum 12. coram *Papa* puer perorat 638. Auſtriaci *Ladislaum* Imperatori eripere tentant 659. Imperatori bellum faciunt 659. obſident Imperatorem 660. *Ladislaum* Regem extorquent; Viennam inducunt 661. *Ladislaus* Poſonium venit, regnum ſuſcipit 664. à Bohemiæ aditu abſtrahitur *Smirziczkij* literis p. 664. Literæ Pragæ leguntur, & *Smirziczky* in foro decollatur 665. Moravos Brunæ in fidem ſuſcipit *665*. *Poſonij* comitia celebrat, quæ hujus cauſæ 666. Bohemi urgent Regis adventum *667*. In Bohemiam venit, coronatur *668*. *Sileſita* Regi jurare nolunt, niſi præſenti: Wratislaviam venit *672*. Wladislaum Hunniadis filium decollari jubet *679*. Cum *Magdalena Caroli VII. Galliæ Regis filia* ſponſalia celebrat *680*. dum nuptias parat, peſte moritur *681*.

Laureacum urbs ad Danubium antiqua ac florens *37*. direpta ab Hungaris 128.

Lechus Moraviæ Rex cum Carolo Caroli Magni filio pugnans, occiditur 35. 135.

Legio nigra, ex Bohemis & Moravis, ſtipatores Hungariæ Regis 893.

Leopoldus & *Ulricus fratres*, Moraviæ Marchiones, Brzetislao patrueli rebellant 276. in Auſtriam fugiunt *277*. *Leopoldus* Retzij oppugnatur à Brzetislao *278*. in Hungariam fugit *279*. uterque frater Brzetislao reconciliantur 280. Leopoldus moritur anno 1112. pag. *286*.

Leopoldus I. Marchio Auſtriæ 225. & 249.

Leskovecij: Joannes 466. *Arneſtus* 521. 646.

Lbotskij de Pteni: Ioan. 478. *Carolus* 534. *Witko* 870.

Lichtnſteinij Niclſpurg. ex antiquioribus Moraviæ incolis 888. *Chriſtophorus de Lichtnſt* 671. *Hanuſs à Lichtnſt.* 730. *Henricus à Lichtn.* 451. 597. 895.

Linguarum notitia Principibus apprimè neceſſaria p. 430. Slavicæ linguæ dignitas, & æſtimatio. Vide *Slavica lingua*.

Lipnicia arx in finibus Boh p. 11. conditur à Moravis 333. eam Bohemi demoliuntur 134.

Lippaa Familia, decora: *Henrici* 400. & ſequ. *Czenkonis* 416. 420. & 422. 502. *Jaroſlij* 405. *Bertholdus* & *Hynko* fratres Lippæi 451. *Bertholdus* bellum infert Auſtriacis 617. *Henricus* 638. 694. *Hynko junior* 714.

Litomiſslenſe cœnobium ac templum conditur 295. in Cathedralem erigitur *à Carolo IV.* 430. Ab Orphanis capitur 511. Carthuſia deſolatur 513.

Litovelia civitas Moraviæ p. 67. infeſtatur à Taboritis 550. à prædonibus capitur, expilatur 605. & 608. Iterum Olomucenſium virtute liberatur 607. & 609.

Litovelia regia quondam urbs 618.

de *Lobkowicz Bohuslai Haſſenſteinsky* laus 926. Hic queritur de malo ſtatu Bohemiæ, ob Hæreſim Picardorum 931. *Nicolaus de Lobkowicz* 649. 698. *Joannes de Lobk.* 658. *Joannes Haſſenſt.* 838. *Nicolaus* 842.

Locuſtarum per Bohem. & Morav. ingens multitudo 415. omnis tandem à Ciconijs conſumpta 416.

Lomnicai Nicolai mentio fit ad Mediolanum p. 316. *Joannes de Lomnicz* Capitan. Moraviæ 915. *Joannes junior Mezerziczky de Lomnicz* 918. 921. & 928.

Lomnicium caſtrum pervetus 238.

Longobardi Lygiorum in Luſatia, Sileſiáque ſedes occupant 121. hos inter & Moravos diſſidium gliſcit; componitur 122. Pannoniam occupant ibid. *Gepidas* vincunt, & extinguunt 122. In Italia novum Regnum condunt. Ibidem.

Ludovicus Wladislao Hungariæ, & Bohemiæ Regi naſcitur 921. mortuâ matre, vagiens infans coronatur p. 924. Bohemi eundem Pragæ coronant 925. Mortuo patre, decennis aſſumit Hungariæ, Bohemiæq; regna 938. *Maximiliano Imp.* mortuo, ad Conventum Imperialem invitatur 940. Bohemi locò ejus mittunt *Ladislaum à Sternberg Regni Cancellarium* 941. Ludovici & Mariæ, *Maximiliani Imp.* neptis ſponſalia 935. Nuptiæ 944. Bohemicæ coronæ juramentum præſtat 945. In antiqua Urbe Pragæ convivio excipitur, & Magiſtratus renovat 946. Movente *Solymano* bellum, auxilia petit 949. cum paucis ad *Belgradum* occurrit Solymano 950. auxilia non expectat 951. quæ non contemnenda fuerunt 957. Pugnam Rex inchoat 952. & 953. Hungari præcipitantur ad inſidias 954. cæduntur ad Mohacium 955. *Ludovicus* cum equo mergitur 955. Quinam ex Primoribus cæſi pag. 956.

Lukowiam Hung. Rex *Mathias* proditione capit 843.

Luſatiam cum Urbe Miſna, *Henricus IV.* Wratislao Bohemiæ Regi donat 172. vaſtatur à Taboritis ſæpiùs 528. 573.

Digitized by Google

Lutheraniſmi ſectam in Morav. primi ſuſcipiunt *Iglavienſes* 946. *Speratus* hæreſeos diſſeminator ad rogum damnatus, exul pellitur 947. Lutherani Picardique nimiùm augentur in Moravia 948.

Lygiorum ſedes in Sileſia, & Luſatiæ parte 9. extinguuntur *à Longobardis* 122.

M.

Malowecz Zdenko ſupremus regni Scriba 927. aliûs cujusdam fit mentio, pag. 316.

Marchia dicitur à limite Marcken, pag. 3. & 85.

Moravia quando facta Marchionatus pag. 46.

Marchionatus Moraviæ numeratur inter quatuor Imperij Marchionatus pag. 47.

Marcomani, priùs fuêre *Svevi*, ſed occupatis *Oſorum* agris, *Marcomani* dicti ſunt pag. 5. & 85. *Moraviam* ante *Slavos* incoluerunt p. 3. & ante hos *Quadi*, & priùs *Nemetes* 3. Marcomani duce *Arioviſto*, Julio Cæſari bellum inferunt 5. profligati receſſerunt in *Valeriam*: ſed rurſus hinc à Romanis pulſi 5. Horum varia bella, victoriæque 10. & ſeq. *Marcomani* Bojos ex *Bojohemo* pellunt 87. *Oſis* agrum repetentibus reſiſtunt; *Oſos* vincunt 86. Cum *Bojis & Dacis* pugnant 86. medio. Iterum pro libertate cum *Oſis, Dacis & Sarmatis* pugnant 87. & contra Rom. Imp. *Domitianum* 92. & alios. *Marcomanico fædere* totâ Germaniâ contra Romanos aſſurgitur 93. ſub *Antonio Imp.* à legione Chriſtiana divinitùs profligantur 95. Germanorum cæſa nongenta ſeptuaginta quinque millia 96. ſecundò Marcomanos aggredi vult *Antonius*, & Aſiatico bello diſtrahitur 98. Tertiâ expeditione moritur *Antonius Imp. Pius* 99. Hos alij Imperatores fruſtrà tentant 99. *Alexander Severus Imp.* bellum in eos ciet 100. & *Julius Maximinus* 101. Romanos vincunt, & à *Gordiano Imper.* reprimuntur 101.

Marcomani propemodùm bellis intereunt 9. tantiſper à bellis quieſcunt p. 101. Iterum ſub *Domitio Aureliano Imp.* duce *Gebbudo*, Attali filio, Italiam vaſtant 102. tribus prælijs ab *Aureliano* funduntur; ex Italia rejiciuntur 103. Fracti *Sarmatas* in auxilium vocant 103. *à Diocletiano* funduntur 103. Rurſus contra Romanos 104. ſub *Conſtantino Magno* à bellis tantiſper ceſſant 104. Extinguuntur ferè, unà cum *Quadis* 9. *Marcomanorum reliquiæ*, hodièq; circa *Landskronam* & *Krulichium* 11.

Marcomirus Marcomanorum Rex, totam Germaniam adversùs Romanos excitat 93.

Marobuduus Marcomanorum Rex, Bojos ex Bojohemo pellit 5. & 87. latè dominatur 6. & 88. Romanis formidabilis 6. Cum Romanis amicus, à Germanis deſeritur, & fugit in Noricum 6. *Ravennæ*, diu exul moritur 6.

Marothus Rex Morav. 30. potentiſſimus 126.

Martinicij: Stephanus 440. Joannes 405. Borzita 710. 800.

Mathias Corvinus, Hunniadis Corvini filius (cujus frater *Ladislaus*, à Ladislao Rege decollari juſſus p. 679.) electus ab Hungaris Rex; *à Georgio Rege* dimittitur 687. magno apparatu. Pragâ excedit 688. *Catharinam Georgij filiam* ſibi deſponſat 691.

Mathias Hungariæ Rex, coronam à Friderico Imp. recipit 741. fruſtrà reſpectat Bohemiæ Regnum 862. 863. Polonos fugientes perſequitur 865. pro pellendo *Wladislao*, ſufficiendo verò Mathiâ, in Bohem. Regno, laborant *Papa, & Fridericus*: ſed *Wladislaus* confirmatur 866. Cum *Wladislao Bohemiæ Rege* amiciſſimè converſatur 895. & 896. moritur 898. Albæ Regali ſepelitur 899. Delatoribus facilem ſe præbuit 899.

Maximilianus I. Imp. patri Friderico III. ſufficitur p. 907 moritur 940.

S. *Metudius Moraviæ Apoſt.* 40. & 41. Interregnum Moraviæ adminiſtrat 209. à *Bavaris* accuſatur Romæ, anno 879. pag. 213. & à *Moguntino Archi-Epiſc.* 215. rurſus à Bavaris, amaris epiſtolis apud Papam, pag. 216.

Mezerzicium civitas Moraviæ 65. & 79.

Migrationes gentium olim frequentes 81. 112. 120. 122.

Mirow arx Epiſcop. reſtaurata 67.

Miſnâ urbe, totâq; *Luſatiâ*, Wratislaus Bohem. Rex donatur, ab Henrico IV. Imp. 272.

Mogemir I. ſuccedit Hormiduro Moraviæ Regi 35. & 136. *Ludovico Imp.* confœderatur 35. 136. exercitium fidei liberum in regno permittit 35. cum Polonis bellat 35. victus, pacem impetrat 36.

Mogemir II. Brynnoni ſuccedit 36. & 139. in bello cæditur 44. huic ſuccedit *Radislaus Rex* 36. & 140.

Mogimir III. non Rex, ſed ſolùm *Princeps* Moraviæ, *Svatobogi* frater, cum fratre diſſidet 210. 211. temerè, maléque pugnat 201. Hungaros perſequitur 204. cædit 217. reprimit 219. *Mogemiro* in bello cæſo, regnum quoque Moraviæ vacillare cœpit 219. & 220.

Mohelnicium civitas 66. excinditur 499.

Moravia topographica deſcriptio 49. &c. Montes ibidem, flumina 50. lacus & piſcinæ 52. aquæ medicæ 52. acidulæ, fertilitas 53. thus & myrrha 56. metalla 57. gemmæ 58.

Moravia priùs à Nemetibus, Quadis, Jazygibus, Sarmatis; vel Oſis Pannonibus; tandem à Marcomanis inſeſſa 2. & 3. In hanc *Sarmatæ Jazyges*; poſt etiam *Slavi* quando venerint? 11. Primò trifariam diviſa 61. tandem in quinque circulos diſtincta 62. *Olomucenſem* 62. *Brunenſem* 68. *Znogmenſem* 73. *Hradiſtienſem* 75. & *Iglavienſem* 77.

Moraviæ regni quondam amplitudo 33. 123. *Moraviæ* regnum diſcerpitur 225. & 226. Reges Moraviæ; *Babak*, primus 31. Reges Moravi ex inferiori Pannonia ejiciuntur 128. *Moravia regnum in Bohem. transfertur* p. 46. & fit Marchionatus. Ibid. eſt quartus Imperij Marchionatus 47. *Marchiones Moravici* Bohemiæ Regem, tanquam vaſalli, fiduci-

Digitized by Google

ducia[illegible]jque cognoſcebant 46. 47. & 48. *Moravi* fruſtrà conati ſunt eximere ſe à ſubjectione regis Bohemi 48. & 49. *Brzetislaus* Bohemiæ Dux eam dividit filijs 46. *Joannes* Carolo filio ceſſit 47. *Sigiſmundus Imp.* Alberto Duci Auſtriæ, genero 48. *Rudolphus II.* Mathiæ fratri 148.

Moravia Chriſtum priùs agnoſcit, quàm Bohemia 60. inchoavit fides, ſub *Mojemiro I. Moravia Rege* 35. plura de fide. vide pag. 38. 39. 40. antiquitas regni Moravici, *á Babak* primo rege 31. ſectæ in Moravia variæ: Epiſcopum iterum obtinent 165. Huſſitarum Bohemorum colloquia reſpuunt 524. conceditur eis *Communio ſub Utraque* 603.

Moravi victorioſi, *Bavaros & Francos* infeſtant 32. 125. *Moravi* debellati rurſus aſſurgunt 121. *Avares* ex Pannonia pellunt p. 122. *Pannoniam* utramque ſubigunt 123. *Bavariam* armis exercent 124. *Bohemiam* invadunt, ſemel atque iterum 131. & 132. *Germanos* vincunt, caſtra diripiunt 162. *Auſtriam* vaſtant 188. *Hungaros* auxilio Bohemorum profligant 220. *Polonos* cædunt 290. Hungariæ Regem *Belam II.* protegunt 296. & 298. Privilegijs à *Friderico III. Imper.* donantur 330. Contra *Prutenos* crucem ſumunt 331. *Auſtriacos* bis cædunt 350. & 351. *Pruſſos* iterum vincunt; reduces *Sileſios* affligunt p. 362. *Auſtriacos* laceſſunt 403. vincunt, ac Ducem *Henricum* capiunt p. 404. Hos rurſus & Hungaros cædunt 408. Auſtriam vaſtant 409. *Hungaros* arcent 438. Turcam profligant 609. Ultrò ſe contra Turcas offerunt 626. in Saxonia bellantium geſta, 635. & ſeq. Hungaros prædones compeſcunt 639.

Moravorum pro Catholica Relig. zelantium nomina 474.

Morbi communes in Moravia 50.

Moſcovitarum conditor *Moſoch*, adeóq; Slavorum omnium 17. Qualiter per Septentrionem & Orientem aucti 19. Vide *Heneti.*

Moſoch conditor omnium gentium Slavici nominis pag. 17.

Mnezký de Dube ex *Odrziſauſijs* 170.

Mſtibogius Kaurimenſis Princeps Moraviam deprædatur 189. A Swatopluko Moraviæ Rege bello vincitur 191. vincit auxiliante *Chrudo* 192. à dæmone ſtrangulatur 193.

N.

Nemetes, vel *Niemczi* à Slavis Germani vocantur 3. Moraviam olim incoluerunt 6.

Neoburgici Palatinatûs initia 920.

Nepomucenus B. Joannes, à Wenceslao Rege mergitur in Moldava p. 437. apparet *Wladislao Regi* in Sanctorum numero 913.

Nicolaus Bruna natus, fit Epiſcopus Tridenti; Gubernator Tyrolis 418.

Niklſpurgum civitas 70. obſidione tentatur 823.

Nobilitas cum civili ſtatu diſſidet 915. 917. componuntur 939.

Nobilitatis Moravicæ, Bohemicæque Familiarum variarum fit mentio 405. 412. 440. 463. 474. 483. 486. 501. 534. 537. 548. 584. 586. fusè. 593. 602. 603. 613. 618. 628. 638. 646. fusè. 658. 672. 691. 694. 698. 701. 730. 765. 791. 796. 872. 815. 838. 854. 860. 861. 870. 882. 887. 888. 889. 895.

de *Nova-Domo Ulricus* & *Henricus* memorantur 361. *Meinhardus* 496. victor Huſſitarum 589. *Henricus* memoratur 909. & *Adamus* Henrici filius 931. & 933. *Adamus II.* ſerò nimis ad Mohacenſem cladem Regi fert opem 957.

Nymburga civitas Bohemiæ proditione capitur, à Wladislao Rege 869.

O.

Obiteczský: Litmir 640. *Joannes* heros egregius p. 678. 730.

Oborziſſtie caſtellum in Boh. quinque milliaribus Pragâ, versùs *S. Montem*, à Taboritis occupatur, in Vigilia Corporis Chriſti, *anno 1425.* deditione, & exuritur, unà cum loci Domino, *Henrico Kolman*, viro Catholicæ Relig. obſervantiſſ. & alijs X. viris quoque Illuſtribus, pag. 514. *Dum proximè Bonum illud emi, locum ſpectavi in medio piſcinæ factæ ex vallo & foſſis, quibus antea circumdatum fuit caſtellum: quæ piſcina hodiéque retinet nomen* Předhop. Res porrò notatu digna: ductores Taboritar. poſt deſtructum *Oborziſtium*, illatámque necem *Kolmano* & ſocijs ejus, paulò poſt miſerabiliter perijſſe: primò, *Joannes Bzdina*, ad caſtrum Wozicze; deinde *Bohuſl. Sſvambergius de Worlik*, ad Retzium in Auſtria; uterq; lethali vulnere cæſi. *Petrus* verò *Buzko de Smolotil*, hoſtis Kolmani capitalis, dum fugeret per *Moldavam*, aquis hauſtus interijt: omnes tres, eâdem æſtate, anni 1425.

Odrziſauſiorum Familiæ origo 170.

Olgus Ruſſiæ Princeps in Moraviæ regnum invitatur 230. profligatur ab Hungaris 231. *Welehradium* fruſtrà tentat 232. iterum ab Hungaris vincitur, & per Olomucium in Polon. fugit, & moritur 233.

Olomucenſis Diſtrictus in Moravia maximus 62. *Urbis Olomucij* deſcriptio p. 63. *Julio montium* dicta non à *Julio Cæſare*, ſed à *Julio Maximino* 63. Ditionem Olomucenſem *Brzetislaus Bohem. Dux* donat filio Wratislao 46. Poloni deditione capiunt 238. Eccleſia *S. Wenceslai* Cathedralis fundatur 296. *Epiſ. Olomucenſis*, quomodo ſit *Regiæ Capellæ Comes?* 315. circa Olomucium vaſtationes 317. Præpoſiti privilegium 330. Epiſcopus exemptus eſt 330. à jurisdictione Moguntini qualiter exemptus 430. Urbs à Tartaris obſidetur 345. 246. Tartari cæduntur. ibidem. & 247. Templum B. Virginis, quod habent PP. Societatis, à *Jaroslao Sternbergico* conditum eſt 348. *Olomucium* Hungariæ Regi Mathiæ ſe dedit 832.

Oppawienſis Ducatus ab antiquo Moraviæ membrum 424.

Digitized by Google

Orebitæ Sileſiam infeſtant 527. Swidnitzium fruſtrà tentant 528. excurrunt in Moraviam & Auſtriam 569. Auſtriacos fugâ ſimulatâ, cædunt 570. Dux illorum *Bedrzich* capitur, ſed rurſus dimittitur & mox *Kolinium* Civitatem Bohem. occupat 596. Kolinio relicto Taborium ſe recipit 597.

Orphani cum Pragenſibus diſſident 510. *Litomiſſlium* expugnant, ſæviunt 511. Moraviam deprædantur 531. Brunam obſident 532. pugna committitur, & Brunam deſerunt 534. Sileſiam infeſtant 535. ad Swidnitzium cæduntur 536. *Procopio minore* duce, Moraviam & Auſtriam vaſtant 564. Cum Taboritis & *Procopio Majore* in Hungariam irrumpunt 565. ex diſſidio deſeruntur à Taboritis 566. cæduntur 568. Cum Taboritis internecione delentur 587.

Oſi Pannones Moraviam incoluerunt 3. *Cimbros* à finibus repellunt 83. à Swevis occupantur, & hi *Marcomani* poſtea dicti 85. dum ſe vindicare volunt, à Svevis profligantur 86.

Otto Moravia Marchio, contra Sobieſlaum Bohemum bellum parat 288. Cum *Lothario Imp.* movet in Bohemos 289. Imperator profligatur, & Otto cæditur 290. *Lotharius* circumdatus à Bohemis premitur 291.

Otto Brandeburgicus tutor Wenceſlai Ottac. avarè & crudeliter Bohemiam adminiſtrat 384. ejus exitium, & pœna à Deo inflicta 385.

P.

Panovicz Wolffram Caſtellanus Glacenſis 409. *Panovicij* 529.

Pardus ab Horka Litovcliam occupat 605. & 608. Ab Olomucenſibus capitur, & incarceratur 607.

Pernſteina arx p. 72. inſtauratur 417. *Jani Prſſim* ad Mediolanum fit mentio 316. *Wratiſlaus de Pernſtein*, Moraviæ Capitaneus 910. *Wilhelmus* Pardubicij Regem ſplendidè tractat; ejus filij *Joannes* & *Adalbertus* à Rege militari cingulo donantur 913. *Wilhelmi* mentio 928. rurſus 932. *Joannes* verò nimis cum auxilijs Regi venit, poſt occiſum Regem ad Mohacium 957. Eccleſiarum bonis maximè ditati 936.

Peſtis ingens per Moraviam & Bohemiam 245. peſtis & fames 384. 616. Pragæ peſtis, ex qua Ladiſlaus Rex juvenis moritur, 681. & 682.

Plznam Urbem Bohemiæ, Taboritæ fruſtrà tentant 512. ad Plznenſes *Martini Papæ* literæ 525. oppugnantur à Taboritis & Pragenſibus 588. rurſus à Taboritis 581. &c. Camelum Czapkonis in urbem abripiunt 583. obſidio ſolvitur 585. *Paulus II. Papa*, excommunicat Georgio Regi contra Plznam opem ferentes 751. *Plznenſes* in regno primi excommunicationem in Georgium à Papa latam publicant 793.

Podiwinum civitas Moraviæ 71. hic *Radiſlaus Moraviæ Rex* impugnatus à Ludovico Imp. ad deditionem coactus 151. 152. hanc Hungari deprædantur, exurunt, pag. 231.

Poloni Bohemiam vaſtant 240. Pragam capiunt ibid. Rurſus in Bohemiam, ſed à Czaslawienſibus profligantur 241. iterum crudeliùs irruunt 242. Imp. Polonos invadit, auxiliantibus Bohemis 246. Cæduntur in Bohemia prædatores 247. Poloni Bohemis tributarij 275.

Roſtenſtein arx Ziampachij, à Carolo IV. diruitur, reſtauratur 417.

Praga Vetus conditur à Duce Przemyslo 32. muro cingitur 360. pontem ædificat Carolus IV. 431. Civium olim potentia 406. Civis unus donat Carolo IV. 100. millia aureorum 435. in armis robur & fiducia 462. Obſidione premuntur à *Zizka*, & paciſcuntur 502. Pragenſes cum Coributo Moraviam infeſtant 510. Diſſident cum Taboritis & Orphanis 510. Pragenſes primi contra Germanos expediunt arma 557. *Plznam* fruſtrà tentant 558. Copiæ Bohemorum 557. Germanorum 559. *Fugantur Germani*; Pragenſes bellica tormenta Pragam in triumpho vehunt 560. *Sigiſmundus Imp.* honorificè ſuſcipitur; Magiſtratus renovat 599. Papæ legatus honorificè excipitur 641. infecto negotio Pragâ excedit 642. *Vetus & Nova Urbs* novis inſignibus à Cæſare donantur 878. In Curia Veteris Urbis, *Ludovicus Rex* convivio excipitur pag. 946.

Praga Nova anno 1384. à Carolo IV. fundatur 430. expugnatur à *Veteri*, & ſubjicitur 585.

Procopius Moravia Marchio. Vide *Jodocus*. Procopius ex arce *Bezdiezy* familiariter evocatus, capitur à Sigiſmundo, Brunæ incarceratur, veneno tollitur 446. & 447.

Procopius Raſus, mortuo Zizkâ Taboritarum Dux 509. ejus geſta in ſequ.

Przedenecz nobilis memoratur p. 362. Familia hæc ducit originem à Ducibus *Obotritarum* in Wandalia; qui Duces præfuêre *Przedenicijs*, nationi Slavonicæ ſic dictæ, *in Pomerania*. Ab hac Familia derivant maternam originem *Vrubskij* in Boh.

Przemiſlus Ottocarus I. à juniore fratre Wladiſlao, ultro reſignante, Boh. Ducatum ſuſcipit 318. ſibi & poſteris titulum Regium obtinet 328. & 47. *Præpoſitum Olomucenſem* inſtituit; privilegijs ornat 330. In Comitijs Argentinæ Romanorum Regem eligit 331. Per filium Wenceſlaum, Auſtriacos profligat 331. moritur 332.

Przemiſlus Ottocarus II. Moraviæ Marchionatu donatur; Mortuo *Hermanno Badenſi*, ſuſcipit Auſtriam 359. *Belam* Hungarum profligat 359. 364. Prutenos bello laceſſit 361. Victor revertit 362. Carinthiâ privatur 397. Reſpuit Imperium 368. 371. *Margaretam* conjugem repudiat 368. *Kunegundem Bulgaram* ducit 368. Bavariam vaſtat 369. dolet *Rudolphum Imp.* electum 368. 371. *Rudolpho* adverſatur 371. bellum infert 377. victus occiditur 378.

Radi-

Digitized by Google

INDEX.

R.

Radiſlaus Mogemiro II. ſuccedit 36. Pannoniæ partem recuperat 37. ſiniſtra bella gerit 140. à Ludovico premitur 141. pacem petit, ibid. Bellum renovat 143. Ex Auſtria ejicitur 148. regno privatur 169. in Monaſterium excæcatus retruditur 170. moritur 38.

Ralskij, ſeu *Wartembergici* 316. *Beneſſij de Ralsko* 362. *Chwalonis de Miſſeno* 291.

Raſſin Petrus, memoratur 934.

de *Raupow Joannes*, ſupremus Judex Curiæ Regalis 904. *Wenceslaus* 910. 934.

Reginæ-Hradecenſes Regi Sigiſmundo refractarij p. 599. obſidentur, ibid. *Koſtkam* oppugnantem occidunt, fugant exercitum, & caſtra diripiunt 600.

Reliquiæ SS. mappa cœnæ Domini, à *Ludovico Hungaro* donatur Carolo IV. 425. *Digitus S. Joan. Bap.* Oſſecenſi Cœnobio traditur 366. Quas Brzetislaus ex devicta Polonia, tranſtulerit in Bohemiam? 255. *S. Sigiſmundi corpus* Pragam advehitur 432. *Carolus IV.* orbe toto SS. Reliquias colligit 434.

Robacz Baro de Duba, velut prædo, expugnatur, ſuſpenditur 604.

Rokiczana pro Archi-Epiſcopo petitur 641. in diſputatione obmuteſcit 641. Pragæ Catholicis novas turbas faceſſit 642. Geor. Regi fit inviſus 859.

Roſenſis Familiæ decus, & ſplendor 670. Roſenſium fit mentio: *Budivogij* 361. *Ulrici* 367. *Zaviſſij* 378. *Ulrici* 458. *Milota* proditor, 378. & ſequ. *Zaviſſius* perduellis, aſſere plectitur 386. *Ulricus* Huſſiticam ſectam primus amplectitur, ſed mox reſipit 458.

de *Rozmital Zdenko Leo*, ſupremus Boh. Burggravius 909. jura Pragenſis Epiſcopi tuetur 925. latrones in Bohemia perſequitur 932.

Rudolphus Comes ab Habſpurg Imperator eligitur 371. *Ottacarum* bello petit 372. profligat, cædit 378. fuit priùs ejusdem Ottacari Mareſchalcus 367.

Rudolphus II. Imp. & Bohem. Rex, Mathiæ Archi-Duci Auſtriæ Moraviam cedit 48.

Rzimanowium, vetus civitas 6[illegible] vulgò *Rimarow*.

S.

Samandria expugnatur à Turcis, 619. 620. recuperatur per transact. 627. ſed brevi poſt à Turcis recipitur: ejus modernus ſtatus 909. *Loci illius Epiſcopus ab Auguſtiſſ. Imp. LEOPOLDO, quâ Rege Apoſtolico, creatus ſum, an. 1675. Feriâ III. Pentec. & Poſonij, ut jam moris eſt, inſtallatus per procurat. an. eod. 28. Julij. Dom. VIII. poſt Pentec.*

Samo Moraviæ Slavicæ Rex 30. Potentiſſimus 125. Germanos & Francos vicit 125. moritur 126.

Samoslaus, Bohemos impetijt 35. & 128. & 131. *Carolo Magno*, tranſitum prohibens profligatur, 128. Bohemi ab eo vaſtati, ejus exercitum delent 132.

Sarmatæ duplices: alij *Aſiatici*, alij *Europæi* 21. Olim *Scythæ* dicti 21. Diverſæ horum Coloniæ 23. *Dariū* vexant 24. Xerxi contra Græcos auxiliares 24. *Philippum Macedonem* armatum excipiunt 24. *Zopyrum* Alexandri Præfect. fundunt; *Lyſimachum* Ponti Regem vincunt 25. *Mithridatis* jugum excutiunt 26.

Sarmatæ Slavici, Attilæ ſunt formidabiles 28. ſub nomine Slavorum inclareſcunt 29. *Valentiniano* bellum parant 109.

Scanderbegus, quis? ejus in juventute heroica facta 625. Regnum paternum uſurpat, & fit hoſtis implacabilis Turcarum 626. febre moritur 790.

Sekerka Czenko de Wrſſowicz, ob egregia facinora, Comitum gradui, dignitatiq; reſtituitur 934.

Siccitas in Bohemia ingens 438.

Sigiſmundus Carolo IV. filius naſcitur 432. cum uxore Regnum Hung. ſuſcipit 439. A Bohemis Rex ſalutatur 459. *Alberto Auſtriaco*, genero, Morav. à cedit 48. *Pragam* fruſtrà obſidet 461. in Arce Prag. Rex inauguratur 462. Ad *Wiſſehradum* cæditur 465. à *Zizka* profligatur 477. *Brunæ* cum Nobilitate, de *Compactatis* agit 504. Bohemos legatos *Albæ Regali* munificè tractat 506. *Iglaviam* ad Regni comitia venit 597. *Pragæ* honorificè ſuſcipitur 599. *Znogmæ* moritur. *Waradini* ſepelitur p. 611.

Sileſia Bohemis adjicitur 413. Sileſij à Taboritis duriter afflicti 530. Regi Bohemiæ jurare nolunt, niſi præſenti 672.

Sedlecenſis in Bohemia Cœnobij fundator, *Sobieslaus Bohemiæ Princeps* 301.

Slavatarum origo à Ducibus Zatecenſ. è Przemyslo-Libuſſæo ſanguine 145.

Slavata Wratislai Ducis Zatec. minor natu filius, *Wogeni Ducis Bohem.* nepos, *Wlaſtislaum* fratrem de ſolio Principatûs deturbat 144. à *Ludovico* Rege bello petitur, ibid. in Moraviā fugit, ib. à Radislao Rege recipitur, & pro ſupremo conſiliorum moderatore habetur 140. *Ctibor Slavata de Chlum* militiæ Dux, 241. *Bohdal Slavata* 242. *Ctibor jun.* 252. 260. *Nicolaus* heros ſtrenuus, ex linea Slavatarum Moravica 286. *Brunik Slavata* ad Mediolanum 316. *Slavatarum* ſedes 344. *Wenc. Lacembok*, ab Huſſitis, odio Fidei Cath. occiditur, 591. *Diviß* 649. *Getrzich* 658. *Joannes* 909. *Michaël* pag. 932.

Slawonicium civitas antiqua 74. 657.

Slaworum origo, ex Japheto Noë filio 12. Slavorum pater *Moſoch* 17. perperam *Sclavi* dicuntur 29. *Slavi* non ſunt *Wandali*, ſed *Vendi*, *Vinidi*. 13. errores de Slavorum origine arguuntur 13. 14. *Slavi Moravici* vetuſtiores Bohemicis 12. E Slavicis populis, Moravi primi regnum condiderunt 12.

Sobieslaus Roſenſis, *S. Adalberti* frater, fortiter pugnans adversùs Polonos, occiditur 240.

Spitihnievus, Brzetislao patri mortuo ſufficitur 262. fratres Moraviâ privat 263. *Germanos ex Bohemia pellit* 263. mores emendat 263. moritur 264.

Sternberg Jaroslaus ad Olomuc. Tartaros cædit 347. in

in urbem redit 348. à Rege Bohemiæ præmiatur 348. Olomucenſe templum condit 348. *Matthæus de Sternberg* diſſidet cum Corvino Rege 774. &c. *Joannes* legatus ad Fridericum Imp. 786. *Ladiſlaus* legatus ad Imperialia comitia 941. *Zdenko* contrariatur Georgio Regi 786. bello petitur à Rege p. 800. & 801. laudatur à Papa 803. *Smilo Hwiezda*, ſeu à Stellis 302. *Zdulaus* ſub-Mareſchalcus 378. *Ladiſlaus* Cancellarius 931. & alij 635. 649. 746. 774. 823.

Strachowsky Joan. ad Taborium, pro Cathol. Relig. cæſus 466. *Paulus*, è Senatoribus Regni unus *à Sigiſmundo Imp.* conſtituitur 603. *Jaroſlaus*, à Georgio Rege legatus mittitur ad Matthiam Regem Hung. 819.

Swatobogus naſcitur 41. patri ſuccedit 43. 208. ſuis exoſus, à *Mogemiro* fratre vincitur, capitur 43. & 210. à Cæſare Regno reſtituitur 211. 222. Impius & crudelis evadit, Archi-Epiſc. mortem intentat 44. 223. relicto Regno fugit in deſertum 224.

Swatoplukus Religionem promovet 42. Borziwogium Bohemiæ Ducem, Chriſto lucratur 42. Cum *Arnulpho Imp.* diſſidet 43. *Germanos è Morav. pellit* 166. Invitatus à *Carolomano*, captivatur 172. liberatur, injuriam ulciſcitur 173. Saxones atque Thuringos cædit 175. Vincit Carolomannum 176. Auſtriam infeſtat 188. *Mſtibogio Kaurimenſi* bellum infert 189. Cum *Arnulpho* diſſidet 194. hinc bellum 195. Imperator periclitatur 196. 199. prælium 200.

Sſwibovij Przemyslo-Libuſſæ originis 145.

T.

Taborium, olim *Kotnow*, aliter *Hradiſtium*, civitas Bohemiæ 176.

Taboritæ Moravienſes, Moraviam vaſtant 471. *Welebradium* incendunt 471. à Moravis bello petuntur: excinduntur; ad Orebitas reliquiæ profugiunt in Bohemiam 473.

Taboritæ Bohemici à Bohuslao de Sſwamberg profligantur 467. qui tamen poſtmodùm ipſis adhæſit. *Telczium* in caſſum oppugnant 495. Ab Auſtriacis è præſidijs ejiciuntur 502. 503. Zizkâ mortuo Taboritæ dividuntur 509. Slanam, cum Orphanis, expugnant 510. circa Slanam crudeles 514. Kamenicium ſe dedit 515. cum Novo-Domenſibus pacem faciunt 517. Procopio Raſo duce Auſtriam infeſtant 517. Retzium oppugnant 517. vi capiunt 519. ad Auſtriam Germanos graviter cædunt 519. &c. Cum Orphanis Morav. Auſtriam, Hungariam pervadunt 520. Accitis Pragenſibus, rumore tantùm Germanorum ingentes copias fugant 521. Plznam tentant 522. Kolinam deditione capiunt 523. cum Orphanis Lubnam Luſatiæ vi capiunt 528 à Sileſijs vexãtur 529. ſed hoſtilitatem recipiunt 530. Niſſam non valent expugnare 531. Moraviam, & Auſtriam, uſque Viennam depopulantur 535. Germaniæ provincias vexant 539. Onuſti prædis in Bohemiam revertuntur. 540. Germanis auro pacem vendunt 543. ab Hungaris cæduntur 545. Rurſus in Moraviam 550. Plznam inde divertunt 551. cum Orphanis in Hungariam irruunt 565. in Hungaria deſertis Orphanis reduces 566. Auſtriam crudeliter habent 569. Foitlandiam, & Miſniam deprædantur 572. 573. ſuis in Moraviam auxilio feſtinantes, Hradiſstko cœnobium ad Olomucium diruunt 574. Trnaviam in Hungaria capiunt 575. onuſti revertuntur 576. Moraviam, & Auſtriam expilant 579. cæduntur ibid. Feliciùs in Hungaria prædantur 579. 580. Polonis adversùs Crucigeros proficui 580. Plznã tertiò tentant 581. per ſtratagema cæduntur 582. & Czenkonis Camelo privantur 583. obſidio ſolvitur 585. cum Orphanis internecione delentur à Boëm. 587. Procopius rurſus Plznam tentat 588. ſecundò cæduntur à Nobilitate Boëma 589. Reliquiæ Kolinam excurrunt 590. cæſi, capti, deletique 593. Zdenko Sternberg de Konopiſst, Taboritas extremè prorſus delet 649. In præſidio Taborij reſiduos Æneas Sylvius inviſit 654.

Tacitus, Romanus Hiſtoricus quando floruerit 9.

Talmberg Hermannus 459. *Joan.* militiæ Præfectus 903. *Joannes jun.* 934.

Tartarorum origo 340. 341. Variæ in Evropam irruptiones 341. Ruſſiam, ac Poloniam infeſtant 341. Sileſios fundunt 342. *Moraviam* deprædantur; cæduntur 344.

Telczium civitas Moraviæ 79. à Taboritis obſidetur; fortiter defenditur 495.

Terræ motus in Moravia 407.

Trebiczium civitas 79. ibi quondam cœnobium fuit 80 à quo conditum? 286. expugnatur 817.

Tributorum exactio quando Principibus licita? 423.

Turcæ primò Serviam, & Hungariam infeſtant; ubi cæduntur à Bohemis & Moravis p. 610. *Samandriam* expugnant 615. fruſtrà Belgradum oppugnant 620. à Joanne Corvino profligantur 621. *Conſtantinopolim* expugnant 669. *Belgradum* capiunt 942.

V.

Vaticinium de Bohemia 617. de Mathia Rege 901.

Vangio, Marcomanorum Rex 9. 91. Cum *Sidone* fratre, Quadorum Rege, *Veſpaſiano Imp.* contra *Vitellium*, opem fert, ibid.

Venetijs condendis Attilæ perſecutio anſam præbuit 115.

S. Viti brachio donatur S. Wenceslaus ab Henrico I. 129.

Vnczovia civitas, *Georgio Regi* fidelis, *Mathiam Hung. Regem* recipere renuit 852. Suburbia miraculoſè ſervantur ab incendio, ibid.

Vngari in Daciam & Pannoniam irrumpunt 33. Pannoniam veterem ſedem appetunt, pag. 126. Denega-

negatam à Rege vi occupant ibid. Regem fundunt; ex inferiori Pannonia pellunt 128. *Vngari* novi è Scythia advenæ Moraviam infeſtant 193. Germaniam & Italiam 213. Auſtriam & Germaniam 226. Italiam 229. *Welegradum* & *Padivinum* urbes incendunt 239.

Vniverſitas Pragenſis à Carolo IV. fundatur 430.

Vniverſitas Viennenſis malè ſentit de poteſtate Summi Pontificis 661.

W.

Waldſtein arx in Boh. diruta, anno 1440. nunquam poſtea reſtaurata 620.

Waldſteiniorum origo 29. vide *Ralskÿ*; *Hynko de Waldſtein* cum 24. filijs & nepotibus 362. *Hynko de Skall*, aliàs *de Waldſtein* 378. *Waldſteinij* pro parte Sigiſmundi Imp. 612. *Hynek* inter præcipuos Barones Moraviæ 618. *Hynek junior* 638. 662. *Haſſek* 649. *Joannes* 672. 694. *Waldſteinij* pro parte Georgij Regis 812. *Hynko* 854. 870. *Waldſteinij* inter præcipuas XV. Baronum Familias in Morav. 888. *Zdenko* 889. *Nicolaus* 893. *Hynko Brtnicij Dominus*, ibid. *Bernardus* 909. *Burianus* 934.

Wandali non ſunt *Slavi*, ſed *Germani* 13.

Welehradium olim urbs Regia, nunc monaſterium Ordinis Ciſter. 77.

S. Wenceslaus Bohemiæ Rex creatur, ab Henrico I. Imp. 229. à fratre Boleslao perimitur 230.

Wenceslaus Marchio Morav. Cathedralem Eccleſiam S. Wenceslai condit Olomucij 296.

Wenceslaus II. Regi patri Przemyslo ſuccedit in regnum 332. *Henricum Morav. Marchionem*, quòd hoſti ſuo Friderico Auſtrio eſſet amicitior, bello petit, in Sileſiam fugat 332.

Wenceslaus Ottacarus, filius, Przemysli Ottagari II. Ottoni Brandeburgico in tutelam datur 383. ùt captivus habetur, redimi cogitur 384. Germani Imperium ei offerunt 386. reſpuit hunc honorem 386. Regna Poloniæ & Hungariæ oblata ſuſcipit: Coronam Hungaris aſportat in Bohemiam 387. moritur 391. *Wenceslaus* filius ſuccedit: Olomucij à Sicario occiditur 392.

Wenceslaus Caroli IV. filius, proſperè Regnum inchoat: ſchiſmata tollit; brevì degenerat: *B. Ioan. Nepomucenum* in Moldavam ex ponte mergi jubet 437. ſimiliter *Johannek Officialem & Suffraganeum* 438. incarceratur ab Antiquo Urbenſibus 439. ſecundò captus *Viennam* abducitur 440. ab Electoribus exauctoratur 440. moritur 456.

Wiſſehradenſis Eccleſiæ fundatio, prærogativæ 266. Præpoſitorum in ea dignitas 266. Dum Sigiſmundus Imper. Huſſitarum obſidionem perrumpere ſtudet. propè deletur cum exercitu 463. dedit ſe Pragenſibus ibid. Columnæ fruſta, quæ ibi viſuntur, non ſunt à dæmone Româ ſublatæ 643. in ipſo fine.

Wladislaus Caſimiri Poloniæ Regis filius, Georgio Bohemiæ Regi ſufficitur 861. coronatur 863. &c. Pontifex & Cæſar hunc deponere, & *Mathiam Hungarum* ſurrogare fruſtrà contendunt 866. Papa pacem conciliat inter *Mathiam & Wladislaum* 869. nova rurſus diſſidia *Mathiam inter & Wladislaum* 870. 872. Conventùs celeberrimus Olomucij, *Mathiæ & Wladislai* 883. &c. pax firmatur p. 885. Iterum Iglaviæ conveniunt, ubi *Wladislaus* regiè donatur à *Mathia* 894. Idem Wladislaus, quòd in Electione *Maximiliani I.* ab Electoribus neglectus fuiſſet, iratus, bellum intentabat, ſed excuſationibus Electorum placatur 897. Hungarorum Rex eligitur 902. fratrem *Albertum* competitorem profligat 903. alterum competitòrem *Maximilianum Imp.* ad pacis conditiones adigit 904. Wladislaus reſpuit ſponſam Beatricem, ob ſterilitatem 906.

Wratislaus Brzetislai Bohem. Ducis filius, Olomucenſi ditione donatur à patre 46. mortuo ſeniore fratre *Spitibniewo*, Bohemiæ Dux ſurrogatur, & Olomucenſem ditionem cedit Ottoni fratri 46.

Wratislao Bohemiæ Principi, poſt mortem Svatobogi, *Moravi* regnum offerunt; ſuſcipit 226. Hungaros in Moravia reprimit, ad pacis conditiones cogit 227. moritur 228.

Wratislaus Bohemiæ Princeps, primus in Boh. Rex creatur 270. ſuos patrueles Moraviæ Principes contumaces bello adoritur: hi fugiunt in Hungar. 270. Boleslaum filium, Moraviæ præficit 271. *Conradum fratrem* Brunæ obſidet 271. ab Henrico IV. Imp. Luſatiâ, Miſnâque urbe donatur 272. coronatur 273. moritur 273.

Wratislaworum de Mitrovitz 306. *Zdenko* 378. *Drslaw* 592. *Joan.* 662. *Wencesl.* 903. *Wratislaw* quidam, dexter in conſilijs, Principi ſuo *Wladislao* 306.

Wrbnai Hynko 489. *Joannes*, primus *Bruntalsky* dictus 796. *Hynko* 887.

Wrtbei, Wanko ſenior 649. *Joannes* 909.

Wrzeſowec Jacobus Bohemus, militiæ præfectus 906. idem rurſus memoratur pag. 909. & p. 950. Jacobus Regni Bohemiæ Sub-Camerarius cadit in pugna Mohacenſi 956.

Z.

Zabrdowicenſe Cœnobium S. Ordinis Præmon. propè Brunam 70.

Zbynko de Hazmburg Arch. Prag. reluctatur hæreſi, in vanum licèt, 453. extinguitur veneno Poſonij ibid. ſucceſſorem habuit *Albicum* hominem avariſſimum ibid.

Zerotinij Zdislai, ſinè *Wrabi* nobilis Moravi ad Mediolanum 316. *Zerotiniana Familia Moravica*, deſcendit ab *Olgo*: diſtincta fuit inſignibus à Zerotinijs Bohemicis 233. & 234. *Joan.* Equitum Præfectus p. 903. *Wenceslaus* in Buchlow 918. *Joannes* memoratur 932. legatus mittitur in Boh. 239.

Zizka nobilis *de Trocnow*, propè Trebonam natus

Digitized by Google

INDEX.

Nobilis 467. Veteranus miles, ibid. *Prachaticium* excindit 467. *Plznam* obſidet, & repellitur 468. Iglaviæ nihil proficiens, *Brunam* properat 492. Auſtriam ingreditur, vaſtat 493. ad Kremſirium profligatus, temonem in Bohemiam vertit 499. Pragenſes bis profligat 501. peſte contabeſcit p. 506. ejus teſtamentum, ibid. &c. Sepultura ejus, primò Reginæ-Hradecij, tandem *Czaslaviæ* 507. Ejus laudes 507. fundatio ſacerdotis ad Miſſæ lectionem, pro ejus anima 508.

Znogma civitas cum ſuo Diſtrictu deſcribitur 73. & ſequ. Ptolomæo *Medoslanium* dicta, ibid. excinditur funditùs à Wladislao 310. inſtauratur 331. Auſtriaci Znogmam occupant 401. fruſtrà impugnatur à *Jodoco Marchione Moraviæ* 445. *Znogmenſes* Auſtriam infeſtant, *Lavam* occupant 447. *Znogma* obſidetur ab Alberto Archiduce p. 449. ſed hic occiſus, & obſidio ſoluta, ibidem.

pag.	Menda.	Emenda.	pag.	Menda.	Emenda.
36.	*fratre*	*fratris,*	437.	*ab infantia*	*ab infamia*
37.	*Fulnam*	*Tulnam*	446.	ſemiſtas	ſemiuſtas
39.	Macomanico	Marcomanico	455.	Civiratem legatos,	Civitatum legatos,
42.	*vicu Porzicz.*	*vico Porzicz.*	475.	*Moiavia,*	*Moravia,*
44.	Regnum	Regum	478.	*cæro*	*cæco,*
86.	odcaſione	occaſione	504.	*Gregorio*	*Georgio*
100.	conſentur	cenſentur	527.	*adduc*	*adhuc*
123.	hoſtes	hoſtis,	549.	per	præ
131.	veſtutior,	vetuſtior,	553.	evajerant,	evaſerant,
ibid.	vocibis	vocibus	566.	*exextitu,*	*exercitu,*
138.	filijs,	filij,	576.	*Pridſteina*	*Fridſteina*
155.	meminicus	meminimus	578.	*extitioſti.*	*extitiſti.*
185.	*ArchiEpiſcopæ*	*Archi Epiſcopo*	579.	*ab Concilium*	*ad Concilium*
186.	cœgerat,	cœperat,	656.	remplum	templum
272.	*impudentiſſim,*	*impudentiſſime,*	870.	efiam	etiam
281.	edventu	adventu	697.	ipitur	igitur
294.	*Mombia*	*Moraviæ*	731.	*amplicandos*	*ampliandos*
311.	*Feſtivitatis*	*Feſtivitatibus*	750.	*repacitos,*	rapacitas,
326.	perrexat	perrexit	789.	manus meus	manus meas
333.	militus	militis	801.	ob irato	ab irato
353.	diplicere	diſplicere	808.	*à Georgius*	*à Georgio*
363.	diſceſſurium,	diſceſſurum	860.	*Sternbeg,*	*Sternberg,*
374.	cognotis	cognitis	864.	uliſcantur,	ulciſcantur,
382.	*bumuna*	*humana*	879.	*Lincimu*	*Lincium*
390.	ſuſceviſſet,	ſuſcepiſſet,	885.	*dimittererur*	*dimitteretur*
414.	*egni Polon.*	*Regni Polon.*	908.	ſecuritari	ſecuritati
ibid.	neceſſario	neceſſario	916.	*prægrangibus*	*prægrandibus*
422.	viderent me	viderent, ne	929.	incomparabitis	incomparabilis
432.	*divinam,*	*divinum,*	934.	trecentotum	trecentorum

Cætera, quæ occurrent, ipſe lector, pro ſua humanitate, corrigere non gravetur.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google